BIBLIOTECA NAZ.
8
E
8
NAPOLI


Uno asserit omnia Verbo.
Lumina.
Flumina.
Legum Volumina.
THEOLOGIA
ASSERTIVA
Josephi Cacheran
Fide Magistra assero.

DON JOSEPHI
CACHERANI
TAURINENSIS,

EX CLERICIS REGVLARIBVS BARNABITIS CONGREGATIONIS SANCTI PAULI.

THEOLOGIA ASSERTIVA

COMPLECTENS TRACTATUS SCHOLASTICOS,

NOVA METHODO UTILITATI, AC BREVITATI maximè accommodatâ diſpoſitos.

TRACTATUS TRES,

Quorum I. de Angelis, II. de Beatitudine, III. de Gratia.

EDITIO PRIMA.

LUGDUNI.
Sumptib. Fratr. ANISSONIORUM, & IOANNIS POSVEL.
M. DC. LXXXIII.
CUM APPROBATIONIBUS.



SERENISSIMO

COSMO III. MEDICEO, MAGNO DUCI HETRURIÆ.

DON JOSEPH CACHERANUS

FELICITATEM.

VIRI *Principes animi & ſolij celſitate ſuprà reliquum hominum genus evecti ſpeciem, imaginemque præſeferunt Deitatis, & dum ipſi propiùs ad Deum aſſurgunt ut tanti Exemplaris ad normam efforment auguſtam Perſonam, quam ſuſtinent, ad ipſos fidentiùs accurrunt quæcumque in terris divina ſunt, ut par conditioni ſuæ patrocinium aſſequantur: Theologia propterea, quâ ſcientiam nullam diviniorem habemus, jure optimò efflagitat Principum virorum auſpicia, eorum præſertim, qui tui ſimiles,* MAGNE DUX SERENISSIME, *ſicuti diademate & ſceptro poteſtatis divinæ Symbolum referunt, ità religione, integritate, æquita-*

te divinos mores imitantur. Hinc mihi Theologiæ meæ de Mecænate ſolicitæ votis ac juribus facturo ſatis deliberandus diù delectus non fuit; ea eſt Tui nominis gloria, tantus Tui in literas amoris rumor, ut animum totum repentè occupaverit, nec toleraverit ancipitem patrocinij implorandi cogitationem.

Sunt qui ab Athenis deducant Mediceorum originem; at ego libentius dixerim Te recentium Athenarum Patrem, ac Principem, quàm priſcas Athenas Tui patriam: Habet enim verò Hetruria Te regnante Athenas Florentinas, ad quas ætatis noſtræ Sapientiores, aut ſe ipſis, aut mentis ſuæ fætibus, certatim confluunt; & ex illis plures non alibi Cælo liberaliore fruuntur, quàm ſub Tuis Orbibus gentilitiis, nullos clariores ducunt dies, quàm quos Tui Solis jubar illuſtrat: Munificentiâ ſcilicèt Tuâ ſplendidè excepti rem litterariam magnopere exornant, & ſuo optimo Benefactori deferentes propriorum ſtudiorum felicitatem ad Te revocant antiqua Mediceorum Heroum elogia proclamantia LAVRENTIVM ingeniorum liberalem educatorem, artiumque omnium & elegantiarum Patrem præclarum. Vatum hoſpitem, & æmulum. COSMVM eruditi ſæculi decus. LEONEM X. ad ornandam virtutem Cælo datum. *Et hæc quidem hiſtoriæ fragmentum magis, quàm encomium, eſſe comperiet, quiſquis meminerit auctum à* COSMO *fortunæ bonis ficinum, ut minervam liberiùs excoleret; tractum* LAVRENTII *famâ Mirandulanum, ut domicilium Florentiæ deligeret; accitos undique à* LEONE *præſtantiſſimos bonarum artium Profeſſores, ut ſtudia Romæ inſtaurarent: Quiſquis item recogitaverit inclytos græcæ litteraturæ Proceres, quos è Byzantio ottomanicis armis occupato eiectos* COSMVS & LAVRENTIVS *invitarunt præmiis, devinxerunt beneficiis, conduxerunt ſtipendiis, ut Græcorum Auctorum expoſitiones caſtigatiſſimas ederent, & græcam in Italia linguam edocerent. Nec ſolùm in Scriptores à barbaris pulſos liberalitas Medicea reſplenduit, ſed ut eadem in vindicandis ſcriptis inter barbaras manus perituris reluceret,* LAVRENTIVS *nec expeditionibus, nec impendiis parcens extorſit à Baiazethe vetuſtiora, & ſacratiora volumina, eam in Bibliothecam transferenda, quæ tunc magnis ipſius curis ad literariæ Reipublicæ beneficium, ac miraculum abſolvebatur; &* MEDICEA LAVRENTIANA *nuncupata ſinu ſuo fovet tot* LAVRENTII *Præcones, quot Codices; nuperrimè etiam opulentior reddita & reparata Te prædicaret* LAVRENTIO *parem, niſi majorem evinceret Bibliotheca altera quæ regiis ipſis in ædibus, regiis ſumptibus, regiis Tuis juſſibus conſurgit, librorum jam numero & pretio dives, in dies verò adhuc ditescens*

Iovius Elog. 34.

Iovius Elog. 31.

diteſcens & ad ſe vocans quidquid alibi celebrioribus è typis erumpit, ut ſileam Bibliothecarum compendium, quod Tuis ſub auſpicиs in ſe gerit Bibliothecæ Præſes Maltabechius, vir eruditione omnigenâ ornatiſſimus & volumen ferè nullum ignorans.

Quod verò admirationem æque ac laudem omnem ſuperat, non tam alienis commodis, aut Avitæ magnificentiæ pompis, quam ingenio, genioque proprio deſervis, cum jubes augeri librorum ſuppellectilem, & inſtaurari, aut inſtitui Bibliothecas, has enim quoties ingrederis, quòd præſtas frequens, vix incidis in Auctorem, cum quo nequeas ſine interprete agere; in orationem, quam lingua tibi barbara & inaudita protuleris; in characterem, qui tuæ peritiæ, aut ignotus ipſe ſit, aut ignota contineat: Quodam veluti linguarum dono plura calles idiomata, polles ſcientiarum encyclopediâ, & habes altâ mente impreſſas ingentes rerum omnium ideas: Hiſce incrementis præluſerunt ſtudiorum initia, quibus, dum humana diſceres, anhelabas ad divina, & inter optimæ diſciplinæ primordia ad ſapientiæ apicem magna indoles feſtinabat: Addunt præludiis fidem ipſamet itinera, queis celeberrimas Europæ Vrbes, regioneſque exteras ineũtibus annis perluſtrans, poſt odoratam in templis Majeſtatem, & impenſam ſacris delubris inviſendis primam, eamque religioſiſſimam operam, nihil magis in deliciis habuiſti, quàm ſolemniora Muſæa & inſignia, ſi quæ forent, librorum promptuaria pertentare; aut excipere doctiorum virorum alloquia, Muſarumvè in Academiis de ſui Apollinis præſentiâ plaudentium gratulationes.

Quid igitur repetam ſapientiæ monumenta ab Atavis Tuis, aut etiam propiùs ab Auguſtis Parentibus, in quibus Quercus aurea Rovereorum orbibus inſerta Mediceis geminam jactat propaginem Principum hæreditario jure poſſidentium Sapientiam & complectentium Sapientes? Quando Tu unus ad inſtar omnium omnem ab omnibus Sapientiæ ſplendorem, amoremque Sapientum hauſiſti, & ad invidiam ſivè nominis mundo æmuli, ſivè ſtemmatis non unico orbe contenti, ſortitus animam pluribus orbibus parem ità totus litterario in orbe verſaris, ut totus adhuc extrà ipſum eſſe videaris, dum totus ad pia quæcumque ac religioſa officia ſedulus, ſacrorumque ſolers cultor religione & pietate non minus, quàm dominatione & poteſtate populis præes, dum triumphalibus Tuis imperiis Tyrenum fretum exultat, & Syriſſum prædonem malâ, Chriſtianiſque diu moleſtâ, famâ celebrem cum triremibus ſuis fractum, & captum, Magnitudini Tuæ ſiſtit barbarum vectigal, & perenne teſtimonium potentiæ terrâ marique metuendæ; dum ubique ſplendidus fontibus, ſimulacris, ædificiis mirificè ornas & magnificè amplificas

rurales etiam delicias, & loca ſoli otio, ſolique à curis gravioribus remiſſioni deſtinata.

Cohibeo calamum ambientem ex Tuis Tuorumque faſtis majora ſcribere lineamenta ſapientiæ, magnificentiæ, largitatis, pietatis; & inſtituto, intentoque meo magis indulgeo, vir ſcilicèt clauſtralis illud ſolum proſequor ſcribendi argumentum, quòd intrà clauſtra proprius Ordo abundè ſuppeditat: Hic quippè ſuos recenſet Inſtitutores Bononiæ ad pedes CLEMENTIS VII. *inter Italici fœderis gaudia, inter Cæſaris conſortia, inter Italiæ Principum obſequia glorioſi, provolutos; atque ibi impetrato Pontificij diplomatis auctoramento ſuorum robur natalium refert acceptum religioni, & magnitudini Mediceorum in ſupremo Eccleſiæ faſtigio conſtitutæ. Ex indè recens Congregatio in Hetruriâ, quaſi patrio in ſolo, illuſtria ſuſcepit incrementa faventibus ſemper & patrocinantibus Majoribus Tuis Magnis Ducibus, inter quos Te maximum eadem Congregatio jam adulta veneratur: Tibi enim debet Florentiæ gloriam litterarij magiſterij, quod dignante Magno Genitore* FERDINANDO *in tuâ pubertate erudiendâ ſexennio præſtitit, & modò in Te altera, id eſt in Tuâ auguſtâ Prole, avido obſequio repetit: Tibi debet collatum tertiò munus Sacri Conſiliarij, & Theologi regiis nutibus addicti; quamvis matura quæque conſilia judicio ipſe maturiore antevertas, & ea etiam, quæ ſine conſilio alieno deliberas cenſeri poſſint prudentiæ axiomata Principibus cæteris ſuggerenda. Tibi debet Piſis aperta in S. Frigdiani Collegio inſtituendis Adoleſcentibus publica gymnaſia, & inſtauratum ipſum S. Frigidiani templum, ſolemne Magni* FERDINANDI I. *donum, quod inopinato infortunio dirutum, ac conſumptum incendio, aureis potiſſimùm Mediceæ beneficentiæ radiis in nitorem priſtinum reſtituitur. Tibi debet Liburni factam ad tenues Collegij proventus acceſſionem, & ex ærario regio ſubſidium jaciendis primis regularis ædificij fundamentis deſtinatum. Debet Tibi, debet Majoribus Tuis in ſingulis Hetruriæ domibus ſacra, ac pretioſa donaria, pecuniarias largitiones, & eximiæ propenſionis patrocinij, effuſioriſque benevolentiæ monumenta; quibus ſi adjicere liceat primum Theologiæ meæ volumen arridentibus à* SERENISSIMA CELSITUDINE TUA *oculis inſpectum, & commendationis, quâ nulla mihi æſtimabilior, oraculo comprobatum, intrà me reperiam Tuæ humaniſſimæ dignationis argumenta, ac unà ſimul irritamenta fiduciæ, quâ audeo Theologicas haſce elucubrationes Tui ſplendore nominis illuſtrare; & multa mihi ſpes eſt audax conſilium eo ſaltem titulo placiturum, quòd ſcientiſſimo, &*

religioſiſſimo

religioſiſſimo Principi opus litterarium & ſacrum devoveam; quòd Mecænati beneficentiſſimo deferam grati ac obſtricti animi teſtimonium, & vadem votorum, queis enixè divinum Numen imploro, ut mihi, meo Ordini, litterariæ Reipublicæ, Hetruriæ, & Vniverſo, COSMVM III. *Medicem diutiſſimè incolumem ſervet, & quò ſeriore, eò beatiore, æternitate donet.*

AD LECTOREM.

SERIUS, quàm jn cogitatis optatiſque meis fuerat, profero alterum Theologiæ volumen; at Scriptor clauſtris addictus, nec ut ſui met, nec ut aliorum genio inſerviat, habet liberum ſcribendi otium; & ſæpè cogitur calamo plures horas ſubtrahere muneribns cæteris impendendas: Parce igitur tardiori moræ, quam etiam curavi prodeſſe operi, eique conferre emolumentum; dum enim res producta eſt, major fuit opportunitas exquirendi, excipiendique judicia, & cenſuras eorum, qui primos Tractatus evolverunt; ut in iis, quæ communis approbationis beneficium obtinuere eamdem ſcribendi rationem proſequerer, in cæteris meliorem inirem; & quantùm per ingenij tenuitatem licuit, aliorum me conſiliis, ac votis accommodarem, hoc ex capite liberalior fui in proponendis ſolvendiſque difficultatibus contrà veritates, quas aſſero, militantibus; cum enim non nemini parum arriſerit me in primis tractatibus ſolùm præcipua Adverſariorum argumenta ex profeſſo ſolviſſe, reliqua verò aut ſobriè & obiter attigiſſe, aut penitus diſſimulaſſe; in Tractatibus, qui modò in lucem prodeunt, ſolicitam curam adhibeo, ut nihil alicujus momenti proferam, quòd non vindicem ab Adverſariorum oppoſitionibus, & has ut plurimum expreſsè ac in terminis urgeo ac diſſolvo. Hinc excrevit opus vltra primæ ideæ metas, & Theologiam Scholaſticam, quam tribus voluminibus expedire ſtatueram vix quatuor perficiam; nec diſplicebit labor prolixior, dummodo utilior & acceptior evadat. Scias tamen me non idem patientiæ tuæ beneficium impoſterùm exigere, quod hucuſque exegi; jam enim non modica pro prælo materies in promptu eſt, & breve temporis intervallum ab hoc ſecundo volumine tertium dividet. Interim, dum parumper ſuſtines, mihi meiſque ſtudiis apprecare propitinm Numen, à quo tibi poſt hujns vitæ ſcientias Theologiæ beatæ conſecutionem præcordiis totis expoſco. Vale.

Facultas Reverendiſſimi Patris Præpoſiti Generalis Congregationis Cleric. Regular. Sancti Pauli.

CUM librum, cui titulus eſt, *Theologia aſſertiva complectens tractatus ſcholaſticos de Angelis, de Beatitudine, de Gratia*, à Patre Don Joſeph Cacherano noſtræ Congregationis Preſbytero profeſſo compoſitum duo ejuſdem Congregationis eruditi viri, quibus id commiſimus, accuratâ lectione & gravi judicio recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; Nos quantum in nobis eſt, facultatem facimus, ut typis mandetur: In quorum fidem, &c. Datum Viennæ Auſtriæ in Collegio noſtro Sancti Michaëlis die ſecundâ Auguſti M. DC. L X X V I.

DON GABRIEL Fantes Præpoſitus Generalis.

Imprimatur.

SI videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro.

J. DE ANGELIS Archiep. Vrbin. Viceſgerens

APPROBATIO OPERIS.

Per Adm. Reverend. Patrem Magiſtrum Fr. Georgium Soggia Turritanum Ord. Servorum B. M. Virg. Sac. Congreg. Indicis Conſultorem, Sereniſſ. Magni Ducis Etruriæ Theologum, olim Cathedram Theologicam S. Thomæ in publico Piſarum gymnaſio, nunc Romæ Cathedram Henrici in Collegio S. Marcelli Regentem, aliorumque Collegiorum Examinatorem.

REu. adm. Pater Don Joſephus Cacheranus, celebris hujus noſtri temporis Theologus in hoc ſuo libro de Angelis, de Beatitudine, deque Gratiâ à me de mandato Reverendiſſimi Patris Magiſtri Capiſuchi S. A. P. Magiſtri diligenter examinato feliciter de ſummâ hominum felicitate, atque Angelorum præſtantiâ, Deique per Chriſtum gratiâ ſcripſit. Etenim materiarum, de quibus egit, ſtylum & naturam imitatus, ſicut beatitudinis

titudinis gloria etſi æterna, quodammodò tamen renovari dicitur, quia licèt Beati perpetuò ſedeant in æternâ beatitudinis menſâ, tamen ipſius Beatitudinis felicitatem novè ſeu novo modo deguſtare dicuntur, ut tædium, quod diuturnitatis eſt vitium, evitare, & voluptatem, quam novitas inducit, exaggerare videantur: Sicut Angeli etſi ſemper videant faciem Patris, tamen quaſi novè beatitudine deliciandi forent, in ipſum deſiderant proſpicere: Sicut gratia Dei, etſi origine antiquiſſima, tamen renovatio dicitur interioris hominis; ità inſignis hic Author, licèt nullius juraverit in verba Magiſtri, tamen ſapientiam Antiquorum juxta Spiritus Sancti monitum exquirens, veterum opinionum veritates, quodammodò renovatas (quod cujuſcumque Scriptoris proprium eſſe debet) nobis tradidit & à renovatione illuſtratas, clariùs adeóque delectabilius oſtendit, dum Primorum Theologorum ſententias in varias aſſertiones diſtribuens, novis ſubtilitatibus ornatas exhibet; ſi quæ aſpera in illis videantur, in vias planas deducendo; ſi quæ obſcura, novâ rationum luce illuſtrando; ſi quæ levia, novo argumentorum pondere roborando; ſi quæ implexa, variis animadverſionibus explicando, ſi quæ diſcordia, in unam aſſertionem conciliando; cunctaque ſublimia tanta profunditate inclinando, ut omnium mentibus, atque intelligentiæ coaptet. Scriba igitur doctus eſt jure merito dicendus, dum profert de theſauro ſuo nova & vetera: Quod caput eſt, nihil continet liber hic, quod fidem catholicam, bonoſvè mores vel leviter offendat, imò multum quod Sacram Theologiam illuſtret. Videat ergo lucem ut omnibus luceat. Datum Romæ in Conventu Sancti Marcelli die 12. Novembris 1676.

Chryſoſt. homil. 3. in Matth.

Matth. 18.

1. Petr. 1.

Eccl. 39.

Matth. 13.

FRAT. GEORGIUS SOGGIA SERVITA.

Imprimatur.

FR. Raymundus Capiſuccus Ordinis Prædicatorum Sac. Palatij Apoſtolici Magiſter.

INDEX

INDEX TITULORUM TRACTATUS TERTII.

LIBER PRIMUS.

De ſubſtantia Angelorum in ordine ad ſe & in ordine ad corpora.

CAPVT PRIMUM.

De exiſtentia & creatione Angelorum.

§.I. VTRUM ex fide conſtet Angelos eſſe? p. 2
2. An & quomodò ratione naturali conſtet Angelos eſſe? p 3
3. Quandonã creati fuerint Angeli: Vtrum antè mundum corporeum, an poſt ipſum, an ſimul cum ipſo? p. 6
4. Vbinam creati fuerint Angeli: Vtrùm in Cœlo empyreo, an extrà ipſum? p. 8

CAPUT II.

De quiditate Angelorum.

§. 1. Vtrùm Angeli ſint omninò corporei? p. 10
2. Vtrùm Angeli ſint omninò ſpirituales; an partim ſpirituales, partim corporei? p. 12
3. Vtrùm Angeli, quamvis in ſe omninò ſpirituales, habeant corpora ſibi naturaliter unita? p. 13
4. Vtrùm Angeli, quamvis in ſe omninò ſpirituales, componantur ex materia ejuſdem rationis cum noſtra, ſpiritualizata tamen, & libera à quantitate? p. 15
5. Vtrùm Angeli componantur ex materia ſpirituali? p. 17
6. Vtrùm Angeli componantur ex partibus integrantibus? p. 20
7. An & quomodò Angeli ſint immortales & incorruptibiles? p. 21
8. Vtrùm repugnet Angelus ab intrinſeco corruptibilis? p. 25

CAPUT III.

De multitudine & diverſitate Angelorum.

§. 1. Quàm certum ſit Angelos eſſe multos & in magno numero? p. 29
2. Vtrùm Angeli ſint plures, quàm homines quocumqoe tempore exiſtentes? p. 30
3. Vtrùm Angeli ſint plures, qoàm ſpecies, aut etiam quàm individua rerum materialium? p. 32
4. De diviſione totius multitudinis Angelorum in Hierarchias & Choros, ſeu ordines. p. 33
5. De diverſitate Angelorum ab invicem, & primò utrùm quilibet Angelus ab alio quolibet differat ſolo numero? p. 36
6. Vtrum quilibet Angelus ab alio quolibet differat ſpecie & nullus ſolo numero? p. 38
7. Impugnatur potiſſimum fundamentum diverſitatis ſpecificæ cujuſlibet Angeli ab alio quolibet: oſtenditur ſcilicet principium individuationis oon eſſe ſolam materiam. p. 40
8. Vtrùm ſaltem ſit dabilis natura Angelica, aut alia natura creata immultiplicabilis numero? p. 43
9. Quid ſenſerit D. Thomas circà difficultates in duobus præcedentibus paragraphis agitatas? p. 46

CAPUT IV.

De ſubſtantia Angelorum in ordine ad corpora.

§. 1. Vtrùm Angelis conveniat aſſumere corpora? p. 50
2. Vtrùm ſolis Angelis conveniat verè aſſumere corpora: An etiam Deo & ani-

mabus ſeparatis? p.52
3. Ex quanam materia, & quanam virtute formentur corpora, quæ ab Angelis aſſumuntur? p.55
4. Quales operationes exercere poſſint Angeli in corporibus aſſumptis? p.57
5. Quid in univerſum operari poſſint Angeli circà res corporeas? p.60
6. Quomodò Angeli præſertim mali miranda quædam & inſolita operentur circà res corporeas? p.62

LIBER II.

De potentiis intellectiva, volitiva, & locomotiva Angelorum.

CAPVT I.

De ſpeciebus intellectus Angelici & ipſo intellectu Angelico ſecundum ſe.

§. 1. AFferuntur & refelluntur varij modi negandi intellectui Angelico ſpecies intentionales. p.66
2. Oſtenditur concedendas eſſe intellectui Angelico ſpecies intentionales. p.68
3. Vtrùm ſpecies intellectus Angelici proveniant ab objectis? p.69
4. Vtrùm ſpecies intellectus Angelici profluant ab intellectu ipſo, aut ab eſſentia Angeli? p.73
5. Vtrùm ſpecies intellectus Angelici infundantur à Deo? & quomodo, ſimul ne an ſucceſſivè, per eductionem, an per creationem? p.75
6. Vtrùm ſpecies intellectus Angelici ſint univerſales? p.77
7. Vtrùm in ſuperioribus & perfectioribus Angelis ſint univerſaliores? p.79
8. Expediuntur nonnulla de intellectu Angelico tùm ad proprias ſpecies comparato tùm ſecundum ſe. p.83

CAPVT II.

De objecto naturali intellectus Angelici.

§. 1. Quomodo Angelus naturaliter cognoſcat Deum? p.86
2. Quomodo Angelus naturaliter cognoſcat ſe ipſum? 89
3. Quomodo accidentia naturalia quæ habet in ſe ipſo? p.93
4. Quomodo alios Angelos? p.94
5. Quomodo liberas affectiones voluntatis & cogitationes intellectus, quas habent alij Angeli vel homines? p.97
6. Cur Angelus non cognoſcat immediatè & in ſe ipſis liberas affectiones voluntatis & cogitationes intellectus quas habent alij Angeli, vel homines? p.101
7. Expediuntur alia nonnulla circà cognitionem naturalem immediatam alienorum actuum. p.102
8. Quomodo Angelus naturaliter cognoſcat individua exiſtentia rerum materialium, & ea quæ ipſis contingunt? p.105
9. An & quomodo naturaliter cognoſcat in ſuis cauſis futura? p.106
10. An & cur Angelus nequeat naturaliter cognoſcere futura immediatè in ſe ipſis? p.109
11. An & quomodo Angelus naturaliter cognoſcat præterita? p.112
12. An & quomodo Angelus naturaliter cognoſcat poſſibilia? p.115
13. An & quomodo Angelus naturaliter cognoſcat res ſupernaturales quoad modum? p.116
14. An & quomodo Angelus naturaliter cognoſcat res ſupernaturales quoad ſubſtantiam, ſeu myſteria gratiæ. p.119

CAPVT III.

De actu naturali intellectus Angelici.

§. 1. An & quomodo Angelus ſit neceſſariò in aliquo actu ſecundo intelligendi. p.122
2. An & quomodo Angelus poſſit ſimul intelligere plura, vel etiam omnia à ſe naturaliter intelligibilia. p.124
3. An & quomodo Angelus intelligat diſcurrendo. p.127
4. An & quomodo Angelus intelligat componendo & dividendo. p.130
5. Vtrùm in cognitione Angelicâ detur propriè veritas, & utrùm dari poſſit etiam falſitas. p.131
6. Quid ſit in Angelis cognitio matutina & veſpertina. p.132

CAPVT IV.

De voluntate, & libertate Angelorum.

§. 1. Vtrùm Angelus ſit neceſſariò in aliquo actu amoris. p.133
2. Vtrùm Angelus ſit in omni ſua libera volitione immutabilis. p.136
3. Vtrùm Angelus ſaltem in libera volitione perfectè deliberata, & propoſito permanenter concepto ſit immutabilis. p.137
4. Vtrùm Angelus ſit in libera volitione difficilius mutabilis, quàm homo. p.141
5. An & quomodo locutio inter Angelos ſiat

medijs

mediis actibus voluntatis. p.143
6. Explicantur in præaſſerto modo loquendi Angelorum omnes prærogativæ propriæ locutionis. p.144
7. Fertur judicium de aliis modis explicandi Angelicam locutionem. p.147
8. An & quomodo illuminatio inter Angelos ſit ſpecies locutionis. p.150

CAPVT V.

De potentia loco-motiva Angelorum.

§. 1. Explicatur ratio formalis conſtitutiva Angelorum in loco ſecundum Thomiſtas. p.153
2. Impugnatur præcedens modus conſtituendi Angelos in loco. p.155
3. Explicatur & breviter impugnatur conſtitutio Angelorum in loco ſecundum Modaliſtas. p.156
4. Explicatur & approbatur conſtitutio Angelorum in loco ſecundum Complexiſtas. p.1[illegible]
5. An & in quanto loco diviſibili Angelus eſſe poſſit. p.160
6. An Angelus poſſit eſſe pro libito in loco minore maximo, vel etiam in loco minore & minore in infinitum. p.162
7. Vtrum admiſſis in continuo indiviſibilibus Angelus eſſe poſſit in loco etiam indiviſibili & punctali. p.164
8. An & quomodo Angelus poſſit ſimul eſſe in pluribus locis. p.166
9. An & quomodo plures Angeli poſſint eſſe ſimul in eodem loco. p.168
10. An & quomodo conveniat Angelis motus de loco ad locum. p.170
11. Vtrùm Angelus moveri poſſit de loco ad locum in inſtanti. p.172
12. Vtrùm Angelus poſſit moveri in inſtanti ad locum etiam diſtantem, vel tranſeundo, vel non tranſeundo per medium. p.173
13. Quid ſit formaliter in Angelis tùm motus localis tùm potentia loco-motiva. p.178
14. Quanta ſit in Angelis potentia loco-motiva? Vbi de velocitate motus Angelici aliiſque nonnullis. p.179

LIBER III.

De via, & termino Angelorum.

CAPVT I.

De iis, quæ fuerunt omnibus Angelis communia in viâ.

§. 1. Vtrùm omnes Angeli ab initio creationis fuerint beati, beatitudine ſaltem naturali. p.183
2. Vtrùm omnes Angeli ab initio creationis receperint gratiam habitualem. p.185
3. Vtrùm omnes Angeli ab initio creationis receperint gratiam habitualem ex propria diſpoſitione. p.187
4. Vtrùm omnes Angeli ab initio creationis receperint gratiam habitualem cum proportione ad propria naturalia. p.189
5. De peccabilitate omnibus Angelis communi in via; & primò, Vtrùm omnes peccare potuerint directè & immediatè contrà legem naturalem. p.191
6. Vtrùm omnes Angeli quantùm eſt ex ſe ſeu ex natura rei potuerint peccare venialiter. p.193
7. An & quomodo Angeli peccare potuerint in primo inſtanti creationis. p.194
8. Quomodo Angelis titulo libertatis non repugnet peccare in primo inſtanti. p.196
9. Quomodo titulo cognitionis ad peccandum prærequiſitæ non repugnet Angelis peccare in primo inſtanti. p.197
10. Quomodo titulo operationis incipientis cum eſſe rei non repugnet Angelis peccare in primo inſtanti. p.199
11. Quomodo nullo alio titulo repugnet Angelis peccare in primo inſtanti. p.200
12. Vtrùm ſit dabilis Angelus, vel alia creatura intellectualis, cui ex naturâ ſuâ ſimpliciter repugnet poſſe peccare. p.202

CAPVT II.

De duratione viæ Angelorum.

§. 1. Quot inſtantibus Angelicis conſtiterit via malorum Angelorum. p.207
2. Quot inſtantibus Angelicis conſtiterit via bonorum Angelorum. p.208
3. Quanto tempori noſtro correſpondeant præaſſerta inſtantia viæ Angelorum. p.210

CAPVT III.

De Termino & Beatitudine Angelorum bonorum.

§. 1. Vtrùm Angeli boni habuerint, vel habere potuerint beatitudinem ex meritis ſubſequentibus. p.212
2. Vtrùm Angeli boni habuerint beatitudinem ex meritis naturâ tantùm præcedentibus. p.213
3. Vtrùm ſaltem non repugnet meritum beatitudinis naturâ tantùm præcedens beatitudinem. p.214

CAPVT IV.

De peccato præſertim primo, Angelorum malorum.

§. 1. Vtrùm primum malorum Angelorum peccatum fuerit Invidia. p.218
2. Vtrùm fuerit Philautia ſeu ſpiritualis luxuria. ibid.
3. Vtrùm primum peccatum malorum Angelorum fuerit ſuperbia. p.220
4. Quodnam potuerit eſſe objectum primæ ſuperbiæ malorum Angelorum. p.222
5. Quodnam de facto fuerit objectum primæ ſuperbiæ malorum Angelorum. p.225
6. Vtrùm mali Angeli poſt lapſum potuerint pœnitere. p.228

CAPVT V.

De termino, ſeu damnatione & pœna Angelorum malorum.

§. 1. An detur & undè proveniat in Angelis damnatis impotentia pœnitendi. p.229
2. An detur & undè proveniat in Angelis damnatis impotentia benè operandi. p.231
3. Quonam igne torqueantur Angeli damnati. p.234
4. Vtrùm Angeli damnati igne corporeo torqueantur per alligationem ad ipſum. p.235
5. Vtrùm Angeli damnati igne corporeo torqueantur per alligationem ſolam, an etiam per aliam potiorem torturam. p.237
6. Quænam ſit potiſſima tortura quam Angeli damnati patiuntur ab igne corporeo. p.240
7. De inæqualitate pœnæ aliiſque nonnullis ad Angelos damnatos ſpectantibus. p.242

INDEX

INDEX TITULORUM TRACTATVS QUARTI.

LIBER PRIMUS.

De Beatitudine obiectivâ, & ultimo fine hominis.

CAPUT PRIMUM.

Præmittuntur nonnulla de Beatitudine obiectiva & ultimo fine in communi.

§.I. IN quibuſoam conveniant in quibuſnam differaot beatitudo objectiva & finia ultimus. p.245
2. Quid & quotuplex ſit fiois oltimus. p.246
3. Vtrùm ſit onoa & idem finis ultimus rerum omnium, & in quo conſiſtat. p.248
4. Vtrùm Deus ſit finis oltimus etiam ſui ipſius. p.250

CAPVT II.

De ultimo fine hominis.

§.1. Vtrùm homo otdinet quamlibet ſoam humanam actionem ad finem ultimum formaliter & in communi. p.254
2. Vtrùm homo ordinet quamlibet ſuam humanam actionem ad vetum finem nltimum in ſingulari, ſcilicet ad Deum. p.257
3. An & quomodò peccans lethaliter habeat pto fine ultimo creatnram. p.260
4. Quamnam eteatoram peecans lethaliter habeat pro fioe oltimo. p.262
5. An & quomodò peecans venialiter habeat pro fine ultimo creatutam. p.264
6. An & quomodò unos homo poſſit ſibi conſtituere plorea ultimos fines. p.268

CAPVT III.

De Beatitudine obiectiva hominis.

§.1. Quid ſignificetur nomine beatitudinis objectivæ. p.272
2. Vtrùm ſit dabilis reſpectu hominis vera beatitudo objectiva io ordine naturæ: ubi nonnulla de ſtatu naturæ puræ. p.273
3. Vtrùm ſit dabilia teſpectu hominia vera beatitudo objectiva in hac vita mortali. p.276
4. In quo conſiſtat reſpecto hominis, tùm vera beatitudo objectiva naturalis, tùm imperfecta beatitudo objectiva vitæ mortalis, tùm beatitudo objectiva ſumma & perfectiſſima. p.277
5. Vtrùm Deus ſit ſumma & perfectiſſima beatitudo objectiva ſecundùm omnia quæ habet in ſe ipſo formalitet. p.279
6. Expediontor ooonulla dubia tanquam corollaria, §. præeedentis. p.283

LIBER II.

De Beatitudine formali hominis.

CAPVT I.

De variis modis explicandi beatitudinem formalem ſupernaturalem hominis.

§.1. QVomodò ab aliquibus conſtituatur, & an verè ſit conſtitueoda beatitudo formalis ſupernaturalis in illapſu Dei

Dei in animam. p.286
2. Vtrùm beatitudo formalis ſupernaturalis conſiſtat in viſione increata Dei aut ſaltem in operatione producta à ſolo Deo. p.290
3. Vtrùm conſiſtat in aliquo habitu, aut in aliqua alia perfectione, quæ operatio non ſit: Vbi de unione hypoſtatica. p.295

CAPVT II.

In quanam operatione intellectus aut voluntatis beatitudo formalis ſupernaturalis conſiſtat.

§. 1. Vtrùm beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta conſiſtat in unica operatione, an in pluribus. p.298
2. Vtrùm conſiſtat in operatione voluntatis quæ eſt amor. p.299
3. Vtrùm conſiſtat in operatione voluntatis, quæ eſt gaudium. p.302
4. Vtrùm conſiſtat in operatione intellectus, quæ eſt viſio. p.304

CAPVT III.

Qualis ſit viſio, in qua beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta conſiſtit.

§. 1. Quomodò viſio, quæ eſt formalis beatitudo perfectè ſatiet & expleat appetitum. p.309
2. Quomodò viſio ſecundùm quemcumque ſui gradum perfectè ſatiet & expleat appetitum. p.310
3. An & quomodò viſio quæ eſt formalis beatitudo ſit perpetua. p.313
4. An & quomodò requiratur ad beatitudinem formalem ſecuritas perpetuitatis: Vbi an perpetuitas ſit de eſſentia beatitudinis. p.316
5. An & quomodò viſio reddat beatos impeccabiles. 320
6. An & quomodò viſioni repugnet conjungi cum quolibet peccato, ſive actuali, ſive etiam habituali. p.323
7. Explicantur alia nonnulla de viſione quatenùs eſt beatitudo formalis. p.327

CAPVT IV.

De formali beatitudine hominis tùm ſupernaturali viæ, tùm naturali viæ & termini.

§. 1. In quonam eſſentialiter conſiſtat beatitudo formalis ſupernaturalis viæ ſeu vitæ præſentis. p.328
2. In quonam eſſentialiter conſiſtat beatitudo formalis naturalis viæ ſeu vitæ præſentis. p.330
3. In quonam formaliter conſiſtat beatitudo formalis naturalis alterius vitæ. p.332

LIBER III.

De iis quæ formalem hominis Beatitudinem conſequuntur.

CAPVT I.

De iis, quæ Beatitudinem eſſentialem conſequuntur ex parte intellectus.

§. 1. AN & qualis ſcientia ſupernaturalis beatitudinem eſſentialem conſequatur in intellectu beato. p.334
2. Vtrùm ad beatitudinem eſſentialem conſequatur in intellectu beato cognitio prophetica. p.336
3. An & quomodo dentur in intellectu beato ſcientiæ naturales. p.337
4. Vtrùm de facto detur, vel ſaltem ſit dabilis de potentia abſoluta in intellectu beato ignorantia aut error. p.339

CAPVT II.

De iis quæ beatitudinem eſſentialem conſequuntur ex parte voluntatis.

§. 1. Vtrùm amor beatificus ſit actus neceſſarius; an liber, libertate ſaltem exercitij. p.341
2. Vtrùm cum viſione aliqua Dei diverſa ab ea, quæ de facto datur haberi poſſit amor beatificus non neceſſarius. p.344
3. Vtrùm amor beatificus poſſit divinitùs in beatis ſuſpendi. p.346
4. Vtrùm amor beatificus ſit ſpecie diverſus ab amore ſupernaturali viæ. p.348
5. Vtrùm amor beatificus ſit de ſolo Deo, an etiam de Dei viſione, ſeu utrùm ſit amor amicitiæ an etiam concupiſcentiæ. p.350
6. Vtrùm de gaudio beatifico idem proportionaliter ſentiendum ſit, quod de amore. p.352
7. Quorumnam actuum carentia ad beatitudinem eſſentialem conſequatur in voluntate. ibid.

CAPVT III.

De iis, quæ beatitudinem eſſentialem conſequuntur ex parte animæ, nimirum de dotibus, aureolis, & fructibus.

§. 1. Quid & quot ſint dotes animæ beatæ. p.336
2. Vtrùm Dotes animæ beatæ habitus ſint an actus. p.357
3. Quid & quot ſint Aureolæ in beatis. p.359
4. In quonam formaliter conſiſtant Aureolæ. p.362
5. Vtrùm dentur Dotes & Aureolæ in Chriſto & in Angelis. p.363
6. Quot ſint, in quo conſiſtant, & quibus Perſonis conveniant fructus Evangelici. p.364

CAPVT IV.

De iis, quæ beatitudinem eſſentialem conſequuntur ex parte corporis nimirum de dotibus, aliiſque ipſius perfectionibus.

§. 1. Quid ſint, quot ſint, & in quo formaliter conſiſtant Dotes corporis glorioſi. p.366
2. De Dote Impaſſibilitatis. p.367
3. De Dote Subtilitatis. p.368
4. De Dote Agilitatis. p.370
5. De Dote Claritatis. p.372
6. De aliis perfectionibus corporis glorioſi, & primò de perfectione naturali ipſius in eſſendo. p.374
7. De perfectione naturali corporis glorioſi in operando. p.376

INDEX TITULORUM TRACTATVS QVINTI.

LIBER PRIMUS.

De variis præſupponendis circà gratiam.

CAPVT PRIMVM.

De variis erroribus circa gratiam.

§. 1. De erroribus indubitatis Pelagianorũ circà gratiam. pag. 380
2. De erroribus controverſis Pelagianorum circà gratiam. p. 381
3. De erroribus indubitatis Semipelagianorum circà gratiam. p. 382
4. De erroribus controverſis Semipelagianorum circà gratiam. p. 383
5. De erroribus tùm Manichæorum & Priſcillianiſtarum, tùm Sectariorum noſtri temporis circà gratiam. p. 385

CAPVT II.

De variis naturæ humanæ ſtatibus in ordine ad gratiam.

§. 1. Quid ſit, & an dabilis ſit ſtatus naturæ puræ? p. 387
2. Quid ſint, & quomodo inter ſe differant ſtatus naturæ integræ, originalis juſtitiæ & gratiæ gratum facientis? p. 391
3. Quid ſit ſtatus naturæ lapſæ & quomodo differat à ſtatibus integritatis, originalis juſtitiæ, & gratiæ gratum facientis? p. 392
4. Quomodo ſtatus naturæ lapſæ differat à ſtatu naturæ puræ, & an natura lapſa ſit debilior purâ? p. 394
5. Quid ſit ſtatus naturæ reparatæ & quæ ejus vires comparativè ad alios ſtatus? p. 398

CAPVT III.

De variis acceptionibus & diviſionibus gratiæ.

§. 1. Gratia undè dicta & quæ ejus acceptiones? p. 399
2. Afferuntur univerſaliores quædam gratiæ diviſiones. p. 400
3. Afferuntur diviſiones gratiæ ſupernaturalis, ſeu ſalvantis. p. 401
4. De diviſione gratiæ actualis in operantem & cooperantem. p. 402
5. De diviſione gratiæ actualis in excitantem & adjuvantem: item in prævenientem & ſubſequentem, ſeu comitantem. p. 405
6. De diviſione gratiæ actualis in efficacem & ſufficientem. p. 406
7. Subdividitur gratia ſufficiens & alia nonnulla circà ipſam expediuntur. p. 408
8. Explicatur univerſalis proviſio, ſeu conceſſio gratiæ ſufficientis: & primò, An & quomodo proviſa ſint omnibus juſtis auxilia ſufficientia ad obſervantiam mandatorum & ad perſeverantiam? p. 410
9. An & quomodo proviſa ſint omnibus peccatoribus auxilia ſufficientia ad obſervantiam mandatorum & ad pœnitentiam? p. 411
10. An & quomodo proviſa ſint omnibus infidelibus auxilia ſufficientia ad comparandam fidem? p. 414
11. An & quomodo proviſa ſint omnibus parvulis auxilia ſufficientia ad ſuſcipiendum baptiſmum? p. 416
12. An & quomodo tandem proviſa ſint omnibus viatoribus auxilia ſufficientia ad ſalutem: Vbi etiam quid de potentia abſoluta? 418

LIBER II.

De Gratia actuali.

CAPVT I.

De neceſſitate gratiæ actualis ad cognoſcendum verum naturale.

§. 1. Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad cognoſcendas ſeorſim veritates purè naturales? p.420
2. Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad cognoſcendas ſimul omnes veritates purè naturales? p.423
3. An & ad quaſnam veritates naturales morales ad cognoſcendas ſit homini lapſo neceſſaria actualis gratia? p.424
4. Vtrùm homini lapſo ad cognoſcendum verum naturale detur de facto gratia Dei an gratia Chriſti? p.425

CAPVT II.

De neceſſitate gratiæ actualis ad proſequendum bonum morale.

§. 1. Vtrùm ſit neceſſaria homini lapſo actualis gratia ex parte voluntatis ad proſequendum quodcumque morale bonum? p.427
2. Vtrùm ſit neceſſaria homini lapſo actualis gratia ex parte intellectus ad proſequendum quodcumque morale bonum? p.429
3. De neceſſitate actualis gratiæ ad proſequendum bonum morale arduum, & primò præmittuntur nonnulla circà Dei amorem. p.430
4. Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad amorem efficacem Dei ut Auctoris naturæ? p.434
5. Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad obſervandam totam legem naturalem? p.437

CAPVT III.

De neceſſitate gratiæ actualis ad vitandum malum morale.

§. 1. Vtrùm tentationem aliquam in homine lapſo eſſe levem ſemper ſit ſpecialis gratiæ? p.440
2. Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad vincendas leves tentationes contrà præcepta naturalia? p.441
3. Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad vincendas ſingulas tentationes graves? p.443
4. Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad vitanda peccata mortalia? p.445
5. Vtrùm ad vitanda diù venialia ſit neceſſaria homini lapſo actualis gratia ſpecialior quàm ad mortalia? p.446
6. Vtrùm aliquis adultus potuerit de facto vitare omnia venialia aut ſimpliciter aut ſaltem in aliquo genere? p.448
7. Qualis ſit impotentia hominis lapſi ad vitanda tùm ſine auxiliis ordinariis omnia lethalia, tùm ſine extraordinariis omnia venialia? p.449

CAPVT IV.

De neceſſitate gratiæ actualis ad attingenda objecta ſupernaturalia.

§. 1. Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad credenda actu naturali myſteria ſupernaturalia fidei? p.452
2. Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad credenda actu ſupernaturali myſteria fidei? p.455
3. Vtrùm ad actus ſupernaturales neceſſaria ſit actualis gratia homini etiam juſto & inſtructo habitibus ſupernaturalibus? p.456
4. Vtrùm homini lapſo etiam juſtificato neceſſaria ſit actualis gratia ad ſervanda præcepta ſupernaturalia? p.457
5. Vtrùm gratia habitualis & fides quamvis non ſufficiant, requirantur tamen ad benè operandum? p.460

CAPVT V.

De neceſſitate gratiæ actualis ad perſeverandum.

§. 1. Quid importet formaliter perſeverantia finalis? p.464
2. An & quænam gratia actualis ſit neceſſaria homini lapſo ad perſeverantiam finalem? p.465
3. An & quænam gratia actualis fuiſſet homini neceſſaria ad perſeverantiam finalem in ſtatu innocentiæ? p.467
4. Quomodo perſeverantia finalis ſe habeat ad Confirmationem in gratiâ? p.469

CAPVT VI.

Reliqua de gratia actuali.

§. 1. In quonam formaliter conſiſtant auxilia gratiæ actualis internæ? p.470

2. Miſ

2. Miſcellanea ex præcedentibus doctrinis corollaria. p.472

LIBER III.

De Gratiâ habituali.

CAPVT I.

De exiſtentia & eſſentia gratiæ habitualis.

§. 1. AN detur gratia habitualis vel potiùs quam certum ſit ipſam dari ? p.474
2. An & quomodo gratia habitualis ſit participatio naturæ divinæ ? p.475
3. An & quomodo gratia habitualis conſtituat heredem & filium adoptivum Dei ? p.479
4. An & quomodo gratia habitualis conſtituat amicum Dei ? p.482
5. An & quomodo gratia habitualis diſtinguatur à charitate ? p.484
6. Vtrùm ſaltem de potentia abſoluta ſit dabilis gratia habitualis realiter indiſtincta à charitate ? p.488
7. Definitio gratiæ habitualis aliaque nonnulla de ipſius eſſentia. p.490

CAPVT II.

De cauſis efficiente & materiali gratiæ habitualis.

§. 1. Quænam ſit cauſa efficiens phyſica principalis habitualis gratiæ ? p.492
2. Vtrùm gratia habitualis habeat cauſam materialem, ex quâ educatur ? p.495
3. Quodnam ſit ſubjectum immediatum habitualis gratiæ ? p.498
4. An habitualem gratiam præcedat de facto aliqua diſpoſitio ex parte ſubjecti. p.499
5. Vtrùm diſpoſitiones de facto præcedentes habitualem gratiam morales ſint an phyſicæ ? p.501
6. Vtrùm diſpoſitiones de facto præcedentes habitualem gratiam requirantur ad ipſam ſecundum ſe & ex natura rei ? pag. 502
7. Vtrùm diſpoſitio ultima ad habitualem gratiam procedat effectivè ab ipſa habituali gratia ? p.504

CAPVT III.

De inæqualitate, magnitudine, & certitudine gratiæ habitualis.

§. 1. An & quomodo gratia habitualis ſit inæqualis ? p.509
2. Vtrùm gratia habitualis habeat terminum intrinſecum magnitudinis ? p.511
3. Vtrùm aliquis teneatur aut poſſit certò credere ſe eſſe in gratia ? p.512
4. Vtrùm de propria gratia poſſit quis habere certitudinem aliquam minorem certitudine fidei divinæ ? p.514

LIBER IV.

De juſtificatione & merito.

CAPVT I.

De juſtificatione faciliora, & præambula.

§. 1. IVſtificationis ſignificationes & acceptiones variæ. p.518
2. Circa juſtificationem errores varij. pag. 520
3. An & quænam fides ad juſtificationem requiratur ? p.521
4. An aliqua fides ad juſtificationem ſufficiat? p.522

CAPVT II.

De juſtificatione poſitivè accepta prout explicat formam quæ juſtificat de facto.

§. 1. Vtrùm juſtificatio poſitiva habeatur de facto per formam inhærentem. p.523
2. Vtrùm forma inhærens, quâ de facto juſtificamur, ſit qualitas permanens & habitus. p.525
3. Vtrùm habitus quo de facto juſtificamur ſit ſimplex & unicus; an compoſitus ex multis aut multiplex. p.528
4. Vtrùm habitus, quo de facto juſtificamur, habeat adjunctum favorem Dei extrinſecum. p.530

CAPVT III.

De juſtificatione negativè acceptâ, prout explicat remiſſionem peccatorum quæ de facto fit.

§. 1. Vtrùm in juſtificatione impij de facto peccata remittantur verè, & propriè. pag. 530
2. Vtrùm remiſſio peccatorum de facto fiat ex favore Dei extrinſeco; an præcisè ex vi habitualis

habitualis gratiæ. p.532
3. Quomodo remiſſio peccatorum ſit debita infuſioni gratiæ, ſeu quomodo gratia per ſe ipſam expellat peccatum. p.533
4. Diſtinctio, & ordo inter remiſſionem peccatorum & infuſionem gratiæ. p.536

CAPUT IV.

De juſtificatione tùm poſitiva tùm negativa in ordine ad potentiam abſolutam & extraordinariam Dei

§. 1. Vtrùm de potentiâ abſolutâ juſtificatio poſitiva fieri poſſit per formam extrinſecam & non inhærentem juſtificato. p.538
2. Vtrùm de potentiâ abſolutâ juſtificatio fieri poſſit per aliquem actum, & ſignanter per actum charitatis. p.541
3. Vtrùm de potentiâ abſolutâ juſtificatio fieri poſſit per alium habitum à gratiâ. pag. 546
4. Vtrùm de potentiâ abſolutâ fieri poſſit infuſio gratiæ ſine juſtificatione negativâ & remiſſione peccatorum. p.548
5. Vtrùm de potentiâ abſolutâ fieri poſſit remiſſio peccatorum ſine infuſione gratiæ? p.552
6. Vtrùm de potentiâ abſolutâ fieri poſſit remiſſio peccatorum ſine ulla mutatione phyſicâ peccatoris & per puram Dei condonationem. p.553
7. Vtrùm de potentiâ abſolutâ remitti poſſit & condonari peccatum pro inſtanti quo committitur. p.555
8. Vtrùm de potentiâ abſolutâ poſſit non ſolùm remitti peccatum, ſed etiam infundi gratia peccatori abſque omni ipſius actu? p.557

CAPVT V.

De merito, quid ſit, & quotuplex, & an detur apud Deum.

§. 1. Quid & quotuplex eſſe poſſit meritum hominis apud Deum. p.560
2. An detur verum, proprium & condignum meritum hominis apud Deum. p.561

CAPVT VI.

De conditionibus requiſitis ad meritum apud Deum.

§. 1. An & quomodo ad meritum apud Deum requiratur ex parte merentis ſtatus viæ? p.563
2. An & quomodo requiratur ex parte merentis ſtatus gratiæ & ſanctitatis. p.567
3. An & quomodo requiratur ex parte Dei promiſſio ſeu ordinatio extrinſeca. p.570
4. An & quanta libertas requiratur ex parte operis ad meritum condignum. p.574
5. An & quæ bonitas requiratur ex parte operis, Vtrùm undequaque honeſta, utrùm ſupernaturalis. p.576
6. An & quænam relatio ſeu ordinatio charitatis requiratur ex parte operis. p.580
7. An aliquid poſitivum requiratur ex parte operis ad meritum apud Deum, nec poſſit iſtud haberi per puram omiſſionem. p.583

CAPUT VII.

De conditionibus requiſitis aut conducentibus ad majus meritum apud Deum.

§. 1. Vtrùm major gratia habitualis requiratur aut conducat ad majus meritum. p.584
2. Vtrùm gratia Chriſti conferat ad majus meritum quam conferret gratia Dei. p.586
3. Vtrùm ad meritum requiratur certa intenſio actus, & intenſio major conducat ad meritum majus. p.587
4. Quanam proportione correſpondeat major gratia majori intenſioni actus, & undè ſumenda hæc major intenſio. p.592
5. Vtrùm perſeverantia actus conducat ad majus meritum, & ille augeat gratiam toto tempore quo durat. p.594
6. Vtrùm externa executio operis conducat ad majus meritum. p.596

CAPVT VIII.

De objecto, ſeu materia meriti.

§. 1. An & quomodo homo juſtus mereatur augmentum gloriæ, gratiæ habitualis & virtutum infuſarum. p.599
2. Vtrùm principium meriti poſſit cadere ſub meritum, & homo juſtus poſſit ſibi mereri primam gratiam aut actualem aut habitualem. p.601
3. An & quomodo homo poſſit ſibi mereri primam gloriam. p.603
4. An homo poſſit ſibi condignè mereri reparationem poſt lapſum. p.607
5. An homo poſſit ſibi condignè mereri finalem perſeverantiam in gratia. p.608
6. Vtrùm purus homo poſſit condignè mereri aliquid alteri p.610

CAPVT IX.

De Merito congruo.

§. 1. In quibus conditionibus conveniant, in quibus differant meritum condignum & congruum. p.612
2. In quonam formaliter conſiſtat & quomodo ab impetratione differat meritum congruum. p.615

3. Quænam

3. Quænam cadant ſub meritum congruum, pag.614

CAPVT X.

De reviviſcentia meritorum.

§. 1. Quàm certum ſit merita reviviſcere, p.618

2. Ad quale ac quantum præmium reviviſcant merita mortificata; & quandonam tale præmium conferatur. p.620

3. An in qualibet juſtificatione ſimul cum priore gratia habita ex meritis redeat gratia habita ſine meritis. p.621

4. Alia nonnulla de meritis reviviſcentibus, & præſertim utrùm reviviſcant ex natura rei. 622

PROLVSIO

PROLVSIO SCHOLASTICA IN TRACTATUM TERTIUM

DE ANGELIS.

PRINCIPIO cum *Deus terra fundamenta poneret* ipſum ex eo jam tempore *Laudabant Aſtra matutina & jubilabant Filij Dei*: Angelici ſcilicet Spiritus vel tanquàm Aſtra Solem ſuum prænunciantia, vel tamquàm Filij parenti optimo obſequentes prima inter creationis exordia in ſui Creatoris laudes eruperunt & Deo mundi theatrum conſtituente primum certatim elogium & quendam veluti prologum cecinerunt: Hincque mos eſt Aligeris Intelligentiis quolibet in theatro ſub humanâ ſpecie, aut Prolocutoris aut Interlocutoris referre perſonam: & vix ulla ſcena peragitur, ubi Angelus aliquis, vel attentionis beneficium concilians, vel de Cœlis advolans, vel proſiliens ex Inferis, vel aliter theatrali ſpectaculo deſerviens non repræſentetur. Aperimus & nos pro ineuntis anni litteratij felicibus auſpiciis Theologicam Scenam, nec incongruum arbitramus præludium Angelis, prologumuè tribuere: dum præſertim occurrit eos non alias Perſonas agere quàm proprias, non aliam quàm propriam texere hiſtoriam, non niſi propria recenſere natalia, non niſi propria enarrare certamina. Hic nempe nobis animus eſt Angelorum creationem proludere, deindè pugnam, quam inter ſe vel in Cœlis pro Divinæ veneratione Majeſtatis, vel in terris pro humanæ defenſione infirmitatis exercent: Et quidem ipſorum tùm creationem, tùm pugnam in Cœlo, utpotè rem ſolo duorum inſtantium intervallo peractam proluſio celeriùs excurret; prolixiùs verò pugnam in terris, utpotè diuturniorem, & non antè poſtremum mundi excidium conſummandam.

Cùm multis, tùm eo potiſſimùm nomine creatam virtutem divina ſuperat, quòd illa imperfectis contenta exordiis ab imperfectioribus ad perfectiora procedat; iſta verò debilis ignara principij à perfectioribus exordiatur, & res primò producens ultimò perficiat. Elucet hoc luculentiſſimè in orbis geneſi, quam à nobiliſſimo opere Deus auſpicatur; Angelus enim, ut præ omnibus creaturis dignitate primus, ità nulli creaturæ productione ſecundus, naſcenti ſtatim mundo corporeo coævus eſt, idque non ob ſolam ſuæ dignitatis prærogativam, verùm etiam ne cæteris rebus ſuo in primordio perfectio aliqua deſideraretur; ne careret Empyreum incolis, Curia cœleſtis Aulicis, Rex ſupremus Nuntiis; ne deeſſet univerſo creata intelligentia, quæ nullius corporis gravata pondere illicò ſe tota in primi intelligentis contemplationem aſſurgeret. Debebatur prætereà primæ cauſæ, quæ purus eſt ſpiritus, purè ſpiritualis effectus; videreturque divina bonitas ſui ad extrà effuſionem inordinatè, & quaſi per ſaltum præſtitiſſe, ſi ſe corporaliter priùs, quàm ſpiritualiter communicaſſet, & corporum ſtructuram præmiſiſſet creationi ſpirituum: ſicuti autem temporis antiquitate nulli alij cedit Angelica productio, ità etiam nulli cedit nobilitate loci; natos quippè ſe Angeli jactant in Cœlo empyreo, ut ſuprema creatura in loco ſupremo natalia ſua ſortiretur; ut mentes in prima ſua origine beatitudini proximæ à loco beatitudinis non longè diſtarent, & dæmonum culpa ſanctiore in loco patrata evaderet inexcuſabilior, caſuſque altiore ex ſede deterior. Habetis Angelos temporis, & loci privilegio inſignes, eoſdem accipite naturæ & gratiæ donis inſigniores.

Perpendite intellectum congenitis ſpeciebus opulentum tanquàm tabulam non inanem, & raſam; ſed variis latè imaginibus illuſtrem, & characterum omnium præclarâ deſcriptione conſpicuam: nec magiſterio indigent, nec diſcurſus miniſterio, ut vel ignorata diſcant, vel à notis ad ignota procedant. Suſpicite voluntatem nulla ſenſitivi appetitus oppugnatione vexatam, non ſubreptitiis præoccupatam actibus, non inconſtantiæ exagitatam fluctibus: Non ſignis ad locutionem, non organis ad motum utuntur, unus illis intellectus, & vna voluntas ſatis ſunt ad omnia: Non differunt ſpecie omnes ab invicem, nec omnes ad invicem conveniunt; ſed aliquorum hinc diverſitas, aliorum indè convenientia mirum quàm valdè conferat ad pulchritudinem ſpiritualis Reipublicæ, in quâ nimia paritas officeret ſociali convictui, nimia imparitas minueret familiare conſortium. In Hierarchias, & Choros dividuntur, reſque corporeas ſicuti excedunt multitudine numeri, ita & plenitudine ordinis. Verùm quantùm præeminet Naturæ Gratia, tantundem iis rebus, quæ hucuſque delibavimus, eminentiora ſunt ea, quæ de Angelorum conditione ſubiicio. Naſcuntur Filij adoptionis, creationis, & juſtificationis jura ſimul conſequentes non priùs vivere incipiunt quàm ſanctè vivere, non priùs naturaliter inſitis, quam liberaliter infuſis dotibus inſigniuntur; æque primò in ipſis ardent divini & proprij amoris incendia; & quod propriiſſimum eſt Angelorum privilegium, in iis gratiæ æqualitas ac inæqualitas ſe accommodat æqualitati ac inæqualitati Naturæ; quaſi vel tanta ſit angelicæ Naturæ dignitas, ut eſſe poſſit regula gratiæ, vel adeò congrua ſit Angelis gratia ut quodammodò tranſeat in Naturam. Porrò creaturam in primo ac unico inſtanti tot eximiis loci, & temporis; intellectus, & voluntatis; naturæ, & gratiæ muneribus abunde cumulatam quis non crederet totam ſe ſe in ſui Creatoris amorem effuſuram & quæcumque poſſet obſequia Conditori tam benefico ſolicitè præſtituram?

At proh execrabile furentis inſolentiæ portentum? ipſa conditionis innatæ nobilitas degeneri metamorphoſi vertitur in incitamentum peccati, maximo beneficio retribuitur injuria graviſſima, & ſanctioris benevolentiæ argumenta tranſeunt in materiem iniquioris deſertionis. Ambitioſo auſu Lucifer effertur, tumido ardet æſtu, arma amens capit, ſeditioſum movet agmen, & fidelibus Angelis, ipſique met Regi exercituum bellum intentat: Superbiæ vexillum explicans ſacrilego illo lemmate conſignatum. *Similis ero Altiſſimo*, Principem ſe Ducemque proclamat, cæleſtia gloriabundus ſpatia percurrit, Commilitonibus ſuis primas in Empyreo ſedes decernit, Soliumque ipſe divinitatis procaci nimium faſtu conſcendere parat; nec indiget, quod fabulæ de gigantibus ferunt, montes ſuperimponere montibus, ut moliatur aſcenſum; nefariis, & proterue exultantibus ſuæ mentis cogitationibus ſatis, ſuperque extollitur. Præſumptam celebrat præproperâ ambitione victoriam, jam tertiam Stellarum partem proprio diademati inſerit triumphator, & adverſas quaſcumque phalanges, ut miſcet diſtatque folia ventus, ſic diſperſorum ſe eſſe ſuperbit: Iam debellatos captivitati addicit hoſtes, jam dedignatur ſubjectis parcere, jam omnibus vel leges ſtatuit vel pœnas infligit. Ridet interim tantæ temeritatis præruptum audaxque conſilium Divina Majeſtas, & quamvis ferè adhuc operi creationis intenta ultionis partes aggreditur: Alteram Angelorum aciem nondum rebellionis labe temeratam, nondum proditoris ſequentem ſigna in ſuo firmat obſequio, ſuo confirmat auxilio, & perduellibus tutmis opponit: Pugna hinc ſæviſſima, ingenti utrinque certatur numero, ingenti robore; & ne irriti vibrentur ictus, aut clypeo aliquo retundantur, nudi tanquàm in luctâ præliantur bellatores: Acrior eſt, graviorque conflictus, quàm ut poſſit diutius ſuſtineri, ſubito proditionis Auctor deſperatâ victoriâ demittit lacerum ſuperbiæ vexillum, & fortè etiam ſuis cum Aſſeclis ad Deum ſupplex exclamaret

Nulla ſalus bello, Pacem te poſcimus

niſi ſpes eum omnis pacis æque, ac palmæ defeciſſet. Pugnâ igitur magis ac magis efferveſcente profligantur impiæ cohortes, & caſu, præcipiti aguntur in tartara æternis mancipandæ ergaſtulis, æternis mactandæ ſuppliciis: Et hic obiter dixerim non ampliùs conquerendum, quod militia ſit vita hominis ſuper terram, quando

quando in ipſomet Cœlo, in atrio ſupernæ Ieruſalem, quæ pacis viſio eſt, Angelorum via militia fuit in ipſis mundi incunabulis nata eſt diſcordia; quid mirum quod ad noſtra uſque tempora creverit? Quid ſuas homines illacrymantur clades? quibus bello civili Pompei, & Cæſaris trecenta millia, bello Punico decies centena millia, uno prælio Catalaunico centum ſexaginta duo millia occiſorum enumerant. Vmbratiles pugnæ iſtæ ſunt, ſtrages iſtæ leviſſimæ, ſi bello comparentur Angelico, ubi uno, eoque momentaneo certamine, tot victi, fuſi, proſtratique recenſentur, quot tota hominum quocumque & belli, & pacis tempore exiſtentium multitudo æquare vix poſſit. Apagè jam tuis cum turmis infelix Lucifer, teterrimi niger hoſpes carceris, perennis flammarum inexſaturabilium eſca, pœnarumque inexorabilium juge ludibrium? Faciliùs reperies cymeriâ in caligine lucem, gordiano in nodo, ſolutionem, Cretico in labyrintho exitum, Scyllæ, aut Charybdis in æſtu tranquilitatem; quàm vel minimum tuis in miſeriis ſolaminis intervallum: Metire ſi potes, ab Altiſſimo quantùm diſtes, quantùm differas; qui te proximum, & ſimilem fore prædicaſti: fac ſi potes, ut in te nomen rei conveniat, qui tam diſſonè denſiſſimas inter tenebras fers lucem in nomine, ignifer poſthac melius nominandus, quam lucifer: Te ipſum bea, ſi potes, qui in te ipſo beatitudinem affectaſti, & Dei viſionem tantoperè dedignatus, ejus, ſi potes, ultioni, ac iræ reſiſte; Dum tui olim Conſortes, nunc hoſtes, & debellatores excidium tuum quotquot ſunt rident; Dum ſuâ læti victoriâ triumphalem Deo gloriam concinunt; dum inclytum illud elogium *Quis ut Deus? Quis ut Deus?* feſtivum veluti pœana tanto invicem plauſu congeminant, & ventoſam illam tuam, ac jactabundam epigraphem *Similis ero Altiſſimo* tuum in opprobrium vertunt, tuam in contumeliam ovantes repetunt. O te miſerum? Quamdiu illi Divinis paſti deliciis non alio potantur torrente, quàm voluptatis; quamdiù æterni Solis illuſtrati fulgoribus non alio flagrant ardore, quàm charitatis; Tu, Tuique, proles perperàm degeneres, talis jubaris amicos exoſi radios perpetuo ingemiſcitis triſtiſſimâ nocte, & cæco igne damnati.

Nihil malos Angelos mutat tanta malorum moles, nihil flectit tam diri tormenti graviſſimum pondus, nihil tàm duræ ultionis diutina percuſſio frangit: Bella etiamnum, nova bella meditantur; & dum Triumphatoribus Angelis oppugnandis ſe ſe impares ſentiunt, imbelliorem hoſtem aggreſſi; ut quam poſſunt de Divinâ juſtitiâ vindictam arripiant, Divinam imaginem laceſſant in homine, cujus in perniciem addit invidia ſtimulos, ſuggerit dolos, furorem exacuit; quoties ipſum recogitant ſuis implendis ſedibus, ſuis reſarciendis ruinis deſtinatum. Verſipellis adverſarius ementitam induit colubri formam, dulcibus alloquiis adulatur, & centenis lenociniis palpat; ſed adulatur, ut perdat; palpat ut mactet. Cur enim futuros ſicut Deos tam audacter, fidenterque confirmat, niſi ut à Deo reddat alienos, & à Divina Filiatione degeneres? cur omni-ſcientiam ſpondet; niſi ut ignorantiæ vulnus infligat? Cur promittit aperiendos ad puriorem lucem oculos; niſi ut immittat cæcitatem? Cur ſuavem porrigit fructum; niſi ut acerbam inferat mortem? Nec mora eſt, blandulis verbis, ampliſque promiſſis credit, cedit, eaditque incauta Mulier, opertam vitali cortice lethalem eſcam deglutit, uterque humani generis Parens, & tartarei ſerpentis lue virulenta infectus uterque non niſi tartareo poteſt igne purgari. Epinicia poſt hac toto ſuo agmine canit Buccinator magnificus, inſidias ſibi ſuas bellè cecidiſſe inſolentiùs exultat; in primo Parente totam Prolem, in ſingulari certamine univerſum hominum genus ſe viciſſe gratulatur; nec grave ei eſt cadmeâ victoriâ ſorti æquè miſeræ ſubeſſe Victorem, ac Victum; non enim propria commoda, ſed aliena incommoda ad ſuæ gloriam victoriæ computat, & humanis ſolum miſeriis inhiat miſerrimus ipſe; Iactat Divina ſe irrita feciſſe conſilia, & ad augendas proprias ruinas traxiſſe Naturam, quam Deus ad eaſdem reſtaurandas condiderat. Execrandis his plauſibus, impiiſque gaudiis, quibus dæmones Deo ultori impudenter inſultant, miſcentur uberes fletus, fervidique gemitus, quibus homines Deo reparatori vota ſua deferunt. Deplorant iſti proprium patrimonium nimis tenue ad ſatiſdandum pro debito, propriam conditionem nimis vilem ad ſatisfaciendum pro cul-

pa, proprias vires nimis infirmas ad ſatiſpatiendum pro pœna; & implorant liberalem condonationem, benignam veniam; gratioſam remiſſionem; Deum quem Creatorem offenderunt, Salvatorem ſibi eſſe precantur, & dæmones ſemel in Cœlis victos in Terris victores diutiùs non fore confidunt. Confuſis hiſce dæmonum, hominumque, & plauſibus, & gemitibus, divina ſimul & Iuſtitia, & miſericordia excitantur; illa ut in dæmones vindictam rigidiorem exaſperet, iſta ut in homines ſuavem commiſerationem exerceat. Occaſione peccati ad divinum aſſumitur homo conſortium, erigiturque ex lapſu ad ſtatum ſublimiorem; ſicque nequiſſimus Angelus adorat vel invitus Deitatem in homine, Divinamque ſapientiam in carne, & cui Divinitatem, ac ſcientiam boni, & mali, fictè fraudulenterque promiſit eum factum vere Deum, & increatæ thronum Sapientiæ contuetur. Proh quanta illi labes, quantumque dedecus! quando qui hominem victor aliàs tentaverat, victus viciſſim ab homine verbis illis quaſi fulmineis; *Non tentabis Dominum Deum tuum* retroagetur in fugam? Quantæ illi iræ, quanta ſuæ cladis rabies, quando inſidias, quas in Eva paraverat altera felicior Eva deludet, quando diſruptis faucibus, contritoque capite venenum, quod in fœminam ſparſerat, in ſe ipſum convertet; quando felix decantabitur hominum culpa, quæ habere meruit Redemptorem, & ſumma peccati infelicitas redundabit in dæmones, in quos nec meritum cadit, nec redemptio. Diſplicet inter deſertores Angelos ultrà verſari, ipſorumque internecionem, & ruinam, inſidias, & ærumnas fuſiùs enarrare. Iaceat infanda eorum memoria oblivionis in antris æternùm emortua, & nos gratiorem præfandi materiem arripientes, bonorum Angelorum conditionem adumbremus & munera.

Hi Beatæ Aulæ perpetui Confeſſores effecti, felicitatis primogeniti, Principes pacis, geſtientes memorant in triumphos deſiiſſe certamina.

Sic in quieto Navita
Ridet pericla portu:
Sic dulce cenſet ferreas
Quiſquis tulit catenas,
Longo ſuum percurrere
Ludibrium cachinno.

Ampliſſimis illis in atriis miro cum ordine Deo aſſiſtunt, quo beantur.

Stant Cherubim, Stant Seraphim
Paſſis decenter alis;
Magnâque voce concrepant,
Chordas, Choroſque tentant:
Sanctus per Aſtra dicitur,
Redit per Aſtra Sanctus.

Complet bonorum Angelorum felicitatem ſecuritas, qua firmiſſima voluntatis, mentiſque rectitudine, ſummo bono inſeparabiliter adhærent; quamvis autem de ſua beatitate ſecuri non deſinunt eſſe de ſalute noſtra ſoliciti, imò teſte Apoſtolo *omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*: Enimuero quænam in humanæ Reipublicæ commodum non exercet Angelus miniſteria? Vt Deiparæ Virgini prima noſtræ reparationis deferat nuntia, fungitur Legati munere, ut terreſtris Paradiſi ſervet delicias, vigilat cæleſtis excubitor, & factus etiam gladiator enſem diſtringit igneum; ut Danieli inter Leones concluſo menſam inſtruat, ſe conſtituit Dapiferum, aut potius Prophetæ Dapiferi innocentem raptorem, agilemque per aëra bajulum: Quid plura? Vt Balaam à mala divertat via ſe præbet etiam jumento viſibilem, imò per os jumenti loquentem; ut cæleſtes influxus moderetur, cæleſtibus ſpheris tamquàm Motor aſſiſtit, eiſque circum volvendis jugiter occupatur: Quin ut homini ſimilior, ac familiarior evadat, humanam induit ſpeciem, & corporeâ non reſpuit mole circundari; ut omnibus omnia fiat, Spiritualis Proteus in omnem ſe transfert formam omnemque gerit Perſonam. Rem proferam, quæ verſatilem hanc Angelorum in homines benevolentiam mirum in modum exprimit, ſimulque omnem excidit

beneficij

beneficij metam, ſi attigero accurratiſſimam ipſorum cuſtodiam; quam noſtri, & Præceſſores, & Pediſſequi; & Duces & Comites, nobiſcum celeres curſitant, nobiſcum tardiores ambulant, nobiſcum immoti quieſcunt; præferunt facem in tenebris, pericula detegunt in inſidiis; triſtitiam temperant in adverſis, lætitiam moderantur in proſperis; labentem hominem ſuſtinent, erigunt lapſum, lapſurum præmonent: noſtris ubique præſto ſunt votis, ſuaſque noſtris affectibus alas impertiunt, ut auris omnibus velociores evolent ad cœleſtia. In hoc æſtuante tam multis procellis Oceano peritiſſimi Nautæ à naufragio nos ſervant ad portum; in hâc aſſidui certaminis arenâ invicti Athletæ pro nobis, & nobiſcum pugnant ad victoriam; in hac omnigenæ infirmitatis officina optimi medici alexi-pharmaca ſuppeditant ad ſalutem; in hiſce labyrintheis ambagibus Ductores tutiſſimi aureo filo nos manuducunt ad exitum. Non ſic umbra corpus, non ſic magnes polum, non ſic ſtipula ſuccinum; ſicut nos ſublimes illi Spiritus comitantur, ſequuntur, complectuntur: undè ſuſpicari quodammodò poſſis corpora noſtra geminam ſortita formam, informantem alteram, alteram aſſiſtentem, & jure omninò fateberis cum Hieronymo *magnam eſſe dignitatem Animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* fortè etiam exiſtimabis in hiſtoriam reduci fabulam illam, quâ ſomniavit olim Poëſis ad cuſtodiendam Inachi filiam à Iunone deſtinatum pluribus vigilantem oculis Argum; enimverò magis adhuc oculatum cuſtodem hominis anima nacta eſt, & ſi

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Angelus totus oculis plenus, imò totus oculus eſt quia totus eſt mens, & intelligentia: Quàm bene oculatus qui quæ præſentia, quæ abſentia; quæ bona; quæ mala; quæ à fronte, quæ à tergo, quæ à lateribus, quæ longè, quæ propè ſimul circumſpicit. Habet adhuc quæ magis mireris Angelicæ cuſtodiæ beneficium: Enimverò Angelus beneficus eſt etiam nolenti, & neſcit ipſe legem illam quæ beneficium conferri vetat invito: amorem exhibet etiam non redamanti, nec approbat regulam illam humani amoris *Ama ut redameris*: ſua præſtat obſequia etiam ingrato, nec metuit hoc ſibi objurgari *ingratis ſervire nefas*, imò huic iurgio libentiſſimè obiicit eloquium illud purioris munificentiæ, *liberalitatem jucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit.* Deſideras majoris beneficentiæ prodigia? Non ſolum te cuſtodit, ſed etiam tua: habent Cuſtodes Angelos Vrbes, Provinciæ, & Regna, habent Cuſtodes Angelos privatæ etiam domus, domeſticis illis rebus præſidentes, quibus ignara antiquitas Deos Lares, Penateſque præfecit. Tantæ cuſtodiæ præſidio munitum hominem fruſtra novis conatibus antiquus hoſtis imperit; fruſtrà mille adhibet nocendi artes, ut Dei Imaginem immaculati Agni ſanguine dealbatam iteratis maculis decoloret, & redemptam copioſo pretio captivitatem priſtinæ mancipet ſervituti. Validior eſt bonorum Angelorum ſolertia ad tutelam, & ſalutem, quam malorum verſutia ad perniciem. Magicis præſtigiis elementa quæque turbentur, ab imis divellatur Oceanus ſedibus fixos Divino Imperio limites propemodùm tranſgreſſurus; vehementioribus concutiatur terra motibus, quaſi ſuo ab æquilibrio diſceſſura, flammantium copiâ fulgurum aër totus in igneam velut ſphæram commutatus exardeat, tantis extinguendis incendiis lo torrentes Cœli liqueſcant, geminumque ſimul, & aquarum, & flammarum diluvium immineat Vniverſo; tam perturbata mundi facies deplorandam rerum omnium cataſtrophem prænunciet, & proximum chaos eſſe præſagiat. Ridet has chimericas ruinas ſecurus orbis ſub bonorum Angelorum cuſtodiâ. Totis naribus, totis faucibus ſulphureas exerat flammas ignivomus Draco; Gigantis in ſpeciem centenis brachiis, centenis lacertis ſe pugnaturum oſtentet; quaſi ſuum habeant tartara etiam Briareum, ne dum tricipitem Cerberum, & tricorporem Geryonem; horrifica moveat ſpectra, in nubibus armatas acies, in undis præferocium monſtrorum agmina, in latiſſimo univerſi campo innumeram Bacchantium turmam malignus præſtigiator exhibeat; Vel illicò oppoſitam quaſi ſcenam aperiens totum ſe fundat in divitias, in delicias, in illecebras; auri gemmarumque acervos proferat, ſceptra, & coronas ſpondeat, voluptates omnes repræſentet: Nec terretur ſpectris, nec trahitur illiciis, nec pellaciis fallitur

homo boni ſe Angeli præſidio, & clientelæ committens. Quid ultrà peruicax Adverſarius audeat? quid ultrà provocet Angelos triumphatores? fateatur vel invitus oculatiſſimam eorum curam, tutelamque potentiſſimam deſinat iniquè oppugnare quod illi invictè propugnant, deſinat impetere hoſtiliter quod illi cuſtodiunt amantiſſimè. Ego interim Mortalibus gratulor tam nobiles ſpiritus, & Cuſtodes in via, & Conſortes in Patriâ; quibus ut obſequium aliquale rependerem, eorumque patrocinium noſtris ſtudiis impetrarem, hæc libentiſſime proludebam.

PROLVSIO
SCHOLASTICA
IN TRACTATVM QVARTVM
DE BEATITUDINE.

QVò totius intellectualis Reipublicæ cogitata, conſilia, molimina aſpirant, eò, Auditores, mea hodie verba collimant; & argumentum cui omnia incombunt ſtudia, centrum in quod omnia propendent vota, materies circa quam omnes omnium verſantur artes, meta in quam omnia omnium tendunt optata, terminus in quem humani labores deſinunt, ſcopus ad quem rationalium affectuum motus dirigitur, cardo in quo moralium actionum moles revolvitur; id meæ in præſenti proluſionis cardo ſcopus, terminus, meta, materies, centrum, argumentum eſt, & quod quiſque latenter vult, patenter proloquor, Beatitudinem ſcilicet, cujus vel ipſum nomen attentionis illicium eſt, nullus enim non libenter audit quod ardenter expetit, & ſponte ebibunt aures, quod corda avidè ſitiunt: Neque veſtram libentis, & ultroneæ attentionis beneficentiam ipſo in limine moleſtus fatigabo, beatitudinem inter fucata, falſaque bona prolixâ indagine perquirendo, & deſcendendo, aut ad numerorum peritiam cum Pythagora, aut ad doloris carentiam cum Diodoro, aut ad voluptatum affluentiam cum Epicuro; nauſeat animus irriſoria etiam narratione beatitudinem deprimere ad tantam vilitatem, & fruſtra conatur excitatæ nauſeæ alexi-pharmacon ſuppeditare aut Ariſtoteles, qui bonis corporis, & fortunæ addit bona animæ; aut Dicomachus, qui voluptati virtutem ac honeſtatem admiſcet, ut componat felicitatem: Quidni? afferas licèt ex Varrone octoginta octo ſuprà ducentos beatitudinis modos, auges nauſeam hâc inſulsâ copiâ ferculorum, quantum beatitudini addis numeri, tantum detrahis pretij, & ex Athanaſio dicente *Multitudo Numinum nullitas Numinum eſt* paucis variatis mutuabor tuæ inſcitiæ exprobrationem, ſi dixero, *Multitudo Beatitudinum nullitas Beatitudinum eſt*: Non poſſum hic tamen ſacrilegam antiquitatem non arguere inconſequentiæ quòd in tanta beatitudinis copia magis adhuc liberaliter, magiſque prodigè, numina, quam beatitudines multiplicaverit; dum quæ tria Deorum millia & tercentos Ioves coluit; nec tot mille nec tercentas ſaltem beatitudines adinvenit: At has, quas *narraverunt iniqui fabulationes* ſub ſpecioſo beatitatis titulo infelicitatem mentientes, cũ ſuis infelicis damnatæque memoriæ Auctoribus execratur Theologia, & quæ tota de Deo eſt nonniſi Deum beantem enunciat, non niſi in Dei viſione beatitudinem collocat: Quia verò prima facie videntur male adaptari beatitudini ea, quæ viſioni maximè congruunt: cujuſmodi ſunt naturæ vires excedere bonorum operũ merito pretioque comparari, ſolum poſt ultimam vitæ periodum obtineri. Has ipſas conditiones in Dei viſione eximiè relucentes, etiam ad veræ beatitudinis excellentiam apprimè conducere, demonſtrabo, arbitratus ſanum fore conſilium beatitudinis, quam theologico obtutu non niſi à longè contemplari fas eſt, faciliores potiùs, ac familiariores, quam nobiliores ſublimioreſque prærogativas exponere.

Supernaturalitatem, & ſublimitatem toto Naturæ ordine ſuperiorem ignoravit antiquitas; hujus tamen ignoratio noſtra eruditio eſt, & Priſcos Philoſophos naturalium rerum ſcientiſſimos, & arcanorum Naturæ accuratiſſimos Scrutatores irritis conatibus beatitudinem indagaſſe, luculenter evincit non circumſcribi beatitudinem

dinem naturælimitibns, nec naturæ viribus elaborari; ſed inanem eſſe beatitatis umbram omnem illam, quam poteſt (ſi quam tamen poteſt) præſtare felicitatem natura, quæ gratuitis bonis ſpoliata, innatis mutilata, ſolius culpæ patrimonio dives, ſolius pœnæ ex aſſe hæres, robuſtis ſemper adverſitatibus impetitur licèt infirma, habuit adultas etiam adhuc adoleſcens ærumnas, eademque habebit vegetas etiam ſeneſcens; intrinſecùs & extrinſecùs oppugnata, concupiſcentiæ irritamentis incitata volnntate, ignoranti æ tenebris obcæcatâ intelligentiâ, in eo ſolùm eſt nec miſera, nec beata; qnòd ſuam nec beatitudinem ſatis agnoſcat; nec miſeriam: Ecce gemmas, qnas naturæ theſaurus recondit, flores quos naturæ viretum emittit, felicitates quas naturæ theatrum oſtentat. Harnm fuere rudimenta felicitatum fraterna cædes, quæ tùm orbis tùm urbis temeravit primordia, & cunabula cruentavit; aquarum alluvio quæ univerſum abſorpſit, & divinæ ultionis flamma lethalibus undis immiſcuit, non extinxit; Incendium quod Pentapolim conſumpſit, & impnrum ardore ardorem caſtigavit: Flagella quæ Pharaonem vexatunt, & Ægyptum devaſtarunt adeò, ut Nili fluenta in ſanguinem converſa erubuerint Ægyptiacum ſolum alluere; aliaque id genus plurima, aut naturæ depravatæ, aut Dei indignati portenta, quæ nullò non tempore tragicum aliquod, & luctuoſum in univerſi ſcena ſpectaculum retulerunt. Quod ſi placeat familiaribus magis, magiſque obviis argumentis eludere ſpem omnem veræ inter naturæ confinia felicitatis; ſatis ſit intueri rerum omnium naturalium faciem, quæ inconſtans, quæ varia, quæ deficiens: Inconſtantia ènim boni defectibilis poſſeſſorem ſuum inter ſpem, & metum exagitat; felicitatis amittendæ metus infelicitati præludit, imò ſnmma infelicitas eſt poſſe à felicitate deficere, & deteriores iis qui altiùs eminent caſus imminere: Hinc quantavis quis naturæ felicitate potiatnr uſurpabit tandem vel intuitus illud Boëtij.

Quid me felicem toties iactaſtis amici?
Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu.

Non niſi igitur perſonatas falſa beatitatis ſpecie veras calamitates, non niſi improbo labore comparandam brevem gloriolam, & non niſi ingenti amaritudine reſperſas dulcedines exiguas, natura ſuppeditat. Et certè quid alind ſonat illud decantatum Horatij. *Nemo ſua ſorte contentus*, quam neminem perfectè quieſcere in iis, quæ ſua ſunt, in iis quæ à natura ſortitur. Quid aliud eſt furtivas aquas eſſe dulciores? quàm alienis bonis hominem beari non propriis: Quid eſt, quòd *Qui velit ingenio cedere nullus erit?* niſi cuique indita ingenij geniique vis, quam dum nullus vult aliis cedere, vellet quiſque naturam, quam gerit cum aliis communem, excedere; adeoque impulſu penè innato ſuprà naturam aſſurgit animus anhelans felicitatem. Parum erat divinæ munificentiæ deſtinare creaturam rationalem ad bonum, quod poſſet infirma & fracta natnra adipiſci: Regnum Cœlorum vim patitur, non quam natura infert, ſed gratia; & ſolùm ſupernatnrali ardore violenti illud rapiunt: infrà hominem homo deprimitur pondere peccatorum; nec ſatis hujuſce depreſſionis detrimentum compenſaretur; niſi projecta peccati ſarcina ſuprà hominem homo elevaretur auxiliis gratiæ, & quantùm infrà humanæ conditionis nobilitatem eſt pœna peccatis reſpondens in æterna damnatione, tantundem ſuprà humanæ conditionis vilitatem foret præmium bonis operibus debitum in æterna ſalvatione.

Et ecce jam alind attingimus proluſionis membrum; quod ſcilicet beatitudo velnt emptitia in bonorum operum pretium cadat, ſitque meritorum præmium, & merces virtotis; quam quidem mercedis ac pvæmij prærogativam magnificè affirmavit Apoſtolus tunc vel maximè, quando eam negare viſus eſt: *Non ſunt* inquit *condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*, ſunt ſcilicet ſuprà ſe ipſas extollendæ, ſunt ad divinum transferendæ ordinem, ſnnt ad gratiæ & charitatis evehendæ conſortium, ut ad futuræ gloriæ præmium, & mercedem æqualis meriti, & laboris condigni proportionem ſortiuntur; præclara geſta, facinora heroica, illibatus morum candor, aſſiduus virtutum cultus, integerrimus vitæ modus, fama ſanctitatis, extaſes, miracula, non magis ad hujuſce præmij meritum computantur, quam æris ſonantis, & tinnientis cymbali inanes fragores, niſi amor muſicam docere aſſuetus bonorum operum concentui afferat ſuavitatem, niſi gratia addat acceptabilitatem.

Præmio

Præmio omnium maximo debetur novum omniumque maximum præmiandi genus, in quo præmiati merita ſint dona premiantis, Auctor gratiæ ſe ipſum præbeat in mercedem; atque ita in unum coeant præmium, donum, gratia, merces, ut cum piſcerni ſatis non poſſit, gratioſè ne Deus tribuat, an retribuat remuneratoriè? fatendum liquidò ſit uberrimam prorſùs eſſe & redundantem illam beatitudinem, quæ omnem & mercedis & gratiæ, & præmij & doni perfectionem abſorbet: Quam utramque conditionem fortè inſinuant ſacra illa verba, *apud te eſt fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen*; fons ſcilicet, ad quem ſiti, & labore fatigati propera præmium denotat; lumen in lumine divinitus dato videndum donum deſignat: In idem recidit denarij diurni beatitudinem allegorice ſignificantis parabola, quia enim operariis in vinea laborantibus retribuitur, merces eſt; quia diverſa horâ conductis, & inæquali labore functis idem denarius ſine Perſonarum acceptione rependitur, beneficium eſt: Hinc vero incipiant elati, & jactabundi de beatitudinis conſecutione ex propriorum merito operum non præſumere, quia donum & beneficium eſt, incipiant pigri & deſides in donantis liberalitate otianter non confidere, quia merces & præmium eſt: Recolant delicati & molles Leonis Auguſti morem gratioſa diplomata regiâ manu non obſignantis, niſi forent purpureo charactere conſcripta, & noverint non ægrè ferre, ſi velit Deus ſuæ beneficentiæ privilegia, ſuæ gloriæ beneficia purpurâ auguſtiore rubeſcere, eâ ſcilicet, quam colorat ſanguis ex lacero in militiæ agonibus corpore diffluens: Cujus Divinæ legis conſcium ſe, & ſolicitum optime exhibuit invictus ille Chriſti Athleta, qui plurimo vulnere in fidei obſequium ſaucius exprobravit Tortori irrogatam injuriam uni ſui corporis parti, quæ ſola ab inflicto vulnere, effuſoque ſanguine immunis ſupererat, ſuſpicatus non inſigniendum gloriæ beneficio membrum illis notis, quibus gratioſa diplomata conſignantur, non rubeſcens: Sponſus in ſpirituali connubio *Sponſus eſt ſanguinum* violabitur vulgata nubendi regula, *ſi vis nubere nube pari*; niſi anima deſponſanda Sponſa ſit ſanguinis, quem è coniuncto corpore Carnificum furor expreſſerit. Quàm bonum eſt cum Apoſtolo gloriari in tribulationibus etiam extremis, etiam cruentis, dum iſtæ ſecum afferunt characterem illum, quo ſpiritualia cum Deo ſponſalia conſignantur, quo electi conſcribuntur ad gloriam: Nec novum penitus eſt à tribulationibus auſpicari gloriæ titulos, quandoquidem etiam apud Gentiles nullum nomen habitum fuiſſe glorioſius eo, quod à maximo omnium diſcrimine derivabatur, inter alios plurimos oſtendit Cato ille, qui Vticenſis titulo remanſit inſignitus ad gloriam ab Vtica Vrbe ipſius pereuntis ſanguine cruentata. Deſimant jam Epicurei Divinam Providentiam, tamquàm anum fatidicam temere inſimulare, divinumque regimen aut negare, aut negligere, & in ipſa Ethniciſmi caligine diſcentes ex Socrate *tum ritè Rempublicam gubernari, cum boni invitantur præmiis* gubernium concipiant excellentius divino, ſi valent præmium contingere eminentius eo, quo Deus bonos invitat: Deſinant inertes torpeſcere, & diſcentes ex Cypriano *beatitudinem eſſe operantium gloriam* eadem, quâ ad beatitudinem tendunt animi alacritate aſſiduas in operationes impigri erumpant: Deſinant poſillanimes levibus curis detineri, & diſcentes ex Livio *nihil non aggreſſuros eſſe homines, ſi magna conantibus magna præmia proponantur*, magna quæque conentur, dum maxima cuique in Patriâ præmia proponuntur: Nec generoſos ad maxima quæque conatus aut retundat proroganda poſt ultimam hujus vitæ periodum præmij conſecutio, quaſi poſthuma, & ſera nimium retributio; quæ fuit tertia ex propoſitis Beatitudini, Viſionique communibus prærogativis.

Non id inquam generoſos retardet retundatuè conatus, neque enim ſemper lenta beneficia indicia ſunt languidæ beneficentiæ, non ſemper gratiæ celeres dulciores, nec illud Auſonij.

Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt, gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

adeo eſt inviolabile, quin aliquando acceptiores ſint gratiæ tardiores: ſi tamen momentaneum hujuſce vitæ breviſſimæ intervallum poteſt ad tarditatem computari aut non citiſſimè tribuitur præmium, quod unico momento diſtat à merito, ipſamque unius momenti morulam æternâ duratione compenſat. Beneficentia præmiantis eſt præmium elargiri quando eſt magis profuturum, & bis dat etiam qui ſero dat, quando mora ſeriùs dantis redundat in utilitatem,

& emolumentum recipientis. Malè ſapiunt edulia etiam ſapidiſſima palato amarulento, luce etiam defæcatiſſima oculus cæcutiens offenditur, Surdaſtris inconcinnè ſonant concentus etiam maximè harmonici: Non aliter ærumnas inter & calamitates, agones inter, & dolores malè hoſpitaretur vera felicitas, & beatitudinis præmium vileſceret in hâc viâ conceſſum, ubi ex rerum defectibilium conſortio ad deficiendum proponderet, deliciaſque ſuas præſentis vitæ moleſtiis permiſcendo corrumperet: noverunt hoc illi ipſi qui veram beatitatem ignorarunt, nec ullus eſt, qui non execretur turpe illud ac ſtolidum *poſt mortem nulla voluptas*, & ut omittam Ovidium canentem,

Vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Antè obitum nemo, ſupremaque funera debet.

inſigniore utar teſtimonio ex Solone, qui Cræſum de propriarum divitiarum felicitatumque affluentiâ gloriabundum repreſſit gravitate illius ſententiæ: *Nemo beatus antè mortem*: & verò quomodò eſſe quis poſſit antè mortem beatus, ſi plurimi etiam ex Grege Gentilium tuendæ vitæ curam poſtponunt ſtudio beatitudinis comparandæ, mortemque ſubeunt ut beantur. At demus ethnicos alterius vitæ, aut inſcios, aut immemores, experiri potuiſſe inter hujuſce vitæ diſcrimina ſpeciem aliquam felicitatis, id utique non poterit non longiſſimè ab eſſe à mente Catholicorum, qui ſe in hâc viâ exules, hoſpiteſque deplorant, & eâ

Neſcio quâ Natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit.

cæleſtem patriam anhelantes inter ipſa gaudiorum incitamenta in querulas, & mæſtas Iſraëlitici Populi voces erumpunt *Quomodò cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ*; nec ullus eſt, qui cantiones modoſque ſonoros expoſcentibus Patriæ tùm exilium tùm deſiderium in hunc fere modum deflens non obiiciat.

Quid vultis Patria procul à Tellure jacentem
Externo patrios orbe ſonare modos?
Cum ſemel, ò ſperata diu, tibi Patria reddar;
Tunc ego voce canam, tunc ego mente canam.

Hoc in Patriam pondus res ipſæ inſenſibiles ſentiunt, feliciùs enim quieſcit lapis in centro utcumque tenebricoſo, & informi; quàm ſi Pontificiâ in tiara, regiove in diademate fulgeat; vel in Iovis ſtatuam elaboratus obſequia captet, & ſacrificia; amabilius eſt igni ſuſtinere in ſphærâ perpetuum ex pabuli caritate jejunium, & in extremo elementaris orbis confinio exilium, ac ſolitudinem tolerare, quàm ſi extrà ſpheram copioſo pingueſcat alimento, & ſacratiora templa palatiaque auguſtiora in facibus ardeſcens incolat, & illuſtret: nihil ſcilicet igni melius ſua ſphærâ, nihil lapidi melius ſuo centro; nec, ſi utrique ineſſet capacitas aliqua felicitatis, hanc poſſet aut ignis extra ſphæram, aut lapis extrà centrum exquirere; non niſi quia ſphera igni centrum lapidi natalis ſoli & patriæ loco eſt: Vndè etiam creaturæ quolibet beatitudinis veſtigio deſtitutæ comprobant extra beatitudinem eſſe, quicumque extrà Patriam eſt, eodemque hominem intervallo à beatitudine abeſſe, quo abeſt à Patriâ. Hujuſce intervalli evidens & dilucidum argumentum eſt illa ipſa ænigmatica, obſcuraque notitia, quam ſolam poſſumus hic in via de beatitudine comparare, ſimilem omninò cognitioni, quâ quiſque conſuevit res procul & in longinquo poſitas admirari potiùs, quàm contemplari; quid non ſint potiùs, quàm quid ſint dignoſcere.

O ſi non longè adeò Beatitudo diſtaret, ô ſi intellectualis oculus aciem ſuam poſſet ipſi propiùs inferre? quàm gratiore, quàm opportuniore proloquio attentionis veſtræ beneficium excepiſſem: Miſſis utique; quas utcumque attigi beatitudinis dotibus, vos illicio evexiſſem ad altitudinem Dei beantis, ad arcana Divinæ Naturæ figentis in ſe omnem mentis intuitum, rapientis ad ſe omnem voluntatis impetum, noſtris mentibus æque ac voluntatibus intimè illabentis, illas illuſtrantis lumine gloriæ, iſtas inflammantis ardore charitatis, utraſque inebriantis torrente voluptatis, immergentis fontibus æternæ vitæ, abſorbentis pelago Divinitatis. Hic abſtractus à ſenſibus raptuſque in extaſim animus ſuaviſſima conſideratione præcurreret futuræ rudimenta felicitatis: Præcurreret in eſſentiæ ſpeculo ſui ipſius ac rerum exemplaria potiùs, quam imagines repræſentari; In

Trinitatis

Trinitatis myſterio cum pluralitate unitatem, cum diſtinctione idemtitatem, ſine diſcordia relativam oppoſitionem, ſine Naturæ divortio Perſonarum emanationem contineri: Præcurreret in æternitatis menſura res præteritas retrogrado, res futuras præpropero intuitu conſpici factas præſentes;in Providentiæ æconomia fortiter ſuaviterque omnia diſponi,nimiam variabilitatẽ fortitudine, fatalem neceſſitatem ſuavitate diſpoſitionis excludi:Præcurreret in ſcientiæ theſauris nec pretium addere maximarum creaturarum notitiam,nec vileſcere cognitionem minimarum;in decretis voluntatis nec inefficaciam arguere volentis imbecillitatem, nec efficaciam inferre volito coactionem. O ſi intellectualis oculus, ſe intimiùs poſſet ad veram beatitudinem inſpiciendam protrudere? quàm libenti animo feſtivoque plauſu in hujuſce Scholaſtici præludij argumentum ſelegiſſem grandiloquum illud oraculum, *Non eſt alia natio tam grandis, quæ Deos habeat appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis*: adeſt quippe nobis Deus ſe ipſo nos beans, ſuam in nos beatitatem largè profundens: & proh quantum creaturæ abundat,quæ Deo ſufficit beatitudo? Adeſt Deus nobis non ſolum Divinæ Naturæ per gratiam, verùm etiam Divinarum Perſonarum per gloriam conſortium tribuens, & proh quàm feliciter arcetur incommodum ſolitudinis, ubi ſuam præſtant Divinæ Perſonæ ſocietatem? Adeſt Deus nobis non ſolùm amicus, verùm etiam domeſticus, & in domeſticæ familiaritatis argumentum ſe facie àd faciem oſtendit,penitiora nobis aperit ſecreta, quæ non licet homini loqui verbo creato Verbo increato manifeſtat, & proh quàm facunda ſimul, & compendiaria locutio ubi idem verbum omnia ſignificat? Adeſt tandem nobis Deus non ſolùm nobiliori, & ſpirituali, verùm etiam ignobiliori, & materiali hominis parti impertiens gloriam: ex anima ſcilicet redundant glorioſæ dotes in corpus, beatæ operationes in ſenſus, illarum privilegio coporea moles ſpirituum conditioni non invidens, claritate totum ſolis jubar obtenebrat, agilitate fulmina ventoſque prætervolat, ſubtilitate auras ſuperat, impaſſibilitate Angelos æmulatur. Iſtarum beneficio corporeus oculus nullâ intervalli diſtantiâ, nulla medij craſſitie præpeditus cæleſtium, beatorum, ſuperiorumque omnium corporum ſymetriam, ſtructuram, venuſtatem eximiâ delectatione diſcernit, unoque intoitu per immenſa ſpatia ſine organi offenſione vagatur: Auditus concentibus ſuprà omnem ſuavitatem jucundiſſimis, inauditis in ſublunari orbe colloquiis, noviſque canticis recreatur, nullum aures pulſat peregrinum idioma, & ità ibi linguarum omnium encomiis Majeſtas Divina laudatur, ut linguarum ipſa diverſitas reſonet unitatem, poſſitque ad Deum optimo jure transferri quod olim Cæſari dictum eſt.

Vox diverſa ſonat Populorum, eſt vox tamen una;
Dum verus Patria diceris eſſe Pater.

Mec minoribus reliqui ſenſus deliciis cumulantur & ubi viget ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus, nihil eſt, quod boni ſibi convenientis poſſeſſione, ac fruitione non gaudeat. Hæ animi corporiſque deliciæ in noſtrorum ſtudiorum argumentum, oblectamentum, & metam deſtinantur: In hac ego conquieſco, in hanc refero quod veſtris obſequens deſideriis, imò tacitis omnium obſecundans votis proludebam.

PROLVSIO
SCHOLASTICA
IN TRACTATVM QVINTVM
DE GRATIA.

DVM ſilente ubique, ac feriante Minervâ, autumnales otiosè dies tranſigerem, & animus totus quiete auſpicatiſſimâ perfrueretur, obtulit ſe mihi placidi inter ſuporis inſomnia neſcio quo ingenioſo phantaſiæ, aut deliramento, aut ducumento, inſigne ſimulacrum ejus, qnam mox refero, conditionis: Vultus vivido ſuffuſus rubore quid virginenm, diadema fronti ſceptrumque dextræ inſidens quid regium, auguſtæ Majeſtas formæ quid divinum indicabant: Solares radij protendebantur in crines; viæ lacteæ decor, & candor in fronte explicabatur, & genis;ſcintillantium in morem ſyderum oculi coruſcabant;omnes ridebant in ore gratiæ, omne nobilitatis argumentum relucebat in facie, omne virtutis ſpecimen eminebat in indole. Augebant corporis venuſtatem veſtes argento auroque ſplendidæ, & ſpectabiles adeo, nt nihil in ipſis, aut ad materiæ pretium, ant ad artis portentum deſideraretur: Enitebant in pretioſâ veſtium textura illuſtres nonnulli characteres luce gemmiſque conſpicui, in quos aciem attentiùs figere, partim quem vibrabant fulgor, partim qui ligabat animam ſopor, prohibuit; Somniculoſis tamen utcumque oculis, hæc ni falor perlegi lemmata, *Delicia mea eſſe cum filiis hominum. Ab æterno ordinata ſum, omnis gloria ejus Filia Regis ab intùs.* Vix ſoporem excutiens ab inſomnij ludibrio ad ſeria animum meditamenta traduxeram, quando adventante jam tempore annuæ ſtudiorum inſtaurationi præſtituto illicò incidi in cogitationem auſpicalis proluſionis, quâ, nt moris eſt, litterariæ Alumnos Paleſtræ conſalntarem, & traderem prima lineamenta materiæ totius anni intervallo diſcutiendæ: Erat hæc Tractatus de Divinâ gratiâ, facileque propterea contigit: nt proluſionis de Gratiâ elucubrandæ meditatio, & reſidua ſomniati ſimulacri imago ſibi in penetralibus mentis occurrerent; id ego, ſomnia quippè non nihil divinum redolere ex Antiquorum opinione didiceram, & memineram ex Philoſopho *ſæpè prænuntiari in ſomnu principia quædam illorum, quæ poſteà vigilantes acturi ſumus*; id ego, inquam, omine optimo eveniſſe arbitratus, non perperam me acturum eredidi, ſi ex umbris niterer lucem eruere; ſi nocturnis ex larvis non tam illudi nos quandoque, quàm inſtrui oſtenderem;Si ex ſomni otio Scholaſticarum ducerem curarum initia,& ex imaginario ſomnij monumento ſacræ de Gratiâ prolocutionis rudimenta; ſi nimirum memorati ſimulacri prærogativas doteſque repeterem, eas in Divinam Gratiam tranſlaturus; Verùm quia omnes percurrendo latiùs, quàm par eſt, divagaretur oratio, tres ſolum recenſeo Nobilitatem, Pulchritudinem,Opnlentiam, & ſi proluſio non erit omnibus abſoluta numeris,ſaltem inſigni hoc in ternario gaudebit numero omnium perfectiſſimo; ejuſque dignitate commendationem ſibi aliquam promerebitur.

Quia jus eſt nobilitatis primam ubique ſedem occupare, primas debeo nobilitatis doti periodos, & dicente Philoſopho *Nobile id eſſe, quod ex bono produit genere* impar illico evincitur omnis elocutio ad explicandam Gratiæ nobilitatem, æque ac

ad

ad explorandum divinæ pelagus bonitatis; ex divino quippe Gratia genere prodiit; eſt ipſa divini ordinis, eſt divinæ participatio Naturæ, eſt divinæ pignus hæreditatis: eſt divinorum operum primogenita, ſuæ ſeriem propaginis à primo ſæculorum initio ad hæc uſque tempora deductam recenſet; & ultrà omnia tempora duratione æternitati conterminâ deducendam gloriatur; recurrat quiſquis hujuſce veritatis anceps eſt, & ambiguus, quâ Cœleſti, quâ terreſtri in Paradiſo Supremi Opificis prima molimina, inveniet procul dubio ſivè Angelicam ſivè humanam in primâ infantiâ ſubſtantiam Gratiæ deſponſatam, imò ſimul cum Gratiâ natam; nam & minus ſplendidè Gratiæ nobilitas illuxiſſet ſi antiquiorum natalium privilegium alteri ceſſiſſet creaturæ & præclariore nobilitatis charactere tùm Angelica tùm humana Natura caruiſſent, ſi Gratiæ defuiſſet ornamentum: quod ſi etiam ex loci conditione nobilitati decus accedere ſuadet mos ille Antiquorum, quò ignobiles viros conſueverunt terræ filios nuncupare; ne loci præſtantia deeſſet, aut ad aliquam Gratiæ ignobilitatem computaretur in terris naſci, tota ipſa ſuperterreſtris, Angeliciſque Intelligentiis, ſicuti non poſterior tempore, ita nec inferior loco, primam habuit in Cœlis originem, & Deo Patre nata, Empyreo Patriâ gaudet: Verùm nec ſola generis: nec ſola Natalium, nec ſola loci prærogativa Gratiæ commendat nobilitatem; adeò hæc eſt ſplendida, ut nihil in eâ ſpecioſum, nihil magnificum, nihil eminens non effulgeſcere facile comprobet omnium ſenſus ſapientum, qui ſuffragio unanimi firmaque voce ſtabiliunt eam eſſe illuſtriſſimam claritatem generis, cui lux virtutum accedit, cui defæcatiores radios probitas addit, cui nobiliſſimum eſt quod eſt optimum; hinc etenim patet dilucidè nihil poſſe eſſe nobiliùs gratiâ quod eadem melius non ſit; at aliquid Gratiâ melius quibus ex promptuariis, quibus ex officinis proferetur; ſi Areopagitam conſulas, illud ipſe melius nominat, *quod magis eſt communicativum ſui & diffuſivum*; Gratia autem adeo ſuæ communicationis eſt avida, ut innato appetitu, ne dicam impetu, ſubjectum quærat, cui ſe præbeat. Si Tullium evolvas, illud ipſi melius eſt, quod honeſtius; Gratia autem norma eſt, & regula honeſtatis, nutat iſta & languet ubi illa periclitatur, & deficit; nec actio ulla inſigniter honeſta conſurgit, quæ ex Gratiæ excitantis ſemine, Gratiæque operantis germine non erumpat. Si Philoſophum adeas, illud tibi ex contrariorum lege melius eſſe renunciat, cujus oppoſitum eſt pejus, Gratiæ autem oppoſitum peccatum eſt, quod quam longè malis omnibus pejus ſit Angelorum irreparabilis ruina, hominum lapſa natura; copioſa ærumnarum ſeges, perenne pœnarum ſibi ſuccedentium profluvium nimis ne dixerim acutâ quia ferit, an nimis gravi quia premit? voce teſtantur. O inexplicabiles divitias bonitatis in Gratiæ Theſauris reconditas? Si idem eſt optimum eſſe ac nobiliſſimum quis non totâ energiâ nobiliſſimam illius bonitatem, optimam illius nobilitatem fateatur, & celebret? Majora proferre non poſſum argumenta nobilitatis; affero plura. Affero Charitatis virtutum omnium Reginæ ſtrictam cognationem, aliarumque inferiorum virtutum inſigne ſatellitium, affero bonorum operum præclaram ſobolem, & catenatam triomphatamque vitiorum turmam; affero indolem generoſam, quâ repulſæ neſcia ſordidæ ſibi reſiſti non patitur: affero pulchritudinem, quæ amabiliorem; affero opulentiam quæ exiſtimatiorem nobilitatem reddit; at hæc ſunt nova proluſionis argumenta non adeò curſim, & obiter attingenda.

Neque dum pulchritudinem memoro, ſermonem mihi eſſe ſuſpicemini de fucatâ pulchritudine, quæ in ſpecioſâ colorum temperie, elegantique partium diſpoſitione conſiſtit, quæ exteriori contenta forma internam admittit, imò quandoque fovet deformitatem, & ad ſenſibile vitri experimentum comprobata ſenſui tantùm arridet, non menti. Verùm ad ſublimiorem longè, ſpecioſioremque pulcritudinem oculos intellectuales attollite, ad eam ſcilicet, quæ tota ſpiritualis, tota cæleſtis, tota divina eſt: hanc ſummoperè in Gratia eminere id confeſtim probat, quod imago & proles ſummi pulcri ſit; ſi etenim ex Horatio

Fortes creantur fortibus,
Eſt in Iuvencis, eſt in equis Patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

Quis ſummo pulchro negare audeat prolem pulcherrimam? facilius invenies affinitatem lucis ad tenebras, nivium ad flammas cognationem, veritatis cum menda-

 ciò

cio, ſcientiæ cum errore ſocietatem, quàm in prole divinitatis Gratiâ carentiam aliquam eximiæ venuſtatis. Decur ipſa eſt floris perennis, riſus eſt veris perpetui, fulgor eſt aſtri inoccidui, quamvis nigreſcant in ſole maculæ, pulcrioribuſque in imaginibus pingantur umbræ, in Gratiam nulla macula; nulla poteſt umbra ſubrepere, &

Hanc quiſquis poterit notare lucem
Candidos Phœbi radios negabit.

Candidiſſimi quondam animalculi, & cujuſdam quaſi animati candoris encomium fuit *Malo mori, quàm fœdari*, Divinæ Gratiæ eloquium eſt, quod abigi poſſit, at non infici; recuſari poſſit, non inquinari. Apage jam infelix Lucifer puriſſimam, quam à Deo accepiſti ſubſtantiam, ſuperbiæ labe deturpa; & lucem, quam fers in nomine, fumoſâ Averni caligine denigra; Gratiam amittes, at denigrare, aut deturpare non poteris. Apage prævaricator miſerrime, hominumque progenitor ſimul & proditor, divinam imaginem ipſo cum vitæ ſpiraculo impreſſam, clamydemque innocentiæ à Gratiæ Auctore conceſſam peccati ſorde commacula, tartareique colubri veneno infice; Gratiam amittes, at inficere, aut commaculare non poteris. Apage infecti germinis infirma propago, & perduellis Genitoris perverſa proles, effigiem illam fœdatam olim, jam verò Chriſti Sanguine dealbatam, pedibus ad mala quæque proclivibus protere, & novâ turpium colluvie criminum contamina; Gratiam amittes, at proterere aut contaminare non poteris. Imò ipſâ in puriſſimis Empyrei, in quod nihil coinquinatum ingreditur, ſubſtantiis conſervatâ ſceleſtiſſimi ejus Oſores cum fœditatibus ſuis Averni in baratrum acti præcipites amiſſæ pulcritudinem Gratiæ jugibus deflebunt lacrimis, quibus tamen nec ſuas poterunt ſordes abſtergere, nec flammas vehementiſſimas temperare. Ego interim dum tota ſine maculâ tota pulchra es cœleſtis Heroina, totis meæ admirationis, totis meæ venerationis officiis, tuæ complector candorem puritatis; dum tu expelli potes, non fœdari, ne à me expulſam abeſſe te doleam, Malo mori, quàm fœdari, & ne pulchritudinem tuam minùs pulchrè ultra proludam, ſilere malo, quam eloqui.

In cæteris verò tuis inſignibus proluſionem feliciùs proſecuturus emendico tuâ ex opulentiâ meæ in dicendo egeſtati ſubſidium, tuaſque profero divitias, divitias omnino ſuperexcelſas, & eò pretioſiores, quo terrenis corporiſque ſuperiores: iſtæ enim fluunt, labuntur, avolant: quamvis nec rivi ſint, nec momenta, nec atomi: captivant, ſauciant, jugulant: quamvis nec vincula ſint, nec tela, nec laquei: pacatam conſcientiæ tranquillitatem, tranquillam mentis ſerenitatem, ſerenum animi candorem, concitant, perturbant; obnubilant, & tamen nec turbines ſunt, nec procellæ, nec nubila: præteritæ nihil proficiunt, & ſunt doloris monumenta; præſentes non ſufficiunt, & ſunt timoris argumenta; futuræ adhuc deficiunt, & ſunt laboris præludia, viventem hominem cruciant, morientem deſerunt,

Nec cura mordax deſerit ſuperſtitem,
Defunctumque leves non comitantur opes.

Expende jam beatiorem ſuis in opibus gratiam, hæ quaſi pretia libertatis ab omni vindicant ſervitute, quaſi immarceſcibiles flores ornant, & coronant, quaſi purioris lucis radij illuſtrant & ſerenant: Satietate voluptatem afferunt, non faſtidium; uſu incrementa ſuſcipiunt, non diſpendium: tenaciter poſſidentur abſque avaritiæ vitio, novæ veteribus ſuperveniunt abſque ſuperfluitatis notâ: ſuperſtitem hominem promovent ad ſalutem, defunctum comitantur ad gloriam, & quot præjudiciis terreſtres divitiæ nos onerant, totidem emolumentis nos cumulant divitiæ ſpiritales: nec fuſiùs aut illarum mendacem fucum exprobro, aut iſtarum inſigne decus commendo, ne injuriam & meæ & veſtræ irrogem conditioni, quâ ſponte ſuſceptæ paupertatis callem ingreſſi ſæculi fortunam & faſtum abjecimus, ut Gratiæ theſauris ditaremur, quos nec pretium comparat, nec fortuna diſpenſat; cum nullum eſſe poſſit aut pretij ad gratuita, aut fortunæ ad divina commercium; quos non ex terræ effoſſos viſceribus, ſed ex cœli erutos penetralibus ſupremi beneficentia Numinis religioſioribus animis elargitur; Omnia quippè virtutum ornamenta, omnia bonorum operum merita, omnia ſpiritus divini chariſmata, Beatitudinis pignora, Sacramentorum dona, Unionis hypoſtaticæ miracula, divitiæ ſunt ex gratiæ theſauris derivatæ: Hiſce tamen miſſis placet in adoptivâ Dei filiatione, tanquàm in pretioſiſſimo munere, quod in nos ex Gratia redundat, ipſius Gratiæ

opulentiam

opulentiam admirari: Finge igitur tibi hominem miſeris omnibus miſeriorem, genere natum infimo, patriâ oriundum inhoſpitâ, nullâ animi, nullâ corporis, nullâ fortunæ, nullâ artis, nullâ naturæ, nullâ Gratiæ, nullâ virtutis prærogativâ conſpicuum, in quem Cœlum ſæviat, & creatura omnis armetur; Finge aliundè Principem, cujus dexteram ſceptrum ornet, cujus frontem gemmæ coronent, cujus dorſum purpura veſtiat: cujus theſauri ultra omne pretium, divitiæ ultra omnem menſuram, imperium ultra omnia confinia protendantur; cui bona ſors arrideat, fauſta ſydera ſplendeant, mundus totus indulgeat: cujus nominis decus, fama, gloria, Majeſtas, loca impleat omnia, omniaque tempora. Hic ſi miſerrimum illum hominem ſibi in Filium adoptivum aſciſcat, proprieque hæredem nobilitatis, opulentiæ, dignitatis inſtituat, quis hujuſce adoptivæ filiationis privilegium, tanquàm omni majus pretio, omnique pretioſius theſauro admirabundus non ſuſpiciat? Cohibe eam ſi potes vehementiſſimè erumpentem admirationem, dum filiatio, quam tibi ad miraculum, & portentum effinxeras, leve veſtigium eſt ejus, quâ terræ glebam in contumeliæ vas elaboratam; indignationis prolem malorum omnium ream, dæmonis ſubjectam imperio, gehennæ addictam incendio, æterno notatam dedecore; Deus ipſe per Gratiæ infuſionem adoptat, novam nobis filiationem, novam nativitatem impertiendo, quâ tamquàm recenter geniti infantes ad Deum clamare diſcamus *Abba Pater*; Imo Dij evadentes jure Deum Deorum nuncupamus quia teſte Ruperto *Deus eſt Author Deorum, dum quos adoptat, Deos facit*, & vocat, *Ego dixi Dij eſtis, & Filij excelſi omes.* Felix propterea, & mirifica nimis adoptio, nullique humanæ conferenda; humana etenim in adoptatum non transfert naturam adoptantis; at divina divinæ nos reddit Naturæ conſortes: Humana in naturalis prolis defectum privilegio legis inducitur, divina ad naturalis prolis imaginem miniſterio ſupereminentis charitatis efficitur; humana ut plurimùm habet naturalem Filium aut renuentem, aut invitum; Divina Filij naturalis operâ nititur ac benevolâ voluntate, ipſemet idcirco adoptivorum fratrem ſe ponte proclamat, & qui unigenitus eſt non dedignatur eſſe Primogenitus in multis fratribus; Humana denique adoptio in adoptati poteſtate non eſt, ſic verò divina in quo D. Gregorius adeo vehementer obſtupuit, ut nequiverit non exclamare *Quid hac poteſtate altius? Quid hâc altitudine ſublimius?* Quid altiùs ea poteſtate, quâ jus acquiritur ad Angelicas ſedes, ad cæleſtem hæreditatem, ad divinum Patrimonium? Quid ſublimius eâ altitudine quâ totâ Superiores Naturâ ad glorioſum ſtatum evehimur? ubi

Opta quod eſt pulcherrimum;
Iam poſſident Beati.
Opta quod eſt dulciſſimum,
Fruuntur hoc Beati.
Quidquid vel ornat corpora,
Vel mentibus decorum eſt:
In hos manu largiſſimâ
Diſpenſat Auctor Orbis.

Sublimis adeò poteſtatis coronide perficio Gratiæ opulentiam, pulchritudinem, nobilitatem; & homini gratulor divitias, queis ſuæ mendicitati; decus, quo ſuæ deformitati; ſplendorem, quo ſuæ obſcuritati facile conſulat.

Verùm mea hæc gratulationis officia graviter perturbat murmur execrandum, quo perditiſſimi nonnulli Gratiæ oſores inoficioſis eam verbis excipiunt, turpemque blaſphemiarum caliginem præclaris ejus dotibus nituntur offundere. Pelagius, ut Gratiæ divitias imminuat, Gratiam facit venalem, totum ſalutis & Gratiæ etiam primæ negotium in humana reiicit merita, adeo ut leviſſima naturæ lapſæ infirmæque operatio tantum habeat ponderis, tantum roboris, quantum adæquando Divinæ Gratiæ valori ſufficiat: O vili pretio venalem Gratiam, ſi pluris non venditur? O indignam Gratiæ nomine Gratiam, ſi venalis eſt? Evaneſcant nigriores in auras hæc ſcommata, & abeant Pelagij voces in tartara cum Auctore ſuo æternis ignibus excoquendæ, at numquàm ſatis expurgandæ. Calvinus, ut Filiationem Dei adoptivam, potiſſimum ſcilicet Gratiæ Theſaurum, deducat in contemptum, eam facit vacuum nomen, & titulum ſine re, dum in extrinſecâ denominatione, & imputatione juſtitiæ Chriſti, non inhærentis qualitatis jure ipſam collocat; quaſi verò divinum

vinum

vinum eloquium aſſeverans Gratiæ donum nobis impertiri, *ut Filij Dei nominemur & ſimus*, ſit oſtentationis commentum, non veritatis oraculum: Obruantur tetriores inter umbras hæc dogmata, & abeant Calvini voces in tartara cum Auctore ſuo æternis ignibus excoquendæ, at numquàm ſatis expurgaudæ. Beza caligantibus oculis Gratiæ decus, ſplendoremqne non ſuſtinens, in ipſa comminiſcitur maculas, dum fædo eam connubio ſordibus peccatorum aſſociat, & gratiam peccatoribus inſidentem ait eſſe lumen, quod ab Euangeliſta fulgere in tenebris perhibetur: Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc; neque enim peccatorum ſordes gloriam impedient, ſi gratiam non expellunt: Damnentur denſiores ad tenebras iſta mendacia & abeant Bezæ voces in tartara cum Auctore ſuo æternis ignibus excoqnendæ, at nunquam ſatis expurgandæ. Lutherus gratiæ nobilitatem profligaturus, eam vel noſtri pediſſequam facit arbitrij, vel quaſi vilem Parcam libertatis ſcindentem ſtamina; dum gratiæ efficaciam humanæ concordem libertati eſſe non poſſe contendens aſſertores Gratiæ cenſet deſertores arbitrij,& vt homines ſernet liberos reddit ſacrilegos: Qnaſi verò vel nequeat diuina omnipotentia liberum agens inuiolatâ libertate ſuis ſubdere imperiis, vel neſciat increata ſapientia fortiter omnia ſuauiterque diſponens, diſpoſitione ſuaui arbitrij indifferentiam ſuſtinere: Perpetuò jaceant abſorpti ſilentio hi errores ſacrilegi, & abeant Lutheri voces in tartara cum Auctore ſuo æternis ignibus excoquendæ, at nunquam ſatis expurgandæ. Eandem gratiæ nobilitatem deprimunt alij, dum eam faciunt ad viliſſimas, & modicæ cujuſcumque bonitatis operationes adeò neceſſariam, vt niſi Gratiæ accurrant, & concurrant auxilia, omnes virtutes ſint vitia, omnia bona opera ſint peccata: O ignobilem, & vileſcentem Gratiam, ſi tamquàm aliquid naturæ utcumque infimæ magis, quàm ſuprà naturam, ad naturales quaſlibet etiam inferioris notæ operationes ſine culpâ exercendas indiſpenſabili lege requiritur Abeant hujuſmodi voces, abeat cæterorum omnium in Gratiam conviciorum infanda memoria adeò altè ſepelienda, ut numquàm poſſit rediviua excitari ad offendendam veſtrarum aurium pietatem, ad inficiendam meæ dictionis puritatem, ad intentandam ſupernæ Gratiæ everſionem: enim verò quamvis inani furant æſtu, & non niſi ſibi ipſis Gratiam evertant impudĕriſſimi Gratiæ Calumniatores, refugit tamen animus tantæ monſtra temeritatis. Experientur interim ipſi vel inviti; quàm malum ſit fuiſſe in Divinam Gratiam injurios, quando eo gravius ejus carentiam tolerabunt, quò impudentiùs ejuſdem præſentiam contempſerunt; & hic quàm jure horum miſerrimam conditionem exprobrarem, niſi præclara Gratiæ encomia, & præconia me totum abſorberent, in his totus ſiſto, in his totns conquieſco, ex his & mea & veſtra ſtudia nihil ſibi non ſelix, nihil non fauſtum auſpicantur; & ad docendum quippè, & ad diſcendum præſto ſemper erunt Gratiæ auxilia, ubi & quod docetur, & quod diſcitur Gratia eſt: Nemo ſtudebit inglorius, nbi nnuſquiſque ſtudebit pignori & præludio gloriæ: Nemo ſuis in ſtudiis dolebit de ignorantiæ vulnere, ubi materies ipſa ſtudiorum medicamen eſt vulneris: Nemo patietur ex literario labore triſtitiam, ubi ſons eſt, ex quo aquæ hauriuntur in gaudio: Suaviſſimo omnia explicabuntur eloquio, quia ſemper erit diffuſa in labiis Gratia; celeri omnia calamo percurrentur, quia Gratiæ celeres dulciores: Mens omnis aut tarda aut olbivioſa & oblivionē dediſcet & tarditatem; qnia & nimis inurbanum eſt Gratiæ oblivíſci, & neſcit Gratia tarda molimina. Ne verò aliqnod mihi vitium moræ & tarditatis tribnatur, rem totam illico expedio, & celeri concludo ſilentio Gratiæ dotes, quas proludebam:

THEOLOGIÆ ASSERTIVÆ TRACTATUS DE ANGELIS.

LIBER PRIMUS.

De ſubſtantiâ Angelorum in ordine ad ſe, & in ordine ad Corpora.

QVISQUIS hominem univerſi horizontem nuncupavit, locutione allegoricâ affabrè expreſſit ipſum interjectu ſuo dividere in univerſo geminum quaſi emiſphærium, corporale alterum, alterum ſpiritale, & mediam gerendo inter corpora, & Spiritus conditionem, quantùm illis eminet, tantùm iſtis ſubſidere, quantùm evehitur ſuprà naturas merè corporeas, tantundem deprimi infrà ſubſtantias purè incorporeas, quas dicimus officio Angelos, nuntioſque divinæ Majeſtatis, dignitate aulicos Cœleſtis Curiæ, naturâ Spiritus puros æquè ac completos. Hi ſunt præclara mundi ſuperioris lumina, & penè dixerim numina mundi inferioris: Hi ſine geniturâ jactant generis nobilitatem, ſine partium integrantium compoſitione oſtentant integerrimam perfectionem, ſine ſpeciei conſervandæ indigentiâ exhibent individuorum multiplicitatem: licèt dominentur corporibus, ſunt immunes à corpore; licèt ſe extendant ad loca, reſpuunt quantitatem; licèt paſſionem inferant neſciunt repaſſionem: Vitam agunt nulli mortalitati obnoxiam; intellectionem promunt nulli ſenſui alligatam; libertatem exercent nullius inconſtantiæ ream: Non aliâ luce fulgent, quàm ſcientiæ; non alio igne ardent, quàm charitatis; non alio bono ſatiantur, quàm ſummo; non alio Auctore gaudent, quàm Deo: Motus celeritate auras prætervolant, præſentiæ amplitudine ubiquitatem æmulantur; magnitudine virium giganteum robur exprobrant imbecillitatis: Sunt agiles, ſublimes, ſimplices, decori, æviterni, ſolo inferiores Deo, omni ſuperiores homine, nec poſſumus, niſi ſuprà nos ipſos attollamur, in ipſorum contemplatione verſari. Mirum propterea non eſt Philoſophos, qui propriæ naturæ lumine ducuntur nec ſuprà hominem ſapiunt vix confuſam, rudem, & incompactam ſpirituum notitiam comparare: Solus Theologus divinæ fidei lumine ſuprà hominem elevatus ſublimem Angelicorum ſpirituum conditionem aſſequitur: Quod & nos pro modulo noſtro præſtituri præſentem

Diviſio totius Tractatus.

tractationem tres in libros dividimus; Primum inſcribimus de Angelorum ſubſtantiâ in ordine ad ſe, & in ordine ad corpora. Secundum de ipſorum potentiis intellectivâ, volitivâ, & loco-motivâ. Tertium de eorumdem via, & termino. Sub hujuſce primi libri titulo primum locum tribuimus exiſtentiæ, quæ & eſt potiſſimum cujuſcumque ſubſtantiæ, imò cujuſcumque rei prædicatum; & eſt primum quæſitum à quo deſumi ſolet cujuſcumque tractationis exordium, iuxtà vulgatiſſimam regulam *Ariſtotelis* ſtatuentis præcognoſcendum eſſe de re quâlibet *An ſit* quoties de ipsâ habetur aliqualis notitia quoad quid nominis, qualem mox præluſimus. Ideò ſit

CAPUT PRIMUM.

De exiſtentiâ, & Creatione Angelorum.

1. IN comprobandâ exiſtentiâ, & explicandâ creatione Angelorũ quoad tempus, & locum, non ſolùm congerunt nonnulli plurima ſcripturæ loca, verùm etiam hæc accuratiùs examinant, & ex diverſis ipſorum interpretationibus, diverſas excitant, & exagitant quæſtiunculas ad ſacræ Scripturæ expoſitores, magis quam ad ſacræ Theologiæ Profeſſores pertinentes: ab his abſtinere mens eſt, ne divertamus ad extranea, & alieno laboremus in ſolo: eodem iure utemur in pluribus, quæ purè Philoſophica ſolent intermiſceri tùm in præſenti libro circa productionem creaturarum à Deo, circa virtutem creativam, &c. tùm multo magis in libro ſequenti circà diſtinctionem potentiarum abinvicem, & à ſubſtantiâ cuius ſunt potentiæ; circà ſpecies intentionales ut communes Angelo & animæ rationali; circà actus vitales; circà ubicationem, durationem, &c. Quæ quidem omnia, vbi ſpecialem aliquam difficultatem Angelorum propriam non involvent, aut penitùs diſſimulabo, aut ut ſupponenda ſolùm inſinuabo: ſicque nec proprij Theologiæ fines excedētur, nec opus ultrà id quod par eſt excreſcet.

---

§. I.

Vtrum ex fide conſtet Angelos eſſe?

2. Exiſtentia Angelorum eſt veritas fidei.

ASSERT. Ex fide conſtat Angelos eſſe, non ſolùm ſumendo Angelum ut eſt nomen officij, & idem ſonat ac Nuntius; verùm etiam ſumendo Angelum ut eſt nomen naturæ & ſignificat quamdam ſubſtantiam inviſibilem, ſeu inſenſibilem inferiorem Deo, ſuperiorem homine. Ità omnes Theologi, & Sancti Patres communiſſimè contrà *Atheos* nihil in mundo admittentes, præter res corporales, & hominem: inſuper contrà nonnullos antiquos Philoſophos, quorum memi[illegible] Ariſtoteles *lib. 4. phyſ. tex. 52. & 57.* Ite[illegible]trà *Sadducæos*, quorum meminit D. L[illegible] *Act.* 23. favent huic errori *Anabaptiſtæ*, dum in re tùm Angelos cuſtodes, tùm Dæmones negant, & illorum cuſtodiam ad cogitationes bonas, iſtorum oppugnationem ad cogitationes malas transferunt. Favet eidem *Franciſcus Georgius Venetus*, qui ut refert Arboreus *tom. 1. theeſophia lib. 1. cap. 2.* probare nititur Angelicam naturam non eſſe præſtantiorem humanâ, quod eſt in re negare Angelos.

3. Angelus eſt nomen officij.

Dixi: Non ſolùm ſumendo Angelum ut eſt nomen officij, &c. in quo celebre eſt illud Ambroſij *in cap. 1. ad Heb.* dicentis, *Angelus nomen officij eſt, non naturæ: Qui etiam ſemper ſunt Spiritus, ſed non ſemper Angeli vocari poſſunt: Quæris huius naturæ nomen? Spiritus eſt. Quæris officij? Angelus; quia Angelus græcè, Nuntius latinè dicitur: Sic erit homo nomen naturæ, Miles officij, &c.* Eodem modo ſentiunt de hoc nomine Angelus alij Sancti Patres Dionyſius *de cœleſti hierarchiâ cap. 5.* Hilarius *de Trin. lib. 5.* Auguſtinus *de Civit. lib. 15. c. 23.* Proſper *in Pſal. 103. &c.* Et hinc fit Angeli nomen, ut officiũ denotat, non naturam, etiam hominibus convenire, nec incongruè hominibus tribui in ipsâ ſacrâ Sripturâ, ſic *Malac. 2.* Nomen Angeli tribuitur Sacerdoti *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, quoniam Angelus Domini exercituum eſt. Matth. 11.* à Chriſto Domino tribuitur Ioanni *Ecce ego mitto Angelum meũ. Iſa. 9.* Ipſe Chriſtus Dominus vocatur *Magni conſilij Angelus*, quia Sanctis ſuis voluntatem Patris annuntiat, ut exponit Baſilius *lib. 2. contrà Eunomium antè medium:* Imò non ſolùm piis viris annunciantibus cœleſtia, ſed etiam impiis inducentibus ad peccandũ eo, quòd ſcelera & opera Satanæ annunciant, Angeli nomen tribui poſſe colligitur ex Irenæo *lib. 4. adverſùs hæreſes c. 79.* dicente, Angeli ſunt diaboli ſecundùm id, quòd opera diaboli faciunt. His animadverſis aſſertum

Et vt tale convenire poteſt hominibus.

Etiam impiis.

4. Probatur primò ex Scripturâ, in quâ fit frequentiſſima mentio Angelorum; & licèt aliquando Angelus in Scripturâ uſurpetur, ut eſt nomen officij, nec quilibet ſacer textus, in quo Angeli exiſtentia affirmatur, militet pro aſſertâ veritate, quæ procedit de Angelo, ut eſt nomen naturæ ſignificans ſubſtantiam inviſibilem, &c. quemadmodùm præanimadverſum eſt; nihilominùs plures ſacri textus evincunt Angelos ut homine ſuperiores, inviſibiles, ſeu inſenſibiles iuxta intentum Aſſerti; nam *Pſal. 8.* de homine dicitur *Minuiſti eum paulo minùs ab Angelis: 2. Pet. 2.* Subſtantiæ Angelicæ extolluntur tanquàm ſuperiores hominibus illis verbis *Angeli, fortitudine & virtute cum ſint maiores, non portant, &c. In lib. Tobiæ* ille

idem,

idem, qui *cap.* 12. de ſe ipſo ait *Ego enim ſum Raphael Angelus unus ex ſeptem, qui aſtamus antè Dominum*, per capita antecedentia deſcribitur tanquàm efficiens opera homine ſuperiora; & talia opera alibi paſſim in ſcripturâ ab Angelis peracta recenſentur. 4. *Reg.* 19. *Venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Num.* 22. *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in viâ evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram: cumque eſſet mane, cogebant eum Angeli, &c. Exod.* 14. *Tollenſque ſe Angelus Domini, qui praecedebat caſtra Iſrael abiit poſt eos & cum eo pariter columna nubis, &c.* Quæ quidem poſtremæ auctoritates militant ſpecialiter etiam contrà Sadducæos recipientes ſolum Pentateuchum à Moyſe conſcriptum (Pentateuchus nihil eſt aliud quàm volumen quinque librorum) complectentem libros Geneſis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomij.

Pentateuchus quid, & quamnã ſcripturæ ſacræ partem complectatur.

5. Dices cum Sadducæis in Moyſis Pentateucho Angelorum nomine ſignificari occultas inſpirationes, quibus tanquàm Dei Nuntiis homines de divinis volitis admonentur. Sed contrà: quàm inſulſa & perverſa ſit hujoſmodi interpretatio conſtat ex eo, quòd in citatis Pentateuchi locis & alibi deſcribontur Angelorum dicta & facta, quæ velle tribuere cogitationibus & occultis inſpirationibus ridiculum eſt æquè ac impium. Mirum tamen non eſt adeò ineptè loqui Sadducæos quorum error ut notat S. Doctor 1. *part. quaeſt.* 50. *art.* 1. *in c.* Originem duxit ex eo quòd ipſi ignoraverint vim intelligendi, nec diſtinxerint inter ſenſom, & intellectom, conſequenter brutorum more nihil agnoverint niſi quod ſenſu & imaginatione apprehendi poteſt, nihilque admiſerint inſenſibile, nihil ſpirituale, undè etiam negarunt veram immortalitatem, veramque reſurrectionem; illam collocantes in ſolâ perpetuâ ſucceſſione poſteritatis, iſtam in ſolâ ſuſcitatione ſeminis, quâ quis quodammodo reviviſcit, & reſorgit in filio ex ſe genito: Quem errorem nonnulli adſcribunt illis etiam hæreticis, qui tempore Apoſtolorum dixerunt reſurrectionem eſſe jam factam 2. *Tim.* 2. At iſti ex alio capite errarunt, nimirùm ex eo, quòd non agnoverint aliam reſurrectionem præter eam, quæ eſt à peccato ad juſtitiam, ut advertit Eſtius *in* 2. *diſt.* 2. §. 1.

Origo erroris Sadducæorum.

6. Probatur ſecundò ex Conciliis & Patribus; nam ex Concilio Nicæno *in Symbolo* Deus dicitur *Creator viſibilium & inviſibilium*, ubi ly *inviſibilium* præcipuè ponitur ad ſignificandos Angelos, ſicut magis expreſſit Concilium Lateranenſe *cap. firmiter* illis verbis, *Unum eſt univerſorum principium, Creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam; & deinde humanam; quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam.* Ex Sanctis Patribus vix ullus eſt, qui non expreſſerit exiſtere Angelos, tanquàm ſobſtantias homine ſuperiores; ex ipſis aliquos jam retulimus docentes Angelum eſſe nomen officij, Spiritum eſſe nomen naturæ; aliquos paſſim infrà afferemos explicando eximias perfectiones Angelorum, tùm in ſubſtantiâ; tùm in intellectu, & voluntate; tùm in ſtato naturali; tùm in ſtatu ſupernaturali; aliquos quilibet reperiet obvios apud quemlibet Auctorem de Angelis differentem: Plura interim, eaque luculenta hâc in re teſtimonia videri poſſunt apud Bubalum *in commentationibus Angelicis quaeſt.* 50. *art.* 1. *quaeſito* 1. *difficultate* 1. §. 1.

Ex dictis habetur D. Auguſtinum *lib.* 1. *retractat. cap.* 26. jure retractaſſe quod dixerat *lib.* 83. *quaeſtionum q.* 54. nimirum *quòd eſt omni animâ melius, Deum dicimus* & hæc verba recte loco citato correxiſſe ſic, *Magis dici debuit, omni creato ſpiritu melius*; quâ retractatione priorem errorem omninò delet; imò etiam clarè ſignificat dari aliquem ſpiritum creatum meliorem animâ; undè ſob eâdem retractatione cadit quod idem Auguſtinus docuerat *lib. de quantitate animae cap.* 24. *& lib.* 3. *de liber. arb. cap.* 12. faciens animas rationales pares Angelis in naturâ; quæ loca licèt poſſint intelligi de paritate in potentiâ obedientiali, & elevabilitate ad Dei viſionem, expeditior reſponſio eſt ipſa fuiſſe retractata *praecit. capit.* 26. 7.

Auguſtini mens circà paritatem inter animas rationales, & Angelos.

---

§. II.

An & quomodò ratione naturali conſtet Angelos eſſe?

Assert. 1. Ratione naturali non conſtat evidenter demonſtrativè Angelos eſſe. Ità Eſtius *in* 2. *diſt.* 2. §. 2. Sylvius 1. *p. quaeſt.* 50. *art.* 1. *conc.* 1. Valentia *diſp.* 4. *quaeſt.* 1. *punc.* 1. Arriaga *de Angelis diſp.* 1. *ſec.* 1. de Quiros *trac.* 8. *diſp.* 50. *ſec.* 1. Averſa *quaeſt.* 50. *ſec.* 1. Herinex *tract.* 3. *diſp.* 2. *quaeſt.* 1. & alij Theologi magis communiter contrà Bubalum *quaeſt.* 50. *quaeſito* 2. Lao 1. *p. quaeſt.* 50. *diſp.* 261. *dub.* 4. *num.* 2160. Eſparzam *lib.* 2. *quaeſt.* 1. *art.* 14. *& ſequentibus*, alioſque nonnullos, quibus de Quiros *loco praecitato* annumerat Thomiſtas, & D. Thomam: Nihilominùs D. Thomas 2. *contrà Gent. cap.* 46. *&* 47. *de potentiâ quaeſt.* 6. *art.* 10. 1. *p. q* 50. *art.* 1. & alibi, adducit quidem plures eximias rationes pro Angelorum exiſtentiâ; at nullibi declarat ſe afferre rationem aliquam tanquàm demonſtrativam, imò dum *loco praecitato ex* 1. *p.* concludit corpus articuli verbis ill[illegible]*tionabiliter oſtendit eſſe aliquas res incorp*[illegible]. *&c.* ſatis indicat ſe intendiſſe loqui probabiliter, non evidenter: Idem ſentiendum de Thomiſtis magis communiter.

8. Angelorum exiſtentia non naturaliter demonſtrari.

Probatur

9. Nec a priori per cauſam.

Probatur aſſertum primò excludendo in ordine ad exiſtentiam Angelorum demonſtrationem naturalem à priori & per cauſam: exiſtentia Angelorum non eſt demonſtrabilis per cauſam efficientem, quia hæc eſt ſolus Deus, cujus cauſalitas ad extrà vt potè libera neceſſariò ſolùm infert effectum producibilem & poſſibilem, non productum & exiſtentem: Non eſt demonſtrabilis per cauſam finalem, quia vel ſermo eſt de causâ finali intrinſecâ, & hæc eſt ipſa entitas Angelica, ex quâ ſine petitione principij nequit deſumi argumentum exiſtentiæ Angelorum; vel ſermo eſt de causa finali extrinſecâ, & hæc quæcumque aſſiguetur, poteſt aliter haberi a divina omnipotentiâ, ut conſtabit ex ſequenti probatione ſecundâ: Non eſt demonſtrabilis per cauſam materialem, aut formalem; quia Angeli materiâ, ac formâ carent; & quando materiam, formamque haberent, eadem eſſet difficultas in demonſtrandâ exiſtentiâ talis materiæ, aut talis formæ, quæ modò eſt in demonſtranda exiſtentiâ Angeli ſimplicis, & carentis compoſitione materiæ, & formæ.

10. Nec a poſteriori per effectus, id eſt.

Probatur aſſertum ſecundò excludendo in ordine ad exiſtentiam Angelorum demonſtrationem à poſteriori & per effectum: exiſtentia Angelorum non eſt demonſtrabilis per motum Cœlorum, nec per ea, quæ fiunt ab energumenis, ſeu arrepititiis hominibus, nec per opera artis magicæ; nec ex perfectione univerſi: ergo exiſtentia Angelorum nullo modo eſt demonſtrabilis à poſteriori, & per effectum: Conſequentia probatione non indiget ſuppoſito antecedente, in quo enumerantur effectus magis idonei ad demonſtrandam Angelorum exiſtentiam; probatur antecedens oſtendendo ſingillatim quemlibet ex enumeratis effectibus haberi poſſe ſine Angelo, & in alias cauſas præterquàm in Angelos refundi.

11. Nec per motū Cœlorum.

Motus Cælorum, qui maximè movit Philoſophos Ethnicos ad aſtruendas intelligentias ſeparatas ſeu ſubſtantias intellectivas homine ſuperiores, refundi poteſt vel in formam propriam ipſorum corporum Cœleſtium; vel in impulſum à creatore ab initio creationis impreſſum; vel immediatè in ipſum Deum, cui ſi res ſolâ ratione naturali eſſet definienda, potiùs quàm Angelis adſcribendum fore Cœlorum motum colligit de Quiros *loco præcitato num.* 4. ex talis motus uniformitate, ad quam ſeruandam malè idoneæ videntur creatæ intelligentiæ arbitrio liberæ, defectibiles, in Deum Deique opera ſæpiùs peccantes, & à recto tramite aberrantes. Quoad antiquos Philoſophos nihil cogit admittere ipſos ex ſolo Cœlorum motu deduxiſſe intelligentias; fortè enim iſtas hauſerunt ex ipſis Scripturæ libris aut ab Hebræis didicerunt, eiſque aliundè innoteſcentibus affixerunt cælorum motum: Quandò do[illegible] aliqui ipſorum ex ſolo Cœlorum motu [illegible]lligentias deduxiſſent, nihil compellit admittere in tali deductione evidentiam, neque enim quidquid antiquis Philoſophis naturæ lumine innotuit, innotuit evidenter. Non negaverim tamen plures Antiquos Philoſophos, qui aut Deo immediatam gubernationem rerum materialium, aut intelligentiis libertatem negarunt, ex his principiis quamvis erroneis potuiſſe faciliùs & efficacius inferre intelligentias cœlorum motrices, quam nos poſſimus ex veris naturæ principiis, & ſic facilè concedi poteſt alicui gentili Philoſopho evidentia formæ circa intelligentiarum exiſtentiam.

12. Nec per ea quæ fiunt in energumenis.

Ea quæ fiunt ab Energumenis & Arreptitiis hominibus, puta locutiones variarum linguarum; idiotarum diſſertationes de rebus ſcientificis; manifeſtationes rerum abſentium, aut occultarum; tranſlationes ferè inſtantaneæ graviſſimorum ponderum; imbecillium puellarum reſiſtentia pluribus viris etiam robuſtiſſimis conatibus ipſas à loco aliquo dimovere; aliaque hujuſmodi poſſunt omnia refundi in Deum ipſum propter ſecretos ſuæ providentiæ fines ad tales effectus ſpecialiter concurrentem; infundendo v. g. ſpecies peregrinorum idiomatum, aut rerum ſcientificarum; revelando res abſentes, aut abſconditas; augendo vires motivas, aut motui reſiſtitivas. Poſſunt etiam ex his aliqua refundi in vehementem phantaſiæ perturbationem, quæ ut patet in phrænéticis, conducere poteſt ad aliquos effectus, qui ab homine ſanæ mentis, & pacatæ phantaſiæ præſtari non poſſent; præſertim loquendo de iis, quæ ex virium robore & conatu proveniunt. Poſſunt tandem eadem ferè omnia referri in animas defunctorum à corpore ſeparatas, quas certum eſt in ſtatu ſeparationis eſſe proportionatas ad aliqua opera, ad quæ ſunt improportionatæ & impares in ſtatu conjunctionis, ſeu unionis ad corpus.

13. Nec per opera Artis magicæ.

Opera artis magicæ, puta quòd ſpecula quædam res abſentes referant tanquàm præſentes, quòd res quædam inanimes nedùm irrationales de futuris interrogatæ reſponſa ferant, quòd ad verba quædam taliter vel taliter diſpoſita mirabiles effectus ſequantur, & id genus alia, quando turpitudinem, moralemve malitiam non involvunt, poſſunt in Deum tanquàm in cauſam reduci; quando verò turpia ſunt & peccaminoſa poſſunt referri in animas ſeparatas hominum improborum & reproborum; & cum ſatis non conſtet de virtute & viribus animarum ſeparatarum ex eo quòd effectus aliquis ſuperet virtutem naturalem hominis in hac vita non ſtatim evidenter infertur provenire à ſubſtantiis homine ſuperioribus, dubitari quippè adhùc poteſt, utrùm proveniat talis effectus ab animabus hominum à corpore ſeparatis, præſertim ſi plures hujuſmodi animæ ſupponantur ſimul applicatæ, quæ quidem ſimultanea applicatio inter animas ſeparatas mutuam penetrationem admittentes facillima eſt. Ex his habes non eſſe evidens dari artem magicam, quæ dici debeat dæmoniaca, & in quâ Magi cum dæmonibus, ſeu malis Angelis paciſcantur; & qui ex arte magicâ dæmoniacâ probare intenderet dæmonum exiſtentiam, ſupponendo artem dæmoniacam

niſcam peteret principium, illamque ipſam dæmonum exiſtentiam ſupponeret, quam probare contenderet.

14. Perfectio univerſi eſt medium, quod ſicuti à D. Thomâ cæteris omnibus præfertur in ordine ad probandam Angelorum exiſtentiam, ità ab Eſparzâ, aliiſque nonnullis recentioribus urgetur præ cæteris tamquàm demonſtrativum talis exiſtentiæ, undè operæ pretium eſt circà ipſum aliqua advertere. Adverto primò hanc perfectionem vel ſumi quaſi in ordine intentionis, quatenùs eſt in mente & ideis Dei res omnes ad extrà perfectiſſimè diſponentis; vel ſumi in ordine executionis, quatenùs eſt in rebus ipſis ad extrà diſpoſitis: Primo modo perfectio univerſi ſe tenet ex parte cauſæ Angelorum, & probat Angelos à priori: Secundo modo ſe tenet ex parte effectus, univerſi namque perfectio in ſe conſiderata coaleſcit ex Angelis, aliiſque creaturis tamquàm totum ex partibus; totum autem ex partibus tanquàm ex cauſis intrinſecis coaleſcit, ſicque eſt ſuarum partium effectus, & probare partem ex toto eſt probare cauſam ex effectu, ac à poſteriori: Hinc patet cur in ordine ad probandam exiſtentiam Angelorum perfectio univerſi ab aliquibus aſſumatur tanquàm medium à priori, ab aliis tanquàm medium à poſteriori: Nobis arriſit ipſam inter media à poſteriori recenſere, quia naturæ lumine à creaturis ad Deum aſſurgimus, & priùs cognoſcimus creaturas ut ſunt in ſe ipſis; quàm ut ſunt in mente & ideis Dei. Adverto ſecundò ex perfectione univerſi variè à variis

15. probari Angelorum exiſtentiam: Aliqui dicunt ad perfectionem univerſi pertinere quòd contineat omnes gradus poſſibiles entis, adeòque quòd contineat gradum ſubſtantiæ purè ſpiritualis: Aliqui ad perfectionem univerſi pertinere quòd exprimat perfectam ſimilitudinē ſuæ cauſæ, & quia Deus cauſat univerſum per intellectum & voluntatem neceſſarium eſſe, quòd in univerſo detur aliqua creatura perfectè intellectiva, & perfecte volitiva, qualis eſſe poteſt ſubſtantia completa purè ſpiritualis: Aliqui ad perfectionem univerſi pertinere, quòd detur in ipſo cognoſcitivitas adæquans cognoſcibilitatem; otioſa enim eſſet vis motiva, quam habent creaturæ ad cauſandam perfectam ſui cognitionem, quoties non daretur creatura perfectè cognoſcitiva & comprehenſiva aliarum omnium, qualis eſſe poteſt ſola ſubſtantia purè ſpiritualis quæ ſola etiam poteſt perfectè Deum glorificare, & correſpondere excitationi, quam in ordine ad ſuum Auctorem glorificandum exhibet mirabilis univerſi ſtructura. alioqui, ut eleganter potiùs quàm evidenter infert Eſparza *lib.* 2. *quæſt.* 1. *art* 18. perindè feciſſet Deus atque ſi pictor exponeret picturam artis eximiæ ſolis cæcis, & cæcutientibus; aut muſicus maximè harmonici concentus chorum ſolis ſurdis, ac ſurdaſtris ſiſteret.

16. Nihilominùs quomodocumque ex perfectione univerſi arguatur, non demonſtratur Angelorum exiſtentia: Qui dicunt pertinere ad perfectionem univerſi, quòd contineat omnes gradus poſſibiles entis, nec poſſunt poſitivè demonſtrare gradum ſubſtantiæ completæ purè ſpiritualis eſſe gradum entis poſſibilem, nec poſſunt convincere eum qui reſponderet pro perfectione univerſi ſufficere quod contineat majorem partem graduum poſſibilium entis, & eſſe ipſius perfectionem abſolutè conſiderandam non comparativè ad omnia poſſibilia; ſicuti enim ut civitas dicatur perfecta ſufficit ſi plures vias, pluraque ædificia contineat, nec eſt neceſſe quòd contineat vias & ædificia cujuſcumque rationis, aut quòd comparata ad alias civitates contineat omnes gradus rerum, quæ in aliis poſſunt reperiri; ità à pari &c. Qui dicunt ad perfectionem univerſi pertinere quòd exprimat perfectam ſimilitudinem ſuæ cauſæ; nec poſſunt demonſtrare eſſe dabilem expreſſionem divinæ ſimilitudinis majorem eâ, quam exhibet homo ad Dei imaginem efformatus; nec poſſunt convincere eum, qui reſponderet exprimere ſimilitudinem cauſæ ſpectare ad perfectionem effectus univoci, non ad perfectionem effectus æquivoci, cujuſmodi eſt univerſum reſpectu Dei: Qui dicunt ad perfectionem univerſi pertinere, quòd detur in ipſo cognoſcitivitas adæquans cognoſcibilitatem; nec poſſunt poſitivè demonſtrare poſſibilem eſſe talem cognoſcitivitatem; nec poſſunt convincere eum, qui reſponderet ſatis eſſe, quòd detur talis cognoſcitivitas ex ſpeciali auxilio Dei elevantis, & roborantis imbecillitatem humanæ intelligentiæ. Nullo igitur pacto perfectio univerſi eſt medium evidenter demonſtrativum exiſtentiæ Angelorum; adeòque à primo ad ultimum probatum remanet talem exiſtentiam per nullum prorſus effectum à poſteriori; per nullam cauſam à priori eſſe demonſtrabilem.

Nec per perfectionē univerſi, quomodocumque ex ipſâ arguatur.

Aſſert. 2. Ratione naturali conſtat valdè probabiliter Angelos eſſe. Ita omnes Theologi communiſſimè contrà *Sadducæos* alioſque nonnullos damnatæ memoriæ viros *præcedente* §. relatos.

Angelorum exiſtentia ratione naturali conſtat probabiliter.

Probatur ex effectibus præallatis, qui ferè omnes congruentiùs referuntur in Angelos; quàm aut in Deum, ad quem minùs congruit ſine omnimodâ neceſſitate confugere; aut in animas ſeparatas, quibus minùs probabiliter tribui poteſt virtus adeò excedens virtutem animarum conjunctarum corporibus, ut valeant præſtare miros illos effectus, qui ab energumenis & Magis præſtantur: Perfectio item univerſi licèt ſine Angelis ſubſiſtat, meliùs tamen cum Angelis eluceſcit, ex conſequenti licèt evidenter non convincat, probabiliter ſuadet Angelos exiſtere: Antiquorum etiam Philoſophorum communis ferè conſenſus in Angelis admittendis ſatis oſtendit ipſos ex aliquâ ratione valdè probabili fuiſſe ad id inductos; neque enim doctorum virorum communis conſenſus aut temerè, aut caſu 17.

 haberi

habeti poteſt: Tandem cum ratio naturalis eſſe ſoleat pediſſequa fidei, & quidquid propemodùm ex fide certum eſt, naturalibus congruentiis roboretur, ſicuti exiſtentiæ Angelorum ſuprà tribuimus ex fide maaimam certitudinem, ità debemus eidem in præſenti tribuere ex ratione naturali maximam probabilitatem.

---

§. III.

Quandonam creati fuerint Angeli, utrùm antè mundum corporeum, an poſt ipſum, an ſimul cum ipſo?

18. ASSERT. 1. Angeli non fuerunt creati antè mundum corporeum. Ità cum Magiſtro *in* 2. *diſt.* 2. D. Thomâ *ead. diſt.* & 1. *p. quaſt.* 61. *a.* 2. & 3. Omnes Theologi communiſſimè: & licèt Origenes *pluribus in locis.* Baſilius *homil.* 1. & 2. *hexam.* Gregorius Nazianzenus *Oratione in Chriſti nativitatem.* Chryſoſtomus *lib.* 1. *de Provid. Dei.* Damaſcenus 2. *fidei cap.* 3. Hilarius *lib.* 12. *de Trinit. poſt medium.* Ambroſius *lib.* 1. *hexam. cap.* 5. Iſidorus *lib.* 1. *de ſum. bono cap.* 12. & alij plures Sancti Patres docuerint oppoſitum adeò, ut Caſſianus *coll.* 8. *cap.* 7. affirmaverit neminem fidelium dubitare, quin antè conditionem hujus viſibilis creaturæ ſpirituales, cœleſteſquè virtutes Deus fecerit. Nihilominùs ex unâ parte antiquis temporibus oppoſita ſententia fuit quidem communior, & apud Sanctos Patres receptior; at non adeò indubitata, ſicuti ipſam proclamat Caſſianus; cum *D. Auguſtinus, D. Fulgentius,* alijque nonnulli Sancti Patres Caſſiano aut antiquiores aut contemporanei negaverint productionem Angelorum ante productionem mundi viſibilis: Ex aliâ parte noſtris temporibus evaſit non ſolùm communior, verùm etiam ferè prorsùs extrà controverſiam ſententia à nobis aſſerta, quia traditur ex communi Theologorum conſenſu; multoque magis quia indicatur in ſcripturâ, & quaſi definitur in Lateranenſi Concilio, ut in probationibus mox ſubjicio

Angelos non fuiſſe creatos antè mundũ corporeum probatur ex Scripturâ.

Probatur primò ex Scripturâ: Gen. 1. *In principio creavit Deus Cœlum, &c.* ubi ly *in principio* denotat nihil antecedenter fuiſſe creatum; & eamdem vim habent verba illa Pſal. 101. *Initio tu Domine terram fundaſti:* in ſuper ly *Cœlum* iuxtà plures Sanctos Patres relatos à Valentiâ 1. *p. diſp.* 4. *quaſt.* 12. *punc.* 2. intelligitur ſignificare

19. per allegoriam Angelos; propterea malè diceretur *In principio creavit Deus Cœlum, & terram;* ſi Angeli allegoricè ſignificati per ly Cœlum fuiſſent creati antè Cœlum corporeum, & terram. Exod. 20. *Sex diebus fecit Deus Cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt:* ubi ly *omnia, quæ in eis ſunt,* comprehendit Angelos, qui *Matth.* 18. & *Luc.* 15. in Cœlis eſſe dicuntur. Pſal. 103. *Extendens Cœlum, ſicut pellem, &c. qui facis Angelos tuos ſpiritus, &c.* ubi Angeli recenſentur inter opera ſex dierum.

Hiſce Scripturæ locis opponunt adverſarij alia, ex quibus contendunt colligi productionem Angelorum antè mundum corporeum. Primò opponunt illud Iob 38. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ, &c. cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei,* ideſt *Angeli mei,* ut vertunt Septuaginta; jam igitur ſupponebantur Angeli exiſtentes, & laudantes Deum, quando terræ, & mundi corporei prima fundamenta ponebantur. Secundò illud Iob. 40. ubi de Behemot ideſt lucifero dicitur *Ipſe eſt principium viarum Dei,* quarum nomine intelliguntur aliæ creaturæ. Tertiò illud Apoſtoli ad Tit. 1. *Quam promiſit Deus antè tempora ſæcularia,* ideſt antè mundum conditum, dabantur igitur antè mundum conditum aliquæ creaturæ, quibus poſſet promiſſio fieri, nec hæ aliæ, quàm Angeli, eſſe poterant. Ad primum reſpondetur Angelos optimè potuiſſe jubilare & Deum laudare in ipſo inſtanti ſuæ creationis, ſicque ſufficere. quòd 20.
fuerint creati dum fundamenta terræ ponebantur vt potuerint laudare Deum talia fundamenta ponentem. Ad ſecundum ſumendo Behemot pro lucifero ly *principium* vel ſolùm importat ordinem dignitatis & ſignificat luciferum dignitate præcedere alias creaturas; vel debet intelligi negativè adeò ut ſenſus ſit nullam creaturam eſſe durationis, ſeu creationis ordine priorem Lucifero. Ad tertium ly *promiſit* idem eſt ac deſtinavit ſeu decrevit; vel ſi importat promiſſionem propriam ad extrà, ſignificat promiſſionem factam primis parentibus & antiquis Patribus: ly verò *antè tempora ſæcularia* idem eſt ac antè plurima ſæcula, imò reſpectu primorum parentum antequàm ullũ hujus temporis ſæculum decurriſſet, Chriſti quippè promiſſio facta eſt à Deo ſub mundi initium *Geneſis* 3.

Probatur ſecundò ex Conciliis, nam in 21.
ſextâ Synodo *art.* 13. recipitur tanquàm orthodoxa epiſtola Sophronij in quâ ait, *de principio viſibilis mundi, & conſtitutione, quæ facta eſt, confiteor, quòd omnia non tantùm viſibilia, ſed & inviſibilia unus Deus condidit;* ubi indicatur inviſibilia fuiſſe condita in principio mundi viſibilis, non anteà. Clarior eſt, & ſolemnior hac in re auctoritas Concilij Lateranenſis *cap. firmiter* ità definientis. *Firmiter credimus & ſimpliciter confitemur, quòd unus eſt ſolus verus Deus, &c. qui ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem; Angelicam videlicet, &c.* Propter hanc definitionem Ferrarienſis 2. *contrà Gentes c.*83.*circà finem,* affirmat eſſe dogma fidei, quòd Angeli creati non fuerint antè mundũ corporeum, & cenſendum fore hæreticum qui nunc teneret pertinaciter oppoſitũ. cum Ferrarienſi ſentiunt quidam ex Salmanticenſibus, nonnullique alij viri docti apud Molinam 1. *p. q.* 61. *a.* 3. §. *contrarium videtur verum,*

Item ex Conciliis.

verum, vbi Molina ipſe ait ſibi etiam videri veram Ferrarienſis ſententiam, nihilominùs ſtatim §. *ſequenti* propter plurimos graves Doctores oppoſitum ſentientes non vult condemnandum eſſe hæreſis, vel erroneæ ſententiæ eum qui affirmaverit Angelos ante mundum corporeum eſſe conditos, ſed ſolùm temeritatis; in quà mitiore temeritatis

22 Cenſura ſententiæ oppoſitæ.

cenſurâ conueniunt Eſtius *in* 2. *diſtinct.* 2. §.4. Valentia 1. *p. diſput.* 4. *q.* 12. *punct.* 2. Lugus *lib.* 3. *diſp.* 18. *cap.* 1. *num.* 30. Lau *q.*61. *diſp.* 309. Herin. *ex tract.* 3. *diſp.* 2. *q.* 1. *n.* 8. Dequiros *tract.* 8. *diſp.* 50. *ſect.* 3. *num.* 20. aliique Theologi præſertim recentiores ferè communiter, vnde ſi minùs propter ſolam auctoritatem Lateranenſis Concilij, ſaltem propter unanimem jam noſtris temporibus Theologorum ſenſum non poteſt nunc ſine aliquâ temeritate aſſeri creatio Angelorum antè mundum corporeum; neque enim poteſt non temerè aſſeri quod nemo prudens nunc audet aſſerere. Dixi ſi minùs propter ſolam auctoritatem Lateranenſis Concilij. Primò quia, ut notat Molina *loco præcit.* §. *Secundò quoniam*, inter Concilium Lateranenſe, & Ferrarienſem fluxerunt tria annorum centena, & tamen nullus Scholaſticus antè Ferrarienſem ea vi Concilij damnavit opinionem creationis Angelorum antè mundum corporeum: Secundò quia *D. Thomas* qui certè non ignoravit prædictum Decretum Concilij, cum de ipſo ea profeſſo egerit *Opuſc.* 23. talem opinionem non damnat, imò *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 3. *in fine corporis*, ait, non eſſe ipſi præiudicandum, & 1. *p. q* 61. *art.* 3. *in c.* vult ipſam non eſſe reputandam erroneam præſertim propter ſententiam Gregorij Nazianzeni, addi poſſet, & aliorum grauiſſimorum Patrum, præſertim Græcorum. Tertiò quia in decreto Concilij ly *ſimul ab initio temporis* poteſt nihil aliud ſignificare, quàm vtramque pariter creaturam habuiſſe initium durationis; & hoc Vaſquez 1. *p. diſp.* 224. *cap.* 4. *num.* 19. colligit tùm ex eo, quòd diuerſum ſit dicere *ſimul tempore ac ſimul ab initio temporis*, tùm ex eo, quòd ad intentum Concilij ſolùm intererat definire vtramque creaturam ſpiritualem pariter & corporalem habuiſſe initium ſuæ durationis. Non præcisè igitur ex vi Concilij, ſed additâ Concilio communi jam Theologorum auctoritate cenſeo non poſſe nunc ſine temeritate doceri creationem Angelorum antè mundum corporeum, quamvis olim tempore D. Thomæ, dum nondum Theologi adeò unanimiter in oppoſitum convenerant, poſſet id excuſari.

23 Probatur tertiò congruentiis, rationes enim efficaces, cum verſemur in re, quæ ex liberâ Dei voluntate pendet, haberi non poſſunt. Prima congruentia ſit: Angeli ſunt pars univerſi, neque enim ipſi per ſe ſolos unum univerſum conſtituunt; ſed parti non congruit produci antè totum, cum extrà totum ſemper minùs benè ſe habeat, quàm in toto, loquendo præſertim de parte quaſi integrante, cuiuſmodi eſt Angelus reſpectu univerſi. Secunda ſit: Angeli nec multo, nec modico temporis ſpatio antè mundum corporeum creati ſunt; non modico, quia non poteſt aſſignari ulla nequidem apparens ratio modicæ præcedentiæ Angelorum ad mundum corporeum: Si multo, vel toto illo tempore perſeverarunt in gratiâ, & ſolùm poſt factum mundum corporeum peccaverunt, vel peccaverunt poſt brevem moram à ſui productione longè antè factum mundum corporeum: hoc utrumque incongruè dicitur; primum quidem, quia conſentaneum eſt Angelos ut potè hominibus promptiores in operando breviorem quàm homines viam habuiſſe; Secundum, quia conſentaneum fuit Angelos poſt peccatum ſtatim puniri, adeóque præſto fuiſſe pro ipſis puniendis infernum in mundo corporeo: Tertia ſit: Angeli non fuerunt creati ab æterno, vt extra controverſiam eſt inter Catholicos contrà Ariſtotelem, qui ex eo, quòd ſenſerit Deum operari ex neceſſitate naturæ poſuit mundum, & intelligentias cœlorum motrices fuiſſe ab æterno; at ſi quid probat Angelos fuiſſe creatos antè mundum corporeum probat ipſos fuiſſe creatos ab æterno; patet hoc ex ratione, quâ utitur Caſſianus ſuadens productionem Angelorum antè mundum corporeum, ne tot ſæculis antè creationem corporeæ creaturæ Deus maneret otioſus: Certè eo modo, quo Deus non fuit otioſus ab æterno, otioſus pariter non fuit tot illis ſæculis, quæ creaturæ corporeæ creationem præceſſerunt. Angeli fuiſſent creati ab æterno, ſi fuiſſent creati antè mundum corporeũ.

24 Angeli non fuerunt creati poſt mundum corporeũ.

Aſſert. 2. Angeli non fuerunt creati poſt mundum corporeum. Ita omnes Theologi & ſancti Patres communiſſimè contrà Philonem *in hiſtoriâ ſacrâ*, Eucherium *in cap.* 1. *Geneſis*, Gennadium *lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap.* 10. tandem contrà Simonem Magum, inter cujus deliria recenſetur, quòd dixerit ſeipſum ex quadam ſuâ meretriculâ Angelos procreaſſe.

Probatur primò ex ſuprà relatis verbis Iob. 38. & 40. quæ licèt ſatis non ſuadeant creationem Angelorum eſſe priorem, evincunt tamen ſaltem nõ eſſe poſteriorem creatione mundi corporei. Nec refert quòd *eodem cap.* 40. Iob habeatur *Ecce Behemot, quem feci tecum*, quo videtur Indicari Behemot, ideſt luciferum, fuiſſe à Deo creatum ſimul cum homine, adeóque poſt alias creaturas, ſicuti poſt alias creaturas ſextâ die factus eſt homo. Non refert, inquam, quia ly, *tecum* non idem ſonat ac eodem tempore quo te; ſed ſicut & te, non minùs quàm te. Nec item refert, quòd *ex Auguſtino* Angeli ſignificentur nomine lucis, quæ *Gen.* 1. poſt cœlum & terram creata eſt: Non refert, inquam, quia *Auguſtinus* in operibus ſex dierum nullam admittit ſucceſſionem; cæteri autem Patres ſucceſſionem admittentes volunt *Gen.* 1. Angelos ſignificari nomine Cœli potiùs, quàm nomine lucis.

25 Probatur ſecundò congruentiis. Prima ſit, ut in ipſo creationis exordio aliqua creatura Deum glorificaret; hæc autem creatura alia eſſe non potuit, quàm Angelica, de humanâ quippè conſtat non fuiſſe factam ini-

tio

tio creationis : hæc primordialis Dei glorificatio juxtà Eſtium *in 2. diſt. 2. §. 3.* videtur monſtrari ex eo, quòd canit Eccleſia *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, addens *Sicut erat in principio*, ſcilicet creaturæ. Secunda ſit, ut ſubſtantia ſpiritualis nullatenùs ſubordinata materiæ in eſſe, qualis eſt Angelus, nullatenùs ipſi ſubordinetur in producı; ſi autem poſt creatam materiam corporum fuiſſet creatus Angelus, daretur in produci aliqua ſubordinatio temporis inter Angelum & materiam. Tertia ſit, ut perfectiſſimus artifex ab aliquâ creaturâ perfectâ, & formatâ; non à ſolâ materiâ imperfectâ & informi opificium ſuum inchoaret.

26\. Angel fuerunt creati ſimul cum mundo corporeo.

Aſſert. 3. Angeli fuerunt creati ſimul cum mundo corporeo, ſimul ſcilicet cum Cœlo & terrâ. Eſt aſſertum communiſſimum contrà adverſarios utriuſque aſſerti ſuperioris: & inſuper contrà nonnullos, quorum meminit Eſtius *in 2. diſt. 2. §. 3.* nihil certi eligentes circà tempus creationis Angelorum: Item contrà hæreticos dictos Angelicos negantes creationem Angelorum, & volentes ipſos non eſſe creaturas, ſed Numina; contrà quem errorem non eſt in præſenti diſputandum, ſed ſolùm recolendum quod ſuo loco dictum eſt de Dei unitate, & unicitate.

Probatur: Angeli fuerunt creati, ut de fide eſt, & in terminis definitum in ſuprà relato Decreto Lateranenſis Concilij; ſed nec fuerunt creati antè nec poſt mundum corporeũ ut probatum eſt in duobus ſuperioribus aſſertis ergo ſimul cum ipſo. Confirmatur ex

27\. Eccl. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*, ubi licèt ly *ſimul* poſſit referri ad verbum *omnia* ſignificando rerum generalitatem, & ſumi pro eodem ac *pariter*, aut *ſine exceptione* adeò ut Eccleſiaſticus nihil aliud dicere intenderit, quàm quod dixit Ioannes de Verbo Dei, omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil; propterea que ex relatis verbis non reddatur de fide aſſerta veritas: Nihilominùs congruè etiam poteſt cum D. Thomâ *1. p. q. 74. art. 2. ad 2.* D. Gregorio *lib. 32. moralium cap. 9.* aliiſque multis Sanctis Patribus referri ad ly *creavit* adeò ut ſignificet ſimultatem durationis, & temporis in rerum creatione. Neq; dicas cum Vaſquio *1. p. diſp. 224. cap. 2. n. 7.* juxtà interpretationem ſequi omnes mundi partes fuiſſe ſimul factas abſque ullâ ſex dierum diſtinctione, & ſucceſſione: Contrà enim facilè reſponderi poteſt omnia, quæ propriè, & per ſe creata ſunt fuiſſe facta ſimul, & primâ die, reliqua quæ facta fuerunt diebus ſequentibus non fuiſſe propriè creata exceptâ animâ rationali, quæ fuit quidem propriè creata; at ad complementum alterius non per ſe, & ex hoc capite D. Thomas *loco mox citato* ait ſignanter ſcripturam uti verbo creationis.

In quo ſenſu omnia ſint creata ſimul ſimultate temporis.

28\. Opponunt hìc Adverſarij Moyſem, qui mundi Geneſim deſcribens Angelorum non meminit. Verùm ſi hæc auctoritas negativa aliquid probat, concludit Angelos non ſolùm non fuiſſe creatos ſimul cũ mundo corporeo, ſed etiam nec antè nec poſt ipſum, cum nullibi in Scripturâ fiat mentio expreſſa illorum creationis, expreſſa inquam, nam implicitè etiam Moyſes mundi Geneſim deſcribens meminit creationis Angelorum ſub Cœlorum nomine uſurpando continens ad ſignificandum etiam contentum: Cur deindè Angelorum creationem ſub proprio, & expreſſo ipſorum nomine Moyſes diſſimulaverit, res eſt ſcripturiſtica ad ſacros Interpretes pertinens: ipſos Lector conſulat, nos interim à creationis tempore ad creationis locum procedimus. Ideò ſit

---

§. IV.

Vbinam creati fuerint Angeli: Vtrùm in Cœlo Empyreo, an extrà ipſum?

Aſſert. Circà locum creationis Angelorum nihil certi poteſt definiri: probabilius tamen eſt ipſos omnes fuiſſe creatos in Cœlo Empyreo. Prima pars eſt communiſſima: Secunda eſt Magiſtri *in 2. diſt. 2.* D. Thomæ *1. p. q. 61. art. 4. in c.* Bedæ *tom. 4. in principio hexameron.* Vgonis Victorini *in ſummâ ſententiarum tract. 2. cap. 1.* Alenſis *2. parte q. 19. memb. 3. art. 2.* Eſtij *in 2. diſt. 2. §. 5.* Sylvij *1. p. q. 6. art. 4.* Molinæ *ibid.* Vaſquij *diſp. 225. cap. 2.* Valentiæ *diſp. 4. q. 12. punct. 3.* Lugi *lib. 3. diſp. 18. cap. 2.* Averſæ *q. 61. ſect. 3.* Herin. *ex tr. 3. diſp. 2. q. 1. n. 9. &c.* Contrà Rupertum *lib. 1. in Geneſim cap. 11.* Eugubinum *lib. 7. de perenni Philoſophia cap. 38.* volentes Angelos fuiſſe creatos in aëre: Contrà Lorinum *in 2. Petr. 2.* Suarium *lib. 1. de Angelis cap. 4.* Arriagam *diſp. 1. ſect. 4.* volentes fuiſſe creatos in Cœlo Sydereo. Quoad ly *omnes* aſſertum eſt ſpecialiter contrà quoſdam, quorum meminit D. Thomas *art. præcit. ad 2.* Volentes Angelos ſuperiores fuiſſe quidem creatos in Cœlo Empyreo, inferiores verò, inter quos enumerant eos, qui peccaverunt; eos, qui movent cœleſtes orbes; eos, qui elementis & rebus inferioribus præſunt, extrà Cœlum Empyreum; prævaricatores quidem in aëre, reliquos in orbibus quos movent, & in rebus ſeu corporibus, quibus præſunt, reſpectivè. 29.

Circa locũ creationis Angelorum nihil eſt certum.

Probatur prima pars: Circà ea, quæ pendent ex liberâ Dei voluntate, nihil poteſt certò definiri, niſi dependenter à revelatione ipſius Dei; ſed locus creationis Angelorum pendet ex liberâ Dei voluntate, & circà ipſum nulla nobis eſt facta ſufficiens Dei revelatio; nam in Scripturâ licèt illud Luc. 10. *Videbam Satanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem* & aliquod aliud ſacrum oraculum faveat creationi Angelorum in Cœlo Empyreo, illud Iſa. 14. vbi Lucifer ait, in *Cœlum conſcendam* favet creationi Angelorum extrà Empyreum: In Conciliis circà locum creationis Angelorum nihil ſtatuitur: Sancti Patres de tali loco ſobriè, & dubitanter loquuntur; ergo. 30.

Probatur ſecunda pars: Vbi nihil certi poteſt definiri, probabilius eſt quod cæteris paribus majori auctoritate fulcitur; ſed omnes

Probabilius eſt talem

Angelos

locum fuiſſe Cœlum Empyreũ. Angelos fuiſſe creatos in Cœlo Empyreo majori quàm oppoſitum auctoritate fulcitur, ſive attendatur auctoritas penes numerum, ſive penes conditionem Doctorum ut patet ex relatis in aſſerto & aliis apud ipſos; ergo. Confirmatur: Conſentaneum eſt ſupremas creaturas creari in loco ſupremo; ſed Angeli ſunt inter alias creaturas creaturæ ſupremæ, & Empyreum eſt inter alia loca locus ſupremus; ergo conſentaneum fuit Angelos creari in Empyreo; & quidem omnes, quia in inſtanti creationis omnes ſe habuerunt ut una Reſpublica, unumque corpus myſticum; & cum in tali creationis inſtanti nec fuiſſet peccatum commiſſum, nec eſſent formata elementa, nec Cœli moverentur, non fuit conſentaneum à reliquis Angelis loco ſeparari aut eos qui peccaverunt, aut eos qui movent Cœlos, aut eos qui præſunt elementis. Confirmatur inſuper quia licèt Scriptura nullibi expreſsè tradat locum creationis Angelorum, frequentiùs tamen indicat talẽ locum fuiſſe Empyreum, quàm ſpatium aliquod inferius; nam pro ſpatio inferiori afferri ſolet ille unicus textus ex Iſa. 40. *In Cœlum conſcendam*: pro Empyreo verò, quod ſignificari nomine Cœli abſolutè prolati conſentiunt Sacri Interpretes communiter, plures textus afferuntur, nimirum Luc. 10. *Videbam, &c.* Iſa. 14. *Quomodò cecidiſti de Cœlo Lucifer.* Apocal. 12. *& factum eſt prælium magnum in Cœlo, Michael & Angeli ejus*, &c. Coloſ. 1. *in ipſo condita ſunt univerſa in Cœlis & in terrâ ſivè throni, ſivè dominationes, &c.* favent verba illa Eccleſiæ in exorciſmis *Ipſe tibi imperat, qui de ſupernis Cœlorum ad inferiora demergi præcepit*: Hæc auctoritates non ſolùm numero, verùm etiam efficaciâ præponderant verbis illis Iſaiæ *in Cœlum conſcendam*, in quibus ex contextu verborum ſequentium conſtat ly *Cœlum* metaphoricè ſumi reſpectu luciferi, alioqui probaretur luciferum non ſolùm infrà Empyreum, ſed infrà Cœlum ſydereum & infrà nubes creatum fuiſſe; ſubditur enim *ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, &c. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, &c.* Neceſſe eſt igitur in verbis illis quæ de Rege Babylonis ad litteram procedũt ſi ad luciferũ myſticè trãsferãtur ly *Cœlũ* non ſignificare Empyreũ aut Cœlũ aliquod materiale, ſed Cœlũ ſpirituale Trinitatis, vel divinitatis, cujus nimiã ſimilitudinẽ lucifer appetiit.

31.

Lucifer quomodò appetierit in Cœlum conſcendere.

32. Ex dictis habetur malos Angelos peccaſſe in Cœlo Empyreo: probabiliter hoc colligitur ex relatis textibus *Videbam Satanam, &c. Quomodò cecidiſti, &c. factum eſt prælium, &c.* qui quidem textus majorem vim habent ad probandum peccatum quàm ad probandam creationem malorum Angelorum in Cœlo Empyreo; dici quippè poſſet, licèt ſatis voluntariè & improbabiliter, ipſos alibi creatos fuiſſe, deindè antè peccatum tranſlatos ad Empyreum; ſicuti Adamus extra Paradiſum terreſtrem creatus, & in ipſum tranſlatus, in ipſo peccavit. Exiſtimant hic aliqui incongruum dignitati & excellentiæ Cœli Empyrei quòd non fuerit ſemper ab omni peccati labe puriſſimum: At allucinantur hi Auctores concipiendo Empyreum peccato Angelico quodammodò contaminari; cum tamen re verâ loci puritas & ſanctitas culpã aggravet in peccante, nullam verò in ſe labem contrahat ex peccato: Nec refert, quod de facto in Empyreo nullum peccatum committi poſſit; Hoc enim nón provenit ex materiali loci puritate; ſed ex eo quod modo Empyreum eſt locus termini & beatitudinis, cum tempore creationis Angelorum fuerit locus viæ & pugnæ; proprium autem eſt vię poſſe admittere peccatum, proprium eſt pugnæ poſſe admittere jacturam; ideò tempore creationis Angelorum Empyreum non excludebat peccatum, ſicuti excludit nunc.

Quomodò non fuerit inconveniens Angelos in Empyreò peccare.

33. Habetur inſuper Angelos fuiſſe creatos in Cœlo Empyreo, tamquàm in loco concreato, & ſimul cum ipſis producto, non tãquàm in loco præſuppoſito, & antecedenter exiſtente, alioqui creati nó fuiſſent Angeli in primo mundi exordio. Quærunt hic aliqui quomodò Angeli prorsùs incorporei creari potuerint in loco corporeo Cœli Empyrei, & malunt ipſos aſſerere creatos extrà omnia loca corporea in ſpatiis imaginariis. Verùm hoc aſtruere eſt excludere Angelos ab univerſo corporeo, & duplex univerſum omninò diſſitũ, alterum ſpirituale, materiale alterum inducere, nó verò unicũ conſurgẽs ex materialibus & ſpiritualibus creaturis: Quomodò deindè ſubſtãtia incorporea poſſit eſſe in loco corporeo tradetur *lib. ſeq.*

34. Habetur tandem ex peccato Angelorum in Empyreo nos edoceri nullibi eſſe à peccato ſecuram creaturam rationalem in viâ, nullique loco præcisè eſſe fidendum; quis enim locus poterit alicui creaturæ afferre privilegium non peccandi; dum in loco ſupremo, & nobiliſſimo inſigniores, perfectioreſque creaturæ peccarunt.

Nulla loci conditio reddit tutam à lapſu creaturam in viâ.

CAPUT II.

De Quiditate Angelorum.

1. PRÆLUSIMUS exiſtentię Angelorum explicationem Quid nominis, eidem modò conſuetum inter an eſt & quid eſt ordinem ſervantes ſubiicimus explicationẽ quid rei, & quiditatem Angelorum examinabimus penes quædam prædicata magis controverſa, cujuſmodi ſunt Spiritualitas, Simplicitas, Incorruptibilitas; non quòd hæc ſola ſint prædicata quiditativa Angelorum; ſed quòd reliqua aut extrà controverſiam ſint, aut in libris ſequentibus propriam ſedem ſortiantur. Porrò ad notitiam terminorum pro tribus prædicatis enumeratis neceſſariam præmitto & ſuppono non ſolùm incorruptibilitatem, verùm etiam ſpiritualitatem, & ſimplicitatem, quamvis ſecundùm ſe ſint poſitivæ perfectiones, ſecundùm nos negativè meliùs, quàm poſitivè innoteſcere; & ſicuti incorruptibilitas per

negationem corruptionis, ità ſimplicitas per negationem compoſitionis, ſpiritualitas per negationem quantitatis aut connexionis cum quantitate magis nobis eluceſcit; quod magis explico breviter diſcurrendo per ſingula.

Quid ſignificent ſpirituale, & ſpiritualitas.

2. Spiritus à quo ſpirituale, & ſpiritualitas derivatur, ſignificat aliquid diverſum à corpore & importat in ſe corporis negationem quia deindè corpus ſumi ſolet pro eo, quod habet trinam dimenſionem à quantitate provenientem; per ordinem ad quantitatem & exigentiam ipſius conſtituitur ratio corporei, & materialis è contrà per negationem ordinis ad quantitatem, & exigentiæ ipſius conſtituitur ratio ſpiritualis, quæ etiam dici ſolet ratio immaterialis & incorporei. Nec refert, quòd Spiritus aliquando cũ corpore confũdatur & ſignificet corpus aliquod ſubtile, tenue, facillimè ac velociſſimè mobile, in quo ſenſu dicitur Pſal. 148. *Spiritus procellarum*, & juxtà plures Interpretes germana ſenſus illorum verborum Pſal. 103. *Qui facis Angelos tuos Spiritus* eſt, *Qui facis nuntios tuos ventos* mittens eos quocumque volueris conformiter ad illud *venti & mare obediunt ei.* Non refert inquam, quia hæc eſt minùs uſitata ſignificatio, nec à Spiritu ſecundùm hanc ſignificationem derivatum eſt nomen ſpiritualis & ſpiritualitatis.

Quid ſimplex, & ſimplicitas.

3. Simplex compoſito opponitur, adeóque ſimplicitas compoſitionem negat, & ut innoteſcat qualis ſimplicitas ponenda in Angelis ſit, debet explicari qualis compoſitio ſit ab Angelis excludenda, & ex ſeptem cõpoſitionis generibus ſuprà aſſignatis *tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 1. duplex potiſſimum debet conſiderari in præſenti, nimirum compoſitio ex materiâ & formâ, & compoſitio ex partibus integrantibus. Reliquæ compoſitiones ex naturâ, & ſuppoſito: ex ſubjecto, & accidente metaphyſico: ex genere, & differentiâ: ex eſſe & eſſentiâ, ſunt ferè omnibus creatis ſubſtantiis communes, nec ullam habent in Angelis ſpecialem difficultatem.

Quid incorruptibile, & incorruptibilitas.

4. Incorruptibile ſicuti corruptibilitatem negat & corruptionem, ità multipliciter ſumitur juxtà multos modos, quibus ſumi poteſt corruptio. Aliqoando ſumitur incorruptibile propriiſſimè pro ut negat corruptionem propriſſimè dictam, quâ res deſiuit manente ſubjecto: Aliquando minùs propriè pro ut negat corruptionem minùs propriè dictam, quâ res quomodocumque deſinit etiam per annihilationem. Rurſus incorruptibile aliquando ſumitur phyſicè pro ut negat corruptionem phyſicam provenientem à potentiâ intrinſecâ phyſicè receptiva contrarij: aliquando logicè prout negat corruptibilitatem logicam conſiſtentem in purâ potentiâ logicâ, ſeu in purâ non repugnantiâ ad non eſſe, undè incorruptibile logicè eſt illud, cui ſimpliciter repugnat non eſſe. His præmiſſis & ſuppoſitis aſſumimus primo loco examinandam Angelorum ſpiritualitatem, & negative ad ipſam procedentes evertimus ſtatim & excludimus rationem corporei. Ideò ſit

---

§. I.

Vtrùm Angeli ſint omninò corporei?

ASSERT. Angeli non ſunt omninò corporei. Eſt veritas fidei adeò certa, ut Theologi ipſam ſupponentes quærere tantùm ſoleant vtrùm Angeli ſint omninò incorporei, an ex Spiritu conſtent & corpore? Afferunt aliqui contrà hoc aſſertum Atheos, Sadducæos, & nonnullos ex Antiquis Philoſophis nihil ſpirituale in mundo admittentes; ſed hi ut ſuprà retulimus §. 1. potiùs negarunt prorsùs Angelos eſſe, quàm ipſos affirmaverint eſſe corporeos. Meliùs afferuntur contrà aſſertam veritatem Elias *in orationem primam Nazianzeni* §. *Nihil enim mihi.* Caſſianus *collat.* 7. *cap.* 13. Gennadius *lib. de Eccleſiaſt. dogmatibus cap.* 11. *&* 12. Qui ex unâ parte Angelos admittunt, & ex aliâ parte ſolùm Deum propriè ſpiritualem fatentur & incorporeum. In hoc errore fuerunt quidam alij relati à Lugo 1. *p. lib.* 3. *diſp.* 1. *cap* 1. *n.* 3. 5.

Angelos non eſſe omninò corporeos eſt de fide.

Probatur. De fide eſt Angelos eſſe hominibus perfectiores, & ſuperiores juxtà illud *Pſal.* 8. ubi de homine dicitur *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*: eſſe naturæ intellectualis juxtà illud Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*: eſſe liberi arbitrij & peccabiles juxtà illud 2. Pet. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit*: At nec ſuperiores homine, nec intellectuales, nec peccabiles eſſe poſſent, ſi eſſent omninò corporei; ergo de fide eſt Angelos non eſſe omninò corporeos. Minor probatur: certum omninò eſt homines conſtare corpore, & ſpiritu, nec eſſe corporeos omninò; non poſſent igitur Angeli eſſe hominibus ſuperiores, ſi eſſent omninò corporei: Certum item eſt non poſſe haberi ſine ſpiritualitate intellectualitatem, aut peccabilitatem; & licèt in cõtroverſiâ ſit, utrùm omnia ſubſtantia ſpiritualis ſit intellectualis; eſt tamen extrà controverſiam omnem ſubſtantiam intellectualem eſſe ſpiritualem, non poſſent igitur Angeli eſſe intellectuales & peccabiles, ſi eſsẽt omninò corporei, nullatenùs ſpirituales.

Neque hic pluribus opus eſt probationibus tùm quia verſamur in re ferè per ſe notâ; tùm quia quæ attulimus ad probandũ Angelos eſſe, eadem ferè omnia valent ad probandum ipſos non eſſe omninò corporeos: & hoc à fortiori evincunt quæ mox afferentur ad probandum ipſos ne partialiter quidẽ corporeos eſſe: Hincque etiam facilè conſtabit nullius prorſus momenti eſſe quidquid pro Angelis corporeis urgeri poteſt. Interim advertto quod quamvis idem non ſit Angelum eſſe partialiter corporeum & ipſum eſſe partem cõpoſiti partialiter corporei, ut patet ex animâ rationali quæ in ſe tota incorporea, pars eſt compoſiti partialiter corporei. Nihilominùs ut magis appateat quantùm diſtet Angelus à ratione corporei, mox probabitur 6.

Eſſe partialiter corporeum, & eſſe partem compoſiti corporei differunt.

ipſos

ipſos non ſolùm non eſſe partialiter corporeos, qualis eſt homo; ſed nec eſſe partes cōpoſiti partialiter corporei, qualis eſt anima humana, iſtud quidem in poſteriori; illud in alio immediatè ſequenti §. Ideò ſit

---

§. II.

Vtrùm Angeli ſint omninò ſpirituales: An partim ſpirituales, partim corporei?

7. *Angeli ſunt omninò ſpirituales & incorporei.*

ASSERT Angeli ſunt omninò ſpirituales & incorporei. Ità cum Magiſtro *in 2. diſt.*8. D. Thomâ 1.*p.q.*50.*a.*1.2. *contra Gentes cap.*50. *& alibi* Eſtius *ead.diſt.*8.§. 1. Sylvius *ead. art.* 1. 2. *part. conc.*1. Molina *ead.art.* §.*his non obſtantib.* Vaſq. *diſp.*178.*c* 3. Valentia *diſp.*4.*q.*1.*punct.*2. Averſa *q.*50.*ſect.*2. Herinex *tr.*3.*diſp.*2.*q.*2. cæterique Theologi noſtri temporis communiſſimè non ſine cenſurâ rejicientes opinionem oppoſitam, quamvis ipſam quoad dæmones amplectantur Cajetanus *in cap.*4. *Gen. & in cap.*2. *ad Epheſ.* Eugubinus *lib.*8. *de perenni Philoſophiâ c.*27. Niphus *lib.*3.*de dæmonibus cap.*3. aliiq; nonnulli. Antiquitùs res fuit magis obſcura, magiſque controverſa, & Angelos corporeos, ex ſpiritu ſcilicet & corpore compoſitos in primis aſſeruerunt quotquot verba illa Gen. 6. *Videntes filij Dei*, &c. de Angelis intelligendo exiſtimarunt ipſos ſe cum mulieribus miſcuiſſe & verâ generatione filios procreaſſe, in quâ exiſtimatione fuerunt Tertullianus *pluribus in locis.* Ioſeph Hebræus *lib.*1. *antiquitatum.* Iuſtinus Martyr *utraque apologiâ*: Clemens Alexandrinus *lib.*3 & 5. *Stromatum.* Methodius *ſerm. de reſurrectione.* Euſebius Cæſarienſis *lib.*5. *præparationis Evangelicæ cap.*4. Cyprianus *de diſciplina & habitu Virginum n.*54. aliique non pauci; undè Pererius *lib.*8. *cap* 6. *diſp.*1. notat hanc ſententiam fuiſſe multis probatā tùm quòd eam tantorum virorum auctoritas probabilem faceret, tùm quòd libidinibus ſuis patrocinium aliquod quærentes haberi eam pro verâ cuperent. Vltrà auctores in errorem hunc Angelorum cum mulieribus coeuntium lapſos referri ſolent pro Angelis corpore prææditis Origenes & Auguſtinus *pluribus in locis.* Cæſarius *in primo dialogo inter opera Nazianzeni tom.*2. *in fine.* Bernardus *ſerm.*5. *in Cantica & lib.*5. *de conſid. cap.* 4. Baſilius *lib. de Spiritu Sancto*, *cap.*16. Damaſcenus 2. *fidei cap.*2. &c. Verùm hos Patres aut potiùs oppoſitum docuiſſe, aut ſaltem ambiguè & dubitanter non definitivè pronunciaſſe latè & eruditè conatur oſtendere Bubalus *de Angelis quæſt.*50. *quæſito* 3. *difficultate* 1. *à* §.3. *ad* 8.

Quænam in hoc olim fuerit Sanctorum Patrum mens.

8. Probatur primò ex Scripturâ: Apocal. 1. *& à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt.* Heb. 1. *Non ne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus.* Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adverſus ſpiritualia nequitiæ.* Luc. 11. *Aſſumit alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe.* Duæ priores auctoritates procedunt de Angelis bonis; duæ poſteriores de Angelis malis ſeu de dæmonibus, quos Spiritus nuncupari alibi ſæpè in Evangelio legimus: nomine autem Spiritus abſolutè prolati intelligi in Scripturâ ut plurimùm ſaltem ſubſtantiam ſpiritualem & incorpoream colligitur ex Io. 4. *Spiritus eſt Deus.* ex Danielis 3. *Benedicite ſpiritus, & animæ iuſtorum Domino,* Ex Matth. 27. *Clamans voce magna emiſit ſpiritum*; ſicuti igitur nomen ſpiritus abſolutè dictum de Deo & de animâ rationali, ſignificat ſubſtantiam omninò ſpiritualem & incorpoream; ità non eſt cur idem nomen abſolutè dictum de Angelo ad diverſam ſignificationem transferatur, imò eſt ſpecialis ratio quòd eamdem ſignificationem retineat, cum videatur in tali ſignificatione receptum ab Eccleſiâ, quam veriſimile eſt ex ſilatis Scripturæ locis derivaſſe modum illum loquendi, quo definiit in Concilio Lateranenſi *cap. firmiter. Deum utramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam.*

Spiritus ſimpliciter & abſolutè ſignificat ſubſtantiam incorpoream.

His in verbis duo pro præſenti aſſerto ponderanda occurrunt: Primum eſt nomine creaturæ ſpiritualis, quod idem eſt ac nomine Spiritus Concilium non corpus aliquod ſubtile & tenue intelligere, ſed creaturam incorpoream, alioqui malè contrà diſtingueret creaturam ſpiritualem à corporali: Secundum eſt nomine creaturæ ſpiritualis & Angelicæ Concilium intelligere creaturam ſpiritualem purè & omninò; ſicuti nomine creaturæ corporalis intelligit creaturam purè & omninò talem; alioqui creatura humana, quæ nec purè ſpiritualis, nec purè corporalis eſt ineptè poneretur tanquàm quid tertium; & creatura etiam Angelica contineretur ſub humanâ, quando etiam illa partim ſpiritualis, partim corporalis eſſet ex ſpiritu, & corpore coaleſcens; non verò omninò ſpiritualis, nec purus ſpiritus. 9. 10.

Propter adducta Cōcilij Lateranēſis verba Smiſing. apud Herinex *tr.*3.*diſp.*2. *q.*2.*n.*13. Bubalus *q.*50. *quæſ.*3. *diffic.*1.§. 10. aliiq; nōnulli, quorū ſēténtiæ tanquā probabili adhæret *Ioannes* à S. Thomâ 1.*p.q.*51.*diſp.*18.*a.*1.*a.*4. Cōtendunt omnimodā Angelorū ſpiritualitatem eſſe ab Eccleſiâ definitam, & dogma fidei. Nihilominùs verba Lateranenſis vim definitionis non habere ſentiunt Carranza *in annotatione ad* 7. *Synodum art.*5. Canus *lib.*5. *de locis Theologicis cap.*5. *q.*4. Sixtus Senenſis *lib.*5. *Bibliotheca annotatione* 8. & excuſant eos, qui etiam poſt Lateranenſe omnimodam ſpiritualitatem Angelis negant. Mediâ incedunt viâ Eſtius *in* 2. *diſt.*8. §.4. Molina 1.*p.* *q.*50. *art.*1.§.*his non obſtantibus.* Vaſquez *diſp.*78. *cap.*3.*n.*9. Valentia *diſp.*4. *q.*2. *punct.*1. §. *ſi quis autem.* Dequiros *tr.*8. *diſp.*51. *ſect.*1.*n.*3. aliique magis communiter admittentes quidem non eſſe ab Eccleſiâ definitam Angelorum ſpiritualitatem, non excuſantes tamen à cenſurâ maximæ temeritatis eum, qui poſt Lateranenſe talem ſpiritualitatem negaverit Ratio admittendi non eſſe ab Eccleſia definitam, &c. eſt quis Con-

Cenſura opinionis ponentis Angelos non omninò ſpirituales.

cilium Lateranenſe ſolùm intendebat definire creationem Angelorum in tempore, & ſolùm obiter & loquendo ſecundùm opinionem tunc communiorem vocavit ſpiritualem, creaturam Angelicam. Ratio non excuſandi à cenſurâ temeritatis eſt, quia verba illa Concilij non ſolùm ſunt ex ſe adeò clara, ut etiam non prolata definitivè plurimam habeant auctoritatem, verùm etiam ſunt jam noſtris temporibus corroborata communi conſenſu Eccleſiæ & Theologorum in omnimodâ Angelorum ſpiritualitate convenientium, & ſicuti ex hoc capite cenſuimus *ſuperiori* §. 3. à temeritate inexcuſabilem opinionem de creatione Angelorum antè mundum corporeum; ità à fortiori idem hîc cenſendum circà opinionem de corporeitate Angelorum, contrà quam ſunt clariora Lateranenſis verba.

11. Dices: Quamvis in Concilio Nicæno II. ſeu in ſeptimâ Synodo *act.* 5. ſuppoſita fuerit tanquàm vera ſententia eo tempore communior de corporeitate Angelorum, non fuit temerarium docere omnimodam Angelorum ſpiritualitatem; ergo quamvis è contrà in Concilio Lateranenſi ſupponatur tanquàm vera, ſitq; hiſce temporibus communis ſententia de omnimodâ Angelorum ſpiritualitate, non erit adhuc temerarium docere corporeitatem, & antiquitùs approbatam in Concilio Nicæno ſententiam renovare. Sed contrà: Quòd nunquam fuerit apud graves & Catholicos Auctores communior ſententia de corporeitate angelorum ſatis evincitur ex Bubalo *à præcitato* §. 3. *ad* 8. Quòd eandem ſententiam Concilium Nicænum non ſuppoſuerit tanquàm veram, neque approbaverit, infertur ex articulo, qui tunc in Concilio agitabatur, de adoratione imaginum, ad quam ſtabiliendam variæ afferebantur ſententiæ Patrum, inter alias ex libro Ioannis Epiſcopi Theſſalonicenſis allata eſt ſententia, quâ ex eo quòd Angeli eſſent corporei inferebatur ipſos debere pingi & tali ſententiâ à Tharaſio Patriarchâ relatâ reſponderunt Patres Concilij *etiam Domine* approbãdo quod pertinebat ad articulum tunc agitatum, ſcilicet Angelos debere pingi diſſimulatâ ratione, ex quâ id inferebatur, niſi velis dicere per ly *etiam Domine* Synodum nihil aliud intendere, quàm verè talem eſſe mentem Ioannis Epiſcopi & in ipſius libro verè contineri, quod Tharaſius retulerat. Accedit quòd ad probandum Angelos debere pingi duo ibi afferebantur, & quòd eſſent corporei, & quòd aliquando apparuiſſent in formâ humanâ; ſi quam igitur rationem Synodus approbavit, dici poteſt approbaſſe hanc ſecundam, cum præſertim hæc eſſet poſterior & extrema probatio, ut advertit Eſtius *in* 2. *diſt.* 8. §. 3. *circà finem.*

Talis opinio nunquã fuit communior, nec approbata à Concilio Nicæno II.

12. Probatur ſecundò. Angeli nullam prorsùs habent cum quantitate connexionem; ergo nullatenùs ſunt corporei, ſed omninò ſpirituales: conſequentia patet, quia connexio cum quantitate diſtinguit corporeum à ſpirituali; antecedens probatur, connexio cum quantitate maximè dignoſcitur ex impenetrabilitate, quæ eſt potiſſima affectio quantitatis; at Angeli non ſunt impenetrabiles primò quia quodlibet corpus eſt ipſis pervium, nec ullum reſiſtit tranſitum impediendo: Secundò quia Angeli deſertores ex Empyreo ceciderunt adeòque Cœlos inferiores permearũt non ſine penetratione, præſertim loquendo de firmamento, de quo non videtur negari poſſe quòd ſit ſolidum; quod ſi dicas firmamentum eſſe quidem ſolidum, at non fuiſſe ſolidatum ante Angelorum lapſum: urgebitur inſtantia in bonis Angelis qui frequenter ex Empyreo in terras deſcendunt & in Empyreum redeunt: Tertiò quia ut conſtat ex *Luc.* 8. in eodem arreptitio homine integra quandoque dæmonum legio reperitur, legio autem ex D. Hieronymo *ſuper caput* 26. *Matthæi* continet ſex mille ſexcentas ſexaginta ſex perſonas, quomodo autem poſſunt eſſe tot perſonæ in eodem arreptitio homine ſine penetratione, & licèt in poris humani corporis poſſint plura corpuſcula ſine penetratione recipi, nihil refert, quia qui dæmones corporeos faciunt, ipſis corpora tribuunt, non corpuſcula; nec vivens corporeũ poteſt ad corpuſculi athomo minutioris anguſtias redigi. Deindè cum humani corporis pori non ſint continui ad modum tubulorum, quando etiam ſinguli dæmones corpuſculorum quantitatem non excederent, non poſſent pervenire ad intimas hominis partes, ipſiſque inſidere, ſicuti tamen evenit in homine arreptitio.

Angelos eſſe penetrabiles probatur multipliciter.

Legio continet 6666. perſonas.

13 Probatur tertiò: quia opinio de Angelis corporeis originem duxit ex manifeſtis erroribus; nimirum vel ex eo quòd aut nihil prorsùs aut nihil creatum ſpirituale admitteretur, ex quo capite errarunt plures antiqui Philoſophi: vel ex eo quòd Angeli crediti fuerint idonei ad carnalem generationem, ex quo capite errarunt Doctores graviſſimi & nonnulli Sancti Patres propter præallata verba Gen. 6. *Videntes Filij Dei, &c.* ubi in multis antiquis codicibus, ſecundùm verſionem ſeptuaginta interpretum legebatur *Angeli Dei.* Primus error manifeſtior eſt quàm quòd indigeat impugnatione. Secundus impugnatur afferendo legitimum ſenſum illorum verborum Geneſis, & probando quàm inconvenienter ac erroneè adducantur pro Angelis carnaliter generantibus. Porrò legitimus ſenſus illorum verborum eſt: quòd nomine Filiorum Dei ſignificentur poſteri Seth per Enoch, qui dicebantur Filij Dei eo quòd eſſent iuſti, & habentes Dei filiationem adoptivam, & ex eo quòd Angelicam quodammodò puritatem imitarentur, ſeptuaginta verterunt Angeli Dei: Dicuntur verò accepiſſe ſibi uxores filias hominum, id eſt fœminas de Stirpe Cain, quæ erant peſſimæ, proptereàque indignæ nomine filiarum Dei. Inconvenienter & erroneè afferuntur talia verba pro Angelis carnaliter generantibus, primò quia Angeli. *Neque nubent neque nubentur* ex Luc. 20. Secundò quia Angeli, ſi generarent, deberent alios Angelos generare non homines, quales erant Gigantes, qui geniti referuntur illo *cap* 6. Tertiò quia congreſſus

Vnde originem duxit opinio de Angelis corporeis.

14. Angelis male tribuitur quòd Gigantes generaverint.

greſſus ille cum fœminis nec poteſt tribui Angelis malis, cum hi dici nequeant filij Dei; neque Angelis bonis; cum hi, quando habitus eſt congreſſus ille, eſſent jam beati, & impeccabiles; ille quippè congreſſus fuit poſt culpam Adæ, multoque magis poſt culpam, & viam Angelorum. Quartò, etiamſi daretur Angelos genuiſſe, non eſſet ſufficiẽs argumentum corporeitatis ipſorum, quia non ſatis conſtaret, vtrùm genuiſſent vi propriâ, an humano ſemine aliundè accepto? quâ ratione de facto generare poſſunt dæmones incubi. Mitto aliam impugnationem Arriagæ *de Angelis diſp. 3. ſect. 3. num.* 9. ex eo quòd eodem loco Geneſis, ut ipſe ſupponit, fœminæ dicantur filiæ Dei, inferentis non poſſe ibi nomine filiorum Dei Angelos intelligi, niſi inter Angelos maſculi & fœminæ confingantur; arguta illatio, at inefficax; quia nec eodem loco, nec alibi in Scripturâ perlegi filias Dei.

---

§. III.

Vtrùm Angeli quamvis in ſe omninò ſpirituales habeant corpora ſibi naturaliter unita?

15\. Angeli non ſunt formæ corporum nec habent corpora ſibi naturaliter unita.

ASSERT. Angeli non habent cnrpora ſibi naturaliter unitâ; nec ſunt ut animæ rationales, aut aliquo alio modo formæ corporum, quod idem eſt ac dieere Angeli non ſolum non ſunt corporei in ſe, ſed nec poſſunt eſſe partes compoſiti corporei. Ità enim D. Thoma 1. *p. q.* 51. *art.* 1. *& de pot. q.* 16. *art.* 1. Omnes Theologi noſtri temporis, à quibus hæc veritas ut potè æquè certa ac veritas aſſerti ſuperioris, etiam æquè communiter traditur, imò à pluribus una ab alterâ non diſtinguitur: Et quidem auctoritates, rationeſque allatæ pro præcedente aſſerto militant etiam pro præſente: Vberioris tamen doctrinæ gratiâ nonnullas alias probationes ſubjcio hujuſce loci magis proprias, & ſpecialiùs militantes contrà Platonem *in Epimenide.* Philonem *lib. de opificio mundi.* Cajetanum *in illud Pſal.* 135. *Qui fecit Cœlos in intellectu, &c.* Exiſtimantes Cœlos & aſtra eſſe animata, & Angelos ſeu intelligentias eſſe ipſorum animas: Item contrà eundem Philonem *in lib. de Gigantibus* Angelos, Genios, Animas nominibus ſolùm, non re diſtinguentem, & contra Origenem docentem animas, & Angelos eſſe Spiritus ejuſdem ſpeciei, ab initio mundi ſimul productos, & ex diverſitate meritorum proceſſiſſe quòd quidam ipſorum ſiut uniti corporibus, quidam non.

16\. Probatur primò: De fide eſt Angelos eſſe hominibus ſuperiores & perfectiores; at ſi haberent corpora ſibi naturaliter unita, non eſſent homine ſuperiores: ergo Angeli non habent corpora ſibi naturaliter unita. Minor probatur, ſi Angeli haberent corpora ſibi naturaliter unita vel in hujuſmodi corporibus exercerent operationes ſenſitivas, vel non: ſi non exercerent operationes ſenſitivas, ergo talia corpora eſſent imperfectiora corporibus humanis, maxima quippè eſt perfectio corporis deſervire ſenſationibus & habere organizationem ad potentias ſenſitivas requiſitam, ex conſequenti Spiritus habentes talia corpora ſibi naturaliter unita vidētur debere eſſe hominibus imperfectiores potiùs quàm perfectiores: Si exercerent operationes ſenſitivàs, ut eſſent hominibus ſuperiores & perfectiores, deberent habere ſeuſus longè perfectiores ſenſibus humanis, quod licèt non repugnare oſtendat Bubalus *q.* 50. *art.* 2. *quæſito* 2. *difficult.* 1. §. 1. Nihilominùs cum nullum de facto appareat in Angelis veſtigium ſenſationis, ſine ſufficienti fundamẽto ipſis tribuuntur ſenſus, & corpora ſenſitiva. Scio nonnullos ad probandam ſenſationem in Angelis affetre quod ex antiquis Philoſophis refert Auguſtinus 8. *de civit. cap.* 16. Dæmones ſcilicer aliquibus odoribus recreari, aliquibus torqueri & fugari. Verumtamen vel hujuſmodi delectatio & tortura eſt apparens, & ſimulata; non vera & realis; vel cauſatur à rebus ſeoſibilibus elevatis virtute divinâ, ſicuti elevatur ignis ad torquendas animas ſeparatas, vel conſiſtit in eo, quòd dum dæmones operantur applicando activa paſſivis aliquibus qualitatibus in operando invantur, & quodammodò delectantur, aliquibus aliis retardantur & quodammodò cruciantur.

An & quomodo dæmones aliquibus odoribus recreentur, aliquibus torqueantur.

Probatur ſecundò ratione D. Thomæ 1. *p. q.* 51. *art.* 1. *in c.* Subſtantia intellectualis ut intellectualis non poſtulat habere corpus ſibi unitum, ergo dantur aliquæ ſubſtantiæ intellectuales non habentes corpora ſibi naturalites unita, ergo tales ſunt Angeli, neque enim datur ulla ſubſtantia intellectualis, cui convenientiùs, quàm Angelo, negari poſſit unio ad corpus: antecedens patet tùm quia intelligere non eſt actus corporis, tùm quia Deus abſque ullo corpore eſt ſubſtantia perfectiſſimè intellectualis: Prima conſequentia probatur, ſi ſubſtantia intellectualis ut intellectualis corpus non poſtulat, accidit ipſi corpus habere; ſed quod alicui ſubſtantiæ ſeu naturæ accidit non invenitur univerſaliter in tali naturâ, neq; enim habere alas v. g. invenitur univerſaliter in omni animali; ergo habere corpus non invenitur univerſaliter in omni ſubſtantiâ intellectuali, & conſequenter dantur aliquæ ſubſtantiæ intellectuales non habentes corpora ſibi naturaliter unita. Confirmatur: Angeli ſunt ſubſtantiæ purè intellectuales, nullam ſcilicet elicientes cognitionem præter intellectivam, nullamque operationem ſenſitivam exercentes; ergo non habent corpora ſibi naturaliter unita: antecedens probatur primò quia Angeli malè dicerentur intelligentiæ ſi non eſſent purè intellectuales; ſecundò quia ex prædictis nullum in Angelis apparet veſtigium ſenſationis; tertiò quia non videtur negandus univerſo gradus ſubſtantiæ creatæ purè intellectualis, nec poteſt hujuſmodi gradus alij creaturæ meliùs, quã Angelo attribui: Conſequentia etiam probatur, 17. 18.

Subſtantia purè intellectualis non poteſt habere corpus ſibi naturaliter unitum.

batur, nulla ſubſtantia poteſt habere ſibi naturaliter unitum id, quod eſt impeditivum propriæ operationis; ſed reſpectu ſubſtantiæ pure intellectualis corpus eſt impeditivum propriæ operationis; ergo ſubſtantia purè intellectualis non poteſt habere naturaliter ſibi unitum corpus: Maior patet, quia nihil poteſt habere naturaliter unitum aliquid ſibi innaturale, & noxium; minor probatur, ſubſtantiæ puræ intellectuali non poteſt corpus deſervire niſi vt carcer, in quo includatur, ut inane pondus cui alligetur; at ſubſtantia purè intellectualis in carcere incluſa, & inani ponderi alligata, utpotè in ſtatu incongruo, & valdè imperfecto remanet minùs expedita ad intelligendum; & ſicuti corpus humanum licèt ſenſuum miniſterio intellectioni deſerviat, adhuc animam aggravat, ità multo magis ſubſtantiam purè intellectualem aggravaret, eiuſque operationem retardaret corpus nullo ſenſuum miniſterio ipſi deſerviens; quod per conſequens eſſe deberet informe & inorganicum, quod nullam ſpecialem configurationem exigeret, nullámque ſpecialem qualitatem; hæc quippè omnia in corpore requiruntur ſolùm ut ſpiritus informatis operationibus inſerviat.

19. Dices: licèt ſubſtantiæ purè intellectuali nequeat corpus deſervire in ordine ad intellectionem, deſervire tamen poterit in ordine ad motum localem; neque enim apparet repugnantia in eo, quòd ſubſtantia pure intellectualis in ordine ad motum localem à corpore pendeat, nec poſſit ſe localiter movere, niſi ut unita corpori: imò dari de facto tales ſubſtantias, & huiuſmodi eſſe Angelos probat, Caietanus *in cap. 2. ad Epheſ.* ex eo, quòd, ut univerſum ſit completum, & omnes gradus rerum contineat, neceſſe ſit in ipſo dari animantia ſe corporaliter moventia ſine ſenſu, quemadmodum in eodem dantur oſtreæ & id genus alia animantia ſentientia ſine motu; animantia autem ſe corporaliter moventia ſine ſenſu non poſſunt eſſe niſi ſubſtantiæ purè intellectuales unitæ corporibus; nec poſſunt vivere, niſi vitâ intellectuali; nam cum ſupponantur ſine ſenſu, non vivunt vitâ ſenſitivâ, & cum vegetantia non moveantur localiter, vt patet in plantis, non vivunt vitâ vegetativa. Sed contrà: Inſtantia duo continet: Primum eſt non repugnare ſubſtantiam purè intellectualẽ exigitivam corporis, vt ſe loco moveat; & naturaliter ac ſubſtantialiter informativã corporis in ordine ad motum localem: Secundum eſt tales de facto eſſe Angelos. Hoc ſecundum imbecilli nititur fundamento, quia nec ſufficienter probari poteſt admittendos de facto eſſe in univerſo omnes gradus rerum poſſibilium; nec apparet cur titulo ponendi omnes hujuſmodi gradus debeat poni gradus intelligentis corporaliter loco-motivi negato gradu entis ſpiritualis completi, ut faciunt Adverſarij, potiùs, quàm gradus entis ſpiritualis completi negato gradu intelligentis corporaliter loco-motivi, ut facimus nos; ideò, quando etiam prima pars inſtantiæ concederetur, ſecunda pars, quæ ſola pertinet ad præſens inſtitutum, poſſet negari: Dixi quando etiam prima pars inſtantiæ concederetur, quia in re magis propendeo ad ipſam negandam cum Amico *1. p. tom. 2. diſp. 3. ſect. 2.* contrà Dequiros *tr. 8. diſp. 31. ſect. 1. num. 14.* Moveor primò ex eo, quòd id eſt magis juxtà mentem D. Thomæ *1. p. q. 70. art. 3. in c.* docentis propter ſolum motum localem non oportere, quod ſubſtantia intellectualis uniatur corpori ut forma, ſed ſolùm per contactum virtutis, ſicut motor unitur mobili. Moveor ſecundò ex eo, quòd id magis favet omnimodæ ſpiritualitati Angelorum aliundè nobis innoteſcenti, imò negata poſſibilitate naturæ intellectualis unibilis corpori propter ſolum motum localem habetur efficax argumentum probans à priori Angelos eſſe omninò ſpirituales. Moveor tertiò ex regulâ generali, ſecundùm quam, ut alibi tetigi, in pari, aut non multùm impari cauſa præſumptio ſtat pro rei impoſſibilitate potius, quàm pro poſſibilitate. Moveor quartò ex eo, quòd talis intellectualis natura vel poſſet ſe loco-movere ſolùm ut corpori unita, vel etiam ut à corpore ſeparata, primum dici non poteſt, quia corpus impedit potiùs, quàm juvet motum localem, ergo implicat quòd aliqua natura intellectualis ſe loco-moveat ſolùm ut unita corpori; & quòd ipſius virtus motiva non poſſit cauſare motum ſine corpore; poſſit cum corpore; non poſſit ſine impedimento id, quod poteſt cum impedimento: Nec dici poteſt talem naturam quamvis ſine corpore, poſſit ſe locò movere, quoad aliquam tamen ſpeciem motus, puta quoad motum progreſſivum neceſſariò requirere corpus; dici inquam id non poteſt, quia motus progreſſivus vel ſumitur pro ut dicit motum unius partis poſt alteram, & hac ratione intellectualis ac conſequenter ſpiritualis natura ſicuti nec extrà corpus, nec in corpore habet partes, ità ratione ſui nec extrà corpus, nec in corpore capax eſt motus progreſſivi, vel ſumitur pro ut dicit motum ſucceſſivum, quo mobile virtute motivâ intrinſecâ ſucceſſivè percurrit aliquod ſpatium, & hâc ratione non apparet cur ad talem motum potiùs, quàm ad aliquem alium, debeat natura intellectualis corpus requirere: Si dicatur ſecundum, ſcilicet quòd natura illa intellectualis poſſit ſe movere etiam ut à corpore ſeparata, multo magis redditur impoſſibile, quòd corpore indigeat propter motum; quomodò enim poteſt corpore indigere propter motum, ſi ſine corpore poteſt ſe movere meliùs, quàm in corpore. Neque dicas talem naturam intellectualem eſſe propter motum ſubſtantialiter unibilem corpori non ex indigentiâ propriâ, ſed ex indigentiâ corporis, quod nequeat localiter moveri niſi à tali naturâ intellectuali ſibi ſubſtantialiter unitâ: Contrà enim in ordine ad motum unio ſubſtantialis motoris nihil confert, & Deus poteſt omni motu omnia movere abſque unione ſubſtantiali ad mobile: Contrà inſuper; corpus non poteſt naturaliter exigere virtutem motivam naturæ intellectualis, quia corpus non poteſt naturaliter

Animans corporaliter ſe movens ſine ſenſu viveret vitâ intellectuali.

20. Repugnat natura intellectualis exigitiva corporis ob ſolum motum localem.

In ordine ad motum nihil confert unio ſubſtantialis motoris.

naturaliter exigere quamcumq; ſpeciem motus, ſicuti tamen natura pure intellectualis utpotè independens à loco, & à differentiis loci poteſt ſecundùm ſe quamcumque ſpeciem motus cauſare.

21. Angeli ſunt incorporei abſolutè, nedum comparativè.

Ex dictis habetur Angelos eſſe ſpirituales & incorporeos non ſolùm comparativè & quoad nos quatenùs non habeant corpora craſſiora, & ſenſibus facilè perceptibilia; verùm etiam abſolutè & ſimpliciter, quatenùs nec etiam tenuia, & ſubtiliſſima habeant corpora: Imò adeò Angeli ab eſſe corporeo ſunt remoti ut non ſolùm non poſſint ex corpore componi, verùm nec poſſint cum corpore componere; non ſolùm non indigeant corpore in eſſendo, verùm nec in operando. Hinc illi, qui nullam agnoſcunt materiam, niſi corpoream; nullumque admittunt diſcrimen inter eſſe corporeum, & eſſe materiale, inferunt abſolutè Angelum nec poſſe in ſe ex materiâ, & formâ componi, nec per modum formæ cum materiâ componere. Verùm quia apud quàmplures datur materia non corporea, ſuppoſitâ omnimodâ Angelorum ſpiritualitate & incorporeitate adhuc eſt locus inquirendi, utrùm poſſit Angelus ex materiâ componi aut cum materiâ componere; & hoc dupliciter juxtà duplicem modum aſſignandi materiam non corpoream:

22. Duplex modus aſſignandi materiam non corpoream.

Primus eſt ponentium materiam permiſſivè ſpiritualem, & quæ ex unione ad formam ſpiritualem ſpiritualizetur, adeò ut ex ſe materia ſicuti eſt indifferens ut conjungatur vel cum formâ ſublunari, vel cum formâ cœleſti; ut uniatur cum illâ amiſſibiliter; cum iſtâ inamiſſibiliter; ità etiam ſit indifferens ut conjungatur cum formâ ſpiritualitatis, vel cum formâ corporeitatis & quantitate; ut ex unione cum illâ ſpiritualizetur, vel ex unione cum iſta corporeizetur, ſeu evadat corporea; ſicque detur in rebus ſpiritualibus materia ejuſdem ſpeciei cum materiâ rerum corporalium, ſicuti in ſatis communi ſententiâ datur in corporibus cœleſtibus materia ejuſdem ſpeciei cum materiâ corporum ſublunarium. Secundus eſt ponentium materiam poſitivè ſpiritualem, quæ ſcilicet ſit in ordine ſpirituali ſubjectum primum, & pura potentia apta conſtituere cum ſpirituali formâ compoſitum purè ſpirituale; adeò ut ſicuti ſub genere entis corporei datur materia corporea, & forma corporea, ex quibus conſurgit completum corpus; ità ſub genere entis ſpiritualis detur aut dari poſſit materia ſpiritualis, & forma ſpiritualis, ex quibus conſurgat completus ſpiritus. Quid circà utrumque dicendi modum in re noſtrâ de Angelis ſentiendum ſit in ſequentibus paragraphis mox ſubijcio. Ideò ſit

§. IV.

Utrùm Angeli, quamvis in ſe omninò ſpirituales, componantur ex materia ejuſdem rationis cum noſtra, ſpiritualizata tamen, & libera à quantitate.

23. Angeli non componũtur ex materiâ ejuſdem rationis cum noſtrâ quamvis ſpiritualizatâ.

Assert. Angeli non componuntur ex materiâ ejuſdem rationis cum noſtrâ, quamvis ſpiritualizatâ & liberâ à quantitate: id tamen non ſatis efficaciter probatur ex ſolâ Angelorum ſpiritualitate. Prima pars eſt D. Thomæ *opuſc.* 15. *cap.* 5. *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 1. *art.* 1. & 1. *p. q.* 50. *art.* 2. aliorumque Theologorum communiſſimè contrà Avicebronem *in lib. fontis vitæ*, ponentem materiam noſtram eſſe communem ſpiritualibus rebus æquè ac corporalibus, & creaturas omnes ſpirituales æque ac corporales ex ipsâ componi: favent huic dicendi modo D. Auguſtinus *lib.* 12. *confeſ. cap* 20. *lib. de mirabilibus ſacræ Scripturæ cap.* 1 [illegible]. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 3. *p.* 1. *q.* 2. §. *Reſpondetur ad argumenta.* Aureolus *ead diſt. q.* 1. *art.* 1. aliique nonnulli apud Petavium *tom* 3. *Theologiæ dogmaticæ lib.* 1. *cap.* 4. Secunda pars traditur à Dequiros 1. *p. tract.* 8. *diſp.* 77. *ſect.* 2. & [illegible] .ubi latè defendit non repugnare de potentiâ abſolutâ materiam indifferentem ad eſſe ſpirituale & eſſe corporeum contrà alios Theologos magis communiter, inter quos tamen pauci expreſſis terminis controverſiam hanc agitant; id præſtat & contrà ſecundam partem noſtri aſſerti expreſsè ſentit Bubalus *q.* 50. *art.* 2. *quæſito* 1. *diffic.* 1. §. 2.

24. Materia rerum corporalium non poteſt ſpiritualizari.

Probatur prima pars: Nec materia noſtra, quæ de facto datur, poteſt ſpiritualizari, nec quando etiam poſſet ſpiritualizari, rectè poneretur de facto in Angelis, ergo Angeli non componuntur, &c. Antecedens quoad ſecundam partem probatur ex eo, quòd Angeli de facto ſunt ſubſtantialiter ſimplices juxtà infrà aſſerenda; quoad primam partem, ſecundùm quam ab Angelis etiam independenter ab ipſorum ſubſtantiali ſimplicitate excluditur cõpoſitio ex materia ejuſdem rationis cum noſtra, probatur primò: Materia noſtra, quæ de facto datur non eſt indifferens ad eſſe ſpirituale, & eſſe corporeum; nam vel talis indifferentia eſt phyſica, qualis eſt indifferentia ejuſdẽ materiæ ad hanc, vel illam formam materialem, vel eſt metaphyſica qualis eſt indifferentia generis ad hanc, vel illam differentiam: hoc ſecundum non eſt ad rem quia non quæritur in præſenti, utrùm à rebus ſpiritualibus, & corporalibus abſtrahi poſſit conceptus aliquis communis genericus. Primum dici non poteſt, quia ſecùs daretur à parte rei aliquod ens, quod neque eſſet ſpirituale, neque corporeũ, & contrà communem hominum ſenſum diviſio entis in ſpirituale, & materiale, ſeu in ſpirituale & corporeum non eſſet adæquata,

æquata. Secundò materia noſtra, quæ de facto datur, non ſpiritualizatur in homine, ergo quia ſpiritualizari non poteſt, antecedens ab ipſiſmet Adverſariis admittitur; nec ſuſtineri poſſet homo partim ſpiritualis, partim corporeus, ſi haberet etiam materiam ſpiritualem: conſequentia probatur, licèt materia in homine uniatur cum quantitate & formis partialibus corporeis, anima tamen rationalis, cum quâ ultimò & principaliùs unitur, eſt forma ſpiritualis; ergo ſi poſſet ſpiritualizari, non deberet in homine propter unionem cum quantitate, & formis partialibus corporeis reddi corporea, ſed potiùs propter unionem cum anima rationali reddi ſpiritualis. Tertiò ſi materia noſtra, quæ de facto datur, poſſet ſpiritualizari, corpus humanum ab animâ ſeparatum facilè poſſet etiam à quantitate ſeparari, & per qualitates ſpirituales diſponi ad formam Angelicam, quod eſſet favere illis, qui, ut ex D. Chryſoſtomo refert D. Thomas *opuſc.15.cap.19.* perniciosum dogma imponere volebant, quòd animæ morientium Dæmones fiant. Quartò quia ponere materiam quæ ſpiritualizari poſſit æquè ac corporari eſt ponere materiam ſpiritui, & corpori communem, quod malè conſonat verbis Concilij Lateranenſis ſæpiùs relatis, quibus aſſignatur ſolus homo tanquam creatura communis ſpiritui & corpori, Angelus verò adæquatè cõtrà diſtinguitur à creaturis corporalibus, quorum neutrum rectè ſalvaretur admiſsâ in Angelo materiâ communi rebus corporeis.

Si ſpiritualizari poſſet, ſpiritualizaretur in homine.

Error dicẽtium animas moriẽtium Dæmones fieri.

26. Probatur ſecunda pars: Componi ea materiâ ejuſdem rationis cum noſtrâ, ſpiritualizatâ tamen, & liberâ à quantitate, non excludit omnimodam ſpiritualitatem; ergo ex omnimodâ ſpiritualitate Angelorum non ſatis efficaciter probatur ipſos non componi ea materiâ ejuſdem rationis cum noſtrâ, ſpiritualizatâ tamen, &c. Conſequentia patet; antecedens probatur, componi ex materiâ ejuſdem rationis cum noſtrâ & dicit componi ex materiâ, & dicit talem materiam eſſe ejuſdem rationis cum noſtrâ; ſed componi ea materiâ non excludit ſpiritualitatem tùm quia aliud eſt eſſe ſpirituale, aliud eſſe ſubſtantialiter ſimplex; tùm quia debilis eſt ex *ſequenti* §. ſpiritualis materia, ex quâ & ſpirituali formâ compoſitum omninò ſpirituale conſurgat: Non item excludit ſpiritualitatem componi ex materiâ ejuſdem rationis cum noſtrâ, quoties talis materia ſupponatur ſpiritualizata & à quantitate libera, nam ſpiritualitas non excluditur ex præciſo conceptu materiæ, ſed ex conceptu materiæ corporeæ, dicentis ſcilicet determinatum ordinem ad quantitatem, & ſpecialem connexionem cum ipſâ; ergo.

Angelorum ſpiritualitas non ſatis infert ipſos carere materiâ ejuſdem rationis cum noſtrâ.

Dices hanc probationem eſſe de ſubjecto non ſupponente ob repugnantiam materiæ quæ ſpiritualizetur, & quæ indifferens ſit ad eſſe ſpirituale & eſſe corporeum; quæ item ſit ejuſdem rationis cum noſtrâ, & poſſit quantitatem non exigere: Neque à longè petenda ſunt hujus repugnantiæ argumenta quia ea ipſa quæ mox afferebamus ad probandam ſuperiorem primam partem aſſerti, præſertim primum & ſecundum argumentum non minùs de poſſibili, quàm de facto procedunt contrà materiam, quæ ſit ejuſdem rationis cũ noſtrâ & ſpiritualizari poſſit ac indifferenter conjungi cum carentiâ quantitatis æquè ac cum quantitate. Sed contrà: impoſſibilem eſſe materiam ejuſdem rationis cum noſtrâ, quæ poſſit ſpiritualizari,
duplicem habet ſenſum: Primus eſt, intel- 17.
ligendo nomine materiæ ejuſdem rationis cum noſtrâ materiam habentem ea omnia prædicata, quæ habet de facto noſtra materia, quod eſt dicere, quæ habeat exigentiam quantitatis, connexionemque cum ipſâ, & in hoc ſenſu rectè procedit inſtantia, noſtraque probatio eſſet de ſubjecto non ſupponente, ſi in tali ſenſu ſupponeret poſſibilem eſſe materiam, quæ ſit ejuſdem rationis cum noſtrâ, & poſſit ſpiritualizari: Secundus eſt intelligendo nomine materiæ ejuſdem rationis cum noſtrâ materiam aptã conſtituere eadem compoſita, quæ conſtituit noſtra materia; & in hoc ſenſu non eſt de ſubjecto non ſupponente probatio ſupponens materiam ejuſdem rationis cum noſtrâ, quæ poſſit ſpiritualizari; & exiſtimo valdè probabile, quòd talis materia dari poſſit, quamvis non detur de facto propter auctoritatem Concilij Lateranenſis, & communem tùm Sanctorum Patrum, tùm Theologorum ſenſum in oppoſitum.

Materia ejuſdem rationis cum noſtra duplicter ſumi poteſt.

Dices inſuper ſemel admiſsâ poſſibilitate talis materiæ non eſſe contrà Sanctorum Patrum mentem, quòd de facto detur; imò de tali materiâ tanquàm de facto à Deo productâ intelligi debere tùm D. Auguſtinum *lib.12. Confeſ.cap.20. In principio fecit Deus informem materiam creatura ſpiritualis & corporalis*, & *lib.1. de mirabilibus ſacræ Scripturæ cap.1. Deus ex informi materiâ, quam ipſe prius ex nihilo condidit, cunctarum viſibilium & inviſibilium rerum; hoc eſt ſenſibilium & inſenſibilium, intellectualium & intellectu carentium ſpecies multiformes diviſit*: tùm D. Bonaventuram *in 2.diſt.3.part.1.q.2.§. quod obiicitur*, ubi expreſsè ait. *Materia in ſe conſiderata neque eſt ſpiritualis, neque corporalis.*
28. Sed contrà: relata Auguſtini verba licèt multùm faveant opinioni admittenti de facto in rebus ſpiritualibus materiam ejuſdem rationis cum noſtrâ, nihilominùs explicari rectè poſſunt cum D. Thomâ *in quæſtionibus diſputatis quæſt. unicâ de ſpiritualibus creaturis a.1. ad 4.* dicendo nomine informis materiæ non intellexiſſe D. Auguſtinum unam eamdemque materiam communem rebus ſpiritualibus & corporalibus; ſed nomine materiæ informis reſpectu rerum corporalium intellexiſſe veram materiam corpoream, inanem tamen adhuc & vacuam propter carentiam formarum; nomine materiæ informis reſpectu rerum ſpiritualium, ſeu ſubſtantiarum Angelicarum intellexiſſe ipſas ſubſtantias ſpirituales ut informes & in potentiâ ad plures perfectiones. Ad verba D. Bonaventuræ dici poteſt ipſum nihil aliud intendere quàm quòd materia in ſe conſiderata neque ſpiritualiter

Quid intelligat Auguſtinus nomine materiæ informis reſpecta rerum ſpiritualium.

tualiter, neque corporaliter formata ſit; ideſt neque ſpiritualem, neque corporalem formam habeat.

29\. Diviſio entis in ſpirituale & corporeum quomodo ſit adæquata.

Ex dictis habetur diviſionem entis in ſpirituale, & materiale; ſeu in ſpirituale, & corporeum, eſſe adæquatum reſpectu entium de facto exiſtentium; non reſpectu eorum, quæ in aliâ rerum ſerie, & de potentiâ extraordinariâ produci poſſunt, ſi admittitur poſſibilis materia indifferens ad eſſe ſpirituale & eſſe corporeum: hac enim ratione addendum eſt diviſioni tertium membrum, ens ſcilicet neque ſpirituale, neque corporeum, ſed permiſſivè utrumque. Illi, qui opinantur ad perfectionem univerſi pertinere, quòd omnes gradus entis poſſibiles, nequeunt ens neque ſpirituale, neque corporeum concedere de poſſibili, quin aſtruant de facto; at nos exiſtimâtes ſufficere perfectioni univerſi, quòd contineat magnam, majoremvè partem graduum entis poſſibilium, ex nullius entis poſſibilitate cogimur admittere ipſius exiſtentiam. Potiùs hic nobis adverſatur quod alibi indicavimus in pari, aut non multùm impari causâ præſûptionem ſtare pro impoſſibilitate rei potiùs quàm pro poſſibilitate, & ex hoc capite aliqualiter retrahor ab aſtruendâ poſſibilitate materiæ neque ſpiritualis neque corporalis; quamvis enim non videam talis materiæ repugnantiam, non poſſum tamen ſufficienter oſtendere poſitivam non repugnantiam, ideò quò uſque occurrat validior ratio non repugnantiæ, ſanum conſilium fore crediderim abſtinere à controverſiâ dirimendâ.

---

§. V.

Vtrùm Angeli componantur ex materia ſpirituali.

30\. In Angelis non datur compoſitio ſubſtantialis ex materia ſpirituali.

Asserт. 1. Angeli de facto non componuntur ſubſtantialiter ex materiâ ſpirituali. Ità D. Thomas 1. *p. q.* 50. *a.* 2. ubi licet in propriis terminis non excludat ab Angelis materiam ſpiritualem, excludit tamen ipſam arguitive, dum *in reſp. ad* 3. non agnoſcit in Angelis niſi compoſitionem ex quo eſt, & quod eſt. Idem repetit *q.* 75 *a.* 5. *ad* 4. Cum D. Thoma ſentiunt non ſolùm Thomiſtæ, verùm etiam Valentia 1. *p. diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 4. Lugut *lib.* 3. *diſp.* 1. *c.* 2. *n.* 7. Dequiros *tract.* 8. *diſp.* 51. *ſect.* 1. *n.* 20. Bubalus *q.* 50. *art.* 2. *quæſtio* 2. *difficult. ult.* Averſa *q.* 50. *ſect.* 3. cæterique Theologi communiſſimè contrà Alenſem 2. *p. q.* 20. *mem.* 2. *art.* 2. Richardum *in* 2. *diſt.* 3. *a.* 1. *q.* 2. Aureolum *ead. diſt. q.* 1. *art.* 3. aliosque nonnullos ponentes in Angelis materiam diverſæ rationis à noſtrate.

Benè tamē compoſitio accidentalis.

Dixi *non componuntur ſubſtantialiter* ad indicandum non negari quòd Angeli componantur accidentaliter ex ſubjecto & accidente, ex propria ſcilicet ſubſtantia & formis accidentalibus, quæ quidem ſubſtantia, cum ſit ſubjectum ſpirituale, rectè dici poteſt ſpiritualis materia; & ſicuti ſubjectum corporeum accidentiû materialium, etiamſi ut plurimùm, ſit ſubſtantia côpleta, dicitur materia corporea, ità proportionaliter Angelus, etiā- 31.
ſi ſit ſubſtantia completa, quatenùs eſt ſubjectum ſuorum accidentium incorporaliû rectè dicetur incorporalis materia. Nec audiendi ſunt nonnulli, quorû meminit D. Thomas 1. 2. *q.* 50. *a.* 6. removentes ab Angelis omne accidens, & ponentes quidquid de Angelis dicitur eſſentialiter dici, quod eſſet negare in Angelis ſpecies intentionales, habitus, & plures alias perfectiones tùm naturales, tùm ſupernaturales; admiſſa igitur in Angelis compoſitione accidentali quoad compoſitionem eſſentialem, aſſertum

Probatur primò ex D. Dionyſio *cap.* 1. *de cœleſt. Hierarch.* Vbi vocat Angelos ſpiritus, qui formis carent; per ſe autem conſtat non poſſe ſubſtantialiter ex materiâ componi, quod caret forma; eoſdem *cap.* 4. *de divin. nomin.* ait eſſe immunes ab univerſâ materiâ, incorporales & immateriales; ubi ly *univerſâ materia*, ly *immateriales* ſuperadditum ad incorporales materiam etiam ſpiritualem ab Angelis removet. Dionyſio opponunt Adverſarij Auguſtinum locis *in ſuperiori* §. præcitatis, tribuentem Angelis materiam informem: Verùm Auguſtinus, ut explicatum eſt, loquitur de informitate accidentali, & ipſius auctoritas probat accidentalem, non ſubſtantialem compoſitionem Angelorum ex materiâ. Adde quòd verba relata *ex lib. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ*, quæ difficiliùs patiuntur ſenſum à nobis intentum mutantem habent auctoritatem; quia liber ille de mirabilibus non eſt liber authenticus, ſed falsò aſcribitur D. Auguſtino, ut notat D. Thomas Liber de mirab. ſac. Script. non eſt Auguſtini.
3. *p. quæſt.* 45. *art.* 3. *ad* 2. & probat Bubalus *de Angelis q.* 50. *art.* 2. *quæſito* 2. *difficult. ult.* § 3. ex eo quòd nec ſtylo, nec doctrina Auguſtinum referat.

Probatur ſecundò ratione. Non eſt po- 32.
nenda de facto in Angelis ſpiritualis materia, ex quâ ſubſtantialiter componantur, ſine ſpeciali neceſſitate; ſed nulla eſt ſpecialis neceſſitas talis ſpiritualis materiæ; ergo Angeli non componuntur de facto ſubſtantialiter ex ſpirituali materiâ; major patet ex regulâ generali non multiplicandi ſine neceſſitate entitates; ponere autem in Angelis materiam & formam potiùs, quàm entitatem ſubſtantialiter ſimplicem eſt ponere duplicem potiùs quàm unam entitatem, adeóque eſt entitates multiplicare. Minor probatur nec datur in Angelis ſubſtantialis mutatio, nec operatio ulla exigens ſpiritualem materiam: non datur ſubſtantialis mutatio, quia secùs daretur converſio unius Angeli in alterum Angelum, ſicuti ex rebus corporalibus, in quibus datur ſubſtantialis mutatio, una in alteram convertitur: Nulla operatio exigit ſpiritualem materiam, quia præcipuæ operationes Angelorû ſunt communes animæ rationali, in quâ non datur ſpiritualis materia; ſed neceſſitas materiæ non poteſt haberi niſi aut ex ſubſtantiali mutatione, aut

ex operatione ipſam exigente;ergo in Angelis nulla eſt ſpecialis neceſſitas ſpiritualis materiæ. Confirmatur: Angelis magis congruit ſubſtantialis ſimplicitas, quàm ſubſtantialis compoſitio, ergo non eſt aſſerenda in ipſis ſpiritualis materia,ex quâ ſubſtantialiter cõponantur;antecedens probatur,creaturis ſublimioribus & nobilioribus, cujuſmodi ſunt Angeli,id magis congruit, quod melius eſt; ſed ſubſtantialis ſimplicitas melior eſt,quàm ſubſtantialis compoſitio, & melius eſt habere omnem ſuã perfectioné ſubſtantialem per entitatem ſubſtantialiter ſimplicem, quàm per entitatem ſubſtãtialiter compoſitã;ergo.

Subſtãtialis ſimplicitas melior eſt ſubſtantiali compoſitione.

Dices: Imò in creatis ſubſtantialis compoſitio eſt melior ſubſtantiali ſimplicitate,quia quod eſt ſubſtãtialiter compoſitũ habet plures gradus entis, quàm quod eſt ſubſtantialiter ſimplex,in creatis autem quod habet plures gradus entis perfectius eſt, ſic animal eſt quid perfectius vivente,homo eſt quid perfectius animali, non niſi quia in animali sũt plures gradus entis,quàm in vivente; in homine plures, quàm in animali. Sed contrà: quod melius ſit & perfectius habere plures gradus entis verificatur de pluralitate formali, & metaphyſicâ, quâ habet plures gradus entis illud, quod habet plura prædicata eſſentialia, hâc ratione habet plures gradus entis animal, quàm vivens;homo,quàm animal: At non verificatur de pluralitate materiali, & entitativâ, quâ habet plures gradus entis illud, quod habet plures partes,alioqui habere duos gradus frigoris eſſet perfectius, quàm habere unum gradum lucis,& entitas quæcumque compoſita eſſet perfectior quacumque entitate ſimplici. Porrò in Angelis compoſitio ex materiâ & formâ inducit plures gradus entis tantùm materialiter & entitativè;nam quoad prædicata Angelorum eſſentialia, & metaphyſica nos cum adverſariis convenimus; nec pauciora, quàm ipſi, ponimus; Ideò, &c.

33. Quomodo quod habet plures gradus entis ſit perfectius.

Aſſert. 2. Non repugnant Angeli(Angelorũ nomine intelligẽdo ſubſtãtias homine nobiliores intellectuales, ac purè ſpirituales) qui ſubſtantialiter componantur ex materia ſpirituali.Ita Bubalus *q.50.a 2 quaſ.1.diffic.2.§.1.* Arriaga *diſp.3.ſect.4.* Martinon *diſp.36.n.25.* Dequiros *diſp.51.ſect.2.*aliique plures recentiores contrà Joã S.Thoma *q.50.a.2.n.7.* Lao *eod.art. dub.2.* Vaſq. *in annotat. ejuſd. art.*

34. Non repugnant Angeli compoſiti ſubſtantialiter ex materia ſpirituali.

Probatur primò. Non repugnat materia ſpiritualis; ergo non repugnant Angeli,qui ſubſtantialiter cõponantur ex materiâ ſpirituali;conſequentia patet,quia cõponi ex materia ſpirituali, ſuppoſita ipſius poſſibilitate, nec repugnat Angelis,quatenùs ſunt ſubſtãtiæ ſpirituales,ſpiritualitas quippè ex conceptu ſuo materiam corpoream, non materiam ſpiritualem excludit:nec repugnat iiſdé,quatenùs ſunt ſubſtãtiæ intellectuales,eſſe enim intellectuale cum admittat compoſitioné ex materia corporea ut patet in homine, multo magis admittet compoſitionem ex materia ſpirituali. Antecedens probatur primò ex D. Thoma *1.p.q.9.art.2.in c.* ubi negat animam educi ex materia ſpirituali, quia ſic ſubſtantiæ ſpirituales invicem tranſmutarentur; ſi autem exiſtimaſſet materiam ſpiritualem eſſe impoſſibilem, illud debuiſſet negare ex impoſſibilitate talis materiæ: Secundò materia ex conceptu ſuo importat ſolùm, quòd ſit pars incompleta unibilis alteri per modum ſubjecti, & potentiæ paſſivæ; ſed hæc non repugnant ſpiritualitati, nam ratio partis incompletæ convenit de facto animæ rationali ſpirituali;ratio ſubjecti & potentiæ paſſivæ convenit de facto cuilibet ſubſtantiæ ſpirituali creatæ in ordine ad formas accidentales; ergo conceptus ſpiritualitatis, & conceptus materiæ nullatenùs ſe excludunt, & per conſequens dabilis eſt ſpiritualis materia. Nec refert quòd dicere,ſpiritualis materia,idem ſit ac, immaterialis materia,adeoque ac materia ſine materiâ ſeu negans materiam. Non refert inquam, quia in hoc continetur pura æquivocatio; quatenùs materia ſumi poteſt vel pro ſubjecto, & parte intrinſecâ compoſiti; vel pro corpore, ſeu ſubſtantiâ habente ſibi coævam, & connaturalem quantitatem: Immateriale item ſumi poteſt vel prout negat materiam primo modo, & opponitur potentiali; vel prout negat materiam ſecundo modo, & opponitur corporali; dicere igitur materia immaterialis, dummodò ſumatur ly *materia* primo, ly *immaterialis* ſecundo modo, nulla eſt in terminis contradictio, nec unum aliud negat.

In quo ſenſu dici poſſit: Materia immaterialis.

Hinc habes obiter in ſpiritualibus æquè ac in corporalibus diſtingui poſſe materiam in primam & ſecundam; adeò ut ſicuti in corporalibus dicitur materia prima illa quæ eſt ſubſtantia incompleta corporea receptiva formæ ſubſtantialis; materia ſecunda illa quæ eſt ſubſtantia completa corporea receptiva accidentium materialium; ità in ſpiritualibus dicatur materia prima illa, quæ ſit ſubſtantia incompleta ſpiritualis receptiva ſubſtantialis formæ;materia ſecunda illa,quæ ſit ſubſtantia ſpiritualis completa receptiva accidentium immaterialium: In rebus deindè corporalibus datur utraque materia de facto,in rebus ſpiritualibus datur de facto ſola materia ſecunda, & remanet in puro ſtatu poſſibilitatis materia prima. 35

Dices: Quoad materiam ſecundam res benè procedit,non ſic quoad materiam primã,hæc enim ex conceptu ſuo eſt pura potentia,ſubſtantiæ autem ſpirituali repugnat quod ſit pura potentia, quia ſubſtantia ſpiritualis neceſſariò excedit omnem ſubſtantiam corpoream ſive hæc ſit materia, ſive ſit forma; ergo magis habet de actu quã quælibet forma corporea, ergo non poteſt ſubſtantia ſpiritualis eſſe pura potentia,adeoque repugnat ſubſtantiæ ſpirituali conceptus materiæ primæ: Eſt argumentum D. Thomæ *opuſc.15. cap.7.* Sed contrà: hæc inſtantia procedit ex ſuppoſitione,quòd materia prima careat omni actu etiã entitativo,habeatq; à forma exiſtentiam,& ſolùm juxta hujuſmodi ſuppoſitionem D. Thomas loco prǽcitato intendit probare impoſſibilem materiam ſpiritualem, quod non eſt cõtrà nos,qui nõ negamus impoſſibilitatem ſpiritualis materiæ ſuppoſitâ ipſius 36

Materia carens actu entitativo difficiliùs poteſt ſuſtineri ſpiritualis.

ipſius potentialitate adeò purâ ut excludat omnem actum etiam entitativum & eaiſtentialem, imò volumus materiam etiam primam habere ſibi identificatam ſuam eaiſtentiam, ſuumque actum entitativum, & eſſe puram potentiam ſolùm in ordine ad actum formalē ac informantem. Quâ ratione optimè admitti poteſt materia ſpiritualis perfectior forma corporea, & actualior ipſa quoad eſſe entitativum. Nec obſtat quod communiter dicitur materiam primã debeat eſſe ens infimum & imperfectiſſimũ: Hoc enim verificari ſolùm debet ſervata proportione adeò ut ſcilicet materia corporea ſit infima & imperfectiſſima inter ſubſtantias corporeas, materia ſpiritualis inter ſubſtantias ſpirituales.

Probatur ſecundò: Componi ſubſtantialiter ex materia ſpirituali nec repugnat Angelis quoad ipſorum eſſe, nec quoad ipſorum operari, ergo non repugnãt Angeli, qui ſubſtantialiter componantur ex materia ſpirituali.

57. Probatur antecedens quoad primam partem: ſi repugnat quoad ipſorum eſſe maximè quia ex tali compoſitione ſequeretur Angelos eſſe corruptibiles, cum quodlibet totum conſtãs ex materia, & forma poſſit per ſeparationem materiæ à forma dividi, diſſolvi, & corrũpi, ſed hoc non ſequitur, quia non eſt de eſſentia eujuſcumque compoſiti poſſe reſolvi in ſuas partes ab agente naturali creato, ſed ad ſummum poſſe reſolvi in ſuas partes à Deo; Angelica autem incorruptibilitas, ſeu indeſtruibilitas ſicuti non impedit, quin Angelus poſſit à Deo reſolvi in nihilum; ità multò minùs impediet, quin poſſit à Deo reſolvi in partes: faciunt hîc ad rem verba D. Thomæ 1. p. q. 75 a. 6. in c. *Dato etiam quòd anima eſſet ex materia, & forma compoſita, ut quidam dicunt, adhuc oportet ponere eam incorruptibilem; non enim corruptio invenitur, niſi ubi invenitur contrarietas, &c. unde corpera cæleſtia, quia non habent materiam contrarietati ſubiectam, incorruptibilia ſunt.*

Componi ex materiâ non infert corruptibilitatem.

58. Probatur antecedens quoad ſecundam partem: ſi componi ea materia repugnat Angelis quoad ipſorum operari, maximè quia materia debet conferre ad operationes compoſiti, materia autem etiam ſpiritualis nequit conferre ad intellectionem quę eſt potiſſima Angelorum operatio, eo quòd materia etiam ſpiritualis nequit recipere formas niſi modo entitativo ut eum ipſis cõponat coarctando ipſas ad ſe; intellectio autem requirit receptionem formarũ modo repræſentativo quo ſubjectum non coarctet ipſas ad ſe, imò relinquat ipſarum entitatem extrà ſe, ut magis explicant Thomiſtæ & nos etiã ſuprà attigimus *tr. 1. d. 3. c. 1. §. 5.* Sed propter hanc rationem non repugnat Angelis componi ex materia; ergo: Minor probatur; nec eſt ſimpliciter neceſſariũ materiã conferre ad operationem compoſiti, nec ſufficienter probatur materiã ſpiritualem conferre non poſſe ad intellectionẽ: Ratio primi eſt quia forma non exigens materiã ad operãdũ, optimè poteſt ipſam exigere ad eſſendũ eo quòd ſecundum ſe incompletè ſubſiſtat & per unionem cum materia conſtituat totum completè ſubſiſtens: nec certè apparet quid formæ ignis

Materia poteſt non conferre ad operationem compoſiti.

v. g. conferat materia ad calefaciendum ſubjectum extrinſecum, aut cur non perfectè & connaturaliter calefaceret forma ignis extrà ſubjectum conſervata; & tamen forma ignis in ordine ad eſſendum exigit materiam, & cum materia verè componit; ergo forma ſpiritualis optimè poteſt materiam ſpiritualem exigere & cum ipſa ſubſtantialiter componere, etiamſi iſta nihil illi conferat ad intelligendum. Nec obſtant verba S. Doctoris 1 p. q. 84. art. 4. in c. dicentis *Maximè videtur corpus eſſe neceſſarium animæ intellectivæ ad eius propriam operationem, quæ eſt intelligere, quia ſecundum eſſe ſuum à corpore non dependet*: Non obſtant, inquam, quia aliud eſt loqui de forma ſpirituali comparata ad corpus, ſeu materiam corpoream; aliud eſt loqui de eadem comparata ad materiam ſpiritualem, & propter diſtantiam, ac ſuperioritatem formæ ſpiritualis reſpectu materiæ corporeæ; optimè poteſt ſolùm propter operationem eſſe inter utramque commercium abſque eo quòd idem militet de forma ſpirituali reſpectu materiæ ſpiritualis, inter quam utramque eſt maxima propinquitas & proportio. Ratio ſecundi eſt, quia ut conſtat *ex §. 5. præcitato* Non eſt contrà conditionem materiæ recipere formas modo intentionali, & aliqualiter illimitato; nulla eſt igitur repugnantia in eo quòd materia ſpiritualis recipiat intentionaliter ſpecies intelligibiles & iſtas quodammodò formæ ſuppeditando conferat compoſito ad intellectionem.

Materia ſpiritualis poteſt conferre ad intellectionem.

Dubitatur hîc utrùm de potentia abſoluta etiam anima rationalis poſſit cõponi ſubſtantialiter ex materia ſpirituali. Reſpondetur negativè, ratio eſt quia anima rationalis eſt forma corporis, ſi autem componeretur ex ſpirituali materia eſſet in ſe quoddã totum, nec poſſet ampliùs venire in cõpoſitionem cum corpore tanquã forma & pars totius. Confirmatur: repugnat formæ corporeæ cõponi ex materia corporea, nec eſſet ulla ratio vocandi talem entitatem formam potiùs quàm materiã, ſi conſtaret ex materia, nec eſſet forma pura; ergo ſimiliter repugnat formæ ſpirituali, cujuſmodi eſt anima rationalis, cõponi ex ſpirituali materiâ. Neq; dicas Angelum, qui de potentia abſoluta cõponeretur ea materia ſpirituali, fore imperfectiorẽ anima rationali, ſi iſta etiã de potentia abſoluta talẽ compoſitionẽ excluderet. Contrà enim anima rationalis non excludit compoſitionẽ ex ſpirituali materiâ titulo ſpiritualitatis, intellectualitatis, aut incorruptibilitatis, ſed titulo formæ atq; entitatis incõpletæ, quod eſt idẽ ac dicere titulo imperfectionis potiùs, quàm perfectionis: è contrà igitur in Angelo talem compoſitionem non excludere arguit ipſum eſſe perfectiorem anima rationali potiùs quã imperfectiorem. 59.

Anima rationalis nõ poteſt cõponi ex materia ſpirituali.

Dubitatur inſuper: Vtrùm dato Angelo compoſito ea materia ſpirituali non ſolùm totus ipſe Angelus, verùm etiam forma Angelica conſiderata ſecundum ſe & ſeorſim à materia eſſet perfectior anima rationali. Reſpondetur affirmativè; ratio eſt quia talis forma Angelica diceret ordinem ad mate-

riam multò nobiliorem, quàm anima; & licèt fortè illa magis dependeret à materia ſpirituali, quàm iſta dependeat à materia corporea, hoc parùm referret, quia major dependentia ab aliquo perfectiore non imputatur ad imperfectionem.

---

§. VI.

Vtrùm Angeli componantur ex partibus integrantibus.

40. ASSERT. Angeli non componuntur ex partibus integrantibus etiamſi ea talibus partibus componi ſubſtantiæ ſpirituali non repugnaret. Ità omnes Theologi communiſſimè ſupponentes magis, quam probantes in Angelis partium integrantium carentiam; & licèt hanc ſupponant præcipuè ex eo quòd negari ſoleant cuicumque ſpirituali ſubſtantiæ partes integrantes, nihilominus illi etiam, qui ex oppoſito docent partes integrantes ſpiritui non repugnare, tales partes de facto ab Angelis excludunt. Ità inter alios Arrisga *diſp.3. ſect.8.* Deqniros *diſp.51. ſect.2.*

Dixi *etiamſi ex talib.partib.cõponi ſubſtantiæ ſpirituali non repugnaret*, ut innuerẽ me pro nunc dare, non ſimpliciter cõcedere talẽ non repugnantiã; imò ſi res eſſet ſimpliciter definienda, potiùs adhærerem negantibus, quàm concedentibus talem non repugnantiam; pro quo recolenda ſunt in primis ſupradicta, *tr.1. lib.1.c.6.§.2.* & deindè addenda nonnulla ex mox dicendis pro aſſerti probatione, quæ certè continet aliqua militantia contrà partes integrales non ſolùm de facto, verùm etiam de poſſibili ponendas in ſubſtantia ſpirituali, præſertim intellectuali, & licèt nulla ratio ad evidentiam perveniat, dum tamen talẽ repugnantiam ſuadent rationes ſatis efficaces, & plures graviores auctoritates, probabiliùs admittitur hujuſmodi repugnantia, quàm negetur, maximè additâ regulâ generali ſtandi, in cauſa non multùm impari pro impoſſibilitate potiùs, quàm pro poſſibilitate rei. Interim, quia magis certum eſt partes integrantes Angelis de facto non convenire, quàm certum ſit eaſdem cuilibet ſpirituali ſubſtantiæ ſimpliciter repugnare, independenter ab hac repugnantiâ Aſſertum

Partes integrales probabiliter repugnant cuilibet ſpirituali ſubſtantiæ.

41. Probatur primò: Anima rationalis non componitur ex partibus integrantibus; ergo neque Angelus; conſequentia patet quia ex unâ parte nulla poteſt eſſe neceſſitas ponendi partes integrantes in Angelo, quæ non urgeat pro animâ rationali; ex alia parte non cõponi ex partibus integrantibus affert animæ perfectionem potiùs, quàm imperfectionem, affert ſcilicet ipſi indiviſibilitatem, modum exiſtendi ſecundùm ſe totã in qualibet parte loci extenſi, & ſimilia; ea autem quæ animæ afferunt perfectionem ipſique conveniunt titulo perfectionis, à fortiori debent convenire Angelo, qui eſt ſubſtantia completa & magis perfecta in eo genere, in quo anima eſt ſubſtantia incõpleta & minùs perfecta. Antecedens probatur: anima rationalis eſt indiviſibilis, ſed ſi componeretur ex partibus integrantibus eſſet diviſibilis, imò divideretur quoties corpus animâ informatum dividitur, ergo anima rationalis non cõponitur, &c. Major probatur, anima rationalis eſt immortalis, ſed ſi eſſet diviſibilis non eſſet immortalis, imò quoties divideretur, ſecundùm aliquam ſui partẽ moreretur: Enimverò abſcindatur v.g. brachium homine remanente ſuperſtite: de parte animæ exiſtente in brachio, & quæ poſitâ ipſius diviſibilitate dividitur ab aliis partibus corporis, quæro, utrùm perſeveret in brachio abſciſſo, an ſe retrahat ad aliquam aliam corporis partem, an permaneat à toto corpore ſeparata? Primũ dici non poteſt, quia brachium abſciſſum adhuc viveret, vegetaret, & ſentiret, ſi in ipſo anima perſeveraret: Nec ſecundum, quia ſecùs in illa parte corporis, ad quam hæc pars animæ ſe retraheret, daretur duplex forma: Nec tertium, quia anima à toto corpore ſeparata adhuc in viâ perſiſteret, & in ſtatu viæ perſiſtens intelligeret independenter à phantaſmatibus, operaretur independenter à corpore, & fortè benè operando mereretur gratiam, dũ reliqua anima corpus informans peccando gratiam amitteret. Cum igitur nullum ex his dici poſſit, ſupereſt ſolùm quòd dicatur partem animæ quæ ab aliis divideretur, deſinere eſſe, perire, & mori.

Certius verò eſt ipſas nec dari in Angelo nec in anima rationali.

Dices hanc probationem ſupponere, quòd anima rationalis ſe extendat ad totum corpus, ideò poſſe rem aliter explicari ponendo animam rationalem diviſibilem quidem & extẽſam, ſolùm tamen extenſione correſpondente minimo naturali: Quo poſito, dum abſcinditur pars corporis, vel hæc pars pertinet ad minimum naturale, in quo anima eſt, & ſic cum anima nequeat manere in minori minimo ſeparatur à corpore ſecundùm ſe totã, non ſecundùm ſolam partem correſpondentẽ parti corporis abſciſſæ; vel hæc pars non pertinet ad minimum naturale, in quo anima eſt, & ſic per abſciſſionem talis partis non debet dividi aliqua pars animæ, cum in parte, quæ abſcinditur, anima nõ ſit: Ecce quomodo poteſt ſuſtineri animæ diviſibilitas abſque eo, quòd una pars animæ poſſit à corpore ſeparari aliis partibus à corpore non ſeparatis. Sed contrà: effugium hoc eſt contrà mentem omnium Catholicorum, imò omnium Philoſo- 42. phorum alicujus nominis; eſt inſuper contrà experientiam, quâ quiſque percipit ſe in toto corpore ſentire, & vegetare: Quòd ſi dicas hoc præſtari ab animâ: non quia in qualibet corporis parte exiſtat; ſed quia à minimo, in quo ipſa eſt, tranſmittit ſpiritus ad quamlibet corporis partem, abſurdum effugium alio abſurdiore confirmas.

Probatur ſecundò: Angeli nec ex partibus integrantibus homogeneis, nec ex partibus integrantibus etherogeneis cõponuntur; ergo non componuntur ex partibus integrãtibus: Probatur antecedens quoad primã par- 43. tem, tũ quia ſi conſtarent ex partibus homogeneis quilibet Angelus plures Angelos cõtineret, ſicuti quælibet aqua continet plures

aquas,

aquas, quilibet ignis, plures ignes, & in univerſum quodliber totum integrale homogeneum plura tota ejuſdem rationis cum ſeipſo: tùm quia poſitis partibus homogeneis non eſſet major ratio cur Angelus intelligeret in unâ parte, quàm in alterâ, quoties igitur intelligeret, deberet intelligere in quâlibet parte, & tot habere intellectiones, quot partes. Probatur antecedens quoad ſecundam partem, tùm quia ſicuti non ſunt multiplicandæ, ita nec diverſificandæ ſine neceſſitate entitates, ab Angelis autem nulla prodit operatio, nullus producitur effectus, neceſſario inferens diverſitatem, ſeu etherogeneitatem partium, tùm quia partes quò magis ſunt etherogeneæ, eò faciliùs diſſolvuntur, & conſtituunt compoſitum magis obnoxium deſtructioni ut patet in viventibus corporeis; at Angeli ſunt à diſſolutione & deſtructione maximè remoti, ergo debent etiam eſſe maximè remoti à partibus etherogeneis.

Angelus eſt magis ſimplex creaturis corporeis.

Ex dictis habetur Angelos eſſe magis ſimplices, quàm ſit quæcumque ſubſtantia corporea; eſſe verò minùs ſimplices quàm ſit Deus: Primum infertur ex eo quòd quæcumque ſubſtantia corporea componitur ſaltem ex partibus integrantibus, & ea quæ dicitur corpus ſimplex, ita dicitur ex eo, quòd careat compoſitione eſſentiali ex materiâ & formâ, non ex eo quòd careat compoſitione entitativâ ex partibus integranti-

Minùs ſimplex Deo.

44. bus: Secundum infertur ex eo, quòd Deus non ſolùm excludit compoſitionem tùm ex materiâ, & formâ tùm ex partibus integrantibus; verùm etiam compoſitionem realem ex naturâ, & ſuppoſito; ex ſubjecto, & accidente; item compoſitionem rationis ex genere, & differentiâ; quam omnem compoſitionem Angelus admittit: Et licèt compoſitio realis ex naturâ & ſuppoſito ſolâ ratione naturali probari vix poſſit, tamen ſuppoſitâ fide Incarnationis nos cogente ad admittendam in homine ſubſiſtentiam realiter à naturâ diſtinctam, non poteſt eadem realis diſtinctio ſubſiſtentiæ à naturâ & per conſequens realis ex utrâque compoſitio negari in Angelo accedente præſertim auctoritate Apoſtoli *Heb. 2. Nuſquàm Angelos apprehendit.* Licèt item compoſitio ex genere & differentiâ controvertatur in Angelis ab iis, qui volunt ſimpliciter genus à materiâ, differentiam à formâ deſumi, Nihilominùs quia ſolùm per appropriationem quamdam & analogiam verificatur deſumi genus à materiâ, & differentiam à formâ, quatenùs genus ſe habet ut quid determinabile ad modum materiæ, differentia ut quid determinativum ad modum formæ; in re verò genus deſumitur à quolibet prædicato communi fundante convenientiam, differentia à quolibet prædicato proprio fundante diſcrepantiam; optimè poteſt ac debet admitti in Angelis genus & differentia, etiamſi in iiſdem non admittatur materia & forma. Quoad compoſitionem ex eſſentiâ & exiſtentia, ſeu ex ex eſſentia & eſſe nihil occurrit ſpeciale in Angelis, & circà talem compoſitionem idem

Quomodò genus ſumatur à materia, differentia à forma.

protſus ſentiendum eſt de Angelis, quod dè aliis creaturis.

Habetur inſuper propoſitionem illam ſatis celebrem *Ubicumque datur potentialitas,* 45.
datur materia vel procedere de potentialitate ad formã ſubſtantialem, qualitateſuè, quæ ſint diſpoſitiones novæ formæ, & hac ratione ly *materia* ponit pro materia prima aut corporea, aut ſpirituali, prout potẽtialitas eſt ad qualitates aut corporeas aut ſpirituales: vel procedere de potentialitate ad qualitates purè perfectivas ſui ſubjecti, nec inductivas diſpoſitionũ novæ formæ ſubſtãtialis; & hac ratione ly *materia* ſupponit pro materia ſecunda corporea pariter aut ſpirituali juxtà conditionem qualitatum, ad quas eſt potentialitas. Aliter dici poteſt, quòd primo modo ly *materia* ſupponat pro parte materiali, pro ſubſtantia ſcilicet incompleta ſubſtantialis compoſiti conſtitutiva ſimul cum forma: Secundo modo ly *materia* ſupponat pro cauſa materiali, pro ſubſtantia ſcilicet ſive completa ſive incompleta exercente munus ſubjecti ſubſtantivi.

Quomodò detur materia ubicumque datur potentialitas.

---

§. VII.

An & quomodò Angeli ſint immortales & incorruptibiles.

ASSERT. I. Certum eſt ex fide Angelos 46.
eſſe aliquo modo immortales & incorruptibiles. Ita Omnes Theologi, imò omnes Catholici, & penè dixerim omnes etiam Ethnici excepto Plutarco infrà referendo.

Angelos eſſe aliquo modo immortales eſt de fide.

Probatur. Certum eſt ex fide Angelos eſſe perpetuò duraturos, nec umquàm paſſuros aut mortem aut corruptionem; ergo certum eſt ex fide Angelos eſſe aliquo modo, &c. antecedens probatur primò *ex pſal. 148.* ubi poſt commemoratos Cœlos & Angelos habetur *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi:* Secundò ex eo quòd æterna eſt & in perpetuum duratura tùm Angelorum malorum pœna ex Matth. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus;* tùm Angelorum bonorum gloria ex Matth. 22. *Erunt* (ſubintellige homines beati) *ſicut Angeli Dei in Cœlo*, certum autem eſt ex alibi dictis Angelos beatos frui in Cœlo viſione & vita æterna: Deindè malè ſervaretur ordo divinæ juſtitiæ ſi eſſent æterna Angelorum malorum ſupplicia, non verò Angelorum bonorum præmia. Confirmatur ex eo quòd Angeli ſunt perfectiores homine & conſequenter etiam animâ rationali; ſed de fide eſt animam rationalem eſſe aliquo modo immortalem, & incorruptibilem, cum hoc ſit ab Eccleſia definitum, ut infrà tradetur; ergo etiam de fide eſt eſſe aliquo modo immortales & incorruptibiles Angelos: Inde propterea hanc immortalitatem tradunt omnes ſancti Patres, quorum plura inſignia teſtimonia refert Bubalus *q. 50. a. 5. quæſito unico diffic. 1. §. 2.* imò *eodem quæſito diffic. ultima* oſtendit eſſe in hac veritate conformes

Fabuloſum commentũ de dæmonum interitu.

Sanctis Patribus antiquos Philoſophos & quoſcumque graves viros Ethnicos excepto Plutarcho qui *lib. de defectu oraculorum* ſcribit poſt certa temporum intervalla dæmones occumbere, eorumque vitæ novies mille ſeptingentos viginti annos eſſe tribuendos.

47. Aſſert. 2. Sumendo immortale & incorruptibile prout negat mortem & corruptionẽ propriiſſimè dictam ſitam in ſeparatione animæ à corpore, & in deſitione formæ manente ſubjecto, Angeli de facto exiſtentes ita ſunt immortales & incorruptibiles ut nec divinitùs poſſint mori & corrumpi. Eſt aſſertum conſequens ad ſupradicta de ſpiritualitate & ſimplicitate Angelorum, nec alios habet Adverſarios niſi Auctores ſuprà relatos pro Angelis aut ſimpliciter corporeis, aut ex materia ſaltem ſpirituali compoſitis.

Angeli in aliquo ſenſu ſunt immortales & incorruptibiles etiam de potentia abſoluta.

Probatur: Angeli de facto exiſtentes nõ conſtant materia, & formâ; ergo neque etiã divinitùs poſſunt in materiam & formam reſolvi, ſivè deindè per puram formæ ſeparationem, ſivè per formæ deſitionem talis reſolutio fiat; ſed mori & corrumpi propriiſſimè dicta important reſolutionem totius in materiam & formam; ergo ſumendo immortale & incorruptibile prout negat, &c. Antecedens ſupponitur ex aſſertis præcedẽtibus, conſequentia probatur quia neque etiam divinitùs poteſt aliquid reſolvi in id, ex quo non conſtat; alioqui indiviſibile poſſet reſolvi in partes, ſpiritus in corpora, accidens in ſubſtantias, &c. unico verbo quodlibet reſolvi poſſet in quodlibet. Hinc ſtatim patet, cur dixerim *Angeli de facto exiſtentes*; enimverò cum ex ſuprà poſitis §. 5. non repugnent Angeli conſtantes ex materia & forma, conſequens eſt quòd non repugnent Angeli reſolubiles divinitùs in materiam & formam, & à Deo corruptibiles; divinitùs inquam, & à Deo quia ex eo quòd aliquid conſtet materia & forma non ſufficienter infertur ipſum eſſe reſolubile, & corruptibile ab agente creato: & certè quòd Angeli, qui ex materia & forma cõponerentur, non poſſent ab agente corporeo deſtrui evincitur ex eo, quòd non poſſit corpus naturaliter agere in ſpiritum; Vtrùm verò ex talibus Angelis unus poſſet deſtruere alterum, ſuperior præſertim inferiorem, controverſia eſt, in quâ vix poteſt quidquam definiri, & liberum eſt unicuique abundare in ſenſu ſuo.

48. Aſſert. 3. Sumendo immortale & incorruptibile prout negat quomodocumque deſtrui, & deſinere etiam per annihilationem, Angeli non ſunt immortales & incorruptibiles in ordine ad potentiam Dei abſolutam, benè tamen in ordine ad potentiam Dei ordinariam, & multo magis in ordine ad virtutem naturalem cujuſcumque agentis creati.

In aliquo alio ſunt ſolùm tales de potentia ordinaria.

Probatur prima pars: Angeli ſunt à Deo ſimpliciter annihilabiles & poſſunt per ſubtractionem divini concurſus deſtrui & deſinere eſſe; ergo ſumendo immortale, & incorruptibile prout negat, &c. Angeli non ſunt immortales & incorruptibiles in ordine ad potentiam Dei abſolutam: antecedens probatur, Angeli ex ratione communi entis creati habent dependentiam à Deo in conſervari æque ac in produci; & Deus ſicuti liberè applicavit concurſum productivum, ita liberè continuat concurſum conſervativum eorumdem; ergo poteſt Deus ſuum concurſum Angelorum conſervativum ſubtrahere, & poſſunt Angeli per ſubtractionem talis concurſus deſtrui, ac deſinere eſſe. Dixi *ex ratione communi entis creati*, pro quo repetenda ſunt argumenta quibus *ſuperiore tr. lib. 1. cap. 7. §. 2.* probatur repugnare creaturam à Deo indeſtruibilem: & ex hujuſmodi argumentis manet probatum intentum non ſolùm quoad Angelos exiſtentes, verùm etiam quoad Angelum quemcumque poſſibilem: Nihilominùs quia magis certum eſt eſſe, à Deo deſtruibiles Angelos de facto exiſtentes, quàm certum ſit eſſe ex conceptu ſuo deſtruibilem creaturam quamcumque poſſibilem, independenter ab hoc ſecundo poteſt illud primum ſuſtineri, & ſuaderi probatione, quam mox ſubjicio: Ideò

Probatur aliter eadem prima pars: Nulla creatura de facto producta eſt a Deo indeſtruibilis, ergo ſumendo immortale & incorruptibile prout negat quomodocumque deſtrui, &c. Antecedens probatur ex D. Ireneo *lib. 3. adversùs hæreſes cap.* 8. ex D. Hieronimo *in c. 3. ad Epheſ.* ex D. Fulgentio *de fide ad Petrum cap.* 3. ex D. Epiphanio *hæreſi 76.* dicentibus *Quæcumque initium ſumpſerunt & finem habere poſſunt*: ex D. Athanaſio *oratione contrà gentes*, ex D. Auguſtino *lib. de natura boni c.* 1. ex D. Cyrillo Alexandrino *lib. 8. theſauri* dicentibus *omne, quod eſt ex nihilo, mutabile eſt in nihilum.* Ex Prudentio *in apotheoſi contrà Iudæos* canente

49. Etiamſi eſſet dabilis creatura indeſtruibilis Angeli de facto tales non eſſent.

Quod fieri recipit, recipit quandoque perire.

Hac poſtremâ auctoritate abutuntur nonnulli ad probandum Angelos de facto deſtrui, nec in perpetuum durare veruntamen ly *recipit quandoque perire* ſumendum eſt pro *poteſt perire*, quæ licentia metro non incongruè indulgetur. Confirmatur ex D. Ambroſio *lib. 3. de fide ad Gratianum cap.* 2. ubi de Angelo ait *Cujus immortalitas in voluntate eſt Creatoris.* Ex Sophronio *in Epiſtolâ approbata à 6. Synodo act.* 13. dicente de Angelis, *Gratiam à Deo ſortiti ſunt, quæ immortalitatem largitur, & incorruptionem eis providet.* Confirmatur inſuper à paritate animæ rationalis, quàm eſſe à Deo deſtruibilem evincitur *ex Matth.* 10. ubi poſtquàm dictum eſt *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere* dicitur de Deo *Qui ſolus poteſt animam & corpus perdere.*

Probatur ſecunda pars: Angeli ſunt perpetuò duraturi, ut *in ſuperiori primo aſſerto* probatum, ergo non poſſunt in ordine ad potentiam Dei ordinariam ullo modo deſinere, quæcumque enim deſitio etiam per annihilationem opponitur perpetuæ durationi. Neque dicas ſi quæcumque deſitio opponitur perpetuæ durationi, huic opponetur etiam deſitio per potentiam extraordinariam, 50.

&c

& conſequenter ex eo quòd Angeli ſint perpetuò duraturi ſit ipſos neque etiam per potentiam Dei extraordinariam ſeu abſolutam poſſe deſinere & deſtrui. Contrà enim perpetuæ durationi opponitur quæcumque deſitio actualis, & quia quæcumque deſitio quæ haberi poſſit par potentiam Dei ordinariam, aliquando fit actualis, potentia quippè Dei ordinaria regulariter conjungitur cũ actu ſecundo, perpetuæ durationi repugnat quæcumque deſitio, quæ haberi poſſit per potentiam Dei ordinariam: ex alia parte perpetuæ durationi non repugnat deſitio purè poſſibilis, nec umquàm ad actum reducenda, & quia talis eſt deſitio, quæ haberi poteſt per ſolam Dei potentiam extraordinariam, benè ſimul ſtat Angelos eſſe perpetuò duraturos, & tamen per potentiam Dei extraordinariam, ſeu abſolutam poſſe deſinere & deſtrui. Confirmatur ſpecialiter aſſerta Angelorum indeſtruibilitas in ordine ad virtutem naturalem cujuſcumque creati agentis partim à paritate animæ rationalis, de quâ dicitur Matth. 10. *Animam autem non poſſunt occidere*; partim quia, ut colligitur ex præcedente aſſerto nequeunt Angeli deſtrui niſi per annihilationem, annihilare autem ſicuti & creare nulli agenti creato convenit.

Perpetuæ durationi opponitur poſſe deſinere de potentia ordinaria, non de extraordinaria.

§ 1. Angeli ſunt indeſtruibiles ab intrinſeco & per naturã.

Aſſert. 4. Immortalitas, & incorruptibilitas conueniens Angelis convenit ipſis ab intrinſeco & per naturam, non ab extrinſeco & per gratiam. Ita D. Thomas 1. *p. q.* 9. *art.* 2. 2. *contrà Gentes c.* 55. Thomiſtæ communiter, Sylvius 1. *p. q.* 50. *art.* 5. Eſtius *in* 2. *diſt.* 8. § 5. Valentia 1. *p. diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 4. Lugus *lib.* 3. *diſp.* 1. *cap.* 3. *num.* 11. Herinex *tr.* 3. *diſp.* 2. *q.* 1. *num.* 21. &c. Contrà Scotum *in* 2. *diſt.* 8. *q.* 5. §. *Ad quæſtionem*, & *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 6. §. *Hic duo ſunt.* Gabrielem *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 1. Ochamum *ead. diſt. q.* 2. Vaſquium 1. *p. diſp.* 182. *cap.* 2. Martinonem *diſp.* 36. *ſec.* 6. aliosque nonnullos.

Probatur primò ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 8. ſic definiente de animâ rationali: *Cum diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere de natura animæ rationalis, quòd mortalis ſit, &c. damnamus & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalẽ eſſe, &c. quod cum illa non ſolùm verè per ſe & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verùm & immortalis.* Quibus verbis dum ſtatuitur animam rationalem non eſſe naturam mortalem, & eſſe per ſe immortalem, ſicuti eſt per ſe corporis forma, utique exprimitur animam rationalem eſſe immortalem ab intrinſeco & per naturam; ſed Angeli ſunt perfectiores & excellentiores anima rationali; ergo ipſi à fortiori ſunt immortales, & incorruptibiles ab intrinſeco, & per naturam.

Dices Concilium Lateranenſe loqui de corruptione & morte comparativè ad cauſas creatas; & reſpectu iſtarum tùm animam rationalem, tùm Angelum verè eſſe ex naturâ ſuâ immortalem, & incorruptibilem; cæterùm reſpectu Dei ſolùm eſſe talem ex gratia, & hoc quoad Angelos ſimul & animas rationales definitum eſt *in ſexta Synodo act.* 15. *Sic hominum animæ permanent incorruptæ, ſic Angeli immortales perſeverant, non naturali reverà, proprievè immortalem habentes eſſentiam; ſed gratiam à Deo ſortiti ſunt, quæ immortalitatẽ largitur, & incorruptionem eis providet.* Traditur hoc idem à Sanctis Patribus frequenter. Sic D. Bernardus 5. *de conſid. c.* 4. ait *Angelos beatos eſſe immortalitate perpetuò impaſſibiles, non creatos, ſed factos; id eſt gratiâ, non naturâ.* D. Hieronymus *dial.* 2. *contrà Pelagianos* ait *Solus Deus habet immortalitatem, quia per naturam habet & non per gratiam.* D. Damaſcenus 2. *fidei cap.* 3. ait *Angelus eſt ſubſtantia per gratiam, non per naturam, immortalitatem conſecuta.* D. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 3. *theſauri cap.* 2. *Angelus immortalis quædam res eſt propter voluntatem & gratiam Salvatoris.* Sed contrà: quod eſt tale ex natura eſt tale etiam reſpectu Dei, nõ ſolùm reſpectu cauſarum creatarum, cum hoc tamen diſcrimine, quòd à Deo eſt fruſtrabilis exigentia naturæ, non ſic à qualibet cauſa creata, undè benè ait D. Cyrillus *cap. præcit. Quæ naturis præcipuè inſunt, ea reſpectu Creatoris nil ſunt, quare ſicut ignis combuſtivus quidem eſt, ſed non Deo; ſic Angelus immortalis quidem eſt, ſed non Deo*, quibus verbis duo indicantur. Primum eſt ea, quæ conveniunt creaturis ex natura ſua, poſſe à Deo impediri: Secundum eſt convenire Angelo eſſe immortale eo modo, quo convenit igni eſſe combuſtivũ, & conſequenter ſicuti ignis eſt ab intrinſeco, & ex natura ſua cõbuſtivus, licèt poſſit à Deo impediri, ne comburat; ita Angelum eſſe ab intrinſeco & ex natura ſua immortalem licet poſſit à Deo impediri, ne perpetuo duret: Nec ſibi adverſatur idem Cyrillus in aliis verbis prællatis, quia nihil aliud intendit exprimere, quàm Angelum eſſe immortalem dependenter à voluntate, & libero arbitrio Dei, ut enim patet ex contextu illius capitis mens D. Cyrilli eſt aſſignare in Angelis immortalitatem diverſam ab immortalitate verbi Divini, ad quod ſufficit quod immortalitas Angelòrum à libero Dei arbitrio dependeat. Ex his eruitur impugnatio totius inſtantiæ; nam prima pars, in qua habetur Concilium Lateranenſe loqui ſolùm de immortalitate in ordine ad cauſas creatas, impugnatur ex eo quia Quidquid alicui convenit ab intrinſeco & ex natura ſua, convenit etiam reſpectu Dei: Secunda inſtantiæ pars, quæ innititur auctoritatibus impugnatur ex eo quòd Sancti Patres ſolùm intendunt aſſignare diſcrimen inter immortalitatem Dei, & immortalitatem Angelorum; quòd illa ſit ſimpliciter neceſſaria, independens, eſſentialis, nedum naturalis, iſta ſit quidem naturalis & intrinſeca Angelis, ſit tamen dependens à Deo & reſpectu Dei contingens: Vnde nomen gratiæ dupliciter ſumi poteſt, vel pro dono conceſſo ſupernaturaliter, & indebitè; vel pro dono conceſſo ex divina libertate, & naturalĩ beneficentia; in hoc ſecundo ſenſu uſurpant Sancti Patres nomen gratiæ, dum dicunt Angelos eſſe immortales per gratiam, habere immortalitatem ex gratia: eodemque modo dici poſſet Angelos fuiſſe per gratiam productos,

§ 2. Quod eſt tale ex natura ſua quomodo ſit tale etiã reſpectu Dei.

§ 3.

Diſcrimen immortalitatis Dei ab immortalitate Angelorum.

In quo ſenſu Sancti Patres vocent Angelos immortales per gratiam.

ductos, per gratiam intelligere, per gratiam velle, per gratiam eſſe in loco, omniaque naturalia dona fuiſſe ſortitos ex gratia: Potiùs tamen à Sanctis Patribus dici ſolet Angelus per gratiam immortalis, quàm per gratiam intelligens, &c. quia de dono immortalitatis ſpecialiter, non de aliis naturalibus donis fuit error, quòd Angelis eſſentialiter & omnimoda neceſſitate competeret; ideò Sancti Patres, ut huic errori occurrerent, de dono immortalitatis, non de aliis naturalibus donis expreſſerunt convenire Angelis per gratiam, ideſt, per liberam Dei voluntatem. Quòd ſi aliquis ex Sanctis Patribus gratiam uſurpavit pro dono ſupernaturali indebito, locutus eſt deindè de immortalitate morali, ſecundum quam Angelus beatus nequit per mortem peccati deficere à vita ſupernaturali.

54\. Probatur ſecundò ratione: Angelo eſt naturaliter debita duratio à parte poſt æterna, nec talis duratio poteſt ipſi negari niſi contrà naturalem exigentiam, & ex violentia; ergo immortalitas & incorruptibilitas conveniens Angelis cóvenit ipſis ab intrinſeco, & per naturam: conſequentia patet inductione, quâ oſtendi poteſt dici conveniens ab intrinſeco & per naturam quidquid eſt alicui naturaliter debitum & innegabile ſine violentia; alioqui nec ſoli illuminare, nec igni comburere, nec homini diſcurrere conveniret ab intrinſeco & per naturam. Antecedens probatur, non repugnat creatura, cui duratio à parte poſt æterna ſit naturaliter debita, & innegabilis ſine violentia; alioqui repugnaret etiam creatura, cui ſit naturaliter debita & innegabilis duratio pro ſequenti inſtanti; ſi enim ſemel repugnat exigentia durationis futuræ, non eſt major ratio, quòd repugnet pro pluribus, quàm pro unico inſtanti; ſed ſi non repugnat creatura, cui duratio à parte poſt æterna ſit naturaliter debita, &c. talis debet de facto aſtrui Angelus; ergo Angelo eſt naturaliter debita duratio, &c. Minor probatur, quia ex una parte Angelus de facto, utpotè ſpiritualis & ſimplex, nullum habet principium intrinſecum corruptionis & mortis; ex alia parte argumenta, quibus Adverſarij contendunt probare Angelos non eſſe immortales ab intrinſeco, & per naturam, fundantur maximè in eo quòd talis immortalitas ſit propria Dei, & repugnans creaturæ; ergo.

Omne innegabile ſine violentia convenit ab intrinſeco.

Dices creaturam, cui eſſet naturaliter debita immortalitas, & duratio à parte poſt æterna, fore perfectionis infinitæ; quia quò res majorem exigit durationem, eo eſt in ſe magis perfecta, adeóq; ſi exigat durationem infinitã, qualis eſt duratio æterna, erit in ſe infinitè perfecta, & ſicuti eſt argumẽtũ perfectionis infinitæ exigẽtia extẽſionis ad infinita ſpatia loci, ita deberet eſſe pariter infinitæ perfectionis argumentum exigentia extenſionis ad infinita ſpatia temporis; cum igitur Angelus non ſit perfectionis infinitæ non poteſt connaturaliter exigere durationem æternam, etiamſi ſit poſſibilis creatura talem durationem exigens. Sed contrà: falſum ſimpliciter eſt rem, quò majorem exigit durationem, eò eſſe in ſe magis perfectam, quandoque enim major duratio oritur ex imperfectione potiùs, quàm ex perfectione; ſic materia ex natura ſua magis durat, quàm forma, & tamen hoc ei convenit titulo imperfectionis, nimirum ex eo, quòd ſit pura potentia nullam habens formam ſibi contrariam, quæ exigat ipſius deſtructionem: Peccatum ex natura ſua eſt magis permanens & diutiùs durans, quàm opus bonum, & hoc ei convenit titulo imperfectionis, nimirum ex eo, quòd ſit malum naturæ viribus irreparabile, & conſtituat creaturam in ſtatu adeò imperfecto, ut nequeat ex ſe à tali ſtatu reſurgere. Demus tamen pro nunc, quòd res quò majorem exigit durationem eò ſit in ſe magis perfecta, adhuc exigentia durationis infinitæ non arguit perfectionem infinitam in re durante; quia talis exigentia nihil eſt aliud, quàm habitudo ad infinitum ſpatium temporis ſucceſſivo tamen & finito modo, ideſt ſecundùm unam partem poſt alteram correſpondens rei duranti, habitudo autem ad terminum infinitum finito tamen modo & quaſi per partes attactum non arguit infinitatem, ut patet in habitudine materiæ ad infinitos effectus: & hinc patet potiùs eſſe argumentum perfectionis infinitæ exigentiam extenſionis ad infinita ſpatia loci, quàm ad infinita ſpatia temporis, quia illa exigentia eſt ad terminum infinitum permanenter & ſecundùm ſe totum correſpondentem rei locatæ; iſta non item. 55.

Duratio diuturnior non eſt ſemper argumentum majoris perfectionis.

Nec duratio infinita eſt argumẽtum perfectionis infinitæ.

Probatur tertio: Angeli non ſunt incorruptibiles & immortales per donum aliquod gratuitum diſtinctum à creatione, & naturali conſervatione; ergo non ſunt incorruptibiles & immortales ab extrinſeco, & per gratiam, ſed ab intrinſeco, & per naturam: conſequẽtia patet, nec poteſt conceſſo antecedente negari, niſi abutendo terminis, & dicendo convenire ab extrinſeco & per gratiã quidquid convenit dependenter à Deo, quidquid eſt à Deo liberè. Antecedens probatur, tum quia dæmones ſpoliati omnibus donis gratuitis adhuc retinent incorruptibilitatem, tùm quia ſine neceſſitate multiplicatur entitas talis doni gratuiti, cum ſuſtineri poſſit Angelorum incorruptibilitas & immortalitas ab intrinſeco & per naturam abſque ullo ſupperaddito dono. Confirmatur: Non minùs eſt debitus Angelo concurſus, quò Deus ipſum perpetuò conſervat, quàm ſit debitus igni concurſus, quo Deus cum ipſo producit calorem; ſed hic concurſus reſpectu ignis eſt donum naturale, non gratuitum; ergo etiam ille alter concurſus reſpectu Angeli: major probatur, concurſus Dei in ordine ad calorem eſt naturaliter debitus igni, quia eſt juxtà ignis naturam, & non eſt contrà fortiorem exigentiam alterius cauſæ, ſi enim Deus igni in ordine ad calorem præbeat concurſum extraordinarium contrà exigentiam contrarij fortioris talis concurſus eſſet ſuprà naturam & ex gratiâ ſed etiam concurſus Dei in ordine ad perpetuam Angeli conſervationem eſt juxtà naturam ipſius Angeli, quia nihil 56.

Immortalitas in Angelo eſt donum naturale, non gratuitum.

magis

magis eſt juxtà cujuſcumque rei naturam, quàm conſervari & eſſe; non eſt contrà exigentiã fortiorẽ alterius cauſæ quia Angelus non habet contrariũ, quod poſſit exigere ſuſpenſionem concurſus conſervativi ipſius.

57. Diſcrimen inter Angelos, & creaturas ab intrinſeco corruptibiles.

Ex dictis habetur diſcrimen inter Angelos (idem quoad incorruptibilitatem procedit de animabus rationalibus) & creaturas ab intrinſeco corruptibiles: Iſtæ enim habent potentiam intrinſecam ad diviſionem; ad formas incompoſſibiles, ad qualitates cõtrarias; nõ ſic Angeli: Iſtæ ut plurimùm deſtruuntur non per merã ſubtractionem divini concurſus, ſed per actionem poſitivam terminatam ad aliquid ipſis oppoſitum, vel incompoſſibile; non ſic Angeli, qui per ſolã ſubtractionem divini concurſus deſtrui poſſunt nec aliqua poſitiva actio poteſt ad ipſorum deſtructionem concurrere: Undè rectè docet Suar. *hic lib.* 1. *c.* 10. Deum poſſe Angelos deſtruere non ratione omnipotentiæ, quia omnipotentiæ proprium eſt operari, Angeli autem non deſtruuntur Deo operante; ſed ratione libertatis, ratione cujus poteſt non agere, & Deo non agente, ſeu ceſſante ab actione cõſervativâ Angeli deſtruuntur.

58. Eſſe tale ab intrinſeco ſumitur dupliciter.

Habetur inſuper dupliciter aliquid poſſe dici tale ab intrinſeco; vel prout ly *ab intrinſeco* idem ſignificat ac eſſentialiter, quâ ratione homo dicitur ab intrinſeco rationalis, ab intrinſeco viſibilis; vel prout ly *ab intrinſeco* idem ſignificat ac cõnaturaliter, quâ ratione lapis ab intrinſeco deſcendit, ignis ab intrinſeco calefacit. Quod eſt tale ab intrinſeco in primo ſenſu neque etiam divinitùs poteſt non eſſe tale, quia eſſentiæ rerum neque etiam divinitùs poſſunt variari. Quod eſt tale ab intrinſeco in ſecundo ſenſu poteſt divinitùs non eſſe tale, quia connaturales rerũ exigentiæ poſſunt divinitùs fruſtrari licèt cum violentiâ ejus, cujus ſunt exigentiæ: Sic homo neque etiam divinitùs poteſt non eſſe rationalis, ignis verò divinitùs poteſt nõ calefacere. Porrò dum Angeli dicuntur ab intrinſeco indeſtruibiles, ly *ab intrinſeco* ſumitur in ſecundo ſenſu, non in primo, proptereà cum ipſorum indeſtruibilitate ab intrinſeco benè cohæret quòd poſſint divinitùs deſtrui.

§. VIII.

Utrùm repugnet Angelus ab intrinſeco corruptibilis?

59. Repugnat Angelus ab intrinſeco corruptibilis.

ASSERTUM. Repugnat Angelus, qui ſit ſubſtantia ſpiritualis ſimplex ſubſtantialiter, & ſit ab intrinſeco corruptibilis, tranſiens ſcilicet ex natura ſua & exigens aliquando deſinere. Dixi *Qui ſit ſubſtantia ſpiritualis ſimplex*, nam quoad Angelum poſſibilem qui ex materia & forma ſpiritualibus componeretur facillùs quis poſſet ſuſtinere corruptibilitatem ab intrinſeco; præſertim ſi aliundè ſentiret eſſe ab intrinſeco corruptibile quidquid componitur ex materia & forma corporeis: Dixi *tranſiens ſcilicet ex natura ſua & exigens aliquando deſinere* ut innuerẽ me in præſenti nomine corruptibilitatis ab intrinſeco non intelligere potentiam deſinẽdi per corruptionem propriiſſimè dictam ſitam in ſeparatione formæ à materiâ, quâ ratione cõſtat ex terminis Angelo, qui ſit ſubſtantia ſimplex, repugnare corruptibilitatem ab intrinſeco. Hoc aſſertum à paucioribus expreſsè agitatur, traditur tamen à Dequiros 1. *p. tr.* 8. *diſp.* 51. *ſec.* 5. Ripalda *tom.* 2. *de ente ſupernaturali diſp.* 104. *ſec.* 3. univerſaliùs docente repugnare creaturã ab intrinſeco tranſeuntem & exigentem aliquando deſinere & pro ſe alios plures referente contrà Arriagam *de Angelis diſp.* 2. *ſec.* 6. *n.* 26. *&* 33.

Probatur primò argumento morali: Repugnat ſubſtantia intellectiva ſimplex ab intrinſeco corruptibilis, tranſiens ſcilicet, &c. ſed Angelus eſt eſſentialiter ſubſtantia intellectiva; ergo repugnat Angelus, qui ſit ſubſtantia ſimplex, & ſit ab intrinſeco corruptibilis: Minor patet ex communi conceptu quẽ formamus de Angelo, & ex eo quòd 60.
ipſe eſt eſſentialiter perfectior homine; qui eſt ſubſtantia intellectiva: Major probatur; ſubſtantia intellectiva eſt eſſentialiter capax benè & malè operandi, merendi & demerendi; conſequenter eſt eſſentialiter capax præmij & pœnæ correſpondentis bonis & malis operibus, meritis & demeritis; hujuſmodi præmiũ & pœna debẽt eſſe æterna, ut quoad pœnam debitam peccatis ex profeſſo probatur ſuo loco, quoad præmium verò debitum bonis operibus infert à pari ex pœnâ debitâ peccatis, & ex eo quòd non debent eſſe inferioris conditionis merita in ordine ad præmium, quàm demerita in ordine ad pœnam, maximè reſpectu Dei de quo dici ſolet quòd citrà condignum puniat, & ultrà condignum præmiet; ergo etiam ſubſtantia intellectiva capax talis præmij & talis pœnæ debet eſſe æterna & immortalis, nec poteſt eſſe ex natura ſua tranſiens & exigens aliquando deſinere.

Subſtantia intellectivâ ſimplex petit eſſe æternâ.

Dices hoc argumentum æquè procedere de Angelo, qui ſit compoſitus ex materia, & forma ſpiritualibus; ac de Angelo, qui ſit ſubſtantia ſimplex, cum ille æquè ac iſte ſit ſubſtantia intellectiva merendi & demerendi capax, & tamen nos non aſſerimus æquè repugnare corruptibilitatem ab intrinſeco Angelo ſubſtantialiter cõpoſito; ac Angelo ſubſtantialiter ſimplici; ergo allatum argumentum aut nimis aut nihil probat. Sed contrà, in Angelo ſubſtantialiter compoſito poteſt dari 61.
corruptio ſeu deſtructio, partibus materia ſcilicet & forma permanentibus in eſſe, ideò Angelo deſtructo poteſt ipſius forma perſeverare perpetuò duratura in ſtatu ſeparationis & in tali ſtatu receptura æternũ præmiũ vel æternam pœnam eodem ferè modo, quo homine moriente anima perſeverat immortalis, &c. At in Angelo ſubſtãtialiter ſimplici non poteſt dari corruptio; niſi tota Angeli ſubſtantia deficiat, adeoque nihil Angeli remaneat aut in æternum præmiandum, aut in æternum puniendum: In Angelo igitur ſubſtantialiter ſimplici, non in Angelo ſubſtan-

Magis quam ſubſtantia intellectiva compoſitâ.

tialiter compoſito corruptibilitas ab intrinſeco repugnat cum exigentiâ aut æterni præmij aut æterni ſupplicij.

62. *Res naturalis non poteſt naturaliter deficere ſtante præſentia cauſæ & carentia contrarij.*

Probatur ſecundò argumento phyſico: Repugnat entitas naturalis quæ naturaliter deficiat ſtante præſentiâ cauſæ potentis ipſâ conſervare, & nullâ urgente exigentiâ contrarij fortioris; ſed Angelus ab intrinſeco corruptibilis, tranſiens ſcilicet ex naturâ ſuâ, &c. naturaliter deficeret ſtante præſentiâ cauſæ potentis ipſum conſervare, quia cauſa conſervativa Angeli eſt ſolus Deus, qui reſpectu nullius effectus poteſt eſſe aut abſens aut impotens: deficeret item nulla urgente exigentiâ contrarij fortioris, quia contrarietas non eſt niſi in ordine ad idem commune ſubjectum, in ſubſtantia autem ſimplici qualis eſſet Angelus, de quo in præſenti, non daretur aliquod commune ſubjectum, in ordine ad quod poſſet dari contrarietas: eſſet tandem talis Angelus entitas naturalis, quia eſſet ſubſtantia, ſubſtantia autem præſertim intellectiva in ſe ſupernaturalis eſt impoſſibilis *ex ſuperiore tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3 §. 6. & 7. ergo ſi repugnat entitas naturalis quæ naturaliter, &c. repugnat Angelus, qui ſit ſubſtãtia ſimplex, & ſit ab intrinſeco corruptibilis, &c. Major probatur: talis entitas nec deficeret ex libertate cauſæ, quæ licèt præſens & potens nollet ipſam conſervare; nec deficeret ex exigentia propriæ naturæ, quæ poſtularet à cauſa etiam præſente & potente non ulteriùs conſervari; nec ullo alio modo, quia non eſt excogitabilis alius modus naturalis deficientiæ; ergo repugnat entitas naturalis, quæ naturaliter deficiat, &c. Probatur antecedẽs quoad primam partem; ex purâ libertate cauſæ non deficit naturaliter niſi effectus, qui eſt à principio libero ut à cauſa particulari, cujuſmodi ſunt reſpectu voluntatis creatæ actus liberi, & reſpectu Dei effectus aliqui ſupernaturales omninò gratioſi, alioqui quælibet res deficiens ex ſubtractione divini cõcurſus dicenda eſſet deficere naturaliter, cũ quælibet ſubtractio divini concurſus ſit ex Dei libertate; ergo entitas naturalis, quæ ſcilicet pendet à Deo ut à cauſa univerſali, & communi naturæ Auctore, cujuſmodi eſt Angelus, non poteſt naturaliter deficere ex pura libertate cauſæ, nimirùm Dei conſervãtis.

63. *Nulla res poteſt exigere non conſervari.*

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem ex eo quòd repugnat res aliqua ex ſe exigens non conſervari tùm quia ex Auguſtino 11. *de Civit. cap.* 27. ſatis apparet quantùm refugiat natura non eſſe, tùm quia nihil ex ſe ſibi exigit proprium malum, cuilibet autem rei exiſtenti malum omnium maximum eſt non conſervari, tùm quia denique illud ex ſe res exigit, quod ex ſe ſibi tribueret ſi poſſet, ſed quælibet res ſibi tribueret ulteriorem ſemper & ulteriorem cõſervationẽ, ſi poſſet; ut colligitur ex eo quia quod habet ex ſe eſſe habet eſſe maximè neceſſarium; ergo quælibet res ex ſe exigit ulteriorem ſemper ac ulteriorem conſervationem, & conſequenter repugnat res aliqua ex ſe exigens non conſervari, alioqui eadem res exigeret cõnſervari, & non conſervari.

Dices hanc probationem, licèt videatur aliqualiter efficax, convinci tamen inefficacem ipsâ experientiâ, qua conſtat plures res ſtante præſentia cauſæ conſervantis, & abſentia contrarij naturaliter deficere: exemplificat hoc primò Arriaga *loc. præcit.* in eo, quòd quando è longinquo aliquid audimus, poſtquàm ceſſavit ſonus, qui eſt cauſa ſpecierum, fit in nobis auditio; adeóque durant poſt ſonum ſpecies intentionales ipſius, nec habent aliam cauſam conſervativam, quàm Deum; nam ſonus periit, & aer non eſt productivus ſpecierum, nec item habent contrariam; & tamen modico temporis interuallo durant, & naturaliter deficiunt. Exemplificat ſecundò in ſpeciebus intentionalibus intellectus, quæ etſi contrario careant, & cauſam conſervantem Deum ſcilicet & intellectum habeant ſemper eodem modo præſentem, ſæpè tamen deficiunt, undè ſæpè contingit videndo objectum aliàs viſum nullam haberi ipſius memoriam, ac ſi aliàs numquàm viſum fuiſſet. Exemplificat tertiò in impulſu projectis impreſſo, qui dum durat in abſentia ſeu diſtantia principij ipſum imprimentis conſervatur à ſolo Deo, & tamen Deo manente præſẽte, nec ullo novo contrario adveniente, naturaliter deficit.

64. *Quomodò deficiat ſonus, ejuſvè ſpecies.*

Sed contrà: Ad primum exemplũ dico ſpecies ſoni non trãſmitti ad potentiam auditivam, niſi cum aliquo impulſu aëris, per quem fit ſpecierum tranſmiſſio, ideò ceſſante tali impulſu ſpecies ſoni deficere, non autẽ deficere naturaliter & ex naturâ ſua: Eodem modo, ſi dicatur ſonũ ipſum non per ſpecies, ſed per propriam entitatem ad potentiam auditivam deferri, quamvis ceſſante ictu ſonus aliquandiù perſeveret à Deo conſervatus, cõſervatur solùm quo uſque perſeverat impulſus, motuſque aëris; quo deficiente non ab intrinſeco, & ex natura ſua, ſed defectu conditionis ad propriam conſervationem requiſitæ deficit: Adverte hic obiter non eſſe eamdem difficultatem de aliis objectis ſenſibilibus, ipſorumque ſpeciebus, quia cæteræ ſpecies ſenſibiles deficientibus objectis tãquam cauſis ipſarum productivis, ſtatim deficiunt, nec ullatenùs conſervantur in ſuorum objectorum abſentia.

65. *An & quomodò deficiant ſpecies intentionales in intellectu.*

Ad ſecundum exemplũ dico nec ſatis conſtare quòd deficiant ſpecies Intentionales intellectus, & quòd quis non recordetur ſe cognoviſſe hominem, quẽ aliàs reverà cognovit, provenire poteſt ex eo quòd hæc cognitio aliàs habita nullam ſui ſpeciem reliquerit: nec ſufficienter probari, quòd ſpecies intentionales intellectus, ſi quandoque deficiunt, deficiant ex natura ſua, & quia ex ſe petant deficere; dici enim poteſt deficere ex incapacitate intellectus, quatenùs ſicuti quodlibet ſubjectum habet determinatam capacitatem in ordine ad ſuſtentandas qualitates phyſicas adeò ut nequeat ſuſtentare niſi octo cujuſcumque qualitatis gradus, ità intellectus habeat determinatam capacitatem in ordine ad ſuſtentandas ſpecies intentionales adeò ut tali capacitate expleta quælibet nova ſpecies adveniens aliquam aliam antecedenter acquiſitam expellat, aliquam ſcilicet ex iis, quæ remiſſiores ſunt

&

66. & leviùs impreſſæ. Ad tertium exemplum dico impulſum projectis impreſſum non deficere nullo adveniente contrario, nam corpus projectum, quod per impulſum violentè movetur, ſemper producit conatum quemdam, ſeu impulſum contrarium, quo intendit recuperare propriam quietem; & per talem conatum ſucceſſivè productum ſucceſſivè minuitur, & tandem totaliter deſtruitur impulſus violentè impreſſus eo ferè modo, quo aqua ſucceſſivè in ſe producens connaturale frigus ſucceſſivè diminuit, & tandem totum deſtruit calorem in ſe ab agente extrinſeco violentè productum.

Quomodò deficiat impulſus projectis impreſſus.

Ex his exemplis ſic impugnatis haberi facilè poteſt impugnatio cujuſcumque alterius exempli, in quo Adverſarij contendant afferre rem aliquam deſinentem ab intrinſeco ſine ullo defectu principij conſervantis, & ſine ullâ oppugnatione contrarij; & conſequenter ſuperior probatio eſt verè efficax, nec ullam habet contrariam experientiam, quâ inefficaciæ convincatur.

Dubitatur hic primò: Vtrùm ſaltem ſit dabilis aliqua entitas naturalis, quæ præſente causâ potente conſervare, & nullo oppugnãte contrario habeat appetitum neutrum, ac indifferentem ad conſervari, & non conſervari; adeoque deficiat naturaliter negativè, id eſt ſine ullâ prorsùs violentiâ; quamvis non naturaliter poſitivè, id eſt non cum poſitivâ inclinatione ad deficiendum. Reſpondetur non eſſe dabilem: ratio eſt quia hujuſ-
67. modi appetitus neuter ac indiferens, prout eſt inclinatio innata (quam particulam appono ad differentiam appetitus neutri & indifferentis, qui ſit actus elicitus à principio libero; quâ ratione dari poſſe appetitum neutrum, imò etiam poſitivè determinatum ad non conſervari non eſt contrà id, quod docemus in præſenti) non datur, ut patere poteſt conſideranti & inducenti, niſi ad perfectiones aut diſparatas & indebitas, quâ ratione paries habet appetitum indifferentẽ, & neutrum ad eſſe album & non eſſe album, item ad eſſe album vel nigrum; imò in rigore neque unum, neque alterum appetit: aut inter ſe omninò æquales, quâ ratione materia habet appetitum neutrum ac indifferentem ad hanc vel illam formam ſubſtantialem, quia à qualibet formâ ſubſtantiali æquè perficitur; ignis habet appetitum neutrum ac indifferentem ad hunc vel illum locum ſuæ ſphæræ, quia in quolibet ſuæ ſphæræ loco æquè benè ſe habet: At conſervatio rei exiſtentis præſente causâ potente conſervare, & nullo oppugnante contrario neque eſt perfectio diſparata, & indebita; neque ipſi eſt perfectio æqualis non conſervatio; ergo præſente causâ potente conſervare, &c. dari non poteſt in ſe naturali appetitus neuter ac indifferens ad conſervari & non conſervari: Minor probatur, conſervatio eſt bonum maximè intrinſecum, maximeque proportionatum cuicumque rei; non conſervatio eſt maximum malum, ad quod neceſſariò ſequitur cujuſcumque boni carentia; neque enim poteſt quocumque alio bono actuali non carere, quod deficiente conſervatione caret exiſtentiâ; ergo conſervatio neque eſt perfectio diſparata & indebita; neque illi eſt perfectio æqualis non conſervatio; imò illa eſt perfectio magis proportionata & debita, quàm quæcumque paſſio, ſeu proprietas naturalis, cum hæc omnis illâ deficiente deficiat: Sicuti igitur non eſt dabilis entitas habens appetitum indifferentem & neutrum ad ſuas paſſiones, & proprietates naturales; ita à fortiori, &c.

Non eſt dabilis res habens appetitum neutrum ad conſervari, & non cõſervari.

Dices: Conſervatio nihil eſt aliud, quàm 68.
duratio & coexiſtentia ad ſpatium temporis; ſed datur in aliquâ entitate naturali, & ſpecialiter in Angelo appetitus neuter ac indifferens ad majorem, minoremvè præſentiam, ad coexiſtendum majori vel minori ſpatio loci, ergo etiam dari poteſt in aliquâ entitate naturali, & ſpecialiter in Angelo appetitus neuter ac indifferens ad majorem, minoremvè durationem, ad coexiſtendum majori, vel minori ſpatio temporis. Sed contrà: ad ſummũ benè procedit inſtãtia loquendo tùm de præſentiâ, tùm de duratione ſimpliciter & nullâ factâ ſuppoſitione; ſecùs loquendo de duratione ſtante preſentiâ cauſæ conſervantis, & abſentiâ contrarij: quâ ſolùm ratione nos negamus in entitate naturali appetitum neutrũ ac indifferẽtem ad majorẽ minoremvè durationem. Admitto igitur entitatem aliquã indifferentem ad majorem, vel minorem durationem; ac dico talem entitatem vel debere habere contrariũ, vel debere pendere à causâ, quæ non ſit ſemper permanens, præſens, & potens conſervare: quia deinde Angelus nec à tali causâ pendet, nec contrariũ habet, infero ipſum non eſſe indifferentem ad majorem, vel minorem durationem, ſed determinatè exigere durationem perpetuam. Neque ex ipſius Angeli indifferentiâ ad majorem vel minorẽ præſentiam aliquid probatur pro eiuſdem indifferentiâ ad majorem vel minorem durationem; quia non utraque indifferẽtia ex eadem radice pullulat, ſed ex diverſâ: nimirum prima indifferentia ex carentiâ quãtitatis; ſecunda ex obſiſtentiâ contrarij, vel imperfectione cauſæ conſervantis; datur autẽ reſpectu Angeli carentia quantitatis, non obſiſtentia contrarij, aut imperfectio cauſæ; ideò datur reſpectu ejuſdem prima, non ſecunda indifferentia.

Non eſt eadem radix indifferentiæ ad majorem vel minorem præſentiâ, quæ ad majorem vel minorem duratione.

Dubitatur ſecundo: Vtrùm ſaltem ſit dabi- 69.
lis entitas aliqua ſupernaturalis indifferens ad conſervari & non conſervari. Ratio dubitandi eſt, quia auxilia actualia gratiæ videntur eſſe qualitates ex naturâ ſuâ tranſeuntes; tale item videtur eſſe lumen conceſſum Divo Paulo in raptu: alioqui Deus miraculosè ſe gereret in ablatione auxiliorũ actualium, miraculosè item ſe geſſiſſet in ablatione luminis Divo Paulo. Reſpondetur entitatẽ aliquam ſupernaturalem eſſe poſſe ex naturâ ſuâ tranſeuntem aut indifferentem ad conſervari & non conſervari, impropriè & lato quodam modo, non propriè & rigorosè: Probatur & explicatur; entitatem aliquam eſſe ex naturâ ſuâ, id eſt ſtante præſentiâ cauſæ conſervantis & abſentiâ contrarij, tranſeuntem ſtat duplicitet: Primò

Entitas ſupernaturalis poteſt eſſe ex naturâ ſuâ tranſiens impropriè, non propriè.

quatenùs talis entitas exigat non eſſe;& hoc modo res eſt propriè ac rigoroſè ex naturâ ſuâ tranſiens; Secundò quatenùs talis entitas poſſit non eſſe, & deſtrui ſine miraculo; & hoc modo res eſt impropriè, & minùs rigoroſè ex naturâ ſuâ tranſiens; ſed eſt dabilis res aliqua ſupernaturalis quæ ſtante præſentiâ cauſæ potentis conſervare,& carentiâ, ſeu abſentiâ contrarij, poſſit deſtrui ſine miraculo, non verò quæ poſſit exigere non eſſe, aut non exigere eſſe, ergo eſt dabilis entitas aliqua ſupernaturalis ex naturâ ſuâ tranſiens impropriè, & lato quodam modo, non propriè & rigoroſè. Minor quoad ſecundã partem patet ex eo quòd repugnat res quæ aut ſibi exigat proprium malum, aut ſibi non exigat bonum proportionatum & maximè conveniens;& quoad hoc entitas ſupernaturalis non differt à naturali: quoad primam partem probatur: eſt dabilis res aliqua ſupernaturalis pendens à Deò ut à cauſâ particulari eo modo quo à noſtrâ voluntate pendent noſtri actus liberi, ſed talis res ſupernaturalis poteſt à Deo deſtrui ſine miraculo; & ſicuti noſtra voluntas dum utens jure liberatis ceſſat à conſervatione alicujus ſui actus, talis actus deſinit eſſe ſine miraculo, licèt non deſinat ad exigentiam contrarij, vel ob abſentiam cauſæ potentia ipſum conſervare, ita deſineret ſine miraculo res illa ſupernaturalis, reſpectu cujus Deus utens jure ſuę libertatis ſubtraheret concurſum conſervativum, licèt poſſet talem concurſum non ſubtrahere, & nullum contrarium exigat talem ſubtractionem.

70. Dices: etiam reſpectu Angeli &c. cujuſcúque alterius effectus creati Deus eſt cauſa libera; adeóque etiam Angelus poteſt à Deo deſtrui jure libertatis; ergo ſi illud, quod à Deo deſtruitur jure libertatis quamvis deſtruatur ſine exigentiâ contrarij & ſine defectu cauſæ conſervantia deſtruitur naturaliter, & abſque miraculo, etiam Angelus poterit à Deo deſtrui naturaliter & abſque miraculo. Sed contrà: reſpectu Angeli & cujuſcumque alterius effectus creati Deus eſt cauſa libera univerſalis, & ut cauſa libera univerſalis debet connaturaliter loquendo ſe accommodare exigentiæ cauſarum particularium; propterea nequit Deus Angelum, aut aliquem alium effectum, ad quem ſe habeat ut cauſa univerſalis, connaturaliter deſtruere niſi ad exigentiam alicujus cauſæ particularis creatæ. At reſpectu eorum, reſpectu quorum Deus eſt cauſa libera particularis, connaturalitas & exigentia deſtructionis ipſorum deſumi poteſt ex ipſo jure libertatis Dei tamquàm cauſæ particularis exigentis, quòd jus propriæ libertatis prævaleat exigentiæ & inclinationi, quam res, quæ deſtruitur, habet ad ſui conſervationem, & permanentiam in eſſe.

Deus reſpectu effectuum naturaliũ eſt cauſa libera univerſalis, non particularis

CAPVT III.

De multitudine, & diverſitate Angelorum.

Nec nimia parcè, nec nimis prodigè, nec promtaùs indefinitè de Angelorũ multitudine ſentiendum eſt. Primo vitio laborant 5.
tùm nonnulli hæretici, quorum meminit D. Thomas *in 2. diſt. 3. q. 1. art. 3. in c.* ponentes unum tantùm eſſe Angelum diverſa ſortitum nomina ſecundùm diverſos actus; tùm plures Antiqui Philoſophi tot ſolùm ponentes Angelos, quot ſunt orbes, aut motus Cœlorum, quâ ratione 12. *Metaph. text.* 48. quadraginta ſeptem cæleſtium corporum motus & totidem intelligentias dari conſtituit Ariſtoteles, quamvis deindè non ſit in adeò exiguo intelligentiarum numero ſatis conſtans, ſed 1. *de Cœlo t.* 9. & alibi ſatis inſinuet ſe agnoſcere alias quaſdam ſempiternas mentes. Secundo vitio laboraret quiſquis infinitã Angelorum multitudinem aſtrueret. Tertio vitio laborat in primis Calvinus *lib. 1. inſtitut. cap.* 14. dicens relinquenda eſſe, quæ ab hominibus otioſis de Angelorum multitudine & ordinibus abſque Dei verbo traduntur: eodem deindè vitio laborat Rabbi Moyſes, quatenùs vult Angelos non eſſe in determinato numero, ſed per Angelos ſignificari in Scripturis omnem virtutem vel corporalem, vel ſpiritualem, per quam Deus quaſi per ſuæ voluntatis nuntium ordinem providentiæ explet, quamvis ex aliâ parte ſumendo Angelos pro ſubſtantiis immaterialibus ſeparatis aſtruat illos in numero determinato, tot ſcilicet, quot ſunt motus, aut orbes cæleſtes juxtà Philoſophos præcitatos; undè hic Auctor duplici laborat vitio, dum partim indefinitè, partim nimis parcè ſentit de Angelorũ multitudine. Nos ab hiſce vitioſis extremis recedendo non ſolùm comprobabimus finitum quidem ingentem tamen & maximum numerum Angelorum; verùm etiam conabimur aliquid determinatè ſtatuere de tali numero ſaltem comparativè, comparãdo ſcilicet multitudinem Angelorum ad multitudinem aliarum creaturarum, & definiendo Vtrum Angeli ſint plures, quàm homines? Vtrùm ſint plures, quàm ſpecies aut etiam individua rerum materialium? Quibus ſtatutia diſcutietur, quamnam habeant in ſuâ pluralitate diverſitatem, Vtrùm ſolùm ſpecificam? quatenùs quilibet Angelus ab alio quolibet differat ſpecie: An ſolùm numericam? quatenùs quilibet Angelus ab alio quolibet differat ſolo numero: an verò tùm ſpecificam, tùm numericam? quatenùs dentur in Angelis tùm plures ſpecies, tùm plura individua ſub eadem ſpecie; ſeu tùm diſtinctio ſpecierum, tùm diſtinctio individuorum ſub ſpeciebus.

Triplex error circa Angelorum numerum.

§. I.

§. I.

Quàm certum ſit Angelos eſſe multos, & in magno numero.

2\. *Angelos eſſe multos eſt certum certitudine fidei.*

ASSERT. 1. Simpliciter certum eſt ſupernaturali certitudine fidei Angelos eſſe multos, & in magno numero. Ità omnes Theologi, omneſque Catholici contrà errores præallatos

Probatur ex Scripturâ: Iob.25. *Quis numerus militum ejus?* Danielis 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Apoc.5. *Erat numerus eorum millia millium.* Matth.26. *Exhibebit mihi modò plusquàm duodecim Legiones Angelorum.* Neque hiſce textibus obſtant verba Angeli Raphaëlis *Tob.12.* dicentis *Ego ſum unus ex ſeptem qui aſtamus antè Dominum.* Enimverò præter quòd dici poteſt ſeptenario numero univerſitatem ſignificari; facilè ut notat Averſa *1.p.q.50. ſect 6.* exponitur dicendo ſeptem eſſe Angelos quaſi Principes conſtitutos ad regimen rerum humanarum. Confirmatur aſſerta fidei veritas tùm ex infrà aſſerendis de numero Angelorum comparativè ad alias creaturas, tùm ex Sanctis Patribus Athanaſio, Irenæo, Hilario, Hieronymo, Nyſſeno, Chryſoſtomo & aliis, qui omnes unanimi conſenſu magnificant copioſam Angelorum multitudinem, ut abundè conſtat ex ipſorum verbis relatis à Bubalo *q.50. art.3. §.3.*

3\. *Non ſic certitudine purè naturali.*

Aſſert.2. Non eſt ſufficienter certum certitudine purè naturali Angelos multos eſſe, & in magno numero: non deſunt tamen naturales congruentiæ pro tali veritate probabiliter ſuadendâ.

Probatur prima pars, in quâ dixi *certitudine purè naturali* ut excluderem certitudinem mixtam ex naturali, & ſupernaturali, qualis eſt certitudo Theologica, quâ utique ſufficienter conſtat Angelos multos eſſe; ſuppoſitâ enim ex fide cuſtodia Angelorum in homines, dæmonumque in eoſdem pugna facile eſt Theologo certa illatione deducere maximum numerũ Angelorum. Probatur, inquam, prima pars: Non eſt ex ſuprà dictis *cap.1. §.2.* ſufficienter certum certitudine purè naturali Angelos eſſe, ergo à fortiori non eſt eadem certitudine ſufficienter certum ipſos multos eſſe; cum præſertim ſicuti liberum Deo fuit Angelos creare & non creare; ita liberum eidem fuerit Angelos paucos creare, vel multos; & ſicuti nullis, ità paucis exiſtentibus Angelis tùm univerſi perfectio, tùm Dei dignitas ſatis ſubſiſteret, quamvis utraque in ingenti Angelorum copiâ luculentiùs appareat.

4\. *Congruentiæ naturales pro maximâ Angelorum multitudine.*

Probatur ſecunda pars afferendo pro Angelorum multitudine nonnullas naturales congruentias: Prima ſit, quia confert ad dignitatem Principis Aulicorum & miniſtrorum multitudo juxta illud Proverb 14. *In multitudine populi dignitas Regis*; ergo maximæ Dei majeſtati congruit maxima multitudò Angelorum ipſi aſſiſtentium, ac miniſtrantium: Secunda ſit, quia nullus Angelus de novo producitur, ergo congruum eſt fuiſſe maximo numero in primâ ſui creatione productos. Tertia & potiſſima ſit quæ affertur à D. Thoma *1.p.quæſt.50. art.3.in c.* illis verbis: *Cum perfectio univerſi ſit illud, quod præcipuè Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua ſunt magis perfecta, tanto in majori exceſſu ſunt creata à Deo; ſicut autem in corporibus attenditur exceſſus ſecundùm magnitudinem, ità in rebus incorporeis poteſt attendi exceſſus ſecundùm multitudinem.* Neque dicas ex Durando *in 2. diſt.3. q.4. num.8.* eadem ratione probaretur perſonas divinas utpotè ſubſtantias perfectiſſimas eſſe in maximo numero, & in univerſum creaturas perfectiores eſſe in majori numero; quàm creaturas minùs perfectas; eſſe v. g. plures ſoles, quàm ſtellas; plures aquilas, quàm muſcas, plures homines, quàm formicas.

Contrà enim: impugnatio robur aliquod præſeferret, ſi Angelicus Doctor rationem illam urgeret tanquàm ſimpliciter, & nullâ factâ ſuppoſitione efficacem ad probandam Angelorum multitudinem; at Sanctus Doctor ſolùm utitur illâ ratione ad oſtendendam talis multitudinis aliundè innoteſcentis congruentiam, quod longè diverſum eſt: ideò ut poſſet eadem ratio militare pro maximâ multitudine divinarum Perſonarum; pro majori numero hominum, quàm formicarum, &c. deberet priùs aliundè conſtare plurimas eſſe divinas Perſonas; plures eſſe homines, quàm formicas, &c. Deindè Sanctus Doctor dicens *quanto aliqua ſunt magis perfecta, tanto in majori exceſſu ſunt creata à Deo*, Loquitur ſolùm de iis quæ ſe habent ut partes univerſi præcipuè, cujuſmodi ſunt Angeli, cœlum, elementa? ex his enim ſolùm conſurgit perfectio univerſi, quam præcipuè Deus intendit. Tandem ex majori perfectione non infertur major exceſſus in multitudine, niſi deſit exceſſus in magnitudine, cum igitur homo formicam; Aquila Muſcam magnitudine excedat, non remanet locus inferendi ex majori perfectione exceſſum in multitudine. 5.

Quomodò quæ ſunt in univerſo in majori exceſſu ſint magis perfecta.

Antiqui Philoſophi agnoverũt Angelos eſſe valdè multos.

Probatur inſuper eadem ſecunda pars ex eo, quòd omnes ferè antiqui Philoſophi, ut eruditè oſtendit Bubalus *quæſtione 50. art. 3. quæſito unico difficult. 1. §.1.* vel ſub Dæmonum, vel ſub Geniorum, vel ſub Deorum nomine multos & in magno numero Angelos admiſerunt; & licèt potuerint ad hoc excitari vel ex lectione ſacrorum librorum, vel ex narratione fidelium, non eſt tamen veriſimile viros naturalium rationum valdè ſolicitos in id conſenſiſſe abſque ullâ ratione probabili, & congruentiâ naturali.

§. II.

Vtrùm Angeli ſint plures, quàm homines quocumque tempore exiſtentes.

6. ASSERT. Probabilius eſt Angelos eſſe plures, quàm homines quocumque tempore exiſtentes; adeò ut multitudo Angelorum valdè excedat totam multitudinem hominum tùm præteritorum, tùm præſentium, tùm poſteritate totâ futurorum. Ità Vaſquez 1.*p.diſp.*180. *cap.*3. *num.*8. Lugus *lib.*3. *diſp.*2.*cap.*1. *num.*6. Bubalus *q.*50.*a.*3. *quæſito unico diffic.*3. Lao *diſp.*263. *dub* 3. Averſa *q.*50. *ſect.*6. Herinea *tract.*3. *diſp.*2. *q.*3.*n.*28. *&c.* Contrà nonnullos relatos ab Athanaſio in libro quæſtionum ad Antiochum *q.* 2. aſſignantes æqualem numerum Angelorum & hominum; multoque magis contrà quoſdam Recentiores, quorum meminit Bubalus *loco præcit.* ponentes majorem numerum hominum, quàm Angelorum.

Angeli ſunt plures hominibus, id tamen probabiliter ſolùm conſtat.

Probatur primò: licèt, ut ait D. Thomas 1.*p.q.* 50.*art.*3. *ad* 4 *Multiplicatio Angelorum ſit accipienda ſecundum divinam ſapientiam diverſos ordines immaterialium ſubſtantiarum excogitantem*, & per conſequens nulla poſſit ex naturâ rei aſſignari ſufficiens ratio majoris numeri Angelorum, quàm hominum, aut è contrà; imò licèt nec in Scripturâ talis major numerus exprimatur, nec ab Eccleſiâ, aut à communi Sanctorum Patrum conſenſu definiatur, adeòque nullo certo argumento poſſit ſtabiliri; tamen ex Angelorum præſertim in homines cuſtodiâ Angelos plures eſſe, quàm homines, valde probabiliter deducitur; ergo probabilius eſt Angelos eſſe plures, quàm homines, &c. Antecedens probatur; boni Angeli infimi ordinis ſunt tot, quot homines quocumque tempore exiſtentes; ſed ultrà bonos Angelos infimi ordinis dantur alij plures Angeli, nimirùm tùm Angeli mali, qui non in exiguo numero ſunt; tùm Angeli boni ordinum ſuperiorum, quos veriſimile eſt juxtà majorem ordinis perfectionem, majorem ſortiri multiplicationem; ergo Angeli ſunt plures, quàm homines, &c. Major probatur.

7. Omnes & ſinguli Angeli cuſtodes ſingulorum hominum ſunt Angeli boni, ut per ſe patet, & ſunt infimi ordinis, ut tradit D. Thomas 1.*p q.*113.*art.*3.*in c.* Sed hi ſunt tot, quot homines quocumque tempore exiſtentes, quia nec ſimul nec ſucceſſivè idem Angelus ad diverſorum hominum particularem cuſtodiam præficitur: quod probatur primò ex eo quòd quilibet homo habet diverſam naturæ conditionem, diverſamque diſpoſitionem ad finem ultimum; quilibet igitur exigit diverſum Angelum, à quo diverſimodè in finem ultimum dirigatur, & juxtà propriæ naturæ conditionem reguletur. Secundò ex eo quòd, cum ſinguli homines ſint perpetui, ſicuti ſunt perpetuæ ſpecies rerum corruptibilium, divina providentia principaliter reſpiciens perpetuitatē, eodem modo comparatur ad ſingulos homines, quoad ſingulas ſpecies rerum corruptibilium; ſicuti igitur juxtà Divum Gregorium *Homil.*34. *Deus providet ſingulis ſpeciebus rerum diverſos Angelos*, ità rationabile eſt, quòd diverſos pariter Angelos provideat ſingulis hominibus. Tertiò ex eo, quòd quilibet Angelus in univerſali reſurrectione colligit cineres hominis à ſe cuſtoditi, ipſumq; in die judicij comitabitur. Quartò quia teſte Vaſquio 1. *p. diſp.*245. *cap.*1. *num* 2. adeò communis eſt hâc in re Patrum, & ſcholaſticorum ſententia, ut nequeat ſine gravi temeritatis notâ negari.

Singulis hominibus ſinguli Angeli præficiuntur ad cuſtodiam.

8. Probatur ſecundò: Nullum eſt ſufficiens & probabile fundamentum ponendi Angelos numero æquales, aut pauciores hominibus; ergo probabilius eſt eſſe plures, cum pro iſtâ pluralitate licèt deſit argumentum convincens, optimè ſuppetat fundamentum probabile, quòd quoties alicujus contrarij fundamenti probabilitate non infirmatur, ſufficiens eſt ad firmandam majorem probabilitatem ſimpliciter: Antecedens probatur fundamentum ponendi Angelos hominibus numero æquales eſt præcipuè illud *Deuter.* 32. ubi in verbis illis *Conſtituit terminos populorum juxtà numerum filiorum Iſrael* pro ly *filiorum Iſrael* legunt ſeptuaginta *Angelorum Dei* fundamentum ponendi Angelos hominibus pauciores eſt præcipuè illud Apocal. 12. *Draco traxit ſecum tertiam partem ſtellarum.* Pſal. 109: *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas*; Matth. 22. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*: Ex quo triplici textu tria eruuntur: ſcilicet tertiam partem Angelorum eſſe damnatam: tot homines eſſe ſalvandos, quot Angeli fuerunt damnati: valdè exiguam & minorem tertiâ, hominum partem ſalvari. Ex his fit partem hominum minorem tertiâ adæquare tertiam partem Angelorum, ſeu quod idem eſt tertiam partem Angelorum eſſe minorem tertiâ parte hominum, & per conſequens totam multitudinem Angelorum eſſe minorem totâ multitudine hominum, Angeloſque eſſe pauciores hominibus. Sed neutrum ex his fundamentis eſt ſufficiens & probabile: Non primum; quia ſecundùm verſionem ſeptuaginta ly *Angelorum Dei*, ſi veros Angelos ſignificat, non eſt intelligendum de omnibus Angelis, ſed de ijs ſolis quos Deus conſtituit Principes populorum; Dixi *ſi veros Angelos ſignificat* quia probabilius eſt ſeptuaginta, ne ipſorum verſio ponatur à verſione Hebræâ diſcurdans, per ly *Angelorum Dei*, voluiſſe ſignificare filios Iſraël, ut ſenſus ſit Deum, quando mundi regiones gentibus diſtribuit, ità terminos earum conſtituiſſe ut ſervaverit optimam quamdam partem, quæ abundè ſufficeret pro numero & multitudine filiorum Iſraël: Non ſecundum; quia prælium deſcriptum in loco illo Apocal. à pluribus intelligitur committi in Cœlo myſtico Eccleſiæ vel quotidiè inter bonos Angelos hominum cuſtodes, & malos Angelos hominum Adverſarios, vel in 9.

Prælium Angelorū variè exponitur.

fine

fine mundi inter homines juſtos à bonis Angelis roboratos, & Antichriſtum ejuſque aſſeclas ab Angelis malis concitatos: Ab illis verò, à quibus prælium illud accipitur de eo, quod in Cœlo vero inter Angelos geſtum eſt, vel nomine tertiæ partis intelligitur poſitus numerus certus pro incerto, definitus pro indefinito, quod frequens eſt in ſacris paginis; vel fit comparatio ad ſolum infimum ordinem, non ad totam multitudinem Angelorum; ſicque ex loco illo Apocal. non ſatis probatur tertiam omnium Angelorum partem eſſe damnatam: Quando tamen hoc admitteretur, adhuc non obtinerent Adverſarij intentum, quia non ſatis probant tot eſſe homines ſalvandos, quot

10. Reſtauratio ruinarum Angelicarum variè exponitur.

fuerunt Angeli damnati; & verba Pſalmi vel de aliis ruinis procedunt, non de ruinis Angelorum, vel intelligi poſſunt de iſtis reparandis non æqualitate numeri, ſed excellentiâ meriti, quatenùs eandem gloriæ excellentiam, à quâ deſertores Angeli defecerunt, plures homines conſequentur; & aliquis, ſpecialiter verò Virgo deipara gloriam pluribus Angelis deſtinatam adæquabit, ſicque plurium ruinas reparabit, plurium ſedes implebit.

Porrò ne quæ mox attigi de intelligentiâ tùm verborum Pſal. *Implebit ruinas*, tùm verborum Deuter. *Conſtituit terminos populorum juxtà numerum Angelorum Dei*, gratis dicta videantur, placet obiter afferre nonnullas congruentias ad probandum non tot homines ſalvari, quot ſunt Angeli damnati, quemadmodùm aliqui inferunt ex illo Pſalmi; nec tot, quot ſunt Angeli beati, quemadmodùm inferunt aliqui alij ex illo Deuteronomij.

11. Homines beat. nec ſunt tot, quot Angeli damnati.

Primum ſuadetur ex eo, quòd probabile eſt ſingulis hominibus deputatum eſſe malum Angelum adverſarium & oppugnatorem; ſicuti eſt iiſdem ſingulis deputatus bonus Angelus cuſtos & tutelaris; ergo Angeli mali & damnati ſunt tot, quot ſunt homines ſimpliciter; non ſolùm tot, quot ſunt homines ſalvandi; antecedens innititur tùm auctoritati quorumdam Sanctorum Patrum, tùm paritati rationis; quatenùs diverſitas naturæ & conditionis in quolibet homine æquè videtur exigere diverſum Angelum oppugnatorem, ac diverſum propugnatorem, ut magis probat Bubalus *q. 50. art. 3. quæſito unico diffic. 2. §. 2. & 3.*

Nec tot quot Angeli beati.

Secundum ſuadetur ex eo, quòd probabile prorsùs eſt ſumendo totam collectionem Angelorum & hominum majorem eſſe numerum beatorum, quàm damnatorum; decet enim divinam bonitatem in totâ collectione creaturarum intellectualium plures eſſe bonas, quàm malas, & juſtitiam remunerativam magis, quàm vindicativam exerceri; at id non verificaretur, ſi tot eſſent homines ſalvandi, quot ſunt Angeli beati: enimverò hoc modo totus numerus beatorum eſſet ſolùm duplo major numero hominum ſalvandorum; & tamen ſolus numerus hominum damnatorum, nedum totus numerus damnatorum conſurgens ex hominibus & Angelis ſimul, eſt longè plus quàm duplo major numero hominum ſalvandorum; ergo. Neque obſtat auctoritas Divi Gregorij *Homil 34.* dicentis *Superna illa civitas ex Angelis & hominibus conſtat, ad quam tantum credimus humanum genus aſcendere, quantos illic contigit Angelos remanſiſſe.* Non obſtat inquam, quia illæ voces *tantum*, *quantos* potiùs ſignificare ſolent magnitudinem, quã numerũ; & Divus Gregorius inſinuat æqualitatem inter homines & Angelos in magnitudine beatitudinis, non in numero beatorum, vult ſcilicet aliquos homines conſequi gloriam æqualem gloriæ Angelorum, non verò tot beatos homines ad ſupernam civitatem aſcendere; quot in eadem beati Angeli remanſerunt: Imò ex ſupradictis de multitudine Angelorum cuſtodum colligitur apertè numerum Angelorum beatorum eſſe majorem toto numero hominum complectente homines etiam damnandos; & hoc confirmatur validiſſimè ex eo; quod refert Dionyſius Chartuſianus *in cap. 14. Areopagitæ de caleſt. Hierarch.* fuiſſe Sanctæ Birgittæ divinitùs revelatum numerum Angelorum bonorum & beatorum adeò excedere numerum hominum; ut unicuique homini decem poſſint in cuſtodiam deſignari.

12. Omnes homines ſimpliciter non ſunt tot, quot Angeli beati.

Deſiderari hîc poſſet deſignatio determinati numeri Angelorum, aut ſaltem determinati exceſſus numeri Angelorum ſuprà numerum hominum. Verumtamen cùm nobis non conſtet determinatus numerus hominum, imò nec plurium aliarum creaturarum viliorum & inferiorum; mirum non eſt, ſi ignotus ſit pariter determinatus numerus Angelorum, & ſubſtantiarum ſeparatarum à quarum cognitione, ut ait D. Thomas *in 2. diſt. 3. q. 5. art. 3.* ratio humana deficit, & intellectus noſter ſe habet ut oculus noctuæ ad lumen ſolis.

13. Nobis nec ſatis cõſtat determinatus numerus Angelorum.

Quoad determinatum exceſſum numeri Angelorum ſuprà numerum hominum ex parabolâ *Luc. 15* de nonaginta novem ovibus dimiſſis in deſerto ad quærendam unam ovem, quæ perierat, indicant Cyrillus Hieroſolymitanus *catecheſi 15.* Ambroſius *in cap. 15. Luc. lib. 7.* Gregorius *homil. 34. in Evang.* homines ad Angelos ſe habere ut partem centeſimam ad integrum centenarium, & Angelos eſſe nonaginta novem partibus plures, quàm homines: ex parabolâ verò pariter *Luc. 15.* de decem drachmis, & diligenti inquiſitione unius drachmæ perditæ conjectare quis poſſet homines ad Angelos ſe habere ut partem decimam ad denarium numerum; niſi ex ſuperiori revelatione Divæ Birgittæ multo major Angelorum ſuprà homines exceſſus deduceretur. Sed communior & verior opinio eſt nobis non conſtare talem determinatum exceſſum; & ſolùm in univerſum ſentiendum eſſe exceſſum ingentem & valdè notabilem; item ex hucuſque dictis colligendum totam multitudinem hominum exceedi non ſolùm à totâ multitudine Angelorum, verùm etiam tùm ab Angelis malis ſeorſim, tùm multò magis ab Angelis bonis, quorum non ſolùm tota collectio, ſed & quilibet ex novem ordinibus major eſt totâ hominum collectione;

Nec determinatus exceſſus Angelorum ſuprà homines.

ſi

ſi ex ſolo infimu ordine ſingulis hominibus diverſus Angelus euſtos deputatur, ut tradebatur *ſuperiori num.7.*

---

§. III.

Vtrùm Angeli ſint plures, quàm ſpecies; aut etiam quàm individua rerum materialium.

14\. Angeli ſunt plures quà ſpecies rerum materialium.

ASSERT. 1. Probabilius eſt Angelos eſſe plures, quàm ſint ſpecies rerum materialium. Colligitur hoc aſſertum ex D.Thoma 1.*p. q.*50. *art.3. in c. q.*112. *art.*4. *ad* 2. 2. *contra Gentes cap.*93. & alibi, ubi dum ſimpliciter docet multitudinem Angelorum excedere multitudinem rerum materialium, debet ſaltem intelligi de multitudine rerum materialium quoad ſpecies; & hunc exceſſum ſuſtinent cum D. Thomâ tùm Thomiſtæ communiter, tùm Lugus 1.*p.lib.*3.*diſp.*2. *cap.*1. *n.*5. Bubalus *q.*50. *art.*3. *quæſito unico diffic.*4. Eſtius *in* 2. *diſt.*3. §.1. Averſa *q.*50. *ſect.*6. *&c.* contrà Auctores adverſantes aſſerto *ſuperioris* §.

Probatur primò celebri & tritâ auctoritate D. Dionyſij *cap.*14. *cæleſt. Hierarch.* ubi habet *multi ſunt beati cæleſtium mentium exercitus, qui infirmum & contractum numerorum corporeorum, quibus utimur, modum ſuperant & tranſeunt.* Vbi ly *numerorum corporeorum* aliquid ampliùs ſignificat, quã numerum abſtractum, & numerantem, alioqui fruſtrà apponeretur ly *corporeum*; & ſi relatis verbis, ut andicat Vaſquez 1. *p. diſp.* 180. *cap.*1. ſolùm ſignificaretur multitudinem Angelorum ſuperare noſtrum communem numerandi modum, non expreſſiſſet Dionyſius aliquid de Angelis quod etiam pluribus rebus corporeis non conveniret; nam tùm omnes herbarum ſpecies v.g. tùm omnia hominum individua noſtram communem numerandi rationem excedunt, maximoſque quos adhibere ſolemus numeros ſuperant.

15\. Probatur ſecundò: Veriſimile eſt homines quocumque tempore exiſtentes eſſe plures, quàm ſint ſpecies rerum materialium; ſed Angeli ex præaſſertis plures ſunt, quàm homines quocumque tempore exiſtentes, ergo à fortiori ſunt plures, quàm ſpecies rerum materialium: probatur major ſpecies rerum materialium continent tùm ſpecies corporum ſimplicium, & hæ in exiguo numero ſunt, complectuntur quippè ſolùm Cœlos & elementa; tùm ſpecies corporum mixtorum, quorum aliqua omni carent vitâ, aliqua vitam vegetantem, aliqua etiam ſentientem habent; & hæ licèt ſint in ingenti numero, tamen quæ ſunt nobis notæ non videntur exceedere numerum hominum ſimul eodem tempore exiſtentium, quæ ſunt nobis ignotæ veriſimile eſt eſſe valde paucas, cum experientiâ conſtet noſtris temporibus valdè rarò occurrere ſpeciem aliquã materialem, quæ antecedentem hominum notitiam prorsùs ſubterfugerit. Cum igitur ex aliâ parte multitudo ſpecierum maneat ſemper eadem, multitudo verò hominum ſingulis ferè ſæculis tota renovetur, veriſimile omninò eſt homines quocumq; tempore exiſtentes eſſe plures, quàm ſint ſpecies rerum materialium, multitudinem hominum toties renovatam & auctam eſſe ampliorem multitudine ſpecierum ſemper eadem & invariatâ.

Iiſdem ſpeciebus ſunt plures homines quocumque tẽpore exiſtentes.

Probatur tertiò: Probabile eſt cuilibet ferè ſpeciei rerum materialium Angelum aliquem præfici ad ipſius curam & præſidium; ſed hoc poſito conſequens eſt plures eſſe Angelos, quàm ſint ſpecies rerum materialium, quia ultrà hujuſmodi Angelos rebus materialibus præſidentes dantur Angeli cuſtodes ſingulorum hominum, dantur Angeli Deo aſſiſtentes, dantur Angeli damnati; tot autem Angelorum multitudines ſimul cum multitudine præſidentium cuilibet ferè ſpeciei rerum materialium utique tranſcendent multitudinem conflatam ex ſpeciebus rerum materialium: Major probatur ex D. Thoma 1 *p.q.*110.*art.*1. ubi *in c.* ex eo quòd poteſtas particularis regatur à poteſtate univerſali infert omnia corporalia regi per Angelos, *& ad* 3. ait *Doctores ſancti, ſicut & Platonici, diverſis rebus corporeis diverſas ſubſtantias ſpirituales poſuerunt eſſe præpoſitas*, idque probat ex Auguſtino, Damaſceno, & Origene & confirmari poteſt etiam ex Scripturâ Apocal. 14. *alius Angelus exivit, qui habet poteſtatem ſuper ignem:* Apocal. 7. *Vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos, ne flarent:* & infrà *Quibus datum eſt nocere terræ, & mari, &c.* 16.

Diverſis ſpeciebus rerum diverſi Angeli præſident.

Aſſert. 2. Vtrùm Angeli ſint plures, quàm omnia individua rerum materialium quocumque tempore exiſtentia, tanquam problema habeatur, & quando eſſet aliquid determinatè aſſerendum, dici poſſet eſſe plures, quàm individua in rebus materialibus per ſe diſtincta, non quàm individua diſtincta per accidens. Nomine individuorum per ſe diſtinctorum intelligo illa, quæ ſunt in ſe tota quædam perfecta, etherogenea, certamque partium organizationem & magnitudinem exigentia, ut arbores, equi, homines. Nomine individuorum diſtinctorum per accidens intelligo partes quaſdam homogeneas ſecundùm ſe indifferentes ut vel per diviſionem in plura individua multiplicentur, vel per unionem in unum individuum coaleſcant, ut aquæ guttæ, ligni fruſtula, aëris athomi, maris arenæ, &c. 17.

Individua materialia alia ſunt diſtincta per ſe alia per accidens.

Probatur prima pars: Vix apparet ulla major ratio ponendi Angelos plures, quàm pauciores omnibus individuis rerum materialium; ergo utrumque eſt æquè probabile nec meliùs poteſt difficultati ſatisfieri, quàm ipſam reſolvendo in problema: antecedens probatur: non eſt major ratio ex auctoritate, quia Sancti Patres exagerant quidem maximum Angelorum numerum, at non loquuntur expreſsè de Angelis comparatis ad rerum materialium individua, & quamvis

hoc

hoc præſtet D. Bernardinus Senenſis relatus à Bubalo *q.50. art.3. quæſito unico diffic.4. §.1.* tamen auctoritas ſingularis non eſt magni momenti, ubi præſertim communior eſt in contrarium ſenſus Theologorum, ut in præſenti: Non eſt item major ratio ex congruentiis, quia vix habemus ſufficientes congruentias ad oſtendendum Angelos eſſe plures, quàm homines & quàm ſpecies rerum materialium, nedum ad ſuadendum exceſſum Angelorum ſuprà quæcumque alia individua, quorum multiplicitas incomparabiliter ſuperat multiplicitatem tùm omnium ſpecierum materialium, tùm hominum quocumque tempore exiſtentium.

18. Probatur ſecunda pars: Multitudo individuorum per accidens diſtinctorum eſt omninò accidentalis univerſo, & cum in quolibet quanto ſint aut infinita actu puncta, aut finitæ in infinitum partes; poſſunt talia individua aut infinita, aut finita in infinitum aſſignari; cui autem mirum, imò incredibile non appareat enumerando Angelos poſſe in infinitũ, imò infinities in infinitum procedi, ſicuti poteſt in infinitum procedi aſſignando puncta vel partes minores, & minores cujuſlibet continui. Multitudo verò individuorum per ſe diſtinctorum eſt determinata, & licèt ob plurimam viciſſitudinem generationum & corruptionum, numerus talium individuorũ quocumque tempore exiſtentium vix poſſit recenſeri, nihilominùs factâ comparatione ad individua per accidens diſtincta tolerabilis ac perceptibilis eſt: Si igitur eſſet aliquid determinatè aſſerendum circà multitudinem Angelorum comparatam ad ſpecies & individua rerum materialium congruentiſſimè diceretur tot eſſe Angelos quot individua per ſe diſtincta, non quot individua diſtincta etiam per accidens; quâ ratione ſuſtineretur ex unâ parte maxima Angelorum pluralitas; & ex aliâ parte non induceretur incredibilis ac ferè imperceptibilis ipſorum numerus; ſed mediâ, quæ tutior & laudabilior eſſe ſolet, viâ procederetur. Quòd ſi quis velit latiſſimam, non mediam viam ingredi, & de pluralitate Angelorum prodigè ſentire conſulat Bubalum *diffic.4. præcitata.*

Illis veriſimiliores ſunt pauciores, iſtis plures Angeli

§. IV.

De diviſione totius multitudinis Angelorum in Hierarchias, & choros ſeu ordines.

19. Quomodo Angeli diſtribuantur in Hierarchias & Chôros.

ASSERT. Tota multitudo Angelorum rectè dividitur in tres Hierarchias, & novem Choros ſeu ordines, ità ut tres ordines primæ hierarchiæ ſint Seraphim, Cherubim & Throni, tres ordines ſecũdæ ſint Dominationes, Virtutes, & Poteſtates; tres ordines tertiæ ſint Principatus, Archangeli, & Angeli. Ità poſt Dionyſium *de celeſt. hierar. à cap.6. ad 9.* Omnes alij Sancti Patres fusè relati ab Eſtio *in 2. diſt 9. §.1.* & licèt in enumeratione ordinũ ſit aliquod diſcrimen: Gregorius ſcilicet ponat Principatus, ubi Dionyſius ponit Virtutes, diſſidium eſt levis momenti, & facilè componitur dicendo cum S. Doctore *1 p.q.108.a.6. ad 4.* Virtutes ſecundùm Gregorium eſſe idem quod Principatus ſecundùm Dionyſium, & è contrà. Cõmunem hanc diviſionem Angelorũ in Hierarchias & Choros à Sanctis Patribus receperunt poſt Magiſtrum *in 2. diſt.9.* & Doctorem Angelicum tùm *eadem diſt. q. 1. a. 3.* tùm *1. p. q. 108.* Omnes Theologi, nec de ipsâ ampliùs fas eſt quoad ſubſtantiam aliter ſentire ſine temeritate, imò ſine periculo in fide, ut rectè notat Suarez *de Angelis lib 1. cap. 13. n. 2.* & Intolerabilis eſt audacia Calvini *lib. 1. inſtit. c. 14. §. 4.* qui non ſolùm, ut ſuprà meminimus, deridet tanquam curioſum & otioſum ſtudium, quod impenditur in inquirendo Angelorum numero; verùm etiam traducit tanquam meram garrulitatem doctrinam Dionyſij de Angelorum hierarchiis & ordinibus. Cum Calvino adverſantur aſſertæ veritati alij nonnulli Sectarij.

Probatur & explicatur Hierarchia dicitur quaſi ſacer Principatus à *Hieros*; quod eſt ſacrum, & *Archos*, quod eſt Princeps: in nomine autem Principatus ex D. Thoma *1. p. q. 108. a. 1. in c.* duo ſignificantur, ſcilicet ipſe Princeps, & multitudo ordinata ſub Principe: ex primo capite omnes creaturæ rationales, quæ ſolæ capaces ſunt ſacrorum, ſicuti comparantur ad Deum tanquam ad unum Principem, ità dici poſſunt conſtituere unam hierarchiam: Ex ſecundò capite ſicuti in participatione ſacrorum poſſunt diverſæ multitudines diverſimodè ordinati, ità poſſunt cõſurgere diverſæ hierarchiæ, ex his duas præcipuas Dionyſius aſſignat, nimirum cæleſtẽ, & Eccleſiaſticam; ſeu Angelicam, & humanam; perſpicuum quippè eſt diverſimodè ſub Deo ordinari, diverſimodè à Deo illuminari homines, ac ordinentur & illuminentur Angeli; & quia etiam diverſæ Angelorum multitudines juxtà diverſa quæ exercent munera, diverſum à Deo regimen, diverſamque illuminationem ſuſcipiunt, hierarchia Angelica in alias hierarchias ſubdividitur. Ruſuſque quia hierarchia eſt principatus, ſeu multitudo ordinata, & multitudo ordinata eſſe non poteſt ſine ordinum diverſitate; neceſſe eſt quamlibet hierarchiam continere diverſos ordines. Ex his jam patet neceſſitas ponendi in Angelis tùm plures hierarchias, tùm plures ordines: Neceſſitas deindè ponendi determinatè tùm tres hierarchias, tùm ſub quâlibet hierarchiâ tres ordines habetur in primis cõgruentiſſimè ex eo, quòd in qualibet perfecta multitudine congruit tria diſtinguere, principiũ, mediũ, finem; ſicq; ſpectat ad perfectionem totius multitudinis Angelorũ dividi in tres hierarchias primã, mediá, infimã; & ad perfectionẽ cujuſlibet hierarchiæ dividi in tres ordines primũ, mediũ, infimum: Sed meliùs hoc idẽ probatur tũ ex antiquiſſimâ & fortè Apoſtolicâ traditione, quæ ſatis infertur ex verbis D. Dionyſij *c.6. præcit.* dicentis *Has (cæleſtes ſcil.* ſeu Angelicas naturas) *divinus noſter ſacrorũ initiator* (cujus nomine ſecundũ aliquos Apoſtolus Paulus, ſecundũ aliquos alios Hierotheus intelligitur)

20. Hierarchia eſt ſacer Principatus.

Qualibet multitudo congruentiſſimè in tria dividitur.

21. *in tres terniones diſtribuit*, atque *diſtinxit*; tùm ex ſacrâ Scripturâ, in quâ toti Angelorum multitudini nec plura nec pauciora, quàm novem aſſerta nomina velut diverſa, & diverſis ordinibus reſpondentia tribuuntur: Sic Seraphinorum fit mentio *Iſa.6.* Cherubinorum *Gen.3.* item *Ezechielis* 10. *&* 28. Thronorum, Dominationum, Principatuum, Poteſtatum *Coloſſ.1.* Virtutum *Epheſ.1.* Archangelorum 1. *Theſſal.4.* item *epiſt. canonica Iudæ*, Angelorum *Rom.8.* & alibi; licèt non quoties in Scripturâ reperitur Angeli nomen ſignificet ſpecialem ordinem diſtinctum à reliquis; cum enim ſit tùm ex ſe omnibus Angelis commune, tum per appropriationem infimi ordinis proprium, aliquando in primâ, aliquando in ſecundâ ſignificatione uſurpatur.

Nomina novem ordinum Angelorum habentur in ſacrâ Scripturâ.

Dices non ſatis ex Scripturâ conſtare, quòd novem relata vocabula ſignificent novem diverſos ordines, & facilè poteſt aliquis dicere plura vocabula eſſe impoſita ad eundem ordinem ſignificandum: Eſt etiam ſpecialis difficultas de vocabulo Archangeli, quod non videtur importare ſpecialem ordinem præſertim penultimum, cum in Scripturâ ponatur tantùm in numero ſingulari; adeoque videatur eſſe nomen Perſonæ, non ordinis, & attribuatur tantùm Michaeli, qui juxta communiorem Doctorum ſenſum non eſt in penultimo ordine, ſed primus in ſupremo, & Angelorum omnium cujuſcumque ordinis Princeps, undè Eſtius *in 2.diſt.9.§.1.* miratur D. Gregorium *homil.* 14. dicere quòd Angelos & Archangelos penè omnes ſacri
22. eloquij paginæ teſtantur. Sed contrà: cum antiquiſſima traditio, communis Sanctorum Patrum auctoritas, & univerſalis Eccleſiæ conſenſus novem relatis vocabulis novem diverſos ordines ſignificari intelligat, fas ampliùs non eſt eâ de re ambigere. Ad ſpecialem difficultatē de vocabulo Archangeli dico parùm referre quòd in ſingulari ponatur, cum familiare ſit in ſacrâ Scripturâ numerū ſingularem pro plurali uſurpare, & è contrà: Ad illud quod additur attribui tantùm Michaëli, qui primi, non penultimi ordinis eſt, dico nec ſatis conſtare quod 1. *Theſſal.4.* ly *in juſſu & in voce Archangeli* de Michaele debeat intelligi; nec item quòd Michael ſit primi & ſupremi ordinis ut colligitur ex variis dubitandi ac ſentiendi modis relatis ab Eſtio *in 2. diſt.10. §.5. & 6.* quòd ſi deindè placeat cum Eſtio id admittere, poteſt cum eodem dici ordinem Archangelorum probari *ex Danielis* 10. ubi fit mentio Angelorum cuſtodientium regna & populos, quod eſt munus penultimi ordinis Angelorum, quos comparativè ad ultimum ordinem qui per appropriationem ordo Angelorum dicitur, vocamus Archangelos, quaſi principaliores ſeu Principes Angelos, non negando deindè quin comparativè ad omnes Angelos poſſit etiam vocari Archangelus ille, qui eſt omnium Angelorum primus & Princeps.

Archangeli nomen non ponitur pluraliter in Scripturâ.

Archangelorum ordo licet nō ſub proprio nomine exprimitur *Dan.10.*

23. Dices inſuper malè nos ſupponere communem Sanctorum Patrum auctoritatem, & univerſalem Eccleſiæ conſenſum pro novem Angelorum ordinibus: Malè ſupponitur primum, quia non deſunt Sancti Patres recenſentes pauciores quàm novem Angelorum ordines: Malè ſupponitur ſecundum, quia *in cap. hi duo de Conſecratione diſt.1.* habetur decimum ordinem Angelorum cecidiſſe quem proindè ex hominibus reſtaurandū eſſe docet Magiſter *in 2.diſt.9.lit.G.* Sed contrà: ad primum dico Sanctos Patres qui pauciores, quàm novē recenſent Angelorū ordines non loqui cum excluſione numeri majoris; neque in talibus locis intendunt numerum Angelorum definire, ſed ſolùm exprimere illos qui ad ipſorum pro tunc inſtitutū pertinent parati, ſi occaſio ſe obtulerit, alios aliis in locis nominare, unde notat Eſtius *in 2.diſt 9.§.1.* apud eos etiā, qui videntur minorem numerum poſuiſſe, ſi diverſa loca colligantur, non difficile reperiri numerum novenarium. Ad ſecundum dico ibi decimum ordinem vocari non gradu, ſed numero, & ut quædam gloſſa illius capitis rectè exponit, ſenſus eſt tot Angelos cecidiſſe, qui poſſent unum ordinem, ſeu potiùs unius ordinis numerum conſtituere: Hunc deindè ordinem ex hominibus reſtaurari nihil aliud eſt quàm præter novem Angelorum beatorum ordines dari numerū hominum electorum qui juxta diverſa merita diverſis Angelorum ordinibus miſceantur ex D. Gregorio *homil.34.*

Quid ſit decimus Ang[e]lorum ordo, & quomodo ab hominibus reſtaurandus.

Probatur inſuper aſſerta diviſio Reipublicæ Angelicæ in tres hierarchias & novem ordines afferendo breviter diverſas ſingulorum ordinum prærogativas, tanquā rationes diſtinctivas ipſorum ab invicem. Ad Angelos ſpectat nunciare res minimas, ac cōmunes, & ſingulis hominibus præeſſe ad cuſtodiam: Ad Archangelos ſpectat nunciare res majores ac extraordinarias, & aut inſignioribus ſolū perſonis, aut Regnis & Provinciis præſidere: Ad Principatus ſpectat principari quodāmodò Angelis ac Archangelis dirigendo ipſorum miniſteria in executione divinarum juſſionū; Ecce prærogativas triū ordinum infimæ hierarchiæ. Ad Poteſtates ſpectat poteſtates tartareas cohibere, ne noceant quātùm vellent: Ad Virtutes ſpectat ſigna & miracula operari: ad Dominationes ſpectat cæteris inferioribus Angelis ità ſupereminere ut eos ſibi ſpecialiter ſubjectos ad obediendū habeant: Ecce prærogativas trium ordinum mediæ hierarchiæ. Ad Thronos ſpectat eſſe quaſi Dei ſedes, adeò ut in ipſis Deus quodammodò ſedere dicatur, quatenùs per ipſos aut judicia decernit, aut omnia cum trāquillitate judicat: Ad Cherubim ſpectat plenitudo ſcientiæ ut hâc in inferiores ordines copiosè effundāt: Ad Seraphim ſpectat ardor charitatis ut inferiores ordines ad amandū inflāment: Ecce prærogativas triū ordinū ſupremæ hierarchiæ. Quoad has omnes prærogativas in universū adverte ipſas nō ab omnibus applicari iiſdē ordinib. reſpectivè, ſic alii qui v.g. volūt quòd præſidere Regnis & Provinciis ſpectet ad Principatus potiùs quā ad Archangelos: Quoad prærogativas ſupremæ hierarchiæ in particulari adverte videri incongruè tribui ordini ſupremo ardorem 24

Munera infimæ hierarchiæ Angelorū.

Munera mediæ.

Munera ſupremæ.

charitatis

charitatis potiùs; quàm plenitudinem ſcientiæ, cum operatio intellectus ſit perfectior operatione voluntatis, & viſio non amor in Patria ſit beatitudo eſſentialis: Nihilominùs dato quòd Dei viſio ſit perfectior amore; tamen Dei amor eſt perfectior cognitione rerum creatarum; & ut rectè ait D. Thomas 1.*p.q.*108.*art.*6.*ad* 3. *Superiorum dilectio, & precipuè Dei præeminet cognitioni*; cum igitur ad Seraphim ſpectet ardor amoris Dei, ad Cherubim plenitudo cognitionis rerum extrà Deum quia *ex eadem q.*108. *art.*1. *ad* 2. quantùm ad viſionem Dei non diſtinguuntur in Angelis hierarchiæ, conſequens eſt ordini ſupremo meliùs tribui ardorem amoris, quàm excellentiam cognitionis.

Cur ordini ſupremo tribuatur amor, non ſcientia.

Sic explicatâ quoad ordinum numerum & munera hierarchica Angelorum diſtributione tres ſuperſunt circà ipſam difficultates. Prima: Vtrùm talis diſtributio ſit facta ab initio creationis? Secunda: Vtrùm ſit permanſura poſt diem judicij? Tertia: Vtrùm aliquo modo reperiatur etiam inter dæmones ſeu Angelos malos?

26\. Ad primam difficultatem reſpondetur ſuppoſitâ præſertim creatione Angelorum in gratiâ diſtributionem illam fuiſſe factam ab initio creationis: Ratio eſt quia ſtatim Angeli ab initio creationis habuerunt diverſas naturas & differentias donorum tùm naturalium, tùm gratuitorum; per quas differentias diſtinguuntur & diſponuntur in Angelis hierarchiæ & ordines. Dixi *ſuppoſitâ præſertim creatione Angelorum in gratiâ*, quia ad perfectam diſtributionem Angelicorum ordinum concurrunt tùm natura, tùm gratia; natura tanquam fundamentum, gratia tanquam complementum; adeò ſi dicatur Angelos non fuiſſe creatos in gratiâ, conſequens eſt ipſos non habuiſſe ab initio creationis complementum diſtributionis hierarchicæ; & fuiſſe quidem pro tali initio conſtitutos ordines incompletè & inchoatè per diverſitatem donorum naturæ, at non completè & ultimatè per diverſitatem donorum gratiæ: Nec aliud intendit Magiſter *in* 2. *diſt.* 9. *lit. E.* Vbi videtur ſimpliciter negare diſtinctionem ordinum Angelicorum ab initio creationis: & niſi hoc modo etiam fortaſse excuſentur Rupertus & Auctor altereationis Eccleſiæ & ſynagogæ cenſet Eſtius *in* 2. *diſt.* 9. §. 3. non eſſe ſine errore, quòd ille *lib.* 3. *de proceſſione Spiritus Sancti cap.* 17. docet bonos Angelos accepiſſe diſtinctionem ordinũ in remunerationem perſeverantiæ, & iſte *c.* 3. *prædictæ altercationis* contendit non priùs fuiſſe conſtitutos ordines Angelorum quàm eſſent confirmati. Quæ ſi ità ſumantur ut omnem etiam inchoatam ordinum diſtinctionem ab initio creationis excludant erroris ſuſpicione non carent, & oritur erroris ſuſpicio ex duplici capite: Primò ex eo quòd communiſſima opinio eſt gratiam collatam eſſe Angelis diverſam juxtà diverſitatem naturæ: Secundò ex eo quòd ferè omnes Sancti Patres docent ex ſingulis ordinibus aliquos Angelos peccaſſe, ſignum eſt igitur ordines fuiſſe diſtinctos antè malorum Angelorum culpam, & bonorum Angelorum perſeverantiam in bono, ac confirmationem in gratiâ.

Diſtributio hierarchica facta eſt in Angelis ab initio creationis.

Ad ſecundam difficultatem reſpondetur poſt diem judicij permanſuram quoad ſubſtantiam diſtributionem hierarchicam in bonis Angelis, & ſolùm defecturam quoad conditionem aliquam accidentalem. Ratio eſt quia permanebit in bonis Angelis eadem diverſitas donorum naturæ & gratiæ; permanebunt item eædem in ipſis functiones reſpectu Dei, ſolùm deficient miniſteria reſpicientia homines viatores, quæ ad diſtributionem hierarchicam minùs principaliter, & quaſi accidentaliter pertinent; ergo poſt diem judicij permanebit quoad ſubſtantiam in bonis Angelis diſtributio hierarchica, & ſolùm deficiet quoad conditionem aliquam accidentalem. 27.

Permanebit in bonis Angelis poſt diem judicij.

Ad tertiam difficultatem reſpondetur non reperiri in Angelis malis diſtributionẽ hierarchicã; reperiri tamen aliquã coordinationem, & aliquam ordinum diverſitatem. Ratio primæ partis eſt, quia ſicuti hierarchia eſt Principatus ſacer, ità diſtributio hierarchica eſt diſtributio ſacra; in malis autem Angelis nihil eſt ſacrum, nihil eſt ſanctum; neque etiam radicaliter & inchoatè; quomodo ſaltem fuerunt ſacri & ſancti omnes Angeli in creationis initio, ſi dicatur non fuiſſe ipſis pro tali initio gratiam infuſam. Ratio ſecundæ partis eſt, quia datur in Angelis malis ordinatio tùm phyſica & naturalis orta ex inæqualitate & ſubordinatione naturarum; cum enim peccando non fuerint mutati quoad naturalia conſequens eſt, quòd retinuerint eamdem inæqualitatem & ſubordinationem naturarum, quam habuerunt antè peccatum; tùm politica & civilis conſurgens ex ſubordinatione actionum, & prælatione ac ſubjectione operantium; cum enim actio ſequatur naturam rei, ubi datur ſubordinatio naturarum; datur etiam ſubordinatio actionum. Neque dicas hinc ſequeretur inter malos Angelos illos habere prælationem, qui ſunt ſuperiores in naturâ, quod videtur incongruum, quia Angeli in naturâ ſuperiores magis peccaverunt adeóque illis videtur debita major ſubjectio potiùs; quàm prælatio. Contrà enim: Inter Angelos malos major miſeria eſt prælatio, quàm ſubjectio, ideò illa rectè tribuitur iis, qui magis peccaverunt: eſt, inquam, prælatio inter malos Angelos major miſeria, quia ut habet D. Thomas 1 *p q.* 109. *art.* 2. *ad* 3. *Quòd ſuperioribus inferiores ſubdantur non eſt ad bonum ſuperiorum, ſed magis ad malum eorum, quia cum mala facere maximè ad miſeriam pertineat, præeſſe in malis eſt eſſe magis miſerũ.* Porrò ſubordinatio & prælatio inter malos Angelos probari etiam poteſt ex ſcripturâ; nam *Matth.* 12. Beelzebub dicitur Princeps dæmoniorum; *Matth.* 25. principalis dæmon præ aliis dicitur Diabolus, & reliqui dicuntur Angeli ejus, quod idẽ videtur ſignificare ac ſubditi ipſius, *Luc.* 11. omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & ſi Satanas in ſeipſum diviſus eſt;

28\. Non reperitur in Angelis malis;

Reperitur tamen in ipſis aliquã coordinatio.

29\. Prælatio inter malos eſt major miſeria.

quomodo ſtabit regnum, ubi ſupponitur dari, ſtare, minimèque deſolatum eſſe Regnum Satanæ; regnum autem non eſt ſine Principe & ſubditis.

30. Quid ſit evacuatio Principatuum futura in fine mundi.

Ex dictis habetur verba illa 1. *Cor.* 15. quibus de Chriſto in fine mundi dicitur, *cum evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem*, ſi referantur ad Angelos bonos intelligenda eſſe de evacuatione accidentali quoad miniſteria reſpicientia homines ſalvandos, ſecundùm quæ dictum eſt poſt diem judicij defecturam etiam in bonis Angelis diſtributionem hierarchicam: Si referantur ad Angelos malos procedere de evacuatione ſimpliciter, quia in ipſis ſimpliciter deficit diſtributio hierarchica, & licèt talis defectus ab initio mundi contigerit, tamen quodammodo in die judicij complebitur, quatenùs tunc omnibus manifeſtior apparebit. Addunt aliqui evacuandum in die judicij in malis Angelis etiam ordinem illum prælationis, quem nunc habent in operando, ut meliùs verificetur, quòd in inferno nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitet poſt extremi judicij diem. Verùm ceſſabit quidem talis ordo prælationis, quatenùs per ipſum dæmones conſpirant in ſpiritualem hominum perniciem, videtur tamen permanſurus quatenùs confert ad majorem miſeriam Angelorum, qui graviùs peccaverunt; & quòd ab inferno omnis ordo exulet, procedit de ordine conducente ad bonum, non de ordine conferente ad majus malum.

31. Quid ſit malos Angelos non ſtetiſſe in ordine ſuo.

Habetur inſuper, dum communiter dicitur Angelos malos non ſtetiſſe in ordine ſuo, intelligendum id eſſe de ordine gratiæ, non de ordine naturæ. Et hinc fit nomina illorum ordinum, qui denominantur magis à naturâ, quàm à gratiâ ut Cherubim, Principatus, Poteſtates, Angeli, & aliqualiter etiam virtutes tribui poſſe malis Angelis; ſecùs nomina ordinum, qui denominantur quodammodò magis à gratiâ, quàm à naturâ, & inſinuant aliquid incompoſſibile cum peccato, ut Seraphim, Throni, Dominationes, Archangeli. Videatur S. Doctor 1. *p. q.* 109. *art.* 1. *ad* 3.

---

§. V.

De diverſitate Angelorum ab invicem, & primò. Utrùm quilibet Angelus ab alio quolibet differat ſolo numero?

32. Angeli non ſunt omnes ejuſdem ſpeciei infimæ.

ASSERT. Quilibet Angelus ab alio quolibet Angelo non differt ſolo numero; ſeu quod idem eſt; quilibet Angelus non eſt ejuſdem ſpeciei cum alio quolibet, adeò ut detur in Angelis unica ſpecies infima. Ità communiſſimè Auctores inſià aſſerendi contra errorem eorum, qui ſenſerunt non ſolùm omnes Angelos eſſe ejuſdem ſpeciei inter ſe, verùm etiam omnes animas eſſe ejuſdem ſpeciei cum Angelis; hunc errorem à Platonicis acceptum docuerunt Origenes & Tertullianus ut oſtendit Bubalus *quæſt.* 50. *art.* 4. *quæſito* 1. *diffic.* 1. §. 1. Item contrà opinionem eorum, qui ſenſerunt quidem animas differre ſpecie ab Angelis, noluerunt tamen Angelos differre ſpecie ab invicem, ſicuti non differunt ſpecie ab invicem homines, aut hominum animæ. Referuntur pro hâc opinione Albertus 2. *p. ſum. tr* 5. *q.* 8. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 9. *a. unico q.* 1. Gulielm. Pariſienſis *lib. de unit. c.* 2. & nonnulli Sancti Patres apud Molinam 1. *p. q.* 50. *art.* 4. §. *licèt autem:* Pro hâc eadem opinione ſtant ex recentioribus Pallavicinus *l.* 9. *de Angelis c.* 5. Maſtrius *in* 2. *diſp.* 2. *q.* 1. *art.* 2.

Probatur primò: Datur de facto inter aliquos Angelos ſpecifica diverſitas; ergo quilibet Angelus ab alio quolibet non differt ſolo numero, ſeu quod idē eſt, &c. Antecedens probatur: non repugnat inter aliquos Angelos ſpecifica diverſitas; ſed eo ipſo, quòd non repugnat nequit de facto congruè negari, ergo datur de facto, &c. Major probatur: talis ſpecifica diverſitas nec repugnat ratione ſimplicitatis Angelorum, nec ratione perfectionis eorumdem, nec ratione gradus intellectualis. Non repugnat ratione ſimplicitatis, quia diverſitas ſpecifica ſolùm infert compoſitionem rationis ex genere & differentiâ, quàm compoſitionem optimè poteſt admittere ſimplicitas Angelorum utpotè quæ admittit compoſitionem majorem, compoſitionem ſcilicet realem ex naturâ & ſuppoſito; nec refert quòd ſimplicitas Angelica excludat compoſitionem tùm ex materiâ & formâ, tùm ex partibus integrantibus; non refert inquam; quia nec materia & forma, nec partes integrantes ſunt ratio unica ſpecificæ diverſitatis; imò tùm materia, tùm partes integrantes ſunt potiùs ratio diverſitatis numericæ. Non repugnat ratione perfectionis; quia nulla ſubſtantia Angeli eſt ſimpliciter infinita, aut adeò perfecta, ut non admittat aliam eſſentialiter perfectiorem. Non repugnat ratione gradus intellectualis tùm quia fortè poteſt in Angelis diverſitas ſpecifica haberi aliundè quàm ex diverſitate gradus intellectualis; tùm quia ſicuti gradus ſentiendi continet differentias eſſentialiter diverſas ut patet in brutis, ità debet continere differentias eſſentialiter diverſas etiam gradus intelligendi; ne gradui perfectiori negetur, quod conceditur imperfectiori. Minor etiam primi argumenti probatur, quia diverſitas ſpecierum valdè conducit ad pulchritudinem mundi corporei; ergo ne mundus ſpiritualis ſit inferioris conditionis ad mundum corporeum, & in illo minùs, quàm in iſto reluceat ars divini opificis, non eſt neganda in mundo ſpirituali, qui ex Angelis potiſſimùm conſurgit, diverſitas ſpecifica ſuppoſito quòd non repugnet, cùm præſertim *ex ſuperiore* §. 3. probabile ſit non eſſe pauciores Angelos in mundo ſpirituali, quàm ſint creaturæ materiales in mundo corporeo; ſicuti igitur non excedunter creaturæ ſpirituales à materialibus in multiplicitate, ita neque debent excedi in diverſitate.

Dicet:

Dices: tota hæc probatio poſſet transferri ad probandam diverſitatem ſpecificam inter animas rationales; nam nec talis diverſitas poteſt oſtendi inter ipſas repugnans, & ſuppoſito quòd non repugnet, valdè conducit ad pulchritudinem univerſitatis animarum, quòd aliquæ ipſarum ab invicem ſpecie diſferant, cum præſertim addi poſſit animas ſpirituales eſſe non debere inferioris cōditionis ad materiales inter quas datur ſpecifica di-
33\. verſitas. Sed contrà: quidquid ſit de non repugnantia diverſitatis ſpecificæ inter animas rationales, quoad aſtruendam talem diverſitatem de facto non eſt eadem ratio de ipſis, quæ de Angelis; animæ enim rationales vel conſiderantur in ſtatu ſeparationis, vel in ſtatu unionis ad corpus: in ſtatu ſeparationis ſunt valdè exigua ſpiritualis mundi pars, in ſtatu unionis ſunt exigua pars mundi corporei; ex pulchritudine autē univerſi & perfectione artis divinæ rectè quidem infertur ſpecifica diverſitas tùm in toto mundo corporeo, tùm in toto mundo ſpirituali, at non in qualibet exigua utriuſque mundi parte. Illud, quod additur de comparatione animarum ſpiritualium ad animas materiales, nihil obſtat; quia ſicuti exceduntur animæ ſpirituales à materialibus in multiplicitate, ita nō eſt incongruum quòd excedantur in diverſitate, in quo ex oppoſito res ſe habet in Angelis comparatis ad res corporeas, illi enim ſicuti ab iſtis non excedūtur in multiplicitate, ita congruum eſt, quòd non excedantur in diverſitate. Verumtamen non eſſe eamdem neceſſitatem diverſitatis ſpecificæ inter animas rationales, quæ inter Angelos magis conſtabit ex ſequentibus probationibus.

Non eadem ratio diverſitatis ſpecificæ inter animas rationales quæ inter Angelos.

34\. Probatur ſecundò: Admittenda eſt de facto inter Angelos *ex præcedente* §. diviſio in hierarchias, & ordines; at talis diviſio minùs rectè poſſet ſuſtineri, ſi quilibet Angelus ab alio quolibet differret ſolo numero; ergo quilibet Angelus ab alio quolibet nō differt ſolo numero: Minor probatur: ratio diviſionis Angelorū in hierarchias & ordines eſt ſufficiēs ratio diverſitatis ſpecificæ eorumdem; enim verò ratio diviſionis hierarchicę eſt diverſitas operationū & munerū; hæc verò quoties notabilis eſt, ut in Angelis; eſt etiam ſufficiēs ratio diverſitatis ſpecificæ, quia arguit diverſitatē naturarum; nec nos formas ſubſtantiales ſpecie diverſas dignoſcimus aliūdè, quàm ex notabili diverſitate accidentium, proprietatum, & operationum.

Diviſio hierarchica Angelorum infert ſpecificam ipſorum diverſitatem.

Dices rationem diviſionis hierarchicæ eſſe diverſitatem operationum, & munerum ſupernaturalium provenientiū à gratia, propterea ex hac diverſitate rectè ſolùm inferri in Angelis diverſitatem gratiæ, at non diverſitatem naturæ, ſicut requiritur ad diverſitatem ſpecificā; quæ à prædicatis naturalibus, & ab intrinſeco neceſſarioque debitis, non à prædicatis ſupernaturalibus, & ab extrin-
35\. ſeco gratioſéque conceſſis deſumenda eſt. Sed contrà: patet *ex ſuperiore* §. rationem diviſionis hierarchicæ in Angelis eſſe diverſitatem donorum, & munerum etiam naturalium. Accedit quòd, quando in Angelis diviſio hierarchica ex ſe præciſè ſolùm argueret diverſitatem gratiæ, ex hac deindè rectè procederetur ad probandam diverſitatem naturæ, cum aliundè nobis conſtet data fuiſſe Angelis dona ſupernaturalia ſecundùm proportionem donorum naturalium, & diverſitatem gratiæ ſecundùm diverſitatem naturæ. Et hinc patet obiter cur hierarchia Eccleſiaſtica ex variis hominum gradibus, ordinibuſque conſurgens non arguat ſpecificam hominum diverſitatem: Ratio ſcilicet eſt, quia diverſitas gratiæ, & donorum ſupernaturalium, in quibus relucet hierarchia Eccleſiaſtica, non ſupponit in homine diverſitatem naturæ, donorumque naturalium.

Non eſt eadem ratio de hierarchia Eccleſiaſtica.

Dices inſuper: licèt in Angelis diverſitas gratiæ inferat diverſitatem naturæ; ſeu alicujus perfectionis naturalis, non infert tamē diverſitatem ſpecificam; quia cum differentia ſpecifica ſit ſuprema & ultima rei perfectio, debet diverſitas ſpecifica deſumi à præcipuo & perfectiſſimo prædicato rei; diverſitas autem gratiæ non infert in Angelis diverſitatem quò ad prædicatum præcipuum, & perfectiſſimum, ſcilicet quò ad eſſe intellectivum ſine diſcurſu, & independenter à ſenſibus, imò quoad hoc prædicatum omnes Angeli conveniunt. Sed contrà primò: 36.
non ſatis conſtat diverſitatem ſpecificam deſumendam eſſe à præcipuo, ac perfectiſſimo rei prædicato, & faciliùs dicitur diverſitatem ſpecificam eſſe illam, quæ notabilis eſt, & attenditur penes magis & minus diverſæ rationis, ſivè deindè à perfectiore, ſivè à non perfectiore prædicato ſumatur; differentia item ſpecifica eſt quidem ultima, at gratis dicitur, quòd debeat eſſe ſuprema perfectio rei; pro quo maximè eſt ad rem doctrina D. Thomæ 1. *p. q.* 50. *art.* 4. *ad.* 1. dicentis, *differentia eſt nobilior genere, ſicut determinatum indeterminato & proprium communi; non autem ſicut alia & alia natura, alioqui oporteret quod omnia animalia irrationalia eſſent unius ſpecies, vel quod eſſet in eis aliqua alia perfectior forma, quàm anima ſenſibilis.* Contrà ſecundò: male ſupponitur eſſe intellectivum unius Angeli non differre ſubſtātialiter ab eſſe intellectivo alterius; & licèt omnes conveniant quò ad intelligere ſine diſcurſu, ac independenter à ſenſibus, non ſic tamen omnes conveniunt quoad intelligere per plures, vel pauciores ſpecies; per plures, vel pauciores actus; & ſicuti ſpecies intentionales unius Angeli propter majorem univerſalitatē ſunt ſubſtantialiter perfectiores, & eſſentialiter diverſæ à ſpeciebus intentionalibus alterius; ità virtus intellectiva unius Angeli, utpotē ſuis ſpeciebus intentionalibus maximè proportionata rectè cenſeri poteſt ſubſtantialiter perfectior; & eſſentialiter diverſa à virtute intellectiva alterius: Sicque inſtantia ex utroque capite deficit, ſcilicet tùm ex eo, quòd velit differentiam ſpecificam ſolùm deſumi à prædicato perfectiſſimo; tùm ex eo quòd nolit Angelos in prædicato perfectiſſimo ab invicem differre.

Diverſitas ſpecifica non neceſſariò ſumitur a prædicato perfectiſſimo.

Ex his habetur non eſſe veriſimile Sanctos Patres, qui referuntur pro unica ſpecie 37.

E 3 infima

infima omnium Angelorum, re ipſa ita ſenſiſſe: & ſi aliquando abſolutè dicunt omnes Angelos eſſe unius naturæ, uniuſvè ſpeciei, vel nomen Angelorum uſurpant ad ſignificandos ſolos Angelos infimi ordinis, quibus appropriatur nomen commune toti Angelorum multitudini, vel nomine unius naturæ, uniuſvè ſpeciei intelligunt unam naturam genericam, unamvè ſpeciem ſubalternam. In primo ſenſu loquitur Damaſcenus *lib. primarum inſtitutionum cap.* 7. dicens *eas, quæ ſola individua continent, ſpecies infimas vocari, cuiuſmodi ſunt Angelus, homo, equus*; item Athanaſius *q.* 4. *ad Antiochum* dicens, *una & eadem eſt eſſentia Angelorum, ſicut etiam una eſt eſſentia hominum.* In ſecundo ſenſu loquitur Anſelmus *lib.* 2. *cur Deus homo c.* 21. dicens, *omnes Angeli ſunt unius natura*; item Baſilius *lib.* 3. *contrà Eunomium* dicens, *Angeli omnes ut appellationis unius, ſic eiuſdem etiam ſunt naturæ inter ſe.* Has & ſimiles Sanctorum Patrum auctoritates accuratiùs perpendit Bubalus *q.* 50. *quæſit.* 1. *diffic.* 1. §. 22.

---

§. VI.

Vtrùm quilibet Angelus ab alio quolibet differat ſpecie, & nullus ſolo numero.

38. Non omnes Angeli differunt ſpecie ab invicem.

ASSERT. Non quilibet Angelus ab alio quolibet differt ſpecie, ſed aliqui differunt ſub eadem ſpecie ſolo numero, nec datur ſub qualibet ſpecie Angelica unicum individuum. Ita in primis Sancti Patres mox relati *in calce ſuperioris* §. quorum verba dum indefinitè Angelos ſolo numero differre inſinuant, id ſaltem quoad aliquos evincunt. Ita deindè ex Scholaſticis Scotus *in* 2. *diſt.* 3. *q* 7. D. Bonaventura *ead diſt. q.* 2. *art.* 1. & licet hi Doctores videantur loqui ſolum de poſſibili, tamen ſatis colligitur ipſorum mẽtem propendere etiam ad de facto: expreſsè verò & in terminis aſſertum noſtrum tradũt Molina 1. *p. q.* 50. *art.* 4. §. *ſit nihilominus.* Valentia *diſp.* 4. *q.* 1. *punc.* 3. §. *ſecunda ſententia.* Arriaga *de Angelis diſp.* 4. *ſec.* 2. *n.* 15. Averſa 1. *p. q.* 50. *ſec.* 8. Maſtrius *in* 2. *diſp.* 2. *q.* 1. *art.* 2. Herinex *tract.* 3. *diſp.* 2. *q.* 3. *n.* 21. &c. Contrà Thomiſtas, qui non ſolùm de facto negãt omnem pluralitatem numericam Angelorum ſub eadem ſpecie, verùm etiam ferè omnes ſuſtinent talem pluralitatẽ de potentiâ quoque abſolutâ repugnare: Porrò inter Auctores admittentes talem pluralitatem eſſe poſſibilẽ, eſt noſtrum aſſertum contrà Eſtium *in* 2. *diſt.* 3. §. 2. Sylvium *q* 50. *art.* 4. Bubalum *ead. art. quæſito* 1. *diffic.* 1. §. 17. Lugum *lib.* 3. *diſp.* 2. *cap.* 2. *n.* 11. Eſt item aliqualiter contrà volentes rem hanc eſſe omninò occultã & nihil de ipſa poſſe determinatè definiri; inter quos Vaſquez 1. *p. diſput.* 181. *cap.* 3. *num.* 31. & Dequiros *tract.* 8. *diſp.* 32. *ſect.* 5. *num.* 47. quamvis ſtatim ſubdat ſe propendere ad conſtituenda plura individua in qualibet ſpecie: Refert hic Auctor *ead. diſp. num.* 10. pro ſententia noſtro aſſerto oppoſita Eſparzam *in manuſcriptis*, verùm in opere, quod typis mandauit, *lib.* 5. *q.* 5. *art.* 6. ad ſententiam à nobis aſſertam acceſſit.

Adverte, antè probationem aſſerti, ſecernendam eſſe quæſtionem de facto à quæſtione de poſſibili, & licèt illa nequeat ſine iſtâ ſuſtineri, nos tamen in præſenti illam ſolùm ponimus hanc ſupponimus, & intendimus præcisè oſtendere dari de facto multiplicitatem numericam Angelorum ſub eadem ſpecie ſuppoſitâ talis multiplicitatis poſſibilitate, quæ poſitivè ſtabilietur *in duobus ſequentibus* §§. in quorum altero evertetur ex profeſſo fundamentum cui potiſſimè innituntur Auctores docentes repugnare naturam Angelicam multiplicabilem in plura individua; in altero ſtatuetur ex oppoſito repugnare naturam Angelicam aut aliam quamcumque naturam creatam, quæ ſimpliciter nequeat multiplicari in individua.

39. Non ſunt res diverſificãdæ ſpecie ſine neceſſitate.

Probatur primò argumento negativo; Sicuti non ſunt multiplicandæ, ità nec ſunt diverſificandæ entitates ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas diverſificandi ſpecie quemlibet Angelum ab alio quolibet; ergo non quilibet Angelus ab alio quolibet differt ſpecie: maior patet, quia maior diverſitas eſt quædam maior multiplicatio ſi non quoad numerum rerum realiter diſtinctarum, ſaltem quoad numerum prædicatorum metaphyſicorum iiſdem rebus convenientium; duæ quippè entitates ſpecie diverſæ continent plura prædicata quàm duæ entitates diverſæ ſolo numero, ſic Petrus & Bucephalus continent plura prædicata, quàm Petrus & Paulus; quia Petrus & Bucephalus continent ea omnia prædicata, quæ Petrus & Paulus, & inſuper hinnibilitatem, quam Petrus & Paulus non continent, eodem modo duo Angeli diverſi ſpecie continent plura prædicata, quàm duo Angeli diverſi ſolo numero; non eſt igitur ſine ſpeciali neceſſitate diverſificandus ſpecie unus Angelus ab alio, & niſi talis neceſſitas afferatur aſſerendi ſunt aliqui diverſi ſolo numero.

Dices non deeſſe pro præſenti inſtituto ſpecialem neceſſitatem, imò haberi ex multiplici capite. Primò ex fine multiplicationis numericæ, qui eſt conſervatio ſpeciei, vt tradit Ariſtoteles 2. *de animâ text.* 35. & oſtendit experiẽtia rerum incorruptibilium, quæ quia in unico individuo perpetuò conſervantur, plura ſub eadem ſpecie individua non ſortiantur; cum igitur quælibet ſpecies Angelica ſit incorruptibilis, nec indigeat multiplicatione numericâ ad ſui conſervationem, conſequens eſt, &c. Secundò ex perfectione Angelorum, quibus propterea congruentiùs tribuitur ordo ſpecificus, qui eſt ordo per ſe & perfectior; quàm ordo numericus, qui eſt ordo per accidens & minùs perfectus. Tertiò ex bonitate, & ſapientiâ Dei; illa enim magis communicatur, iſta magis explicatur in maiori ſpecierum diverſitate & varietate. Sed contrà: Ad primùm 40. Non omnia
dico conſervationem ſpeciei eſſe quidem aliquam & unam; non eſſe tamen omnem & incorrupti-

præcipuam

Ilia ſunt immultiplicata numero.

præcipuam cauſam multiplicationis individuorum; quod additur ex experientiâ rerum incorruptibilium vel non eſt ſimpliciter verum, quia ſatis probabile eſt aliqua Aſtra, & aliquos orbes cœleſtes, quamvis ſint res incorruptibiles, eſſe ejuſdem ſpeciei, ſoloque numero differre; vel non eſt ad rem in præſenti, quia ſi carent pluralitate individuali ſub eadem ſpecie non eſt præcisè titulo incorruptibilitatis & ex eo quòd ceſſet indigentia ſpeciei conſervandæ, ſed titulo perfectionis univerſi, & ex eo, quòd pluralitas individualis talium rerum ſit incongrua bono univerſi, nedum aliundè non neceſſaria ut
41. clariſſimo exemplo conſtat in ſole. Ad ſecundum dico conſiderandam eſſe perfectionem Angelorum non ſolùm abſolutè, & ſecundùm ſe; verùm etiam comparativè & in ordine ad totum univerſum: primo modo tranſeat, quòd perfectioni Angelorum magis congruat ordo ſpecificus, quàm numericus, ſecùs ſecundo modo: ratio eſt quia bonum univerſi (etiam intelligendo univerſi nomine ſolum univerſum ſpirituale ex Angelorum univerſitate coonſurgens) non exigit unum ſolum modum perfectionis etiamſi majoris, ſed varium & multiplicem, etiamſi in varietate & multiplicitate detur una perfectio minor aliâ: ſic exigit modum perfectionis tùm ſubſtantialis, tùm accidentalis; licet perfectio accidentalis ſit minor ſubſtantiali; poterit igitur ſimiliter exigere perfectionem tàm multarum ſpecierum, tùm multorum individuorum ſub eadem ſpecie,
42. licèt iſta perfectio ſit minor illâ. Ad tertium dico, ſi quid probat, probare infinitam ſpecierum diverſitatem, & varietatem, cum magis communicetur divina bonitas, magiſque explicetur divina ſapientia in infinitis; quàm in finitis naturis; non eſt igitur ſemper quærenda maior communicatio divinæ bonitatis, major explicatio divinæ ſapientiæ ex parte ipſorum objectorum magis, vel minùs perfectorum, ſed ſatis eſt quòd ex parte ſui Deus ſummâ bonitate; ſummaque ſapientiâ operetur quidquid operatur, ut aſſerebamus *tract.* 1. *lib.* 4. *c.* 5. §. 2 Dico inſuper juxtà mox poſita contrà ſecundam inſtantiæ partem in maiori ſpecierum diverſitate ac varietate magis communicari bonitatem; magiſque explicari ſapientiam divinam ſecundùm quid & comparativè ad perfectionem cujuſlibet Angeli ſecundùm ſe, non ſimpliciter & comparativè ad bonum aut totius univerſi, aut Reipublicæ Angelicæ.

Pro maiori intelligentiâ doctrinæ mox poſitæ contrà primam & ſecundam partem inſtantiæ operæ pretium eſt duo breviter explicare. Primò ſcilicet quænam præter conſervationem ſpeciei ſint aliæ cauſæ multiplicationis individuorum? Secundò quid ſit ordinem ſpecificum eſſe ordinem per ſe, ordinem numericum eſſe ordinem per accidens.

43. Quænam ſint cauſæ multiplicationis individualis.

Explico primum aſſerendo huiuſmodi cauſas: Prima eſſe poteſt conſervatio ſpeciei quoad eſſe morale, ſicuti enim in rèbus phyſicè corruptibilibus multiplicantur individua; ne in uno individuo tota ſpecies phyſicè pereat; ità in rebus corruptibilibus moraliter ſeu defectibilibus à fine congruit multiplicari individua, ne tota ſpecies in uno individuo à fine deficiat, & pereat moraliter; Secunda eſſe poteſt communicatio politica, & familiaris amicitia, quæ meliùs exercetur inter plura individua ſimilia, ejuſdemque ſpeciei, quàm inter individua diſſimilia, & ſpeciei diverſæ: Tertia eſſe poteſt ordo maximè neceſſarius in qualibet multitudine, & corpore myſtico, ordo autem ex Auguſtino lib. 19. de Civit. cap. 13. *Eſt parium & imparium rerum unicuique loca ſua diſtribuens congrua diſpoſitio*, ubi per res impares ſignificàtur ſpecies; per res pares plura individua contenta ſub eadem ſpecie: Quarta eſſe poteſt exercitium divinæ omnipotentiæ, aut aliquis alius nobis occultus finis divinæ providentiæ. Explico ſecundum, & dico ordi- 44.
nem ſpecificũ eſſe ordinem per ſe, quia cum ſpecies ſaltem regulariter loquendo ſint inter ſe inæqualis perfectionis habent ex naturâ ſuâ certum ordinem, ſecundùm quem ſpecies perfectior poſtulat præferri imperfectiori, ordinem verò numericum eſſe ordinem per accidens, quia cum individua ſint inter ſe quoad naturam & perfectionem eſſentialem æqualia poſſunt ad libitum ordinari & per accidens ipſis eſt; quòd unum potiùs quam alterum ponatur priùs: eodem ferè modo *tr.* 1. *lib.* 1. *c.* 1 §. 3. cauſas per ſe ordinatas dicebamus eſſe illas quarum una eſt ſuperior alterâ, ordinatas verò per accidens illas, quarum una eſt ejuſdem rationis cum alterâ: & hinc obiter erui poteſt confirmatio præſentis doctrinæ dicendo non eſſe requirendum ſolum ordinem per ſe in Angelis, ſicuti non requiritur ſolus ordo per ſe in cauſis.

Qui ſit ordinem ſpecificum eſſe ordinẽ per ſe; ordinem numericum eſſe ordinẽ per accidẽs.

Probatur ſecundò aſſertum argumẽto poſitivo, aliquibus ſcilicet congruentiis: & primò quidem ſunt congruentiæ ſuadentes aliquos Angelos differre numero ſub eadem ſpecie cauſæ mox præallatæ pro multiplicatione individuorum in rebus incorruptibilibus, inter quas prima cauſa deſumpta ex conſervatione morali poteſt in præſenti magis urgeri ex eo quòd incongruum ſit totam aliquam ſpeciem angelicam, imò fortè ſpeciem univerſi nobiliſſimã, qualis probabiliter cenſetur, ſpecies Luciferi, totam corruiſſe, cujus oppoſitum indicat Auguſtinus *in Enchiridio* 45.
cap. 28 docens Deum reparare naturam humanam potiùs, quàm Angelicam; quia illa perierat tota, non iſta, quæ totalitas & partialitas, ut ait Scotus in 2. *diſt.* 3. *q.* 7. §. *Qui dicunt*, non videtur eſſe rationabilis, niſi ponatur quòd nulla ſpecies angelica quoad omnia individua totaliter perierat: ergo ſub qualibet ſpecie angelicâ dantur plura individua, quorum aliqua perierunt, aliqua perſtiterunt. Secundò ſunt congruentiæ idem ſuadentes tùm propinquitas Angelorum ad Deũ, ratione cujus ſicuti datur in Deo conſortium Perſonarum in eadem naturâ; ità in Angelis conſortium individuorum in eadem ſpecie; tùm uniformitas operationum & miniſteriorum inter plures Angelos ut patet in

Cur Deus hominem potiùs, quàm Angelum redemerit;

hominum

hominum Cuſtodibus; rationabile quippè eſt arguere naturam ejuſdem rationis, ubi deprehenduntur ejuſdem rationis operationes, & miniſteria.

Ex his habetur aſſertum poſitum de pluralitate numericâ Angelorum ſub eadẽ ſpecie ſuſtinendum eſſe non tanquam certum & indubitatum; ſed tanquam magis probabile, & veriſimile: ſatis enim conſtat nec per medium extrinſecum, nec per medium intrinſecum haberi poſſe ullam certitudinem talis pluralitatis. Non per medium extrinſecum, id eſt per auctoritatem; quia vel ſermo eſt de auctoritate divinâ, & hæc nulla affertur, nec ullibi eſt in ſcripturâ revelatum plura ne ſint Angelorum individua quàm ſpecies, an tot ſpecies quot individua Deus creaverit? vel ſermo eſt de auctoritate humanâ ſanctorum Patrum & Theologorum, & hi utrique ſicuti aut ferè ex æquo in oppoſitas ſententias dividũtur, aut dubitanter loquuntur & ambiguè, ità auctoritatẽ induunt aut nullius aut ferè æqualis ponderis pro utraque parte Non per medium intrinſecum, id eſt per actionem, quia nulla occurrit ratio convincens, & præcedentes probationes non demonſtrationes ſunt, ſed tantùm probabiles congruentiæ; ſimiles verò congruentiæ, rationeſque probabiles oppoſitæ etiã opinioni non deſunt, ut colligitur ex ſuprà poſitâ inſtantiâ, multoque magis ex doctrina mox ponendâ contrà potiſſimum fundamentum, cui innituntur Adverſarij contendentes impugnare poſſibilitatem, nedum exiſtentiam multitudinis individualis Angelorũ ſub eadem ſpecie, docentes conſequenter neceſſariam prorsùs eſſe, nedum congruentem diverſitatem ſpecificam cujuſlibet Angeli ab alio quolibet. Porrò hujuſmodi potiſſimum fundamentum conſiſtit in eo, quòd ſtatuatur pro principio diſtinctionis numericæ & individualis ſola materia, cujus expertes ſunt Angeli.

---

§. VII.

Impugnatur potiſſimum fundamentum diverſitatis ſpecificæ cujuſlibet Angeli ab alio quolibet: oſtenditur ſcilicet principium individuationis non eſſe ſolam materiam.

46. Principium individuationis non eſt ſola materia.

ASSERT. Principiũ individuationis non eſt ſola materia, & rectè poteſt independenter à materiâ haberi individualis pluralitas. Ità præter Auctores ſuprà relatos pro Angelis de facto ſub eadem ſpecie plurificatis illi omnes, qui eoſdem aſtruunt ſaltem de potẽtiâ abſolutâ plurificabiles, quod aſtruunt in primis nonnulli inſignes Thomiſtæ ut Bannes 1. *p.q.*50.*art.*4.*dub.*2. Ferrarienſis 2. *contrà Gentes c.*93. §. *ad hoc dicendum*, deindè communiſſimè alij Doctores extrà ſcholã Thomiſticam, adeò ut Henricus *quodlib.*2. *q.*8. aſſertam ſententiam dicat nulli fidelium dubiam, & è contrà ſententiam oppoſitam tanquam errorem damnaverit facultas Pariſienſis apud Cajetanum *de ente & eſſentiâ c.*5.*q.*9.*arg.*7. in pluribus articulis, præcipuè verò in octavo illis verbis *Quod quia intelligentiæ non habent materiam Deus non poteſt ejuſdem ſpeciei facere plures; error.* Huic tamen cenſuræ non videntur reliqui Theologi ſubſcripſiſſe & ipſa non obſtante habemus in aſſerto poſito Adverſarios Cajetanũ mox relatum, Salmanticenſes 1. *p. tr.*1. *per totum & tr.*7. *diſp.*1. *dub.*7. Nazarium *q.*50.*art.*4. *controv.* 2. Joannem à ſancto Thoma *eadem q. diſp.*19. *art.*3. Granadum *controv.*7. *tr.*1. *diſp.*4.

Cenſura facultatis Pariſienſis.

Advertè pro germanâ aſſerti intelligentiâ ly *principium individuationis* non ſumi pro principio extrinſeco efficiente; quâ ratione Deus eſt principium individuationis cujuſcumque creaturæ, cum ipſe determinet quãlibet cauſam ad quemlibet effectum in individuo, & ex ipſius voluntate oriatur, quòd hic potiùs numero effectus oriatur, quàm alius: Non item ſumi pro principio intrinſeco metaphyſico & formali, quâ ratione certum eſt principium individuationis eſſe differentiam individualem ſeu hæcceitatem; & Salmanticenſes *tr.*1. *diſp.* 1.*dub.*1.*num.*2. redarguunt Scotum & Fonſecam, quòd punctum difficultatis non attigerint, dum controverſiam hanc decidentes ſolùm inquiunt hæcceitatem, ſeu differentiam individualem eſſe principium individuationis. Sumi igitur debet pro principio intrinſeco phyſico & radicali, in quod reſolvitur tota individuorum diverſitas, in quo fundatur differentia individualis metaphyſica: Hoc principium Adverſarij dicunt eſſe ſolam materiam, & hic materiæ nomine rigidiores Thomiſtæ intelligunt materiam corporeã, quia intelligunt materiam ſignatam quantitate, id eſt vel in exercitio quantificatã hac potiùs, quàm illâ quantitate, vel ſaltem dicentem connexionẽ & habitudinem ad hanc potiùs, quàm illam quantitatem; aliqui intelligunt materiam latiùs uſurpatã, provt materia dici poteſt quidquid exercet munus ſubjecti, & cauſæ materialis, quâ ratione datur ſpiritualis materia æquè ac corporalis *ex ſuperiori cap.* §. 5 Modò probandum eſt in neutro ſenſu ſolam materiam eſſe principiũ individuationis, ſolam inquam, quia non negatur quòd etiam materia ſit principium individuationis aut partiale reſpectu compoſiti, cujus ſit pars intrinſeca; aut totale reſpectu ſui ipſius; imò hoc omninò ſequitur ex eo, quòd juxta infrà dicenda quælibet res ſit per propriam entitatem principium propriæ individuationis. Sic explicatum aſſertum

47. Principiũ individuationis ſumitur tripliciter.

Materia ſumitur dupliciter.

Probatur primò. Individuatio nihil eſt aliud, quàm differentia, ſecundùm quam una res differt ab alia per hoc præcisè, quòd non ſit illa; ſed principium talis differentiæ non eſt ſola materia; ergo principium individuationis non eſt ſola materia & rectè poteſt, &c. Major patet quia individuatio eſt differentia omnium minima; non poteſt aliquid differre ab alio minùs, quàm per hoc, quòd non ſit illud; undè etiam individuatio ſolet 48.

Individuatio quid.

appellari

appellari hæcceitas, quia res eſt individua per hoc præciſè, quòd ſit hæc: Minor probatur, per hoc præciſè quòd res aliqua habeat entitatem finitam & limitatam, habet entitatem, quæ non eſt omnis entitas, adeoque habet entitatem; quæ eſt hæc & non illa entitas; ergo habet entitatem quæ eſt principium differentiæ, ſecundùm quam una res non eſt alia, ſeu eſt hæc & non illa; ſed habere entitatem finitam & limitatam non provenit à ſolâ materiâ, ergo principium differentiæ, &c. non eſt ſola materia.

Dices differentiam omnium minimam aliam eſſe talem formaliter, ſecundùm quam unum differt ab alio per hoc præciſè, quòd non ſit formaliter illud; aliam eſſe talem materialiter, ſecundùm quam unum differt ab alio per hoc præciſè, quòd non ſit materialiter illud, hæc, non illa, eſt differentia individualis, decantatum quippè eſt apud omnes differentiam individualem eſſe differentiam materialem, & materialiter differre, quæ individualiter differunt: Quod deinde dicitur per hoc præciſè quòd res aliqua habeat entitatem finitam, & limitatam, eſſe hanc, & non illam; verum eſt loquendo, vel formaliter, vel materialiter; cæterùm quod res aliqua ſit hæc & non illa materialiter tantùm, non poteſt provenire niſi à ſolâ materiâ: & confirmatur hoc ex ipſa doctrina noſtræ probationis, ex eo ſcilicet quòd differentia individualis ſit omnium minima & infima; ſi enim talis eſt, debet ſumi ex minimâ & infimâ entitate

49. phyſicâ, qualis eſt ſola materia. Sed contrà: Quæ differunt formaliter, jam non differunt differentiâ minimâ, quia poſſunt formaliter convenire, & differre ſolùm materialiter, quod eſt minùs differre; malè igitur diſtinguit inſtantia duplicem differentiam omnium minimam, materialem alteram, alteram formalem. Quod additur rem eſſe hanc & non illam formaliter provenire quidem poſſe à limitatione & finitate rei, rem verò eſſe hanc & non illam materialiter debere ſumi à ſola materia, eſt ipſiſſima quæſtio ſequentibus probationibus luculentiùs oppugnanda: nec ei ſatis ſuffragatur confirmatio, quia valdè voluntariè arguitur à gradibus metaphyſicis ad entitates phyſicas; & quando eſſet hoc modo arguendum, cum genus comparatur materiæ, & differentia formæ, potiùs inferretur differentiam individualem deſumendam eſſe à formâ quàm à materia: Verùm quia Adverſarij pertinaciter urgent differentiam individualem ex eo, quòd materialis dicatur, non poſſe niſi à materia derivari, neceſſe eſt magis ex profeſſo tradere in quo ſenſu differentia individualis dicatur materialis. Pro qua

Differentia individualis potiùs eſt ſumenda à formâ, quã à materia.

50. Adverto materiale ſumi tripliciter. Primò prout contra diſtinguitur à ſpirituali; & ſic materiale deſumitur à materia ſignata quantitate, ſeu à materia ut eſt radix quantitatis; nihil enim magis opponitur ſpiritualitati, quàm habitudo ad quantitatem. Secundò prout contrà diſtinguitur à formali accepto phyſicè; & ſic materiale deſumitur à materia, quatenùs eſt ſubjectum & potentia; per hanc enim rationem in quolibet compoſito diverſificatur quod ſe habet ut materia ab eo, quod ſe habet ut forma. Tertiò prout contra diſtinguitur à formali accepto metaphyſicè, quod eſt idem ac dicere ab eſſentiali & quidditativo. Porrò dum differentia individualis dicitur materialis, ſumitur materiale hoc tertio modo, & ſenſus eſt differentiam individualem non eſſe eſſentialem, & quidditativam; ex quo nullatenùs ſequitur ipſam derivari à materia aut prout eſt radix quantitatis, aut prout eſt ſubjectum in toto; imò potiùs ſequitur oppoſitum, quia cum materia taliter conſiderata ſit eſſentialis toti cujus eſt pars, incongruè ponitur ex ipſa derivari differentia non eſſentialis. Si quis tamen pertinaciùs adhuc inſiſtat opponendo juxtà hanc doctrinam malè, & abſque ulla ſpeciali ratione differentiam individualem denominari materialem. Reſponderi poteſt differentiam individualem; quamvis à materiâ non deſumatur, deſumi tamen ab aliquo imitante materiam, & aliqualiter ſe habente in genere metaphyſico ſicuti ſe habet materia phyſica in genere phyſico; quatenùs ſicuti materia phyſica eſt in genere phyſico maximè ſubjicibilis, & eſt ſubjectum in omni compoſito phyſico; ità cujuſlibet rei entitas ut fundat differentiam individualem eſt maximè ſubjicibilis in genere metaphyſico: cum enim ratio individui ab univerſalitate maximè diſtet; & recta prædicatio exigat terminum minùs univerſalem ſubjici univerſaliori; conſequens eſt rationem individui cuicumque alij ſubjici, & entitatem ut individuam, ſeu ut fundamentum differentiæ individualis, eſſe maximè ſubjicibilem.

In quo ſenſu dicatur differentia materialis.

Cur materialis denominetur.

Probatur ſecundò: Principium individuationis, ſeu differentiæ individualis non debet eſſe realiter diſtinctum à principio differentiæ ſpecificæ; ſed ſi illud eſſet ſola 51.
materia ſemper diſtingueretur realiter à principio differentiæ ſpecificæ quod eſſet ſola forma juxta Auctores, quos impugnamus, ergo principium individuationis, ſeu differentiæ individualis non eſt ſola materia. Major probatur: principium generis non debet eſſe realiter diſtinctum à principio ſpeciei; ergo neque principium ſpeciei, ſeu differentiæ ſpecificæ à principio individuationis, ſeu differentiæ individualis; antecedẽs patet quia ſecùs in Angelis, qui ſunt ſubſtantiæ ſimplices non daretur genus ſimul & differentia ſpecifica, ſed aut omnes haberent convenientiam genericam ſine diverſitate ſpecificâ, aut ſinguli ab invicem differrent ſpecie ſine convenientiâ genericâ: cõſequentia probatur: tùm quia magis diſtãt quæ differũt ſpecie ſub eodẽ genere, quàm quæ differunt numero ſub eadẽ ſpecie, ſi igitur non debet realiter diſtingui principiũ generis à principio ſpeciei, multo minùs erit realiter diſtinguendum principium ſpeciei à princi-

pio individuationis; tùm quia ſicuti intellectus poteſt in eadem entitate diverſimodè conſideratâ reperire principium rationis genericæ & rationis ſpecificæ, illam penes convenientiam in uno, iſtam penes diſconvenientiam in alio prædicato metaphyſico; ità non eſt cur nequeat pariter in eadem entitate reperire principium rationis ſpecificæ & rationis individualis, illam penes convenientiam in prædicatis quiditativis, iſtam penes diſconvenientiam in prædicatis non quiditativis.

Dices diſconvenientiam in prædicatis non quiditativis ſolùm convenire rebus materialibus, ideò ſi penes talem diſconvenientiam attendendum eſt principium diverſitatis individualis, ſolùm poſſe tale principium reperiri in rebus materialibus; ſicque tandem reſolvi principium individuationis in ſolam materiam; & allata probatio ad ſummum deindè concludit, quod eadem materia poſſit ſimul eſſe principium individuationis & ſpeciei: antecedens probatur; prædicata non quiditativa ſunt præcipuè produci à tali principio, durare tali tempore, exiſtere in tali loco, & ſimilia; ſed ſolùm res materiales, quæ ſunt generabiles, corruptibiles, & impenetrabiles habent produci à diverſis principiis, durare pro diverſo tempore, exiſtere in diverſo loco; non ſic res ſpirituales, ut exemplificari maximè poteſt in ſubjectâ materiâ de Angelis, hi enim fuerunt omnes ab eodem principio, à Deo ſcilicet ſimul producti, habent omnes eandem æviternam durationem, poſſunt ſe conſtituere in eodem loco, aliaque ferè omnia accidentia, quæ ſunt in diverſis rebus materialibus diverſa & diverſorum individuorum propria, ſunt in rebus ſpiritualibus, ſpecialiter in Angelis eadem & omnibus communia; ergo. Sed contrà: licèt in rebus ſpiritualibus minùs,
52. quàm in materialibus appareat diſconvenientia in prædicatis non quiditativis, tamen etiam in illis aliqua hujuſmodi diſconvenientia non deeſt, ſic v. g. Angelus Gabriel à Raphaele diſconvenit in eo quòd poſſit eſſe ſine Raphaële, Raphael autem ſine Raphaële eſſe non poſſit; in eo quod habeat ſpeciem infuſam Raphaëlis, Raphael autem talem ſpeciem infuſam non habeat. Deindè ſaltem, quando duo Angeli aut duæ aliæ res ſpirituales in diverſis locis exiſtentes ſimul cognoſcentur, diverſitas præſentiæ importabit diſconvenientiam in prædicato non quiditativo; quòd ſufficit ad ſatiafaciendum inſtantiæ: Nihilominùs uberioris doctrinæ gratiâ,

53.
Individuũ aliud logicum, aliud metaphyſicum.

Adverte individuum dupliciter ſumi logicè ſcilicet, & metaphyſicè. Individuum logicum, ſeu logicè ſumptum definiri ſolet à logicis cum Porphyrio in Iſagoge eſſe illud, cujus collectio proprietatum in nullo alio eadem eſt, & de tali individuo procedunt duo illi decantati verſiculi *forma, figura, locus, &c.* Individuum metaphyſicum, ſeu metaphyſicè ſumptum ſicuti eſt unum ultima unitate, ità juxtà definitionem unius, quam tradere ſolent Metaphyſici, definiri poteſt illud, quod eſt indiviſum in ſe & diviſum à quolibet alio ultimâ diviſione; ultimâ, inquam, metaphyſicè, penes diverſos gradus entis, nam phyſicè quodlibet individuum materiale eſt ulteriùs diviſibile, adeóque nullum eſt diviſum ultimâ diviſione. Porrò ſicuti abſque diverſitate proprietatum accidentalium poteſt aliquid eſſe indiviſum in ſe & diviſum à quolibet alio, ità poteſt abſque individuo logico eſſe individuum metaphyſicum, & certè in ſtatu poſſibilitatis, in quo res abſtrahit à circumſtantiis loci, temporis, productionis, &c. relucent individua metaphyſica ſolùm, non logica. Ex hoc capite abſque recurſu ad diverſas proprietates accidentales & diſſimilia prædicata non quiditativa poſſunt in Angelis ſuſtineri ſub eadem ſpecie plura individua, ſaltem purè metaphyſica. Nihilominùs quia aliundè ex individuis purè metaphyſicis plura oriuntur incommoda in natura rationali, placuit inſinuare in Angelis diverſitatem aliquam proprietatum accidentalium & prædicatorum non quiditativorum, ut poſſint ſub eadem ſpecie Angelicâ individua etiam logica plurificari, & devitari incommoda, quibus forent obnoxia individua angelica purè metaphyſicè plurificata, quo modo quoties ſeorſim occurrerent eſſent indiſcernibilia, hæc autem indiſcernibilitas maximam pareret inter Angelos confuſionem, impediret exigentiam quam quilibet Angelus habet committendi ſecretum uni præ alio, & exigendi ab eodem rationem ſecreti commiſſi, ineundi cum aliquo ſpecialem amicitiam, &c. ut etiam inter nos contingeret, quoties duo pluresvè homines evaderent omninò ſimiles & indiſcernibiles. Quæ incommoda rectè perpendit Eſparza *lib.* 2. *de Angelis quæſ.* 5. *art.* 4. *&* 5. diſplicet tamen quod ſubdit *articulo ſequenti*, dum diſcernibilitatem Angelorum explicat ſolùm per ordinem ipſorum ad corpora: Fateor quidem etiam penes talem ordinem poſſe aliquos Angelos diſcerni, at non eſt iiſdem neganda diſcernibilitas etiam penes aliquid ſpirituale, puta penes diverſam aliquam ſpeciem intentionalem uni, non alteri infuſam, penes ſignum aliquod particulare inſtar teſſeræ militaris, ut loquitur Dequiros 1. *part. tract.* 8. *diſp.* 52. *ſect.* 4. *num.* 35.

Iſtud eſſe poteſt ſine illo.

Vtriuſque pluralitas datur in Angelis.

54.

Quomodò ſint diſcernibiles Angeli diverſi ſolo numero.

Probatur tertiò: Simpliciter & abſolutè loquendo non quæcumque ſunt numero multa materiam habent, ergo principium individuationis non eſt ſola materia & rectè poteſt, &c. conſequentia patet quia ſi ſola materia eſt principium individuationis, neceſſè eſt dari materiam ubicumque dantur plures individuationes, ſeu aliqua numero multa, & Adverſarij ponunt ſolam materiam pro individuationis principio præſertim ex eo quòd ſimpliciter & abſolutè intelligant propoſitionẽ illam Ariſt. 12. Metaph text. 49. 55.

Quæcumque

Quæcūque ſunt numero multa materiam habent, intelligitur multipliciter.

Quæcumque ſunt numero multa, materiam habent: antecedens probatur afferendo varios modos quib s limitari ſolet relata ex Ariſtotele propoſitio. Primò enim per ly *materiam habent* intelligi poteſt quæcumque potentialitas repugnans actui puriſſimo, & hic loquendi modus videtur conformis textui Ariſtotelico, in quo ſubditur *Quod autem quod quid erat eſſe non habet materiam primam, endelechia enim*; nimirum, quod eſt ſua eſſentia non habet materiam, eſt enim actus purus; quà ratione quæcumque ſunt numero multa habere materiam nihil eſt aliud, quàm habere potentialitatem ſaltem methaphyſicam ad differentiam individualem; habere naturam contrahibilem, non verò de ſe eſſentialiter ſingularem. Secundò ly *Quacumque ſunt numero multa* intelligi poteſt de numero prædicamentali & quantitativo conſurgente ex diviſione continui, non do numero tranſcendentali & entitativo; juxtà hunc intelligendi modum ly *materiam habent* rectè deinde procedit de materiâ ſignatâ. Tertiò ly *Quacumque ſunt numero multa* intelligi poteſt ſecundùm nos, qui utentes ſenſuum miniſterio non niſi per differentias ſenſibiles in ſola materia ſignatâ exiſtentes diſcernimus ab invicem ea, quæ ſunt ſolo numero multa. Quartò ly *Quacumque ſunt numero multa* intelligi poteſt de jis quæ ſunt numero multa ex indigentiâ conſervationis ſpeciei, quæ ex eo, quòd in ſuis individuis ſucceſſivè corrumpatur, non poſſit ſine ſucceſſivâ novorum individuorum generatione diutiùs conſervari; hujus utique multiplicitatis individualis principium eſt materia, ſicuti ipſa eſt principium generationis & corruptionis; cæterùm quemadmodùm *ex ſupradictis* §. 6. conſervatio ſpeciei non eſt unica ratio multiplicationis individuorum, ita nec ejuſdem debet eſſe unicum principium materia. Quintò per ly *materiam habent* intelligi poteſt habent differentiam materialem deſumptam ſcilicet ab aliquo imitante materiam ut ſuprà explicabatur *n.* 50.

56. Ex hac multiplici intelligentiâ illius propoſitionis *Quacumque ſunt numero multa, &c.* ſatis patet quàm arbitrariè ab Adverſariis aſſumatur tanquam fundamentum potiſſimum negãdi multiplicabilitatem individualem in Angelis, aliiſque rebus ſpiritualibus non dicentibus ordinem ad materiam: quàm inefficaciter item nos impetant argumentis eidem fundamento innixis: Puta quod ratio limitans naturam ſit materia, & per conſequens, quòd naturæ immateriales & formæ abſtractæ neceſſariò habeant totam perfectionem ſuæ ſpeciei in unico individuo: Quòd formæ ſimplices nequeant differre niſi formaliter, & conſequenter niſi ſpecificè. Vtrumque antecedens in eo ſenſu, in quo ab Adverſariis obiicitur falſum ſimpliciter eſt, nec poteſt ab Adverſariis probari, niſi recurrendo tandem ad propoſitionem illam *Quæcumque ſunt numero multa materiam habent*; & in re ſynonima ſunt dicere Principium limitationis, Principium differentiæ materialis, Principium individuationis eſt materia, & cum iſtis propoſitionibus ſynonima eſt juxta Adverſariorum ſenſum illa alia *Quæcumque ſunt numero multa, &c.* Porrò ut talium propoſitionum falſitas altiùs eruatur, mox oſtendo quamlibet creaturam eſſe per ſe ipſam principium limitationis, individuationis, & differentiæ materialis; nec dari poſſe naturam creatam quæ ſit immultiplicabilis numero, & eſſentialiter exiſtat in unico individuo.

---

§. VIII.

Vtrùm ſit dabilis ſaltem de potentiâ abſolutâ natura Angelica, aut alia natura creata immultiplicabilis numero?

57. Repugnat natura creata immultiplicabilis numero.

ASSERT. Nullatenùs eſt dabilis natura Angelica, aut alia natura creata immultiplicabilis numero, ſeu quæ eſſe non poſſit niſi in unico individuo. Ità Dequiros 1. *p. tr.* 8. *diſp.* 52. *ſect.* 3. *n.* 29. Bubalus *q.* 50. *art.* 4. *quæſito* 1. *diffic. ultimâ*, §. 5. & licèt non adeò expreſsè illi ferè omnes, qui ſuſtinent quamlibet ſpeciem angelicam eſſe aut multiplicatam aut multiplicabilem in plura individua; hi etenim quamvis apertè ſolùm loquantur de naturis Angelicis de facto exiſtentibus, utuntur tamen argumentis quaſi ex æquo militantibus in qualibet natura creabili. Contra Cajetanum, Salmanticenſes, Nazarium, Ioannem à S. Thoma & alios ſuprà relatos pro principio individuationis deſumendo à ſolâ materiâ, & conſequenter pro immultiplicabilitate numericâ cujuſcumque naturæ non dicentis ordinem ad materiam. Inſuper contrà Lugum 1. *p. lib.* 3. *diſp.* 2. *cap.* 3. qui licèt non ſolam materiam aſſignet pro individuationis principio; aliundè tamen docet poſſibilem eſſe ſpeciem creatam, quæ eſſe non poſſit niſi in unico individuo.

Adverto hic prima facie facilém admodùm poſiti aſſerti probationem occurrere ex eo quod *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. §. 6. dictum eſt in pari, aut non multùm impari causâ præſumptionem ſtare pro impoſſibilitate potiùs, quàm pro poſſibilitate rei: Hinc enim videtur inferri ſuſtinendam eſſe impoſſibilitatem potiùs, quàm poſſibilitatem naturæ creatæ immultiplicabilis ex eo, quòd poſſibilitas, vel impoſſibilitas talis naturæ ſit valdè controverſa & paribus propemodùm utrinque viribus agitata. Nihilominùs quia in præſenti etiam ab Auctoribus ſententiæ oppoſitæ poteſt eadem argumentatio in nos urgeri; poſſunt ſcilicet ipſi ex eo, quòd præſumptio ſtet pro impoſſibilitate potiùs quàm pro poſſibilitate, inferre, quòd ſint impoſſibilia plura individua ſub aliquâ ſpecie, potiùs quàm poſſibilia, & numerum impoſſibilium, quem nos augemus in ſpeciebus, Adverſarij copioſiùs augent in individuis, abſtinendum

eſt pro nunc à tali arguendi modo, & poſitivis rationibus procedendum in comprobandâ impoſſibilitate aſſertâ. Ideò.

58. Probatur aſſertum primò. Non eſt dabilis natura angelica, aut alia natura creata ſimpliciter illimitata & infinita; ſed natura immultiplicabilis numero debet eſſe ſimpliciter illimitata & infinita; ergo non eſt dabilis natura angelica, aut alia natura creata, &c. Major ſupponitur: Minor probatur primò quia ut ſuppono *ex tr.* 1. *lib.* 1. c. 4. §. 2. non aliundè meliùs, quàm ex eſſe ſimpliciter infinito & illimitato evincitur unicitas Dei ſeu immultiplicabilitas numerica divinæ naturæ, ſignum eſt igitur quod eſſe ſimpliciter infinitum & illimitatū eſt maximè proprium naturæ immultiplicabilis numero: Secundò natura immultiplicabilis numero ità eſt in uno individuo ut nequeat admittere aliud individuum omninò ſimile & æquale; ſed quòd res aliqua non admittat aliam ſibi omninò ſimilem & æqualem nequit provenire niſi ex omnimodâ infinitate & illimitatione illius rei; & entitas quælibet finita & limitata ſicuti poteſt excedi & habere rem aliam perfectiorem; ità neceſſe eſt, quòd poſſit adæquari, & habere rem aliam æqualem; ergo.

Natura immultiplicabilis debet eſſe ſimpliciter infinita.

Dices primò ad primam probationem minoris aliud eſſe quòd illimitatio inferat in Deo immultiplicabilitatem numericā, aliud eſſe quòd ſit unica ratio talis immultiplicabilitatis; & ſicuti quamvis in Deo ex infinitate & illimitatione probetur intellectus & voluntas, tamen poteſt creatura participare de Deo ſecundùm rationem intellectivi & volitivi, abſque eo quòd transferatur ad eſſe infinitum & illimitatum; ità non eſt cur non poſſit eodem modo participare im-
59. multiplicabilitatem numericam. Sed contrà
licèt illimitatio & infinitas non ſit unica ratio immultiplicabilitatis numericæ in Deo, nulla tamen ratio infert talem immultiplicabilitatem, quæ non inferat etiam infinitatem; ut conſtat tùm recolendo alias rationes, quibus ſuo loco probabamus Deum eſſe immultiplicabilem; tùm quia ſi quæ alia ratio non inferens infinitatem inferre poſſet immultiplicabilitatem, maximè eſſet immaterialitas & carentia materiæ; at hæc ratio jam infirmata eſt *in ſuperiori* §. ergo. Ex eo quòd omnis ratio inferens numericam immultiplicitatem aut ſit infinitas, aut ſit illativa infinitatis, ſatis patet cur creatura abſque eo quòd transferatur ad eſſe infinitum poſſit participare de Deo in ratione intellectivi, & volitivi; non verò in ratione immultiplicabilis numero.

Dices ſecundò ad ſecundam probationem minoris entitatem numero immultiplicabilem, quamvis non admittat aliam ſimilem & æqualem in eadem ſpecie, admittere tamen aliam ſimilem & æqualem in eodem genere, quod ſufficit ad excludendam infinitatem ſimpliciter: & ſicuti ut res finita ſit ac limitata non eſt neceſſe, quòd poſſit excedi ab individuo ejuſdem ſpeciei dummodò poſſit excedi ab individuo ſpeciei diverſæ; ità non eſt neceſſe quòd poſſit adæquari ab individuo ejuſdem ſpeciei, dùmmodò adæquari
poſſit ab individuo ſpeciei diverſæ. Sed con- 60.
trà. primò: Inſtantia ſupponit dari poſſe duas ſpecies omninò ſimiles & æquales, quod valdè controverſum eſt, & pro parte negativâ videri poteſt Maſtrius *in* 2. *diſp.* 2. *q.* 1. *art.* 4. Contrà ſecundò: Inſtantia admittit repugnare rem finitam ſpecie immultiplicabilem intrà idem genus, ſed res numero immultiplicabilis intrà eandem ſpeciem, debet etiam eſſe ſpecie immultiplicabilis intrà idem genus; ergo inſtantia ſe ipſam deſtruit; minor probatur à paritate Deitatis, quæ eſt utroque modo immultiplicabilis, & cui ſi per impoſſibile tribui deberet multiplicabilitas, potiùs eſſet tribuenda multiplicabilitas numerica ſub eadem ſpecie, quàm ſpecifica ſub eodem genere; & ſi per impoſſibile plures dij non repugnarent potiùs eſſent ſolo numero diverſi, quàm ſpecie ut notat Arriaga *tract. de Angelis diſp.* 4. *ſect.* 1. *ſubſec.* 3. *num.* 10. Contrà tertiò: differentia numerica non eſt majoris perfectionis quàm ſpecifica, imò eſt minoris; ergo quod poteſt habere aliud ſimile, & æquale ſecundùm differentiam ſpecificam, multo magis habere poteſt ſimile & æquale ſecundùm differentiam numericam.

Quod eſt immultiplicabile numero eſt etiam immultiplicabile ſpecie.

Probatur ſecundò: Non eſt dabilis natura creata, quæ ſolùm eſſe poſſit in duo- 61.
bus individuis; ergo neque quæ ſolùm eſſe poſſit in uno individuo: antecedens probatur: tùm quia ſecùs cenſeri poſſet dabilis alia natura creata, quæ ſolùm eſſe poſſit in tribus, alia quæ ſolùm in quatuor individuis, ſicque facilis aperiretur aditus determinandi plurimos limites divinæ potentiæ; tùm quia non eſt dabilis cauſa quæ ſolùm poſſit producere duos numero effectus, potentia quæ ſolùm poſſit elicere duos numero actus; & ſic de reliquis; ergo ſimiliter, &c. Conſequentia etiam probatur: non eſt major ratio, cur natura admittens duo non poſſit non admittere tria, quàm cur natura admittens unum non poſſit non admittere duo individua, cum non magis diſtet ſecundum individuum à primo, quàm tertium à ſecundo; ergo ſi non eſt dabilis natura, quæ ſolùm eſſe poſſit in duobus individuis, & quæ admittens duo non poſſit admittere tria individua, neque erit dabilis natura, quæ ſolùm eſſe poſſit in uno individuo, & quæ admittens unum non poſſit admittere duo individua.

Repugnat natura illigata determinato numero individuorum.

Dices hoc totum argumentum formari poſſet etiam ad probandum naturam divinam non poſſe eſſe ſolùm in uno individuo ex eo quòd non poſſit eſſe ſolùm in duobus; vel poſſe eſſe in pluribus Perſonis quàm
tribus ex eo, quòd eſſe poſſit in tribus. Sed 62.
contrà: omnimoda infinitas & illimitatio divinæ naturæ eſt ſpecialis ratio cur poſſit eſſe ſolùm in uno individuo, licèt non poſſit eſſe ſolùm in duobus: Proceſſio unius Perſonæ ab aliâ eſt ſpecialis ratio, cur ſint in divinis tres Perſonæ nec poſſint eſſe plures; & quando aut natura divina eſſet finita, aut

multiplica

multiplicabilitas divinarum perſonarum poſſet haberi aliundè, quàm ex ratione producentis & producti; inſtantia rectè procederet, ut patere poteſt recolenti ſupradicta *tract.1 lib.1.cap.4.§.2.*

Dices inſuper. Natura finita eo ipſo quòd poteſt eſſe in duobus individuis eſt multiplicabilis; natura quæ poſſit ſolùm eſſe in unico individuo eſt immultiplicabilis; ideò ex eo quòd natura potens eſſe in duobus individuis poſſit etiam eſſe in tribus non rectè infertur, quòd natura potens eſſe in uno poſſit etiam eſſe in duobus individuis; quia ibi arguitur à minori multiplicabilitate ad majorem, & ſiſtitur in eodem genere; hic arguitur ab immultiplicabilitate ad multiplicabilitatem; & fit tranſitus à genere in genus, eſt autem vitioſum argumentum, in
63: quo fit talis tranſitus. Sed contrà: in noſtrâ probatione fit tranſitus à majori ad minus, non à genere ad genus; & ex eo quòd repugnet naturæ creatæ multiplicabilitas determinata, infertur multò magis eidem repugnare carentiam multiplicabilitatis; ex eo quòd una natura creata non poſſit eſſe minùs multiplicabilis, quàm altera, infertur quòd nulla poſſit eſſe prorsùs immultiplicabilis, quòd nulla poſſit recedere à multiplicabilitate in infinitum.

Probatur tertiò: Non eſt dabilis natura creata, quæ non ſit ſecundùm ſuam rationem ſpecificam indifferens ad plura individua; ſed omnis natura indifferens ad plura individua eſt multiplicabilis numero; ergo non eſt dabilis natura creata, quæ non ſit multiplicabilis numero: Minor patet; natura indifferens ad plura individua non eſt ex ſe ad unum individuum determinata, opponuntur enim indifferentia ad plura & determinatio ad unum; ſed natura immultiplicabilis numero utpotè quæ ſolùm eſſe poteſt in uno individuo eſt ex ſe ad unum individuum determinata; ergo natura indifferens ad plura individua multiplicabilis eſt, non immultiplicabilis numero; certè materia indifferens ad plures formas poteſt plures formas recipere, potentia indifferens ad plures actus poteſt plures actus elicere, &c. ergo pariter natura indifferens ad plura individua poteſt
64. in pluribus individuis exiſtere. Major primi argumenti probatur: Non eſt dabilis natura creata, quæ non poſſit ſecundùm ſuam rationem ſpecificam abſtrahi à ſingularitate; ſeu quæ involvat in ſuo conceptu eſſentiali & ſpecifico ſingularitatem; ergo non eſt dabilis natura creata, quæ non ſit ſecundùm ſuam rationem ſpecificam indifferens, &c. Conſequentia patet, quia natura quælibet eo ipſo, quòd eſt à ſingularitate abſtracta, eſt communis & indifferens ad plura, & natura humana exiſtens in Petro v.g. eo ipſo, quòd eſt abſtracta à Petreitate, eſt communis Paulo, Franciſco, Antonio, &c. Antecedens probatur primò: Quod non poteſt abſtrahi à ſingularitate, non poteſt abſtrahi ab exiſtentia, & quod eſt ex ſuo conceptu eſſentiali ſingulare, eſt ex ſuo conceptu eſſentiali exiſtens; nam ſicuti ſingularitas eſt maximè de

Omnis natura creata poteſt abſtrahi à ſingularitate.

conceptu exiſtentiæ, ità exiſtentia eſt maximè de conceptu ſingularitatis, & in ſtatu poſſibilitatis ſunt ſolæ rerum eſſentiæ à ſingularitate maximè abſtrahentes; ſed non eſt dabilis natura creata, quæ non poſſit abſtrahi ab exiſtentia, ſeu quæ involvat exiſtentiam in ſuo conceptu eſſentiali & ſpecifico; alioqui eſſet dabilis creatura neceſſariò omninò & eſſentialiter exiſtens contrà ſupradicta *tract.1.cap.7.§.2.* ergo. Idem antecedens probatur ſecundò: Non eſt dabilis natura creata quæ ſecundum ſuam rationem ſpecificam habeat ſingularitatem pro prædicato eſſentiali, enimverò prædicata eſſentialia naturæ ſecundum rationem ſpecificã conſideratæ ſunt genus & differentia eſſentialis: ſingularitas autem neque poteſt eſſe genus ut ex ſe perſpicuum eſt; neque poteſt eſſe differentia eſſentialis, nam differentia eſſentialis eſt illa; quæ prædicatur in quale quid de pluribus differentibus numero, quâ ratione prædicari non poteſt ſingularitas, cum ſingulare ex Ariſtotele *lib.3. metaph cap.4.* ſit unum numero, adeóque ſingularitas de uno præcisè dicatur, non de pluribus numero. Deindè ſi ſingularitas poſſet eſſe differentia eſſentialis naturæ creatæ non poſſet convinci, qui diceret Petreitatem eſſe differentiam eſſentialem naturæ Petri, & Petrum per Petreitatem eſſentialiter & ſpecie à Paulo differre; & ſic de aliis individuis; ergo non eſt dabilis natura creata, quæ non poſſit ſecundùm ſuam rationem ſpecificam abſtrahi à ſingularitate.

Exiſtentia & ſingularitas maximè connectuntur.

Huic probationi, quæ meo videri validiſſima eſt, varias adhibent reſponſiones Adverſarij. Reſpondent primò ſpeciem diſtingui in ſubjicibilem & prædicabilem; hanc quidem non poſſe habere ſingularitatẽ pro prædicato eſſentiali, benè tamen illam, quæ cum non importet eſſe prædicabile de pluribus, rectè poteſt ex ſingularitate conſtitui. Reſpondent ſecundò ad hoc, ut natura aliqua ſit immultiplicabilis numero, ſufficere quòd habeat connexionem cum ſingularitate, tanquam cum proprietate inſeparabiliter conſequente, quamvis non habeat ipſam pro prædicato eſſentiali, poſſitque ab eadem per intellectum abſtrahi; & ſicuti rationale v.g. non poteſt eſſe niſi in ſubjecto viſibili, quamvis poſſit à viſibili abſtrahi, nec viſibile involvat in ſuo conceptu eſſentiali; ità natura aliqua non poterit eſſe niſi in unico individuo, quamvis poſſit à tali individuo abſtrahi; nec ipſum involvat in ſuo conceptu eſſentiali. Reſpondent tertiò; dum dicitur ſingularitatem non poſſe eſſe differentiam eſſentialem, quia hæc debet prædicari in quale quid de pluribus differentibus numero; afferri pro ratione id, quod eſt in quæſtione; idem enim eſt quærere an ſit dabilis natura immultiplicabilis, ac quærere an ſit dabilis differentia eſſentialis non prædicabilis de pluribus diff[illegible]tibus numero. Reſpondent quartò quamlibet naturã creatam ſecundùm ſuam rationẽ ſpecificam eſſe indifferentem ad plura individua negativè; quatenùs ſecundùm ſuam rationem ſpecifi-

65. Reſponſiones Adverſariorum.

cam non explicat determinationem ad unum individuum, at non eſſe indifferentem poſitivè, quatenùs explicet quiditatem poſitivè communicabilem pluribus individuis.

66. Impugnatur prima reſponſio; quia ſpecies non diſtinguitur in ſubjicibilem & prædicabilem, tanquam in duas rationes ab invicem ſeparabiles, ſed tanquam in duas habitudines unius ejuſdemque naturæ, quæ quatenùs comparatur ad ſuperiora, denominatur ſubjicibilis, quatenùs cōparatur ad inferiora, prædicabilis: & quando dicitur ſpeciem ſubjicibilem non importare eſſe prædicabile de pluribus, non eſt verum ſimpliciter, ſed ſolùm comparativè ad ea, quibus eſt ſubjicibilis. Cæterùm ſicuti ex eo, quòd ſpecies dividatur in ſubjicibilem & prædicabilem, non rectè inferretur dari poſſe ſpeciem prædicabilem, quæ non ſit ſubjicibilis, alioqui inferretur ſummum & generaliſſimum genus eſſe ſpeciem; quia ſolùm ſummum genus prædicabile eſt, non ſubjicibile; ità nec rectè infertur dari poſſe ſpeciem ſubjicibilem, quæ non ſit prædicabilis.

Species prædicabilis eſt neceſſariò ſubjicibilis, & è contrà.

67. Impugnatur ſecunda reſponſio, quia ex eo quòd natura quælibet poſſit per intellectum à ſingularitate abſtrahi ſitque ſecundum ſuam rationem ſpecificam indifferens ad plura individua ſequitur non poſſe habere connexionem cum ſingularitate, neque etiam tanquam cum proprietate inſeparabiliter conſequente: Enim verò proprietas conſequens naturam non poteſt eſſe oppoſita tali naturæ, cum debeat proprietas naturam, cujus eſt proprietas, perficere, & ab ipſa effluere tanquam à radice: ſed ſingularitas, per quam natura determinetur ad eſſe neceſſariò in unico individuo, opponitur naturæ indifferenti ad plura individua, qualis eſt quælibet natura à ſingularitate abſtrahibilis; ergo illa ſingularitas non poteſt eſſe proprietas conſequens hanc naturam, & ſi quælibet natura eſt ſecundùm ſuam rationem ſpecificam abſtrahibilis & indifferens, &c. nulla natura poteſt habere connexionem cum ſingularitate, tanquam cum proprietate. Certè hoc nihil aliud eſſet, quàm naturam ſecundum ſe multiplicabilem habere pro proprietate immultiplicabilitatem, quòd impugnari poteſt à pari ex doctrinâ, quâ *ſuperiore tract. lib. 2. c. 1. §. 8.* probabamus incommunicabilitatem non poſſe immediatè advenire ſubſiſtentiæ communicabili. Dicent fortè Adverſarij naturam poſitivè indifferentem & poſitivè multiplicabilem non poſſe eſſe radicem ſingularitatis & immultiplicabilitatis, benè tamen naturam purè negativè indifferentem, & purè negativè multiplicabilem: verùm huic effugio mox occurremus impugnando quartam reſponſionem.

Singularitas non poteſt eſſe proprietas alicujus naturæ creatæ.

68. Impugnatur tertia reſponſio, quia nos utimur definitione differentiæ eſſentialis cōmuniter à Dialecticis traditâ, & quòd natura immultiplicabilis numero nequeat cum tali definitione conciliari eſt efficax argumentum, quòd natura immultiplicabilis numero nequeat dari.

69. Impugnatur quarta reſponſio, quia per hoc præcisè, quòd natura non explicet determinationem ad unum, & abſtrahat à ſingularitate eſt poſitivè indifferens & poſitivè multiplicabilis: nec natura humana v. g. ut ponatur in ſtatu poſitivæ indifferentiæ ad plura individua debet à pluribus individuis abſtrahi ſed ſatis eſt quòd ab uno individuo abſtrahatur. Malè igitur in naturâ abſtractâ à ſingularitate & conſideratâ ſecundùm rationem ſpecificam diſtinguitur duplex indifferentia, altera poſitiva, altera negativa.

Pro coronide eorum, quæ hucuſque dicta ſunt de multiplicabilitate numericâ cujuſcumque naturæ creatæ; & de principio individuationis non collocando in ſolâ materiâ, ſupereſt indagandum quid in utraque difficultate ſenſerit S. Doctor, & conſultò ipſum in ſuperioribus aſſertis nec pro nec contrà retulimus, omnemque ipſius difficultatem diſſimulavimus; ut ejuſdem mentem accuratiore indagine perquireremus, & ex profeſſo oſtenderemus Adverſarios nimis ſibi blandiri de auctoritate Angelicâ. Ideò ſit

---

§. IX.

Quid ſenſerit Divus Thomas circà difficultates in duobus præcedentibus paragraphis agitatas.

ASSERT. 1. D. Thomas non ſenſit principium individuationis eſſe ſolam materiam. Ità contrà majorem Thomiſtarum partem Ferrarienſis 2. *contrà Gentes cap. 93. §. ad hoc dicendum.* Bannes 1. *p. q. 50. art. 4. dub. 2.* Sylvius *eod. art. §. Quare quòd B. Thomas* Capreolus *in 2. diſt. 3. q. 1. art. 3. ad 2.* Bubalus *de Angelis quæſt. 50. art. 4. quæſito 1. diffic. 3.* 70.

Probatur. Quando circà rem aliquam aliquis Doctor minùs clarè & in diverſis locis diverſimodè loquitur, judicandum eſt de ipſius mente potiſſimùm juxtà id quod tradit, ubi talem rem accuratiùs & magis ex inſtituto pertractat; ſed S. Doctor circà principium individuationis in ſolâ materiâ collocandum ità in diverſis locis diverſimodè loquitur, ut tamen ubi id accuratè & ex inſtituto diſputat, negativè definiat; ergo verè D. Thomas non ſenſit principium individuationis eſſe ſolam materiam: Minor probatur *ex opuſc. 16.* accuratè conſcripto contrà Averroiſtas docentes intellectum eſſe ſubſtantiam immaterialem per ſe ſubſiſtentem, ſecundùm ſe ſeparatum à corpore, & unum numero in omnibus hominibus eo, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ à materiâ non ſint plures in unâ ſpecie; hinc ulteriùs deducentes Deum facere non poſſe, quòd ſint plures intellectus ejuſdem ſpeciei arbitrantes hoc includere contradictionem: S. Doctor poſtquam poſitivè probavit intellectum non eſſe ſubſtantiam ſeparatam per ſe ſubſiſtentem, nec unum numero in omnibus hominibus, *in fine opuſculi §. Reſtat autem* ſolvens

D. Thomæ mens circà principium individuationis.

Averroiſtarum error de unitate intellectus.

ea,

ea, quibus Averroiſtæ pluralitatem intellectus nituntur excludere ità habet: *Valdè rudiser argumentantur ad oſtendendum quòd Deus facere non poſſet quòd ſint multi intellectus ejuſdem ſpeciei, credentes hoc includere contradictionem: Dato enim quòd non eſſet de natura intellectus quòd multiplicaretur, non propter hoc oporteret, quòd intellectum multiplicari includeret contradictionem; nihil enim prohibet aliquid non habere in ſua natura cauſam alicuius, quòd tamen habeat illud ex alia cauſa, ſicut grave, &c. Sic ergo intellectus ſi naturaliter eſſet unus omnium, quia non haberet naturalem cauſam multiplicationis, poſſet tamen ſortiri multiplicationem ex*

71. *ſupernaturali cauſa.* Ecce S. Doctor etiam loquendo de intellectu, qui ſit ſubſtantia immaterialis per ſe ſubſiſtens, qualis aſſerebatur ab Averroiſtis, ponit ipſum numero multiplicabilem, vult igitur non ſolam materiam eſſe principium individuationis; & valdè ruditer, nedum inefficaciter argui à carentià materiæ ad carentiam multiplicabilitatis individualis. Graviter premit Thomiſtas Adverſarios iſtius auctoritatis pondus: occurrit Joannes à S Thoma 1. *p. q.* 50. *diſp.* 19. *art.* 3. *num.* 7. dicendo S. Doctorem præcipuè intendere reprobare illam conſequentiam & formam argumentandi, quòd ſi aliquid ex naturà ſuà repugnet alicui, etiam repugnet ſupernaturaliter & implicet contradictionē; hocq; S. Doctoris intentum colligit ex verbis ſequentibus ad mox relata; *Quod non tantùm dicimus propter propoſitum, ſed magis ne hac argumentandi forma ad alia extendatur.* Nihilominùs quidquid ſit de intento magis, vel minùs præcipuo Sancti Doctoris, certè debet ſuſtineri, quòd ipſe efficaciter impugnet Averroiſtas, & quòd multiplicabilem oſtendat intellectum, quem illi aſtruebant immultiplicabilem, nimirum intellectum à materia ſeparatum, & per ſe ſubſiſtentem, hujus immultiplicabilitatem probantes ex eo quòd individualis multiplicabilitas oriatur à materia: Ad efficacem autem Averroiſtarum impugnationem neceſſe eſt oſtendere, quòd ſaltem ſupernaturaliter haberi poſſit individualis multiplicatio independenter à materiâ, etiamſi permittatur naturaliter & ſecundùm legem ordinariam haberi à ſolâ materiâ; ut enim ait Bubalus *difficult. princip.* §. 1. *circa finem*, fruſtrà concutere tentamus alicujus Auctoris concluſiones niſi earum principia evertamus, è quibus ille idem auctor ſuæ concluſionis veritatem ſemper poſſet oſtendere.

72. Porrò relata *ex opuſc.* 16. auctoritas eſt quidem optima at non eſt unica, quæ afferri poſſit ad probandum D. Thomam non ſenſiſſe principium individuationis eſſe ſolam materiam: Enimverò afferri inſuper poteſt primò quod habetur 1. *p. q.* 29. *art.* 2. *in c. Subſtantia individuatur per ſe ipſam.* Secundò quod habetur *in* 2. *diſt.* 34. *quæſt.* 1. *art.* 1. *in c. In illis, in quibus aliud eſt eſſentia, quàm hypoſtaſis vel ſuppoſitum oportet quod ſit aliquid materiale, per quod natura communis individuatur, & determinatur ad hoc ſingulare, unde illam determinationem materia, vel aliquius, quod loco materiæ ſe habet, addit in creaturis hypoſtaſis ſuprà eſſentiam & naturam.* Tertiò quod habetur 1. *p. q.* 3. *art.* 3. *in c. In his quæ non ſunt compoſita ex materia, & forma, in quibus individuatio non eſt per materiam individualem, ſed ipſæ formæ per ſe individuantur, &c.*

Dices plures & clariores eſſe auctoritates contrarias, quæ ex eodem S. Doctore afferri ſolent. Afferri ſolet primò quod habetur 1. *p. q.* 44. *art.* 1. *in c. Si albedo eſſet ſubſiſtens, non poſſet eſſe niſi una, cum albedines multiplicentur ſecundùm recipientia, q.* 50. *art.* 4. *in c. Si ergo Angeli non ſunt compoſiti ex materia & forma ſequitur quòd impoſſibile ſit eſſe duos Angelos unius ſpeciei, q.* 75. *art.* 7. *in c. In ſubſtantiis incorporeis non poteſt eſſe diverſitas ſecundùm numerum abſque diverſitate ſecundùm ſpeciem.* Secundò quod habetur 2. *contrà Gentes cap.* 93. *non ſunt plures ſubſtantiæ ſeparatæ unius ſpeciei.* Tertiò quod habetur *In quæſtione de ſpiritualibus creaturis art.* 8. *in c. Si Angelus eſt forma ſimplex abſtracta à materia impoſſibile eſt etiam fingere, quòd ſint plures Angeli unius ſpeciei quia quæcumque forma quantumcumque materialis & infima, ſi ponatur abſtracta vel ſecundum eſſe, vel ſecundùm intellectum non remanet niſi una in ſpecie unâ, ſi enim ponatur albedo abſque omni ſubiecto ſubſiſtens non erit poſſibile ponere plures albedines, &c.* Quartò quod habetur *ead. quæſt. de ſpiritualibus creaturis art.* 1. *ad* 9. *& ad* 19. *quæſt.* 2. *de potentia art.* 4. *& q.* 3. *art.* 10. *in c. q.* 2. *de verit. art.* 6. *ad* 1. aliiſque pluribus in locis, in quibus paſſim tribuitur materiæ aut materiæ & quantitati eſſe principium individuationis ſeu diſtinctionis ſe-

Auctoritates D. Thomæ pro principio individuationis collocando in materiâ.

cundùm numerum. Sed contrà: Cum juxtà 73.
ſuprà poſita S. Doctor ubi multiplicabilitatem numericam ex profeſſo diſcutit, ipſam etiam ſine materiâ haberi poſſe concludat, neceſſe prorsùs eſt has adverſantes auctoritates aliquâ limitatione temperare: Et quidem quatenùs abſolutè exprimunt materiam eſſe principium diſtinctionis individualis intelligendæ ſunt aliquo ex iis modis, quos *ſuperiori* §. 7. accommodavimus propoſitioni illi Ariſtotelicæ *Quæcumque ſunt numero multa materiam habent*: Quatenùs docent in rebus incorporeis & ſubſtantiis ſeparatis non eſſe poſſibilia plura individua ſub eadem ſpecie, intelligendæ ſunt non de eâ impoſſibilitate, ſecundùm quam impoſſibile dicitur quod involvit contradictionem, ſed de eâ ſecundùm quam impoſſibile dicitur, quod aut evenire non poteſt juxtà exigentiam & diſpoſitionem rerum nobis notam; aut non niſi difficili & extraordinario modo evenit, & de hac impoſſibilitate rectè intelligi S. Doctorem infertur ex eo, quòd familiare ipſi eſt ea quæ talem ſolùm habent impoſſibilitatem ſimpliciter impoſſibilia nominare ut oſtendit Bubalus *q.* 50. *art.* 4. *quæſito* 1. *difficult.* 3. §. 1. Quatenùs tandem tradunt albedinem & formam quamlibet, ſi ſit per ſe ſubſiſtens, non poſſe eſſe niſi unam, aptè etiam poſſunt intelligi, quòd nomine formæ per ſe ſubſiſtentis

Quomodo ſint intelligendæ.

In quo ſenſu forma per ſe ſubſiſtens ſit immultiplicabilis.

ſubſiſtentis veniat forma, quæ ſit ſuum eſſe ſubſiſtens, ſubſiſtentiàque ſibi prorsùs identificatâ ſubſiſtat, & formam quamlibet, quæ in huc ſenſu per ſe ſubſiſtere per impoſſibile ſupponatur, veriſſimum eſt fore numero immultiplicabilem, ſicuti eſt talis natura divina ſuam ſibi ſubſiſtentiam identificans.

74. Ex his habes quoad de facto negari non poſſe quin D. Thomas ſenſerit non eſſe plures Angelos ſub eadem ſpecie diverſos ſulo numero, & licèt *nos ſuperiori* §.6. oppoſitum tradiderimus, tamen Angelicæ auctoritati leuiter contradicimus quia tradidimus oppoſitum ſolùm tanquam aliqualiter veriſimilius, non tanquam valdè conſtans & infallibiliter verum.

75. Aſſert. 2. D. Thomas non ſenſit dabilem eſſe naturam creatam immultiplicabilem numero, loquendo de immultiplicabilitate ſimpliciter, & in ordine ad potentiam etiam abſolutam. Ità Bubalus *q.50. art.4. quæſito 1. in fine.*

Mens D. Thomæ circà naturam creatam immultiplicabilē.

Probatur D. Thomas eo modo ſenſit dabilem eſſe naturam creatam immultiplicabilem numero, quo ſenſit materiam eſſe principium multiplicationis numericæ, nec dari multiplicationem numericam ſine materiâ; ſed hoc ſecundum non ſenſit loquendo in ordine ad potentiam Dei abſolutam; ergo: Minor patet ex præcedente aſſerto: Major probatur; juxtà D. Thomam fundamentum ponendi immultiplicabilitatem numericam eſt quod principium multiplicationis numericæ ſit materia nec poſſit eſſe illa ubi iſta non eſt; ergo D. Thomas eodem modo ſenſit dabilem eſſe, &c. Antecedens probatur tùm repetendo ſuprà relatas auctoritates S. Doctoris, tùm conſulendo ipſoſmet acriores Adverſarios ex Thomiſtis, inter quos Ioannes à S. Thoma *1.p.q.50.diſp.19.art.3. n.8.* ait, unicâ ratione perpetuò utitur D. Thomas ad affirmandū quod eſt impoſſibile Angelos multiplicari numero, quæ ex hoc ipſo, quòd unica eſt & ſemper affertur à D. Thomâ, magni ponderis cenſeri debet, demonſtrator enim non multiplicat media, ut inquit Ariſtoteles, ſubdit deindè ipſe Ioannes à S. Thomâ hanc unicam rationem eſſe, quòd Angeli careant materiâ, quæ eſt principium diſtinctionis numericæ.

Dices ex D. Thomâ *1.p.q.50.art.4.in c. Si tamen Angeli haberent materiam, nec ſic poſſent eſſe plures Angeli unius ſpeciei*, ergo S. Doctor non probat immultiplicabilitatem numericam ex ſolâ carentiâ materiæ, nec ex eo quòd juxtà ipſum carentia materiæ inducat immultiplicabilitatem ſolùm ſecundùm potentiam ordinariam rectè infertur quòd juxtà eundem ſit ſolùm dabilis ſecundū potentiam ordinariam immultiplicabilitas, nec poſſit ex aliquo alio capite dari ſecundùm
76. potentiam etiam abſolutam. Sed contrà: in verbis relatis loquitur S. Doctor de materiâ ſpirituali, quàm ſi haberent Angeli adhuc carerent materiâ corporeâ, ſicque quòd non poſſent in datâ hypotheſi eſſe plures numero, adhuc refunderetur in carentiam materiæ corporeæ, quæ quidem materia corporea, non materia ſpiritualis ſolet aſſignari pro principio numericæ multiplicationis. Neque urgeas: D. Thomas in illâ hypotheſi infert immultiplicabilitatem numericam Angelorum ex ipſâ diverſitate materiæ ſpiritualis, non ex carentiâ materiæ corporeæ; ergo juxtà D. Thomam diverſitas ſpecifica & immultiplicabilitas numerica provenire poteſt etiam ex poſitione materiæ ſpiritualis, non ex ſolâ carentiâ materiæ corporeæ & per cōſequens carentia materiæ corporeæ, non eſt ratio unicè inferens numericam immultiplicabilitatem in viâ D. Thomæ. Contrà enim ut patere poteſt conſulenti Textum, S. Doctor in illâ hypotheſi ex poſitione materiæ ſpiritualis infert in Angelis diverſitatē non ſolùm ſpecificam, verùm etiam genericam, ſicque Angeli tunc carerent multiplicatione tùm numericâ ſub eadem ſpecie, tùm ſpecificâ ſub eodem genere; primum ipſis conveniret ex carentiâ materiæ corporeæ, ſecundū ex poſitione materiæ ſpiritualis. Quomodò deindè rectè inferatur Angelos, ſi haberent materiam ſpiritualem, fore diverſos genere, parùm intereſt ad rem præſentem; explicat tamen id latè Bubalus *q.50. art.4. quæſito 2.* ubi *initio* §.2. advertit Cajetanum & alios Commentatores alto ubique ſilentio præterire commemorati Textus difficultates; & certè apud negantes poſſibilitatē ſpiritualis materiæ eſt interpretationis difficillimæ.

Materia ſpiritualis redderet Angelos immultiplicabiles ſpecie juxta D. Thomam.

Dices inſuper: Quod eſt immultiplicabile numero ſecundùm potentiam ordinariam, eſt tale etiam ſecundùm potentiam abſolutam; ſed juxtà D. Thomā dabilis eſt natura creata, imò talis de facto eſt natura Angelica, immultiplicabilis numero ſecundùm potentiam ordinariam; ergo juxtà eundem dabilis eſt natura immultiplicabilis numero etiam ſecundùm potentiam abſolutam; minor habetur ex ſupradictis: Major probatur ex Vaſquio *diſp.181. cap.3. num.7.* quem in hac parte laudat Ioannes à S. Thoma *diſp.19.a.3. num.19.* Quod eſt immultiplicabile numero ſecundum potentiam ordinariam, tale eſt, quia non habet intrinſecum, innatum, propriumque principium diſtinctionis ſeu multiplicationis numericæ, ſed quod tale eſt immultiplicabile eſt numero etiam ſecundùm potentiam abſolutam; ergo: Minor probatur: nullâ divinâ virtute poteſt aliquid multiplicari numero ſine intrinſeco, innato, proprioque principio numericæ multiplicationis, individuatio enim eſt gradus intrinſecus pendens à ſuo principio, ut à formâ intrinſecâ, & Deus licèt valeat ſolâ ſuâ virtute facere motum v.g. & alia, quæ ſine nativo principio alicui rei imprimi poſſunt, non ſic tamen poteſt ſolâ ſuâ virtute facere ea, quæ ab intrinſeco principio pendent, formamque intrinſecam requirunt, quâ ratione deberet Deus ſupplere vices cauſæ formalis intrinſecè & eſſentialiter requiſitæ ſicq; deberet tales vices ſupplere in ipſomet genere cauſæ formalis, quod repugnare indubitatum eſt, Sed contrà: Quòd juxta S. Doctorem entitas immultiplicabilis numero ſecuncundùm potentiam ordinariam, poſſit eſſe multiplica

Vaſquez laudatus à Io. à S. Thoma.

multiplicabilis ſecundùm potentiam abſolu-
tam, adeò clarè ipſe expreſſit verbis illis præ-
77. allatis *ex opuſc. 16. Si intellectus naturaliter
eſſet unus omnium, quia non haberet naturalem
cauſam multiplicationis, poſſet tamen ſortiri
multiplicationem ex ſupernaturali cauſa*, ut nõ
ſuperſit locus ambigendi de ejuſdem mente
in hoc puncto: Ad Inſtantiam igitur nego
abſolutè majorem præſertim loquendo juxtà
mentem S. Doctoris: ad probationem majo-
ris vel nego pariter abſolutè majorem, vel
eandem diſtingo ſic; Quod eſt immultipli-
cabile numero, &c. tale eſt, quia non habet
principium intrinſecum ordinarium, & ma-
gis uſitatum multiplicationis, concedo; tale
eſt, quia nullum prorsùs habet principium
intrinſecum multiplicationis, nego majorem;
ſed quod tale eſt hoc ſecundo modo eſt im-
multiplicabile numero etiã ſecundùm poten-
tiam abſolutam concedo minorem; quod eſt
tale primo modo eſt immultiplicabile nume-
ro, &c. nego minorem & conſequentiã. Ra-
tio negandi abſolutè majorem eſt quia plura
entia etiam materialia, adeóque habentia etiã
per Adverſarios principium intrinſecũ mul-
tiplicationis, ſunt ob aliquem finem extrin-
ſecum, puta quia ità exigit bonum univerſi
immultiplicabilia numero ſecundum poten-
tiam ordinariam, ut dilucidè patet in Sole.

78. Ratio diſtinguẽdi eandem majorem eſt, quia
principium magis commune & ordinarium
multiplicationis numericæ, præſertim ſecun-
dùm nos aſſequentes notitiam rerum depen-
denter à ſenſibus, verè eſt materia, ideò quod
caret materiâ dici non poteſt non habere
principium intrinſecum ordinarium multi-
plicationis, & eſſe immultiplicabile ſecun-
dum potentiam ordinariam. Quia tamen ma-
teria non eſt multiplicabilitatis numericæ
principium unicum, ſed quælibet finita enti-
tas habere poteſt ſimpliciter & abſolutè nu-
mericam multiplicabilitatem fit quòd quæ-
libet res habens ab intrinſeco eſſe finitum
habeat ſibi intrinſecum principium numeri-
cæ multiplicabilitatis extraordinarium ta-
men, & minùs uſitatum minuſque notum
homini intelligenti dependenter à ſenſibus.

Principium multiplicationis numericæ aliud ordinariũ, aliud extraordinarium.

Ex dictis habetur in rigore aliud eſſe lo-
qui de principio individuationis, aliud eſſe
loqui de principio multiplicationis indivi-
dualis ſub eadem ſpecie. Quoad primum etiã
Thomiſtæ conſentiunt principiũ individua-
tionis eſſe propriam cujuſque rei entitatem,
non ſolam materiã. nec ipſi negant aut Deũ,
aut Angelum quemlibet eſſe unum numero,
& in ſe individuum, quamvis nec Angelo,
nec Deo ullum inſit veſtigium materiæ, aut
79. ordinis ad materiam. Quoad ſecundum viget
controverſia hucuſque agitata, in quâ contrà
majorem Thomiſtarum partem principium
multiplicationis individualis non ſolam ma-
teriam, ſed finitam cujuſlibet rei entitatem
aſſervimus, principium inquam permiſſivum
& logicum potiùs, quàm poſitivum & phy-
ſicum, quatenùs quælibet entitas ex eo, quòd
ſit finita habet non repugnantiam ad conſor-
tium alterius entitatis ſibi omninò ſimilis in
prædicatis eſſẽtialibus: & hîc animadverſio-
ne dignus eſt diverſus modus, quo eſt princi-
piũ multiplicationis numericæ entitas mate-
rialis & entitas ſpiritualis: Entitas enim ma-
terialis eſt principiũ multiplicationis nõ ſo-
lũ quatenùs poteſt habere aliã ſibi ſimilem,
verũ etiã quatenùs in ſe ipsâ continet plura
individua juxtà plures partes, in quas poteſt
dividi. Entitas ſpiritualis, cum ſit indiviſibilis
nũ cõtinet in ſe plura individua, & eſt prin-
cipium multiplicabilitatis individualis ſolùm
primo modo. Vndè entitas ſpiritualis dici po-
teſt multiplicabilis numero in aliâ ſibi ſimi-
li, non in ſe ipsâ: entitas materialis & in
alia ſibi ſimili & in ſe ipsâ.

Principium individuationis, & principium individualis multiplicationis diverſa ſunt.

Quomodo quælibet finita entitas ſit principiũ multiplicationis individualis.

CAPVT IV.

De Subſtantia Angelorum in ordine ad corpora.

QVIA ſub hoc titulo ſecundùm totam
ſuæ ſignificationis latitudinem conſi-
derato continetur materies amplisſima; pro
ipſius faciliori, brevioriq; diſcuſſione expedit
præmittere & ſupponere nonnulla ex quibus
innoteſcat, quænam in aliis locis propriam
ſedem habeant, nec ad præſens pertineant in-
ſtitutum; quænam item aut certiſſima, aut fa-
cillima ſint, nec ſpeciali indigeant examine,
ſicque materies ampliſſima certis remaneat
circumſcripta limitibus & paucioribus poſ-
ſit aſſertis definiri. Ideò

Præmitto primo multipliciter poſſe rem 1.
aliquam dicere ordinẽ ad corpus prout mul
tipliciter eſſe poteſt in corpore; poteſt enim
res eſſe in corpore primò tanquam forma in
ſubjecto: Secundò tanquam pars integralis in
toto: tertiò tanquam ſuppoſitum in naturâ:
quartò tanquam agens in paſſo: quintò tan-
quam motor in mobili: ſextò tanquam loca-
tum in loco: ſeptimò tanquam repræſentatũ
in repræſentante. Duo priores modi repug-
nant Angelis *ex ſupradictis c. 1. § 3. & 6.* Ter-
tius modus ſi non repugnat ſimpliciter, certè
ſaltem non convenit ſecundùm potentiam
ordinariam, cum certum ſit nullum ſuppoſi-
tum poſſe naturaliter terminare aliam natu-
ram. Quintus & ſextus modus ſpectant ad
potentiã locomotivam Angelorũ, de quâ *in
ſequenti libro.* Solùm igitur quartus & ſepti-
mus modus dicendi ordinẽ ad corpora rema-
nent in hoc capite examinandi, & quidem
priùs explicabitur ſeptimus modus conſide-
rãdo maximè, ea, quæ pertinent ad aſſũptio-
nẽ corporũ ab Angelis; deindè examinando
quid poſſint agere Angeli tùm in corpori-
bus aſſumptis, tùm in aliis corporibus attin-
gentur ea quæ pertinent ad quartũ modum.

Multiplex ordo rerum ad corpora.

Præmitto ſecũdò ex D. Thoma *q. 6. de po-* 2.
tẽtia a. 7. ad 1. aſſumere dici quaſi ad ſe ſume-
re, ſeu ſibi quomodocumq; unire, undè quan-
tũ eſt ex vi vocabuli aſſumere habet ampliſ-
ſimã ſignificationẽ, & juxtà hãc *Matth. 4.*
diabolus dicitur aſſũpſiſſe Chriſtũ *Aſſumpſit
eũ diabolus in ſanctã civitatẽ*; & cõmuni lo-
quẽdi modo miles dicitur aſſumere arma, ar-
tifex aſſumere ſuæ artis inſtrumenta, &c. Ni-

Aſſumere quid ſit ex vi vocabuli.

Quid Theologicè loquendo.

hilominùs theologicè loquẽdo aſſumere ſtrictiùs uſurpatur, & vel ſignificat unioné ſubſtantialem, ſecundùm quam ſuppoſitum unitur naturæ, quâ ratione Verbum divinum aſſumpſit naturam humanam & de hâc aſſumptione agitur in tractatu de Incarnatione, vel ſignificat unionem accidentalem, non tamen qualemcumque, ſed talem quâ aſſumens ſe ipſum ſuaſque operationes repræſentet in corpore aſſumpto; de hâc aſſumptione agitur in præſenti, & hanc explicans D. Thomas 1. *p. q.* 51. *art.* 2. *ad* 2. ait *Corpus aſſumptum unitur Angelo non quidem ut forma, neque ſolùm ut motori, ſed ſicut motori repræſentato per corpus mobile aſſumptum. Sicut enim à ſacra Scriptura proprietates rerum intelligibilium ſub ſimilitudinibus rerum ſenſibilium deſcribuntur; ità corpora ſenſibilia divina virtute ſic formantur ab Angelis, ut congruant ad repræſentandum Angeli intelligibiles proprietates, & hoc eſt Angelum aſſumere corpus.* Hinc patet obiter Arriagam *in tract. de Angelis diſp.* 19. *ſect.* 5. *n.* 46.

Malè negatur unio inter Angelos & corpora aſſumpta.

docentem unionem aſſumptorum corporum cum Angelo non requiri, imò fortè nec eſſe poſſibilem, quia non poteſt explicari in quo hæc unio conſiſtat apertè contradicere S. Doctori, qui & ait corpus aſſumptum uniri Angelo, & explicat talem unionem conſiſtere in eo, quòd Angelus ſe habeat ad corpus ut motor repræſentatus per ipſum.

3. Præmitto tertiò Angelos non aſſumere ſibi corpus, quoties hominibus ſenſibiliter apparent, & latiùs patere ſenſibilem apparitionem, quàm corporis aſſumptionem. Enimverò ſenſibilis apparitio ut notat Vaſquez 1. *p. diſp.* 174. *cap.* 1. *num.* 6. quadrupliciter fieri poteſt. Primò ſecundùm imaginationem, cum ſolo phantaſiæ actu objectum apprehenditur, & Angelus ſivè in ſomno, ſivè in vigiliâ ſimulacra in phantaſiâ exiſtẽtia facit ità concurrere, ut corpus & Angelum in corpore operantem repræſentent.

Apparitio ſenſibilis Angelorum multiplex.

Secundò per viſum externum occultè immutando aut organum ipſum oculi, aut medium extrinſecum, adeò ut ex vi talis immutationis nullo prorsùs objecto exteriùs exiſtente objectum aliquod appareat ut præſtigiis fieri, & phræneticis etiam accidere ſolet. Tertiò per eundem viſum externum faciendo, quòd res aliqua verè exteriùs exiſtens propter ſpecierum, quas ad oculũ tranſmittit, refractioné aut confuſionem ſe ipſam repræſentet aliter ac eſt, quo modo repræſentantur in iride & in collo columbæ colores, qui verè nõ ſunt; baculus item ſecundùm aliquã ſui partem aquæ immerſus repræſentatus fractus ſeu curvus, cum in ſe integer & rectus ſit. Quartò per eundem pariter viſum externũ ipſi objiciendo corpus externũ verum & reale ſe ipſum repræſentans ſecundũ ſitũ, figurã, colores, & hujuſmodi alia quæ re verâ habet, ſicq; oculo apparens quale eſt in ſe. Addi poteſt quintus modus apparitionis, nimirum auricularis, quando vox ſola in aëre formatur, & ad alicujus aures tranſmittitur abſque corpore ullo, à quo talis vox articuletur. Ex his quinque apparitionum ſenſibilium modis ſolùm in quarto vera corporis aſſumptio fit, quia ſolùm in quarto verè reperitur corpus illud, quod ſenſibiliter percipitur; in hoc ſolo haberi poteſt vera unio inter Angelum & corpus, in quo Angelus ipſe apparet & ſe repræſentat: ſicque nullus eſt locus dubitandi quin ſenſibilis Angelorum apparitio latiùs pateat, quàm corporum ab Angelis aſſumptio, niſi per abuſum vocabuli inducatur aſſũptio phãtaſtica & imaginaria correſpondens phantaſticæ & imaginariæ apparitioni.

Latiùs patet, quàm aſſumptio corporis.

4. Præmitto quartò corpus, in quo Angelus verè & realiter apparet dupliciter eſſe poſſe verum & reale vel ſub ratione cõmuni corporis ſenſibilis, vel ſub ratione particulari corporis humani v. g. aut equini: ſic ſi ex aëre condenſato & diverſimodè colorato efformetur corpus in externâ figurâ & ſymetriâ mẽbrorum ſimile humano, carens tamen intrinſecâ organizatione, quâ ſit aptum vivificari, & recipere rationalem animam, hujuſmodi corpus erit corpus verum & reale ſub ratione communi corporis quanti ſenſibilis; non ſub ratione particulari corporis humani; imò ſub hâc ratione erit apparens & illuſorium, quia illam ſymetriam & organizationem intrinſecam, quam exteriùs indicat, interiùs non continet. His præmiſſis ſit

Corpus dupliciter eſſe poteſt verum & reale.

---

§. I.

Vtrùm Angelis conveniat verè aſſumere corpora.

5. ASSERT. Angelis convenit verè aſſumere corpora: ſcilicet corporibus veris & realibus ſe accidentaliter unire ad ſenſibiliter repræſentandum in ipſis ſe ſuaſque operationes. Ità D. Thomas 1. *p. q.* 51. *a.* 2. *in* 2. *diſt.* 8. *q.* 1. *a.* 2. *de potentia q.* 6. *a.* 7. aliique omnes tùm Sancti Patres tùm Theologi communiſſimè contrà illos, qui aut ſenſerunt Angelos habere propria corpora, nec indigere alienorum corporum aſſumptione ad corporaliter apparendum; aut exiſtimarunt nullam Angelorum apparitionem fuiſſe veram & realem, ſeu vero & reali corpore interveniente factam. Pro primo dicendi modo ſuos Auctores retulimus ſuprà *c.* 5. §. 2. Pro ſecundo dicendi modo referri ſolent Vldaricus *l.* 4. *Summa.* Tirsquell. *in librum ſecundum Alexandri ab Alexandro c.* 9. *& in librum quintum c.* 23. aliique nonnulli.

Angeli verè aſſumũt corpora.

Neuter ex his dicendi modis immunis eſt à cenſurâ, & quidem cenſuræ, quæ inuruntur primo modo, recolendæ ſunt *ex præcitata* §. 2. ſolùm adverto Auctores tribuentes Angelis propria corpora ut plurimùm ipſis tribuere corpora inſenſibilia, nec apta naturaliter formari in ſpecies viſibiles, ideò intolerabiliores ſunt docẽtes Angelos in propriis corporibus ſenſibiliter apparere, quàm præcisè tribuẽtes Angelis propria corpora. Cenſuræ, quæ inuruntur ſecundo modo, habentur apud Bubalum *q.* 51. *a.* 4. *quæſito* 1. *difficult.* 1. §. 4. Nobis ſufficiant verba D. Thomæ qui loco præcitato *ex* 1. *part.* ait talem dicendi modum repugnare intentioni Scripturæ; loco præcitato *ex q. de potentiâ*

Cenſura opinionis oppoſitæ.

potentiâ ſit veritatem Scripturæ non ſalvare; loco tandem præcitato *ex diſtinct.*8. expreſſè notat errorem. Neque contrà has cenſuras præſidium aliquod Adverſariis præſtant nonnulli Sancti Patres, ſpecialiter D. Epiphanius, D. Damaſcenus, D. Auguſtinus, D. Hieronymus, qui videntur contrà poſitum aſſertum ſenſiſſe: Enim verò D. Epiphanius ſolùm negavit dæmones verè aſſumere corpora apta ad generationem: D. Damaſcenus voluit corpora aſſumpta ab Angelis non eſſe vera ſecundùm internam organizationem, ſed ſolùm ſecundùm configurationem externam: D. Auguſtinus locutus eſt dubitanter, non quia anceps fuerit de apparitione Angelorum in veris corporibus, ſed quia dubitavit utrùm talia corpora eſſent Angelorum propria, an aliena & extrinſecùs aſſumpta: D. Hieronymus negavit dæmones eſſe intrà ſimulacra tanquam formas informantes. Cæterùm relatas cenſuras eſſe rationabiles evincitur tùm ex eo, quòd ſint communiter receptæ; tùm ex eo quòd poſitio à nobis aſſerta Scripturæ maximè innititus, ut oſtendit probatio, quam ſubjicio, Ideò aſſertum

6. Probatur Angelis convenit verè apparere ſenſibiliter in corporibus veris & realibus; ergo Angelis convenit verè aſſumere corpora; conſequentia patet, quia Angeli non poſſunt in corporibus veris & realibus apparere, niſi aut habeant corpora propria ſibi naturaliter convenientia, aut aſſumant corpora aliena ſibi accidentaliter advenientia; illud primum ſupponitur dici non poſſe; neceſſe eſt igitur quòd dicatur hoc ſecundum: Antecedens probatur; non omnes Angelorum apparitiones fuerunt phantaſticæ & apparentes per phantaſiæ immutationem, aut ludificationem ſenſuum primò quia poſſent eodem modo cenſeri phantaſticæ & apparentes omnes apparitiones divinarum Perſonarum, cujus oppoſitum inſinuavimus *tr. præcedente lib.*3.*cap.*2.§.7. Secundò quia nec reſpectu Evæ antè peccatum, nec reſpectu Chriſti Domini, nec reſpectu Deiparæ Virginis convenit admittere illuſionem phantaſiæ & ſenſuum, & tamen *Gen.*3. Dæmon apparuit Evæ, *Matth.*4. apparuit Chriſto; *Luc.*1. Angelus apparuit Virgini. Tertiò quia apparitio quæ pluribus ſimul eodem modo fit, quæ diutiùs durat, quæ plures operationes in veris corporibus haberi ſolitas exhibet, malè tribuitur immutationi phantaſmatũ & illuſioni ſenſuum; eadem enim ſenſuum illuſio & phantaſmatum immutatio in pluribus ſimul, ad diuturnum tempus & in ordine ad ſeriem diverſarum operationum vix poteſt contingere; at duo Angeli qui apparuerunt Loth *Geneſ.*9. fuerunt viſi ab univerſâ Civitate, Angelus Tobiæ *cap.*5. etiam ipſe pluribus ſe viſibilem præbuit, apparitionem diutiùs protraxit, plura opera ſenſibilia exhibuit loquendo, longum iter peragendo, comedendo, piſcem exenterando, &c. *Act.*1. duo Angeli multis ſimul aſtantibus viſi ſunt, & ab iiſdem auditi dicentes *Viri Galilæi*, &c. *Act.*12. Angelus Petro apparens carcerem illuſtravit, Petri latus percuſſit, Petrum excitavit, allocutus eſt, & ſequentem prævit. Nec deſunt in ſacris paginis aliæ multæ teſtiũ pluralitate, operum diverſitate, durationis diuturnitate inſignes Angelorum apparitiones, quas omnes reſolvere in illuſiones & falſas apparentias eſt rem difficillimã ad frequens exercitium arbitrariè deducere, eſt ſacra verba ſine ulla neceſſitate, imò contrà communem Sanctorum Patrum auctoritatem, in ſenſus improprios deflectere; eſt plurimùm detrahere ſinceritati bonorũ Angelorũ apparẽtiũ, & cõditioni piorũ, graviũque virorum, quibus factæ ſunt apparitiones.

Admittendæ ſunt aliquæ apparitiones Angelorum veræ & reales.

7. Ex his habemus apparitiones veras & reales ab imaginariis & illuſoriis diſcerni potiſſimũ ex eo, quòd illæ diutiùs durant, & pluribus ſimul eodem modo fiunt; iſtæ non item. Et certè quod diutiùs eodem modo apparet incongrue tribuitur immutationi phantaſiæ, aut illuſioni ſenſuum, quæ utraque ut potè præternaturalis citò tranſit, & naturalem ſtatum tùm phantaſmata, tùm exteriorũ ſenſuũ organa citò recuperant. Quod à pluribus eodem modo videtur neceſſe eſt eſſe extrà videntem; & cum ſenſus circà propriũ obiectũ regulariter non fallitur, quod à pluribus ſenſibus eodem modo percipitur, debet regulariter cenſeri tale, quale percipitur.

Diſcrimen inter apparitiones veras, & illuſorias.

8. Habetur inſuper nos non docere omnes Angelorum apparitiones eſſe veras, & reales, imò, ut ſuprà tertio loco præmiſſum eſt, libenter admittimus multigenas apparitiones phantaſticas & purè apparentes nullam arguentes aſſumptionem corporum, & has facilius eſt in malis, quàm in bonis Angelis ſuſpicari; illis enim familiare eſt fallere, iſtis magis connaturale ſinceram ſui ſignificationem dare; quamvis nec illi ſemper fallaci, nec iſti ſemper reali apparitione utãtur. Quod in præſenti ſtabilire intendimus eſt dari in Angelis ſivè bonis ſivè malis aliquas reales apparitiones ſenſibiles, & has inferre veram corporum aſſumptionem; quod utrumque ſufficienter probatum eſt; primum quidem ex Scripturâ, ſecundum ex eo, quòd nequeant Angeli aliter, quàm per corporum aſſumptionem, in veris corporibus apparere.

Admittuntur aliquæ apparitiones Angelorum illuſoriæ.

§. II.

Utrùm ſolis Angelis conveniat verè aſſumere corpora; An etiam Deo, & Animabus ſeparatis?

9. Assert. 1. Aſſumere corpora convenit etiam Deo: de facto tamen probabilius eſt nullum unquam corpus fuiſſe à Deo immediatè aſſumptum. Prima pars eſt communiſſima & ab omnibus, quos viderim aut traditur aut ſupponitur, quamvis Scotus infrà citandus videatur præbere aliquod fundamentum ſentiendi oppoſitũ. Secunda pars eſt Magiſtri *in* 2. *diſt.*8. S. Doctoris *ead. diſt. art.*6. *&* 1.2.*q.*98.*a.*3. Arborei *l.*4.*theoſophiæ c.*1. Thyræi *lib.*1.*de appari. Dei.c.*24. Suarij *de Angelis lib.*6.*cap.*20. Vaſquij 1.*p.diſp.*185.

cap. 5. Lugi *lib.* 3. *diſp.* 4. *cap.* 4. Bubali *quæſt.* 51. *art.* 2. *quæſito* 1. *diffic.* 2. §. 5. *&c.* Contrà Feſnandez *lib. Commentariorum in viſiones veteris teſtamenti viſione 6. comment.* 2. *ſect.* 1. Arriagam *tract. de Angelis diſp.* 19. *ſect.* 4. *ſubſec.* 5. alioſque nonnullos, qui etiam pro ſe referunt quoſdam Sanctos Patres, ſpecialiter Euſebium, Chryſoſtomum, Theodoretum, Theophilactum, &c.

Deo convenit poſſe aſſumere corpora.

Probatur prima pars: Aſſumere corpora eo modo, quo ſuprà explicatum eſt Angelis convenire, nullam dicit imperfectionem Deo repugnantem; ergo cõvenit etiam Deo: antecedens probatur; quia nec accidentaliter ſe unire corpori per modum motoris mobili, nec repræſentare in corpore ſe, ſuaſque operationes dicit imperfectionem Deo repugnantem; non primum, quia ſecùs Deus non poſſet per ſe ipſum movere corpora, non ſecundum, quia ſecùs nec in humanitate hypoſtaticè aſſumptâ poſſet Verbum Divinum ſe repræſentare; & Deus non ſolùm non poſſet corpus aſſumere, ſed nec poſſet in corpore vero ullatenùs apparere undè eſſet neganda Deo, diviniſque Perſonis omnis vera apparitio ſenſibilis.

Dices ad aſſumptionem corporis requiri, quòd aſſumens definitivè ſit in corpore aſſumpto, & poni hanc conditionem expreſsè à Scoto *in 2. diſtinct.* 8. §. *& ità ibi*, cum igitur Deo repugnet eſſe in corpore definitivè conſequens eſt etiam quòd Deo re-
10. pugnet aſſumere corpus. Sed contrà: Scotus ſumit modum eſſendi definitivè prout contrà diſtinguitur à modo eſſendi in aliquo per operationem, non prout importat definiri terminis loci, & contrà diſtinguitur à modo eſſendi in loco indefinitè: Cæterùm quidquid ſit de mente Scoti non requiri ad corporis aſſumptionem eſſe definitivè in ipſo, ſeu definiri terminis ipſius, & non eſſe extrà ipſum probatur primò à pari ex aſſumptione hypoſtaticâ, quâ Verbum divinum humanum corpus aſſumens in humano corpore definitivè non fuit: Secundò quia nec ad uniendum ſe per modum motoris, nec ad repræſentandum ſe ſuaſque operationes in corpore, requiritur præſentia definitiva. Tertiò quia Angeli qui apparuerunt Loth *Gen.* 19. aſſumpſerunt corpus, in quo apparuerunt, & tamen non fuerunt in ipſo definitivè, ſed etiam extrà ipſum, percutiendo, & excæcando Sodomitas aliqualiter diſtantes; Angelus item, qui Tobiæ apparuit, probabiliter aliquando fuit extrà corpus, quod aſſumpſit, ut quando tenuit piſcem, ne Tobiam læderet. Certè Angelus ſaltem ut pluſimùm habet ſphæram ſuæ locabilitatis ampliorem extenſione corporis aſſumpti, quid ergo prohibet ne ſe ipſum extrà corpus aſſumptum intrà propriæ locabilitatis ſphæram localiter extendat: Neque dicas; etiam anima rationalis habet ſphæram ſuæ locabilitatis ampliorem corpore, quod informat, & tamen informando corpus nequit extrà ipſum ſe localiter extendere, ergo ſimiliter, &c.

Aſſumens non neceſſariò debet eſſe definitivè in corpore aſſumpto.

Cur Angelus poſſit extendi extrà corpus quod aſſumit non anima extrà corpus quod animat.

11. Contrà enim: Anima dum informat corpus eſt omninò alligata modo exiſtendi informativo, & ſicuti non poteſt ſe ad libitum ſubtrahere à corporis informatione, ità nec à modo exiſtendi informativo extendendo ſe extrà corpus purè localiter: At Angelus ſicuti poteſt à corpore aſſumpto ſimpliciter ſe abſolvere, ità poteſt abſolvere ſe ab ipſo etiam partialiter, extendendo extrà ipſum propriam ſubſtantiam extenſione purè locali. Ad ſummum inſtantia procederet, ſi Angelus eſſet in corpore aſſumpto per modum formæ informantis, nec poſſet ab ipſo ad libitum ſe abſolvere.

Deus de facto nullũ corpus immediatè aſſumpſit.

Probatur ſecunda pars. Omnis aſſumptio 12.
corporis, quæ de facto poteſt cenſeri à Deo facta, meliùs tribuitur immediatè Angelis, quàm Deo; nec congruè tribuitur Deo niſi mediantibus Angelis; ergo de facto probabilius eſt nullum unquàm corpus, &c. Probatur antecedens primò ratione; connaturalius eſt Deo operari ad extrà mediis creaturis, quàm immediatè per ſe; nec effectus ullus, qui poſſit tribui cauſæ ſecundæ eſt immediatè tribuendus cauſæ primæ, ut conſtat inductione & ex cõmuni ſenſu Philoſophorum naturalium non recurrentium ad cauſam primam, niſi ubi prorsùs deficit cauſa ſecunda; ſed aſſumptio corporis eſt effectus ad extrà, & poteſt à Deo fieri mediis Angelis; ergo meliùs tribuitur immediatè Angelis, quàm Deo; faciunt hîc ad rem verba tùm D. Gregorij *lib.* 4. *Dial. cap.* 5. dicentis *In hoc mundo viſibili nihil niſi per creaturam viſibilem diſponi poteſt*; tùm D. Thomæ 1. *p. quæſt.* 22. *art.* 3. *in c.* dicentis de divinâ Providentiâ *Inferiora gubernat per ſuperiora non propter defectum ſuæ virtutis, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis, ut dignitatem cauſalitatis etiam creaturis communicet.* Probatur idem antecedens ſecundò auctoritate Sanctorum Patrum, quorum major pars ſuſtinet Deum, quoties ſenſibiliter apparuit, apparuiſſe miniſterio Angelorum, & per corpora ab Angelis aſſumpta: In his Sanctis Patribus referendis copioſi ſunt omnes ferè Auctores in ſuperiori aſſerto memorati: Probatur idem antecedens tertiò ex contextu Scripturæ, quæ eaſdem apparitiones, quas in uno loco deſcribit tanquàm immediatè factas à Deo, alibi tribuit Angelis: Sic de apparitione factâ Moyſi in rubo habetur Exodi 3. *Apparuit ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi*; & de eâdem habetur Act. 7. *Apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.* De apparitione factâ in legis veteris promulgatione habetur Exodi 20. *Locutuſque eſt Deus cunctos ſermones hos*; & de eâdem habetur ad Heb. 2. *Qui per Angelos dictus eſt ſermo.* ad Gal. 3. *Ordinata per Angelos in manu Mediatoris*: Signum eſt igitur Deum apparuiſſe mediis Angelis, & hos ut repræſentantes Deum corpora aſſumpſiſſe, non Deum ipſum immediatè: quâ ratione optimè ſalvatur quomodo eadem apparitio modò Deo, modò Angelo tribuatur; ſumpta ſcilicet repræſentativè tribuitur Deo, ſumpta perſonaliter tribuitur Angelo, quia Perſona apparens eſt repræſentativè Deus, perſonaliter Angelus.

Quomodò quandoque eadem apparitio tùm Deo, tùm Angelo tribuatur.

Dices

Dices meliùs ſalvari Scripturæ ſacræ contextum, ſi dicatur in relatis apparitionibus, aliiſque hujuſmodi Deum ipſum aſſumpſiſſe immediatè corpora, hæc tamen fuiſſe formata miniſterio Angelorum, eodemque miniſterio formatas fuiſſe voces Dei loquentis: hac enim ratione ſalvatur ex una parte proprietas verborum ſcripturæ, quibus dicitur Deum apparuiſſe, locutum eſſe, &c. quæ ad ſenſum improprium deducuntur dicendo nomine Dei Angelum ſignificari: ex alia parte per hoc, quòd Angelus formet corpus, in quo Deus apparet, dici poteſt etiam ipſe apparere; & per hoc quòd formet verba, quibus lex dicitur, verificatur quòd etiam ipſe legem dicat: optimè item juſtinetur cauſam primam operari ad extrà mediis ſecundis, & divinam providentiam gubernare res corporeas per ſpirituales, ex quo obiter eluditur etiam ratio naturalis, cui ſuperior probatio nitebatur. Deindè dici poteſt nomine Angeli ſignificari Verbum divinum quod vocatur Iſa. 9. ***Magni conſilij Angelus***; ſicque quòd eadem apparitio aliquando tribuatur Deo, aliquando tribuatur Angelo indicat Perſonam divinam, quæ apparuit eſſe Perſonam Verbi, non verò infert divinam Perſonam apparuiſſe mediante An-

13. gelo. Sed contrà primò: Non ſolùm corpus, in quo fit apparitio, verùm etiam aſſumptio ipſa corporis eſt opus ad extrà; ergo non ſolùm formatio, verùm etiam aſſumptio corporis tribuenda eſt immediatè cauſæ ſecundæ & Angelo; non cauſæ primæ & Deo. Contrà ſecundò: formare corpus, in quo fit apparitio, valde impropriè ſumitur pro apparere, adeoque dum Adverſarij volunt favere proprietati ſacrorum verborũ reſpectu Dei, conantur detrahere proprietati eorundem reſpectu Angeli explicãdo illud Act. 7. ***Apparuit Angelus*** per hoc quòd Angelus formaverit corpus, in quo apparuit Deus. Contrà tertiò: non eſt modus loquendi improprius, nec in ſcripturâ inuſitatus tribuere imagini nomen exemplaris, & Perſonæ repræſentanti nomen Perſonæ repræſentatæ; nec impropriè igitur, nec incongruè ſcripturam intelligimus dicendo ubi ſcriptura habet Deum loqui, Deum legem dare, &c. ſignificari Angelum, qui ut Deum repræſentans loquatur, legem det, &c. Ad illud, quod additur dico in relatis apparitionibus nec nomine Dei ſignificari Verbum divinum; nec ſi ſignificaretur Verbum divinum, huic rectè tribueretur nomen Angeli: Ratio primi eſt, quia in relatis apparitionibus non ſignificatur ſpecialiter ſecunda Perſona, ideò dum dicitur Deus apparere, ly *Deus* non debet ſupponere pro ſecunda Perſona potiùs, quàm pro aliis. Ratio ſecundi eſt, quia ſi ſignificaretur Verbum divinum, ſignificaretur ipſum ſecundùm ſe & ſecundũ divinitatẽ, non ut Incarnatum & ſecundùm humanitatem; ſolùm autẽ hoc ſecundo modo, non primo poteſt rectè tribui Verbo divino nomen Angeli, ut notat Vaſquez *diſp.* 85. *c.* 2. *n.* 9.

In Scriptura ſacra ſæpe tribuitur imagini nomen exemplaris.

Verbum divinũ dicitur Angelus ſecundũ humanitatem, non ſecundùm divinitatem.

Dices inſuper juxtà totam hanc doctrinam voce tenùs admitti veras Dei apparitiones, & in re omnes veras apparitiones aſtrui angelicas, non divinas: Enimverò ex una parte non poteſt ſpiritus corpus aſſumere, niſi in corpore appareat, cum ex prædictis aſſumere corpus importet repræſentare in corpore ſe ſuaſque operationes, quod idem eſt ac in corpore apparere; in omni igitur apparitione, quæ Deo tribuitur, verè Angelus apparet, ſi verè Angelus corpus aſſumit: ex aliâ parte ſicuti ſuprà ex eo, quòd Angeli verè appareant in corporibus, deductum eſt ipſos verè aſſumere corpora, ità arguendo ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis ex eo, quòd Deus nunquam de facto verè aſſumpſerit corpora deducetur ipſum nũquam de facto verè apparuiſſe in corporibus. Sed 14.

contrà: Vera apparitio dicitur illa, quæ fit intercedente vero corpore, ſivè deindè fiat in tali corpore entitativè, & perſonaliter, ſivè ſolùm repræſentativè; inſtãtia autem aliquid concluderet, ſi vera apparitio eſſet illa ſola, in quâ ſpiritus apparet entitativè & perſonaliter: Certè ſicuti aureum Cæſaris ſimulachrum eſt entitativè aurũ, repræſentativè Cæſar, & tùm entitatem auri, tùm Perſonam Cæſaris ſenſibiliter exprimit; ità Angelus ut eſt imago Dei, Deique nomine operans eſt perſonaliter, ſeu entitativè Angelus, repræſentativè verò Deus; & ipſo apparente rectè dicitur apparere tùm Angelus, tùm Deus; non minus quàm rectè dicatur apparere tùm aurum, tùm Cæſar apparente aureo Cæſaris ſimulachro. Hinc ad primam partem inſtantiæ concedo libenter in omni apparitione divina Angelum de facto apparuiſſe, at non propterea talis apparitio eſt in re angelica, & voce tenùs divina; quia per ipſam non manifeſtatur ſolus Angelus, apparitio autẽ ſimpliciter angelica eſt, in quâ Angelus nomine proprio & ipſe ſolus manifeſtatur: non ne- 15.

gaverim tamen tales apparitiones in rigore dicendas eſſe Angelicas ſimul & divinas ſub diverſâ ratione; quẽadmodùm quod per ipſas apparet, eſt Angelus ſimul & Deus ſub diverſâ ratione, Angelus entitativè, Deus repræſentativè; eo ferè modo quo Præcurſor erat Ioannes entitativè & perſonaliter, Elias repræſentativè & ſpiritualiter dicente Gregorio homil. 7. in Evang. ***Ioannes in ſpiritu Elias erat, in Perſona Elias non erat.*** Ad ſecundam partem inſtantiæ dico deductũ eſſe Angelos verè aſſumere corpora non ex eo, quòd quomodocumque in corporibus appareant, ſed ex eo, quòd appareant in ipſis perſonaliter & entitativè; ideò ex eo, quòd Deus nunquam de facto verè aſſumpſerit corpora ſolùm deducetur ipſum de facto nunquam apparuiſſe in corporibus perſonaliter & entitativè per ſe ipſum, quod non inficior.

Omnis apparitio divina de facto eſt ſimul etiam Angelica.

16. Pro pleniori cõprobatione doctrinæ hucuſque poſitæ circa divinas apparitiones factas in corporibus aſſumptis per Angelos ſubjicio nonnulla dubia valdè cõducentia ad explicandum, quomodò poſſit Deus verè in corpore apparere abſque eo, quòd verè corpus aſſumat. Dubitatur primò utrùm Deus apparendo in corporibus per Angelos aſ-

Proponuntur nonnulla dubia.

ſumptis dici poſſit apparere immediatè? Secundò per quid apparitiones purè Angelicæ diſcernantur ab apparitionibus divinis quæ fiunt in corporibus aſſumptis per Angelos? Tertiò utrùm ſicuti in eodem corpore ſimul apparent Deus & Angelus, ità poſſit idem corpus ſimul aſſumi a Deo, & ab Angelo? Quartò utrùm etiam apparitiones Chriſti Domini, ſeu Verbi Incarnati factæ fuerint miniſterio Angelorum, & in corporibus aſſumptis per Angelos? Reſpondetur ad primum Deum apparendo in corporibus, &c.

17. Solvitur primũ dubium.

apparitione entitativa apparere mediatè, apparitione verò repræſentativâ apparere immediatè eo ferè modo, quo hiſtrione Regis Perſonam ſcenicè referente apparet in ſcenâ immediatè entitativè hiſtrio, immediatè repræſentativè Rex, & aureo Cæſaris ſimulachro ſenſibus expoſito apparet immediate entitative aurum, immediate repræſentative Cæſar: Quod ſi dubium urgeatur poſtulando utrùm talis divina apparitio abſolutè & circumſcripta omni diſtinctione immediata dicenda ſit, vel mediata; urgetur controverſia de nomine, quæ laudabiliùs contemnitur, quàm ſolvitur. Reſpondetur ad ſecundum,

18. Solvitur ſecundũ dubium.

diſcerni potiſſimùm ex re, quæ in apparitione geritur, & ex locutione, quæ in apparitione formatur; ſi enim res, quæ geritur ſoli Deo conveniat, cujuſmodi eſt traditio legis *Exodi* 20 vel locutio, quæ formatur ſoli Deo poſſit aptè tribui ut cum dicitur Iudicum 2. *Pollicitus ſum ut non facerem irritum pactum meum vobiſcum*, apparitio cenſenda eſt non purè angelica, ſed ſimul divina, multo magis verò talis cenſenda eſt, cum ſacra ipſa Scriptura apertis terminis exprimit Deum apparere: Cenſenda è contra eſt purè Angelica apparitio, quam nulla ex his conditionibus comitatur. Reſpondetur ad tertium affirma-

19. Solvitur tertium dubium.

tivè, & procedit reſponſio à fortiori in noſtris principiis, in quibus poteſt eadẽ natura terminari duplici totali ſubſiſtentiâ, eadem materia informari duplici totali formâ, idem effectus produci à duplici totali cauſâ; minùs quippe eſt corpus aſſumere, quàm aut naturam terminare, aut materiam informare, &c. Solùm adverto quòd duo aſſumentes idem corpus apparerent in ipſo, non ſicuti apparent de facto Angelus & Deus, unus entitativè, alter repræſentativè; ſed uterque appareret entitativè, quia ſicuti uterque per ſe ipſum, & per propriam entitatem corpus aſſumeret, ità uterque per ſe ipſum & per propriam entitatẽ in corpore appareret. Reſpon-

20. Solvitur quartũ dubium.

detur ad quartum etiam ferè omnes apparitiones Chriſti Domini, ſeu Verbi Incarnati fuiſſe factas miniſterio Angelorũ & in corporibus aſſumptis per Angelos: dixi *ferè omnes* ad excipiendas apparitiones, quas vocant Perſonales, ſecũdùm quas Chriſtus apparuit in proprio corpore divinæ ſubſiſtentiæ hypoſtaticè unito; qualis fuit apparitio, quâ dum eſſent diſcipuli congregati propter metum Iudæorũ venit Ieſus & ſtetit in medio *Ioan.* 20. Item quâ Saulũ appropinquantem

Apparitiones Chriſti aliæ perſonales, aliæ imperſonales.

Damaſco increpavit & proſtravit *Act.* 9. Multoque magis quâ extremi judicij die veniet in Majeſtate ſua & ſedebit judicaturus *Matth.* 25. His, aliiſque nonnullis inſignioribus apparitionibus exceptis reliquas, quas imperſonales vocant, ſecundùm quas Chriſtus apparuit in corpore extraneo, fuiſſe factas miniſterio Angelorum & in corporibus aſſumptis per Angelos, probatur tùm ex eo quòd Angeli ſunt Miniſtri non ſolùm Dei, verùm etiam Chriſti; tùm validiùs quia ſi in apparitionibus imperſonalibus Chriſtus ut homo per ſe ipſum corpus aſſumpſiſſet, plura eſſent admittenda miracula replicationis præſentiæ, formationis corporis excedentis naturales vires humanitatis, penetrationis corporis Chriſti cum corpore aſſumpto; quæ miracula vitantur ponendo aſſumptionem factam ab Angelis, & apparitiones imperſonales Chriſti apparitionibus Dei quoad hoc aſſimilando; Quoad hoc, inquam, quia ut ex Thyræo advertit Lugus 1. *p. lib.* 3. *diſp.* 4. *cap.* 3. *n.* 22. non aſſimilantur utræque apparitiones quoad omnia, nec Chriſtus apparens in corpore aſſumpto per Angelum eſt ſubſtantialiter præſens tali corpori, ſicuti eſt ſubſtãtialiter præſens Deus, qui idcircò repræſentatur per alium quia occultus, non quia abſens; tanquam præſens, non tanquam diſtans: è contra Chriſtus repræſentatur per alium quia abſens, & tanquam diſtans.

Partim conveniunt, partim non cum apparitionibus Dei.

21\. Aſſert. 2. Aſſumere corpora convenit etiam animabus ſeparatis. Quamvis pauci ſub propriis terminis in præſenti cõtroverſiâ loquantur, quoad rem tamen jure poſſunt pro aſſertâ parte affirmativâ referri quicumque tribuunt animæ ſeparatæ virtutem movendi alia à ſe; ſicuti è contra pro parte negativâ quicumque talem virtutem animæ negant, volentes ipſam non poſſe movere alia à ſe, niſi virtute motivâ organicâ, quam habet ſolùm in ſtatu unionis ad corpus. Ideò ſtant pro aſſerto Scotus *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 14. Arriaga *tract. de Angelis diſp.* 19. *ſect.* 3. *ſubſec.* 1. *num.* 18. Meratius *diſp.* 10. *de Angelis n.* 4. Dequiros 1. *p. tr.* 8. *diſp.* 53. *ſect.* 4. &c. contrà Sylvium 1. *part. q.* 51. *art.* 2. §. *ad poſtremum reſpondeo.* Bubalum *q. pariter* 51. *art.* 2. *quæſito* 1. *diffic. ult.* §. 2. Suarezium 3. *p. q.* 45. *diſp.* 32. *ſect.* 2. §. *ſecunda ſententia, &c.*

Animæ ſeparatæ poſſunt aſſumere corpora.

Probatur primò ex D. Thoma 3. *p q.* 45. *art.* 3. *ad* 2. ubi agens de apparitione Moyſis in Chriſti Transfiguratione ait, *quòd anima ejus apparuit per aliquod corpus aſſumptum, ſicuti Angeli apparent*, ergo convenit animabus ſeparatis corpus aſſumere, ſicuti convenit Angelis. Nec refert quòd idem S. Doctor 1. *p. q.* 110. *art.* 3. *ad* 3. videatur docere animam ſolùm ut unitam corpori poſſe movere alia à ſe, dum ait *Virtus motiva animæ contrahitur ad corpus unitum, quod per eam vivificatur, quo mediante alia poteſt movere*, idemque clariùs docet *q.* 117. *art.* 4. *in corp.* dum ait *anima ſeparata ſuâ naturali virtute non poteſt movere aliquod corpus*: Non refert, inquam, quia primo loco congruè intelligitur S. Doctor de animâ unitâ, & in ſtatu informationis; Secundo loco ſenſus

eſt

eſt animam ſeparatã non poſſe movere aliquod corpus media potentia organica reſidente in tali corpore, ratione cujus potẽtiæ corpus animæ obediat in ordine ad motum localem, ſicuti obedit corpus unitum ob ſympathicam & connaturalẽ ſubjectionem potentiarum inferiorum ad ſuperiores: Propterea ex allatis auctoritatibus non eruitur ſatis firmum ſententiæ oppoſitæ præſidium, & licèt etiam auctoritas à nobis allata poſſit ab Adverſariis aliquantulùm infirmari dicendo ipſam procedere de corpore aſſumpto virtute divina, non virtute naturali ipſius animæ; tamen tùm generalis regula de non multiplicandis ſine neceſſitate miraculis, tùm ratio mox ſubjicienda reddunt probabilius oppoſitum.

22. Probatur ſecundò: Animabus ſeparatis convenit movere corpora; ergo iiſdem etiam convenit corpora aſſumere; conſequentia patet, quia ſui ſuarumque operationum repræſentatio, quam corporum aſſumptio addit corporũ motioni, optimè poteſt ab animâ ſeparatâ in corpore fieri, ſuppoſito quòd poſſit corpus movere; nec Adverſarij aliunde, quàm ex defectu virtutis corporum motivæ negant animabus ſeparatis virtutẽ corporum aſſumptivam: Antecedens probatur, quia ex una parte ad vim movendi impertinenter ſe habet informatio, & ſufficit intima præſẽtia motoris ad mobile; ex alia parte animabus ſeparatis cõvenit movere ſe ipſas, cur ergò non poterunt talem virtutem motivam exercere circa res à ſe diſtinctas? cum præſertim anima unita, quæ non poteſt independenter à corporeis organis movere res à ſe diſtinctas, neque poſſit independenter ab iiſdem movere ſe ipſam: Ex quo obiter patet, cur anima unita nequeat immediatè movere membra arida, & à ſe non vivificata; poſſit verò eadem membra, aut extranea corpora movere anima ſeparata. Confirmatur: quamvis anima unita nec ſe nec alia à ſe intelligere poſſit independenter à phantaſmatibus, utrũque tamen poteſt anima ſeparata; ergo ſimiliter licèt anima unita nec ſe, nec alia à ſe movere poſſit independenter ab organis, utrumque tamen poterit anima ſeparata. Neque dicas diverſam eſſe rationem de virtute intellectivâ comparatâ ad phantaſmata, & de virtute motivâ cõparata ad corporis organa; quia illa à phantaſmatibus retardatur, iſta à corporeis organis juvatur: Contrà enim hinc ad ſummum infertur animam ſeparatam habere virtutem intellectivam perfectiorem, expeditioremque, imbecilliorem verò virtutem motivam, quàm habeat anima unita, quod parùm intereſt ad præſens inſtitutum. In re tamen neque hoc eſt abſolutè verum, alioqui anima unita corpori eſſet ad movendum ſe, aliaque à ſe expeditior, quàm Angelus: ſolùm igitur virtus motiva exercenda dependẽter à corpore juvatur ab organis, virtus verò motiva ex genere ſuo potiùs ab iiſdem retardatur, & cum ex dicendis lib. ſequenti potentia locomotiva in Angelis, & conſequenter etiã in animabus ſeparatis non diſtinguatur ab intellectu & voluntate, ex hoc ipſo quod conceditur animæ ſeparatæ perfectior & expeditior virtus intellectiva, habetur argumentum tribuendi eidem perfectiorem, expeditioremque virtutem locomotivam.

Habent virtutem motivam corporum.

23. Expeditiorẽ quàm habeant animæ unitæ.

Dubitatur hic: Utrùm, quoties animæ ſeparatæ ſenſibiliter apparent, appareant in corpore ab ipſis aſſumpto? Veterum præſertim Ethnicorum opinione frequẽtiſſima erat animarum apparitio, ut oſtendit Martinus Delrius *lib. 2. diſquiſitionum magicarum, q. 26. ſect. 1.* & licèt in nimiâ frequentiâ erraverint; eſt tamen fide catholicâ certum ex eodem Delrio *ead. q. ſect. 5.* animas defunctorum verè aliquando ſe præbuiſſe ſpectabiles; & quidem quando id contigit in animabus damnatorum & impiorum hominum vix eſt locus ambigendi quin apparitiones factæ fuerint dæmonum miniſterio, aut ſcilicet per præſtigias & ſpectra dæmonũ arte inducta, aut per veram aſſumptionem corporis (hoc tamen valdè rarò) factam à dæmone ad repræſentandum tùm ſe tùm animam damnatam: Quando verò id contigit in animabus piorum & ſanctorum virorum probabile eſt aliquando tales apparitiones factas fuiſſe in corporibus aſſumptis ab ipſiſmet animabus, ut quoad animam Moyſis in Transfiguratione Chriſti Domini expreſſè tradidit D. Thomas *loco præcitato.*

24. Animæ ſeparatæ multipliciter apparent.

Quãdoque etiam in corporibus per ſe ipſas aſſumptis.

Ex his habetur quoad Angelos ſivè bonos, ſivè malos certum eſſe tùm quòd poſſint corpus aſſumere, tùm quod de facto aſſumant. Quoad animas ſeparatas nec certum eſſe quòd aſſumant nec quòd poſſint aſſumere, eſſe tamen utrumque probabile. Quoad Deum certum eſſe quod poſſit aſſumere; non ſic quod de facto aſſumpſerit, imò probabilius eſſe quòd non.

---

§. III.

Ex quanam materia, & quanam virtute formentur corpora, quæ ab Angelis aſſumuntur?

ASSERT. 1. Corpora, quæ ab Angelis aſſumuntur, aliquando de novo non fiunt, & circa iſta non eſt ſpecialiter inquirendum qua ratione formentur.

25. *Angeli aliquando aſſumũt corpora antè exiſtentia.*

Probatur tùm ex Auguſtino *lib. 14. de Civit. c. 11.* ubi indicat colubrum, in quo dæmon Evam allocutus, & in cujus corpore aſſumpto Evæ apparuit, fuiſſe verum animal inter cætera terreſtria animalia in Paradiſo antecedenter exiſtens: tùm ex Gulielmo Pariſienſi, Boiſſardo, Delrio referentibus varias hiſtorias in quibus narratur malos Angelos hominum, & aliquando etiam brutorum cadavera aſſumpſiſſe, ex his hiſtoriis aliquas inſigniores affert Bubalus *q. 51. a. 5. quæſito 2. diffic. 1. §. 2.* & Arriaga *tract. de Angelis diſp. 19. ſect. 3. ſubſec. 2. num. 25.* loquens de dæmonibus in ordine ad aſſumẽda cadavera peccatorum ità habet: *Certè in his partibus audio paſſim id cõtigiſſe & cõtingere,*

nec

nec video cur non id dæmonibus permittatur. Dixi in ordine ad aſſumenda cadavera peccatorum, quia antecedenter rectè advertit idem Auctor nec juſtorum cadavera adeò à Deo parvipendi, ut ſinat dæmonē ipſis abuti ad ſui repræſentationem; nec bonos Angelos adeò ſe deprimere ut exanime peccatoris cadaver inhabitent, & quaſi Perſonam perverſi, perditique hominis induant. Porrò quamvis dæmones aliquando aſſumant cadavera, & corpora hominum defunctorū, non ſic conſtat ipſos etiam aſſumere corpora hominum viventium: & arreptitiorum corpora licèt dicantur à dæmone poſſideri, non dicuntur à dæmone aſſumi; quia talia corpora Perſonam hominis, non dæmonis repræſentant, & homo, non dæmon dicitur in ipſis ambulare, ſedere, loqui, &c. ex quo capite Bubalus *q.*51. *art.*2. *quæſito* 1. *diffic.* 1. §. 2. *& quæſito* 2. *diffic.*1. §. 1. cenſet nullatenùs poſſe ab Angelo vivum animalis corpus aſſumi, idéque docuerat Durandus *in* 2. *diſt.*8. *q.*1. Contrarium tradit Molina 1. *q.*51. *art.*2. *diſp.*2. §. *Quando ergo*: & quidem corpus vivum animalis ſaltem minus perfecti, in quo Angelus loquatur, & exerceat alias operationes illi animali non convenientes, meo videri optimè repræſentat Angelū, non animal cujus eſt corpus, ideò crediderim tale corpus vivum poſſe ab Angelo aſſumi, & favet Auguſtinus præcitatus.

Dæmones quæná hominū corpora poſſint aſſumere.

26. Aſſert. 2. Corpora, quæ de novo fiunt, dum ab Angelis aſſumūtur nec producuntur ex nihilo, nec ex materia cœleſti, ſed ex materia elementari præſertim aërea. Prima pars eſt contra Tertullianum *lib. de carne Chriſti cap.* 3. Secunda eſt contra nonnullos, quorum meminit Bonaventura *in* 2. *diſt.*8. *p.*1. *art.*2. quibus videntur favere Iſidorus *lib. de ſummo bono c.* 10. & Beda *variarum quæſtionum quæſt* 9. Sed hi Patres more ſcripturarum nomine Cœli intelligunt aërem, & materiam aëream cœleſtem vocant. Fortè etiam Tertullianus per nihilum intellexit materiā ſubtilem, tenuem, non contrectabilem, qualis eſt materia aërea. Totum aſſertum ſimpliciter & abſolutè tradunt D. Thomas 1. *p. q.*51. *art.*2. *ad* 3. Scotus *in* 2. *diſt.*8. *quæſt. unica* §. *nam tunc aſſumis*, cæterique tùm veteres, tùm recentes Theologi communiſſimè.

27. Probatur prima pars quia ſi talia corpora producūtur ex nihilo, in corporis aſſumptione creatio, in corporis aſsūpti dimiſſione annihilatio admittitur, quæ utraque ſpecialiter requirit divinam virtutem; ſicque ſine ſufficienti neceſſitate frequentes creationes & annihilationes, facileſque ad divinam virtutem & cauſam primam recurſus inducuntur reclamantibus Philoſophis, qui non niſi coacti effectum aliquem in ſolam cauſam primam refundunt.

Angeli non aſſumunt corpora ex nihilo.

Probatur ſecunda pars quia ſi talia corpora producūtur ex materia cœleſti, vel hæc de novo creatur; & ſic recurrit mox allata probatio: vel ex Cœli corpore abſcinditur; & hoc eſt contra Cœlorum incorruptibilitatem, ac valdè communiter receptam ſoliditatem. Deindè quis non videat eſſe per ſe nimis incongruum, quòd dæmones ad Cœlum accedant, quoties corpus aſſumunt.

Neque ex materia cœleſti.

Probatur tertia pars quia ſuppoſito, ut modò probatum eſt, quòd talia corpora neque ex materia de novo creata, neque ex materia cœleſti formentur, ſola ſupereſt materia aut elementorum aut mixtorum pro ipſorum formatione, congruentior autem eſt elementorum, quia mixta difficiliùs quàm elementa in unum coaleſcunt, nec adeò apta ſunt recipere quamlibet qualitatem, induere quamlibet figuram, ſicut apta ſunt elementa præſertim aër, qui admixtis cæterorum elementorum particulis facilè ſe accommodat cuilibet configurationi, & temperaturæ; facilè item qualibet cōfiguratione & temperaturâ dimiſſâ propriæ ſe ſubtilitati & tenuitati reſtituit; ergo materia elementaris præſertim aërea eſt maximè idonea corporibus quæ, dum ab Angelis aſſumuntur, citiſſimè formantur; dum dimittuntur, in auras evaneſcunt. 28.

Sed ex materia elementari præſertim aërea.

Aſſert. 3. Corpora, quæ de novo fiunt, dum ab Angelis aſſumuntur, ut plurimùm formātur virtute naturali Angelorū aſſumētium. Ita Bonaventura, Scotus, Albertus, Gabriel *in* 2. *diſt.*8. Eſtius *ead. diſt.* §. 6. Herinex *tr.* 3. *diſp.*4. *q.*5. *n.*29. Averſa 1. *p. q.*51. *ſect.*2. Lugus *lib.*3. *diſp.*4. *cap.*2. *n.*15. aliique communiter contra Bergomenſem *in concordantiis num.* 117. qui Doctorem Angelicum 1. *p. q.* 51. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. dicentem corpora formari ab Angelis virtute divina, explicat de virtute divina principali & ſupernaturali; ſed meliùs juxtà communiorem cæterorum explicationem dicitur S. Doctorem nomine virtutis divinæ intellexiſſe vel concurſum ordinarium Dei; vel diſpenſationem, & permiſſionem operandi; vel ipſam virtutem Angelicam, quæ ratione ſuæ excellentiæ metaphoricè dicatur divina; & juxtà Bergomenſis explicationem ſibi ipſi adverſaretur Angelicus utpotè qui *in* 2. *diſt.* 8. *quæſt. unica art.* 3. *in c.* ait Angelos aſſumere corpora ex aëre inſpiſſato ſervata aëris veritate *Quod*, inquit, *efficere poſſunt Angeli tùm per motum localem congregando partes, tùm etiam per ſemina in elementis reſperſa.* 29.

Formant ipſa ut plurimùm virtute propria.

Probatur quia ex una parte non eſt recurrendum ad cauſam primā, ubi ſuppetit cauſa ſecunda, nec eſt tribuendum Deo, quod tribui poteſt Angelo: ex alia parte non ſuperat virtutem Angelicam formatio corporum aſſumendorum, cum iſta haberi poſſit per motum localem & applicationem activorum paſſivis, quod utrumque ſub virtute cadit angelica: Cur enim non poterit Angelus deſignare certam figuram in ſpatio, intrà talis deſignationis terminos aërem addenſare, & vel magis addenſando in una parte, quàm in altera, vel uni parti quàm alteri plùs minuſve alterius craſſioris materiæ miſcendo reddere partem unam duriuſculam, molliuſculam alteram; deinde deferendo cauſas naturales, puta particulam ſubſtantiæ igneæ ad tribuendum calorem, particulam ſubſtantiæ aqueæ ad tribuendam humiditatem, corpus benè vel malè olens ad emittendum gratum

Deſcribitur talium corporum formatio.

vel

vel ingratum odorem, diverſas qualitates, ex quibus tale vel tale temperamentum reſultet, inducere.

Dices: vel Angeli per motum localem, & applicando activa paſſivis poſſunt inducere veras diſpoſitiones & organizationes humani corporis v. g. vel non: Si primum; ergo poſſent Angeli organizare materiam, eamque ultimò diſponere ad introductionē animæ rationalis, multoque magis cujuſcumque animæ materialis; & Deus ut Auctor naturæ teneretur quodammodò ad libitū Angelorum animam producere: Si ſecundum; ergo quoties Angelus aſſumit corpus hominis, vel alterius animalis propria virtute formatum, aſſumit corpus apparens, non verū, nec tale quale apparet; quod eſt in re non aſſumere corpus & illuſoriè apparere non
30. realiter. Sed contrà: quemadmodum in hujus capitis limine præmiſſum eſt ut Angelus realiter appareat, & verum corpus aſſumat, ſatis eſt quòd tale corpus ſit verum ſub ratione communi corporis, quamvis deinde non ſit verum ſub ratione particulari corporis v. g. humani; ideò ut Angelus formet corpus ſufficiens ad veram aſſumptionem, non eſt neceſſe, quòd formet corpus perfectè organizatum, & verè diſpoſitum ad introductionem animæ. Vtrùm deinde taliter corpus organizare ſit ſuprà naturalē virtutem Angeli probabilius eſt quòd ſic quia ut advertit Arriaga *de Angelis diſp. 19. ſect. 2. ſubſec. 2. n. 23.* probabilius eſt quod organizatio ſufficiens & diſpoſitio proxima ad introductionem animæ non conſiſtat præcisè in quatuor primis qualitatibus congruè attemperatis, & in ſecundis ex quatuor primarum in certo gradu ſibi reſpondentium temperamento conſurgentibus, ſed inſuper requirat nonnulla ſpecialia accidentia, quæ producantur connaturaliter à ſula anima, tanquam diſpoſitiones ipſius propriæ; hoc enim videtur exigere animæ perfectio, & ſuadere experientia, quià præſertim tactus ſenſuum omniū fideliſſimus in nulla primarum qualitatum temperatura palpat mollitiem v.g. ſimilem mollitiei carnis animalæ.

Qualē organizationem requirat anima.

31. Quando tamen admitteretur perfectam corporis organizationem non requirere hujuſmodi ſpecialia accidentia, & non excedere naturalem virtutem Angelicam, adhuc de facto nunquam Angelus taliter corpus aliquod organizaret, quia ex una parte non eſſet id neceſſariū ad corporis aſſumptionem, & ex alia id non congrueret bono univerſi, cui ut ſe accommodet Angelus, plura ipſius naturalē virtutem non excedentia nunquam facit, ſic v.g. nunquā occidit homines, nunquam cōburit ſegetes, &c. niſi fortè ex particulari Dei permiſſione, imò motione.

Talem organizationem nunquam inducit Angelus.

Dixi in aſſerto *Vt plurimùm* ad innuendum eſſe valdè veriſimile quòd Angelus aſſumat aliquando corpus aut immediatè à Deo, aut à ſe ipſo ut inſtrumento Dei miraculosè formatum: Enimverò ex una parte audiendus non eſt Durandus volens eſſe de neceſſitate aſſumptionis quòd Angelus propria virtute ſibi formet corpus, quod aſſumit; audiendus inquam non eſt tùm quia voluntariè & abſque probatione loquitur, tùm quia ſequeretur non poſſe aſſumi ab Angelis corpora antecedenter exiſtentia contra ſuperius primum aſſertum: Ex alia parte 32. corpus à bono Angelo aſſumptum apparet aliquando adeò perfectum, ut non videatur ad ipſius formationem ſufficere virtus naturalis Angelica, quod ut notat Lugus *c. 2. præcit. num.* 17. ſuſpicari poſſumus accidiſſe Gabrieli quando miſſus eſt ad Beatam Virginem, vel aliis etiam bonis Angelis, qui Iacobo, Abrahæ & Tobiæ apparuerunt, forſan enim illa ſoliditas membrorum diuturnā, illa pulchritudo adeò formoſa, illa lucis colorumque perfectio, aliæque ſimiles diſpoſitiones in tali gradu peculiarem cooperationem divinæ virtutis poſtulabant: Multo magis cenſenda ſunt divinitùs formata aliqua ex corporibus, quæ Angeli aſſumpſērūt, dum ſub iiſdem corporibus Deus apparuit juxtà doctrinam §. *ſuperioris*; ſic ſpecialiter fuiſſe divina virtute formatum corpus, quo Deus apparuit in monte Sinai latè oſtendit Bubalus *q. 51. art. 2. quæſito 2. diffic. 2.* Idem ſentiendum de corpore columbæ, ſub quo Spiritus ſanctus apparuit in Chriſti baptiſmate ſi tale corpus fuit verum etiam ſub ratione propria talis corporis, adeò ut habuerit interiùs omnem organizationem quam habere ſolent viventia Columbarum corpora, quod in controverſia eſt.

Aliquandò aſſumuntur corpora formata divinitùs.

Dubitatur hic. Vtrùm etiā corpora, quæ à malis Angelis aſſumūtur, aliquandò formen- 33.
tur extraordinariā virtute divinā? Reſpondetur probabilius eſſe quod non: ratio eſt quia mali Angeli nonniſi ad malos fines uſuſque peſſimos aſſumunt corpus; non convenit autem divinæ bonitati cōcurrere ſpeciali auxilio, & extraordinariā virtute ad productionem corporis in malos fines aſſumendi, & per miraculū quaſi cooperari dæmonū pravitati. Colligitur hoc etiam à poſteriori ex eo, quòd corpora, quæ à dæmonibus aſſumuntur ſolent etiam exterius apparere minùs perfecta, nec oſtendunt ſpecialē aliquam pulchritudinem, quæ ſit veſtigium divinæ virtutis extraordinario modo relucentis.

Loquendo de bonis, non de malis Angelis.

---

§. IV.

Quales operationes exercere poſſint Angeli in corporibus aſſumptis?

ASSERT. I. Exercere poſſunt Angeli in 34.
corporibus aſſumptis operationes intellectus & voluntatis eodem modo, quo extrà corpus. Eſt aſſertum communiſſimum, adeò ut ſupponi magis quàm in terminis poni ab Auctoribus ſoleat.

Angeli in aſſumptis corporibus exercere poſſunt operationes intellectus & voluntatis.

Probatur: Angeli non informant corpora, quæ aſſumunt; ergo ab illis non dependent in operationibus ſibi propriis, & ſicuti in ordine ad operationes proprias intellectus & volūtatis corporibus aſſumptis non indigent, ità in ordine ad eaſdē à corporibus aſſumptis

non impediũtur; ſed in corporibus aſſomptis intelligere poſſunt & velle eodem prorſus modo quo extrà ipſa: In quo eſt diverſa ratio de anima rationali comparata ad corpus, quod informat, in qoo licèt intelligat & velit, non tamen eodẽ modo, quo extra ipſum; quia extrà ipſum vult & intelligit magis perfectè & indepẽdenter à ſenſibos ac phantaſmatibus, à quibus dependet, dom corpus informat: Cæterùm, ſi anima rationalis etiam ipſa præcisè aſſumeret, oon ioformaret corpus, intelligeret etiam & vellet in corpore ſicuti extrà corpus, independenter ſcilicet à ſenſibus, phãtaſmatibus, & corporeis organis.

35\. Non ſic operationes ſenſitivas.

Aſſert. 2. Exercere non poſſunt Angeli in corporibus aſſumptis operationes ſenſitivas, non poſſunt ſcilicet habere ſenſationẽ ullam ſivè internam, ſivè externam, nec actum ullum appetitus ſenſitivi. Ità D.Thomas *1. p. q.51. art.3. ad 1. & q.6. de potentia art.8. in c.* Scotus *in 2. diſt.8. quæſt. unica.* Eſtius *ead. diſt.* §. 7. cæterique Theologi communiter.

Probatur primò: operationes eſſentialiter vitales non poſſunt exerceri à principio extrinſeco; ſed operationes ſenſitivæ ſunt eſſentialiter vitales, & Angelus etiam in corpore aſſompto eſt reſpectu ipſarum principium extrinſecum; ergo operationes ſenſitivæ exerceri non poſſunt ab Angelis in corporibus aſſumptis: Major ſupponitur ex cõmuni conceptu vitæ, quæ non poteſt eſſe ab extrinſeco, cum igitur operatio vitalis oihil ſit aliud, quàm vita in actu ſecundo, conſequens eſt quòd operatio eſſentialiter vitalis, eſſentialiter reſpuat principiũ extrinſecum: Minor quoad primam partem conſtat tùm ex eo quòd ut communiter dici ſolet, ſentire eſt vivere; tùm ex eo quòd, ut inductione evincitur ſenſatio non habetur niſi à principio vivente & animato; nec ullum eſt veſtigium ſenſationis, ubi oullum eſt principium vitæ. Minor eadem quoad ſecundam partem probatur: Angelus non vivificat organa ſenſuũ, & ſenſitivas potentias; neque enim poteſt vivificare aliquid, cum quo per ſe & intrinſecè non connectitur; ſed ſolùm illod, qood vivificat organa ſenſuum & potentias ſenſitivas habet connexionem intrinſecam, & rationẽ principij intrinſeci reſpectu operationum ſenſitivarum; ergo Angelus etiam in corpore aſſompto eſt principium extrinſecom, non intrinſecũ reſpecto operationum ſenſitivarum.

Etiamſi aſſumerent corpus vivens.

Vnde rectè notat Eſtius §. *præcitato*, quòd etiamſi Angelus aſſumeret hominem, ſeu corpus humanum verè vivens, quod non repugnare *initio ſuperioris* §. indicavimus, & in tali corpore commoveret, excitaretque operationes ſenſitivas, adhuc non eſſet nec eſſe poſſet talium operationum principium, & ſicoti anima, non Angelus vivificaret illud corpus; ità per animam, non per Angelum exercerentur tanquam per principium proprium operationes ſenſitivæ illius corporis.

Dices: fruſtrà Angeli aſſumerent corpora cum organis ſenſuũ, ſi talia organa non poſſent ipſis ad operationes ſenſitivas inſervire; ergo verè poſſunt Angeli in aſſumptis corporibus exercere operationes ſenſitivas, & licèt nequeant vivificare corpus ex iodigentia propria, qoatenùs ipſi indigeant vivere in corpore, poterunt ſaltem vivificare ex indigentia ipſios corporis, quod ratione organizationis ſenſuum poſtulat exire in operationes ſeoſitivas, & in ordine ad iſtas nullũ aliud principium poteſt ſupplere concurſum & abſentiã animæ congruentiùs quàm Angelus eidem corpori per aſſumptionem intimè inexiſtens. Sed contra: ut plurimùm aſſumunt Angeli corpora cum organis ſenſuũ ſolùm quoad exteriorem figuram perfectis, quoad interiorẽ verò ſymetriam inſufficientibus ad operationes ſenſitivas; idcircò ad has operatiooes talia organa noo ordinãtur, nec carent proprio fine aut fruſtranea ſunt ex eo, quod ſenſitivis operationibus non inſerviant, cum aliunde optimè inſerviant fini, ad quem ordinantur, qui eſt repræſentatio virtutum, ſeu perfectionum Angelicarum juxta D.Thomam *1. p. q.51. art.3. ad 2.* dicentẽ de bujuſmodi organis *non ad hoc ſunt formata, ut per ea ſentiatur, ſed ad hoc ut virtutes ſpirituales Angelorum deſignentur, ſicut per oculum deſignatur virtus cognoſcitiva, &c.* Illud, quod additur, malè ſuppooit corpus ab Angelo aſſumptum exigere vivificationem, idque male ſupponi conſtat ex mox dictis: Quando tamen talem vivificationem exigeret, non poſſet hæc ab Angelo ſuppleri, quia vivificatio provenire non poteſt niſi ab aliquo habente connexionem intrinſecam per modũ formæ informantis cum eo, quòd vivificatur, qualem coonexionem habere nequit Angelus cum corpore aſſumpto.

36\. Organa ſenſuum in corporibus aſſumptis ad quid inſerviant.

37\. Probatur ſecundò: Angelus non poteſt videre viſione materiali, & corporea; ergo non poſſunt Angeli in corporibus aſsũptis exercere operationes ſenſitivas, nec habere ullam ſenſationem: conſequentia patet quia eſt eadẽ ratio de viſione corporea, ac de qualibet alia ſenſatione ſivè interna ſivè externa: antecedens probatur: potentia viſiva materialis & corporea non poteſt videre viſione ſpirituali *ex ſuperiori tr.1. lib.2. c.8.* §. 3. ergo Angelus, cujus virtus eſt purè ſpiritualis non poteſt videre viſione materiali & corporeâ; non enim minus eſt extrà rationẽ formalem virtutis purè ſpiritualis actus corporeus, quàm ſit extra rationẽ formalem virtutis purè corporeæ actus ſpiritualis, nec apparet cur magis repugnet priocipiũ materiale elevari ad actom ſpiritualem, quàm principium ſpirituale deprimi ad actum materialem. Confirmatur: Intellectus non poteſt videre viſiooe corporea, aut audire, aut elicere ullum alium actum ſenſitivum; ſed Angelus eſt purus intellectus, ſeu ſubſtantia purè intellectualis; ergo neque ipſo poteſt videre viſione corporea, aut audire, &c. In qoo eſt diverſa ratio de anima rationali, quæ ità eſt intellectualis, ut ſimul aut formaliter aut eminenter contioeat gradum vegetativum & ſenſitivum, proptereaque petit informare corpus aptum vegetare & ſentire, corporique unita ipſum vivificat in ordine ad actus vitæ vegetativæ, & ſenſitivæ.

Ex

38. Ex his habetur quod aſſertum eſt Angelos non poſſe exercere in corporibus aſſumptis operationes ſenſitivas extendendum eſſe etiam in ordine ad potentiam abſolutam; item in ordine ad operationes ſenſitivas etiam diverſæ rationis ab iis, quæ nobis innoteſcunt; ſuperiorum enim rationum vis pro hoc utroque militat, ut facilè patere poteſt conſideranti, quod ſi quis planiorem, plenioremque hac in re doctrinam expoſtulat, conſulat Bubalum *q.* 51. *art.* 3. *quæſito unico diffic.* 1. Dequiros 1. *part. tract.* 8. *diſp.* 54. *&c.*

Superius aſſertũ eſt extendendum etiam in ordine ad potentiam abſolutam.

Habetur inſuper Angelos ſolo Intellectu percipere ea, quæ in aſſumptis corporibus videntur attingere oculis, auribus, aliove ſenſu. Nec refert quod quandoque quaſi dirigant ad videndum oculos, erigãtve ad audiendum aures; aut potiùs ſenſibiles illas & externas oculorum, aurium que figuras; hoc enim ſolùm præſtant ad exactè referendum ſimilitudinem corporum, quæ aſſumpſerunt; aut etiam ad exteriùs indicandum ſe actu cognoſcere objecta, ad quæ videntur oculi tendere, vel attendere aures.

39. Aſſert. 3. Exercere poſſunt Angeli in corporibus aſſumptis modo non vitali operationes aliquas materialiter & ſecundùm quid ſimiles operationibus vitalibus. In hoc aſſerto conveniunt re ipſa D. Thomas 1. *p. q.* 51. *art.* 3. *in* 1. *& in* 2. *diſt.* 8. *q.* 1. *art.* 4. D. Bonaventura *ead. diſt. p.* 1. *art.* 3. *q.* 2. Scotus *ead. diſt.* 8. aliique Theologi communiter, in modo tamen explicandi diſcõveniunt; quatenùs comparãdo tales operationes provenientes ab Angelo cum operationibus ſimilibus provenientibus à vivente corporeo; aliqui dicunt eſſe ejuſdem rationis in quantum motus ſunt, non in quantum vita ſunt, ità D. Bonaventura, & D. Thomas; aliqui eſſe ejuſdem rationis ſolùm quoad extrinſecam apparentiam, ità Scotus; aliqui eſſe ejuſdem rationis quoad ſubſtantiã non quoad modum, ità Vaſquez 1. *p. diſp.* 186. *c.* 2. Lugua *lib.* 3. *diſp.* 4. *c.* 3. *n.* 7. & major pars recentiorum, quorum dicendi modus ſi intelligatur, ut verba ſonant, non arridet, & rectè impugnatur à Bubalo *quæſito præcit. diffic.* 2.

Quomodò Angeli exerceant aliquas operationes ſimiles vitalibus.

Probatur & explicatur: Certum eſt Angelos in aſſumptis corporibus exercere aliquas operationes ſimiles ambulationi, locutioni, comeſtioni, &c. ut quoad locutionem præſertim in pluribus Scripturæ locis exprimitur; ſed hujuſmodi operationes non exercentur ab Angelis modo vitali, quia ſi poſſet Angelus modo vitali exercere tales operationes, poſſet etiam exercere operationes ſenſitivas quæ ex ſupradictis in tantum ab Angelis exerceri non poſſunt, in quantum eſſentialiter debent exerceri modo vitali; reliquum eſt igitur quod operationes illas exerceat Angelus modo non vitali; & quòd dum ab Angelis exercentur vitales non ſint; nec formaliter & ſimpliciter, ſed materialiter tantùm & ſecundum quid operationibus vitalibus aſſimilentur. Quod magis explico diſcurrendo in particulari per ſingulas operationes.

Denominatur Angelus ambulare, ſeu moveri motu progreſſivo; quatenùs locali motu pedum & tibiarum imitatur motum progreſſivum, at in re pedes tibiaſque movet tanquam motor extrinſecus; non tanquam principium intrinſecè informans potentiam locomotivam ipſamque per imaginationem & appetitum excitans ad motum, ſicut requiritur ad ambulationem vitalem animalium. 40.

Quomodò ambulent.

Denominatur loqui, quatenùs format voces ſimiles iis, quæ formantur in corporibus inanimatis ex ſola percuſſione & alliſione aëris independenter à motione phantaſiæ & appetitus; quam motionem ad propriam locutionem requiri expreſſit Ariſtoteles 2. *de anima cap.* 8. & ex hoc capite minùs propriè format voces & locutionem Angelus, quàm Pſitacus; licèt quoad ſonum ſenſibilẽ longè meliùs poſſit veras humanas voces imitari Angelus præſertim bonus, nã Delrius *lib.* 2. *diſquiſ. magic. q.* 28. teſtatur malos Angelos loquentes in corpore aſſumpto edere voces puſillas, confuſas, obſcuras, ingratas, Deo ſic diſponente, ut verſipellis hoſtis faciliùs dignoſcatur, & difficiliùs nos decipiat. 41.

Quomodò loquantur.

Denominatur comedere; quatenùs cibum localiter movet, ore ſumit, dentibus conterit, in ſtomachum trajicit; at ſicuti in corpore aſſumpto nec verum os, nec verum ſtomachum habet Angelus, nec ei aut ad guſtum in ore, aut ad nutritionem in ſtomacho cibus inſervit; ita illa cibi ſumptio, contuſio, trajectio vitalis ac propria comeſtio non eſt, cujus rei teſtimonium præbuit ipſemet Angelus Tob. 12. *Videbar quidem vobis manducare, & bibere; ſed ego cibo inviſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* Nec refert, quod D. Thomas *q.* 6. *de potentia art.* 8. *ad* 8. ſimpliciter attribuat Angelis in corpore aſſumpto actum comeſtionis. Non refert inquam quia ibi loquitur S. Doctor de actu comeſtionis materialiter & ſimilitudinariè accepto, & tùm 1. *p. q.* 51. *art.* 3. *ad* 5. tùm *in* 2. *diſt.* 8. *art.* 4. accuratiùs rem examinans negat Angelis aſſumentibus corpora proprium actum comeſtionis, afferendo pro potiſſima ratione, quòd comeſtio importet ſumptionem cibi convertibilis in ſubſtantiã comedentis. Neque hinc inferas Chriſtum Dominum redivivum, cujus corpori nihil erat addibile, propriè non comediſſe, cujus oppoſitum *ex Luc.* 24. & *Act.* 3. docent ſancti Patres communiter; Enimverò occurrit huic inſtantiæ ipſemet S. Doctor *loco præcitato ex* 1. *part.* verbis illis; *& quamvis in Corpus Chriſti poſt reſurrectionem cibus non converteretur, ſed reſolveretur in præjacentem materiam; tamen Chriſtus habebat corpus talis naturæ, in quod poſſet cibus converti, unde fuit vera comeſtio.* 41.

Quomodò comedant.

Denominatur generare; quatenùs poteſt ad generationẽ concurrere applicando activa paſſivis, nimirum per modum fœminæ viro ſuccubando ſemen recipere, quod deinde per modum viri fœminæ incubando in ipſius matricem trajiciat, vel aliter virile ſe- 43.

Quomodò generent.

men transfetendo in eandem matricem: At nou poteſt ad viventis generationem vitaliter concurrere elaborando in aſſumpto corpore ſemen vitale; unde etiam docent communiter Auctores cum D. Thoma *q.6. de potentia art.8. ad* 7. non dæmonē incubum, ſed virum, cujus ſemine dæmon uſus eſt, diei debere Patrem prolis natæ ex dæmoniaco concubitu. Neque hic ambigendum eſt cum nonnullis quorum meminit Bubalus *quæſito præcitato diffic.*5. §. 3. poſſe ex dæmone incubo & virili ſemine veram prolem naſci, cum in boc conveniant ferè omnes Philoſophi, Medici, Theologi, & ſancti Patres apud eundem Bubalum §. 4. & quidem abſque copula viri cum fœmina poſſe hanc ex virili ſemine fætum concipere confirmat valdè quod refert Amicus *diſp. 4. de Angelis num.* 59. experientia compertum eſſe aliquando fœminas coocepiſſe ex virili ſemine in balneis relicto, & in propriam matricem attracto; item quod habet D. Thomas *quodlib.6. art.*18. de quadam puella pubeſcente, quam propter pudoris cuſtodiam in lecto ſuo Pater habebat, hocque pollutionem in ſomnis patiente, ſemen ad matricem deſcendit & puella concepit. Nou tamen eodem modo exiſtimandum poſſe etiam veram prolem naſci ex dæmone ſuccubo, quia ut ſuſceptio virilis ſeminis coaleſcat in fætum, neceſſaria eſt tùm ſpecialis organizatio, quam nou poteſt dæmon formare; tùm virtus animæ vegetantis alentis & foventis fætum, quam non poteſt dæmon habere; & licèt fama ſit nonnullos genitos fuiſſe ex dæmone ſuccubāte; nihilominùs hujuſmodi fama apud graves Auctores fidem non habet, & vel dæmon ſuccubans aliunde aſportatum veræ fœminæ infantulum proprio ex utero parere ſimulavit, vel ad dæmonis ſuccubantis nutum alius dæmon ſuſcepta infantuli forma ſe naſci & adoleſcere mentitus eſt; pro quo videantur Sprengerus 2. *part. mallei q.* 2. *c.*7. Gulielmus Pariſienſis *part. ultima de univerſo c.* 5. *&c.*

Ex dæmone incubante non ſuccubāte poteſt vera proles naſci.

44\. Quomodò Angeli rideant, fleāt, canant, reſpirent, &c.

Denominatur taudem ridere, flere, canere, reſpirare, aliaſque hujuſmodi operationes viventium corporum proprias exercere, quatenus variè commovendo aſſumpti corporis labia, genas, oculos, pulmones, &c. exhibet exteriùs cōfigurationem membrorum ſimilem ei, quæ conſpicitur in homine ridente, flente, canente, reſpirante, &c. Cæterùm eum nec per organa verè vitalia, nec ex motione phantaſiæ & appetitus in hujuſmodi motus Angelus erumpat, mortuas quaſdam riſus, fletus, &c. imagines producit; non verum vitalemque riſum, fletum, &c.

Ex dictis habetur doctrinam hujus aſſerti non minùs quam doctrinam aſſerti præcedentis extendendam eſſe etiam in ordine ad potentiam abſolutam, adeò ut ſcilicet neque miraculosè poſſit Angelus exercere in corpore aſſumpto verum motum progreſſivum, veram locutionem, &c. enimverò operari modo vitali in corpore aſſumpto neque miraculosè poteſt Angelo convenire, & tamen verus motus progreſſivus, vera locutio, &c. eſſentialiter poſtulant fieri modo vitali. Neque dicas hinc ſequi quòd Angelo in corpore aſſumpto repugnent iſtæ operationes æquè ac operationes ſenſitivæ. Contra enim: ſumendo iſtas operationes entitativè, & ſimpliciter admitto quod infertur, & major repugnantia in ordine ad operationes ſenſitivas, de quibus in ſecundo aſſerto, quàm in ordine ad operationes, de quibus in tertio aſſerto, conſiſtit in eo quòd illas neque etiam ſimilitudinariè, nec ſecundū quid poteſt Angelus exercere, bene tamen iſtas. Pro cujus rei completa intelligentia afferri poteſt doctrina D. Thomæ *q.6. de potentia art.8. in c.* conſiderantis in anima quaſdam operationes, 45.
quæ non ſolùm ſunt ab anima tanquam à principio, ſed etiam terminantur ad animam, & ad corpus animatum, ſicut ſentire, augeri, nutriri; ſentire enim eſt ſecundùm motum à rebus ad animam, augeri & nutriri fit per aliquid additum corpori animato: quaſdam verò, quæ ſunt quidem ab anima tanquam à principio; ſed terminantur ad aliquem exteriorem effectum, non ad animam, nec ad corpus animatum; ſic ambulatio terminatur ad acquiſitionem loci extrinſeci, locutio ad ſonum externum & commotionem aëris, comeſtio ad diviſionem confuſionē & motum localem cibi: Has operationes quamvis nequeat Angelus ſecundùm ſe ipſas exercere, exercere tamen poteſt ſecundùm id, ad quod terminantur; & ex hoc capite dicitur exercere hujuſmodi operationes ſimilitudinariè, & ſecundùm quid: operationes primi generis neque etiam ſecundùm id, ad quod terminantur poteſt exercere Angelus in corpore aſſumpto, adeóque neque etiam ſimilitudinariè & ſecundùm quid. Breviter operationes, quæ ſunt à principio intrinſeco, & ad terminum intrinſecum, nullatenùs poſſunt ab Angelo fieri; quæ à principio intrinſeco, & ad terminum extrinſecum poſſunt fieri ab Angelo ſecundùm quid, id eſt ſecundùm terminum.

Operationes quædā ſunt ab anima & ad animam; quædam ab anima, non ad animam.

---

§. V.

Quid in univerſum operari poſſint Angeli circa res corporeas?

ASSERT. 1. Non poſſunt Angeli aut creare materiam, aut educere ex materia formam ſubſtantialem. Ita D. Thomas 1. *p. q.*110. *art.*2. Scotus *in* 2. *diſt.*8. *quæſt. unica* D. Bonaventura *ead. diſt. p.*1. *art.*2. *q.*1. *& diſt.*7. *p.*2. *art.*2. *q.*2. Eſtius *ead. diſt.*7. §. 16. Lugus 1. *p. lib.*3 *diſp.*3. *c.*1. Arriaga *tract. de Angelis diſp.*19. *ſect.*1. Vaſquez *diſp.*218. *c.*1. Averſa *q.*51. *ſect.*4. Hetinex *tract.* 3. *diſp.*4. *q.*4. cæterique communiter adeò ut D. Bonaventura *loco præcitato ex diſt.*7. dicat oppoſitum eſſe ſine dubio falſum. Suarez *lib.*4. *de Angelis c.*25. *num.*4. dicat non poſſe ſine magna temeritate in dubium revocari. Arriaga *ſect. præcit. num.*5. dicat

46\. Angeli nequeunt aut creare materiam aut educere formā ſubſtantialem.

Cenſura opinionis oppoſitæ.

dicat hoc tempore eſſe extrà controverſiam ex communi Theologorum & etiam hæreticorum conſenſu, quamvis olim virtutem eductivam formarum ſubſtantialium Angelis tribuerint Plato & Avicennas apud D. Thomam *art.2. præcit.* Formationem item humanorum corporum in materno utero dæmonibus tribuerint Priſcillianiſtæ affines Manichæis creaturas aliquas à ſolo malo dæmone oriri poſſe exiſtimantibus.

Probatur prima pars ex communi ratione virtutis creativæ, quæ propria Dei eſt, ſicuti eſt Dei proprius titulus Creatoris: & licèt probabile ſit dari poſſe creaturam, cui connaturaliter competat creare, non eſt tamen probabile talem creaturam dari de facto: & dum Theologi communiter ſolùm in controverſiam deducunt, utrùm ſit de potentiâ abſolutâ alicui creaturæ communicabilis virtus creativa? utique ſupponunt talem virtutem nulli creaturæ eſſe communicatam. Hinc fit Angelos non ſolùm non poſſe creare materiam, ſed nec poſſe producere ullam aliam ſubſtantiam, quæ exigat per creationem fieri; ſicuti exigunt tùm animæ rationales, tùm Angeli ipſi, undè nec unus Angelus alium, nec ullus Angelus animam rationalem valet producere; & habent quidem inter ſe Angeli entitativam at non cauſativam proportionem.

47. Virtus eductiva meliùs excluditur ab Angelis argumento negativo, quàm poſitivo.

Probatur ſecunda pars argumento negativo, argumentum enim poſitivum efficax nobis non ſuppetit, cum ex unâ parte nobis plenè non conſtet omnis virtus Angelorum, & ex aliâ parte nulla appareat repugnantia in eo, quòd detur ſubſtantia ſpiritualis continens eminenter formas ſubſtantiales materiales & potens ipſas ex materiâ educere, adeóque habens virtutem eductivam, dici igitur fortè poſſet talem virtutem ineſſe Angelis, quamvis nobis non innoteſcat. Probatur, inquam, ſecunda pars argumento negativo: Nulla eſt neceſſitas concedendi Angelis virtutem eductivam formarum ſubſtantialium; ergo ex communi regulâ non multiplicandi ſine neceſſitate entitates, & virtutes, non eſt concedenda Angelis talis virtus, & conſequenter non poſſunt Angeli educere ex materiâ formam ſubſtantialem. Probatur antecedens; talis neceſſitas nec habetur à poſteriori ex parte formarum, quia quoties aliqua forma ſubſtantialis educitur præſens eſt aliqua ſubſtantia materialis ejuſdem rationis, in quam meliùs quàm in Angelum refundi poteſt eductio; quòd ſi aliquando deſideratur præſentia talis materialis ſubſtantiæ, meliùs tribuitur eductio Deo, quàm Angelo; ad Deum enim, non ad Angelum ſpectat ſupplere abſentiam rerum materialium, & incongruè tribueretur Angelis virtus, quam exercere poſſent ſolum in

48. rerum materialium abſentiâ. Nec habetur eadem neceſſitas à priori ex parte Angelorum, quia nullum prædicatum Angelicum neceſſariò infert virtutem eductivam formarum ſubſtantialium: Non enim id infert major perfectio ipſorum ſuprà formas materiales quia facili inductione patet non quamcumque rem perfectiorem eſſe productivam cujuſcumque rei imperfectioris: Non ſpiritualitas & intellectivitas, quia ſecùs etiam animæ rationali conveniret virtus eductiva formarum; & licèt Deus qui ſpiritualis & intellectivus eſt, poſſit formas educere, id tamen non poteſt titulo ſpiritualitatis & intellectivitatis præciſè, ſed titulo cauſæ primæ & infinitæ ſibi proprio, non communi Angelis, quibus aliquo modo communis eſt ſpiritualitas & intellectivitas: Non denique ullum aliud eorumdem prædicatum, puta eſſe ſimplex, eſſe completum, &c. quia in his prædicatis non relucet ulla ſpecialis connexio cum eductione formarum; item quia quodcumque in Angelis prædicatum aſſignetur pro radice virtutis formarum eductivæ, tale prædicatum non habebit majorem proportionem ad unam, quàm ad aliam formam; ſicque ex eo capite, ex quo probaretur Angelum poſſe educere aliquas, concluderetur poſſe educere quaſcumque formas, ex quo ſequeretur Angelis materiam corpoream obedire ad nutum, eiſque totum materialem orbem plenè ſubeſſe contrà illud Heb. 2. *Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ.*

Aſſert. 2. Angeli non poſſunt producere formas accidentales corporeas exceptis nonnullis pertinentibus ad motum localem. Ità D. Thomas 1. *p.q.*110.*art.*2. *ad* 3. *& art.*3. 49.
Angeli nequeunt producere formas accidentales.
ad 2. item 3. *contrà Gentes cap* 103. Lugus *cap. præcit. num.* 15. Valquez *diſp. præcit. cap.*3. Arriaga *diſp. præcit. ſect.*3. *&c.* Contrà Auctores in aſſerto ſuperiore relatos, inter quos Avicennas ſenſit ſubſtantias ſeparatas eſſe cauſis naturalibus efficaciores ac potentiores in ordine ad producendos quoſcumque accidentales effectus: Inſuper contrà nonnullos Thomiſtas docentes Angelos producere poſſe qualitates quaſdam corporeas, quas vocant inſtrumentarias, eo quòd ſint veluti inſtrumenta inferioribus corporibus à ſuperioribus agentibus impreſſa. Itē contrà Averſam 1.*p.q.*51. *ſect.*3. exiſtimantem Angelos fortaſſe poſſe efficere lucem, & cum luce quoſdam colores diverſos ab iis, qui ex primarum qualitatum mixtione reſultant.

Dixi *formas accidentales corporeas* ad excipiendas qualitates ſpirituales, quarum aliquas poſſe in ſeipſis Angelos producere certum eſt in ſententiâ aſſerente actus vitales eſſe qualitates, aut actiones productivas termini immanentis qui ſit qualitas: præſcindendo tamen etiam ab hac ſententia ſaltem mediis actibus intellectus producunt Angeli in ſe ipſis ſpecies intentionales ex hujuſmodi actibus in memoriâ relictas. 50.
Exceptis nonnullis qualitatibus ſpiritualibus.

Dixi *exceptis nonnullis pertinentibus ad motum localem*, cujuſmodi eſt ubicatio in ſententiâ aſſerente ipſam eſſe entitatem ſimplicem realiter diſtinctam à loco, & locato: Item in omnium ſententiâ impulſus ſeu impetus, quem motor extrinſecùs imprimit mobili, dum iſtud movet ſaltem propellēdo, & projiciendo in locum diſtantem, nam utrū Angelus etiam impulſum imprimat dum aut
Et nonnullis etiam materialibus ſpectātibus ad motum localem corporum.

movet corpus, cui manet conjunctus, aut detinet pondus in aëre, parùm refert ad præſens inſtitutum, pro quo ſufficit ſcire poſſe Angelum talem impulſum, quoties neceſſarius eſt, imprimere, ſicuti de facto ipſum imprimit in motu projectorum. Ratio concedendi Angelis in ordine ad corpora productionem ubicationis, & impulſus, eſt quia cui conceditur principale concedi pariter debet acceſſorium, cum igitur concedatur Angelis potentia locomotiva corporum concedenda iiſdem eſt productio ubicationis & impulſus, quæ conſequitur potentiam locomotivam tanquàm acceſſorium principale, imò tanquam exercitium quoddam ſecundarium ipſius potentiæ locomotivæ. Sic explicatum aſſertum

51. Probatur à paritate formarum ſubſtantialium: Non enim eſt major neceſſitas tribuendi Angelis virtutem eductivam accidentalium formarum, quàm ſubſtantialium, ut conſtare poteſt aptanti formis accidentalibus doctrinam ſuprà allatam pro formis ſubſtantialibus. Neque dicas, hinc probaretur Angelum, ſicuti nullam prorsùs poteſt producere formam ſubſtantialem, ità etiam nullam prorsùs poſſe producere formam accidentalem, neque etiam aut ſpiritualem aut pertinentem ad motum localem. Contrà enim ut communiter dici ſolet, *exceptio firmat regulam*, exceptio igitur facta aliquarum accidentalium formarum firmat regulam pro reliquis in ordine ad paritatem formarum ſubſtantialium: Neque nos talem paritatem urgemus niſi cum exceptione poſitâ in aſſerto; cum pro formis accidentalibus ibi exceptis, non pro reliquis militet ſpecialis diſparitas & neceſſitas; ratione cujus in ordine ad illas, non in ordine aut ad reliquas formas accidentales, aut ad formas ſubſtantiales concedi debet Angelis virtus eductiva ſeu productiva. Ex quo patet obiter Angelos ſimpliciter & abſolutè magis eſſe activos accidentaliter, quàm ſubſtantialiter; imò ſubſtantialiter ſeu in ordine ad terminum ſubſtantialem nullatenùs eſſe activos; eſſe verò aliqualiter activos accidentaliter, ſeu in ordine ad terminum accidentalem.

Angeli ſunt activi in ordine ad accidentia, non in ordine ad ſubſtantias.

---

§. VI.

Quomodo Angeli præſertim mali miranda quædam & inſolita operentur circà res corporeas?

52. ASSERT. Duplici ut plurimùm modo Angeli, præſertim mali, miranda quædam & inſolita operantur circà res corporeas. Primus eſt tranſmutando realiter res corporeas per applicationem activorum paſſivis. Secundus eſt tranſmutando eaſdem phantaſticè per illuſionem ſenſuum. Ità D. Thomas 1. *p.* *q.* 110. *art.* 4. 2. 2. *quæſt.* 178. *art.* 1. *ad* 2. *&* *art* 2. clariùs verò *quæſt.* 6. *de potentia a.* 5. *in corp.*

Probatur & explicatur primus modus: Angeli ſivè boni ſivè mali habent potentiam locomotivam validam & expeditam; ratione cujus poſſunt mirâ celeritate movere & ab uno loco ad alium transferre res corporeas: habent item virtutem intellectivam perſpicacem & excellentem, ratione cujus res omnes naturales comprehendendo exactè norunt ipſarum proprietates & vires; item effectus qui non ſolùm ex ipſis ſingulis, verùm etiam ex pluribus ſimul attemperatis ſequi poſſunt. Facile eſt igitur Angelis ſtatim inducere productionem alicujus effectus etiam ubi naturalis illius cauſa præſto non eſt, transferendo aliundè ipſius cauſam naturalem; puta ſereno undique Cœlo ſubitas ciere pluvias, nubes aquis gravidas aliundè citiſſimè transferendo; aridum pulverem in ſerpentes & ranas convertere, per varias cauſarum naturalium agentium & patientium applicationes diſponendo & præparando materiam; ſubitam ſanitatem aliquibus morbis contrà omnem medicæ artis curam pertinacibus afferre, applicando etiam inſenſibiliter virtutem alicujus cauſæ naturalis hominibus etiam naturalium rerum periſſimis occultæ. Quæ & ſimilia miranda & inſolita ſunt nobis, qui aut talium cauſarum virtutes ignoramus, aut ipſas invenire & tanta celeritate applicare non valemus.

Primus modus quo Angeli miranda & inſolita operantur.

Probatur & explicatur ſecundus modus: 53.
Poſſunt Angeli, ut etiam ſuprà *in hujuſce capitis limine* præmiſſum eſt per ſenſuum aut exteriorum aut interiorum illuſionem cauſare apparitiones phantaſticas; & res quæ aut nuſquam ſunt aut non ſunt præſentes variâ medij alteratione, variâ ſpecierum commotione & commixtione tanquam exiſtentes & præſentes objicere. Facilè hoc modo eſt Angelis, præſertim malis, quibus familiare eſt illudere ac decipere, in medium proferre ſpectra & monſtra variarum rerum ſpecies ſimul excitando ad repræſentandas varias res per modum unius, & tanquam unum objectum in re monſtroſum & chymæricum cõſtituentes: Res indiſtantes tanquam diſtantes, aut è contrà repræſentare excitando ſpeciem ingentis ſpatij magnique corporis tanquam inter tales res interjecti, aut è contrà excitando ſpecies talium rerum non excitatâ ſpecie ſpatij corporiſvè interjacentis. Quæ & ſimilia à nobis propriorum ſenſuum illuſionem, & inordinatam ſpecierum excitationem non animadvertentibus apparent tanquam verè à parte rei poſita, ſicque jure cenſentur miranda & inſolita.

Secundus modus.

Circà duplicem mox explicatum modum 54.
operandi miranda & inſolita adverte utrumque exerceri ab Angelis per potentiam locomotivam, nec in effectibus quibuſcumque inſolitis virtute Angelicâ naturali præſtitis aliud Angelos immediatè cauſare, quã motum localem: Nam & applicatio quæcumque activorum paſſivis ſeu cauſarum naturalium agentium cauſis naturalibus patientibus haberi poteſt per motum localem talium cauſarum: & medij alteratio, ſpecierumque ac phantaſmatum inordinata commixtio

Angeli ſolo motu locali miranda & inſolita operantur.

mixtio aut excitatio induci poteſt per motum localem alicujus novæ entitatis in medium delatæ, ſpecierumque ac phantaſmatum, aut organorum, in quibus ſpecies & phantaſmata reſident, commotionem. Sicque nullus effectus quantumvis mirandus & inſolitus, qui naturaliter ab Angelis cauſetur in rebus corporeis arguit in illis virtutem majorem, quàm locomotivam circà res corporeas.

Mali Angeli poſſunt naturaliter operari miracula falſa.

Ex dictis habetur poſſe malos Angelos facere falſa miracula veris ſimilia: plura enim miranda & inſolita opera quæ ab ipſis præſtantur, habent ſpeciem aliquam veri miraculi, & videntur fieri modo excedente naturæ vires, quia vel quæ phantaſtica ſunt, videntur realia; vel quæ ſunt facta applicatione cauſarum naturalium, videntur facta immediatè ſolo imperio Angelicæ voluntatis, ſolave efficaciâ Angelicæ virtutis: ſunt igitur falſa miracula, & ſolùm ex noſtrâ aut ignorantiâ aut inadvertentiâ aut deceptione apparent vera. Et hic obſervanda eſt ſuavitas providentiæ Dei, qui ne dæmonum verſutia quaſi violentam, & irreparabilem hominum deceptionem inducat, ſemper relinquit indicia quibus vera & falſa miracula poſſint ab invicem diſcerni, nam, ut

55\. Diſcretio inter vera & falſa miracula.

Eſtius *in 2. diſtinct. 7. §. 19.* advertit, *Exodi 7. & 8.* Moyſes Dei Miniſter certò prædicare potuit quid facturus eſſet, quod Magi Pharaonis non potuerunt; potuit plagas immiſſas auferre, quod iſti non potuerunt, licèt potuerint plagas immittere; nullum ſignum fruſtrà tentavit, cum iſti in tertio ſigno defecerint, nec ultrà tertium ſignum progredi valuerint; quibus indiciis ſufficienter oſtendebatur opera Moyſis fuiſſe vera miracula provenientia à virtute divinâ, opera verò Magorum provenientia à malis Angelis fuiſſe miracula falſa. Deindè independenter etiam à particularibus indiciis non deſunt generales quædam regulæ diſcernendi inter vera & falſa miracula, puta quod iſta aut admirationi ſolùm & curioſitati deſerviunt, aut in hominum detrimentum potiùs quàm emolumentum redundant, aut emolumentum afferunt merè temporale, &c. quæ contrario modo ſe habent in veris miraculis.

Dubitatur hîc: Vtrùm virtute divinâ per malos Angelos aliquando fiant vera miracula: Dixi *virtute divinâ* nam virtute propriâ nec per bonos, nec per malos Angelos, nec per ullam aliam creaturam poſſe vera miracula fieri certiſſimum eſt: Mira-

56\. Quid requiratur ad verum miraculum.

culum quippè juxta Divum Thomam *1. part. quæſtione 110. articulo 4. in corp.* debet fieri præter ordinem totius naturæ creatæ, quod magis explicantes Theologi duo requirunt ad rationem veri miraculi, nimirum quod ſit quid inſolitum, & quod excedat vires totius naturæ creatæ; quidquid autem Angelus operatur virtute propriâ cum non excedat vires naturæ Angelicæ, utique non excedit vires totius naturæ creatæ, & ex hoc capite deficiet à ratione veri miraculi, quamvis eſſe poſſit quid inſolitum. Dixi *per malos Angelos* nam quòd per Angelos bonos aliquando virtute divinâ miracula fiant, narrant plures hiſtoriæ & cum ipſis ut Miniſtris fere ad inſigniora quæcumque opera Deus utatur, congruum eſt quod etiam ipſorum miniſterio aliquando operetur miracula. Diverſa eſt ratio de Angelis malis, qui, cum ſint vaſa contumeliæ, non debent à Deo ad opera inſigniora adhiberi, & cum ſint hoſtes infenſiſſimi humanæ ſalutis non debent fieri miniſtri miraculorum, quæ ad humanam ſalutem promovendam maxime ordinantur. Re- 57.

Per malos Angelos nô fiunt virtute divinâ vera miracula.

ſpondetur igitur ad dubium negativè, & ſuadetur negativa reſponſio primò ex ratione mox præallatâ, quæ corroborari poteſt ex eo quod boni Angeli ſunt filij lucis & amatores veritatis, mali Angeli è contrà filij tenebrarum, & auctores mendacij ac falſitatis; per illos igitur, non per iſtos congruit fieri vera miracula quæ ſolent poni in teſtimonium veritatis; & cum non poſſit falſa doctrina veris miraculis confirmari, concedendum non eſt fieri vera miracula à dæmonibus, qui ipſis facilè abuterentur in confirmationem ſuorum mendaciorum. Secundò argumento negativo ex eo quòd nulla ſit ſpecialis neceſſitas concedendi aliquod verum miraculum factum per dæmones virtute divinâ, & licèt dæmonum arte plura fiant miranda & inſolita, poſſunt tamen omnia refundi aut in applicationem activorum paſſivis, aut in illuſionem ſenſuum juxtà doctrinam ſuperiorem.

Dices: Teſtantur hiſtoriæ & fatentur Patres apud Eſtium *in 2. diſtinctione 7. § 18.* fieri vera miracula ab hominibus etiam pravis, Pſeudoprophetis, hæreticis, ſchiſmaticis; at nec eſt veriſimile ab his facta eſſe miracula abſque cooperatione dæmonum, quorum ipſi ſunt conſortes & Miniſtri; nec videtur negandum malis Angelis, quod conceditur malis hominibus malorum Angelorum aſſeclis, ergo neceſſe eſt admittere, quòd etiam per malos Angelos fiant aliqua vera miracula. Sed contrà: non quidquid 58.

operantur pravi homines etiamſi infideles, operantur ex opere & cooperatione dæmonum, alioqui omnia infidelium opera eſſent peccata, quod damnatum eſt. Admitto igitur per pravos homines fieri aliqua vera miracula, at nego quod aut fiant ex ſpeciali cooperatione malorum Angelorum, aut inde valeat paritas ad malos Angelos, ad quos extendendum non eſt privilegium miraculorum ex ſola aliquali congruentia paritatis, & hæc ad ſummum ſuadet non repugnare de potentiâ abſolutâ fieri virtute divinâ vera miracula etiam per dæmones: at quo ad de facto nihil probat; quia in rebus facti præſertim à liberâ & extraordinariâ Dei providentiâ provenientibus infirmum ex ſe & invalidum argumentum eſt paritas.

Fiunt tamê aliquando per malos homines.

In rebus facti male arguitur à pari.

Dubitatur inſuper vtrùm ſaltem aliquo dæmonum miniſterio aliquando Deus utatur

in

in faciendis veris miraculis. Reſpondetur
59. probabile eſſe quòd ſic ratiu eſt quia ex unâ parte valdè credibile eſt id evenire in inſignioribus quibuſdam punitionibus hominum inſigniter ſceleratorum; indicat hoc Auguſtinus in verba illa Pſalm. 77. *Immiſſiones per Angelos malos*: Ex alia parte non quodcumque miniſterium ab aliquo præſtitum in miraculu ſufficir ut dicatur miraculum per ipſum fieri; ſie quemadmodum advertit Eſtius *in* 2. *diſtinctione* 7. §. 20. ex *Act.* 19. Quidam à corpore Pauli delata ſudaria languidis imponebant, & ſtatim recedebant languores, nec tamen illi ſudaria deferentes & imponentes dicebantur facere miracula, ſed Paulus cujus ſanctitatem talia miracula denunciabant: Licèt igitur concedatur aliquod dæmonum miniſterium in miraculis; non ideò conſequens eſt ipſos virtute divinâ facere talia miracula ut potè quæ nec denunciant ipſorum ſanctitatem; nec ab ipſis ordinantur ad confirmandam aliquam veritatem, aliumvè eximium finem.

Concedi poteſt aliquod dæmonum miniſteriū in miraculis.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

DE POTENTIIS INTELLECTIVA, Volitivâ, & Locomotivâ Angelorum.

OPTIMA hominis parte quælibet pars Angeli melior eſt: Totus quippè Angelus eſt Intelligentia, totus eſt mens hominis intelligentiâ & mente nobilior; & adeò Angelica natura humanæ præeminet ut in iis etiam, quæ ſunt utrique communia, ſortiatur illa privilegium præeminentiæ ſingularis: Angelicæ quippè intelligendi, volendi, & movendi facultates ita Inter ſe ſingulæ certant de propriæ conditionis præſtantia ut inter ſe omnes conſentiant de perfectionis propriæ præcellentia; quâ ſibi ſimiles facultates in alia qualibet creatura repertas longè ſuperant & excedunt. Hic relucet eximiè veritas Pythagorici dogmatis tribuentis ternario numero aptitudinem maximam ad agendum: In relata quippe Angelicarum facultatum triade proditur ſumma agendi efficacia; nec ulla res eſt quæ ſub hujus ternarij activitate non cadat, quæve tùm mentis angelicæ aciem, tùm voluntatis angelicæ ſphæram, tùm motionis angelicæ vim ſubterfugiat: Neque aut intellectui à ſenſibus, aut voluntati à materiali appetitu, aut virtuti motivæ à mole corporea aliquod imminet præjudicium & detrimentum, ubi nulla potentia patitur aut cum materia affinitatem, aut à materia dependentiam. Vt mox per ſingulas potentias, ſingularumque potentiarum perfectiones & operationes diſcurrendo pleniùs innoteſcet. Ideò ſit

CAPUT I.

De ſpeciebus intellectus Angelici, & ipſo intellectu Angelico ſecundùm ſe.

1. QVæ intellectus prior ſit ſpeciebus in ipſo receptis ordo doctrinæ videbatur poſtulare ut priùs de intellectu ſecundùm ſe, poſteà de ejuſdem ſpeciebus ageretur: Nihilominùs placuit in titulo ſpecies intellectui præponere eo quòd ea quæ ſpectant ad intellectum Angelicum ſecundùm ſe partim non ſint in præſenti examinanda, ſed ſupponenda tanquam aut certiſſima, aut purè philoſophica & intellectui cuicomque communia; partim non poſſint rectè examinari niſi dependenter à notitia ſpecierum ipſi inſervientium. Propterea nõnullis in hujus capitis limine ſuppoſitis de intellectu Angelico ſecundùm ſe ferè totum caput inſumemus in perquirendo quales ſint ſpecies intellectuales Angelicæ, ex his deinde inferemus quæ deſiderabuntur circa eundem intellectum Angelicum ſecundùm ſe.

Supponendum primò reſpectu Angelorum *Intelligentiam* eſſe nomen Naturæ, ſicuti *Angelus* eſt nomen officij, & pro certo habendum ipſos eſſe ſubſtantias verè intellectuales; nec ullus eſt qui conceſſerit Angelos eſſe & negaverit ipſos eſſe intelligentes. Sacra etiam Scriptura tribuendo Angelis demeritum, meritum, culpam, gloriam, hominum cuſtodiã, aliaque hujuſmodi, quæ ſine intellectualitate haberi non poſſunt, facit eſſe expreſſam fidei veritatem Angelicum intellectum. Imò Angeli ſunt non ſolùm verè ſed etiam purè intellectuales; cum enim ipſi ex ſupradictis ſint purè ſpirituales, nec poſſint habere ullam actionem vitalem materialem conſequens eſt quòd non poſſint habere cognitionem niſi ſpiritualem, quod eſt idem ac dicere niſi intellectualem; at hoc eſt Angelos eſſe purè intellectuales; ergo: & hinc patet obiter cur Angelo, non animæ rationali tribuatur nomen Intelligentiæ, quia ſcilicet hæc utpotè nomen abſtractum ſignificat intellectualitatem puram quæ Angelo, non animæ convenit. 2.

Angeli ſunt purè intellectuales & ideò intelligentiæ.

Supponendum ſecundò potentiam intellectivam Angelicam nec eſſe formaliter ipſam ſubſtantiam Angeli, nec eſſe realiter ab Angeli ſubſtantia diſtinctam; ſed à tali ſubſtantia diſtingui formaliter & cum eadem realiter identificari: Neque in hoc eſt 3.

Quid ſentiendum de diſtinctione intellectus & intellectionis

Angelo, & ab ipſorum ſubſtantiâ. diverſitas aliqua inter intellectum Angelicum comparatum ad ſubſtantiam Angeli, & intellectum humanum comparatum ad ſubſtantiam animæ: Quoad diſtinctionem etiam actualis intellectionis Angelicæ tùm ab ipſius intellectu, tùm ab ipſius ſubſtantiâ; item quoad formale conſtitutivum talis intellectionis, utrùm ſcilicet iſta in actione an in qualitate conſiſtat? Idem proportionaliter ſentiendum ac de intellectione humanâ: Neque ubi eadem eſt utriuſque ratio, ſunt hic ſpecialiter agitanda ea quæ de intellectu & intellectione agitari ſolent in libris animaſticis.

4. Supponendum tertiò nihil referre ad neceſſitatem & indigentiam ſpecierum, quòd intellectus diſtinguatur vel non diſtinguatur à ſubſtantiâ principij intelligentis: Neceſſitas enim & indigentia ſpecierum oritur ex objecto, ſeu ex concurſu quem debet præſtare objectum, propter illud decantatum *ex objecto & potentia gignitur notitia*: Ideò cum concurſus objecti non pendeat ab eo, quòd intellectus diſtinguatur à ſubſtantia intelligentis neceſſitas & indigentia ſpecierum non magis exigit diſtinctionem, quàm indiſtinctionem intellectus, &c. Neque ex eo quod contrà Thomiſtas ſentiamus, dum ſupponimus realem indiſtinctionem intellectus Angelici à ſubſtantia Angeli, cogimur contrà eoſdem ſentire negando intellectui Angelico neceſſitatem & indigentiam ſpecierum: Accedit quòd eadem eſt ratio de intellectu humano, cui tamen ſpecies intentionales concedunt illi etiam qui ipſum à ſubſtantia animæ realiter non diſtinguunt.

---

§. I.

Afferuntur & refelluntur varij modi negandi intellectui Angelico ſpecies intentionales.

5. ASSERTUM 1. Intellectus Angelicus non eſt ex ſe, ſeu ex propriâ efficacitate ſufficiens ad intelligenda abſque ullo concurſu objectivo objecta ſibi propria & ſuis naturalibus viribus accommodata. Eſt contrà Durandum *in 2. diſtinctione 3. quaeſt. 6.* & Vaſquium *hic diſputatione* 200. *capite* 3. *num.* 11. ubi tamen cum aliquâ perplexitate loquitur: tanquam ejuſdem cum Durando & Vaſquio ſententiæ recenſeri ſolent Nominales; ſed hi quamvis negent abſolutè ſpecies in intellectu Angelico, admittunt, ſicut notat ipſe Vaſquez *diſput. præcit. capite* 1. *num* 3. *&* 4. cognitionem intuitivam objecti præſentis ab ipſo objecto partialiter cauſari, adeòque non excludunt omnem concurſum objectivum, nec ſentiunt directè contrà noſtrum aſſertum, quod

Refellitur primus modus negandi ſpecies in intellectu Angelico. Probatur: Reſpectu Intellectionis etiam Angelicæ debet verificari quòd gignatur ex potentiâ & objecto; at ſi intellectus Angelicus eſſet ex ſe, & ex propriâ efficacitate ſufficiens ad intelligenda abſque ullo concurſu objectivo, &c. intellectio Angelica nullatenus gigneretur ex objecto; repugnat enim in terminis gigni ex objecto, quod gignitur abſque ullo concurſu objecti, ergo intellectus Angelicus non eſt ex ſe, &c. Major probatur primò quia illud commune proloquium *Ex objecto & potentiâ gignitur notitia* ſolet indefinitè, & conſequenter in ordine ad quamcumque notitiam pronunciari: Secundò quia rationes, quibus proloquium illud innititur, nimirum quòd intellectus intelligendo fiat objectum; quòd ut attingat hoc potiùs quàm illud objectum, indigeat aliquo intrinſeco determinativo; quòd in intellectione ultrà vitalitatem correſpondentem potentiæ detur aliqua formalitas correſpondens objecto, vis ſcilicet objecti repræſentativa; militant etiam reſpectu intellectionis Angelicæ: Tertiò quia 6.
gigni ex potentiâ & objecto verificatur ſuo modo etiam reſpectu divinæ intellectionis, reſpectu cujus ultrà objectum terminativum aſſignatur objectum motivum, & divina eſſentia ſupplet perfectiſſimo modo ſpeciem cujuſcumque creati objecti; ergo multo magis debet id verificari reſpectu intellectionis Angelicæ; neque enim vis & efficacitas intellectus Angelici poteſt eſſe major eâ intellectus divini, aut illi concedi poteſt titulo perfectionis aliquid, quod huic non concedatur.

Hinc habetur Vaſquium *cap. 3. præcit. numero* 9. malè docere quòd objectum ſufficienter determinet intellectum & ad intellectionem concurrat per hoc quòd exteriùs exiſtens intellectionem terminet; malè inquam quia per hoc nec ſalvatur concurſus effectivus objecti in intellectionem; nec ejuſdem objecti communiter recepta diviſio in motivum, & terminativum.

Aſſert. 2. Angelus non intelligit alia à ſe 7.
per propriam eſſentiam tanquam ſpeciem & ſpeculum repræſentativum rerum omnium naturaliter ab Angelo cognoſcibilium. Eſt contrà Bachonem *in 2. diſtinct. 6. quaeſt.* 1. *art.* 4. §. 1. Altiſiodorenſem *lib. 2. ſumm. tr.* 5. *cap.* 4. Vldaricum *lib. 4. ſumm.* alioſque nonnullos, quibus ex Recentioribus favet Arriaga *hic diſput. 5. ſect. 1. num. 6.* docens non repugnare unam ſubſtantiam, quæ ſit ſpecies impreſſa omnium objectorum. Refellitur ſecundus modus negandi eaſdem ſpecies.

Dixi *alia à ſe* nam utrùm ſeipſum quilibet Angelus per propriam eſſentiam cognoſcat eſt difficultas diverſa infrà examinanda *cap. 2. §. 2.*

Dixi *per propriam eſſentiam tanquam ſpeciem*, duobus enim aliis modis poteſt Angelus cognoſcere alia à ſe per propriam eſſentiam: Primò ſcilicet per propriam eſſentiam tanquam per medium cognitum & inſtar cujus alia cognoſcat; hunc modum dicendi refert Divus Thomas *quaeſtione 8. de verit. art. 7. in c.* Secundò per propriam eſſentiam tanquam per principium vitale primarium & *Quod*: Neuter ex his modis facit 8.
ad rem in præſenti, quia loquitur de medio, quo Angelus cognoſcit alia à ſe intuitivè & immediatè; primo autem modo pro- Duplex modus quo Angelus intelligit

pria

Per propriam eſſentiam. pria eſſentia ducere poteſt Angelum in aliorum cognitionem abſtractivam ſolùm & mediatam; ſecundo modo eadem eſſentia non ſe habet ut medium *quo*, ſed ut principium *Quod*, & hac ratione nec qui aſtruunt in Angelis intelligibiles ſpecies, nec qui ponunt intellectum Angelicum nullo indigere objectivo concurſu, negant Angelum omnia intelligere per propriam eſſentiam; unde immeritò ab aliquibus confunditur ſententia Vaſquij cum ſententia Bachonis, & Vaſquez ipſe *diſputatione* 205. *cap.* 2. *num.* 12. explicans modum, quo Angelus ſe ipſum per propriam eſſentiam intelligat, ait conſiſtere in eo, quòd propria eſſentia ſit remotum & commune principium intellectionis ſui, ſicuti eſt aliarum operationum, à fortiori igitur hoc ſolùm intendit, ſi aliquando ait Angelum per eſſentiam ſuam intelligere alia à ſe: Sic explicatum aſſertum

Probatur: eſſentia Angeli non eſt tanquam ſpecies & ſpeculum repræſentativum, &c. ergo Angelus non intelligit alia à ſe per propriam eſſentiam tanquam ſpeciem, &c. probatur antecedens; eſſentia Angeli reſpectu rerum naturaliter ab Angelo cognoſcibilium, neque eſt tanquam ſpecies formalis, neque tanquam ſpecies eminens: Non tanquam ſpecies formalis, quia hæc eſt entitas per ſe & ab intrinſeco inſtituta ut repræſentet, non ut ſit; ut inſerviat alteri tanquam inſtrumentum, non ut operetur nomine proprio tanquam agens principale; ſubſtantia autem Angeli eſt per ſe & ab in-
9. trinſeco inſtituta ut ſit & ut operetur nomine proprio: Non etiam tanquam ſpecies eminens (quomodo divina eſſentia eſt ſpecies eminens rerum omnium, & quodlibet objectum dici poteſt ſpecies eminens ſui ipſius) quia id quod ſe habet tanquam ſpecies eminens debet eminenter continere eſſe intentionale illius, cujus eſt ſpecies eminens; & quia eminentia maximè relucet in cauſalitate debet poſſe producere intentionalem ſimilitudinem & ſpeciem formalem ipſius, ſic divina eſſentia poteſt cauſare ſpecies formales rerum omnium, & quodlibet objectum ſpeciem formalem ſui; atqui eſſentia Angeli non continet eminenter eſſe intentionale rerum omnium naturaliter ab Angelo cognoſcibilium, nec poteſt talium omnium rerum ſpecies formales producere ut patebit *ex ſequenti* §. 4. ubi oſtendetur ſpecies intentionales non emanare ex eſſentiâ Angeli, ergo verè eſſentia Angeli non eſt ſpecies eminens, &c.

10. Hoc argumentum habet vim etiam in ordine ad potentiam abſolutam; & quidem quod ſimpliciter repugnet eſſentiam Angeli eſſe ſpeciem eminentem aliarum rerum à ſe, probatur ex eo quia continentia intentionalis quando eſt eminens ſupponit cōtinentiam entitativam & phyſicam, imò eſt quid iſta perfectiùs undè etiam ut attigimus *tractat.* 1. *libro* 2. *capite* 1. *numero* 3. cauſa ſecunda non continet intentionaliter ſuos effectus quos continet phyſicè, atqui ſimpliciter repugnat ſubſtantiam Angeli *Repugnat ſimpliciter propriam eſſentiam inſervire Angelo tāquam ſpeciem ad intelligenda alia à ſe.* continere entitativè & phyſicè res omnes ab Angelo naturaliter cognoſcibiles; ergo ſimiliter repugnat quòd eaſdem contineat continentia intentionali eminenti, ſicut requiritur ad ſpeciem eminentem: Quòd item repugnet eſſentiam Angeli eſſe earumdem rerum ſpeciem formalem probatur ex eo, quia dato quòd ratio ſpeciei non ſolùm eminentis, verùm etiam formalis, poſſit convenire ſubſtantiæ, certè non poteſt convenire niſi ſubſtantiæ, quæ primò & principaliter inſtituta ſit ad repræſentandum, quod repugnat eſſētiæ Angeli quæ primò & principaliter eſt gratiâ ſui & inſtituta ut ſit.

Hinc fit Bachonem §. 1. *pracit.* Inutiliter laborare, dum infert eſſentiam Angeli poſſe non obſtante ſua limitatione repræſentare omnia ab Angelo naturaliter cognoſcibilia, ſicuti id poteſt in aliorum ſententia aut una limitata ſpecies, aut unus limitatus habitus. Inutiliter, inquam, quia vel Sermo eſt de repræſentatione eminenti, & hæc neque in habitu neque in ſpecie reperitur, ideò in ordine ad hanc repræſentationem non habet vim argumentum deſumptum à ſpecie & habitu; vel Sermo eſt de repræſentatione formali ſeu virtuali, & hanc libenter admitto poſſe in ordine ad plura, imò in ordine ad infinita reperiri in re finitâ, & conſequenter non repugnare eſſentiæ Angeli titulo limitationis; at repugnantia aliundè oritur, nimirùm ex eo quòd talis formalis ſeu virtualis repræſentatio convenire non poſſit niſi rei primò & principaliter inſtitutæ ad repræſentandum. 11.

Aſſert. 3. Angelus non intelligit per habitum aliquem ſcientialem ſibi concreatum. 12.
Eſt contrà Henricum *in ſum. quæſt.* 2. *art.* 4 1. *n.* 1. 1. *& quodlib.* 5. *q.* 14. §. *Idcirco*, ubi ait. Id quod apud intellectum Angelicum eſt ex parte intelligibilis præſēs intellectui eſt habitus ſcientialis ſibi connaturalis, & à Deo naturaliter concreatus ad intelligendum ſub ratione intelligibilis ſuam eſſentiam & cujuſlibet alterius creaturæ, & univerſaliter quidquid naturali cognitione cognoſcibile eſt in creaturis: Solemnis Doctoris ſententiam ſequuntur Henricus Burgus *paradoxo* 4. & alij ejuſdem Scholæ, illam etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam probabilem cenſet Bachonius *in* 2. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 4. §. 2. *Refellitur tertius modus negandi ſpecies in intellectu Angelico.*

Adverte hic in ſententia à nobis etiam admiſſa non diſtinguente ſcientias præſertim naturales à ſpeciebus intenſis idem quo ad rem eſſe ponere concreatas Angelo ſpecies rerum omnium naturaliter ab ipſo cognoſcibilium, ac ponere eidem concreatum habitum ſcientialem, & ſi hic eſſet ſenſus Henrici haberemus cum ipſo diſſidium purè vocale; at ipſe aliter accipit ſcientialem habitum, & vult eſſe aliquid à ſpeciebus diverſum, quia illum admittendo in intellectu Angelico, iſtas in eodem negat; In hoc ſenſu ſcientialem habitum rejicimus, & contendimus non poſſe eſſe id, quo Angelus intelligit aut conſtituitur in actu primo proximo intelligendi.

13. Probatur aſſertum primò: Habitus ſcientialis Angelo concreatus eo ipſo quod eſt quid diverſum à ſpeciebus intentionalibus, ſe tenet præciſè ex parte potentiæ nullatenus ex parte objecti, quidquid enim ex parte objecti ſe tenet aut ſpecies eſt aut gerit ſpeciei vices; atqui Angelus non intelligit per aliquid ſe tenens præciſè ex parte potentiæ, nullatenùs ex parte objecti; alioqui contrà ſuprà dicta intelligeret abſque ullo prorsùs concurſu objectivo; ergo Angelus non intelligit per habitum aliquem ſcientialem, &c.

Mihi aliquando Romæ hoc argumentum urgenti contrà habitum ſcientialem publicis theſibus in Henrici Collegio expoſitum reſponſum fuit verè habitum ſcientialem ſe tenere aliquo modo ex parte objecti & præſtare concurſum objectivum; at dici non poſſe ſpeciem, quia ſpecies nata eſt produci ab eo cujus eſt ſpecies, ideò eſt tantummodò rerum exiſtentium, quæ aptæ ſunt producere ſui ſimilitudinem; habitus autem ſcientialis in Angelo datur ſolùm in ordine ad cognoſcendas res poſſibiles & eſſentias præſcindentes ab exiſtentia, quibus non convenit aliquid producere, & quæ ex aliâ parte ſunt proprium objectum ſcientiæ ſeu habitus ſcientialis, nam objectum ſcientiæ debet eſſe neceſſarium cujuſmodi ſunt res poſſibiles, & univerſale cujuſmodi ſunt eſ-

14. Impugnatur Adverſariorum reſponſio.

ſentiæ præſcindentes ab exiſtentiâ: Impugnatur hæc reſponſio primò quia falſum eſt Angelum indigere medio ſolùm ad cognoſcendas res poſſibiles & eſſentias præſcindentes ab exiſtentiâ, & licèt ſpecies ipſæ ſecundùm ſe indifferentes ſint ad exiſtentiam repræſentandam vel non repræſentandam; nos tamen volumus dari in Angelis dumtaxat pro rebus aliquando exiſtentibus, ut infrà *cap.* 2. §. 12. Secundò quia ſatis voluntariè dicitur ſpeciem eſſe ſolùm illius rei, à quâ poteſt produci, & ad ſummum id verum eſt de ſpecie intuitivâ, non de ſpecie abſtractivâ: Tertiò quia reſponſio nomine tenùs negat ſpecies concedendo quoad rem illud totum quod nos ſpecies vocamus, ſcilicet aliquid ſe tenens ex parte objecti, & objectivè concurrens, undè Henricus ipſe non potuit omninò negare ſuo habitui ſcientiali nomen ſpeciei, *quæſt.* enim 14. *præcit.* §. *Quod dicit*, habet hæc verba, *ſed per habitum ſcientiæ qua eſt ſpecies impreſſa alterius generis ab illa, quam negamus*, & paulò infrà, *ex parte vero intellectus intelligitur quoad iſtum locum de ſpecie impreſſa quæ eſt habitus ſcientiæ.*

15. Probatur aſſertum ſecundò. Angelus non intelligit per aliquid, quod non ſit ad intellectionem ſimpliciter neceſſarium; loquimur enim hîc de eo, per quod Angelus intelligit tanquam per quid ſe tenens ex parte objecti, & ſine quo objectum ad intellectionem non concurreret; atqui habitus ſcientialis non poteſt eſſe ad intellectionem ſimpliciter neceſſarius, commune enim eſt cuicumque habitui naturali, ſicuti naturalis eſt ſecundùm Henricum habitus ſcientialis, dari ad facilè, non ad ſimpliciter poſſe; ergo Angelus non intelligit per habitum ſcientialem. Si dicas habitum naturalem dari ad facilè, non ad ſimpliciter poſſe quando tenet ſe præciſè ex parte potentiæ, ſecùs quando etiam ex parte objecti, ſicuti ſe tenet habitus ſcientialis: Impugnaberis quia recurrit doctrina ſuperioris primæ probationis.

Habitus naturales dantur ad facilè non ad ſimpliciter poſſe.

Argui inſuper ſolet contrà habitum ſcientialem, quòd non eſſet naturalis quia infunderetur immediatè à ſolo Deo; quòd non poſſet inſervire ad cognoſcenda plura, quia eſſet una ſimplex qualitas & unica ratio cognoſcendi; quòd deberet eſſe quid infinitum, quia per talem habitum poſſet Angelus tendere in objecta infinita, & erumpere in actus infinitos. Hæc & ſimilia libenter prætereo quia non minùs, quàm contrà habitum ſcientialem, militant contrà ſpecies univerſales à Deo infuſas, de quibus infrà.

---

§. II.

Oſtenditur concedendas eſſe intellectui Angelico ſpecies intentionales.

Assert. Concedendæ omninò ſunt intellectui Angelico ſpecies intentionales. Ità D. Thomas 1. *part. quæſt.* 55. *art.* 2. *in* 2. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 2. *de veritate q.* 8. *art.* 9. *&* 10. Scotus *in* 2. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 10. §. *ad quæſtionem igitur*, & cum utrâque Thomiſtarum ac Scotiſtarum ſcholâ Eſtius *in* 2. *diſtinct.* 7. §. 11. Suarez, Amicus, Lugus, Eſparza, Dequiros, Maderus, Averſa, aliique ferè omnes Recentiores contrà Durandum, Bachonem, Altiſiodorenſem, Henricum, &c. locis relatis *in præced.* §. qui Auctores licèt inter ſe diſſideant circà modum & medium, quo Angeli intelligant conveniunt tamen in eo, quod non intelligant per ſpecies; ſicuti è contrà Thomiſtæ, Scotiſtæ, & Recentiores licèt cohæreant in tribuendis intellectui Angelico ſpeciebus, diſſident deindè in explicando, quorum objectorum & quales ſint iſtæ ſpecies, quod mox per plures paragraphos examinabimus, interim in hoc paragrapho ſufficiat univerſaliter & indefinitè probare ſpecierum intentionalium in intellectu Angelico neceſſitatem, quod ſic 16.

Probatur primò: Angeli nec intelligunt 17. abſque concurſu objectivo; nec intelligunt per concurſum objectivum præſtitum aut à propriâ eſſentiâ, aut ab habitu ſcientiali aut immediatè ab ipſo objecto; ergo intelligunt per concurſum objectivum præſtitum à ſpeciebus intentionalibus, & per conſequens concedendæ omninò ſunt, &c. conſequentia patet, quia non ſupereſt alius modus quo præſtari poſſit intellectui Angelico objectivus concurſus: antecedens quoad tria priora membra, habetur *ex* §. *præced.* quoad quartum membrum probatur ex eo, quod Angeli

Oſtenditur dari in Angelis ſpecies intentionales.

geli intelligunt plura objecta quæ aut ratione non exiſtentiæ, aut ratione diſtantiæ, aut ratione improportionis, nequeunt per ſe ipſa immediatè exercere objectivum concurſum, ut magis conſtabit ex infrà dicendis, præſertim ex eo quòd Angeli ſpecies ab objectis non accipiant.

Dices primò contra primum membrum antecedentis: intellectus Angelicus eſſet ex ſe valdè imperfectus, ſi non poſſet ex ſe & abſque concurſu objectivo in ſuos actus exire, eſſet inquam valdè imperfectus, tùm quia eſſet in ſe cæcus, imò emortuus; tùm quia eſſet ſervata proportione imperfectior, quàm cœleſtia corpora, ille enim ad ſuas connaturales operationes indigeret concurſu inferiorum objectorũ, cum tamen iſta ſuam naturalem activitatem exerceant abſque ullo concurſu inferiorum corporum.

18. Sed contrà: Intellectus Angelicus dici poſſet cæcus & emortuus, ſi in ordine ad intelligendum & vitaliter operandum eſſet aut ex ſe deſtitutus aliquo requiſito ex parte potentiæ, aut ex ſe incapax recipiendi quod requiritur ex parte objecti: Ad paritatem corporum cœleſtium dico deficere ex eo quod in illorum operationibus nihil relucet correſpondens corporibus inferioribus, ſicuti tamen in operationibus, quibus Angelicus intellectus cognoſcit inferiora objecta relucet aliquid objectis inferioribus correſpondens; neque indigere comprincipio ſemper argumentum eſt imperfectionis, alioqui eſſet imperfectio in Deo non poſſe efficere actum vitalem creatum ſine concurſu vitali creaturæ.

Solvitur inſtantia improbans omnẽ concurſum objectivum.

Dices ſecundò contra ſecundum membrum: Eſſentia Angeli continet intentionaliter omne objectum naturaliter ab ipſo intelligibile; ergo quidquid Angelus naturaliter intelliget, intelligit per concurſum objectivum præſtitum à propria eſſentia; antecedens probatur ſicuti principium productivum continet phyſicè omnem effectum à ſe naturaliter producibilem, ita principium cognoſcitivum debet continere intentionaliter omne objectum à ſe naturaliter intelligibile; atqui eſſentia Angeli eſt principium *quod* cognoſcitivum omnis objecti, &c. ergo:

19. Sed contrà: falſum eſt antecedens, cujus probatio ſi quid concluderet, concluderet non ſolùm Angelũ verùm etiam quodlibet principium cognoſcitivum omnia à ſe naturaliter cognoſcibilia per propriá eſſentiam cognoſcere, neganda eſt igitur abſolutè major propoſitio, quia principium cognoſcitivum non producit intentionaliter ſuum objectum, ſicuti principium productivum producit phyſicè ſuum effectum, pro quo recolantur ſupradicta *tract. 2. lib. 2. cap. 5. num. 72.*

Solvitur inſtantia refundens omnem concurſum objectivũ in eſſentiã Angeli.

Dices tertiò contra tertium membrum: Fuerunt infuſæ ſcientiæ ſeu habitus ſcientiales primis Parentibus in ſtatu innocentiæ; ergo multo magis Angelis in ipſorum creatione, quibus deinde ob majorem ſimplicitatem conveniens fuit omnes ſcientias ſimpliciori modo, id eſt per unicam qualitatem & per unicum habitũ ſcientialem infundi; poſito autẽ hoc habitu cum intellectus habeat facilitatem ucdum potentiã proximam ad cognoſcendum omne ſcibile, utique non indiget ſpeciebus quibus conſtituatur in actu primo proximo. Sed contrà: Infuſio ſcientiarũ facta primis Parentibus, vel nihil aliud fuit quàm infuſio ſpecierum, & ſic inſtantia probando in Angelis unicum habitum ſcientialem probat unam ſpeciem univerſaliſſimam, quod & recedit ab opinione Henrici, & ſpecialiter impugnabitur infrà §. 7. vel ſi fuit infuſio ſimplicium entitatum, ſeu qualitatum diſtinctarũ à ſpeciebus, non potuerunt primi Parentes ipſis uti abſque ſpeciebus aut ſimul infuſis aut aliundè acceptis, nec habitus dat facilitatem operandi niſi ubi invenit omnia ad operandum requiſita, ſicque inſtantia probando in Angelis habitum ſcientialem non probat ipſo poſito ceſſare ſpecierum indigentiam. 20.

Solvitur inſtantia probans habitum ſcientialẽ.

Probatur aſſertum ſecundò ex tritis quibuſdam & decantatis propoſitionibus: Intelligentia plena eſt formis: Anima locus eſt formarum: Intellectus intelligendo fit omnia: Cognitio contingit ſecundùm quod cognitum eſt in cognoſcente: Veritas reſidet in mente, bonitas in rebus, quæ quidem propoſitiones æquè ſalvátur negatis intellectui præſertim Angelico ſpeciebus. Confirmatur ex eo quòd potiſſima ratio, quâ Adverſarij negant in præſenti intentionales ſpecies eſt vel ipſarum ſuperfluitas, vel earundem explicandarum difficultas; utramque rationem enervat neceſſitas tùm admittendi objectivum concurſum ad quálibet intellectionem tùm ponendi pro intellectionibus Angelicis talem concurſum in ſpeciebus, quæ quidem neceſſitas & evincet ſpecies hujuſmodi non eſſe ſuperfluas & ſuadet eaſdem eſſe concedendas, quamvis explicatu difficiles; præter quod boni Theologi non eſt difficultatibus deterreri, veritateſque ſolùm facilè obvias & in rerum ſuperficie relucentes perquirere: Aggredior igitur libenter explicationem difficultatum circa aſſertas ſpecies inſurgentium, & quia non poteſt commodè definiri quorumnam objectorum ſint ſpecies Angelicæ niſi poſtquam *ſeq. cap.* traditum fuerit, quænam objecta in particulari Angeli cognoſcant, ſolùm *in præſenti cap.* ſubjicio ea quæ pertinent ad quales ſint ſpecies Angelicæ. 21.

---

§. III.

Utrùm ſpecies intellectus Angelici proveniant ab objectis.

ASSERT. 1. Species intellectus Angelici, etiam illæ, quibus Angelus res materiales ſingulares cognoſcit, non proveniunt ab objectis materialibus. Ita D. Thomas locis ſuprà relatis *num.* 16. quem cum tota ſchola Thomiſtica ſequuntur Eſtius *in 2. diſt. 7. §. 12.* Sylvius *hic q. 55. art. 2.* Vaſquez *diſp. 202. cap. 2.* Amicus *diſp. 9.* 22.

ſect. 5. Lugus *diſp.*8. *c.*3. *num.*10. Madernus *q.*3.*art.*4.Averſa *q.*55. *ſect.*2. cæterique recentiores magis communiter contrà Alenſem 2. *part. q.*24. *memb.*3. Richardum *in* 2. *diſt.*3. *art.*6. *q.*2. Scotum *ead. diſt. quaſ.* 51. §. *Reſpondeo*, Aureolum *in* 2. *diſt.*11. *q.*3. *art.*1. Maſtrium *in* 2. *diſp.*2. *q.*6 *num.*1;4. Radam *controv.* 9. *art.*4. *conc.*5. cæteroſque Scotiſtas, quibus favent Molina *hic q.*55. *art.*2.*diſp.*2.Arriaga *diſp.*5. *ſect.*4. & *diſp.*6. *ſect.*1. *ſubſec.*1.

Scotus ponit in Angelis aliquas ſpecies infuſas.

Dixi, *etiam illa quibus Angelus res materiales ſingulares cognoſcit*, Adverſarij enim mox relati regulariter concedunt infuſas fuiſſe Angelis ab initio ſpecies tùm quidditatum, ſeu naturarum univerſalium; tùm aliquorum individuorum ſeu ſingulariũ, paucorum tamen; & cæterorum ſpecies volunt ſucceſſivo decurſu acquiri, objectis ipſis materialibus ſimul cum intellectu Angelico concurrentibus ad producendas ſpecies ſpirituales eo ferè modo, quo materialia phantaſmata ad ſpirituales pariter ſpecies producendas concurrunt cum intellectu humano:
23. Porrò objectis materialibus non ſolùm tribuunt activitatem ad producendam cum intellectu Angelico ſpiritualem ſui ſpeciem, verùm etiam ad efficiendã cum eodem ſpiritualem ſui viſionem ſeu cognitionem intuitivam, hæc enim juxtà Scotum duntaxat per objectum ipſum in ſe exiſtens & præſens, nullatenùs per ſpeciem haberi poteſt, ut tradit Maſtrius *diſp. pracit. n.* 144. alios etiam Scotiſtas communiter pro eadem opinione refert Lugus *hic diſp.*8. *c.*2.*n.*31. His præmiſſis Aſſertum

Vult per nullã ſpeciẽ haberi poſſe cognitionem intuitivam.

Probatur primò: Objectum materiale neque ut cauſa totalis neque ut cauſa partialis poteſt ſpiritualem ſui ſpeciẽ producere; ſed ſpecies intellectus Angelici etiam illæ, &c. ſunt ſpirituales, ergo ſpecies intellectus angelici etiam illæ, &c. non proveniunt ab objectis materialibus; minor probatione non indiget, major quoad primam partem ſolet ab Adverſariis concedi ut præmiſſum eſt & evincitur tùm à fortiori ex probatione ſecundæ partis, tùm ex inferioritate ac improportione materialis ad ſpirituale & ex eo quod nullum prorsùs apparet in natura veſtigium rei materialis ex ſe totaliter producentis effectum ſpiritualem:
24. Solùm igitur probanda eſt major quoad ſecundam partem, probatur autem ſic primò; ſi objectum materiale producit ut cauſa partialis ſpiritualem ſui ſpeciem vel producit in genere cauſæ principalis, & hoc non quia produceret, licèt partialiter virtute propriâ; inductione autem conſtat rem ordinis inferioris cujuſmodi eſt materiale reſpectu ſpiritualis neque partialiter producere virtute propriâ rem ordinis ſuperioris; vel producit in genere cauſæ inſtrumentalis & hoc non quia produceret virtute alienâ intellectus ſcilicet angelici, in quæſtione autem eſt, utrùm intellectus angelicus talem virtutem habeat: Secundò objectum ſpirituale neque etiam ut cauſa partialis poteſt cum materiali potentia materialem ſui ſpeciem producere; ergo à fortiori objectum materiale neque ut cauſa partialis poteſt cum ſpirituali potentia producere ſpeciem ſui ſpiritualem.

Objectum materiale non poteſt eſſe cauſa partialis ſpeciei ſpiritualis.

Dices: duæ allatæ probationes & aliæ quæcumque afferantur, eluduntur in phantaſmate (cujus nomine ſivè intelligatur phantaſiæ actus, ſivè ſpecies ex tali actu relicta nihil intereſt in præſenti) quod materiale eſt & tamen in nobis cum intellectu agente producit ſpiritualem ſpeciem: Huic inſtantiæ reſpondet Granadus phantaſma in nobis eſſe puram conditionem, qua poſita intellectus ſolus ſpiritualem ſpeciem producit, ipſum verò non concurrere effectivè ad ſpeciei ſpiritualis productionem, eadem utitur reſponſione Madernus *art.*4. *pracit. n* 4. quamvis deindè *num.*6. datæ reſponſioni parùm fidens concludat fundamentum firmum aſſerendi Angelos non poſſe accipere ſpeciem ab objectis materialibus eſſe communem ſenſum Theologorum & Patrum, quem tamen non video quo jure adeò abſolutè ſupponat in re, in qua ſancti Patres obſcurè ſobriéque loquuntur, & Theologorũ Scholæ celebriores, Thomiſtica ſcilicet, & Scotiſtica, diviſæ ſunt; urget igitur adhuc, vigetque in ſuo robore inſtantia. Sed contrà: 25.

Granadi & Maderni inſufficiens doctrina.

nolo difficultatem ſubterfugere & libenter concedo phantaſma materiale in nobis cum intellectu agẽte verè producere ſpiritualem ſpeciem, nego tamen inferri quòd ſpiritualem pariter ſpeciem poſſit producere objectum materiale cum intellectu Angelico, in primis quia vitioſa eſt ex genere ſuo argumentatio à particulari ad univerſale, ſicuti tamen hic arguitur à materiali phantaſmate ad omnia rerum materialium genera, & ex eo quod aliquid materiale imò inter materialia ſupremũ poſſit partialiter efficere ſpeciem ſpiritualem infertur materiale quodlibet quantumvis infimũ & vile habere eandem partialem efficientiam; ideò potiùs ad arguentem pertinet oſtendere eandẽ eſſe rationem de qualibet re materiali reſpectu intellectus angelici, ac de materiali phantaſmate reſpectu intellectus humani, quàm ad nos aſſignare diſparitatem, quæ tamen non deeſt, imò multiplex occurrit; Prima deſumitur ex parte intellectus Angelici, qui ſicuti non dependet in eſſendo ab ulla re materiali, ita nec in operando; dependeret autem quoties deberet à rebus materialibus ſpecies haurire rebus ipſis concurſum ſuum & coëfficientiam præſtantibus; intellectus humanus è contra ſicuti à materia dependet in eſſendo, ita à re aliqua materiali dependere poteſt in operando, illamque 26.
aſſumere in conſortiũ operationis attingentis effectum ſpiritualem: Secunda deſumitur ex parte phantaſmatis, quod magis accedit ad ſpiritualitatem, quàm ulla alia res materialis, tùm quia pertinet ad potentiam, quæ inter materiales nulla eſt propinquior intellectui, tùm quia omnis ſpecies omniſque actus etiam ſenſibilis habet elevationem aliquam ſuprà materiam, & per conſequens phantaſma, quod ſi ſumatur pro phantaſiæ ſpecie omnes alias ſenſibiles ſpecies, ſi pro

Cur materiale phantaſma, non quælibet res materialis poſſit concurrere ad ſpeciem ſpiritualem.

phantaſiæ

phantaſiæ actu, omnes alios ſenſibiles actus excedit, habet majorem præ cæteris elevationem; ex neutro capite convenit talis ad ſpiritualitatem acceſſus alicui objecto materiali, ideò &c. Ex utraque allata diſparitate, tertia quodammodò conſlatur, nimirum quòd intellectus humanus & phantaſma ſint duo comprincipia ab intrinſeco conjuncta, & quòd phantaſma habeat ſpecialem proportionem cum effectu ſpirituali; quid igitur mirum? Si objectum materiale nullam habens ſpecialem conjunctionem cum intellectu Angelico, nullam dicens ſpecialem proportionem cum effectu ſpirituali, nequeat cum intellectu Angelico producere ſpiritualem ſpeciem, poſſit verò phantaſma cum intellectu humano.

Objectum materiale non poteſt immediatè influere in intellectionem.

Ex tota hac doctrinâ habetur à fortiori non poſſe objectum materiale per ſe ipſum concurrere cum intellectu Angelico ad producendam intellectionem, cum hanc neque etiam phantaſma aut ullum aliud materiale principium poſſit ſimul producere cum intellectu humano, & in univerſum aliquid ampliùs in objecto requiratur ad immediatè influendum in actum vitalem quàm ad producendam ſpeciem ipſius, undè aliqua objecta poſſunt producere ſpeciem, non immediatè influere in actum vitalem, ut patet
27. in illis quæ poſita ſuprà ſenſum non faciunt ſenſationem; deindè ferè omnia poſſunt ſe ſolis producere ſpeciem, nullum poteſt ſe ſolo producere actum vitalem.

Probatur aſſertum ſecundò: Si Angelus rerum materialium ſingularium ſpecies ab ipſis materialibus rebus hauriret non poſſet rem aliquam materialem ſingularẽ cognoſcere, niſi ad ipſam priùs accedendo, & vel compenetrando ſe cum ipſa, vel ſaltem ſe ipſi conſtituendo contiguum, cum nequeat ſpiritualis ſpecies per medium materiale tranſmitti; hoc autem arguit tardam & eſſentialiter ſucceſſivam in Angelis rerũ materialium cognitionem, arguit inſuper neceſſitatem accedendi ad rem quamcumque viliſſimam, ab eaque emendicandi ſubſidium pro ſpeciebus comparandis; quod utrumque valdè deprimit & vilitat Angelicam perfectionem.

Dices: indigere Angelum propinquitate objectorũ materialium ad ipſa cognoſcenda infertur *ex Iob.* 1. ubi poſtquam dæmon dixit ſe circuiſſe terram eamque perambulaſſe, Deus illum interrogat, an conſideraverit ſervum ſuum Iob, ſignũ eſt igitur quod non poterat Iob conſiderare, niſi ipſi appropin-
28. quando; idem proportionaliter inferri poteſt *ex Matth.* 12. ubi deſcribitur dæmon ambulans per loca arida ad quærendam requiem, revertens in domum & inveniens eam vacantem, ſcopis mundatam, &c. Sed contrà: Scriptura, ut faciliori hominum captui ſe accommodet, ſæpè deſcribit ut facta more humano, quæ fiunt more ſpirituum; & hac ratione dici poteſt deſcribi in allatis textibus circuitiones illas & ambulationes, quamvis ipſas dæmon non fecerit, ſi tamen placeret verè factas concedere, dicantur factæ, non ex neceſſitate & indigentia cognitionis, ſed ex libertate aut etiam ineptia dæmonis.

Aſſert. 2. Species intellectus Angelici, etiã illæ quibus Angelus res ſpirituales ſingulares cognoſcit, non proveniunt ab objectis ſpiritualibus. Ita Auctores relati pro aſſerto præcedente excepto Averſa, qui quoad ſpecies ab objectis ſpiritualibus accipiendas
favet Adverſariis, & certè multo faciliùs eſt 29.
ſuſtinere in Angelis ſpecies à ſpiritualibus, quàm à materialibus rebus acceptas; undè etiam qui utraſque aſſumunt, ſolent tribuere rebus materialibus rationem cauſæ tantùm partialis, & rebus ſpiritualibus rationẽ cauſæ totalis in ordine ad proprias ſpecies in intellectu Angelico producendas; qui verò utraſque reſpuunt, ſolent illarum productionem negare rebus materialibus potiſſimè ex ipſorum objectorum improportione, & intrinſecâ impotentiâ, at rebus ſpiritualibus ex incongruentia solùm, hacque ſe tenente potiùs ex parte ſubjecti, in quo eſſent ſpecies recipiendæ; quàm ex parte objecti, à quo eſſent producendæ.

Species in Angelis faciliùs poni poſſent acceptæ à ſpiritualibus quàm à materialibus rebus.

Ioannes à S. Thoma *hic diſp.* 21. *art.* 3. *num.* 22. aſſertum probat argumento apud Thomiſtas celebri, & ratione, quam ipſe vocat à priori ſic: Vnus Angelus non poteſt illabi per ſuam ſubſtantiã intrà mentem alterius, neque immediate operari intrà illam; ſed non poteſt unus Angelus ſui ſpeciem in alio producere niſi illius menti illabatur immediatè intra ipſum operando, ergo: Majorem ſupponit traditã à D. Thoma & innegabilem ex eo quòd illapſus intrà mentem & intrà eſſentiam rei ſit Dei propriiſſimus, minorem probat, quia Angelus, vel diſtans, vel ſolùm contiguus & localiter propinquus, nequit talem ſpeciem producere; non diſtans, quia ſpecies ſpiritualis aut deberet recipi in medio corporeo & de ipſo educi, & militaret fere eadem difficultas, quæ militat contrà ejuſdem ſpeciei productionẽ à materiali objecto, vel deberet tranſire ab extremo ad extremum ſine tranſitu per medium, non localiter ſolùm propinquus, quia localis propinquitas inſervit Angelo tantũ ad operandum per motum localem applicando activa
paſſivis, quâ certè ratione intentionalem ſui 30.
ſpeciem non producit: Idem Auctor *n.* 23. *ſequenti* explicans quid ſit illapſus intrà mentem vel eſſentiam, ait talem illapſum addere ſuprà illapſum purè localem cauſalitatem, vel per modũ materiæ ſuſtentantis, vel per modum formæ informantis, vel per modum efficientis dantis eſſe, quare cum eſſentia Angeli non ſit capax aut materiæ ſuſtentantis, aut formæ informantis, ſed ſolùm efficientis dantis eſſe, & hæc ratio efficientiæ ſit Dei propriiſſima, ſequitur illapſum intrà eſſentiã Angeli eſſe Dei propriũ, nec poſſe uni Angelo reſpectu alterius competere. Hæc illapſus explicatio ſicuti ſi ſubſiſteret maximam afferret argumento firmitatem, ità è contrà, quia arbitraria eſt & extrà ſcholam Thomiſticam non recepta, totum argumenti robur enervat: Dato igitur requiri illapſum majorem locali, ut unus Angelus producat ſpeciẽ

Affertur celebre Thomiſtarum argumentum

Illapſus quid ſecundùm Thomiſtas.

Rejicitur prædictum argumentum.

in

in intellectu alterius, dico ſufficere illapſum per efficientiam terminatam ad aliquod accidens, ſcilicet ad ſpeciem ipſam, cum ſatis commune ſit apud Theologos etiam Deum illabi per productionem accidentiũ, quorum ipſe eſt particularis & unica cauſa, ut per productionem gratiæ, charitatis, luminis gloriæ, &c.

31. Scio Gonet *hic diſp.4. art.* 1. *n.*96. afferre nonnullas ſanctorum Patrum auctoritates contrà illapsũ unius ſpiritus in eſſentiam, ſeu mentem alterius, ſed facilè occurritur dicẽdo hujuſmodi auctoritates militare ſolùm contrà illapſum aut per modum dantis eſſe, aut per modum cognoſcentis ſecreta ejus, in quem illapſus ſit. Rejecto igitur Thomiſtico argumento aliter

Probatur aſſertum: Unus Angelus non cognoſcit alium Angelum per ſpeciem ab hoc alio Angelo productam; ergo ſpecies intellectus Angelici etiam illæ, &c. conſequentia patet, quia ſi ab aliquo objecto ſpirituali ſpecies proveniunt, maximè debent provenire ab Angelis ipſis; Antecedens probatur, quia unus Angelus neque liberè neque neceſſariò ſui ſpeciem in alio producit: Non neceſſariò, tùm quia Deus *ex tract.* 1. *lib.*2. *cap.*1. *num.*34. non præſtat neceſſariò concurſum objectivum ad extrà, ergo neque Angelus, qui etiam ipſe eſt ad extrà valdè liber, & inter alias omnes creaturas Deo propinquior; tùm quia non debet concedi virtus neceſſaria & naturalis, quæ maneat ut plurimùm otioſa, Angelus autẽ quoties non eſt alteri ſubſtantiæ ſpirituali cõtiguus, quod evenit frequenter, non poteſt extrà ſe ſpeciem producere; virtus igitur naturalis productiva talis ſpeciei remaneret ut plurimùm

Angelus nõ producit neceſſariò ſpeciem intentionalẽ ſui.

32. ac frequenter otioſa: Non liberè, tùm quia eſſet in poteſtate cujuſlibet Angeli diu occultare ſe ipſum, & negare primam ſui cognitionem alteri; quod loquendo præſertim de Angelo inferiori reſpectu ſuperioris valdè durum eſt, & privilegium occultationis, quod ſolet cenſeri proprium ſecretorũ cordis, redderet commune toti entitati cujuſlibet Angeli; tùm quia ut unus Angelus ſuẽ ſpeciẽ alteri liberè imprimat, debet id prius deliberare; quod enim fit cum libertate, fit cum deliberatione, ut deliberet debet priùs illum Angelum cognoſcere, cui deliberat ſpeciem imprimere; & tamen ille Angelus, qui primus ſui ſpeciem alteri impreſſit, alterum non cognovit; alioqui non ipſe primus ſpeciem impreſſiſſet, ſed ille, quem antecedenter cognoviſſet; & cujus per conſequens ſpeciei impreſſionem antecedenter recepiſſet.

Neque liberè loquẽdo de facto.

Dices pro naturali & neceſſaria productione propriæ ſpeciei in quolibet Angelo; naturalis & neceſſaria productio propriæ ſpeciei in ſenſu eſt perfectio conveniens cuilibet rei materiali, ergo ſimiliter rei ſpirituali præſertim Angelo convenire debet naturalis & neceſſaria productio propriæ ſpeciei in intellectu, ne inferioris conditionis ſit Angelus in ſuo eſſe intelligibili, quàm quælibet res materialis in ſuo eſſe ſenſibili.

33. Sed contrà: malè arguitur à te materiali & neceſſaria ad Angelum ſpiritualem & liberum; nec diſparitas quærenda eſt dum verſamur inter res toto genere diverſas, & quando eſſet arguendum à rebus materialibus ad Angelos, ad iſtos ut potè ſubſtantias deberet argui à ſubſtantiis potiùs, quàm ab accidentibus materialibus; ſubſtantiæ autem materiales nullam ſui ſpeciem emittunt, non materialem, ſeu ſenſibilem quia non cadunt ſub ſenſum, non ſpiritualem ut probatum eſt ſuprà *num.*24. ſicque ex rebus materialibus inferretur Angelos nec neceſſariò nec liberè producere ſui ſpeciem. Re ipſa tamen illationem nullatenùs approbo, & aliundè exiſtimo concedendam eſſe Angelo virtutem producendi liberè ſpeciem ſui extrà ſe tùm ut in hoc Deo aſſimiletur, tùm quia nulla neceſſitas cogit ad negandã ipſi hujuſmodi efficientiam, quamvis abſolutè negetur à Thomiſtis volentibus inſuper eam omninò Angelis repugnare, ſed jam ſuprà oſtenſum eſt ruere potiſſimum ipſorum fundamentum deſumptum ex repugnantia illapſus unius Angeli in mentem alterius, adhuc tamen

Solvitur inſtantia probans in Angelis neceſſariam ſpecierũ productionem.

Dices contra liberam in quolibet Angelo productivitatem propriæ ſpeciei; Angelus ad extrà non poteſt operari niſi applicando activa paſſivis, at hoc modo non poteſt producere intentionalem ſui ſpeciem, ergo: Deindè talis productivitas non minùs eſſet otioſa, quàm productivitas naturalis & neceſſaria, quam ſuprà ut otioſam rejecimus.

34. Sed contrà: in ordine ad effectus phyſicos tranſeat Angelum non operari niſi applicando activa paſſivis, ſecùs in ordine ad effectus intentionales, in ordine ad quos convenire poteſt activitas etiam rebus nullatenùs phyſicè operativis, ut exemplificari poteſt in ſecundis qualitatibus. Ad illud quod additur dico productivitati naturali magis repugnare otium, quàm activitati liberæ, quia reſpectu illius non agere provenire ſolùm poteſt ex imperfectione & impedimento extrinſeco, reſpectu iſtius etiam ex perfectione & ex principio intrinſeco libertatis. Cæterũ productivitas propriæ ſpeciei non eſſet in Angelo omninò otioſa, poſſet enim illam Angelus exercere reſpectu animæ rationalis; veriſimiliter etiã Angelus ſuperior reſpectu Angeli inferioris, imprimendo ipſi ſpeciem perfectiorem infuſa, id eſt ſui comprehenſivam; ipſumque deinde confortando ad talis ſpeciei uſum.

Solvitur inſtantia improbãs eandem productivitatem liberam.

35. Ex dictis habetur quoad virtutem propriæ ſpeciei productivam idem ſentiendum eſſe de anima ſeparata, quod de Angelo hucuſque dictum eſt: Accidentia deindè ſpiritualia, ſicuti omnia ad Angelum vel animam pertinent, ita omnia participant ab anima vel Angelo libertatem propriæ ſpeciei producendæ; omnia ſcilicet ſicut ſubſtantia ad quam pertinent ſubſunt imperio & dominio animæ vel Angeli in ordine ad ſpecies intentionales & concurſum objectivum; dici inſuper poteſt aliquorum accidentium ſpecies produci poſſe immediatè ab ipſa ſubſtantia proportionaliter ad infrà dicenda *cap. ſeq. num.*36. & ad ſupradicta *tract.* 1. *lib.*2. *cap.*2.

Quid de ſpeciebus animæ ſeparatæ & accidentiũ ſpiritualiũ.

cap. 2. *num.* 35. Quamvis de facto ſicut ſubſtantia ipſa nun producit ullam ſui ſpeciem ad extrà ita nec accideotia; pru his quippè æquè ac pru ſubſtantia dantur ſpecies infuſæ.

36. *Quid in ordine ad potentiam abſolutam.* Habetur inſuper ubjectũ materiale; quod intrinſeca & cunnaturali virtute poſſit ſui ſpeciem ſpiritualem producere in intellectu Angelico, repugnare etiam de potentia abſolota, quia etiam de potentia abſoluta repugnat quod aot materiale oun ſit quid inferius & improportionatum ſpirituali, aut intellectus Angelicus depeodeat à materia ſicut bumanus, ut præſtare poſſit reſpectu materialis ubjecti illud, quod præſtat intellectus bumanus reſpectu materialis phantaſmatis; ſulùm igitur ex ſupernaturali extrinſeca elevatione, & ut inſtrumeotum Dei poteſt materiale ubjectum eſſe productivum ſpeciei ſpiritualis; & quidem quodlibet objectum ſpeciei cujuſlibet. Quoad objecta ſpiritualia nulla mihi vel apparens ratio repugnantiæ occurrit, ub quam nequeat dari de potentia abſoluta objectũ ſpiritoale quod aut neceſſariò & naturaliter ſui ſpeciem emittat, aut neque emittat neceſſariò neque liberè; & de facto emiſſionem liberam aſtruimus tanquam Angelis congruentiorem, non tanquam eſſentialem objectu ſpirituali ex genere ſuu.

---

§. IV.

Vtrùm ſpecies intellectus Angelici profluant ab intellectu ipſo, aut ab eſſentia Angeli.

37. ASSERT. Species intellectus Angelici non profluunt ab intellectu ipſo aut ab eſſentia Angeli. Ita Ferrarienſis 2. *contra Gent. c.* 98. §. *Propter quod.* Ioannes à S. Thoma *hic diſp.* 25. *art.* 3. *n.* 30. Gunet *diſp.* 8. *art.* 3. Sylvius *q.* 55. *art.* 2. Mulina *q.* 55. *art.* 2. *diſp.* 2. *memb.* 3. Amicus *diſp.* 9. *ſect.* 6. Suarez *lib.* 2. *c.* 7. Arriaga *diſp.* 6. *ſect.* 4. Madernus *q.* 3. *art.* 5. Avetſa *q.* 55. *ſect.* 2. &c. contrà Capreolum *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 2. Cajetanum *hic q.* 54. *art.* 4. *&* *q.* 55. *art.* 2. Nazarium *q.* 55. *art.* 2. *controv.* 2. Valentiam *q.* 6. *punct.* 2. §. *exiſtit autem*, Granadum *tract.* 2. *diſp.* 3. & alios nonnullos, inter quos aliqua eſt diverſitas in explicando utrùm profluant ab eſſentia immediatè, an mediante intellectu.

Eſſentia Angeli non eſt emanativa ſpecierum intentionalium. Probatur primò: Eſſentia Angeli neque immediatè, neque mediatè; id eſt neque per ſe ipſam, neque mediante intellectu, poteſt eſſe emanativa eorum, quæ in ſe eminenter non continet; ſed in ſe eminenter non continet ſpecies, quarum intellectus proprius eſt connaturaliter ſuſceptivus; ergo neque immediatè, neque mediatè, eſſe poteſt talium ſpecierum emanativa; & per cōſequens ſpecies intellectus Angelici non profluunt, &c. Major patet, quia commune eſt cuilibet eſſentiæ continere eminenter proprietates, & paſſiones ſuas, quarum eſt emanativa; eſt enim quælibet eſſentia ex proprio conceptu formali perfectior proprietatibus & paſſionibus ſuis: Minor probatur, primò quia continentia eminens taliũ ſpecierum eſſet continentia intentionalis eminens rerũ omnium naturaliter ab Angelo cognoſcibiliũ; hujuſmodi autem continentia intentionalis eminens repugnat eſſentiæ Angeli ex ſupradictis *n.* 30. Secundò quia ſi eſſentia Angeli contineret eminenter ſpecies intentionales, contineret eminenter virtutē objectivè influendi in cognitionem cujuſcumque objecti naturaliter cognoſcibilis, deberet igitur talē virtutem per ſe immediatè exercere potiùs quā per diſtinctas ſpecies, objectum enim connaturaliter loquendo non cōcurrit per ſpeciem niſi quando eſt improportionatũ aut abſens; Angeli autem eſſentia reſpectu proprij intellectus nec improportionata eſſe poteſt, nec abſens. Tertiò quia nulla eſſentia conti- 38.
net eminenter id, ad quod non eſt ab intrinſeco determinata; neque enim datur eſſentia indifferens ad has, vel illas paſſiones ſeu proprietates; atqui eſſentia Angeli non eſt ab intrinſeco determinata ad habendas has potiùs, quàm illas ſpecies, & quòd has potiùs, quàm illas habeat, pendet ſolùm ab extrinſeca ac libera Dei voluntate determinante ad exiſtendum has potiùs, quàm illas res; ergo.

Adverſariorum reſponſiones. Poſtremæ huic rationi triplicem invenio reſponſionem afferri. Prima eſt, quòd eſſentia Angeli ſit ab intrinſeco determinata ad habendas ſpecies rerum exiſtentiũ, & hanc determinationem ſufficere, quamvis deindè ex libera Dei voluntate proveniat has potiùs, quàm illas res eſſe exiſtentes: Secunda eſt, quòd eſſentia cujuſlibet Angeli ſit ab intrinſeco determinata ad habendas ſpecies omnium poſſibilium, ſitque omnium hujuſmodi ſpecierum emanativa, quamvis deindè non poſſint in exercitium deduci, niſi illæ ſpecies, quibus correſpondent res exiſtentes: Tertia eſt dari in tota collectione Angelorum poſſibilium diverſos Angelos, quorum diverſæ naturæ ſunt ab intrinſeco determinatæ ad habendas diverſarum rerum ſpecies; & Deum creando hunc mundum ſimul decreviſſe creare illos Angelos, quorum natura erat ab intrinſeco determinata ad habendas ſpecies rerum hunc mundum conſtituentiũ; alios Angelos creaturus, quorum natura eſſet ab intrinſeco determinata ad habendas aliarum rerum ſpecies, ſi alium mundum condidiſſet. *Impugnatio primæ reſpōſionis.* Impugnatur prima reſponſio, quia non pooit naturam determinatam, niſi in vago & ſubdiſiunctò ad hanc vel illam collectionem ſpecierum, quæ determinatio non ſolùm ad emanationem, ſed ad quamcūque efficientiam inſufficiens eſt, nam homo v. g. non eſt ſufficienter determinatus ad ambulandum per hoc, quod dicat, volo verſus orientem, vel verſus occidentem ambulare; & Deus ipſe nihil unquā producet per hoc præcisè; quod habeat hanc determinationem, volo hunc vel illum mundum producere: Impugnatur ſecunda

40. Impugnatio ſecundæ. reſponſio, quia ſicuti cognitio omnium poſſibilium ſuperat connaturalem exigentiam activã intellectus Angelici, ita ſpecies omnium poſſibiliũ ſuperant tùm connaturalem potentiam paſſivam ejuſdem intellectus, tùm intrinſecam virtutem activã & emanativam naturæ: Deindè ſequeretur in cõprehenſione naturæ Angelicæ cognoſci ſpecies omnium poſſibiliũ, & per conſequens cognoſci omnia poſſibilia; quia in comprehenſione cujuſlibet eſſentiæ cognoſcuntur omnia, quorum eſt emanativa: Impugnatur tertia reſponſio,

41. Impugnatio tertiæ. tùm quia ipſius Auctor Granadus malè ſupponit Deum moraliter neceſſitatũ ad creandum in hoc mundo has numero res, & non alias; tùm quia gratis aſſumuntur tot diverſæ collectiones Angelorum ab intrinſeco connexæ cum diverſis mundis poſſibilibus, adeò ut non potuiſſet Deus creare Angelos de facto exiſtentes, ſi condidiſſet alium mundum, imò ſi in hoc non fuiſſent v. g. productæ muſcæ.

Species nõ profluunt ab eſſentia immediatè. Probatur aſſertum ſecundò: Species intellectus Angelici nec profluũt ab eſſentia Angeli immediatè, nec mediãte intellectu: Non immediatè quia cum ſpecies ſupponant intellectum, in quo recipiantur, eſſentia non poteſt eſſe emanativa ſpecierum, quin priùs ſit emanativa intellectus, patet autem inductione proprietatem ea natura ſua poſteriorem alterã emanare mediãte altera; deindè in

42. nobis acquirentibus ſpecies per abſtractionẽ à phantaſmate, talis abſtractio mediante intellectu fit, non ab anima immediatè; ergo in Angelis, ſi habeant ſpecies per emanationẽ, talis emanatio fiet mediante intellectu, non

Nec mediante intellectu. immediatè ab eſſentia. At neque fit mediante intellectu, quia ſic daretur in Angelis intellectus agens, qui nihil aliud eſt, quàm intellectus ſpecies producens, & tamen Auctores contrà quos arguimus negare ſolent Angelis intellectum agentem. Confirmatur eſſentia Angeli non eſt neceſſariò productiva ſpecierum, ergo neque mediatè, neque immediatè, eſt ipſorum emanativa, conſequentia patet quia emanatio eſt productio neceſſaria, antecedẽs probatur, eſſentia Angeli ex ſupradictis *n.* 33. non producit neceſſariò ſpeciem ſui ipſius, ergo multò minùs producit neceſſariò ſpecies aliorum objectorum.

43. Intellectus Angelicus nullatenùs haurire poteſt ſpecies ab objectis. Poſſet hic obiter alius modus excogitari, quo eſſentia Angeli, quamvis non per emanationem, intentionales ſpecies in ſe efficiat, hauriendo ſcilicet ipſas mediante intellectu à quolibet objecto eo ferè modo, quo anima noſtra mediante intellectu eaſdẽ abſtrahit à phantaſmate. Hic tamen modus vel intendit quod intellectus hauriat ſpecies objecto ſe habente per modũ puræ conditionis, & determinativi extrinſeci; vel objecto ſe habẽte per modum comprincipij; ſi primũ, ergo tota vis productiva ſeu cauſativa omniũ ſpecierum, & per conſequens cõtinentia intentionalis omnium objectorũ reperitur in intellectu & eſſentia, ſicque recurrit argumentũ poſitum ſub *n.* 37. Si ſecundũ, quoad objecta materialia impugnata res eſt §. *preced. n.* 25. & 26. & ex ibid. poſitis *n.* 27. impugnari res eadem poteſt quoad objecta ſpiritualia, multoque magis *ex n.* 32. argumenta enim probantia unum Angelum non eſſe de facto principium totale productivũ propriæ ſpeciei in alio Angelo mutatis paululùm terminis probant etiam non eſſe comprincipium, ſeu principium partiale. Accedit quòd abſtractio ſpeciei à phantaſmate ſupponit animam præhabere cognitionẽ ſenſitivam illius rei, à cujus phantaſmate abſtrahit mediante intellectu ſpeciem, hanc propterea abſtrahit potiùs, quàm aliam ex præcognitione & electione: At in Angelo nulla præſupponeretur cognitio illius objecti, à quo deberet fieri ſpeciei abſtractio, quomodò ergo eligeret abſtrahere ſpeciem ab hoc potiùs, quàm ab illo objecto; cum electio nequeat haberi ſine aliqua præcognitione eorum, inter quæ verſatur; eſſet igitur talis abſtractio aut ex neceſſitate naturæ, aut fortuita ac cæca reſpectu Angeli, & ex determinatione purè extrinſeca Dei; adeoque abſtractione, quæ in nobis fit, valdè imperfectior, & dignitati Angelicæ nimis incongrua.

Ex dictis habetur ſpecies intellectus Angelici non rectè dici proprietates, & paſſiones Angelicæ eſſentiæ; nomen enim proprietatis & paſſionis proprium eſt ejus, quod effectivè ab eſſentia emanat. 44. Species intentionales non ſunt proprietates Angelorum.

Dices: ſpecies intentionales ſunt connaturales & debitæ Angelo; ergo ſunt proprietates & paſſiones ipſius ab eſſentia effectivè emanantes; conſequentia patet quia potentia purè paſſiva & receptiva formæ non facit talem formam eſſe connaturalẽ & debitam, alioqui ferè quælibet forma eſſet connaturalis & debita cuilibet ſubjecto; requiritur igitur in ordine ad formam, ut ſit debita aliqua activitas & efficientia ex parte ejus, cui eſt debita; antecedens probatur ex D. Thoma 1. *p. q.* 54. *art.* 4. *ad* 1. dicente, *in Angelis non generatur ſcientia, ſed naturaliter adeſt*, quod certè, cum non verificetur de ſcientia in actu ſecundo, intelligendum eſt de ſcientia in actu primo prout importat ſpecies, quas inſuper eſſe Angelis connaturales expreſsè tradit *q.* 55 *art.* 2. *in c.* Sed contrà: ex eodem S. Doctore 1. 2. *q.* 6. *art.* 5. *ad* 2. naturale dicitur dupliciter, vel ſecundùm principium activum, ſicut eſt naturalis igni calefactio; vel ſecundùm principium paſſivum, ſicut eſt naturalis Cœlo motus; hoc ſecundo modo ſunt naturales, & debitæ Angelis intentionales ſpecies, & in hoc ſenſu conceſſo inſtantiæ antecedente, nego conſequentiam; ad conſequentiæ probationem dico potentiam purè paſſivam & receptivam formæ aliquando eſſe conjunctam cum exigentia habendi formam; aliquando non; quando non eſt conjuncta cum tali exigentia verè non facit formam eſſe debitam, benè tamen quando eſt conjuncta, Angelus autem habet potentiam receptivam ſpecierum ſimul cum ipſarum exigentia, ideò &c. 45. Quomodò ſint Angelis connaturales & debitæ.

Urgebis: exigentia principij paſſivi, ſeu receptionis, infert exigentiam principij activi, ſeu productionis & emanationis; ergo non rectè cõceditur eſſentiæ Angeli exigentia

tia paſſiva ſpecierum, niſi eidem concedatur exigentia activa, adeò ut ratione primæ exigentiæ ſpecies connaturaliter recipiat, ratione ſecundæ ſpecies connaturaliter efficiat; probatur antecedēs quia cum nos ſenſu non percipiamus emanationē caloris ab igne v.g. ſed ſolùm ipſius in igne permanentē & connaturalem exiſtentiam, ſi exigentia paſſiva exigentiam activam non inferret, non poſſemus probare calorem ab igne connaturaliter effici potiùs, quàm ipſi à Deo infundi; Suadetur etiam exigentiæ paſſivæ cum activâ connexio ex eo, quod dici ſolet cuicumque potentiæ paſſivæ correſpōdere potentiā activam in eodem ordine. Sed contrà: exigentia

46. Quomodò exigentia paſſiva inferat activam.

paſſiva activā infert regulariter, & quoties aliundè non conſtat exigentiæ activæ repugnantia, nec commodè aſſignari poteſt aliud principium activum, ut evenit in exigentia paſſiva caloris reſpectu ignis; ſecùs in noſtro caſu, pro quo aliundè probatū eſt repugnare eſſentiæ Angeli exigentiam activam ſpecierum. Quod additur potentiæ paſſivæ debere activam in eodem ordine correſpondere, ſufficienter verificatur per hoc quòd potentiæ paſſivæ naturali correſpondeat potentia activa in Deo ut Auctore naturæ; ſic non alia potentia activa correſpondet potentiæ naturali paſſivæ, quam habet materia in ordine ad recipiendam animam rationalem.

---

§. V.

Vtrùm ſpecies intellectus Angelici infundantur à Deo, & quomodò, ſimul ne, an ſucceſſivè; per eductionem, an per creationem.

47. Species intentionales in Angelis ſunt infuſæ à Deo.

Assert. 1. Species intellectus Angelici ſunt infuſæ à Deo. Ita Auctores relati pro præcedente aſſerto contra eos, qui ex ſupradictis tales ſpecies ponunt, aut ab Angelorum eſſentia emanantes, aut ab objectis acceptas; & à fortiori contrà illos, qui omnes intellectui Angelico ſpecies negant.

Probatur primò ex D.Thoma pluribus in locis 1.p.q.55.art.2. in c. *Angeli ſuam perfectionem intelligibilem conſequuntur per intellectualem efluxum, quo à Deo ſpecies rerum cognitarum acceperunt ſimul cum intellectuali natura*: q.56. art.2. ad 4. *Si Deus inſtituiſſet facere plures Angelos, vel plures naturas rerum, plures ſpecies intelligibiles mentibus Angelicis impreſſiſſet*: q.89. art.3. in c. *Anima ſeparata intelligit per ſpecies, quas recipit ex influentia divini luminis, ſicut & Angeli.*

Probatur ſecundò ex præcedentibus aſſertis: Angelus verè intelligit per ſpecies; ſed iſtæ ſpecies neque ſunt ab objectis ullo modo provenientes, neque ab eſſentia Angeli ullo modo emanantes; ergo à Deo infuſæ; enimverò ex una parte non apparet alius modus, quo poſſit Angelus habere ſpecies; ex alia parte ad Deum ut Auctorem naturæ pertinet ſupplere illos effectus naturales, pro quibus cauſæ ſecundæ non ſuppetunt, & quorum ipſe cauſa eſſe poteſt, ſicuti verè poteſt eſſe cauſa ſpecierum, cum nec ipſi deſit continentia intentionalis cujuſcumque objecti intelligibilis, nec ſpeciebus inſit vitalitas, aut aliquod aliud prædicatum, ratione cujus nequeant à ſolo Deo produci.

Dices: ſi ſpecies eſſent à Deo infuſæ eſſent Angelis ſupernaturales, & indebitæ, poſſetque illis carere Angelus abſque ulla violentia, ut patet in aliis perfectionibus, quæ vel nobis, vel Angelis infunduntur: eſſet inſuper intellectus Angelicus ſecundùm ſe inferioris conditionis humano, quia ille poſſet ſolū recipere ſpecies ab extrinſeco, iſte poſſet & ab extrinſeco accipere, & ab intrinſeco acquirere depurando per propriam activitatem phantaſmata. Sed contrà: Aliqua in- 48.

Non ſunt tamen ſupernaturales.

funduntur, aut præter, aut ſuprà exigentiam ſubjecti, & hæc indebita ſunt, præter naturalia ſcilicet, aut ſupernaturalia; aliqua infunduntur juxtà paſſivam exigentiam ſubjecti, & hæc naturalia ſunt ac debita: Primo modo infunduntur nobis, & Angelis dona gratiæ; ſecundo modo infunditur corpori organizato anima rationalis; & hoc ſecundo modo infunduntur etiam intellectui Angelico ſpecies rerum naturalium, quibus propterea non poteſt Angelus carere abſque violentia, ſive propria, ſivè impropria, prout vel propriam, vel impropriā tantùm poteſt creatura à Deo violentiam pati. Ad illud, quod additur, vel ſermo eſt de intellectu humano ſeparato, & hic non poteſt per propriam activitatem acquirere ſpecies magis, quàm Angelicus, vel de intellectu humano conjuncto corpori, & hic non habet exigentiam paſſivam recipiendi ſpecies per infuſionem à Deo, ſed ſolum facultatem acquirendi ipſas dependenter à corpore.

Vrgebis: facultas acquirēdi dicit tùm activam tùm paſſivam exigentiā ſpecierum, ergo eſt quid perfectius quam exigentia purè paſſiva recipiendi ſpecies per infuſionem, ergo adhuc intellectus Angelicus eſſet inferioris conditionis intellectu humano conjuncto corpori. Sed contrà: tranſeat quod facultas 49.

Quomodò perfectius ſit habere ſpecies à Deo infuſas, quàm propria virtute acquiſitas.

acquirēdi cæteris paribus ſit quid perfectius, quam exigētia purè paſſiva recipiendi, ſecùs ubi cætera paria non ſunt, ut in caſu noſtro, ubi facultas acquirēdi eſt cum mora & ſucceſſione, necnon in ordine ad ſpecies pauciorea & particulares; cum è contra in intellectu Angelico exigentia paſſiva recipiendi per infuſionem ſit in ordine ad ſpecies plurium rerum, univerſales, & in primo creationis inſtanti omnes ſimul habēdas: facit hic ad rem quod tradit D.Thomas 1. 2. *q.5.art.5. ad* 2. nobilioris eſſe conditionis naturā, quæ conſequitur bonum perfectum cum auxilio extrinſeco, quàm quæ conſequitur bonū ſolùm imperfectum licèt non indigeat auxilio extrinſeco, eadem enim ratione dicendū eſt nobilioris eſſe conditionis intellectū qui exigit ſpecies perfectiores obtinēdas ab extrinſeco ut evenit in intellectu Angelico, quam qui exigit ſpecies imperfectas licèt ab intrinſeco acquirēdas, non obtinendas ab extrinſeco

ut evenit in humano intellectu conjuncto corpori: Vndè etiam corruit inſtantia, quam urget Maſtrius *in 2. diſt. 2. num.* 150. probans Angelum fore imperfectiorem animâ, quia pluribus indigeret ad intelligendum, quàm anima; iſta ſcilicet indigeret ſolo Dei concurſu, ille indigeret & concurſu & ſpeciebus: Corruit inquam, quia juxtà mox allatam D. Thomæ doctrinam pluribus indigere in ordine ad bonum perfectius eſt perfectionis argumentum, non nota imperfectionis.

50. Species fuerunt omnes ſimul Angelis infuſæ.

Aſſert. 2. Species intentionales fuerunt infuſæ intellectui Angelico omnes ſimul in inſtanti creationis, non verò in tali inſtanti fuerunt infuſæ ſolæ ſpecies rerum pro tunc exiſtentium, reſervando cæterarum productionem, & infuſionẽ ſucceſſivè faciendam in illis temporum differentiis, in quibus cæteræ res ſucceſſivè fient exiſtentes. Ita Thomiſtæ communiter, & ex recentioribus Lugus *hic diſp.* 8. *c.* 3. *n.* 32. Eſparza *lib.* 2. *q.* 12. *art.* 9. &c. contrà Dequiros *hic diſp* 56. *n.* 5. Arriagam *diſput.* 6. *ſect.* 2. Madernum *q.* 3. *art.* 4. *n.* 10. &c.

Aſſerti communiter ſolent in poſiti aſſerti probationem verba illa prolata de Lucifero in perſona Regis Tyrij Ezech. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, & decore, perfectus in viis tuis fuiſti à die conditionis tuæ*: Verùm hæc verba de ſapientia ſupernaturali, quam Lucifer ſimul cum decore ſupernaturalis gratiæ per peccatum amiſit, potiùs quàm de ſapientia naturali procedunt; & ſi de naturali intelligantur, probãt ex terminis potiùs habitum ſcientialem, quàm ſpecies, vel certè probant ſolum multarum ſpecierum ab initio infuſionem, non omnium; plenitudo enim ſcientiæ de multa magnave ſcientia rectè dicitur ut exemplificari poteſt in eo, quod de ſapiente quolibet juſto profert Eccleſia *Replevit eum Dominus ſpiritu ſapientia*: Non multum etiam urgent verba Dionyſij *cap.* 7. *de div. nom.* ubi de Angelicis mentibus dicitur *Quæ non individuis, aut dividuis, vel ſenſibus, vel rationibus fuſis divinam ſcientiam comparant*, habẽt enim hæc verba vim contra ſpecies ſucceſſivè ex objectis acceptas, at non contra eaſdem ſucceſſivè à Deo infuſas: Majoris videtur eſſe pro inſtituto noſtro roboris doctrina Auguſtini *de Geneſi ad litteram lib.* 2. *cap.* 8. *& lib.* 4. *c.* 32. Quòd res à Deo creatæ priùs fuerint in cognitione Angelorum, quàm in ſe ipſis; Nihilominùs loquitur ibi Auguſtinus de cognitione creaturarum non per proprias ſpecies, ſed in verbo: Ideò miſſis auctoritatibus.

Probatur aſſertum ratione: Valdè convenit intellectui Angelico habere ſpecies omnes ſimul initio creationis, & nihil cogit differre ipſarum productionem uſque ad rerum in ſe exiſtentiũ occurſum, ergo ſpecies fuerunt infuſæ intellectui Angelico omnes
51. ſimul, &c. Probatur antecedens quoad primam partem, quia valdè cõvenit intellectui Angelico eſſe ab initio creationis in actu primo completo in ordine ad omnia objecta à ſe naturaliter cognoſcibilia, & ſicuti ſucceſſivo decurſu temporis non acquirit de novo aliquam paſſivam ſpecierum exigentiam, ità congruum eſt quòd non acquirat de novo aliquas ſpecies; accedit quod debemus Angelos concipere non quaſi ætate & ſcientià proficientes, ſed ſemper æquè perfectos. Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, quia ubi nec ſpecies ſunt ab objectis accipiendæ, nec Deus objectorum exiſtentià indiget ad ſpecierum productionem non apparet, undè poſſit eſſe neceſſitas expectandi pro ſpecierum productione exiſtentiam objectorum.

Dices talem neceſſitatem haberi ex eo, quòd non expectatâ rerum exiſtentiâ pro ſpecierum infuſione, vel tales ſpecies manerent in intellectu Angelico otioſæ uſque ad rerum exiſtentiam, vel Angelus poſſet cognoſcere futura antequam exiſtant, quorum neutrum rectè conceditur. Deinde in ipſo creationis initio deprimerent potiùs quàm ornarent Angelicam mentem ſpecies minutiorum omnium & viliorum rerum in totius univerſi decurſo ſucceſſivè futurarum. Sed 52.
contrà: Hujus inſtantiæ materies proprium habet locum *cap. ſeq.* in quo explicabitur an omnes prorſus res exiſtentes poſſit Angelus naturaliter cognoſcere? & in particulari, an & cur nequeat cognoſcere futura antequam ſint: Interim duo adverto: Primum eſt univerſalitatem ſpecierum *ſeq.* §. ſtabiliendam valdè conferre tùm ad vitandã ipſarum ſuperfluitatem, ut enim ſpecies aliqua non ſuperfluat ſatis eſt quod poſſit aliquid actu repræſentare, quamvis deindè in ordine ad aliquid aliud ſit expectanda aliqua conditio, tùm ad effugiendam portentoſam ſpecierum multiplicitatem, quarum ſingulæ ſingulis objectis correſpondeant, & tot ſint v.g quot ſunt futura arborum folia, quot muſcæ naſcituræ, &c. Secundum eſt perperam concipi, quòd minutiorum, viliorumvè rerum ſpecies intellectum deprimant ſuppoſito, quòd eundem non deprimat minutiorum & viliorum rerum cognitio.

53. Actione eductivâ, non creativâ.

Aſſert. 3. Species intentionales fuerunt à Deo in Angelis productæ per eductionem, non per creationem. Ita Gonet *diſp.* 8. *n.* 68. & omnes illi qui docent ſpecies non eſſe rigoroſas proprietates, & paſſiones Angelorum excepto Ioanne à S. Thoma *diſp.* 21. *art.* 3. *n.* 34. *ad tertiam probationem.*

Probatur: Ad eductionem non eſt neceſſe, quod ſubjectum præcedat tempore, ſed ſatis eſt, quòd præcedat naturâ, neque enim major prioritas requiritur ad ſubjectũ eductionis, quàm ad principium efficiens; ergo in ipſomet inſtanti creationis ſubſtantia Angeli potuit eſſe ſufficiens ſubjectum eductionis ſpecierum, hæ verò ex alia parte, utpotè formæ accidentales, educi petunt, non creari; ergo verè productæ ſunt per eductionem.

Dices: quod incipit ſimul cum eſſe rei, fit ab agente eadem actione, quâ dat eſſe rei; atqui ſpecies intentionales incipiunt ſimul cum eſſe Angeli, & Deus dat eſſe Angelo per actionem creativam; ergo etiam ſpecies ipſæ fiunt à Deo per actionem creativam,

&c.

& quamvia non creentur ſimpliciter & ſecundùm ſe, concreantur tamen ſimul cum ſubſtantiâ Angeli. Sed contrà; Major poteſt ad ſummum permitti quoad ea, quæ incipiunt ſimul cum eſſe rei tanquàm rigoroſæ proprietates, & paſſionca ejuſdem rei; tales autem non ſunt ſpeciea reſpectu Angeli, quæ poſſunt quidem dici accidentia Angelorum propria, ideſt Angelis ſpecialiter debita; at non per modum proprietatum, & paſſionum, ut dicebamus *in fine præcedentis* §.

---

§. VI.

Vtrùm ſpecies intellectus Angelici ſint univerſales.

54. ASSERT. Species intellectus Angelici ſunt ex parte ſui ſeu ex parte medij cognoſcendi univerſales in repræſentando. Ità D. Thomas *1.p.q.55.art.3. in 2. diſt.3. q 2. art.2. de verit. q.8. art.10. 2. contrà Gentes cap.*98. Ferrarienſis *hoc eod. cap.* Sylvius *hic q.55. art.3.* Ioannes à S. Thoma *diſp.21. art.4.* Gonet *diſp.8.art.4.* Valentia *q 6. punct. 3.* Amicus *diſp.9. ſect.8.* Eſparza *lib.2.q.13.* Averſa *q.55. ſect.3.* Maderons *q.3. art.6* & cum totâ Scholâ Thomiſticâ major pars Recentiorum contrà Scotum *in 2. diſt.3. q.10. §. iſta òpinio* Ricardum *ead. diſt. art.6. q.2.* Aureolum *in 2. diſt.11.q 3. art.2.* Maſtrium *in 2. diſp.2. q.7. art.1. & 4.* Radam *part.2. controv.9.art.1.* Herinex *hic diſp.3.q.3.n.26.* alioſque Scotiſtas communiter: In hac Thomiſtas inter & Scotiſtas controverſia dubitanter & problematicè loquuntur Molina *hic q.55. art.3.* & Arriaga *diſp.7. ſect.3.* Ex Auctoribus deindè, qui abſolutè ſpecies negant, favent Thomiſtis Henricus, Bachonis, & alij ſuprà relati §.1. aſſignando enim pro medio cognoſcendi aut unicum habitum ſcientialem, aut ſolam eſſentiam Angeli per modum ſpeciei ſe habentem, ponunt medium univerſale in repræſentando, favet etiam Vaſquez *hic diſp.*202. *cap.*2. ubi loquens ex ſuppoſitione, quòd dentur ſpecica, quoad ipſarum univerſalitatem multo communiorem, & veriorem appellat opinionem Thomiſticam.

55. *Quid ſint ſpecies univerſales in ſenſu Thomiſtico.* Dixi *ex parte ſui ſeu ex parte medij cognoſcendi* ad diſtinctionem ſpecierum univerſalium ex parte rei cognitæ, repræſentantium ſcilicet naturas univerſales, & quiditates rerum à ſingularibus abſtractas; quæ quidem ſpecies dicendæ potiùs ſunt ſpecies univerſalium, quàm ſpecies univerſales, & admittuntur à Scoto *in 2.diſt.3.q.11. §. Ad rationes principales*, negantes verò à D.Thomâ *1.p.q.55. art.3. ad* 2. tanquam deducentes ſolùm ad imperfectam & confuſam objecti notitiam, propterèaque minùs conſentaneæ perfectioni intellectus Angelici: Species è contrà à nobia cum S. Doctore aſſertæ, ex parte objecti & rei cognitæ ſunt ſingularium, non univerſalium; habent verò univerſalitatem in ſe, & ex parte medij cognoſcendi, quatenùs deducunt in notiam plurium ſingularium, ſivè ſolo numero, ſivè etiam ſpecie differentium: Hinc fit, quemadmodum contrà Brancaſium advertit Maſtrius *diſp.2. pracit. num.*173. diſcordiam de univerſalitate ſpecierum inter Thomiſtas, & Schotiſtas, non oriri dumtaxat ex eo, quòd illi à Deo infuſas, iſti ab objectia acceptas ſpeciea aſtruant; imò quoad ſpecies ab objectis acceptas (ex ſuppoſitione quod poſſent tales ſpecies in Angelis reperiri) etiam Thomiſtæ conſentiunt univerſales non eſſe, nec ab equo v.g. recipi poſſe ſpeciem repræſentativam Leonis; & diſcordia tota maximè viget circà ſpecies infuſas, quia Scotiſtæ admittendo infundi à Deo Angelis ſpecies, tùm quiditatum, tùm aliquorum ſingularium, negant talibua ſpeciebus ex parte ſui omnem univerſalitatem, & volunt infundendas omninò eſſe tùm pro quolibet individuo, tùm pro qualibet quiditate diſtinctas ſpecie, ſingulas pro ſingulis individuis, ſingulas etiam pro ſingulis quiditatibus, ſeu naturis ſpecificis, cum Thomiſtæ velint per unam ſpeciem infuſam repræſentari poſſe in particulari & ſecundùm proprias differentias, tùm plura individua, tùm plures quiditates, ſeu naturas ſpecificas. *Verus diſcordiæ punctus inter Thomiſtas & Scotiſtas.*

Dixi *univerſales in repræſentando* neque enim ponimus ſpecies intentionales in Angelis eſſe, aut tanquam idæas Platonicas univerſales in eſſendo, aut tanquam naturas abſtractas univerſales in prædicando: Ponimus igitur ſolùm univerſales in repræſentando, ideſt aptas repræſentare multa, & cauſare cognitionem multorum objectorum, aut etiam multas, ac diverſas cognitiones, ex quo ſi quis voluerit eas vocare univerſales in cauſando, dummodò ſubintelligatur intentionaliter, non phyſicè, facilè conſentiam. His præmiſſis pro legitimâ intelligentiâ terminorum, nec non etiam mentis Thomiſtarum & Scotiſtarum in hac controverſia 56. *Species iſtè univerſales in cauſando intentionaliter, & in repræſentando.*

Probatur aſſertum primò: Species ex parte ſui ſeu ex parte medij cognoſcendi univerſales in repræſentandu non repugnant; ergo tales ſunt de facto ſpecies intellectus Angelici; conſequentia conſtabit ex ſecundâ aſſerti probatione, in quâ afferentur convenientiæ tribuendi de facto talea ſpecies intellectui Angelico ſuppoſito, quòd ſint poſſibiles. Antecedens probatur primò quia ex ſupradictis *tract.1. cap.2. §.2.* non repugnat in ordine ſupernaturali ſpecica repræſentativa divinæ eſſentiæ, & omnium, quæ ſunt in Deo tùm formaliter tùm eminenter, ergo à fortiori in ordine naturali non repugnat ſpecies repræſentativa plurium rerum naturalium, quod eſt eſſe ſpeciem univerſalem in repræſentandu: Secundò; Una potentia, unus habitus, unus actus poſſunt habere univerſalitatem in ordine ad plura objecta attingenda; ergo etiam ſpecies poſſunt habere univerſalitatem in ordine ad plura objecta repræſentanda, cur enim poſſunt ſub aliquâ ratione formali plura adunari ad cognoſci 57. *Multipliciter probatur taliū ſpecierum non repugnantia.*

eâdem potentiâ, eodemq; actu, non ad repræſentari eâdem ſpecie? Tertiò, dari poteſt aliquod veſtigium univerſalitatis in ſpeciebus, quas intellectus noſter plura ſimul phantaſmata, pluresvè ſpecies jam præexiſtentes ſpeculando elaborat; ergo à fortiori nulla eſt repugnantia univerſalitatis in ſpeciebus, quas Deus ipſe format abſque ulla dependētiâ à particularibus objectis, nec aliud reſpiciendo, quàm univerſalem repræſentativitatem propriæ eſſentiæ; illud porrò veſtigium univerſalitatis apparet maximè in ſpecie chymeræ, quæ hominem ſimul & Leonem v. g. repræſentat. Hæc poſitiva argumenta non repugnantiæ ſpecierum univerſalium in repræſentando corrohorantur argumento negativo, ex eo ſcilicet quod nulla ſit aſſignabilis ratio repugnantiæ quod quidem negativum argumentum licet in pari causâ, in quâ ex alibi dictis præſumptio ſtat pro impoſſibilitate, infirmum ſit; tale tamen non eſt in præſenti, ubi non repugnantia poſitivis etiam rationibus validiùs ſuadetur, quàm repugnantia.

58. Affertur multiplex ratio repugnantiæ contrà univerſalitatē ſpecierum.

Dices multiplicem aſſignari poſſe rationem repugnantiæ contra ſpecies in repræſentando univerſales. Prima ſit, quia ſpecies à Deo infuſæ debent eſſe ejuſdem rationis cum ſpeciebus ab objecto acceptis; atqui repugnat ſpecies ab objecto acceptas eſſe univerſales, ergo: major probatur ſpecies à Deo infuſæ præſtant id, quod præſtarent ſpecies ab objectis acceptæ; ſunt objectorum imagines; de ratione autem imaginis eſt produci aut ſaltem produci poſſe ab eo cujus eſt imago; differunt igitur ſpecies infuſæ ab acquiſitis ſolùm extrinſecè ex parte efficientis & modi efficiendi, intrinſecè verò, & in ſe ipſis ejuſdem rationis ſunt. Secunda ſit, quia repugnat ſpecies repræſentativa infinitarum, vel omnium creaturarum; eſſet quippè talis ſpecies cathegorematicè infinita; atqui ſemel admiſſo quod una ſpecies poſſit repræſentare plura poterit repræſentare plura & plura in infinitum; ergo poterit repræſentare res etiam infinitas; ergo. Tertia ſit, quia ſi eſſent dabiles ſpecies univerſales, eſſet dabilis ſpecies repræſentans diſtinctè & in particulari plura etiam diſparata; atqui talis ſpecies non eſt dabilis, quia vel repræſentaret plura ut convenientia in aliquo prædicato communi, vel non; ſi primum talis ſpecies non repræſentaret plura diſtinctè & in particulari ſecundùm proprias rationes formales; ſi ſecundum repræſentaret plura ut nullam habentia unitatem, adeoque etiam ſpecies ipſa, cujus unitas ex unitate objecti derivatur, nullam haberet unitatem in ſe, quod repugnat entitati realiter exiſtenti. Quarta ſit, quia ſpecies eſt imago & ſimilitudo eorum, quorum eſt ſpecies, atqui repugnat unam, eamdemque rem eſſe imaginem & ſimilitudinem plurium diverſorum in eo, in quo diverſa ſunt; ergo repugnat ſpecies repræſentativa plurium ſecundùm propria, & diverſa prædicata ſingulorum. Sed contrà:

59. Ad primam rationem repugnantiæ vel nego abſolutè majorem, vel dico ſpecies infuſas debere eſſe ejuſdem rationis æquivalenter, non formaliter; debere præſtare, at non eodem modo, quod præſtarent ſpecies ab objectis acceptæ, ad rationem imaginis ſufficere, quòd producatur æquivalenter ab eo, cujus eſt imago; æquivalenter autem ab eo producitur, quoties producitur ab aliquo continente totam illius intelligibilitatem, & activitatem. Cæterùm contra Scotiſtas admittentes ſpecies infuſas poſſibilium & naturarum univerſalium retorqueri poteſt inſtantia, quia ſi ſpecies infuſæ deberent eſſe ejuſdem rationis cum ſpeciebus ab objecto productis, ſicuti res poſſibiles & naturæ univerſales nullas poſſunt ſui ſpecies producere ità de rebus poſſibilibus & naturis univerſalibus nullæ poſſent à Deo ſpecies infundi: Concedunt hoc quidem Sectatores Henrici, at contra ipſos extendi poteſt inſtantia ad res tempore, vel loco diſtantes, probando quod neque talium rerum poſſet Deus ſpecies infundere, ſicuti neque ipſæ ut tales poſſunt ſui ſpecies producere. Solvitur prima ratio repugnantiæ.

60. Ad ſecundam rationem repugnantiæ dico falſam eſſe minorem ex terminis, quibus eodem proportionaliter modo diſpoſitis probaretur dari poſſe infinitum cathegorematicum ubicumque reperitur ſyncathegorematicum, jure proptereà poſſet cum Amico *hic disp.9. ſect.9.* concedi repugnans ſpecies repræſentativa infinitorum, quamvis dentur ſpecies repræſentativæ plurium & plurium: nihilominùs conformiùs ad ſupradicta *tr.1. lib.2. cap.2. §.2. & cap.5. §.8.* nego repugnare ſpeciem repræſentativam infinitarum, vel omnium creaturarum, & quæ ibi dicebamus ſuſtinendo nec ſpeciem objecti infiniti, nec cognitionem omnium poſſibilium, debere eſſe intrinſecè, & entitativè infinitam, transferri huc poſſunt ad idem proportionaliter ſuſtinendum in ſpecie infinitarum, vel omnium creaturarum repræſentativâ, proptereà hanc difficultatem in præſenti ex profeſſo non agito, quamvis id hîc præſtent Amicus *loco cit.* Maſtrius *quæſt.7. præcis.a.1.* talis ſpeciei repugnantiam ſuſtinentes; Arriaga verò *diſp.7. ſect.2.* Madernus *q.3. art.7.* aſſerentes ejuſdem non repugnantiam. Solvitur ſecunda.

61. Ad tertiam rationem repugnantiæ admitto ſpeciem repræſentantem plura diſparata Solvitur non præcisè ut convenientia in aliquo præ- tertia. dicato communi; ſed etiam ut exprimentia rationes proprias, & differentiales, in quibus diverſa & diſparata ſunt; dico autem plura ſic conſiderata non habere quidem ullam unitatem rationis *quæ*, & in eſſe entis; habere tamē poſſe unitatē rationis *ſub quâ*, & in eſſe repræſentabilis, & hanc unitatē ſufficere ad tribuendam unitatem ſpeciei, ipſamq; ſpecificandam, ſicuti potentiæ & habitus unitatem ſuam, & ſpecificationem, ſortiuntur ab objectis omninò diverſis in ratione entis, convenientibus ſolùm in unâ ratione *ſub quâ*, puta in ratione veri reſpectu intellectus, in ratione boni reſpectu voluntatis, in ratione revelabilis à Deo reſpectu habitus fidei divinæ, &c. Porrò in propoſito

ſicuti

ſicuti ratio *ſub quâ* in eſſe ſcibilis eſt diverſa reſpectu diverſarum ſcientiarum, ità ratio *ſub qua* in eſſe repræſentabilis eſt diverſa reſpectu diverſarum ſpecierum; ſic v.g. reſpectu unius ſpeciei eſt habitudo ad unũ mundi elementum, & quæcumque dicunt talem habitudinem habent unam rationem *ſub qua* & ſunt repræſentabilia ab illâ ſpecie; reſpectu alterius eſt habitudo ad partem mundi auſtralem, reſpectu alterius habitudo ad inſerviendum homini, & in univerſum reſpectu ſpeciei univerſalioris eſt habitudo univerſalior, & pluribus conveniens: harum diverſarum habitudinum ratio à priori eſſe poteſt diverſa participatio divinarum idæarum, vel potiùs divinæ eſſentiæ, quatenùs eſt univerſaliſſima ſpecies.

62. Solvitur quarta.

Ad quartam rationem repugnantiæ dico imaginem aliam eſſe formalem, aliam virtualem, & æquivalentem; aliam item eſſe formalem aliam virtualem, & æquivalentem ſimilitudinem. Imago, & ſimilitudo formalis fundatur in unitate formæ; & quia una forma nequit convenire pluribus diverſis, quatenùs diverſa ſunt, nequit eadem res eſſe imago, & ſimilitudo formalis plurium diverſorum in eo in quo ſunt diverſa. Imago, & ſimilitudo virtualis, & æquivalẽs fundatur in unitate repræſentationis præſtitæ in genere efficientis, non in genere cauſæ formalis; & quia idem efficiens præſtare poteſt diverſos effectus, poteſt eadem res eſſe imago virtualis & æquivalens diverſorum etiam in eo, in quo diverſa ſunt. Porrò imagines naturales & artificiales sũt imagines formales; imago verò, & ſimilitudo intentionis eſt imago virtualis & æquivalens, ut patet in Idæis, cum igitur ſpecies ſit imago intentionalis eorum, quæ repræſentat, conſequens eſt, quòd ſit imago ipſorum virtualis, & æquivalens, & quòd poſſit eſſe imago diverſorum in eo, in quo diverſa ſunt.

63. Congruentiæ ſuadentes univerſalitatem ſpecierum in Angelis.

Probatur aſſertum ſecundò: Species in parte ſui univerſales in repræſentando ſuppoſito, quòd ſint poſſibiles, ut hucuſque oſtenſum eſt, ſunt etiam intellectui Angelico valdè conſentaneæ, & convenientes; ergo eidem de facto concedendæ. Probatur antecedens primò ex majori Angelorum ad Deum propinquitate, ratione cujus convenit ipſos intelligere per media aliquo modo univerſalia, ſicuti Deus intelligit per unicum medium univerſaliſſimum: Secundò ex eorumdem ad homines ſuperioritate, ratione cujus convenit per pauciores ſpecies in ipſis repræſentari, quæ in hominibus repræſentantur per plures, ut verificetur uniri in ſuperioribus, quæ ſunt in inferioribus diſperſa. Tertiò ex modo habendi ſpecies non ab objectis ipſis, ſed à divinâ eſſentiâ proximè & immediatè exẽplatas; convenit autẽ produci cum aliquâ univerſalitate imagines, quæ immediatè & proximè ab univerſaliſſimo exẽplari proveniũt. Quartò quia Angeli *ex præced. num.* 50. habent ſpecies omnes ſibi coævas, ſimulque infuſas in creationis inſtanti, quod propter infinitatem rerum toto æternitatis decurſu futurarũ inferret ſpecies ab initio infuſas eſſe cathegorematicè infinitas, niſi eſſent univerſales.

Dices has congruentias infirmari poſſe alijs congruentiis contrà aſſertam ſpecierum univerſalitatem militantibus, quarum prima ſit, quòd convenit Angelis clara & diſtincta ſingularum rerum cognitio; hæc autem meliùs habetur per ſingulares ſpecies ſingularum rerum proprias, quàm per univerſales, quæ repræſentando res in univerſali repræſentant in confuſo. Secunda ſit, quod datis ſpeciebus univerſalibus non poſſet Angelus cognoſcere unũ ſingulare ſeorſim, quia cum ſpecies naturaliter, & æquè primò repræſentet quidquid repræſentat, non poſſet Angelus habere actum ſpeciei inadæquatum. Tertia ſit, quòd Angelus nullum objectum cognoſceret per ſpeciem propriam ipſius, ſpecies enim univerſalis, & pluribus objectis communis, nullius ſingularis objecti poteſt eſſe propria. Sed contrà:

64. Refelluntur congruentiæ militantes contrà univerſalitatẽ ſpecierum.

Ad primam congruentiam dico ipſam habere vim contrà ſpecies univerſales ex parte rei cognitæ, non contrà ſpecies univerſales ex parte medij cognoſcendi juxtà ſupradicta *num.* 55. Ad ſecundum dico ſpeciem proportionari potentiæ, cujus exigentiæ tribuitur, ideò ſpecies intellectus Angelici quoad majus vel minus exercitium ſuæ repræſentativitatis ſubeſſe voluntati æquè, ac ſubſit intellectus quoad majus vel minus exercitium ſuæ intellectivitatis. Ad tertiam, Angelus nullum objectum cognoſceret per ſpeciem propriam ipſius tantùm tranſeat, per ſpeciem propriam ipſius & aliorũ nego; ſpecies enim univerſalis, & excedens poteſt ſecundùm diverſas habitudines eſſe propria plurium, quamvis non ſit ſpecies particularis & præcisè adæquata. Deindè ſpecies poteſt dici propria alicujus vel quia conveniat ei tantùm, vel quia ipſum repræſentet ſecundùm prædicata propria diſtinctè & ut ſunt in ſe; primo, non ſecundo modo Angelus nullum objectum cognoſceret per ſpeciem propriam. In univerſum has congruentias nihil concludere infertur ex eo, quòd poſſunt omnes retorqueri contrà univerſalitatem repræſentandi repertam in divinâ eſſentiâ.

§. VII.

Vtrùm ſpecies intellectus Angelici in ſuperioribus & perfectioribus Angelis ſint univerſaliores?

65. Species in Angelis etiam ſolo gradu ſpecifico ſuperioribus ſunt univerſaliores.

ASSERT. Species intellectus Angelici ſunt in ſuperioribus, & perfectioribus Angelis univerſaliores: Idque intelligo de ſuperioritate Angelorum non ſolùm in Hierarchiâ per ordinem, ſed etiam in ſolo gradu ſpecifico. Ità D. Thomas, Sylvius, Ioannes à S. Thomâ, Gonet, Valentia, Eſparza, Averſa locis præcitatis in aſſerto præcedento; item Amicus *hic diſp.* 9. *ſect.* 10. *&* 15. Dequiros *diſp.* 58. *ſect.* 4. Lugus *diſp.* 8. *cap.* 4. *num.* 29.

*num.*29. Suarez *lib.* 2. *cap.* 16. &c. contrà Auctores negantes ſpecieb. omnem univerſalitatem, & magis directè contrà Maſtrium *in* 2. *diſp.*2. *q.*7. *art.*7. ubi ex ſuppoſitione etiam quod darentur ſpecies univerſales, negat fore in ſuperioribus Angelis univerſaliores; Vaſquium *diſp.*203. *cap.*4. ubi poſt admiſſam ex ſuppoſitione, quòd dentur ſpecies, ipſarum univerſalitatem propendet ad negandam univerſalitatem inæqualem; Arriagam *diſp.*2. *ſect.* 4. *num.*14. Maderuum *q.*3. *art.*6. *num.*7. probabile eſſe exiſtimantes, quòd omnibus & ſingulis Angelis indita fuerit ab initio unica ſpecies de omnibus objectis, quæ tunc poterant naturaliter cognoſcere. Particulæ illæ *Idque intelligo de ſuperioritate,&c.* ſunt ſpecialiter contra Ferrarienſem 2. *contra Gentes cap.*9?. §. *circà concluſionem ipſam* Ægidium *in* 2. *diſt.* 3. *part.*2. *q.*2. *art.*2. Hervæum *ead. diſt. q.*4. *art.*4. Molinam *hic q.*55. *art.*3. §. *Quare*, ubi ex ſuppoſitione quod defendatur ſpecierum univerſalitas vult ſentiendum eſſe eum Ferrarienſi admittente ſpecies univerſaliores ſolùm in Angelis ſuperioribus quoad ordinem, ejuſdem verò univerſalitatis in omnibus Angelis ejuſdem ordinis licèt diverſæ ſpeciei.

66. Probatur aſſertum, quia ex unâ parte ſuppoſito quòd non repugnent ſpecies univerſales, neque etiam repugnant ſpecies magis, vel minùs tales, & in univerſalitate inæquales; ex aliâ parte appropinquatio ad Deum, & ſuperioritas ad homines ex quâ ſuprà inferebamus ſpecies univerſales, major eſt in Angelis perfectioribus, infert igitur in iſtis ſpecies univerſaliores, & quia Angeli etiam ſuperiores in ſolo gradu ſpecifico majorem illam ad Deum appropinquationem, & ad homines ſuperioritatem habent, etiam iſtis univerſaliores ſpecies ſunt concedendæ; & cum D. Thomas quoties in ſuperioribus Angelis univerſaliores ſpecies aſtruit, abſolutè & ſine diſtinctione loquatur, perperam Ferrarienſis id limitat ad ſuperiores ſuperioritate ordinis: Nec refert, quod ait Angelos in eodē ordine eſſe propinquiſſimos ſecundùm ſpeciem; nam quidquid ſit de hoc, nihil aliud infertur, quàm etiam ſpecies intentionales eſſe ſibi ſecundùm majorem, vel minorem univerſalitatem valdè propinquas.

67.

Occurritur argumentis Ferrarienſis.

Non item refert, quòd dentur plura animalia irrationalia diverſæ ſpeciei abſque eo, quòd unum habeat plures, aut pauciores vires ſenſitivas quàm aliud; nam hinc malè infertur inter Angelos diverſæ ſpeciei unum non habere plures, aut pauciores ſpecies alio; cum non conveniat potentiis, ſeu viribus ſenſitivis univerſalitas, quæ convenit ſpeciebus; nec poſſint per unicam potentiam haberi ſenſationes duarum potentiarum, ſicuti poteſt per unicam ſpeciem haberi repræſentatio duarum ſpecierum.

Probatur aſſertum ſpecialiter contrà Arriagam & Maderuum: Species intentionales in Angelis debent eſſe inæquales in perfectione non ſolùm intenſivâ, quatenùs repræſentāt eadem objecta cum inæquali claritate; verùm etiam in perfectione extenſivâ, quatenùs repræſentent plura, vel pauciora objecta; at juxtà Arriagam & Maderuū ſalvatur ſolùm inæqualitas in perfectione intenſivâ, ergo: major probatur; Angelus ſuperior non ſolùm intelligit clariùs eadem objecta, quæ inferior; ſed etiam poteſt intelligere uno actu plura, quàm poſſit inferior ex infrà dicendis *cap.* 3. *num.*15. ergo habet in actu primo medium non ſolùm clariùs, ſed etiam plura repræſentans, ne cogatur ad unum actum uti pluribus mediis, pluribuſvè ſpeciebus. Neque dicas eodem modo probaretur etiam potentiam intellectivam in Angelo ſuperiore debere ad plura ſe extendere quàm in Angelo inferiore; ex quo ulteriùs inferretur ſuperioribus Angelis deberi univerſaliores, & pauciores potentias intellectivas; plures verò, & minùs univerſales Angelis inferioribus. Contrà enim, ut inſtantia alicujus eſſet roboris, deberet aliundè conſtare potentiam intellectivam eſſe capacem majoris minoriſve univerſalitatis, ſicuti ſpecies; at conſtat oppoſitum, quia intellectus eſt eſſentialiter potētia univerſaliſſima tendens in omne ens, & ut attigimus *tract.*1. *lib.*2. *cap.*8. *num.*9. non eſt dabilis intellectus cognoſcitivus alicujus iſtùm determinati entis, ideò inſtantia eſt de ſubjecto non ſupponente. Confirmatur aſſertum contrà eoſdem Auctores ex eo quòd malè ſupponunt fuiſſe Angelis in inſtanti creationis inditas ſpecies duntaxat rerum tunc exiſtentium, nec ſalvant univerſalitatem ſpecierum in ordine ad alias res ſucceſſivo decurſu temporis cognoſcendas; malè item ſupponitur Angelos inferiores cognoſcere per unicam ſpeciem omnes Angelos ſuperiores, cujus oppoſitum tradetur infrà *num.*72. malè tandem ſupponunt nullam eſſe neceſſitatem multiplicitatis ſpecierum, nam mox poſita aſſerti probatio controverſæ neceſſitatis oſtenſio eſt.

68.

Intellectus non poteſt eſſe magis, aut minùs univerſalis.

Dices ex inæqualitate extenſivâ & multiplicitate ſpecierum magis vel minùs univerſalium in Angelis ſequi tria graviſſima abſurda: Primum in aſcenſu verſus Angelum ſupremum, in quo aſcenſu neceſſe eſt devenire ad Angelum intelligentem omnia per propriam ſubſtantiam: Secundum in deſcenſu versùs Angelum infimum, in quo deſcenſu neceſſe eſt devenire ad Angelum, cujus ſpecies univerſales vix ſe extendant ad plura individua unius naturæ ſpecificæ: Tertium ſiſtendo in quolibet Angelo aſſignabili, in quo neceſſe eſt admittere ſpeciem repræſentantem infinita objecta. 69.

Abſurda quæ objiciuntur cōtrà inæqualem univerſalitatem extenſivam ſpecierum.

Primum abſurdum ſic oſtenditur: vel Angelus ſupremus de facto exiſtens omnia alia à ſe intelligit per unicam ſpeciem, vel ſaltem ulteriùs aſcendendo devenietur ad Angelum taliter intelligentem; atqui hoc Angelo eſt dabilis alius ſuperior, ergo hic intelliget minùs quàm per unicam ſpeciem; adeóque & ſe, & alia à ſe, per propriam ſubſtantiam.

Secundum abſurdum ſic oſtenditur: Vel Angelus infimus de facto exiſtens intelligit ſingulaa

ſingulas naturas ſpecificas per ſingulas ſpecies illas repræſentantes cũ ſuis individuis de facto exiſtentibus, vel ſaltem ulteriùs deſcendendo devenietur ad Angelum taliter intelligentem; atqui hoc Angelo eſt dabilis alius inferior, ergo hic intelliget per ſpecies non ſe extendentes ad naturã ſpecificam cum omnibus ſuis individuis de facto exiſtentibus, imò ulteriùs adhuc deſcendendo devenietur tandem ad Angelum cujus ſpecies repræſentent naturas in unico individuo exiſtentes, & omni careant univerſalitate.

Tertium abſurdum ſic oſtenditur: Infrà quemlibet Angelum aſſignabilem ſunt poſſibiles Angeli infiniti omnes inter ſe inæquales & omnes perfectiores homine; ergo ille Angelus aſſignatus debet de facto habere ſpeciem extenſivè univerſaliorem & repræſentativam plurium objectorum, quàm ſint ſpecies infinitorum Angelorum inæqualium infrà ſe poſſibilium, cum igitur hæ ſpecies ſint infinitæ & in infinitum decreſcant quoad univerſalitatem, repræſentationemque pauciorum ſemper, & pauciorum objectorum, non poteſt illa repræſentare plura objecta; niſi repræſentet objecta infinita; nequit enim finita objectorum multitudo eſſe major objectis illis, ex quibus fieri poſſunt infinitæ objectorum combinationes, licèt minores ſemper, & minores.

70. Sed contra primò: poſſet in univerſum reſponderi nos loqui tantùm ſecundùm præſentem providentiam, nec non de Angelis tantùm de facto exiſtentibus, & habentibus duntaxat ſpecies rerum exiſtentium; utrùm deindè univerſalitas ſpecierum, quam de facto ſuſtinemus, eſſet pariter ſuſtinenda in quacumque aliâ creatione Angelorum, aut infuſione ſpecierum ad poſſibilia ſe extendentium, eſt diverſa quæſtio, in quâ poſſumus diverſimodè ſentire: Contra ſecundò Arriaga, qui *diſp. 7. præcit. num.* ſpecialiter objicit tertium abſurdum, tenetur ipſemet eidem argumento reſpondere, ſi contrà intenſivam, quam in Angelis aſtruit, ſpecierum inæqualitatem ſic formetur. Quolibet Angelo aſſignabili ſunt poſſibiles infiniti alii inferiores & inferiores quibus debeantur ſpecies in infinitum remiſſiores & remiſſiores; ergo ille Angelus aſſignatus habet ſpeciem infinitè intenſam, nam infrà ſpeciem finitam nequit fieri deſcenſus per ſpecies infinitas, licèt remiſſiores & remiſſiores: Contrà tertiò ne videar difficultates ſubterfugere, ſingulis abſurdis ſigillatim occurro.

71. Eluditur primum abſurdum.

Ad primum do hypotheſim, quâ deveniatur ad Angelum intelligentem omnia alia à ſe per unicam ſpeciem; ut tamen ſupponatur quòd cum tali unicâ ſpecie perſeveret, debet ſimul ſupponi, quòd perſeveret in eſſe ſupremi; cæterùm ſi creetur aliquis Angelus ſuperior, hic quidem omnia alia à ſe per unicam ſpeciem intelliget, at in illo, qui anteà erat ſupremus, ſicut & in cæteris omnibus ipſo inferioribus, producetur nova ſpecies repræſentativa Angeli ſupremi creati de novo; ille propterea intelliget per duas ſpecies, per unam, quam habebat anteà, omnia ſibi inferiora; per aliam infuſam de novo Angelum ſuperiorem de novo creatum; hâc ratione aſcendendo in infinitum in Angelorũ ſuperiorum & ſuperiorum creatione ſemper ſuperior habebit pauciores ſpecies non per minorationem dualitatis in Angelo ſupremo ſed per additionẽ pluralitatis in Angelis inferioribus, ut loquitur Caietanus *hic q. 55. art. 3. §. contrà eamdem*, per dualitatem autem intelligit Caietanus ſpeciem accidentalem, quâ ſupremus Angelus intelligit omnia alia à ſe, & ſpeciem ſubſtantialem, id eſt propriam ſubſtantiam, per quam tanquam per ſpeciem intelligit ſe. Pro majori hujuſce reſponſionis firmitate duo breviter ſtabilienda ſunt. Stabiliendum eſt primò cum Jo. à S. Thomâ *hic diſp. 21. art. 4. n. 55.* Nazario *controv. 1.* Lugo *diſp. 8. c. 4. n. 55.* aliiſque pluribus Angelum habere ſpecies univerſales ſolùm in ordine ad objecta ſibi inferiora, ab Angelis enim æqualibus adæquatur, à ſuperioribus exceditur ipſius virtus intellectiva, ſpecies igitur particularis Angeli æqualis, & multò magis Angeli ſuperioris, eſt adæquata tali virtuti intellectivæ; adeóque ſpecies, quæ eſſet univerſalis, & in ſua repræſentativitate contineret aliquid ampliùs, eidem virtuti foret improportionata, nec poſſet habere ſtatum ſibi adæquatum: Hinc fit Angelos infimi ordinis plurimas habere ſpecies particulares, tot ſcilicet, quot ſunt Angeli ipſis ſuperiores, aut æquales; nec video cur hoc tanquam inconveniens nobis objiciat Maſtrius *art. 7. præcit. num.* 251. cum præſertim ipſe concedat particulares ſpecies pro cognitione quorũlibet ſingulariũ etiam inferiorum. — 72. Univerſalitas ſpecierum eſt tãtùm reſpectu rerum inferiorum.

Stabiliendum eſt ſecundò, aut nullum Angelum, aut ſolum Angelum ſupremum de facto habere unicam rerum omnium inferiorum ſpeciem; ſi enim hoc pluribus de facto conceditur vix poteſt omnibus non concedi; omnibus autem concedendum id non eſt, quia ſpecierum univerſalitas, quæ ex mox dictis ſolùm reſpectu rerum inferiorum attenditur valdè exiguã admitteret inæqualitatem, & nimis Angeli omnes ad modum, quo intelligit Deus, accederent, nimiſque ſuprà modum, quo intelligit homo elevarentur, ſi omnes inferiora omnia intelligerent unicâ ſpecie; quando tamẽ plures diverſi Angeli ſic intelligentes darentur, talis unica ſpecies eſſet in quolibet Angelo ſuperiore univerſalior, & plurium repræſentativa; nam ſpecies exiſtens in quolibet Angelo ſuperiore ultrà ea omnia, quæ repræſentantur per ſpeciem exiſtentem in Angelo immediatè inferiore, repræſentaret ipſum Angelum immediatè inferiorem. — 73. Non omnes Angeli intelligũt res omnes inferiores per unicam ſpeciem.

74. Eluditur ſecundum abſurdum.

Ad ſecundum dico in deſcenſu versùs minimum eſſe aſſignandum Angelis terminum aliquem, ad quem cum deventum fuerit nequeat creari Angelus minùs perfectus, cui debeantur ſpecies minùs univerſales; quiſnam deindè determinatè ſit talis terminus, & quænam ſit univerſalitas minima, quæ poſſit ſpeciebus intellectus Angelici convenire, nobis non conſtat: Hoc poſito ad hypotheſim inſtantiæ admitto deveniri ad Angelum,

gelum, qui ad ſingulas naturas ſpecificas cum ſuis individuis exiſtentibus cognoſcendas ſingulis ſpeciebus indigeat, ſed dico deindè non conſtare, utrùm ſit dabilis alius Angelus inferior, nec utrùm ille ſit terminus ultimus univerſalitatis ſpecierum; conſtare autem ſolùm, quòd ſaltem quando deventum fuerit ad Angelum, cujus ſpecies non habeant niſi univerſalitatem repræſentandi naturam exiſtentem in duobus individuis, tunc impoſſibilis ſit Angelus inferior, ſicuti impoſſibilis eſt univerſalitas ſpecierum minor. Porrò neceſſitas ponendi in Angelis terminum aliquem versùs minimum magis conſtabit ex doctrinâ ſequentis reſponſionis.

75. *Eluditur tertium abſurdum.* Ad tertium nego abſolutè antecedens, ratio negationis eſt finita diſtantia quæ intercedit inter hominem & Angelum quemcumque aſſignabilem; intrà diſtantiam autem finitam ſeu perfectionis finitæ impoſſibile eſt multiplicari in infinitum res ſemper quidem minùs, & minùs perfectas; at unâ certâ & determinatâ perfectiores, quemadmodum in caſu controverſo multiplicarentur in infinitum Angeli inferiores quidem & inferiores, at ſemper perfectiores homine. Neque dicas, intrà latitudinem finitæ extenſionis deſumi poſſunt in infinitum partes minores ſemper & minores; ergo intrà diſtantiam finitæ perfectionis multiplicari poſſunt in infinitum Angeli inferiores & inferiores. *In Angelis perfectionis inæqualis datur terminus versùs minimum.* Contrà enim; diſparitas eſt, quia latitudo finitæ extenſionis nullum habet certum & determinatum terminum, quem debeant excedere omnes partes minores & minores; ſicuti diſtantia finitæ perfectionis, de quâ ſermo eſt in præſenti, habet hominem pro certo, & determinato termino, quem debent Angeli omnes inferiores & inferiores excedere; undè Amicus *hic diſp.* 5. *n.* 205. rectè inſtantiam retorquet ſeu implicat intrà latitudinẽ extentionis finitæ dari partes quantitatis infinitas majores unâ certâ & determinatâ, ergo implicat intrà diſtantiam eſſentialis perfectionis finitæ dari eſſentias infinitas ſuperiores unâ certâ & determinatâ. Neque dicas inſuper, repugnat creatura imperfectiſſima quâ non ſit dabilis imperfectior, ergo etiam Angelus infimus, quo non ſit dabilis inferior: Contrà enim repugnat ad ſummum creatura imperfectiſſima ſimpliciter & tendendo versùs nihilum, inter quod & Deum eſt infinita diſtantia, & per conſequens poteſt in infinitum procedi; non ſic repugnat creatura imperfectiſſima in aliquo determinato genere & intrà determinatam diſtantiã ac certum terminum, talis autem eſt Angelus infimus ideò non repugnat.

76. *Non ſic versùs maximum.* Neque dicas tandẽ nullus debetur Angelis terminus versùs maximum, & quocumque Angelo eſt dabilis ſuperior in infinitum; ergo pariter nullus debetur Angelis terminus versùs minimum, & Angelo quocumque eſt dabilis inferior in infinitum: Contrà enim tranſeat antecedens, nego conſequentiam diſparitas eſt, quia versùs maximum datur infinita diſtantia, nec aſſignatur ullus terminus, ſeu ulla creatura, quâ quilibet Angelus debeat eſſe imperfectior; ſicuti versùs minimum aſſignatur terminus, & creatura, quâ quilibet Angelus debet eſſe perfectior.

Ex dictis infertur primò in quolibet Angelo, ſaltem ſi ſupremum excipias, dari aliquas ſpecies univerſales & repræſentantes plura objecta, aliquas particulares & repræſentantes unicum objectum; & utraſque has ſpecies eſſe plures in Angelis inferioribus, pauciores in ſuperioribus; particulares quidem quia Angeli inferiores habent plures ſuprà ſe, adeóque pro ſingulis plures particulares ſpecies; ſuperiores è contrà: ſpecies etiam univerſales plures ſunt in inferioribus, quia veriſimile eſt, vel nullum ex de facto exiſtentibus, vel ſolùm Angelum ſupremum, vel ſaltem alios valdè paucos omnia inferiora intelligere per unicam ſpeciem cæteri autem prout magis recedunt magiſque diſtant ab intelligente per unicam ſpeciem, habent etiam ſpecies magis recedentes ab unicitate, & magis plurificatas. 77. *Quilibet Angelus habet ſpecies aliquas particulares univerſales.*

Infertur ſecundò ſpecies univerſales in multis Angelis æquales eſſe quoad univerſalitatem, & numerum; in multis quoad utrumque inæquales; & in aliquibus fortè inæquales quoad univerſalitatem, æquales quoad numerum: Primum evenit in Angelis, qui individualiter ſolùm differunt ſub eâdem ſpecie; ſecundum in illis, qui ſunt diverſæ ſpeciei, & hîc Thomiſtæ loquuntur conformiter ad ſua principia, dum ſicuti ponunt quemlibet Angelum eſſe diverſæ ſpeciei ab alio quolibet, ità agnoſcunt in quolibet Angelo ſpecies in univerſalitate inæquales; tertium in illis, ſi tales aliqui de facto dantur, qui omnia inferiora intelligunt per unicam ſpeciem, hi enim habent ſpecies univerſales æquales quoad numerum, quia habẽt omnes unicam, inæquales quoad univerſalitatem quia *ex præced. n.* 73. talis unica ſpecies eſt in quolibet Angelo ſuperiore univerſalior & quidem extenſivè, non intenſivè tantùm, quamvis Malonius *diſp.* 23. *ſect.* 1. Eſparza *q.* 13. *art.* 4. aliique nonnulli eorum, qui ſe nobiſcum ſentire profitentur, contenti ſint ſuſtinere in tali ſpecie inæqualitatem intenſivam; at hoc eſt aliquid cedere Adverſariis, & in aliquo ſuperiore Angelo admittere ſpeciem accidentaliter ſolùm, non eſſentialiter univerſaliorem. 78. *Species univerſales in aliquibus Angelis æquales in aliquibus inæquales ſunt.*

Libenter ſpecierum univerſalitatem concluderem inquirendo, quanta determinatè ſit in quolibet Angelo, & quot objecta repræſententur per hujus, quot per illius Angeli quamlibet ſpeciem; at res eſt omninò ignota, & in quâ non ſolùm certâ aliquâ ratione definiendo, ſed nec probabili ullâ conjecturâ divinando poteſt aliquid affirmari, quis etenim aut dignoſcat, quot ſint gradus ſpecifici Angelorum, quantus exceſſus unius ſuprà alium, quanta determinatè perfectio cujuſlibet intellectus Angelici; aut ſine horum notitiâ divinet, quanta determinatè ſit univerſalitas cujuſlibet ſpeciei intentionalis in quolibet Angelo? 79. *Singularum ſpecierum quanta ſit univerſalitas nec divinari, nec definiri poteſt.*

§. VIII.

§. VIII.

Expediuntur nonnulla de intellectu Angelico, tùm ad proprias ſpecies comparato, tùm ſecundùm ſe.

ASSERT. Quidquid poteſt ſub hoc titulo dubitari, aut levis momenti eſt, aut facilem habet ex hucuſque dictis ſolutionem.

Probatur diſcurrendo per varia dubia ad hunc titulum pertinentia.

Dubitatur primò: Vtrùm in intellectu Angelico ſpecies intentionales ſint indiſtinctæ realiter ab intellectionibus, ſeu, quod idem eſt, vtrū intellectus Angelicus ad intelligendum determinetur à ſpeciebus formaliter, & fiat formaliter intelligens per ipſas? Affirmat Aureolus *in 2. diſt. 11. q. 3. art. 2.* ubi quamvis idem afferat de intellectu humano, quæſtionem ex profeſſo agitat de intellectu Angelico: Negant Lugus *hic diſp. 8. cap. 2. num. 23.* Amicus *diſp. 9. ſect. 7.* & licet pauciores Theologi rem hanc examinent ſub propriis terminis, plurimi tamen poſſunt pro parte negativâ recenſeri, & in primis Doctores Angelicus, & Subtilis, quatenùs docent ſpecies eſſe principia intellectionum in genere efficientis, quod ſimiliter tradunt alij Theologi communiſſimè, quorum multos refert Lugus *cit. num. 23.*

80. Reſpondeo negativè primò quia ſpecies intellectus Angelici ex ſupradictis ſunt à Deo infuſæ, intellectiones autem ut potè actus vitales nequeunt per nos ab extrinſeco infundi; ſecundò quia intellectus Angelicus fieret intelligens merè paſſivè ſe habendo, per meram ſcilicet ſpecierum receptionem; tertiò quia Angelus vel ſemper actu intelligeret omnia objecta, quorum habet ſpecies, vel quoties ceſſaret ab alicujus objecti intellectione, amitteret talis objecti ſpeciem; quartò quia ſpecies ſunt ſimplices entitates, intellectio autem in noſtris principiis collocantibus actionem in complexo, ſicuti eſt actio vitalis, ità eſt entitas complexa: Neque dicas imò ſi intellectio eſt complexum, non poteſt eſſe complexum niſi intellectus & ſpeciei intelligibilis, & per conſequens non diſtinguitur à ſpecie; Contrà enim adhuc diſtinguitur à ſpecie inadæquatè, nec ſpecies eſt tota intellectio, ut docet opinio quam impugnamus.

Species in Angelis nō debent poni realiter indiſtinctæ ab intellectione.

81. Dubitatur ſecundò: Quomodò primo excitentur in intellectu Angelico ſpecies, ſeu à quo intellectus Angelicus determinetur in uſu ſpecierum circà primam cognitionem unius objecti præ alio: Ratio dubitandi eſt, quia ex unâ parte conſtat nō excitari ſpecies in Angelo eo modo, quo in homine, miniſterio ſcilicet ſenſuum, & ſpeculatione phantaſmatum; ex alia parte cum non habuerit Angelus in primo creationis inſtanti actualem cognitionem omnium à ſe naturaliter cognoſcibilium, ſequitur quod plura de novo cognoſcat; difficultas jam eſt, à quonam excitetur ſpecies novi objecti pro prima cognitione; ſemper ne ab extrinſeco? puta ab alio Angelo, vel à Deo; an aliquando ab intrinſeco, à propriâ ſcilicet voluntate imperante uſum talis determinatæ ſpeciei; hoc ſi dicatur, quia voluntas non fertur in incognitum, ſupereſt explicandum quâ ratione poſſit imperare uſum ſpeciei circà ignem v. g. præ aquâ abſque eo quòd præceſſerit ullâ ignis, aut aquæ cognitio, quæ utique non præceſſit, cum cognitio, circa quam imperatur uſus ſpeciei ſupponatur eſſe prima cognitio objecti per talem ſpeciem repræſentati. In hoc dubio ſpecies circà primam cognitionem unius objecti præ alio excitari ſemper ab extrinſeco, à Deo præſertim, docent Vaſquez *hic diſput. 220. cap. 4.* Turrianus *diſput. 51. dub. 4.* aliique nonnulli tùm ex Recentioribus, tùm ex Thomiſtis; excitari ab intrinſeco & ex imperio propriæ voluntatis docent Ferrarienſis *2. contra Gentes cap. 101.* Suarez *hic lib. 2. c. 35.* Molina *q. 58. art. 1. diſput. 2.* Arriaga *diſp. 15. ſect. 3.* Dequiros *diſput. 58. ſect. 3.* aliique magis communiter quamvis inter ſe non conveniant in cognitione ad tale imperium prærequiſitâ, Molina vult ſufficere, quod Angelus ſciat ſe poſſe cognoſcere plura, quàm cognoſcat; Dequiros ſufficere, quod Angelus aliqualiter cognoſcat ſeipſum; Ferrarienſis, Suarez, & Arriaga requirunt cognitionem, quâ Angelus cognoſcat omnes ſpecies intentionales ſibi infuſas

Neceſſaria eſt in Angelo aliqua excitatio ſpecierum.

Reſpondeo ſpecies in intellectu Angelico ut plurimùm primò excitari ab intrinſeco, & ex imperio propriæ voluntatis ſuppoſitâ confuſâ, & indirectâ eorum, quorum ſpecies habet, cognitione, quâ quidem moraliter ſaltem loquendo carere non poteſt. Probatur reſponſio, quia ex unâ parte malè fuiſſet Angelis proviſum, ſi in ordine ad primam cujuſlibet objecti cognitionem indigerent excitatione extrinſecâ, & ad Deum præſertim pro hâc ſemper recurrere eſt malè ad cauſam primā confugere pro eo, pro quo poteſt aſſignari ſufficiens cauſa ſecunda; ex alia parte, ut Angelus ab intrinſeco, & per imperium liberum propriæ voluntatis excitet ſpeciē unius objecti præ alio, ſatis eſt, quod talia objecta confuſè, & indirectè cognoſcat, taliter autē cognoſcit per hoc præciſè, quod ſe ipſum cognoſcat, nam ſe ipſum cognoſcendo aliqualiter cognoſcit ſuas omnes naturales perfectiones, & quaſi proprietates, adeoque omnes ſpecies ſibi infuſas, omneſque actus quos poteſt naturaliter elicere, in quibus ſpeciebus & actibus licèt valdè confuſè & indirectè attingit omnia objecta à ſe naturaliter cognoſcibilia, & conſequenter habet præcognitionem ſufficientem ad imperandum uſum ſpeciei pro clarâ, & diſtinctâ cognitione unius objecti præ alio; hâc porrò præcognitione moraliter ſaltem carere non poteſt, quia ad ſummum phyſicè loquendo, non verò moraliter poteſt Angelus ceſſare à cognitione ſui, ut infrà tradetur *cap. 3. §. 1.* Quoad diſſidium ſuprà 82.

Talis excitatio meliùs dicitur fieri ab intrinſeco.

memoratum inter Molinam, Dequiros, Ferrarienſem, & alios; exiſtimo quidem ioſufficiens, quod Molina air, quia per cognitionem præeisè, quà Aogelus ſcit ſe poſſe cognoſcere plura, quàm cognoſcat; ſicuti nullatenùs ſcit in particulari, utrùm igois v. g. contineatur inter illa plura, ità non poteſt excitare ſpeciem ignis potiùs, quàm alterius objecti; at non exiſtimo eſſe neceſſariam præcognitionem ſpecierum infuſarum, ſed ſufficere præcogoitionem aut propriorum actuum poſſibilium, aut cujuſcumque perfectionis dicentis habitudinem ad res à ſe naturaliter cognoſcibiles.

83. Varij modi ponendi intellectum agentem in Angelis.

Dubitatur tertiò: Vtrùm ſit io Angelis intellectus agẽs, & poſſibilis. Affirmant Alenſis *2.p. q.22. memb.3.* Albertus *2.part.tr.4. q.14. memb.3. art. 1. ad 1.* Bachonis *quodlib.1. quæſt.12. art.2. §.2.* Scotus *in 2.diſt.3. quæſt.11. §. contrà, ex eiſdem*, & ſinguli ex diverſis principiis procedunt; Alenſis enim ponit in Angelis intellectum agentem ad deducendum intellectum poſſibilem in actum intelligendi; Albertus ad illuminandas ſpecies intentionales etiam infoſas in intellectu poſſibili receptas; Bachonis ad illuminandos conceptus internos, & occultos, quos unus Angelus vult alteri manifeſtare; Scotus ad ſalvandum in Angelo, qui eſt creatura in intellectualitate ſuperior homine, illam potentiam intellectualem activam, quæ non imperfectionis, ſed perfectionis in homine eſt. Negant è contrà abſolotè intellectum agentem in Angelis D. Thomas *hic q.54. art.4. & 2. contra Gentes cap.96. ratione 6.* D. Thomam ſequuntur Thomiſtæ communiter, & ex Recentioribus Vaſq. *diſp.199. cap.2* Amicus *diſp.8. ſect.3.* Lugus *diſp.7. cap.2.* Madernus *q.3. art. 1.* Averſa *q.54. ſect.1,* Bubalus *ead. quæſt. diffic.4. quæſito 2.* & in univerſum reliqui ex negantibus in Angelis ſpecies ab objectis acceptas; certum eſt eoim, ut latè oſtendit Bubalus *diffic. præcit. quæſito 1*, intellectum agentem ſecundùm germanam ſuam ſignificationem non reperiri, niſi ubi accipitor notitia ex rebus, undè abutontur intellectus agentis nomine Alenſis, Albertus, & Bachonis locis præcitatis, non ſic abutitur Scotus, qui proptereà ex intellectu agente rectè infert in Angelis notitiam à rebus acceptam; at deficit ſubtilis Doctor ex inſufficientià rationis, quà talem intellectum Angelis attribuit: Ideò

84. Negandus eſt talis intellectus agens ſicuti et am intellectus poſſibilis.

Reſpondeo dari in Angelis potentiam intellectivam receptivam ſpecierum, nec non etiam productivam ac receptivam propriorum actuum; at non niſi cum æquivocatione & abuſu terminorum dari in iiſdem intellectum agentem, & poſſibilem. Prima pars nec probatione indiget, nec explicatione; ſuppoſito quod Angelus intelligat & ſpeciebus ad intelligendum indigeat, ut ſatis hucuſque oſtenſum eſt. Secunda pars probatur: In legitimâ & propriâ ſignificatione intellectus agens eſt ille, qui phantaſmate velut comprincipio vel ut conditione ſe habente efficit ſpecies intentionales in intellectu poſſibili, & hunc per illas conſtituit in actu primo intellectionis; intellectus poſſibilis dicitur qui eſt tanquam tabula raſa apta per ſpecies ab intellectu agente effectas omnia fieri, & dicitur etiam intellectus paſſibilis, quia ſe habet ut potentia porè potens recipere, & pati ab intellectu agente; ſicque intellectus poſſibilis, ſivè paſſibilis, eſt eſſentialiter relativus ad intellectum agentem, at in Angelis non datur intellectus, qui poſſit ſpecies intentionales efficere, nec qui ſit tabula raſa & pura potentia ſpecierum actuatione deſtituta, aut ad intellectum productivum ſpecierum relata; ergo non datur in Angelis intellectus agens, & poſſibilis, ſeu paſſibilis, in legitimâ, & propriâ ſignificatione.

Dices: Anima Chriſti Domini nunquam foit tabula raſa & ſpecierum actuatione deſtituta, idemqoe eveniret in animâ cujuſlibet alterius hominis, cui Deus ab initio ſpecies omnes infunderet, & tamen nec anima Chriſti Domini, nec anima alterius hominis fuit, aut eſſet ſine iotellectu poſſibili, & ageote; ergo argumentum nimis probat; imò è contrà ſicuti ſpecierum infuſio benè ſtat cum intellectu poſſibili & agente in animâ, ità benè ſtabit cum intellectu poſſibili & agente in Angelo; eum præſertim non ſit neganda Angelo aliqua intellectualitatis perfectio; quæ reperiatur in animâ. Sed contrà: 85.

Cur intellectus agẽs in anima, non io Angelo poſſit eſſe cum ſpecierum infuſione.

Anima Chriſti nunquàm fuit tabula raſa, &c. & id habuit ex liberali beneficentiâ Dei aut, exigẽtiâ unionis hypoſtaticæ concedo, & id habuit xe debito naturali, & ex exigentiâ propriâ nego; idq; à fortiori procedit de animâ cujoſlibet alterius hominis, cui fiat divinitùs ſpecierum infuſio, concedo deindè taleoi animam non eſſe ſine intellectu poſſibili, & agẽte, at non valet indè arguere ad Angelum, cui infuſio ſpecierum ex ſupradictis *num45. & 48* eonvenit per ſe, & ex innatâ exigentiâ, virtus verò ſpecierum acquiſitiva nullatenùs poteſt convenire *ex n.43.* cum è contrà hæc per ſe conveniat animæ, & poſquidem convenire, ſed per accidens ſolùm, & abſque exigentiâ intrinſecâ infuſio ſpecierum. Ad illud, quod additur, quódque eſt potiſſimum Scoti fundamentum, dico perfectionem convenientem animæ non eſſe negandam Angelo, dummodò ſit perfectio non ſupponens aliquam imperfectionẽ propriam animæ, ſicuti intellectus agens ſupponit tùm dependentiam à ſenſibus, quorum miniſterio ſpecies acquirantur; tùm potentiam nullatenùs actuatam, & tanqoam tabulam raſam; quæ utraque imperfectio eſt propria animæ, Angelo autem prima ſimpliciter repugnat, ſecunda convenire non poteſt, niſi violentè.

Occurritur argumento Scoti.

Dices inſuper: Intellectus agens ultrà productionem ſpecierum habet etiam illuminare phantaſmata; ergo ponendus eſt in Angelis ſaltem propter munus illuminandi, ut ſcilicet illuminet vel ſpecies infuſas juxtà Albertum, vel conceptus occultos juxtà Bachonem. Sed contrà: illuminatio phantaſmatum, quæ etiam dicitur elevatio, ſeu depuratio, prout ab intellectu agente fit nihil eſt 86.

Illuminatio phantaſmatum quid.

alind,

aliud, quàm productio ſpecierũ ſpiritualium repræſentantium id, quod repræſentant materialia phantaſmata; & abutuntur intellectus agentis nomine Albertus & Bachonis dum ei tribuunt aliquam aliam illuminationem: Deindè contrà Bachonem conſtabit *cap. ſeq. n.* 86. manifeſtationem internorum conceptuum aliter fieri, quàm per illuminationem intellectus agentis; contrà Albertum verò dico ſpecies infuſas utpotè ex ſe perfectas, & intellectui valdè proportionatas, non indigere illuminatione, aut ſaltem ſatis illuminari ab intellectu ſimul cum ipſis efficiente intellectionẽ; quilibet enim intellectus rectè dicitur lumen, propter regulam generalem, qua omne quod manifeſtatur vel, ut alij loquuntur, manifeſtat, lumen eſt; & hinc obiter rejicitur opinio Ægidij *lib. 9. de beatitud. q. 1. art. 2.* ponentis in Angelis qualitatem, quæ ſit lumen intellectuale naturale diſtinctum realiter ab intellectu ipſo.

87. Dubitatur quartò. Vtrùm intellectus Angelicus differat ſpecie ab intellectu humano: Negant in primis differre ſpecie, qui ſpecificam diverſitatem non agnoſcunt inter animas & Angelos, ut non agnovit Origenes; hac verò admiſsâ conceditur quidem communiter intellectus in Angelo, & homine differre ſpecie, quatenùs conſiderantur in ordine ad eſſentias, à quibus fluunt; non deſunt tamen, qui eoſdem faciant ejuſdem ſpeciei, quatenùs conſiderantur in ordine ad objecta, ad quæ referuntur, ita licèt dubitanter ſentit Scotus *in 2. diſt. 1. q. 6. §. poteſt etiam addi*, idque abſolutè aſſerunt Lychetus *ibid.* Ferrarienſis 2. *contra Gentes, c. 94. §. pro declaratione*, aliique nonnulli, contrà quos quomodocũque tales intellectus conſiderentur ſpecificã ipſorum diverſitatem ſupponunt potiùs, quàm probent ſcholaſtici communiter, & Arriaga *hic diſp. 8. ſect. 3. num. 7.* ait id eſſe omninò certum ſi identificantur cum ſubſtantia; verùm Arriaga validè poteſt impugnari ex Scoto *loco præcitato* dicente, benè eſt poſſibile quod continentia aliqua differunt ſpecie, & tamen contenta non differunt ſpecie, ſicut paſſiones entis continentur per identitatẽ in entibus quantumcumque diſtinctis, & tamen illæ paſſiones in eis non diſtinguuntur ſpecie; undè etiam inconſequenter non loquitur ſubtilis Doctor, dum poſt negatam diverſitatem ſpecificam intellectus humani ab Angelico, infrà *diſt. 16. q. unica §. Dico igitur* negat realem diſtinctionem intellectus humani ab eſſentia animæ. Nihilominùs

Quomodò intellectus humanus & Angelicus ab aliquibus ponatur eſſe ejuſdem ſpeciei.

88. Reſpondeo ſimpliciter, & abſolutè intellectum Angelicum differre ſpecie ab intellectu humano, etiamſi vel uterque conſideretur relativè ad objecta, vel uterque diſtingueretur realiter à ſubſtantia: ratio eſt, quia ex una parte licèt objectum terminativum utriuſque intellectus idem ſit, ens ſcilicet & verum in tota ſua latitudine; objectum motivum diverſũ eſt, quia reſpectu intellectus humani ſunt ſpecies particulares, ab objectis acceptæ, & dependenter à ſenſibus acquiſitæ; reſpectu intellectus Angelici ſunt ſpecies univerſales, à Deo infuſæ abſque ullo ordine ad ſenſus; ex alia parte proprietates, & paſſiones quæ ad naturas diverſæ ſpeciei conſequuntur, etiamſi à naturis ipſis realiter diſtinguantur, connaturaliùs ponuntur participare diverſitatem ſpecificam naturarum, & ſpecie ab invicem differre, quoties ad oppoſitum non cogit poſitiva aliqua, & valida ratio; ergo intellectus Angelicus, & humanus ſimpliciter, & abſolutè ponendi ſunt ſpecie differre, etiamſi vel uterque conſideretur relativè ad objecta, vel uterque diſtingueretur realiter à ſubſtantia. Confirmatur; intellectus humanus in agentem, & poſſibilem dividitur, & eſt duplex potentia; intellectus Angelicus neque eſt agens, neque poſſibilis, & eſt potentia unica ac ſimplex; undè etiam fit intellectum humanum, quantumvis in infinitum creſcat, pervenire non poſſe ad perfectionem intellectus Angelici, nec Angelicum, quantumvis in infinitum decreſcat, deſcendere ad conditionem humani, ergo verè unus ab alio ſpecie differt.

Aſſerendi ſunt ſimpliciter ſpeciei diverſæ.

Dices: Potentiæ ſenſitivæ hominum non differunt ſpecie à potentiis ſenſitivis brutorum, ergo neque potentia intellectiva hominum à potentia intellectiva Angelorum. Sed contrà: haberet inſtantia vim, ſi nos probaremus diverſitatem ſpecificam intellectuum præciſè ex diverſitate ſpecifica naturarum, ad quas conſequuntur, at nos illam probamus ex diverſitate præcipuè objecti motivi, quæ diverſitas non reperitur inter potentias ſenſitivas hominum, & brutorum, quæ omnes operantur per ſpecies ejuſdem rationis, & ab objectis acceptas. Aliam huic inſtantiæ reſponſionem affert Amicus *hic diſp. 8. ſect. 5. n. 91.* ſed petit principium. 89.

Cur potentiæ ſenſitivæ hominũ & brutorũ non differant ſpecie.

Dubitatur quintò: Vtrùm in Angelis ſpecie diverſis intellectus ſpecie differant.

Reſpondeo affirmativè; licèt enim non ſint tot rationes diverſitatis ſpecificæ inter duos intellectus Angelicos, quot inter intellectum Angelicum, & humanum; eſt tamen ratio ſufficiens deſumpta tùm ex diverſitate objecti motivi, ſpecierum ſcilicet magis, & minùs univerſalium in Angelis ſpecie diverſis; tùm ex eo, quòd connaturalius eſt naturis ſpecie diverſis tribuere potentias, & paſſiones ſpecie diverſas; quamvis ſimpliciter non repugnet unitas ſpecifica potentiarum in naturis diverſæ ſpeciei. Confirmatur ex eo, quòd intellectualitas eſt maxima & potiſſima Angelorum perfectio, & vix poterit aliundè ſuſtineri ſpecifica Angelorum diverſitas, quoties illa ponatur eſſe ejuſdem ſpeciei in Angelis omnibus. 90.

In Angelis ſpecie diverſis intellectus ſpecie differũt.

Dices: ex D. Thoma de verit. q. 9. art. 1. ad 17. *In Angelis ſpecie differentibus non oportet, quod ſit lumen intelligibile ſpecie differens, ſicut & in corporibus ſpecie differentibus eſt idem ſpecie color*; atqui, ut nos ipſi *ſuperiori num. 86.* inſinuavimus, lumen intellectuale in Angelis non diſtinguitur ab intellectu; ergo in Angelis ſpecie differentibus non oportet, quod ſint intellectus ſpecie differentes. Sed contrà: lumen intelle- 91.

Occurritur auctoritati D.Thomæ.

ctuale naturale eſt illud, quod ab intellectu non diſtinguitur; D.Thomas verò in allatis verbis loquitur de lumine ſupernaturali, undè illicò ſubdit *& hoc eſt præcipuè verum de lumine gratiæ, quæ etiam in hominibus; & in Angelis eſt eadem ſpecie.* Quando verò S. Doctor loqueretur de lumine intellectuali naturali, intelligendus eſſet in ſenſu formali, adeò ut nihil aliud intenderet quàm ex eo præcisè, quod Angeli ſpecie differant, non ſufficienter inferri, quòd etiam lumen intelligibile, ſeu intellectus ſit ſpecie differens.

CAPUT II.

De objecto naturali intellectus Angelici.

1\. A Medio, ſeu ratione cognoſcendi, ad objectum cognoſcibile procedimus, & ſicuti explicuimus medium ſoli naturali cognitioni inſerviens, ita hic explicabimus objectum ſolam naturalem cognitionem terminans, quod quidem valdè amplum eſt, cõplectitur ſcilicet Deũ, creaturas exiſtentes tùm immateriales tùm materiales, cordium ſecreta, futura, præterita, poſſibilia, & quia de quibuſdam rebus ſupernaturalibus, præſertim de talibus tantùm quoad modũ controvertitur, utrùm cadant ſub naturalem Angeli cognitionem? harum conſiderationi poſtremas præſentis capitis paginas tribuemus; interim primas, ut par eſt, tribuimus Deo, de quo duo indubitata ſunt, cognoſci ſcilicet naturaliter ab Angelo cognitione abſtractiva ex creatis effectibus, non cognoſci verò cognitione intuitiva in ſe immediatè; utrumque evincitur *ex tract.* 1. ubi initio libri primi oſtenſum eſt Deum ex effectibus ita naturaliter hominibus, & à fortiori Angelis, innoteſcere, ut ignorari vix poſſit; & initio libri ſecundi probatum eſt eundem à nullo creato intellectu eſſe naturæ viribus viſibilem, ſeu attingibilem cognitione intuitiva: Hic jam diſputatur, utrùm conveniat Angelo notitia Dei quaſi media inter intuitivam, & abſtractivam ex effectibus, quæ nimirum abſtractiva quidem ſit ſed immediata; duplex autem circumfertur modus tribuendi Angelis notitiam abſtractivam immediatam Dei.

2\. Primus modus explicandi in Angelis cognitionem naturalem immediatam Dei.

Primus eſt Scoti *in* 2. *diſt.*3. *q.*9. *§. ad quæſtionem igitur*, Majoris *ead. diſt. q.*5. Aureoli *in prolog. q.*2. *art.* 3. & aliorum præſertim ex ſchola Scotiſtarum, & Nominalium; docet hic modus dabilẽ eſſe, & fuiſſe de facto ab initio creationis inditam Angelis, ſpeciem Dei propriam, quæ tamen ducat in cognitionem abſtractivam, non intuitivam, eo quod non repræſentet Deum, ut in ſe præſentialiter exiſtentẽ; idque conforme eſt doctrinæ, ſecundùm quam ut attigimus *cap. præced. n.*13. idem Scotus exiſtimat nullam cognitionem, quæ habeatur per ſpeciem eſſe intuitivam, & objectum nunquam repræſentari, ut in ſe præſentialiter exiſtens, niſi quando concurrit ad cognitionem immediatè per ſe ipſum.

3\. Secundus modus explicandi eandem cognitionem.

Secundus eſt Ferrarienſis 2. *cont. Gent. cap.*98. *§. Ad hujus evidentiam & 3. cont. Gent. cap.* 49. *§. Attendendum eſt*, Capreoli *in* 2. *diſt.*3. *q.* 2. *art.* 1. *conc.* 3. & aliorum quorumdã ex ſchola Thomiſtica docentium Angelos non ſolùm per propriam eſſentiam, tanquam per effectum cognoſcere Deum mediatè; ſed etiam per eandem, tanquam per ſpeciem cognoſcere Deum immediatè: Huic dicendi modo videtur favere D. Thomas 1. *p. q.*56. *art.*3. ubi notat aliquid tripliciter cognoſci poſſe primò per præſentiam ſuæ eſſentiæ; ſecundò per præſentiam ſuæ ſimilitudinis; tertiò per hoc, quòd ſimilitudo rei cognitæ non accipitur immediatè ab ipſa re cognita, ſed à re aliqua, in qua reſultat, ſicut videmus hominem in ſpeculo; concludit deindè primo modo non poſſe cognoſci naturaliter Deum à creatura, tertio modo cognoſci quaſi à nobis Deum in via, cognitionem verò, quâ Angelus naturaliter cognoſcit Deum, eſſe mediã inter has duas, & ſimilari illi cognitioni, quâ videtur res per ſpeciem ab ea acceptã, quatenùs imago Dei eſt in ipſa natura Angeli impreſſa per ſuam eſſentiam. Nihilominùs hac doctrinâ, quæ habetur etiam *in* 2. *diſt.*23. *q.*2. *art.*1. non vult S. Doctor eſſentiam Angeli eſſe imaginem Dei intentionalem, quod requireretur, ut deduceret in cognitionẽ Dei immediatam: quia tamen in ratione imaginis naturalis eſt longè perfectior qualibet Dei imagine, & ſimilitudine, quam nos poſſimus in rebus ſenſibilibus reperire, docet Angelicus cognitionem, quâ Angelus per ſuam eſſentiam attingit Deũ, ſimilari cognitioni immediatæ, quæ habetur per imaginem intentionalem, ut tamen immediatam re vera non eſſe indicaret, illicò ſubdidit *art.* 3. *præcit.* magis tenere ſe cum cognitione ſpeculari, quia & ipſa natura Angelica eſt quoddam ſpeculum, &c. His præmiſſis, ut rem definiamus, ſit

Mens D. Thomæ circa modum quo Angelus cognoſcit naturaliter Deum.

---

§. I.

Quomodo Angelus naturaliter cognoſcat Deum.

4\. Non datur in Angelis ſpecies abſtractiva Dei.

Assert. 1. Angelus non poteſt habere cognitionem naturalem immediatam Dei per ſpeciem infuſam divinæ eſſentiæ propriam, & repræſentativam ipſius abſtractivè Ità D. Thomas 1. *p. q.*56. *art.*3. *in c.* quatenùs negat Angelos cognoſcere Deum per præſentiam ſuæ ſimilitudinis in potentiâ cognoſcitivâ, & Thomiſtæ communiter partim *præcit. art.*3. partim 1. *p. q.*12. *art.*2. ubi ſimpliciter docent repugnare omnẽ ſpeciem creatam divinæ eſſentiæ. Tradunt inſuper poſitam aſſertam Bonaventura *in* 2. *diſt.*3. *part.*2. *art.*2. *q.*2. Alenſis 2. *par. q.*24. *memb.*1.

memb. 1. Henricus *quodlib.* 4. *q.* 9. Suarez *hic lib.* 2. *cap.* 17. Amicus *diſp.* 10. *ſect. unica* Dequiros *diſp.* 57. *ſect.* 2. Averſa *q.* 56. *ſect.* 3. &c. contrà Scotum, Majorem, Aureolum ſuprà relatos *num.* 2. quibus favent ex recentioribus Molina *hic q.* 56. *art.* 3. Arriaga *diſp.* 10. *ſect.* 1. Madernus *q.* 3. *art.* 10. aliique ducentes non repugnare quòd Deus infundat Angelis ſaltem ſupernaturaliter ſpeciem propriam abſtractivè repræſentativam ſui ipſius.

5\. *Imò talis ſpecies ſimpliciter repugnat.* Probatur primò: Repugnat ſecundùm potentiam etiam abſolutam ſpecies propria divinæ eſſentiæ repræſentativa ipſius abſtractivè; ergo Angelus non poteſt habere cognitionem naturalem immediatam Dei per ſpeciem, &c. conſequentia patet, antecedens ex profeſſo probatum eſt ſuprà *tract.* 2. *lib.* 3. *c.* 4. §. 8. ubi oſtendimus ſpeciem propriam, & quidditativam divinæ eſſentiæ neceſſariò etiam eſſe intuitivam, & perperam Scotus ad intuitivam cognitionem requirit immediatum concurſum objecti in ſe ipſo præſentialiter exiſtentis. Quod ſi placeat pro nunc præſcindere ab eo, quod repugnet, vel non, ſpecies propria abſtractiva divinæ eſſentiæ, adhuc aſſertum

6\. *Et ex ſuppoſitione quòd non repugnaret eſſet ſupernaturalis in ſubſtantia.* Probatur ſecundò: Angelus non poteſt habere cognitionem naturalem per ſpeciem ſupernaturalem in ſubſtantia; ſed ſpecies infuſa divinæ eſſentiæ propria & repræſentativa ipſius abſtractivè, ſi daretur, eſſet ſupernaturalis in ſubſtantia; ergo Angelus non poteſt habere cognitionem naturalem immediatam, &c. major patet, quia licèt objectum ſupernaturale terminativè ſe habens cognoſci poſſit actu naturali, quoties tamen ſupernaturalitas eſt in ſpecie, & in objecto motivo cognitio elicita etiã circa objectum terminativum naturale evadit ſupernaturalis in ſubſtantia, ut attigimus *tr.* 1. *lib.* 2. *c.* 5. *n.* 11. Major probatur, talis ſpecies non eſſet naturaliter debita intellectui Angelico, nec ulli alij intellectui creato; ergo eſſet ſupernaturalis in ſubſtantia; antecedens conceditur à Scoto *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 9. §. *hac diſtinctione præmiſſa*, dicit enim ad talem ſpeciem non poſſe Angelum pertingere ex naturalibus, quamvis velit eandem aliundè deficere à ſupernaturalitate in ſubſtantia, nimirum ex eo quòd non ſpectet ad ordinem gratiæ & gloriæ, & non ſit principium gratuiti actus, nec glorioſi; verùm hoc ſecundum malè ſupponitur primo admiſſo, imo impugno Scotum ad hominem ex eo, quia *Scotus impugnatur ad hominem.* *quodlib.* 14. §. *De ſecundo principali* expreſsè tradit præſentiam Dei, ſive quâ per ſe ipſum concurrit ad cognitionem ſui intuitivam, ſive quâ per propriam ſpeciem concurrit ad cognitionem abſtractivam, eſſe merè voluntariam, & æquè indebitam creaturæ; ergo ſicuti prima eſt ſupernaturalis in ſubſtantia, & ad ordinem gratiæ pertinens, ita & ſecunda.

7\. Confirmatur: Non poteſt Angelus habere naturaliter cognitionẽ perfectiorem comprehenſione ſui, ergo non poteſt habere naturaliter cognitionem abſtractivam quidditativam Dei per ſpeciem propriam ipſius; & per conſequens ſpecies inferens talem cognitionem nequit eſſe Angelo connaturalis; antecedens conſtat ex dictis *tr.* 1. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 81. conſequentia probatur, quia cognitio quidditativa Dei, quamvis abſtractiva, eſt perfectior comprehenſione cujuſlibet creaturæ, nam & perfectiora prædicata in ſuo objecto manifeſtat, & magis illa excedit comprehenſionem cujuſlibet creaturæ, quàm cognitio quidditativa Angeli comprehenſionem feſtucæ v. g. & tamen quiſnam diceret cognitionem quidditativam Angeli non eſſe comprehenſione feſtucæ perfectiorem, ergo à fortiori, &c.

Aſſert. 2. Angelus non poteſt habere cognitionem naturalem immediatam Dei per propriam eſſentiam, tanquam per ſpeciem Dei. Ita Scotus *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 9. §. *contrà ſecundum*, Rada 2. *p. controv.* 8. *art.* 2. aliique Scotiſtæ, nec non etiam Suarez *lib.* 2. *cap.* 18. Vaſquez *diſp.* 106. *cap.* 2. Lugus *diſp.* 9. *cap.* 5. Arriaga *diſp.* 10. *ſect.* 2. *ſubſec.* 1. Averſa, Molina, Madernus *locis ſupracitatis*, &c. contrà Auctores ſupra memoratos *n.* 1.

8\. *Eſſentia Angeli non eſt reſpectu propriĳ intellectus ſpecies Dei.* Probatur primò: Eſſentia Angeli non poteſt eſſe ſpecies Dei, ergo Angelus non poteſt habere cognitionem naturalem, &c. conſequentia patet, antecedens probari poteſt eadem ratione quâ *cap. præced.* §. 1. *n.* 9. in univerſum probabatur eſſentiam Angeli non poſſe eſſe ſpeciem alicujus objecti à ſe ipſa diſtincti.

Dices inde ſolùm probari, quòd eſſentia Angeli non ſit ſpecies Dei perfecta & propria, cum quo ſtare poteſt quòd ſit ſpecies ejuſdem imperfecta & impropria; primariò ſcilicet & perfectè repræſentativa Angeli, ſecũdariò & imperfectè repræſentativa Dei, idque quia ex una parte, ut nos etiam tradimus §. *ſequenti*, eſſentiæ conceditur reſpectu ſui ipſius prærogativa ſpeciei, & ex alia parte negari non poteſt, quin ſit imago & ſimilitudo Dei, in quo diverſa eſt ratio de aliis ſubſtantiis, & rebus creatis, quæ licèt ſint & ipſæ aliquales Dei imagines, & ſimilitudines, non uniuntur tamen intellectui Angelico in ratione ſpeciei intentionalis.

9\. *Neque etiam impropria & imperfecta.* Sed contrà: nomine ſpeciei imperfectæ, & impropriæ vel intelligitur aliquid ſe habens, ut medium cognitum, ducenſque in cognitionem Dei mediatam; & in hoc ſenſu admitto eſſentiam Angeli eſſe imperfectam, & impropriam ſpeciem Dei; vel intelligitur aliquid ſe habens ut medium incognitũ ducens in cognitionem Dei immediatam, & aptum in talem cognitionem ducere, ſivè in ſe cognoſcatur, ſivè non; & in hoc ſenſu eſſentia Angeli non eſt ſpecies Dei, neque imperfecta, & impropria, ut ex ſecunda aſſerti probatione conſtabit: Illud, quod in inſtantia additur, probaret quamlibet ſpeciem intentionalem eſſe imperfectam ſpeciem Dei, quia ex una parte habet prærogativam ſpeciei, & ex alia parte, utpotè effectus Dei, eſt aliqualis imago, & ſimilitudo naturalis & phyſica ejuſdem, in quo ſolùm genere, quamviſ modo intra tale genus perfectiore,

perfectiore, imago, & ſimilitudo Dei eſt, eſſentia Angeli.

Probatur ſecundò: Angelus non poteſt per ſuam ſubſtantiam habere cognitionem naturalem immediatam Dei, neque ſub conceptu aliquo abſoluto & proprio ipſius, ut eſt in ſe; neque ſub conceptu aliquo relativo ad ſuammet ſubſtantiam; ergo nullatenùs per ſuam ſubſtantiam poteſt habere cognitionem naturalem immediatam Dei; antecedens probatur, quia cognitio Dei ſub conceptu aliquo abſoluto & proprio ipſius, ut eſt in ſe, non poteſt eſſe niſi intuitiva, & per conſequens niſi ſupernaturalis; cognitio verò Dei ſub conceptu relativo ad ſuammet ſubſtantiam non poteſt eſſe niſi mediata, & niſi mediante cognitione ſuæmet ſubſtantiæ; quia ſic ſubſtãtia Angeli eſt ipſimet Angelo ratio cognoſcendi Deũ eo modo, quo unum relativum, ut tale, eſt ratio cognoſcendi ſuum correlativum, unum verò relativum, ut tale, ſolùm ut ratio cognita, & mediante cognitione ſui, poteſt eſſe ratio cognoſcendi correlativum.

10. Aſſert. 3. Angelus non poteſt habere cognitionem naturalem Dei, niſi mediatam, ſaltem remotè, & radicaliter, ſupponentem ſcilicet cognitionem ſaltem præteritam, aut propriæ ſubſtantiæ, aut alterius creaturæ. Hoc aſſertum conſequitur ad duo præcedentia, & facilè

Io Angelis omnis naturalis cognitio Dei eſt mediata ſaltem radicaliter.

Probatur: Poteſt Angelus habere aliquam cognitionem Dei naturalem, ut præmiſſum eſt *num.* 1. hæc naturalis cognitio Dei non poteſt eſſe immediata, quia nec poteſt haberi, aut per ſpeciem à Deo infuſam, aut per eſſentiam Angeli præſtantem munus medij incogniti, ut præaſſertum eſt: nec eſt excogitabilis alius talis cognitionis modus immunis à cenſura; ſupereſt igitur, quòd naturalis cognitio Dei in Angelo non niſi mediata ſit, & derivata aut ex propriæ ſubſtantiæ, aut ex alterius rei creatæ cognitione ſaltem præterita, nam poſtquam ſemel Angelus ex re aliqua creata comparavit actum attingentem Deum, talis actus relinquit in mente Angelica ſpeciem intentionalem ſui ipſius, & objecti, ſcilicet Dei, quem proptereà talis ſpeciei miniſterio poteſt deindè Angelus immediatè cognoſcere abſque eo, quòd ſupponatur actualis cognitio alicujus creaturæ, licèt non abſque eo, quòd ſupponatur cognitio præterita, ratione cujus notitia Dei eſt remotè, & radicaliter mediata, quamvis rectè dici poſſit proximè & for-

11. maliter immediata: Hunc modum cognoſcendi Deum immediatè, attigimus etiam *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 23. eundemque egregiè inſinuat D. Thomas *de verit, q.* 8. *art.* 3. *ad* 18. dicens *Quando aliquid cognoſcitur per ſimilitudinem in effectu ſuo exiſtentem poteſt motus cognitionis tranſire ad cauſam immediatè ſine hoc, quòd cogitetur de aliqua alia re, & hoc modo intellectus viatoris poteſt cogitare de Deo non cogitando de aliqua creatura.*

Poteſt tamen eſſe immediata formaliter.

Dices totâ hac doctrinâ nos in ordine ad Dei cognitionem nihil tribuere Angelis, quod hominibus non conveniat, imò iiſdem negando ſpeciem infuſam abſtractivam divinæ eſſentiæ negare aliquid probabiliter conceſſum Adamo in ſtatu innocentiæ; & tamen intellectualitas Angelica valdè ſuperior humana omninò expoſcit in Angelo ſuperiorem modum attingendi illud præſertim, quod in tota objecti intelligibilis latitudine ſummum, ac perfectiſſimum eſt. Accedit quòd cognitio Dei mediata acquiritur diſcurſu, quo Angeli carent, carebunt igitur conſequenter cognitione mediata, omnique alia, ſi ponantur etiam carere cognitione immediata, ſivè hæc per ſpeciem infuſam, ſivè per propriam ſubſtantiã habeatur. Sed con- 12.
trà: Falſum eſt in primis, quod dicitur de Adamo in ſtatu innocentiæ, & non ſolùm non fuit illi conceſſa, ſed nec potuit ullo modo concedi ſpecies abſtractiva divinæ eſſentiæ, cum hæc ſpecies ex ſe repugnet: Falſum eſt inſuper Angelus carere omni diſcurſu, & quando pollerent diſcurſu duntaxat virtuali, qui à nobis in ipſo Deo admittitur, id ſufficeret ad cognitionem mediatam, de qua in præſenti: Ad illud deindè quod in inſtãtia præcipuum eſt, dico quoad genus cognitionis nos in ordine ad Deum nihil tribuere Angelis, quod hominibus non conveniat, quoad perfectionem tamen cognitionis intrà idem genus tribuere plurimùm, idque ſufficere ad ſuperioritatem intellectualitatis Angelicæ ſuprà humanam.

Porrò major, & intellectus Angelici propria, perfectio cognoſcendi Deum intrà ge- 13.
nus cognitionis mediatæ elucet primò ex eo, quòd homo in via non cognoſcit Deũ, niſi ex rebus ſenſibilibus, quæ ſunt ipſius ſimilitudines valdè diminutæ, & veſtigia potiùs, quàm imagines; Angelus poteſt Deum cognoſcere ex perfectioribus quibuſcumque ipſius effectibus, & inſignioribus imaginibus ſpiritualibus: Secundò homo non cognoſcit Deum in via, niſi per ſpecies accidentales, & ab aliis rebus acceptas; Angelus verò per ſpeciem ſubſtantialem à ſe ipſo indiſtinctam, per propriam nimirum ſubſtantiam exercentem munus ſpeciei ad manifeſtationem immediatam ſui ipſius, & munus medij cogniti ad manifeſtationem mediatam Dei. Intrà genus etiam cognitionis mediatæ ſolùm radicaliter, & formaliter immediatæ; elucet eadem major perfectio primò ex eo, quod ſpecies rememorativæ Dei, utpotè ex perfectioribus actibus relictæ in intellectu Angelico, quàm in humano, in illo, quàm in iſto perfectiores ſunt: Secundò quia Angelus per uſum ſpeciei rememorativæ excitando in ſe cognitionem immediatam Dei ſub conceptu entis à ſe v. g. ex majori proprij intellectus acumine magis penetrat talem conceptum, quàm homo; & ex ipſo multo meliùs, quàm homo, infert plura alia prædicata Dei propria.

Quomodò Angeli cognoſcant Deum perfectiùs quã homines.

Vrgebis contrà mox dicta: Deus cognoſcendo per propriam eſſentiam creaturas cognoſcit ipſas immediatè, quia divina eſſentia ſe habet, ut ſpecies reſpectu intellectus divini; ergo ſi admittimus, quòd Angelus cognoſcat Deum per propriam eſſentiam,

&

& quòd hæc ſe habeat ut ſpecies reſpectu intellectus Angelici, debemus admittere, quòd per hanc Angelus cognoſcat Deum immediatè. Rursùs poſſunt à Deo infundi ſpecies æquivalentes ſpeciebus rememorativis, quænam enim in hoc repugnantia? ergo ſi admittimus ſpeciem rememorativam immediatè repræſentativam Dei, debemus concedere, ſi minùs de facto, ſaltem de poſſibili, ſpeciem infuſam Dei pariter immediatè repræſentativam; ſicque ex noſtramet doctrina infertur poſſe Angelum habere cognitionem naturalem immediatam Dei, tùm per propriam eſſentiam, tùm per ſpeciem à

14. Deo infuſam. Sed contrà: eſſentia divina reſpectu divini intellectus ſe habet, ut ſpecies tùm Dei, tùm creaturarum; eſſentia Angelica reſpectu intellectus Angelici ſe habet ut ſpecies ipſius Angeli, non ut ſpecies Dei aut aliarum rerum; ideò diſpar eſt utriuſque ratio, & ex eo, quod Deus per ſuam eſſentiam immediatè cognoſcat creaturas, malè infertur, quòd Angelus per ſuam

15. *Species Dei rememorativa non eſt ſpecies Dei propria.* eſſentiam immediatè cognoſcat Deum. Ad aliam inſtantiæ partem adverto ſpeciem rememorativam non eſſe ſpeciem propriam objecti, quod in memoriam revocatur, ſed actus circa tale objectum eliciti, & talis ſpecies quamvis inadæquatè ſolùm excitata poſſit in actu ſecundo repræſentare objectũ præciſè, non ipſam cognitionem præteritã, eſt tamen in actu primo eſſentialiter repræſentativa cognitionis præteritæ, magis quàm objecti; ideò dato quòd Deus poſſit infundere ſpeciem æquivalentem ſpeciei rememorativæ Dei, non ſequitur ut contendit Arriaga *hic diſp.* 10. *num.* 8. quòd poſſit infundi ſpecies Dei propria, ipſiuſque per ſe immediatè repræſentativa; ſed ſolùm ſpecies aliena præſtans immediatam repræſentationem Dei per accidens, & ex eo, quòd inadæquatè excitetur, in quo nihil infertur contrà doctrinam hucuſque poſitam.

16. *Proponitur duplex dubium.* Suppoſito, quòd Angelus per propriam ſubſtantiam ſolùm, tanquam per medium cognitum, valeat in Dei cognitionem aſſurgere, duo dubitantur: Primum eſt, cur cognoſcendo Deum per propriam ſubſtantiã, tanquam per medium cognitum cognoſcat ipſum ſecundùm prædicata propria Creatoris, omnipotentis, entis à ſe, &c. cognoſcendo verò per eandem pariter, tanquã per medium cognitum, alios Angelos, cognoſcat illos tantùm ſecundum prædicata ſibi cum ipſis communia, ut ſubſtantiæ ſpiritualis, intellectualis, &c. Secundum eſt, utrùm cognoſcat propriam ſubſtantiam & Deum unico actu terminato ad illam directè, immediatè, & intuitivè; ad iſtum indirectè mediatè, & abſtractivè; an verò duplici actu, quorum unus ſit cauſa alterius, & prior propriam ſubſtantiam, poſterior Deum attingat.

17. *Solvitur primum.* Ad primũ reſpondeo rationem diſparitatis eſſe quia, quando Angelus per propriã ſubſtantiam cognoſcit Deum, ratio cognoſcendi non eſt ſola convenientia analogica propriæ ſubſtantiæ cum Deo, ſed ſimilitudo tanquam effectus cum cauſa, & dependentia in eſſe, & conſervari, ex quibus innoteſcit Deus, ut prima cauſa, ut omnipotens, ut ens à ſe, &c. quando verò per propriam ſubſtantiam cognoſcit alios Angelos, ratio cognoſcendi eſt ſola convenientia generica, vel ſpecifica propriæ ſubſtantiæ cum ipſis, ideò nil mirum ſi illos cognoſcat tantùm ſecundùm prædicata communia, in quibus relucet generica vel ſpecifica convenientia.

Ad ſecundũ Molina *hic q.* 56. *art.* 3. §. *ſententiam hanc* omninò requirit pluralitatem actuum, nec percipit unam, eandemque notitiam poſſe ſimul eſſe intuitivam, & abſtractivam, in quo tamen jam nos alibi nullã repugnantiam agnovimus; imò talem de facto aſſeruimus eſſe actum beatæ viſionis *tr.* 1. *lib.* 2. *c.* 5. §. 1. Nec major eſt difficultas in eo, quòd eadem notitia directa ſit, & indirecta; immediata, & mediata, loquẽdo, ut loquimur in præſenti, reſpectu diverſorum objectorũ,

ideò cum Lugo *hic diſp.* 9. *c.* 5. *n.* 14. & aliis 18. *Solvitur ſecundum.* apud ipſum, reſpondeo Angelum cognoſcentem per propriam ſubſtantiam Deum facilè poſſe unico actu attingere propriã ſubſtantiam, & Deum, quãvis poſſit etiam attingere actibus diſtinctis, ſi velit; ratio primi eſt, quia non repugnat eundẽ actum eſſe intuitivum ſimul, & abſtractivum reſpectu diverſorum; ratio ſecundi quia relativa ſunt quidẽ ſimul cognitione, at ut dicãtur ſimul cognoſci ſufficit, quod cognitio unius ſit ſimultanea cum cognitione alterius, non eſt neceſſe quod ſit una & eadẽ, undè diſplicet doctrina Suarezij *hic lib.* 2. *c.* 19. dicentis poſſe quidem Angelũ cognoſcere diſtinctis actibus propriam ſubſtantiam, & Deum, quando hunc cognoſcit ſecundùm prædicata entis à ſe, intellectivi, ſpiritualis, aliaque hujuſmodi non relata ad propriam ſubſtantiam; ſecùs quando ſecundùm prædicata relata ut Creatoris, primæ cauſæ, &c.

Ex dictis habetur Angelum cognoſcere 19. *Eſſentia Angeli non eſt ſpecies Dei neque mediata.* quidem Deum per propriam ſubſtantiam, tanquam per ſpeciem; at tanquam per ſpeciem ſui, non tanquam per ſpeciem Dei: Verùm verò poſſit dici ſpecies Dei ſaltem mediata, affirmat Arriaga *diſp.* 10. *præcis.* *n.* 13. & quamvis hoc pendeat à diverſa ſignificatione, quæ tribui poteſt ſpeciei mediatæ; nihilominùs cum potiſſima prærogativa ſpeciei ſit eſſe medium incognitum, crediderim etiam cum aliquo addito transferri non poſſe nomen ſpeciei ad rem, in quam non cadat ratio medij incogniti.

---

§. II.

Quomodò Angelus cognoſcat naturaliter ſe ipſum.

ASSERT. 1. Angelus cognoſcit naturaliter ſe ipſum quiditativè, intuitivè, & comprehenſivè. Ita univerſaliſſimus Scholaſticorum omnium conſenſus.

20. Probatur quia vix poſſet aliquid in Angelo excogitari deterius, quàm ignorantia ſui ipſius, quæ neceſſariò ſecum ferret carentiam cujuſcumque alterius cognitionis, & rerum omnium ignorantiam, cum enim juxtà doctrinam poſitam *tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 5. *num.* 63. nequeat Angelus quidquam cognoſcere, quin cognoſcat ſe cognoſcere, adeoque quin cognoſcat ſe, nequit conſequenter ſe ipſum ignorare, quin alia omnia ſimul ignoret. Quod deinde Angelus ſe ipſum cognoſcat quiditativè, intuitivè, & comprehenſivè, evincitur ex eo, quòd eſt reſpectu ſui ipſius objectum proportionatum; non ſolùm exiſtens, verùm etiam præſens; non ſolùm ejuſdem ordinis, verùm etiam ejuſdem perfectionis, quæ quidē perfectionis aut identitas, aut æqualitas inter objectum cognitum, & principium cognoſcens, eſt ex ſupradictis *tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 7. *num.* 15. potiſſima conditio notitiæ comprehenſivæ, nec certè negari poteſt Angelo naturalis comprehenſio ſui niſi ab eo qui cum Lugo *t. p. lib.* 1. *diſp.* 25. *cap.* 4. *num.* 2. ſentiret non eſſe naturaliter dabilem comprehenſionem alicujus creaturæ rationalis, quod nos *cap.* 5. *præcit. num.* 64 falſum oſtendimus, & hic libenter ſupponimus, dum præſertim ſub propoſito titulo ad alia vocamur dubia magis & controverſa.

Angelus ſe comprehēdit.

21. Controvertitur enim primò: Vtrùm Angelus poſſit habere ſui ipſius cognitionem abſtractivam: Secundò, utrùm ad cognitionem ſui ſaltem abſtractivam ſpecie ſuperaddita indigeat: Tertiò, utrùm dum cognoſcit ſe ipſum abſque ſpecie ſuperaddita, munus ſpeciei præſtetur à propria ſubſtantia, an ab intellectu, ut à ſubſtantia contradiſtincto.

Angelus poteſt cognoſcere ſe abſtractivè.

Aſſert. 2. Angelus poteſt naturaliter cognoſcere ſe ipſum abſtractivè. Ita Scotus *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 10. §. *Ad quæſtionem*, in fine. Arriaga *diſp.* 5. *ſect.* 2. *ſubſec.* 2. Averſa *q.* 56. *ſect.* 1. Ioannes à S. Thoma *diſp.* 21. *art.* 2. *num.* 23. &c. contrà Vaſquium *hic diſp.* 204. *cap.* 1. Lugum *diſp.* 8. *cap.* 2. *num.* 12. Amicum *diſput.* 9. *ſect.* 3. Suarium *lib.* 2. *cap.* 4. *&c.*

Probatur primò: Cognitio abſtractiva eſt, quâ cognoſcitur res, aut per ſpecies alienas, & in medio imperfectiore; aut præſcindendo ab exiſtentia (ſolet præſens difficultas agitari tantùm de cognitione abſtractiva ſecundo modo, nihilominùs uberioris doctrinæ gratia probo in Angelis utramque, & utramque complector in minori, quam ſubjicio) ſed Angelus poteſt naturaliter cognoſcere ſe ipſum tùm per ſpecies alienas, & in medio imperfectiore; tùm præſcindendo ab exiſtentia; ergo: Major continet communiſſimè receptam explicationem cognitionis abſtractivæ:

22. Probatur minor quoad primam partem, quia Angelus poteſt naturaliter comprehendere, aut proprios actus, quorum eſt principium, aut actus alienos, quorum ſit objectum; ergo poteſt naturaliter in talibus actibus ſe cognoſcere, vel tanquam principium, vel tanquam objectum; atqui hoc eſt ſe cognoſcere per ſpecies alienas, & in medio imperfectiore; ergo. Probatur eadem minor quoad ſecundam partem, Angelus poteſt naturaliter cognoſcere ſe inadæquatè, ergo præſcindendo ab exiſtentia; cùm præſertim hæc diſtinguatur à prædicatis eſſentialibus Angeli, ut ſumptis in eſſe formali, quamvis non ab iiſdem, ut ſumptis in eſſe actuali.

Tùm per ſpecies alienas.

Tùm præſcindendo ab exiſtentia.

Pro ſolutione eorum, quæ afferri hic poſſent contrà ſimultatem cognitionis intuitivæ, aut cum cognitione abſtractiva in univerſum, aut in particulari cum cognitione abſtractiva proveniente ex ſpeciebus alienis, & ex imperfectione medij, recolenda ſunt quæ dicebamus *tract.* 1. *lib.* 3. *c.* 2. §. 3. dum aſſereremus Deum cum cognitione intuitiva, imò comprehenſivâ ſui in ſe ipſo habere ſimul cognitionem abſtractivam ſui in creaturis, & ex creaturis.

Probatur aſſertum ſecundò oſtendendo ſpecialiter, quòd Angelus poſſit cognoſcere ſe ipſum præſcindendo ab exiſtentia, adeoque eâ cognitione abſtractivâ, de qua maximè procedit controverſia: Poteſt unus Angelus cognoſcere quiditativè & per ſpeciem propriam alium Angelum exiſtentem præſcindendo ab exiſtentia; ergo poteſt cognoſcere ſe ipſum præſcindendo ab exiſtentia, antecedens probatur, ſupponatur Angelus Michael cognoſcere quiditativè, & per ſpeciem propriam Angelum Gabrielem nondum exiſtentem, cognoſcet utique præſcindendo ab exiſtentia; Supponatur rursùs Angelus Gabriel fieri exiſtens inſcio Michaele; in hac ſecunda ſuppoſitione Angelus Michael cognoſcet Gabrielem factum exiſtentem eodem prorsùs modo, quo cognoſcebat in prima ſuppoſitione, ſed in prima ſuppoſitione cognoſcebat præſcindendo ab exiſtentia, ergo etiam in ſecunda cognoſcet præſcindendo ab exiſtentia, & tamen Angelus qui quiditativè cognoſcitur re vera eſt factus exiſtens. 23.

Dices diſparitatem eſſe, quia Angelus non poteſt eſſe inſcius exiſtentiæ propriæ, ſicuti poteſt eſſe inſcius exiſtentiæ alterius Angeli: Sed contrà, hoc dato adhuc diſparitas nullam habet vim niſi cognitio exiſtentiæ alicujus objecti ſit incompoſſibilis cum alia cognitione præſcindente ab eadem exiſtentia; hoc autem eſt falſum, tùm quia in Deo ipſo cognitio exiſtentiæ Antichriſti v.g. ſtat ſimul cum cognitione præſcindente ab eadem exiſtentia, Deus enim Antichriſtum ſimul cognoſcit ſcientiâ viſionis terminata ad ipſius exiſtentiam, & ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ terminata ad ipſius poſſibilitatem, adeoque præſcindente ab exiſtentia, tùm quia cognitio animalitatis in homine v. g. non eſt incompoſſibilis cum alia cognitione, quæ attingat cætera hominis prædicata præſcindendo ab animalitate; ergo cognitio exiſtentiæ, in ſe ipſo non eſt incompoſſibilis cum alia cognitione, quæ attingat in ſe ipſo reliqua prædicata præſcindendo ab exiſtentia. 24.

Deus cognoſcit res exiſtentes, tùm attingendo exiſtentiam, tùm præſcindendo ab exiſtentia.

Vrgebis: eſt impoſſibilis in Angelo cognitio,

nitio, quâ non cognoſcat ſe exiſtere; ergo verè eſt impoſſibilis in Angelo cognitio, quâ cognoſcat ſe ipſum præſcindendo ab exiſtentia, alioqui idem formalis actus cognoſceret exiſtentiam, & præſcinderet ab exiſtentia; antecedens infertur ex doctrina ſuprà indicata *n.* 20. quòd nequeat Angelus quidquam cognoſcere, quin cognoſcat ſe cognoſcere, quod eſt idem, ac dicere, quin cognoſcat ſe eſſe cognoſcentem, & per conſequens, quin cognoſcat ſe eſſe. Sed contrà:
25. Inſtantia probat non ſolùm Angelū, verùm etiam hominem; non ſolùm cognoſcendo ſe ipſum, verùm etiam cognoſcendo quodcumque aliud, non poſſe præſcindere à propria exiſtentia: Dico igitur notitiam illam, quâ quis cognoſcit ſe exiſtere ex eo, quod per quamlibet cognitionem cognoſcat ſe cognoſcere, eſſe implicitam, & valdè decoloratam, necnon indirectam, & mediatam notitiam propriæ exiſtentiæ, cum quo benè ſtat, ut quis ab exiſtentia præſcindat directè, immediatè, & explicitè, & hoc ſufficit ad cognitionem abſtractivam.

Angelus cognoſcit ſe etiam abſtractivè abſque ſpecie.

Aſſert. 3. Angelus, nec ut cognoſcat ſe ipſum intuitivè; nec ut cognoſcat ſe ipſum abſtractivè, & præſcindendo ab exiſtentia, indiget ſpecie ſuperaddita. Prima pars eſt communiſſima, & Marſilius, ac Alenſis, quibus oppoſitum tribuitur, ſubobſcurè loquuti ſunt, Henricus etiam *quodlib.* 5. *q.* 14. quamvis videatur abſolutè requirere aliquid ſuperadditum, ut Angelus propriam eſſentiam intelligat, ſolet tamen à ſuæ ſcholæ Doctoribus explicari in ordine ad cognitionem propriæ eſſentiæ abſtractivam. Secunda pars eſt Ioannis à S. Thoma, & Averſæ locis præcitatis *num.* 31. Goneti *hic diſp.* 9. *num.* 28. Lugi *diſp.* 8. *cap.* 1. *num.* 13. aliorumque magis communiter contrà Scotum *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 9. §. *Ad quæſtionem*, Gabrielem *ead. diſt. q.* 2. *art.* 3. Majorem *ead. diſt. q.* 1. Henricum *q.* 14. *præcit.* quatenus etiam ipſe ad cognitionem, ſaltem abſtractivam propriæ eſſentiæ requirit in Angelo aliquid ſuperadditum, quamvis id vocet habitum ſcientialem, non ſpeciem.

26. Probatur prima pars: Intellectus non indiget ſpecie ad cognitionem intuitivam objecti, quod eſt ipſi proportionatum, & intimè præſens; ſed eſſentia Angeli eſt proprio intellectui maximè proportionata, & maximè præſens, ergo: Minor per ſe patet, major ſupponitur ex doctrina communi, ſecundùm quam ſpecies, ſaltem ex indigentia, non datur, niſi ad ſupplendam, aut improportionem, aut abſentiam objecti.

27. Dices: eodem modo probaretur animam rationalem non indigere ſpecie ad cognitionem intuitivam ſui. Sed contrà: ſi ſermo ſit de anima ſeparata, rectè procedit inſtantia; ſi de anima corpori unita, dico nec per ſpeciem, nec per ſe ipſam ei convenire cognitionem intuitivam ſui, quia ipſius intellectus pro ſtatu unionis ad corpus non poteſt aliter intelligere, quàm per ſpecies à rebus ſenſibilibus derivatas, & miniſterio ſenſuum acquiſitas; ideò nequit intelligere

Quomodò anima cognoſcat ſe ipſam.

propriæ animæ eſſentiam, aut per ſe ipſam, aut per ſpeciem propriam ut requiritur ad cognitionem intuitivam; ego certè nullam in me experior meæ animæ intuitivam notitiam, nec illius eſſentiam cognoſco per ſe ipſam, ſed ſolùm per ſimilitudines rerum materialium, & ſpecies alienas eadem ratione, quâ cognoſco eſſentias Angelorum, aliarumve animarum rationalium: Unde mihi omninò imperceptibile, & tùm contrà rationem, tùm contrà experientiam videtur, quod tradit, Madernus *hic quæſ.* 3. *art.* 2. *num.* 5. 6. & 7. docens animam etiam corpori unitam ſine ſpeciebus, & per ſe ipſam intelligere propriam eſſentiam, proprios actus, & omnia ſpiritualia intrà eam exiſtentia, hocque ulteriùs impugnatur ex eo, quòd ſequeretur nos in hac vita aſſurgere poſſe ad Dei notitiam non ſolùm valdè imperfectam ex rebus ſenſibilibus, ſed etiam per noſtræ animæ eſſentiam cognoſcere Deum eadem ferè perfectione, quâ ipſum cognoſcit Angelus per eſſentiam propriam; ſequeretur inſuper nos poſſe cognoſcere intuitivè noſtros Angelus Cuſtodes nobis intimè præſentes, cum præſertim juxtà Madernum Angelus quando eſt præſens poſſit per ſe ipſum præſtare ſuum concurſum objectivum, nullaque indigeat ſpecie ut cognoſcatur.

Neque dicas ex Maderno: Anima, ſivè unita, ſivè ſeparata, habet eandem perfectionem; ergo ſi ſeparata eſt intelligibilis per ſe ipſam, talis eſt etiam unita; idque docuit Auguſtinus *lib.* 9. *de Trinit. cap.* 3. dicens *Mens ergo ipſa, ſicut corporearum rerum notitias per ſenſus corporis colligit, ſic incorporearum rerum per ſemetipſam. Ergo & ſemetipſam per ſe ipſam novit, quoniam eſt incorporea.* Contrà enim, anima ſive unita, 28.
ſive ſeparata, habet eandem perfectionem radicaliter & in actu primo remoto, non ſemper in actu primo proximo, aut in actu ſecundo, propter dependentiam, quam quoad ſuos actus ſecundos, & conſequenter etiam quoad actus primos proximos habet à corpore, dum eſt in ſtatu unionis, anima igitur unita eſt intelligibilis per ſe ipſam radicaliter ſolùm, & in actu primo remoto; ſicuti eſt radicaliter ſolùm, & in actu primo remoto potens operari abſque ſpeculatione phantaſmatum, ſenſuumque miniſterio: Verba Auguſtini, ut à Maderno intelliguntur, nimis probant; probant enim animam per ſe ipſam, & ſine ſpeciebus cognoſcere res omnes incorporeas, ſicuti per ſenſus cognoſcit omnes corporeas; ſunt igitur aliter intelligenda, adeò ut ly *per ſe ipſam* ponatur ad excludendum diſtinctum principium elicitivum, non diſtinctum principium objectivum; & ad hanc quidem intelligentiam non ex arbitrio, ſed ex attenta textus lectione deducor.

Probatur ſecunda aſſerti pars; Illud, quod 29.
inſervit Angelo ad cognitionem ſui intuitivam, poteſt eidem inſervire ad cognitionem ſui abſtractivam, quâ præſcindat ab exiſtentia; ergo ſi non indiget ſpecie ſuperaddita ad

cognitionem ſui intuitivam, neque indiget ad abſtractivam, &c. antecedens probatur, quia ex una parte in noſtris principiis cognitio non ſolùm abſtractiva, verùm etiã intuitiva, poteſt haberi per ſpeciem; & è contrà cognitio non ſolùm intuitiva, verùm etiã abſtractiva, poteſt haberi per objectũ ipſum immediatè; ex alia parte Angelus undecumque ſumat repræſentativitatem, poteſt ipſâ uti inadæquatè, illud igitur, quod ſecundum ſuam repræſentativitatem adæquatam inſervit Angelo ad cognitionem intuitivã attingentem eſſentiam, & exiſtentiam, poterit ſecundùm repræſentativitatem inadæquatam eidem inſervire ad cognitionẽ abſtractivam attingentẽ eſſentiã præſcindẽdo ab exiſtẽtia.

30\. *Angelus cognoſcit ſe per ſuã eſſentiam.*

Aſſert. 4. Dum Angelus cognoſcit ſe ipſum, ſivè cognoſcat intuitivè, ſivè cognoſcat abſtractivè præſcindendo ab exiſtentia, munus ſpeciei, & concurſus objectivus præſtatur immediatè à propria eſſentia, ſeu ſubſtantia, non ab eadem mediante intellectu. Hoc aſſertum quatenùs ſimpliciter tribuit munus ſpeciei, & concurſum objectivum eſſentiæ Angelicæ in ordine ad cognitionẽ ſui, tùm intuitivam, tùm abſtractivam, conſequitur ex ſupradictis partim *cap. præced.* §. 1. de neceſſitate concurſus objectivi ad quamlibet intellectionem; partim ex aſſertis mox poſitis de non indigentia ſpeciei in ordine ad cognitionem, ſivè intuitivam, ſivè abſtractivam ſui, quatenùs idem munus eundemque concurſum tribuit ipſi eſſentiæ immediatè & formaliter, eſt ſpecialiter contrà Cajetanum *hic q.56.art.1.* Ioannem à S. Thoma *diſp.21. art.2. n.11. & 15.* & quoſdam alios Thomiſtas docentes ad ſui cognitionẽ objectivè concurrere eſſentiã per hoc præciſè, quòd ab ipſa fluat intellectus habens in ordine ad ejuſdem cognitionem ultrà formalitatem potentiæ, & virtutis cognoſcitivæ, etiam formalitatem ſpeciei, & virtutis repræſentativæ; hic modus ſentiendi laudatur à Vaſquio *diſp.204.c.2.* nec immeritò, favet enim ejus opinioni, quã docet intellectum ad ſuos actus eliciendos nullo indigerẽ objectivo concurſu, & tradit ferè in ordine ad cognitionem ſui illud, quod deindè Vaſquez extendit ad cognitionem cujuſcumque alterius rei.

31\. Probatur: Quoties objectum poteſt per ſe ipſum immediatè præſtare concurſum objectivum ad ſui cognitionem, non ſolùm non præſtat talẽ concurſum per ſpeciem, ſed nec per potentiam aliquam à ſe diſtinctam; atqui eſſentia Angeli ad ſui cognitionem quâ attingitur ab Angelo, cujus eſt eſſentia, poteſt per ſe ipſam immediatè præſtare concurſum objectivum, & quando præſtaret mediante intellectu præſtaret per potentiam à ſe diſtinctam; ergo verè talem concurſum per ſe ipſam immediatè præſtat, non mediante intellectu; major probatur tùm ex regula generali non multiplicandi entia, & non faciendi per plura, quod poteſt fieri per pauciora; tùm inductione objectorum, in quibus non apparent diſtinctæ potentiæ in ordine ad præſtandum concurſum intentionalem; tùm paritate divinæ eſſentiæ, quæ ſivè cum proprio, ſivè cum creato intellectu ad ſui cognitionem concurrat, non ſolùm per ſpeciem, ſed nec per omnipotentiam, aliamvè virtutem à ſe aliqualiter diſtinctam objectivè concurrit, ut habetur *ex tract. 1. lib.2.cap.2.num.42. & lib.3. cap.2. num.11. & 12.* Minor pariter probatur; ſi eſſentia Angeli non poteſt ad ſui cognitionem, &c. vel id provenit ex eo, quod ſubſtantia nequeat eſſe immediatè operativa per ſe ipſam, vel ex eo quòd ſpecies, ſeu forma immediatè præſtans objectivum concurſum debeat intellectum informare, eique ſubordinari, & inhærere; atqui primum in noſtris principiis eſt ſimpliciter falſum, & in principiis Thomiſticis ſufficit verificari de eſſe operativo phyſicè abſque eo, quòd extendatur ad eſſe operativum intentionaliter; ſecundum verum eſt de ſpecie accidentali, non de ſpecie ſubſtantiali, aut magis propriè loquendo de quocumque principio objectivi concurſus, ut patet ex dictis *tract. 1. lib.2. cap.2. §.1. & 4.* iiſque huc tranſlatis facilè occurritur rationibus, quibus Adverſarij contendunt eſſentiam Angeli debere objectivè concurrere mediante intellectu potiùs, quàm immediatè per ſe ipſam.

Præſtantẽ concurſum objectivũ immediatè, non mediante intellectu.

32\. *Occurritur rationibus Adverſariorum.*

Dices: ex D. Thoma *3. contra Gentes, cap. 51. §. Ad hujus igitur*, illud ſolùm eſt formaliter intelligibile per ſe ipſum, quod eſt veritas ipſa, quod convenit ſoli Deo; ergo eſſentia Angeli non eſt per ſe ipſam formaliter intelligibilis, nec per ſe ipſam immediatè præſtat concurſum objectivum; & quæ alibi dicta ſunt de eſſentia Dei gerente munus ſpeciei, malè huc transferuntur ad eſſentiam Angeli. Sed contrà: pro nunc ſufficeret reſpondere S. Doctorem loqui, ut ex contextu clarè patet, de eo quod eſt formaliter per ſe ipsũ intelligibile ab intellectu alieno; nos autem loquimur hic de eſſentia Angeli comparatâ ad intellectum proprium, nihilominùs quia infrà id quoque aſſeremus de eſſentia Angeli comparatâ ad intellectum alienum, addo convenire ſoli Deo, quod ſit formaliter intelligibilis per ſe ipſum eſſentialiter & ad modum primi intelligibilis; non alio quocumque modo, ut infrà *n.40.*

33\. *Occurritur auctoritati D. Thomæ.*

34\. Ex dictis habetur negari à nobis ſpeciem infuſam Angelo pro cognitione ſui, ſivè abſtractivâ, ſivè intuitivâ, non quia non ſit poſſibilis, ſed quia non ſit neceſſaria, nec connaturaliter debita; undè ſecundùm potentiam abſolutam optimè poſſet Deus tribuere cuilibet Angelo ſpeciem ſui ipſius, imò ſpeciem Michaëlis v.g de facto Gabrieli infuſam poſſet infundere ipſimet Michaëli, hæcque ei inſerviret ad cognitionem ſui etiã intuitivam, quidquid cõtrà ſentiat Scotus malè exiſtimans omnem cognitionem, quæ per ſpeciẽ infuſam habetur eſſe abſtractivã, ideoque probans Angelum poſſe cognoſcere ſe abſtractivè ex eo, quòd poſſit cognoſcere ſe per ſpeciem infuſam, in quo falſum aſſumit principium ad inferendam propoſitionem aliundè veram. Porrò Angelus, qui haberet

Non repugnat Angelum cognoſcere ſe per ſpeciem.

haberet ſibi impreſſam ſui ſpeciem, vel ſe ipſum cognoſceret objectivè concurrentibus eſſentiā ſimul, & ſpecie, tanquam duabus cauſis ejuſdem generis, & ordinis; vel excitaret pro libito ad præſtandum concurſum objectivum modò eſſentiam, modò ſpeciem; vel fortè etiam elicere ſimul poſſet duplicem ſui cognitionem, alteram per eſſentiam, alteram per ſpeciem.

---

§. III.

Quomodò Angelus cognoſcat naturaliter accidentia naturalia quæ habet in ſe ipſo.

35. Angelus cognoſcit ſua accidentia naturalia immediatè per ſe ipſa.

ASSART. Angelus nec indigere ſpeciebus nec concnrſu objectivo propriæ eſſentiæ ad cognuſcenda accidentia naturalia, quæ haber in ſe ipſu, ſed ſingula cognoſcit immediatè per ſe ipſa. Ita Lugus *hic diſp.* 18. *c.* 2. *num.* 19. Arriaga *diſp.* 5. *ſect.* 2. *ſubſec.* 3. Eſparza *q.* 12. *art.* 7. Madernus *q.* 3. *art.* 2. *num.* 8. &c. contrà Ioannem à S.Thoma *diſp.* 21. *art.* 2. *num.* 18. & plures Thomiſtas volentes Angelnm cognoſcere ſua accidentia naturalia per concurſum objectivum propriæ eſſentiæ; & à fortiori contrà eos, qui concurſum objectivum negant ipſimet eſſentiæ; hunc tamen nos *ex* §. *præced.* ſupponimus pro probatione hujus aſſerti, quod ſic

Probatur primò: Eſſentia cognoſcitur immediatè per ſe ipſam ab Angelo cujus eſt eſſentia, quia eſt proportionata, & præſens intellectui ipſam cognoſcenti; ſed etiā quodlibet accidens naturale eſt proportionatum, & præſens intellectni illius Angeli, cui ineſt; ergo etiam quodlibet accidens naturale à tali intellectu cognoſcitur immediatè per ſe ipſum abſque eo, quod indigeat aut ſpecie, aut concurſu objectivo eſſentiæ, ſicuti nec eſſentia indiget aut ſpecie, aut concurſu objectivo alterius à ſe diſtincti. Confirmatur, non ſolùm divina eſſentia, ſed etiam quælibet divina perfectio exercet per ſe ipſam concurſum objectivum ad ſui cognitionem reſpectu divini intellectus; ergo non ſola eſſentia Angeli, ſed etiam quodlibet naturale Angeli accidens, exercet per ſe concurſum objectivum ad ſui cognitionem reſpectu intellectus Angelici; antecedens ſupponitur *ex tr.* 1. *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 10. conſequentiā procedit à pari.

Dices: quamvis quælibet divina perfectio exerceat per ſe ipſam concurſum objectivū, quælibet tamen etiam ea ibidem dictis à Deo cognoſcitur per concurſum objectivū eſſentiæ, tanquam ſpeciei univerſaliſſimæ; ergo ſiſtendo in eadem doctrina & paritate, quamvis quodlibet naturale accidens Angeli cognoſcatur per ſe ipſum, quodlibet tamen etiam cognoſcetur per concurſum ob-

36. jectivum eſſentiæ. Sed contrà: nihil infertur contrà aſſertum, & aliud eſt ad cognoſcenda propria accidentia Angelum poſſe uti concurſu objectivo eſſentiæ, aliud eſt tali concurſu indigere, nec poſſe ea aliter cognoſcere, hoc ſecundùm dumtaxat aſſerto adverſatur, non primum: Nihilominùs ut inſtantiæ plenè ſatisfiat, adverto accidentia cujuſlibet Angeli quædam contineri eminenter adæquatè in ipſius eſſentia, talia ſunt intellectus & voluntas, ſivè deindè ſint accidentia phyſica diſtincta realiter, ſivè accidentia metaphyſica diſtincta ſola ratione; quædam cōtineri ſolùm inadæquatè ut omnes actus vitales, qui cōtinentur in eſſentia ſeenndùm illud, quod dicunt ex parte potentiæ, non ſecundùm illud quod dieunt ex parte objecti; quædam nullatenùs continentur activè in eſſentia, ei tamen debentur tanquam ſubjecto ut ſpecies intentionales; adverto inſuper *ex cap præced. num.* 9. nullam ſubſtantiam poſſe eſſe ſpeciem alicujus rei à ſe diſtinctæ, & præſtare concurſum objectivum, ſeu repræſentativum ipſius, niſi contineat eminenter talem rem. Hinc dico accidentia primi generis poſſe cognoſci per concurſum objectivum eſſentiæ; accidentia ſecundi ge- 37.

Quænam ex iiſdem accidentibus poſſit etiam cognoſcere per eſſentiam ſuam.

neris per talē concurſum aut non cognoſci, aut valdè imperfectè & inadæquatè; accidentia tertij generis nullatenùs cognoſci, & Angelus comprehendendo in propria eſſentia rationem ſubjecti, & potentiæ paſſivæ, cognoſcit quidem ſpecies tali potentiæ connaturaliter debitas, at iſtas cognoſcit per eſſentiam, tanquam per medium cognitum; non per eandem, tanquam per ſpeciem, & tanquam præſtantē concurſum objectivum adeò ut etiamſi nullatenùs cognoſceretur adhuc ducere poſſet in notitiam ſpecierum intentionalium, quæ ipſi debentur.

Probatur ſecundò: Si accidentia naturalia Angeli non poſſunt immediatè cognoſci per ſe ipſa, vel id habent ut accidentia ſunt, vel ut talia accidentia: Non ut accidentia 38.

Species intentionales non poteſt immediatè cognoſcere aliter, quā per ſe ipſas.

ſunt; quia ſecùs nullum Angeli accidens poſſet per ſe ipſum immediatè cognoſci, quod falſum evincitur in ſpeciebus intentionalibus, de quibus certè quis neget poſſe ab Angelo, cui inſunt, immediatè cognoſci? & tamen nequeunt immediatè cognoſci aliter, quàm per ſe ipſas; nam nequeunt immediatè cognoſci per concurſū objectivum eſſentiæ *ex num. præced.* multò minùs per alias ſpecies, quia etiam iſtæ ad immediatam ſui cognitionem indigerent aliis ſpeciebus; & ſic, niſi admittantur ſpecies quæ immediatè per ſe ipſas cognoſcantur, in infinitum procederetur: Non ut talia accidentia ſunt, puta vel ut ſunt accidentia non recepta in intellectu, ex quo capite non videntur habere poſſe intentionalē cum intellectu unionem, niſi per aliquid in ipſo receptum id eſt niſi per ſpecies, vel ut ſunt accidentia contenta eminenter in eſſentia, ex quo capite cum poſſint cognoſci immediatè per eſſentiam, non debent cognoſci immediatè per ſe ipſa; atqui primum non obſtat, quia ad unionem intentionalem accidentium cum intellectu ſufficit recipi in eadem ſubſtantia, in qua recipitur intellectus in noſtra

præſertim ſententiâ non diſtinguere realiter à ſubſtantiâ intellectum : Non obſtat item ſecundum, quia nil prohibet Angelicæ perfectioni concedere, quòd poſſit Angelus aliqua ſua accidentia immediatè cognoſcere, tùm per eſſentiam, tùm per ſeipſa, utendo ad eorum cognitionem vel utroque medio ſimul, vel alterutro ad libitum.

Dubitatur hic, utrùm eſſentia & accidentia naturaliter Angeli, dum cognoſcuntur immediatè per ſe ipſa, ſicuti præſtant munus ſpeciei impreſſæ ſe ipſis objectivè concurrendo, ità præſtent munus ſpeciei expreſſæ ſe ipſis cognitionem terminando abſque eo, quod formetur ullum verbum ſeu nova ſpecies expreſſa.

Angelus non format ſpeciem expreſſam, ubi non utitur ſpecie impreſſâ.

39. Reſpondeo affirmativè cum Cajetano 1. *p.* *q.* 27. *art.* 1. *ad* 3. ad quem accedit Nazarius contrà Ioannem à S. Thoma *hic diſput.* 21. *art.* 2. *num.* 17. Gonetum *diſp.* 9. *art.* 1. *num.* 4. alioſque Thomiſtas magis communiter. Probatur reſponſio quia ſpecies expreſſa correſpondet impreſſæ, & ſicuti iſta in eſſe intelligibili ità illa in eſſe intellecto gerit vicem objecti; quoties igitur objectum per ſeipſum præſtat ſuum eſſe intelligibile ad ſui cognitionem abſq; ſpecie impreſſâ concurrendo, debet etiam connaturaliter loquendo per ſe ipſum præſtare ſuum eſſe intellectum ſui cognitionem abſque ſpecie expreſſâ terminando; pro quo recolenda ſunt, & hic proportionaliter transferenda, quæ dicebamus *tr.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. §. 5. aſſerentes in ordine ad Dei viſionem idem eſſe ſentiendum de ſpecie expreſſâ, quod de impreſſâ.

Dices: eſſentia Angeli quamvis poſſit eſſe per ſe ipſam intelligibilis, non ſic poteſt eſſe per ſe ipſam intellecta, ergo in propoſito non eſt idē ſentiendum de ſpecie expreſſâ, quod de impreſſâ, & Angelus debet formare ſpeciem expreſſam, etiam quando propriam eſſentiam intelligit per ſe ipſam abſque ſpecie impreſſâ; probatur antecedens quia ſi eſſentia Angeli eſſet per ſe ipſam intellecta, eſſet ſua intellectio ſibique protsùs identificaret intellectionem ſui, & maximè in ſententiâ Complexiſtarum eſſet inexplicabile, quidnam intellectio eſſentiæ importaret diſtinctum realiter ab eſſentiâ ſtante identitate intellectus cum ipsâ? quoties non importet ſaltem novam ſpeciem expreſſam: Confirmatur ex D. Thomâ 4. *cont. Gent. cap.* 11. ubi loquens de Angelo cognoſcente ſe ipſum, & de ſpecie expreſſâ ſub nomine intentionis intellectæ ait, *Licèt intentio intellecta ſit eis omninò intrinſeca, non tamen ipſa intentio intellecta eſt eorum ſubſtantia, quia non eſt idem*
40. *in eis intelligere & eſſe.* Sed contrà: Dupliciter ſtat quòd res aliqua ſit per ſe talis, vel prout ly *per ſe* idem ſonat ac *eſſentialiter*, vel prout ly *per ſe* idem ſonat ac *non per aliquid à ſe diſtinctum*: Dupliciter item ſumitur eſſe intelligibile & eſſe intellectum; vel in actu primo prout illud appellat poſſe cauſare, iſtud poſſe terminare intellectionem: vel in actu ſecundò prout illud appellat intellectionem actualiter cauſare; iſtud eandem actualiter terminare; hâc terminorum explicatione præmiſſa nego abſolutè antecedens, & dico quòd ſumendo ly *per ſe*, pro, *eſſentialiter*, eſſentia Angeli eſt per ſe ipſam tùm intelligibilis, tùm intellecta in actu primo tantùm; ſumendo ly *per ſe* pro, *non per aliud*, eſſentia Angeli eſt per ſe ipſam & intelligibilis & intellecta, & in actu primo, & in actu ſecundo: ad probationem antecedentis vera eſſet illatio, ſi eſſentia Angeli eſſet per ſe ipſam intellecta, ſumendo ly *per ſe ipſam* pro *eſſentialiter*, & ly *intellecta* pro *intellecta in actu ſecundo*, quâ ratione nos non ponimus eſſentiam Angeli eſſe per ſe intellectā, ſed ſolam eſſentiam Dei ad intra. Ad illud quod additur contrà Complexiſtas, dico ſecundùm ipſos intellectionem eſſentiæ non importare quidē aliquid ſimplex diſtinctum realiter ab eſſentiâ, benè tamen aliquid complexum ſcilicet intentionale eſſentiæ & intellectus, ſine quo complexo eſſentia poteſt realiter eſſe quatenùs poteſt carere unione intentionali cum ſuo intellectu, quamvis non unione, imò identitate phyſicâ cum eodem. Ad confirmationem ex D. Thomâ dico mentem ipſius eſſe quod ſubſtantia Angeli non ſit eſſentialiter intentio intellecta; ſeu ſpecies expreſſa in actu ſecundo.

Quomodò eſſentia Angeli dici poſſit per ſe ipſam intellecta.

---

§. IV.

Quomodò Angelus naturaliter cognoſcat alios Angelos?

ASSERT. 1. Angelus poteſt cognitione naturali tùm intuitivâ tùm abſtractivâ cognoſcere alium quemcumque, ſivè indiſtans, ſivè diſtans ſit; per ſpeciem infuſam; & inſuper per propriam ipſius ſubſtantiam, ſi ſit compenetratus. Hoc aſſertum quoad primam partē quoſnam habeat Patronos, quoſnam Adverſarios colligitur ex ſupradictis de infuſione ſpecierum; quoad ſecundam eſt Molinæ *hic q.* 56. *art.* 2. Lugi *diſp.* 8. *cap.* 1. *num.* 31. Dequiros *diſp.* 51. *ſect.* 1. *num.* 5. Maderni *q.* 3. *art.* 3. Averſæ *q.* 56. *ſect.* 1. & omnium Scotiſtarum cum Scoto *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 10. §. *ad quæſtionem igitur*, in fine; quamvis deindè Scotus & Scotiſtæ velint Angelum per propriam ſubſtantiam poſſe ſolùm cognoſci intuitivè, in quo nos ab ipſis recedimus, eſt verò prædicta ſecunda aſſerti pars contrà Ioannem à S. Thomâ *hic diſp.* 21. *a.* 2. *num.* 16. Gonetum *diſp.* 9. *art.* 1. *n.* 32. alioſque Thomiſtas, & inſuper contrà Suarium *lib.* 2. *cap* 5. *num.* 12. Vaſquium *diſp.* 205. *cap.* 2. *&c.* 41.

Prima pars probatione non indiget admiſſâ ex ſupradictis infuſione ſpecierum, earumque ſufficientiâ ad cognitionem intuitivam ſuppoſitâ præciſè objecti exiſtentiâ, abſque eo quod ulteriùs requiratur concurſus objecti per ſe ipſum.

Probatur ſecunda pars: Subſtantia Angeli eſt per ſe ipſam intelligibilis ab intellectu proprio; ergo etiā ab intellecto alterius Angeli, cui ſit compenetrata, & quidem ſicuti ab 42.

Angelus poteſt per ipſius ſub-

ſtantiam cognoſcere alium Angelum ſibi compenetratum. ab intellectu proprio eſt per ſe ipſam intelligibilis, tùm intuitivè tùm abſtractivè; ità pariter, &c. ergo Angelus poteſt cognitione naturali tùm intuitivâ, tùm abſtractivâ, cognoſcere alium quemcunq; per propriam ipſius ſubſtantiam, ſi ſit compenetratus; antecedens habetur *ex præced.* §. 2. conſequentia probatur, quia ſubſtantia Angeli ex eo quod ſit per ſe ipſam intelligibilis ab intellectu proprio poteſt per ſe ipſam præſtare objectivum concurſum intellectui cui eſt ſufficienter applicata; ſed eſt ſufficienter applicata intellectui cui eſt compenetrata; ergo. Confirmatur primò: divina eſſentia, ſicuti eſt per ſe ipſam intelligibilis ab intellectu proprio, ità etiam ab intellectu alieno; ergo pariter ſubſtantia Angeli, ſi eſt per ſe ipſam intelligibilis ab intellectu proprio, erit etiam, &c. Confirmatur ſecundò *ex cap. præced. num.* 33. Angelus poteſt cum intellectu, cui eſt contiguus, concurrere per ſe ipſum mediatè producendo ſpeciem, ergo cum intellectu cui ſit compenetratus poteſt præſtare concurſum objectivum immediatè & abſque ſpecie; ſicuti enim contiguitas eſt ſufficiens applicatio pro productione ſpeciei, ità compenetratio eſt ſufficiens applicatio pro concurſu immediato.

41. Dices: cauſa concurſus objectivi non eſt
Argumenta pro inhærentia principij objectivè concurrentis. ſufficienter applicata niſi ſit inhærens principio cognoſcenti, ſed per compenetrationem unus Angelus non inhæret alteri, ergo per compenetrationem non habetur applicatio ſufficiens ad concurſum objectivum; imò quia Angelus nullatenùs poteſt per ſuã ſubſtantiam inhærere alteri, nullatenùs poteſt per ſuam ſubſtantiam objectivè cum altero concurrere: Major probatur primò, quia cauſa concurſus objectivi debet complere intrinſecè principium cognoſcens, ſola autem forma inhærens complet intrinſecè; ſecundò, quia debet eſſe in cognoſcente ſecundùm modũ ipſius cognoſcentis juxtà doctrinam D. Thomæ 1. *p. q.* 12. *art.* 4. quando autem eſt in cognoſcente non per ſpeciem, ſed per propriam entitatẽ eſt ſecundùm modum proprium, ut plurimùm diverſum à modo cognoſcentis; tertiò, quia unus Angelus compenetratus cum altero eſt etiam compenetratus cũ omnib. ſpeciebus intentionalibus alterius, & tamẽ per tales ſpecies non intelligit eo quod non habeat ipſas ſibi inhærentes; quartò, quia objectum viſibile cum oculo corporeo compenetratum viſionem non cauſat, nec poteſt ad viſionem concurrere, niſi per ſpeciem oculo inhærentem; ergo idem ſentiendum de ſpecie intelligibili re-
44. ſpectu intellectus Angelici. Sed contrà; nego abſolutè majorem, ex quâ inferretur neque ſubſtantiam Angeli cum intellectu proprio, neque eſſentiã Dei cum intellectu aut proprio, aut alieno poſſe objectivè concurrere:
Solvitur primum. Ad primam probationem dico cauſam concurſus objectivi non in alio ſenſu debere cõplere intrinſecè principium cognoſcens, quàm per hoc, quod ſit intrà ipſum, & conſtituat unum principium totale indiviſibili-
Secundum. ter ſe habens: Ad ſecundam dico propoſitionem illam Thomiſticam, *cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis*, nihil aliud importare quàm quòd, ſi cognitum ſit improportionatum cognoſcenti, debeat in ipſo poni per ſpeciem ipſi proportiona-
tam: Ad tertiam dico diverſam eſſe rationem Tertium.
de objectis per ſe ſtantibus, ac ſit de ſpeciebus, quæ accidentia ſunt; proprium autem eſt accidentium non conſtituere unum principium operativum, niſi cum ſubjecto cui inhærent; undè libenter concedo nullum accidens poſſe per ſe immediatè cognoſci, niſi inhæreat, aut intellectui, qui eſt principium *quo*, aut ſubſtantiæ, quæ eſt principium *quod*
cognitionis: Ad quartam dico proprium eſſe Quartum.
ſenſus viſus, quòd ſenſibile poſitũ ſuprà ſenſum non faciat ſenſationem, adeóque quod requirat ſuum objectum diſtans, & concurrens mediatè; at intellectus præſcindit ab objecti diſtantia & præſentia, nec non ab illius concurſu mediato & immediato.

Vrgebis: ad intellectionem requiritur aliqua unio objecti cum potentiâ, talis unio inter ſubſtantiam unius Angeli & intellectum alterius, nec habetur per identitatem, quo modo unitur ſubſtantia tùm Angeli tũ Dei intellectui proprio non per illapſum, quo modo unitur eſſentia Dei intellectui creato, nec alia eſt aſſignabilis, niſi per inhærentiam, quâ Angelus uniatur intellectui alterius mediante ſpecie; ergo ſi minùs ſimpliciter & abſolutè, ſaltem in ſubjecta materia vera eſt illa major propoſitio, *Cauſa concurſus objectivi non eſt ſufficienter applica-*
ta, niſi ſit inhærens principio cognoſcenti. Sed 45. Quænam unio inter objectum & potentiã requiratur ad intellectionem.
contrà: ad intellectionem requiritur aliqua unio objecti per modũ comprincipij & formæ intelligibilis, at non per modum compartis & formæ phyſicæ: Porrò unio per modum comprincipij & formæ intelligibilis, vel eſt per modum formæ intelligibilis in actu primo, & ſic nihil eſt aliud quàm compenetratio objecti proportionati cũ potentiâ; vel eſt per modum formæ intelligibilis in actu ſecundo, & ſic ultrà complexum cõpenetrationis addit complexũ actualis coëfficientiæ in ordine ad intellectionem, nec quidquam prohibet dicere, quod Angelus quatenùs partialiter efficit in alio intellectionem, uniatur per illapſum, cum ex dictis *cap. præced. num.* 30. illapſus per efficientiam terminatam ad aliquod accidens optimè poſſit concedi uni Angelo reſpectu alterius.

Poſſunt hîc nonnulla levioris momenti dubitari circà aſſertum immediatum concurſum objectivũ ſubſtantiæ Angelicæ. Primò ſcilicet, vtrùm neceſſarius ſit an liber? Secundò, ſuppoſito quod ſit liber, quomodò uni Angelo innoteſcat alium Angelum velle præſtare talem concurſum? Tertiò, an & quomodò talis concurſus impediat concurſum ſpeciei infuſæ circà idem objectum? Quartò, utrùm conveniat ſoli ſubſtantiæ an etiã accidentibus naturalibus cujuſlibet Angeli? Quintò, utrùm præſtari poſſit ab Angelo etiam contiguo ſolùm, non compene-
tratò. Ad primum reſpondeo talem concur- 46. Solvuntur
ſum eſſe liberum propter eamdem rationem, varia dubi
propter

circa præaſſertum concurſum immediatum.

propter quam *cap. præced.* §. 3. conceſſimus Angelo liberam potiùs, quàm neceſſariam productivitatem propriæ ſpeciei. Ad ſecundum reſpondeo id innoteſcere per locutionem, per quam Angelus manifeſtet ſe eſſe paratum concurrere per propriam ſubſtantiam. Ad tertium, non impediri concurſum ſpeciei, quia poteſt Angelus cognoſcens aut ſpeciem non excitare, aut dicere cognitionem ſimul dependentem & à concurſu ſpeciei & à concurſu ſubſtantiæ. Ad quartum, accidentibus non convenire propter rationem poſitam *ſub num.* 44. in ſolutione tertij. Ad quintum præſtari non poſſe ab Angelo ſolùm contiguo primò quia, ut inductione conſtat, quæ non ſunt compenetrata non cõſtituunt unum principium indiviſibiliter ſe habens ſicuti conſtituit Angelus cognitus cum Angelo cognoſcente, cum quo immediatè concurrit: Secundò, quia quod ſe habet ut forma intelligibilis, debet aliquo modo imitari formam phyſicam, & dum nec inhærentiam nec informationem requirit, debet ſaltem requirere compenetrationem: Tertiò, ſi Angelus contiguus poſſet per ſuam ſubſtantiam immediatè cognoſci, vix umquam poſſet exercere virtutẽ ſpecierum productivam, dicatur igitur quando eſt contiguus poſſe concurrere mediatè per productionem ſpecierum & ſolùm quando eſt compenetratus poſſe concurrere immediatè per ſubſtantiam.

47. Aſſert 1. Angelus poteſt natureliter cognoſcere comprehenſivè alios ſibi aut æquales, aut inferiores; at non ſuperiores. Prima pars eſt contrà Lugum *hic diſp.9.cap.2.n.*13. & Vaſquium *diſp* 205.*cap.*3. *num.*9. docentes, licet ex diverſo fundamento, nullam creaturam rationalem & liberã poſſe ab alia naturaliter comprehendi; fundamentũ Vaſquij eſt, quòd nulla creatura poſſit naturaliter cognoſcere actus liberos alteriùs; fundamentum Lugi, eſt quòd nulla creatura poſſit naturaliter cognoſcere ſimul omnes actus poſſibiles elici à potentiâ intellectivâ, & hinc neget in quolibet Angelo comprehenſionem etiam ſui ipſius. Secunda pars eſt contrà Bannezium *hic q.*56.*art.*2. Molinam *eod. art.* Salmanticenſes *diſp.6.dub.*3. Gabrielem à S. Vincentio *diſp.*45.*dub.*3. alioſque nonnullos, contrà quos utramque aſſerti partem tradunt Nazarius *hic q.*56. *art.*2. Ioannes à S. Thoma *diſp.*22.*art.*1. Gonet *diſp.9.art.*2. Arriaga *diſp.*11. *ſect.*6. Dequiros *diſp.*61. *ſect.*4. Maderniis *q.3.art.9. &c.*

Angelus comprehendit alios ſibi æquales & inferiores.

Probatur prima pars: Principium cognoſcitivum poteſt cognoſcere comprehenſivè illud omne objectum, à cujus perfectione non exceditur; ſed Angelus à perfectione aliorum ſibi aut æqualium aut inferiorum non exceditur, ergo: Minor patet, major ſupponitur *ex tract.* 1. *lib.* 2. *cap.*7.§.1. Confirmatur ſpecialiter contrà Vaſquium quia malè ipſe ſupponit non comprehendi principium liberum, niſi ipſius actus liberi cognoſcantur; malè inquam id ſupponit quia ſecundùm communem acceptionem comprehenſio attenditur ſolùm penes ea, quæ ſunt de eſſentiâ rei, eique conveniunt invariabiliter, & cognitio, quæ ſemel eſt comprehenſiva, ſemper eſt comprehenſiva, quòd non verificaretur, ſi reſpectu principij liberi cognitio comprehenſiva deberet etiam attingere ipſius actus liberos. Neque dicas, cognitio comprehenſive principij liberi debet ipſum diſcernere & contrè diſtinguere è quolibet principio naturali & neceſſario; atqui ipſum non diſcerneret, niſi in ipſo actus liberos dignoſceret, ergo: Contrà enim, ad diſcernendum principium liberum ſufficit in ipſo dignoſcere actus liberos poſſibiles, ad quos ſolos dicit principium liberum eſſentialem & invariabilem habitudinem. 48.

Confirmatur etiam ſpecialiter contrà Lugum, quia per ipſum nulla creatura poteſt naturaliter cognoſcere ſimul omnes actus poſſibiles elici à potentiâ intellectivâ, vel propriâ, vel alienâ, eo quod nulla cognitio poſſit directè attingere ſe ipſam; atqui falſum eſt tùm quòd cõprehenſio potentiæ neceſſariò debeat ſingillatim attingere omnes prorſùs actus poſſibiles ipſius, tùm quod cognitio nequeat attingere ſe ipſam, primum habetur ex dicendis *num.*134. Secundum ex dictis *tract.*1. *lib.*1. *cap.*5. §.7. ergo.

49. At non Superiores.

Probatur ſecunda pars: Principium cognoſcitivum non poteſt cognoſcere comprehenſivè illud objectum, à cujus perfectione exceditur; ſed Angelus inferior exceditur à perfectione Angelorum ſuperiorum; ergo Angelus inferior non poteſt cognoſcere cõprehenſivè Angelos ſuperiores; major, quæ ſola indigere poſſet probatione, ſupponitur *ex* §.1. *præcit.*

Dices Angelum inferiorem excedi à perfectione Angelorum ſuperiorum entitativè ſolùm & materialiter, non formaliter & intelligibiliter, quia omnes Angeli ſicuti ſunt in eadem lineâ elevetionis ſuprà materiam, ità ſunt in eadem lineâ intelligibilitatis, quod ſufficit ad hoc ut quilibet Angelus poſſit ab alio quolibet comprehendi, & colligitur hoc ex D. Thomâ 2. *cont. Gent. cap.*99. ubi loquens de ſubſtantiis ſeparatis ait *Cum intellectus earum ſit perfectus naturali perfectione, ut pote totus in actu exiſtens, oportet quod ſuum obiectum, ſcilicet ens intelligibile, univerſaliter comprehendat.* Sed contrà eum ex ſupradictis *tract.*1. *lib.*2. *cap.*7. *num.*7. tanta ſit in qualibet re intelligibilitas, quanta entitas, 50.

implicat unum Angelum excedi ab alio entitativè, & non excedi intelligibiliter; quod dicitur de eadem lineâ elevationis ſuprà materiam probat eandem lineam intelligibilitatis ſufficientem ad cognitionem intuitivam juxtà doctrinam poſitam *eod.lib.*2.*cap.*1.§.5. at ad cognitionẽ comprehenſivam non ſufficit eadem intelligibilitatis lineæ, ſed ulteriùs requiritur intelligentis & intelligibilis eadem perfectio. D. Thomas in verbis relatis, ſicuti etiam in nonnullis aliis locis, latiùs uſurpat comprehendere prout omnis cognitio quatenùs eſt objecti aſſecutio, dici poteſt comprehenſio; cæterùm de comprehendere ſtrictiùs ſumpto, prout dici poteſt comprehenſio illa ſola cognitio, quæ obiectum adæquat,

Mens D. Thomæ.

quat, ipſiuſque intelligibilitatem exhaurit, aliam eſſe S. Doctoris mentem apertè colligitur *ex lib. de cauſis lect. 8. circà finem* ubi loquens de intelligentiâ ait, quòd *ſuperiora cognoſcit per modum ſuæ ſubſtantiæ inferiori modo, quàm res ſuperior ſit in ſe ipſâ.*

51\. Probatur eadem ſecunda pars à duplici inconvenientе. Primum eſt, quod competeret naturaliter Angelo cognitio perfectior comprehenſione ſui, comprehenſio enim Angeli ſuperioris eſt perfectior cōprehenſione Angeli inferioris; ex quo ulterius inferretur unumquemq; Angelum inferiorem poſſe ſe ipſum ſupercomprehendere; ſi autem alicui Angelo convenit ſe ipſum ſupercomprehendere, cur non etiam Deo? Secundum eſt, quòd Angelus inferior haberet cognitionem naturalem Dei æquè perfectam ac Angelus ſuperior, hic enim non habet cognitionem naturalem Dei perfectiorem eâ, quâ Deum cognoſcit ex comprehenſione propriæ eſſentiæ, ut colligitur *ex ſuperiori* §. 1. atqui ſi Angelus inferior comprehenderet ſuperiorem, etiam ipſe ex comprehenſione ejuſdem eſſentiæ Deum cognoſceret, ergo.

52\. Ad comprehenſionem non ſufficit proportio potentiæ & objecti.

Ex dictis habetur ad comprehenſionem aliquid ampliùs requiri, quàm proportionem potentiæ & objecti; licèt talem ſolùm proportionem requirant Adverſarij, contrà quos ſufficit recolere ſupradicta *tr. 2. l. 2. c. 7. §. 1. & 2.* ex quo etiã loco haberi poteſt, cur Angelus inferior ſuperiorem non comprehendat? etiamſi cognoſcere poſſit ea omnia, quæ in ipſo ſunt tùm formaliter, tùm eminenter; ideò ex ibi poſitis facilè ſolvitur quidquid poſſet hîc objici pro comprehenſione Angelorum ſuperiorum ab inferioribus.

§. V.

Quomodò Angelus naturaliter cognoſcat liberas affectiones voluntatis & cogitationes intellectus, quas habent alij Angeli, vel homines.

53\. Angelus cognoſcit mediatè aliqua cordium ſecreta.

Aſſert. 1. Angelus naturaliter cognoſcit mediatè, & ex effectibus ſeu ſignis externis, aliquas liberas affectiones, &c. eſt aſſertum certiſſimum æquè ac communiſſimũ.

Probatur: Homo *ex Rom. 1.* ex effectibus & ſignis externis naturaliter cognoſcit inviſibilia Dei; ergo multo magis Angelus ex effectibus & ſignis poteſt naturaliter cognoſcere liberas aliorum Angelorũ vel hominum affectiones & cogitationes, de quibus controvertitur, utrùm in ſe ipſis viſibiles, an inviſibiles ſint? & quidem cognitione aliquando certâ aliquãdo probabili ſolùm & conjecturali, prout effectus ſeu ſignum habet cũ actu interno aliquando neceſſitatiã, aliquando contingentem ſolùm connexionem, ſivè tamen certò, ſivè ſolùm conjecturaliter cognoſcat Angelus actum internũ & cordis ſecretum, & meliùs & plura cordis ſecreta cognoſcit, quàm nos; quia tùm plura effecta & plura ſigna percipit, tũ utraq; profundiùs penetrat, quidquid ſit deindè, utrũ dari poſſint in corporibus aliqua ſigna ſenſibilia Angelis, nos autem latẽtia? quòd docuerat Auguſtinus *lib. de divinat. dæmonum c. 5.* & deindè (dumtaxat tamen tanquã audaciùs dictum, non tanquã falſum) retractat *l. 2. retract. c. 30.* ubi etiam, ne videatur abſolutè retractare, quod dixerat dæmones facilè perdiſcere aliquas hominum diſpoſitiones ſolùm cogitatione conceptas, id apertè confirmat dicens *pervenire iſta ad notitiam dæmonum per nonnulla etiam experimenta compertum eſt.* Hieronymus pariter in illud *Matth. 15.* De corde exeunt cogitationes, tradit *dæmones ex corporis habitu & geſtibus æſtimare quid verſemus intrinſecùs*: A fortiore igitur bonis id Angelis concedendum.

54\. At non immediatè cognitione adæquatâ & comprehenſivâ.

Aſſert. 2. Angelus abſque ſpeciali manifeſtatione naturaliter nõ cognoſcit immediatè, & in ſe ipſis, liberas affectiones voluntatis & cogitationes intellectus aliorum Angelorũ, vel hominum, cognitione adæquatâ & comprehenſivâ. Ità cum D. Thomâ *1. p. q. 57. a. 4. de malo q. 16. a. 8. de verit. q. 8. a. 13.* Thomiſtæ omnes & cæteri tũ antiqui tùm recentiores Theologi magis communiter contrà Durandum *in 2. diſt. 3. q. 7. n. 18. & q. 8. n. 6.* docentẽ Angelos cognoſcere naturaliter actus liberos alienos factos exiſtentes, & eſſe proprium Dei eoſdem cognoſcere antequã exiſtant, de hâc tamen eâdẽ re latiùs agens *diſt. 8 q. 5.* loquitur cũ formidine & difficultatem relinquit indeciſam: Item contrà Scotum, qui poſtquam *in 2. diſt. 9. q. 2. §. ad argumenta ſecundæ quæſtionis* ſimpliciter tradidit unũ Angelum poſſe naturaliter cognoſcere actum liberum alterius æquè ac eſſentiam, quoad de facto negat id quidẽ de Angelis malis *in 4. diſt. 10. q. 8. §. ad tertium*, at videtur oppoſitũ ſupponere de Angelis bonis *in 4. diſt. 45. q. 4. §. Ad argumenta principalia*, ubi proprium eſſe Dei cognoſcere abſcondita cordium, explicat in ordine ad cognitionem univerſalem, inimpedibilem, & judiciariam; undè qui dicunt Scotum cum D. Thomâ convenire in eo, quod de facto Angeli cordium ſecreta nõ cognoſcant, minùs accuratè ſubtilis Doctoris ſententiam referunt, extenduntque ad omnes Angelos, quod ille docuit de ſolis Angelis malis, ut rectè contrà Radã advertit Maſtrius *hic diſp. 2. q. 8. n. 237.* quem proptereà (ſicuti & nõnullos alios Scotiſtas) habemus loquẽdo de Angelis bonis adverſarium in hoc aſſerto, quod

55\. Probatur primò ex pluribus Scripturæ locis, in quibus ſoli Deo tribuitur corda ſcrutari, & internos actus liberos penetrare; undè etiam Evangeliſtæ & Sancti Patres divinitatem Chriſti frequenter inferunt ex eo, quòd cordium ſecreta cognoverit; quas quidem auctoritates ut potè facilè obvias ſingillatim non refero, referunt illas Valentia *diſp. 4. q. 8. punct. 4.* Suarez *l. 2. c. 21.* Ioannes à S. Thomâ *diſp. 22. a. 3.* & alij plures, qui etiã volunt ex talibus auctoritatibus aſſertũ noſtrũ reddi omninò certũ, & aut de fide aut fidei proximũ, oppoſitamque ſententiã cenſurâ notant, eã Suarez *l. præcit. c. 22. n. 1.* appellat erroneam, Valentia *punct. præcit. §. Porrò ex allatis* ait hâc in re cautè legi debere Durandum, Ioannes à S. Thomâ *art. 3. præcit. n. 2.* ait

Quænam cenſura ab aliquibus feratur in ſententiam oppoſitam.

ait Durandum in hoc malè audire : Verùm exiſtimo hos Auctores nimis facilè in cenſuram gravem erumpere contrà naturalẽ cognoſcibilitatem ſecretorum cordis in ſe ipſis; & ſicuti licèt Scripturæ & Patres omnem talium ſecretorum cognitionem ſoli Deo tribuant, Angelis verò negent, limitant id omnes Theologi ad cognitionem immediatam; ità non eſt, cur nequeat ſine gravi cenſurâ limitari ad cognitionem aut judiciariam, aut univerſaliter & inimpedibiliter omnia prorsùs ſecreta attingentem, ut latiùs oſtendit inter Scotiſtas Maſtrius *q 8 pracu.* inter Recẽtiores Martinon *diſp.39. ſect.5.* Sententiam igitur noſtro aſſerto oppoſitã eo modo præſertim quo à Scoto & nõnullis Scotiſtis defenditur, rejicio, non tanquam erroneam, aut errori proximam, aut alij gravi cenſuræ obnoxiam, ſed ſolùm tanquam minùs probabilem, ut potè magis limitantem auctoritatem Scripturæ & Patrum, receptam à paucioribus Theologis, & contrariã aliquibus rationibus præſertim moralibus & politicis, quas ſubjicio, ideò aſſertum

Improbatur talis cenſura.

56. Probatur ſecundò quia plura ſequerentur inconvenientia in rationali republica, ſi Angelus abſque ſpeciali manifeſtatione naturaliter cognoſceret in ſe ipſis liberas affectiones, &c. Sequeretur primò Angelos non poſſe aut ſibi mutuò committere aut ſervare ſecretum aliquod, nec vigere apud ipſos ſecreti legem, quæ tamen valdè confert ad concordiam, & gubernationem cujuſcumq; Reipublicæ. Sequeretur ſecundò reſpectu Angelorum nullum dari aut jus aut modũ conſulendi propriæ famæ, & ex quolibet actu moraliter defectuoſo unuſquiſq; redderetur apud ipſos infamis notoriã & publicã infamiã juxtà menſurã pravitatis actus. Sequeretur tertiò creaturam rationalem non habere perfectum & ſpeciale dominium ſuorum actuum liberorum, cum enim ex infrà dicendis *in tr. de beatitud.* res ſpirituales per cognitionẽ intuitivã perfectè poſſideãtur, ſi poſſent actus liberi abſq, cõſenſu eliciẽtis intuitivè à quolibet Angelo cognoſci poſſent abſq, cõſenſu eliciẽtis à quolibet Angelo perfectè poſſideri, quod certè malè cohæret cum perfecto & ſpeciali eliciẽtis dominio ſuprà tales actus.

Abſurda conſequẽtia ad naturalem cognitionem ſecretorum cordis.

57. Dices ex Maſtrio *hic diſp.2.q.8.art.2.num.* 248. Vel ſermo eſt de Angelis malis, vel de Angelis bonis ; & de utriſque vel comparativè ad actus liberos hominum, vel comparativè ad actus liberos aliorum Angelorum. Si ſermo ſit de Angelis malis comparativè ad actus liberos aliorum malorum Angelorum admittere inter ipſos perturbationem, diſcordiam, & infamiam non eſt incõveniens, imò eſt maximè conſentaneum ſtatui ipſorũ pœnali & miſero ; ſi de iiſdem comparativè ad actus liberos hominum, ſicuti in ipſorum pœnam & humani generis bonum Deus eis non permittit plura alia, quæ præſtare naturaliter poſſent, ità & rectè diceretur Deũ illis non permittere cognitionẽ intuitivã humanorũ actuũ liberorũ, quàm alioqui habere naturaliter poſſent. Si ſermo ſit de Angelis bonis inter ſe cõparatis, cũ ipſi nõ niſi bonũ cogitent, non niſi bonũ velint, nullũ imminet ex naturali cognoſcibilitate internorũ actuũ, aut infamiæ, aut diſcordiæ periculũ; ſi de iiſdẽ cõparativè ad homines, grave eſſe non debet hominibus apud ipſos infamari, cũ talis infamia eſſe non poſſit occaſio patiẽdi aliquod à bonis Angelis detrimẽtũ. Accedit quòd ſimpliciter & abſolutè nullũ eſſe inter creaturas rationales actum ſecretũ & occultum, afferet aliundè cõmoda fortè præponderantia incõmodis in inſtantiã memoratis, ceſſarent enim omnes deceptiones, omniaq; mẽdacia, & impotentia celandi actus pravos ab ipſis eliciẽdis valdè retraheret, undè etiã ferunt Socratem ad majus Reipublicæ bonum deſideraſſe patentia, & omnium obtutibus pervia hominum pectora.

58. Sed contrà : ſicuti ſermo hic eſt de cognitione naturali ſecretorum cordis, ità ſermo eſt de Angelis conſideratis ſecundum ſua naturalia, ſecundum quæ & boni & mali eſſe poſſunt, nec eſt ad rẽ quod petit inſtantia, utrùm ſermo ſit de Angelis malis & damnatis, an de bonis & beatis ; quia de neutris in rigore ſermo eſt, & quando ratione ſtatus aut pœnalis aut glorioſi ceſſarent inconvenientia militantia contrà cognoſcibilitatem ſecretorum cordis, ſuaderetur eorum cognitionem deberi Angelis ex vi ſtatus in quo ſunt, at non ab intrinſeco & ex naturâ ſuã : In re tamen divinando magis quàm definiendo dici poteſt Angelos malos in pœnã, & ad majorem proprij ſtatus perturbationem ac miſeriã, omni inter ſe ſecreto carere ; quo ad Angelos verò bonos & beatos omninò exiſtimo affectiones, cogitationeſvè liberas abſque elicientis conſenſu cæteris non patere ſi minùs ad evitandam infamiam & diſcordiam, ſaltem ad ſalvandum in eliciente perfectum propriorum actuum liberorũ dominium, nec non ad fovendam vitam ſocialem & amicabilem, ad cujus felicitatem, ſuavitatemque valdè per ſe confert poſſe ſecreta & ſervare & committere.

Malis Angelis fortè in pœnam propria ſecreta patent.

Vrgebis : D. Gregorius *lib. 18. in Iob c. 17.* de Beatitudine reſurgentiũ ità habet, *Ipſa eorum claritas viciſſim ſibi in alterius cordibus patet, & cum uniuſcujuſq; vultus attenditur, ſimul & conſcientia penetratur, ibi quippè uniuſcujuſque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abſcondet* : ex quibus verbis infertur inter homines in ſtatu beatitudinis nihil eſſe ſecretum & occultum, cur ergo ad fovendam ejuſdem ſtatus felicitatem aliquid ſecretũ & occultum ponetur inter Angelos; in quibus inſuper æquè ac in hominib. dominium perfectũ propriorum actuum liberorum ſatis elucet in facultate ipſos eliciẽdi, non eliciendi, ac ſuſpendendi pro libitu.

59. Sed contrà : Inter homines viatores latẽt actus interni liberi, nõ ſolũ ſicut inter Angelos, verũ etiã modo ſpeciali ob craſſitiẽ & opacitatem corporis, quâpropter homo in viâ indiget ſignis externis ad notificandos ſuos cõceptus alteri homini, nec poteſt id præſtare ſolo conſenſu, ſolaque voluntate manifeſtandi ; hoc ſpeciali modo nihil remanet occultum in ſtatu beatitudinis, & corporibus ex dote glorioſã factis diaphanis ac tranſparentibus

Ex ſtatu beatifici nõ innoteſcunt ſecreta cordium.

non

non requiritur ampliùs ullum ſignum externum ad internorum actuum manifeſtationé; & hoc ſolùm intendit D. Gregorius, hoc ſolùm etiam videtur deſideraſſe Socrates relatus in ſuperiore inſtantiâ: Cæterùm adhuc remanent inter homines beatos occulti & ſecreti actus liberi titulo dominij & libertatis eo modo, quo inter Angelos, ſivè in puris naturalibus, ſivè in ſtatu beatitudinis cóſideratos. Quòd addebatur perfectum dominium liberorum actuum ſatis elucere in facultate, &c. ſalvat ad ſummum perfectum dominium phyſicum; non perfectum dominium morale ſitum maximè in eo quod, quis poſſit propriæ rei poſſeſſionem alteri tribuere vel non tribuere, & per conſequens in ordine ad actus ſpirituales, qui cognitione poſſidentur, in eo quòd quis poſſit tales actus alteri notificare vel occultare.

Hinc habetur Angelos ne quidem ſupernaturaliter de facto cognoſcere omnia cordium ſecreta, neque hoc eis deberi communi lege beatitudinis, ut ſpecialiter notat Eſtius *in 2. diſt.7. §.12.* poſt medium.

60. *Angelus neque inadæquatè, & præciſivè cognoſcit in ſe ipſis cordium ſecreta.*

Aſſert. 3. Angelus neque etiam inadæquatè, & cognitione aliquo modo præciſivâ cognoſcit immediatè & in ſe ipſis liberas affectiones voluntatis, &c. Hoc aſſertum eſt ſpecialiter contrà nonnullos graves Theologos ex Antiquis, Ægidium Romanum *in tr. de cognitione Angelorum q.11.& in 2.diſt.7.q.2. art.2.* docentem videri naturaliter ab Angelis actus liberos quoad entitatem in genere, non quoad determinationem in ſpecie, utrùm ſit amor vel odium, affirmatio vel negatio; Hervæum *in 2. diſt.8. q. 3.* docentem actus liberos naturaliter videri quoad ſubſtantiam, non quoad intenſionem & remiſſioné: Henricum *quodlib. 3. q.13.§.ut tamen*, docentem naturaliter videri quantùm ad cætera, latere verò quantùm ad intentionem & directionem in finem; Rubionum *in 2. diſt 9. q.4. art.2.* docentem naturaliter videri quantùm ad eſſe abſolutum, non quantùm ad eſſe reſpectivum & tendentiam in objectum, quem dicendi modum commendat tanquam cæteris mox relatis probabiliorem; Maſtrius *hic diſp 2. q 8.art.2.n.250.* eidemque quoſdam Scotiſtas ſubſcripſiſſe refert Rada *part. 2. controv.8.art.3.*

61. Probatur aſſertum primò in univerſum, quia licèt ſuppoſito quòd quis velit concedere Angelo naturalem cognitionem actuũ liberorum in ſe, debeat propter auctoritates Scripturarum, & Patrum talem cognitionem ſoli Deo tribuentium, uti aliqua limitatione, eſt tamen limitatio ex unâ parte non neceſſaria, ex aliâ valdè difficilis dicere quòd cognitio illa ſolùm in Deo ſit adæquata & cóprehéſiva, in Angelis verò ſit inadæquata & præciſiva: eſt limitatio non neceſſaria quia *ex dictis præcedenti n.55.* foret limitatio æquè ſufficiens dicere quod cognitio illa in Deo ſit iudiciaria, univerſalis & inimpendibilis; non ſic in Angelis: eſt limitatio valdè difficilis, quia concedendo Angelis naturalem cognitionem actuum liberorum ſecundũ aliquam partem difficillimè defenditur naturalis incognoſcibilitas eorumdem ſecundùm aliam; nam illa pars, quæ naturaliter cognoſcitur vel eſt quid liberum, vel non, ſi non eſt quid liberum, ergo ex illius cognitione malè dicuntur cognoſci ſecundùm quid actus liberi; ſi eſt quid liberum, quidquid probat naturalem ipſius cognitionem, militat contrà aliam partem, quæ aſtruitur naturaliter incognoſcibilis titulo libertatis.

62. *Impugnantur ſingillatim opiniones Ægidij.*

Probatur ſecundò in particulari impugnãdo ſingulos modos in aſſerto relatos: Impugnatur Ægidius, quia etiam circà idem objectum entitas amoris eſt in ſe diverſa ab entitate odij, quomodocumque ſumatur actus amoris ſub præcisâ ratione entitatis; ergo Angelus non poteſt cognoſcere entitatem actus amoris intuitivè & ut eſt in ſe, quin cognoſcat aliquid diverſum ab entitate actus odij, ergo nõ poteſt intuitivè cognoſcere entitaté actus præſcindẽdo ab eo, quod ſit amor vel odiũ, & ſic de cæteris. Impugnatur Hervæus, quia in iis, quæ admittunt intenſionem & remiſſionem, intenſio & remiſſio ſunt ipſa ſubſtantia rei, ſi igitur ſupponitur actus liberos habere intenſionem & remiſſioné repugnat ipſos quoad ſubſtantiam cognoſci, quoad intenſionem & remiſſionem non cognoſci. *Hervæi.* Impugnatur Henricus, quia vel ſermo eſt de fine intrinſeco, & hic finis eſt ipſum objectum actus, ſine quo non poſſe actũ intuitivè cognoſci oſtenditur impugnando Rubionum, vel ſermo eſt de fine intrinſeco, ad quem unus actus per alium actum à ſe diſtinctũ dirigitur, & hoc modo quamvis actus directus in finem poſſit intuitivè cognoſci nõ cognitâ directione ipsâ ſeu actu dirigente in finem, non tamẽ hinc ſequitur quod directio ſit naturaliter incognoſcibilis; imò cum hæc directio nihil ſit aliud, quàm actus voluntatis liberè ordinantis alium actum in finem, ſi actus interni liberi ſunt ex genere ſuo naturaliter ab Angelo cognoſcibiles debet etiam concedi in ſe naturaliter cognoſcibilis talis directio, & inſuper finis in quem dirigit, ut potè qui reſpectu ipſius eſt finis intrinſecus & objectum. *Henrici.* Impugnatur Rubionus, quia malè ipſe diſtinguit in actu vitali rationem qualitatis abſolutè, & rationem operationis ſeu tendentiæ in objectum, ut propterea primo modo poſſit actus vitalis intuitivè cognoſci nullatenùs cognito objecto, malè inquam id diſtinguit, quia in noſtris principiis actus vitalis nihil aliud eſt, quàm complexũ potentiæ & objecti; & in principiis magis communibus aliorum Scholaſticorum eſſentialis eſt & intrinſecus actui ordo ad objectum, nec poteſt cognoſci unus actus ut eſt in ſe & ut eſt diverſus ab alio, niſi cognoſcatur ordo ad diverſum objectum & aliquo modo ipſum objectum. *Rubioni.*

Ex dictis habetur nullâ cognitione naturali poſſe Angelum attingere intuitivè, & in ſe ipſis actus internos liberos, id verò probatũ eſt ex principiis partim extrinſecis, id eſt ex auctoritatibus Scripturæ & Patrũ: partim moralibus & remotis, id eſt ex abſurdis, quæ ſequerentur in intellectuali Republicâ; inquiramus jam, utrùm ejuſdem veritatis aſſi- 63.

N 2 gnari

gnari poſſit aliqua ſufficiens ratio intrinſeca phyſica & proxima: negat abſolutè Vaſquez *hic diſp.* 209. *cap.* 10. Laborant alij Theologi in tali ratione inveſtiganda & in ea afferenda diſſentiunt.

64. Impugnantur circa eandé veritatem rationes Scoti. Scotus *in* 4. *diſt.* 10. *q.* 8. §. *Ad tertium* affert pro ratione carentiam permiſſionis concurſus generalis Dei: verùm hæc ratio ſalvat actus liberos eſſe occultos dumtaxat ex voluntate Dei extrinſecâ, non ex ipsâ naturâ rei; & rectè militat de Angelis malis, quibus ſolis etiam ſubtilis Doctor negat naturalem cognitionem ſecretorum cordis, at incongruè extenderetur ad Angelos bonos, quibus nimis incongruit Deum negare perpetuò aliquid naturaliter debitum, quamvis in pœnam poſſit id jure negare Angelis malis.

Bachonis. Bachonis *quodlib.* 2. *q.* 12. *art.* 2. §. 2. docet actus internos occultos fieri naturaliter cognoſcibiles per illuminationem intellectus agentis, & conſequenter carentiam talis illuminationis aſſignat pro ratione naturalis incognoſcibilitatis. Verùm hic Auctor *ex cap. præced.* §. 8. malè ſupponit in Angelis intellectum agentem; & quando etiam talis intellectus in illis rectè ſupponeretur, gratis & contrà communé cæterorum Theologorum ſenſum ei tribueret munus illuminandi actus occultos; quando tandem intellectus agens tales actus illuminaret, deberet ſaltem hujuſmodi illuminatio explicari eo proportionaliter modo, quo in nobis illuminatio phantaſmatũ; deberet ſcilicet fieri per productionem ſpecierum, & ſic ſecreta cordium eſſent occulta ob carentiam ſpecierum ipſa repræſentantium, quod impugnabitur infrà *n.* 67. & 68.

65. Aureoli. Aureolus *in* 2. *diſt.* 9. *art.* 1. affert pro ratione dependentiam liberorum actuum ab imperio voluntatis in ordine ad movendum intentionaliter quemcumque intellectum, & ad gignendam ſui ſpeciem & notitiam; quæ quidem ſpecies & notitia juxtà eundem Aureolum non ſunt quid diſtinctum & diverſum, ut retulimus *cap. ſuperiori* §. 8. *dub.* 1. Verùm hic Auctor malè & contra ſuprà aſſerta, *cap. præced* §. 3. ſupponit Angelos intelligere per ſpecies & notitias ab objectis acceptas; & quando hoc daretur, aſſignat pro ratione naturalis incognoſcibilitatis in actibus liberis aliquid commune cæteris objectis ſpiritualibus, quæ omnia per nos ſi quam habent productivitatem propriæ ſpeciei, præcipuè notitiæ, habent talem productivitatem liberè & dependenter à voluntatis imperio *ex præcit.* §. 3. *n.* 34. & 35.

66. Gregorij. Gregorius *in* 2. *diſt.* 9. *q.* 1. exiſtimat ad cognitionem intuitivam ſecretorum cordis requiri quòd exiſtant inhæſivè & tanquam in ſubjecto in eo, à quo debent intelligi; & ideò unum Angelum non poſſe cognoſcere ſecreta aliena, quia non poteſt habere ea ſibi inhærentia. Verùm cum ex ſupradictis *n.* 44. & alibi inhærentia intelligibilis in intelligente non requiratur ad cognitionem intuitivam ex genere ſuo, gratis ponitur requiri ad cognitionem intuitivam ſecretorum cordis, niſi ſpecialis ratio afferatur: Deindè ſi talis inhærentia requireretur, neque etiam ex conſenſu & manifeſtatione elicientis poſſet Angelus intuitivè cognoſcere aliena ſecreta contrà infrà dicenda *num.* 85. Nec refert, quod *sed. num.* 44. conceſſerimus nullum accidens poſſe per ſe immediatè cognoſci, niſi inhæreat principio cognoſcenti. Non refert, inquam, quia benè ſtat accidens abſque eo, quòd inhæreat principio cognoſcenti, poſſe cognoſci immediatè per propriam ſui ſpeciem, quamvis abſque eo quòd eidem principio inhæreat non poſſit cognoſci immediatè per ſe ipſum.

Molina 1. *p. q.* 57. *art.* 4. ait juxtà opinionem tribuentem Angelis ſpecies infuſas nõ occurrere aliam commodiorem rationem naturalis incognoſcibilitatis ſecretorum cordis, quàm quòd eorum Deus nullas ſpecies infuderit, nec cognoſcantur intuitivè niſi ab eliciente cognitione experimentali per ſeipſa, alij verò ab eliciente ea poſſint cognoſcere abſtractivè ſolùm, & mediatè: ait inſuper juxtà opinionem tribuentem Angelis ſpecies ab objectis acceptas non aliud dicendum occurrere, niſi intellectiones & volitiones ejus videri eſſe naturæ, ut non ab aliis intuitivè ſuo modo percipiantur, quàm ab iis, qui eas eliciunt. Verùm ex utraque ratione ſequitur, tùm quòd neque etiam ut poſſibiles poſſit Angelos cognoſcere intellectiones & volitiones immediatè in ſe ipſis; tùm quòd neque ex conſenſu & manifeſtatione elicientis fiat ab alio intuitivè cognoſcibiles tales intellectiones & volitiones; quæ duo, licèt admittantur à Molinâ, mihi valdè diſplicent tanquam valdè derogantia perfectioni intellectus Angelici; undè minùs diſplicet modus quo negant Deum infudiſſe Angelis ab initio ſpecies actuum liberorum. Suarez *hic lib.* 2. *cap.* 23. & Arriaga *diſp.* 9. *ſect.* 6. *ſubſec.* 2. concedentes deindè ſucceſſivo decurſu temporis quoties unus Angelus vult alteri ſuos actus liberos manifeſtare poni in altero talium actuum ſpecies, vel per infuſionem à Deo ut vult Arriaga, vel per productionem ab ipſis actibus liberis ut vult Suarez. Hic tamen modus adhuc aliqualiter diſplicet quia juxtà Suareziũ non poſſet unus Angelus manifeſtare ſua ſecreta alteri, niſi indiſtanti & contiguo; juxtà Arriagam contrà exigentiam perfectionis intellectus Angelici & abſque neceſſitate expectatur conditio manifeſtationis pro infuſione ſpecierum repræſentantium actus liberos, ut partim infertur *ex cap. præced.* §. 5. *num.* 51. partim oſtendetur *in ſequenti* §. in quo rejectis hactenùs variis rationibus naturalis incognoſcibilitatis ſecretorum cordis ſtabilienda tandem eſt aliqua ejuſdem incognoſcibilitatis phyſica, & proxima ratio: Ideò ſit 67. Molinæ. 68. Suarezij & Arriagæ.

§. VI.

§. VI.

Cur Angelus non cognoſcat immediatè & in ſe ipſis liberas affectiones voluntatis & cogitationes intellectus, quas habent alij Angeli vel homines.

69. *Ratio proxima & phyſica naturalis incognoſcibilitatis ſecretorum cordis.*

ASSERT. Ratio phyſica & proxima non cognoſcendi abſque ſpeciali manifeſtatione immediatè & in ſe ipſis liberas affectiones, &c. eſt, quia ſpecies pro liberis affectionibus & cogitationibus ab initio infuſæ talis naturæ ſunt, ut ipſas in actu ſecundo non repræſentent, niſi poſita conditione manifeſtationis. Ità Valentia *hic diſp.* 4. *q.* 8. *punct.* 4. §. *nec tamen* Lugus *diſp.* 9. *c.* 4. *n.* 19. Averſa *q.* 57. *ſect.* 7. Bannex *q.* 57. *art.* 4. Ioannes à S. Thoma *diſp.* 21. *art.* 3. *num.* 24. Gonet *diſp.* 15. *art.* 3. §. 4. & plures alij tùm Thomiſtæ tùm recentiores contrà Scotum, Bachonem, Aureolum, Gregorium, Molinam, Suarexium, Arriagam locis relatis *in præced.* §. & à fortiori contrà eos, qui aut abſolutè negant Angelis impotentiam cognoſcendi ſecreta cordium, aut ſaltem nullam agnoſcunt talis impotentiæ rationem phyſicam & ex natura rei, quos retulimus pariter *præced.* §.

Probatur, quia ex una parte nulla eſt repugnantia in ſpeciebus infuſis, quæ talis naturæ ſint, ut in actuali repræſentatione ab aliqua conditione dependeant, Deus enim infuſarum ſpecierum Auctor non eſt alligatus uni determinato ſpecierum modo, & ſicuti pro diverſa exigentia intellectuum poteſt illas producere vel particulares, vel univerſales; ità pro diverſa exigentia intelligibilium poterit eaſdem producere vel independentes, vel dependentes ab aliqua conditione: ex alia parte cum Angelus nullatenùs poſſit cognoſcere actus liberos alienos immediatè per ſe ipſos, quia ut attigimus *præced. num.* 66. accidentia per ſe ipſa ad ſui cognitionem concurrunt ſolùm cum ſubjecto, cui inhærent; nec per ſpecies ab illis productas independenter à conſenſu elicientis, quia *ex cap. ſuperiori num.* 35. ſi actus liberi producunt ſuas ſpecies, producunt dependenter ab imperio voluntatis; cum inquam hæc ità ſint, omninò fit Angelos ſolùm per ſpecies à Deo infuſas poſſe habere notitiam immediatam alienorum actuum liberorum; ex eo igitur quòd ſpecies à Deo infuſæ ſint talis naturæ, ut alienos actus liberos in actu ſecundo non repræſentent, niſi poſita conditione manifeſtationis, habetur ratio phyſica & proxima eoſdem immediatè non cognoſcendi abſque ſpeciali manifeſtatione.

70. *Gravis ratio dubitandi contrà aſſertum.*

Dices, quòd Deus infundat ſpecies actuũ liberorum ità modificatas, ut ipſos in actu ſecundo non repræſentent, niſi poſitâ conditione manifeſtationis, vel provenit ex voluntate purè extrinſecâ Dei, vel ex ipſa natura rei; ſi primùm, actus liberi remanent occulti ex voluntate Dei purè extrinſecâ, & modificatio illa ſpecierum erit incongrua, & indebita Angelis, ſaltem bonis, æquè ac negatio divini concurſus *ſuperiori num.* 64. improbata contrà Scotum; ſi ſecundum, ſupereſt explicandum, cur actus liberi potiùs, quàm cætera objecta, poſtulent ex natura ſua modificationem illam propriarum ſpecierum intentionalium, nec poſſint habere ſpecies naturales ſui repræſentativas antè omnem elicientis conſenſum, cum præſertim etiam antè omnem elicientis conſenſum ſint entitates, nec ſupernaturales, nec divini ordinis, & ut loquitur Maſtrius *diſp.* 2. *q.* 8. *n.* 638. ſatis mirabile videatur & irrationabiliter dictum, quod aliquod creatum intelligibile non ſupernaturale nec ordinis divini, nullum habeat intellectum creatum, cui ſit proportionatum & debitum. Sed contrà: ut in primis Maſtrio occurram, ejuſque admirationem temperem, dico ipſum malè nobis imponere, quòd actus liberi antè omnem elicientis manifeſtationem, & conſenſum, nullum habeant intellectum creatum, cui ſint objectum proportionatum & debitum; ſunt enim objectum proportionatum & debitũ intellectui elicientis; cui ſi Deus, ut poſſet, propriorum accidentium ſivè naturalium ſivè liberorum ſpecies infunderet, infunderet ipſas abſque ulla modificatione repræſentativas liberorum æquè ac naturalium; ut deindè ſatisfaciam toti inſtantiæ dico modificationem à nobis aſſertam in ſpeciebus actuum liberorum alij ab eliciente infuſis provenire ex natura rei, ad explicandum verò cur actus liberi potiùs, quàm cætera objecta hujuſmodi modificationem ex natura ſua poſtulent. 71.

Actus liberi non ſunt objectum indebitum cuilibet intellectui creato.

Adverto infuſas fuiſſe Angelis ſpecies rerum dumtaxat ſpectantiũ ad hoc univerſum, non omnium prorsùs objectorum naturalium, ut conſtabit maximè ex dicendis §. 12. Hinc ſi detur aliquod objectum ſpectans ad hoc univerſum ſuppoſitâ aliquâ conditione, non abſolutè & ſimpliciter, jure dicetur tale objectum exigere in Angelo ſpeciem in repræſentando modificatam, repræſentativam ſcilicet ipſius ſuppoſitâ aliquâ conditione, non abſolutè & ſimpliciter: Porrò actus liberi ſimpliciter & abſolutè ad hoc univerſum non pertinent, quia nullam habent determinatam connexionem cum partibus hujus univerſi, & habent pro principio voluntatem in determinationibus ſuis independentem à toto univerſo, & à quâ poſſent eodem modo prodire etiam extrà totum hoc univerſum, nullâque re hujus univerſi exiſtente; iidem tamen actus liberi ſuppoſita cõditione manifeſtationis ponuntur quodammodò intrà hoc univerſum, & pertinent ad aliquam univerſi partem extrà elicientem, ad illum ſcilicet Angelum ad quem ratione manifeſtationis diriguntur: Ecce quomodò ex natura tùm ſpecierũ Angelis infuſarum repræſentantium ſolùm res intrà hoc univerſũ conſtitutas, tùm actuum 72.

Actus liberi ſecundũ ſe non ſpectant ad hoc univerſum.

liberorum exiſtentium intrà hoc univerſum ſuppoſita conditione manifeſtationis, non abſolutè & ſimpliciter, habetur ſpecialis ratio, cur actus liberi potiùs, quàm cætera objecta ex natura ſua poſtulent aſſertam ſpecierum modificationem.

Vrgebis: manifeſtatio eſt omninò extrinſeca actibus liberis, & ſicuti nihil ipſis addit entitatis, ità etiam nihil addit cognoſcibilitatis; ergo actus liberi nec magis pertinent ad hoc univerſum, nec magis ſunt cognoſcibiles ſuppoſitâ, quàm non ſuppoſitâ
73. manifeſtatione. Contrà tamen: Etiam cognitio eſt omninò extrinſeca bonitati, nec aliquid ei addit aut entitatis aut amabilitatis; etiam approximatio eſt omninò extrinſeca agenti, nec aliquid ei addit activitatis; & tamen bonitas poteſt amari ſuppoſita cognitione, ſecùs hac non ſuppoſita, agens poteſt operari ſuppoſita approximatione, ſecùs hac non ſuppoſita; quia quod requiritur per modum conditionis eſt præcisè id ſine quo, nec eſt neceſſe quod intrinſecè conſtituat aut aliquid addat ei ad quod requiritur; cum igitur manifeſtatio ſe habeat per modum conditionis ad hoc, ut actus liberi pertineant ad hoc univerſum & ſint naturaliter cognoſcibiles, non eſt neceſſe quod ſit actibus liberis intrinſeca, aut aliquid ipſis addat; ideò ad inſtantiam dato antecedente nego conſequentiam.

Vt naturaliter ſint cognoſcibiles requirunt manifeſtationem tanquam purâ conditionem.

Vrgebis adhuc: Manifeſtatio non eſt conditio neceſſariò requiſita ad hoc ut ſpecies actuum liberorū repræſentent ipſos ut poſſibiles, ergo neque ad hoc ut repræſentent ipſos ut exiſtentes, in Angelis enim ſpecies infuſa repræſentans rem ut poſſibilem apta eſt repræſentare ipſam ut exiſtentem ex eo
74. præcisè quòd res in ſe fiat exiſtens. Contrà tamen: concedo libenter antecedens, congruit enim ut ſuprà attigi *n.* 67. perfectioni intellectus Angelici poſſe attingere immediatè in ſe ipſis omnes actus liberos alienos ut poſſibiles; concedo, inquam, antecedens, nego conſequentiam; diſparitas eſt quia actus liberi ut poſſibiles habent neceſſariam & determinatam connexionem cum voluntate potentis ipſos elicere, adeoque ſpectant ad hoc univerſum; ipſorùm item naturalis cognoſcibilitas non infert ea inconvenientia moralia, quæ militant contrà cognoſcibilitatem naturàlem eorundem ut exiſtentium, quemadmodum facilè patet conſideranti, ideò, &c. Quod dicebatur ſpeciem infuſam repræſentantem rem ut poſſibilem aptam eſſe, &c. verum eſt quando cætera ſunt paria, qualia non eſſe in præſenti oſtendit allata diſparitas.

Eam non requirunt ut cognoſcantur immediatè in ſe ut poſſibiles.

Hucuſque nonnulla ferè ſuppoſuimus, quæ difficultate non carent; hujuſmodi ſunt quod in ordine ad naturalem incognoſcibilitatem eadem ſit ratio de cogitationibus intellectus, quæ de affectionibus voluntatis; quòd actus interni non liberi ſint in ſe ipſis naturaliter cognoſcibiles; quæ & id genus alia ad præſentem materiam pertinentia expedit brevi ſaltem diſcuſſione percurrere. Ideò ſit

§. VII.

Expediuntur alia nonnulla circa cognitionem naturalem immediatam alienorum actuum.

ASSERT. Iis, quæ ulteriùs poſſunt circa naturalem cognitionem alienorū actuū expedienda occurrere, ſequentium dubiorum ſolutione ſingillatim ſatisfit.

Dubitatur primò. Vtrùm nomine ſecre- 75.
torum cordis veniant liberæ cogitationes intellectus æquè ac liberæ affectiones voluntatis, eademque ſit in utriſque ratio naturalis incognoſcibilitatis. Affirmant Bannez *hic q.* 57. *art.* 4. §. *Sed dices*, Ioannes à S. Thoma *diſp.* 22. *art.* 3. *n.* 20. Suarez *lib.* 2. *c.* 15. Amicus *diſp.* 12. *num.* 38. Dequiros *diſp.* 60. *num.* 25. Arriaga *diſp.* 9. *ſect.* 7. Sententiam negantem & docentem liberas cogitationes non eſſe ſecundùm ſe occultas, ſed ſolùm ſecundùm quod ſubſunt voluntatis imperio, ſeu ſecundùm denominationes à liberis voluntatis actibus provenientes tradiderunt nonnulli apud Durandum *in* 2. *diſt.* 8. *q.* 5. *n.* 8. item Hurtadus *in metaph. diſp.* 12. §. 30. eandem non improbabilem cenſet Lugus *diſp.* 9. *c.* 3. *n.* 15. multoque magis Vaſquez *diſp.* 210. *cap.* 2. commendans in hoc Magiſtrum ſuum Alphonſum Dezam; eandem inſuper eſſe juxtà mentem Henrici docent nonnulli ipſius ſectatores, inter quos Soggia in hac alma vrbe apud S. Marcellum ſtudiorum Regens in ſuis manuſcriptis prælo forſan brevi dandis.

Reſpondeo affirmativè, primò quia no- 76.
mine cordis non ſolùm voluntas ſed etiam intellectus denotatur, ergo pariter nomine ſecretorum cordis non ſoli actus liberi voluntatis ſed etiam actus liberi intellectus; antecedens probatur ex 3. Reg. 3. *Dabis ſervo tuo cor docile ut populum tuum judicare poſſit & diſcernere inter bonum & malum.* Rom. 10. *corde creditur ad juſtitiam.* Luc. 24. *Cogitationes aſcendunt in corda veſtra.* Secundò, quia ut videre eſt apud Lugum *loco præcitato.* Scriptura & Patres dum cognitionem ſecretorum cordis tribuunt ſoli Deo, ipſamque reputant argumentum divinitatis ſæpè loquuntur expreſsè de cogitationibus intellectus. Tertiò, quia inconvenientia moralia ſuprà relata *num.* 56. ferè ex æquo militant cōtrà notorietatem liberorum actuum intellectus, ac liberorum actuum voluntatis, & ex illa ſpecialiter æquè ac ex iſta ſequitur impotentia mutuò committendi, aut ſervandi aliquod ſecretum. Quartò, quia quando quis elicit actum liberum voluntatis, aut ſemper aut ferè ſemper habet cognitionem reflexam talis actus, ſi igitur Angelus naturaliter cognoſceret in ſe ipſis omnes aliorum cogitationes, cognoſceret conſequenter talium cogitationū objecta, adeoque omnes aut ferè omnes affectiones voluntatis,

Liberæ cogitationes ſunt occultæ æquè ac liberæ volitiones.

luntatis, quæ affectionum cognitio eſſet quidam abſtractiva, quia tamen eſſet omninò certa afferret inconvenientia moralia non minora, quàm cognitio earundem intuitiva.

Actus intellectus non habẽt libertatem purè extrinſecam.

Quintò (& eſt ratio à priori deſtruens etiam fundamentum opinionis adverſæ) quia cogitationes intellectus licèt non ſint intrinſecè liberæ libertate formali, intrinſecè liberæ ſunt libertate radicali, & liberum ſienti in actu primo integratur radicaliter ex intellectu, formaliter ex voluntate, ità in actu ſecundo relucet radicaliter in actu intellectus, formaliter in actu voluntatis; titulo igitur libertatis radicalis ſibi intrinſecæ cogitationes mentis ſunt ſub ſpeciali dominio elicientis & extrà ordinem hujus univerſi eo modo, quo affectiones voluntatis titulo libertatis formalis; in quo eſt diverſa ratio de actibus externis à voluntate imperatis, qui ſunt liberi libertate purè extrinſeca, & ſunt præcisè effectus, non principia libertatis,

77. Occurritur fundamẽto Adverſariorum.

tatis, malè propterea contendunt Adverſarij non eſſe de actibus intellectus aliter, quàm de ipſis ſentiendum. Nec refert quod in nobis actus potentiæ ſenſitivæ ſicuti prærequiruntur ad actus intellectus, ità prærequirantur etiam ad actus voluntatis tanquam remota ſaltem libertatis principia: Non refert, inquam, quia id in nobis evenit per accidens & ratione ſtatus unionis animæ ad corpus, non per ſe & ex natura rei.

Dubitatur ſecundò: Vtrùm ſpecies & habitus ex liberis cogitationibus & volitionibus relicti in intellectu & voluntate habeant eandem naturalem incognoſcibilitatem, quam ipſæ cogitationes & volitiones. Negat Ioannes à S. Thoma *diſp.* 22. *art.* 3. *num.* 19.

78. Species & habitus relicti ex actibus liberis internis ſunt occulti.

78. Reſpondeo affirmativè cum Lugo *hic diſp.* 9. *c.* 4. *num.* 18. Amico *diſp.* 12. *num.* 46. Albertino *corol.* 10. *punct.* 5. Ratio eſt, quia tales ſpecies & habitus, dum cognoſcuntur, inducunt certam & evidentem, quamvis non intuitivam, notitiam cogitationum & volitionum ex quibus ſunt relicti, & quia regulariter quælibet cogitatio & volitio aliquam ſui ſpeciem vel habitum relinquit, ſi Angelus cognoſcat naturaliter ſpecies & habitus alienarum cogitationum & volitionum, habebit naturaliter earundem cogitationum & volitionum notitiam certam & evidentem, quamvis abſtractivam, quod licèt quoad aliquas nullum videatur afferre inconveniens, quoad omnes tamen infert impotentiam habendi quidquam ſecretum, & alia abſurda moralia; undè quamvis non ſit neganda Angelis naturalis cognitio cujuſcumque effectus, ex quo evidenter innoteſcat aliqua libera cogitatio aut volitio, non eſt tamen eis concedenda naturalis cognitio eorum effectuum, ex quibus innoteſcere poſſunt evidenter omnes alienæ cogitationes & volitiones; hinc quamvis non ſit neganda Angelis naturalis cognitio actuum externorum, non eſt eiſdem concedenda naturalis cognitio ſpecierum & habituum ex cogitationibus & volitionibus liberis relictorum; ex actibus enim externis pauciores, ex ſpeciebus & habitibus omnes actus interni liberi evidenter noti redduntur; Accedit, quòd actus externi dependent à voluntatis imperio, adeòque quidquid per ipſos innoteſcit dici poteſt innoteſcere ex imperio & manifeſtatione elicientis; ſpecies & habitus ex actibus liberis relinquuntur juxta infrà dicenda *num.* 120. neceſſariò ac naturaliter abſque ullo ſpeciali imperio voluntatis: Deindè per actus externos innoteſcunt interni quoad objectum, at non quoad directionem in finem; ex ambulatione enim v. g. infertur quidem evidenter volitio ambulandi, at non finis in quem talis volitio dirigitur; per ſpecies verò & habitus innoteſcunt actus interni etiam quoad directionem in finem.

Dubitatur tertiò: Vtrùm actus voluntatis etiam neceſſarij occulti ſint & naturaliter incognoſcibiles in ſe ipſis immediatè. 79.
Affirmat abſque ulla limitatione Dequiros *hic diſp.* 60. *num.* 21. Alij Theologi communiter diſtinguunt in voluntate aliquos actus neceſſarios per ſe & ex natura ſua, quatenùs attingunt objectum habens vim neceſſitandi voluntatem, & circa quod voluntas operatur ut natura, talis eſt amor beatificus; aliquos neceſſarios per accidens, ex ſubreptione ſcilicet & defectu advertentiæ, non ex merito & exigentia objecti, tales ſunt motus primò primi: Quoad actus neceſſarios primo modo ſolet dubium negativè reſolvi; quoad neceſſarios ſecundo modo negant eſſe occultos Albertinus *corol.* 10. *punct.* 5. *num.* 21. Lugus *diſp.* 9. *c.* 4. *num.* 17. Affirmant verò Vaſquez *diſp.* 210. *c.* 2. *n.* 7. Arriaga *diſp.* 9. *ſect.* 6. *n.* 44. Madernus *q.* 3. *art.* 14. *n.* 5. &c.

Reſpondeo actus voluntatis neceſſarios 80.
ſolùm per accidens & ſecundùm quid, eſſe occultos, & naturaliter incognoſcibiles independenter à manifeſtatione elicientis; non ſic actus neceſſarios per ſe & ſimpliciter, ſi aliqui tales in voluntate creata dantur, qui naturales ſint; quod præſertim in controverſia eſt de actu, quo Angelus vel ſe ipſum, vel Deum amat. Probatur reſponſio quoad primam partem, quia actus neceſſarij ſolùm per accidens & ſecundùm quid re ipſa magis accedunt ad naturam actuum liberorum quàm neceſſariorum, ut evincitur ex eo quod poſſunt abſque mutatione intrinſeca, & ſolùm adveniente ex parte intellectus majore cognitione, evadere ſimpliciter & per ſe liberi, non ſic abſque mutatione intrinſeca & diverſa objecti motione evadere ſimpliciter neceſſarij, ergo de illis ſentiendum id potiùs quod de actibus ſimpliciter liberis, quàm quod de actibus ſimpliciter neceſſariis quoad naturalem cognoſcibilitatem & incognoſcibilitatem. Probatur reſponſio quoad ſecundam partem quia actus voluntatis ſimpliciter neceſſarij ſunt ejuſdem prorsùs ordinis cum aliis effectibus naturalibus, eliciuntur quippè à voluntate ut natura eſt, non ut eſt principium liberum; ſpectant etiam ad hoc univerſum propter determinatam connexionem quam habent

Motus primò primi, & actus voluntatis neceſſarij per accidens, ſunt occulti.

Non ſic actus neceſſarij per ſe.

bent cum ſuo principio quod eſt naturalis & phyſica hujus univerſi pars; ipſorum naturalis notitia non trahit ea inconvenientia, quæ naturalis notitia actuum liberorum, aut neceſſariorum tantùm ſecundùm quid; actus enim etiam primò primi, ſi paterent, ſæpè eſſent occaſio erubeſcentiæ, infamiæ, diſcordiæ, non ſic actus neceſſarij ſimpliciter; nulla igitur ratio ſuadet iſtos debere aſtrui

81. occultos & naturaliter ignotos. Confirmatur: actus voluntatis ſimpliciter neceſſarij, ſi qui dantur in ordine naturæ, nequeunt effugere notitiam certam & evidentem alterius Angeli ſaltem abſtractivam, ergo fruſtrà diceretur pendere à manifeſtatione elicientis quoad notitiam intuitivam; intereſt enim elicienti quod proprij actus evidenti notorietate non pateant, at hac ſuppoſita nil deinde refert, utrùm talis notorietas intuitiva ſit an abſtractiva: antecedens probatur, Angelus naturaliter comprehendit alium quemlibet ſe ipſo non ſuperiorem abſque eo quòd iſte poſſit comprehenſionem effugere; ſed qui comprehendit rem aliquam cognoſcit certò & evidenter ſaltem abſtractivè omnem perfectionem neceſſariam ipſius; & ex alia parte actus ſimpliciter neceſſarij ſunt perfectio neceſſaria ejus, cujus ſunt actus; ergo Angelus naturaliter comprehendendo alium cognoſcit certò & evidenter ſaltem abſtractivè actus voluntatis ipſius ſimpliciter & per ſe neceſſarios abſque eo quòd hi actus poſſint talem notitiam effugere.

82. Dubitatur quartò: Utrùm ſint occulti, & naturaliter in ſe ipſis incognoſcibiles, etiam actus phantaſiæ & appetitus ſenſitivi. Non procedit dubium de talibus actibus ut reperiuntur in brutis, in quibus fiunt modo omninò neceſſario & ſequuntur impreſſionem ſeu motionem purè corporalem nec de iiſdem ut aliquando reperiuntur in homine more brutorum, ex impreſſione pariter ac motione purè corporali abſque ulla dependentia à voluntate; ſed de ipſis ut in homine fiunt ex imperio voluntatis, & hac ratione ponunt ipſos occultos Ioannes à S. Thoma *diſp. 22. art. 3. n. 20.* Sylvius *q. 57. art. 4. ad ult.* ponunt, inquam, ipſos occultos non ſolùm quoad imperium voluntatis, & quoad affectiones morales ex tali imperio reſultantes; verùm etiam quoad phyſicam entitatem & materialem ſubſtantiam actus, cujus oppoſitum tanquam à cæteris Theologis communiter traditum ſupponunt Lugus *diſp. 9. c. 3. num. 1.* Dequiros *diſp. 60. ſect. 3. n. 20.* Amicus *diſp. 12. n. 36.*

Actus ſenſitivi interni non ſunt Angelis occulti.

Reſpondeo negativè, & dico actus phantaſiæ & appetitus ſenſitivi, etiam à voluntate imperatos non eſſe Angelis magis occultos, quàm ſint actus externi, in quos homo erumpit liberè & ex imperio voluntatis: Ratio eſt, quia utrique actus eliciuntur à parte ſenſitiva, non à rationali; utrique dum à voluntate imperantur ſunt liberi libertate purè extrinſeca & actus imperantis; undè ſatis eſt, quod maneat occultus ipſe actus imperans & moralitas ex ipſo redundans in actum imperatum, nec quidquam ampliùs intendit D. Thomas 1. *p. q. 57. art. 4. ad 3.* dicens *Non oportet quod Angeli cognoſcant motum appetitus ſenſitivi & apprehenſionem phantaſticam hominis ſecundum quod moventur à voluntate & ratione, quia etiam inferior pars animæ participat aliqualiter rationem, ſicut obediens imperanti.*

Dices ex Ioanne à S. Thoma *loco præcitato.* Motus appetitus ſenſitivi à voluntate procedens producitur liberè, ergo Angelum latet quoad productionem, ergo quoad totam ſubſtantiam; hæc enim non poteſt cognoſci niſi ut producta, nec poteſt cognoſci ut producta ſi latet productio. Sed contrà: 83.

Nec habet productionem liberã, niſi extrinſecè?

Retorqueri poteſt inſtantia in quolibet actu externo à voluntate imperato; diſtinguo igitur antecedens producitur liberè libertate ſibi extrinſeca, & principij imperantis, concedo; libertate ſibi intrinſeca, & principij elicientis, nego antecedens & conſequentiam; nec certè motus appetitus ſenſitivi poteſt eſſe à voluntate procedens elicitivè, alioqui eſſet actus appetitus rationalis, non ſenſitivi.

Ex doctrina hucuſque tradita habetur nos in hac ſatis perplexa controverſia de cognoſcibilitate immediata internorũ actuum mediam injiſſe viam; nec ponendo ipſos naturaliter cognoſcibiles æquè ac cætera entia naturalia, ut Scotiſtæ & Durandus; nec è contra eoſdem ponendo in ſe ipſis naturaliter incognoſcibiles etiam interveniente conſenſu & manifeſtatione elicientis ut poſt Molinã ex profeſſo docet Dequiros *diſp. 60. ſect. 2.* duplici id probans medio, altero morali; altero phyſico. Primum eſt, quod non 84.

Argumenta contrà cognoſcibilitaté internorũ actuũ ex cõſenſu elicientis.

expediat rationali Reipublicæ Angelũ poſſe manifeſtare ſua ſecreta ut in ſe ipſis intuenda; quia ſi id poſſet, poſſet etiam unus Angelus ad id ab alio ſaltem potentiore & ſuperiore quaſi per minas & torturam cogi; poſſet item quilibet Angelus alteri ſua ſecreta revelanti nolle præſtare plenam & integram fidem, quo uſque alter deveniat ad manifeſtationem immediatam talium ſecretorum in ſe ipſis, ſicque Angelus utendo diſſimulatione aliqua aut mentiendo nunquam poſſet aut plenam fidem obtinere aut ſatisfacere potentiori conanti extorquere per torturam & minas veritatem ſecreti. Secundum eſt, quod debeat concedi improportio phyſica inter cordis ſecreta & intellectum Angeli, alioqui illa non eſſent abſque conſenſu elicientis incognoſcibilia ex natura rei, & abſque eodem poſſent naturaliter cognoſci in illis ſaltem circumſtantiis, in quibus nullum morale inconveniens timeretur; atqui talis improportio phyſica non tollitur per conſenſum, utpotè qui eſt aliquid extrinſecum tùm ſecreto cognoſcendo tùm intellectui Angeli cognoſcentis, ergo ſecretum remanet naturaliter incognoſcibile etiã adveniente elicientis conſenſu. Nihilomi- 85.

Solvitur primum.

nùs ad primum dico nimis facilè ſupponi ut intellectuali Angelorũ Reipublicæ noxium id, cujus oppoſitum ipſi fortè magis obeſſet; cur enim non majus malum eſt? Angelum ſuperiorem etiam invitum poſſe decipi

quam

quàm inferiorẽ poſſe cogi ad non decipiendum; cur non majus malum eſt? nunquam poſſe audientem de propria ſinceritate & fidelitate plenè convincere præbendo in ſe ipſis intuenda cordis ſecreta, quàm aliquando non poſſe aliter plenam fidem obtinere? Quando tamen etiam daremus eſſe inconvenientia, quæ objiciuntur, negari poſſet ipſorum ſequela dicendo conſenſum requiſitum ut ſecreta in ſe ipſis pateant debere eſſe liberum & voluntariũ, nec ſufficere coactum & extortum, quia hic habetur pro non conſenſu, ut in promiſſionibus & contractibus.

86. Solvitur ſecundum. Ad ſecundum, improportio phyſica alia provenit ex diverſitate rationis formalis vel ordinis, quomodo oculus eſt improportionatus ad videndum ſonum, intellectus creatus ad videndum Deum; alia provenit ex defectu conditionis ſine quâ non, quomodo eſt improportionatus appetitus ad appetendum bonum non præcognitum, ignis ad cõburendum lignum non approximatũ; ſolùm hoc ſecundo modo datur in præſenti improportio phyſica, quæ ex una parte ſufficit ut ſecreta nõ manifeſtata ſint ea natura rei, & in omnibus circũſtãtiis incognoſcibilia, ex alia parte, ut tollatur, non requirit aliquid mutari intrinſecè aut ipſa ſecreta aut intellectũ, ſed cõtenta eſt aliquo ſe habente per modum puræ conditionis, ut jam attigimus *ſuperiore n. 73.*

---

§. VIII.

Quomodò Angelus naturaliter cognoſcat individua exiſtentia rerum materialium, & ea quæ ipſis contingunt?

87. Angeli comprehẽdunt naturaliter individua materialia. ASSERT. 1. Angelus naturaliter cognoſcit individua exiſtentia rerum materialium intuitivè & comprehenſivè in ſe ipſis. Ita Theologi communiſſimè cum D. Thoma 1. *p. q. 57. art. 2. in 2. diſt. 3. q. 3. art. 3. de verit. q. 8. art. 11.* &c.

Probatur ex eo, quòd fides Catholica docet hæc inferiora adminiſtrari per Angelos juxtà illud Heb. 1. *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus*; ſingularia igitur inferiora, ſeu rerum materialium individua per Angelos cognoſcuntur, cum nulla poſſit haberi adminiſtratio & providentia ſine ſingularium notitia: Quòd deindè talia ſingularia cognoſcat Angelus intuitivè & comprehenſivè, infertur à fortiori ex notitia intuitiva & comprehenſiva, quam quilibet Angelus habet de rebus ſuperioribus; de ſe ipſo ſcilicet, & de aliis pluribus Angelis.

Aſſert. 2. Angelus cognoſcit individua rerum materialiũ per eaſdem ſpecies; per quas cognoſcunt talium rerum naturas ſpecificas, & per eaſdem pariter ſpecies cognoſcit accidentia, quæ ipſis contingunt. Hoc aſſertum conſequitur ad ſupradicta de univerſalitate ſpecierum intentionaliũ, earumque omnium ſimul infuſione Angelis facta ab initio creationis; traditur etiam expreſsè à D. Thoma, quoad primã partẽ quidem *art. 2. præcit. in c. & ad 3.* quoad ſecundã *quodlib. 7. art. 3. ad 1.*

88. Probatur prima pars recolendo ſupradicta *c. præced. §. 6.* quibus addo quòd ſicuti homo habet duplicẽ virtutem cognoſcitivã in ordine ad univerſalia & ſingularia immediatè in ſe ipſis attingenda, immediatè ſcilicet attingit univerſalia intellectu, ſingularia ſenſu, utraque verò attingit immediatè Angelus eadẽ virtute cognoſcitiva, ſcilicet intellectu; ità congruit quòd utraque attingat Angelus eâdẽ ſpecie, quãvis homo attingat ſpeciebus diverſis. Ex quo habes obiter nõ dari in Angelis ſpecies repræſentativas præcisè prædicatorũ univerſaliũ, & ſpecies omnes intẽtionales Angelicas ſingulariũ potiùs, quàm univerſaliũ eſſe denominandas; cum quo tamen ſtat optimè poſſe Angelũ ſi velit cognoſcere præcisè aliquod prædicatum univerſale, puta ſolum prædicatum genericum animalis, utendo inadæquatè ſpecie alicujus rei ſingularis, puta hominis. Per ſpecies, per quas cognoſcunt naturas ſpecificas.

Probatur ſecunda pars, quia ſicuti per unã ſpeciẽ poſſunt ab Angelo cognoſci diverſa etiam ſpecificè individua, ità non eſt cur nequeant per unam pariter & eandem ſpeciem cognoſci diverſa accidẽtia, quæ ſimul inſunt, vel ſucceſſivè contingunt eidem individuo; quomodocũque enim talia accidentia diſtẽt ab invicem & differant in eſſe entis, eo ipſo quod dicunt habitudinem ad idem individuum ſufficientiſſimè conveniunt in eſſe repræſentabilis per eandem ſpeciem juxtà ſupradicta *cap. præced. n. 61.* Per eaſdem ſpecies cognoſcunt accidentia, quæ individuis contingunt.

Dices: una & eadem ſpecies neque determinatè neque indeterminatè repræſẽtare poteſt diverſa accidentia, quæ eidem individuo ſucceſſivè cõtingunt: Non determinatè, quia ſecùs eadem ſpecies ſimul repræſentaret duo cõtradictoria puta quod Petrus ſedeat & non ſedeat; cũ contingat Petrũ aliquando ſedere, aliquãdo non ſedere, duo autẽ contradictoria ſicuti nequeunt ſimul cognoſci, ità nec ſimul repræſẽtari: Non indeterminatè, tùm quia ſecùs ex vi talis ſpeciei nunquã poſſet determinatè cognoſci unum extremũ contingens potiùs quàm aliud, puta Petrus ſedẽs potiùs, quàm non ſedens; tùm quia ſpecies eſt ſimilitudo naturalis & ex ſe neceſſariò repræſẽtativa, nec habet indifferentiã ad repræſentandum modò hoc, modò illud accidens. Sed contrà: Species intentionalis in Angelo ſumi poteſt vel ut eſt repræſentativa in actu primo, & ſignato; vel ut eſt repræſentativa in actu ſecundo & exercito; utroque modo eſt repræſentativa determinatè diverſorũ accidentiũ, quæ eidem individuo ſucceſſivè contingũt; primo tamen modo, quo eſt repræſentativa ipſorum per modum poſſibiliũ, eſt repræſentativa ipſorum ſimul; ſecundo autem modo, quo eſt repræſẽtativa eorundẽ ut actu exiſtentium & inexiſtentiũ ſubjecto, eſt repræſentativa illorũ ſolùm ſucceſſivè, ſi ſolùm ſucceſſivè ſubjecto inexiſtant; eadẽ v. g. ſpecies nunc repræſentat Petrũ poſſe conjungi cum ſeſſione & cũ non ſeſſione craſtina ſub- intellige in ſenſu diviſo; ſi deindè cras Petrus mane ſedeat, veſpere non ſedeat, ſpecies repræſentabit in Petro ſeſſionẽ matutinã, non ſeſſionem veſpertinam, aliter eandem ſeſſionem repræſentatura, ſi aliter in Petro exiſteret: Ratio eſt quia, ut magis explicabitur *in-* 89. Talia accidentia non repræſentantur inexiſtentia ſubjecto, niſi ſuppoſita conditione actualis inexiſtentiæ.

*frà n.*112. ſpecies infuſa, ut repræſentet in
actu exercito rem exiſtentem, requirit con-
ditinnem actualis exiſtentiæ; ſicque ſpecies
in actu ſignato repræſentativa tùm ſeſſionis,
tùm non ſeſſionis, v. g. repræſentat in actu
exercito ſeſſionem ſi exiſtat ſeſſio, non ſeſ-
ſionem ſi exiſtat non ſeſſio.

Ad evitandam æquivocationem quæ cir-
cà aſſertam cognitionem naturalem indivi-
duorum materialium poſſet occurrere adver-
te ly *naturaliter cognoſcit* in vtroque aſſerto
ſumi potiùs pro cognitione in actu primo,
quàm pro cognitione in actu ſecundo; in-
tendimus ſcilicet Angelum habere omnia
requiſita pro cognitione intuitivâ talium in-
dividuorum, & poſſe quoties velit quolibet
eorum intuitivè cognoſcere; at non intendi-
91. mus ſemper eſſe circà ipſa in actuali exerci-
tio cognitionis: In quo, meo videri, fallitur
Arriag. *hîc diſp.*6.*ſect.*1.*ſubſect.*4.*n.*16.*&* 57.
ubi ponentes deberi ex naturâ ſuâ Angelis
ab initio creationis ſpecies repræſentativas
omnium rerum ſingulariū, quæ in hoc uni-
verſo ſunt, aut erunt, impugnat quia debe-
retur Angelis ex purâ naturâ cognitio pluriū
rerum naturalium, quàm debeatur homini
ex vi viſionis in Patriâ; neque enim beatis
debetur cognitio omnium rerū quæ in hoc
mundo fiunt, ſed ſolùm earum, quæ ſpectant
ad proprium ſingulorum ſtatum, non omniū
ſingularium cōſtituentium hoc unniverſum,
ſed ſolùm inſigniorum, ut nos etiam tradeba-
mus *tr.*1.*lib.*5.*c.*5.*§.*5.*n.*53.*&* 29. fallitur, in-
quam, Arriaga, nam dum Theologi docent
deberi hominibus beatis ex vi viſionis co-
gnitionem rerum naturalium ſpectantiū ad
proprium ſtatum, non omnium, loquuntur
de cogitione in actu ſecundo, cum quo opti-
mè ſtat deberi iiſdem infuſionem cognitio-
nis rerum omnium naturaliū in actu primo,
quod nihil aliud eſt quàm deberi ſcientias
omnes naturales infuſas ab initio beatitudi-
nis, quâ de re agetur *tract. ſeq. lib.* 3.*c.*1.*§.*1.

Occurritur inſtātiæ cōtrà ſpecies Angelis infuſas repræſentativas omnium ſingulariū.

§. IX.

An & quomodò Angelus naturaliter cognoſcat in ſuis cauſis futura?

92. ASSERT. 1. Angelus poteſt naturaliter
cognoſcere in ſuis cauſis cognitione
certâ & evidenti ea omnia futura, quæ non
pendent ſpecialiter à cauſâ liberâ. Hoc aſ-
ſertum ità univerſaliter poſitum colligitur ex
Alenſi 2.*par. quæſt.*56.*memb.*4. Amico *diſp.*
11.*ſect.*1. Vaſquio *diſp.*207. *c.*2. Lugo *diſp.*
10.*c.*5.*num.*8. Averſâ *quæſt.*57.*ſect.*4. Ioan-
ne à S. Thomâ *diſp.*22.*art.*2.*num.*5. aliiſque
pluribus contra Carthuſian. *in* 2.*diſt.*7. *q.*4.
Malonium *cōl. diſt. diſp.*15. alióſq; nonnullos
excipientes effectus futuros ex cauſis natu-
ralibus invicem impedibilibus, & huic ex-
ceptioni valdè favent D. Thomas *hic q.*57.*a.*
3. *de verit. q.*8.*a.*12. Bonaventurâ *in* 2.*diſt.*7.
*par.*2.*a.*1.*q.*3. Ægidius *q.* 2. *art.*1. aliique
non pauci, qui tamen fortè locuti ſunt in eo
ſenſu, in quo infrà explicabitur S. Doctor;
Eſt inſuper aſſertum contrà Bannez 2.*par. q.*
57.*a.*3. *§. Nobis*, & Molinam *eod. art. conc.*2.
excipientes effectus futuros dependenter ab
appetitu & apprehenſione brutorum.

Dixi, *quæ non pendent ſpecialiter à cauſâ
liberâ*, quælicèt omnes effectus creati à Deo
liberè concurrente dependeant; effectus ta-
men naturales pendent ab ipſo ut à cauſâ u-
niverſali operante ſecundùm naturalem re-
rum curſum, cauſarúmque naturalium exi-
gentiam, non verò operante præcisè ex de-
terminatione propriæ voluntatis; ſicuti re-
quireretur, vt dicerentur dependere ſpeciali-
ter à Deo vt à cauſâ liberâ.

Probatur aſſertum primò in univerſum: ea 93.
omnia futura; quæ non pendent ſpecialiter à
cauſâ liberâ, habent neceſſariam & deter-
minatam connexionem cum ſuis cauſis; ergo
ea omnia poteſt Angelus cognoſcere in ſuis
cauſis cognitione certâ & evidenti; antece-
dens patet, quia proprium eſt cauſæ liberæ
habere indeterminatam, & non neceſſariam
connexionem cum futuritione ſui effectus,
ſeù habere connexionem non magis cum fu-
turitione, quàm cum non futuritione ipſius;
conſequentia probatur, qui poteſt perfectè
comprehendere rem aliquam; poteſt certò &
evidenter cognoſcere omnem ipſius neceſſa-
riam ac determinatam connexionem, & per
conſequens omnem terminū talis connexio-
nis; ergo qui comprehendit cauſas cognoſcit
certò & evidenter ea omnia quæ habent ne-
ceſſariam & determinatam connexionem, ſed
Angelus cōprehēdit naturaliter omnes cau-
ſas naturales, ergo cognoſcit certò & evidēter
omnia futura nō dependētia ſpecialiter à cau-
ſâ liberâ, ſi hęc omnia habēt neceſſariam &
determinatam cum ſuis cauſis connexionem.

Angelus naturaliter cognoſcit in ſuis cauſis omnia futura non dependentia ſpecialiter à principio libero.

Dices: futura, quæ non pendent ſpecia-
liter à cauſâ liberâ, habent quidem neceſ-
ſariam connexionem cum ſuis cauſis, quoad
ſpeciem, non tamen quoad individuationem,
determinatio enim cuiuſlibet effectus in in-
dividuo, ſpecialiter & liberè à Deo fit; ergo
talia futura quoad ſpeciem ſolùm, non quo-
ad individuationē poſſunt in ſuis cauſis co-
gnoſci; ergo non poſſunt cognoſci in ſuis
cauſis certò & evidēter, cognitio enim cer-
ta & evidens rei pro aliqua temporis diffe-
rentia exiſtentis debet attingere etiā rei in-
dividuationem. Sed contrà: conceſſis antece- 94.
dēte & primâ conſequentiâ, nego ſecūdam;
& dico quòd Deus ſicuti ut Auctor naturæ
tenetur effectui, cauſæ neceſſariæ tribue-
re aliquam individuationem, quamvis non
hanc potiùs, quàm illam; ità tenetur intel-
lectui Angelico tribuere omnia requiſita ad
cognoſcendam aliquam individuationem,
imò ad cognoſcendam hanc ſuppoſito quod
ad hanc effectū determinaverit, determina-
tā propterea effectus individuationē quam-
vis Angelus non cognoſcat in cauſis ſecun-
dis præcisè, cognoſcit tamen iure ſibi debito
ex vi cognitionis cauſarum ſecundarū; quod
ſufficit ad hoc ut ſimpliciter dicatur futura
cognoſci certò, & evidenter in ſuis cauſis.

Cognoſcit talia futura etiā quoad individuationem.

Probatur ſecundò aſſertum in particulari
quoad effectus futuros ex cauſis naturalibus
invicē impedibilibus: Angelus poteſt natu-
raliter comprehendere non ſolùm quamlibet

cauſam

cauſam naturalem ſeorſim & in particulari, verùm etiam quamlibet cauſarum naturalium collectionem ſimul; ergo poteſt naturaliter cognoſcere illos effectus futuros, qui habent connexionem determinatam & neceſſariam, ſi minùs cum aliqua cauſa naturali ſeorſim & in particulari, ſaltem cum aliqua cauſarum naturalium collectione, atqui hujuſmodi ſunt effectus futuri ex cauſis naturalibus invicem impedibilibus ſeu invicem ſe impedientibus & oppugnantibus; poſito enim tali concurſu & occurſu cauſarum naturalium æquè neceſſarium eſt ſequi talem effectum, ac neceſſarium ſit produci poſito igne calorem, poſito ſole lucem. Hinc

95. Mens D. Thomæ circa cognitionem futurorum provenientium ex cauſis impedibilibus.

Ioannes à S. Thoma *loco præcitato* rectè advertit S. Doctorem 1. *p. q. 57. art. 3. in c.* dicentem futura, quæ ex ſuis cauſis proveniunt ut in pluribus, cognoſci non per certitudinem ſed per conjecturam, intelligendum eſſe in ſenſu formali; id eſt quod talia futura in illis cauſis præcisè, ex quibus proveniunt ſolùm ut in pluribus (quod idem eſt ac dicere impedibiliter & non ſemper) duntaxat conjecturaliter cognoſcantur, non negando deinde, quòd eadem futura poſſint reduci ad collectionem aliquam cauſarum, ex quibus proveniant inimpedibiliter, & in quibus cognoſcantur certitudinaliter, & hoc eſſe juxtà germanam mentem S. Doctoris colligitur ex verbis ipſius *de verit. quæſ. 8. art. 12. in c.* ubi ſic habetur *Aliquid eſt contingens reſpectu cauſæ unius, quod reſpectu concurſus plurium cauſarum eſt neceſſarium; Angeli autem omnes cauſas naturales cognoſcunt; undè quædam, quæ contingentia videntur aliquibus cauſis eorum penſatis, Angeli ut neceſſaria cognoſcunt, dum omnes cauſas ipſorum cognoſcunt.*

96. Probatur tertiò aſſertũ in particulari quoad effectus futuros dependenter ab appetitu & apprehenſione brutorum, quia Angelus non minùs, quàm cæteras res naturales, comprehendit bruta eorumque omnem vim appetitivam & apprehenſivam; bruta item ſuas operationes vitales exercent determinatione & neceſſitate non minori, quã cæteræ cauſæ naturales exerceant operationes ſuas non vitales, & malè omninò illis tribuunt Adverſarij veſtigium aliquod libertatis.

Abſurda contra talem cognitionem.

Dices: ex hac tam ampla in Angelis futurorum cognitione ſequitur primò ipſos poſſe præſcire monſtra, quæ in natura eveniunt, contrà illud Sap. 8. *Signa & monſtra ſcis antequam fiant*, ubi præſcientia monſtrorum recenſetur tanquam propria Sapientiæ increatæ. Sequitur ſecundò ipſos poſſe præſcire omnes illos effectus, quos nos dicimus caſuales & fortuitos, quod eſt in rigore negare omnem caſum & fortunam, ex quo capite Carthuſianos ſupracitatos ſententiam à nobis aſſertam non veretur vocare errorem propter quendam articulum Pariſienſem, in quo damnatur qui dixerit nihil eſſe à caſu, nihil à fortuna. Sequitur tertiò ipſos poſſe præſcire omnem varietatem futurorum eventuum in brutis, plantis, elementis, cæteriſque non viventibus; omnes animalium excurſiones & motus, omnes ventorum concitationes, omnes coruſcationes fulgurũ; quot v.g. intrà mille annos muſcæ, quot formicæ ſint toto orbe naſcituræ, & quantæ molis ſingulæ, &c. quorum evidens & certa præſcientia non niſi inveriſimiliter Angelis tribui poteſt. Sed contrà: Adverto in univerſum cum ea tota virtute, quam nos Angelis tribuimus in ordine ad certò cognoſcendos futuros evẽtus, rectè cohærere, quòd in actu ſecundo non niſi ad pauciorum futurorum certam cognitionem ex naturalibus cauſis perveniant; ratio eſt quia pauciora ſunt ea futura, quæ non poſſint naturaliter à cauſis liberis impediri propter ſubordinationem, quam habent ſecundùm præſentẽ providentiam cauſæ naturales ad liberas, ad homines ſcilicet & Angelos hominum cuſtodiæ aliarumve inferiorum rerum curæ deſtinatos; hinc fit omnem ferè naturalem futurorum notitiam, quam ex cauſis ſublunaribus Angeli hauriunt, eſſe abſolutè incertam, & certam ſolùm conditionatè, ſi nimirum cauſæ naturales nullatenùs impediantur à liberis: Ex quo facilè reſpondetur ad abſurda quæ nobis in inſtantia objiciuntur. 97.

Ad primũ dico nulla ferè monſtra ab Angelis certò præſciri, quia omnia ferè eveniũt ex interventu cauſæ liberæ impedientis aliquam cauſam naturalẽ, ne motus ſuos agat, & inducentis concurſum occurſumve cauſarum non futurum ſecundùm diſpoſitionem rerum purè naturalẽ: ideò præſcientia monſtrorum univerſalis & certa certitudine abſoluta remanet ſoliùs Dei propria, & in hoc ſenſu ut Dei propria recẽſetur *Sap. 8.* quamvis etiam dici poſſit in tali textu vel ſermonem eſſe de ſapiẽtia non ſolùm increata, verùm etiam creata, ut magis explicat Lugus *hic diſp. 10. c. 2. n. 12.* vel ſcientiam, quæ ut Dei propria recẽſetur non eſſe ſcientiã monſtrorũ præcisè, ſed totius collectionis rerum quæ ibi memorantur, inter quas ſunt futura libera expreſſa per ly *de futuris æſtimat.* 98. Solvitur primum de mõſtris.

Ad ſecundum dico caſum & fortunã dici in ordine ad cauſas particulares ſeorſim acceptas, reſpectu quarũ libenter concedimus aliquid eſſe à caſu, aliquid à fortuna; & dari effectus, qui in illis nequeant ab Angelo certò cognoſci, ſintque in ordine ad illas caſuales & fortuiti, unde contrà noſtrã doctrinam non militat cenſura articuli Pariſienſis, & error eſt eam notare ut errorem. Solvitur ſecundum de fortuna & caſu.

Ad tertium dico certitudine ad ſummum conditionata poſſe Angelos præſcire omnem varietatem futurorum eventuum in brutis, plantis, &c. propter ſupradicta *n. 97.* & quia veriſimile eſt Angelos non facilè erumpere in cognitiones conditionatas, & non abſolutè certas; veriſimiliter conſequens eſt ipſos circa plures futuros eventus nullum actum elicere, nec ſollicitos eſſe inveſtigandi in cauſis ſublunaribus quos occurſus haberent, & quid in quolibet occurſu operarentur, ſi nulla interveniret cauſa libera applicans illas, vel impediens. 99.

Aſſert. 2. Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere in ſuis cauſis cognitione certa 100.

Eſt de fide Angelum non poſſe naturaliter præſcire certò futura libera.

& evidenti ea futura, quæ pendent ſpecialiter à cauſâ liberâ. Eſt indubitatum fidei dogma, & veritas adeò recepta, ut eam non ſolùm nullus Catholicus, ſed nec ullus hæreticus negaverit teſte Vaſquio *hic diſp.* 208. *c.* 1. *n.*1.

Probatur primò omnibus illis Scripturæ auctoritatibus, quibus præſcientia futurorum commendatur ut Dei propria & divinitatis ſolemne argumentum; hujuſmodi auctoritates tanquam partim relatas ſuperiùs *tr.* 1. *lib.* 4. *c.* 3. §. 1. partim cuilibet Scholaſtico familiares hic ſuppono, & confirmo egregiis quibuſdam Sanctorum Patrum teſtimoniis, ſic D. Hilarius *lib.* 9. *de Trinit. circa finem* ait *Proprium Dei quid aliud, quàm cognitio futurorum!* D. Chryſoſtomus homil. 18. in Ioannem *Prædictio futurorum immortalis Dei duntaxat opus eſt.* D. Hieronymus in cap. 2. Danielis *Confitentur Magi, confitentur Arioli, & omnis ſcientia ſæcularis litteratura præſcientiam futurorum non eſſe hominum, ſed Dei.* Origenes *lib.* 6. *contra Celſum circà initium* ait *divini ſermonis characterem eſſe prædictionem futurorum.* Tertullianus c. 20. Apologetic. *idoneum, ut arbitror teſtimonium divinitatis, veritas divinationis* & c. 22. loquens de dæmonibus ait *æmulantur divinitatem, dum furantur* (ex ſcripturis propheticis) *divinationem*, & hic obiter dum futurorum prænotio appellatur divinatio quaſi divina actio, ex ipſo ſono vocis cum futurorum prænotione ſynonimæ evincitur illam eſſe Dei maximè propriam.

Divinatio dicitur quaſi divina actio.

101. Probatur ſecūdò ratione: Futura quæ pendent ſpecialiter à cauſa libera nullam habent neceſſariam & determinatam connexionem cum ſuis cauſis; ergo non poſſunt in ſuis cauſis certò & evidenter cognoſci, conſequentia patet, quia cognitio certa & evidens alicujus in alio debet eſſe in medio habente connexionem infallibilem; nequit autem eſſe infallibilis connexio, quæ neceſſaria & determinata non ſit: antecedens probatur, talia futura vel comparantur ad cauſam liberam in actu primo & ut potentem ſe determinare, vel comparantur ad cauſam liberam in actu ſecundo, & ut exiſtentem in actuali determinatione: Primo modo cauſa libera eſt indifferens nec habet majorem connexionem cum futuritione, quàm cum non futuritione eorum, quæ ab ipſa pendent, & hac ratione neque etiam Deus aut comprehendendo propriam aut ſupercomprehendendo creatam voluntatem poteſt futura præſcire ex dictis *tract.* 1. *lib.* 3. *c.* 3. §. 3. Secundo modo, quamvis determinatio actualis in voluntate divina importet infallibilem, ſeu neceſſitate infallibilitatis neceſſariam connexionem cum re futura, non ſic tamen actualis determinatio volūtaris creatæ, quæ poteſt vel ab ipſa voluntate creata mutari, vel ab extrinſeco, à Deo præſertim, impediri & fruſtrari ſuo effectu: Deinde hac ratione poſſet Angelus ad ſummum prænoſcere futura dependentia à voluntate propria, at non dependentia à voluntate aliena; cum actus liberos internos alienæ voluntatis & determinationes ipſius certitudinaliter non dignoſcat *ex præced.* §. 5. Confirmatur, Angelus non cognoſcit certò & evidenter in ſuis cauſis actus liberos ut exiſtentes, quando exiſtunt; ergo neque eoſdem certò & evidenter in ſuis cauſis cognoſcit ut futuros, antequam exiſtant; antecedens probatur, quia ex ſupradictis Angelus non cognoſcit certò & evidenter actus liberos exiſtentes niſi aut intuitivè in ſe ipſis aut abſtractivè in ſuis effectibus.

Probatur tertiò experientia, quâ conſtat malos Angelos ſæpè falli in prænotione & prædictione futurorum dependentiū à cauſis liberis, cum plerumque fallacia fuerint apud Gentiles dæmonū de eventibus futuris oracula. Nec dici poteſt talia oracula fuiſſe fallacia, non quia dæmones fallerentur, ſed quia mentiebantur, & ad decipiendos homines falſum prædicebant, quamvis non falſum prænoſcerent: Dici inquam id non poteſt, quia licèt dæmones ſæpè ex induſtria mentiantur, putandum non eſt id præſtitiſſe in illa prædictione futurorum, in qua divinitatem æmulabantur & affectabant haberi ut dij; ad quod certè non inſerviebat falſa prædicere; undè etiam dabant reſponſa ea obſcuritate & ambiguitate verborum, ut quomodocumque eventus ſe haberet, poſſent aliquem verum ſenſum admittere; ſicque mendaces non agnoſcerentur. 102.

Angeli mali ſæpè falluntur in prænotione futurorum, & prædictione.

Aſſert. 3. Angelus poteſt naturaliter cognoſcere in ſuis cauſis cognitione conjecturali aliqua ex futuris, quæ pendent ſpecialiter à cauſa libera. Ita Theologi communiter cum D. Thoma 1. *p. q* 57. *art.* 3. *de malo, q.* 16. *art.* 7. *de veritate, quæſ.* 8. *art.* 12. aliiſque ſanctis Patribus; & licèt Auguſtinus *lib.* 4. *de Trinitate, cap.* 17. videatur talem cognitionem negare Angelis bonis, non tamen id præſtat, quia illis repugnet ex natura ſua, ſed quia ſit parùm conveniens ſtatui beatifico, in quo Angelus eorum, quæ expedit ſcire habet perfectam notitiam in verbo, aliorum verò nullum judicium profert, ne aſſentiendo conjecturis exponat ſe periculo falſitatis, cæterùm ab Angelo non beato etiam bono non eſſet omninò removenda conjecturalis cognitio aliquorum futurorum liberorum, multoque minùs ab Angelis malis, quod ſic 103.

Probatur quia nec deeſt Angelis ſagacitas ad dignoſcendam cauſæ liberæ propenſionem, nec experientia ad ſciendum quid ſoleat in tali rerum diſpoſitione decerni; ſicuti igitur homines perſpicaciore præſertim ſagacitate præditi, diuturnioreque experientiâ edocti, aliquos effectus futuros dependenter etiam à cauſâ liberâ conjectant & divinant; multo magis præſtare id poterunt Angeli, quorum & ſagacitas perſpicacior & experientia diuturnior eſt, quàm in quolibet homine. Confirmatur ex eo, quòd dæmones non rarò prædicunt aliqua futura libera, quæ deindè eveniunt prædictioni conformia, inter alias autem cauſas veritatis talium prædictionum recenſenda omninò eſt cognitio ex conjecturis comparata; inter alias, inquā, 104.

Non rarò etiam vera prædicunt, & quænā ſint cauſæ veritatis in ipſorum prædictionibus.

cauſas

cauſas quæ quidem eſſe poſſunt manifeſtatio facta ab Angelis beatis Deo ità diſponente, intelligentia divinarum ſcripturarum plures futuros eventus continentium, verſutia dæmonum prædicentium ut futura & facienda ea, quæ in locis valdè diſtantibus aut facta jam ſunt, aut fieri cœperunt; de quibus latiùs Moncæus *in diſput. ſelectis diſp. 5. cap. 4.*

Graduatio certitudinis in prænotione diverſorum futurorum in cauſis.

105. Ex dictis habetur ſecundùm naturalem rerum curſum, & abſtrahendo à miraculo, quorumdam futurorum poſſe naturaliter Angelum in ſuis cauſis conſequi prænotionē abſolutè certam; quorumdam prænotionem certam solùm conditionatè; quorumdam prænotionem purè probabilē, quorumdam ne probabilem quidem. Primi ordinis ſunt ea, quæ proveniunt à cauſis naturalibus naturaliter inimpedibilibus à cauſa liberâ ut ſolis ortus, Eclipſes, Cœlorum motus, Aſtrorum occurſus &c. Secundi ordinis, quæ proveniunt à cauſis naturalibus naturaliter impedibilibus à libera ut periodus vitæ brutorum, variique ipſorum eventus & motus; item pluviæ, grandines, ſegetum vel penuria, vel copia, hominum contagioſæ ægritudines, & ſimilia quorum cauſæ etiam ſecundùm communem moralem providentiam ad Dei nutum à bonis Angelis aliquando ſpecialiter excitantur, aliquando naturaliter excitatæ impediuntur in peccatorum pœnam, vel in juſtorum præmium. Tertij ordinis, quæ proveniunt à cauſis liberis, in quibus vel ex præteritorum experientiâ vel ex circumſtantiarum præſentium diſpoſitione, vel ex quibuſdam quaſi præambulis, relucent ſpecialia indicia determinationis in unam partem potiùs, quàm in alteram. Quarti ordinis, quæ proveniunt à cauſis liberis, in quibus vel ſunt æquales pro utraq; parte conjecturæ, vel eventurum eſt illud, quod habet pro ſe conjecturas leviores & rariùs evenit ſub tali rerum ſiſtemate.

§. X.

An, & cur Angelus nequeat naturaliter cognoſcere futura immediatè in ſe ipſis?

106. ASSERT. 1. Certùm eſt Angelum non poſſe naturaliter cognoſcere immediatè in ſe ipſis futura, quæ ſpecialiter pendent à cauſâ liberâ; & propter paritatem rationis phyſicæ idem ſentiendum de aliis futuris. Colligitur hoc aſſertum ex D. Thoma *1. p. q. 57. art. 3. & de malo q. 16. art. 7.* aliiſq; Sanctis Patribus, & Theologis communiſſimè.

Angelus nō cognoſcit naturaliter futura libera in ſe ipſis.

Probatur prima pars: Cognitio rei immediatè in ſe ipſa eſt cognitio certa & evidens; ſed certum eſt Angelum non poſſe naturaliter cognoſcere certò & evidēter futura, quæ ſpecialiter pendent à cauſâ liberâ; ergo certum eſt non poſſe naturaliter ea cognoſcere immediatè in ſe ipſis: Major patet, quia quod cognoſcitur immediatè in ſe ipſo, cognoſcitur aut per ſe ipſum aut per propriam ſui ſpeciem; atqui neque res ipſa, neque propria ſpecies poteſt concurrere ad falſam cognitionem; cum nullus ſit melior modus certificandi ſe de aliquâ veritate, quam explorando notitiam rei, vel per ſe ipſam, vel per propriam ipſius ſpeciem: deindè cognitio rei in medio neceſſariò connexo eſt certa, ergo multo magis cognitio rei in ſe ipsâ, cum nihil ſit magis neceſſariò connexum, quàm res ipſa ſibi: Minor evincitur ex primâ & tertiâ probatione ſecundi aſſerti ſuperioris, & confirmatur ex pluribus inconvenientibus moralibus, quæ ſecum afferret certa prænotio futurorum liberorum; enimverò ſi ſermo ſit de actibus liberis alienis, recurrunt à fortiori contrà cognoſcibilitatem eorum, quando adhuc ſunt futuri, quæcumque *ſuperiori num. 56.* urgebantur contrà cognoſcibilitatem ipſorum quando jam actu exiſtunt; ſi ſermo ſit de actibus liberis propriis; ob futuros actus malos unuſquiſque ſibi ſemper diſpliceret, triſtaretur, deſperaret; rixas etiam & odia anticiparet in eos, quibus ſe futurum averſum & inimicum prænoſceret; è contrà ob futuros actus bonos præſumeret, ſuperbiret, alios contemneret, nimiam conciperet futuri boni ſecuritatem; & indè in deſidiam ac lætitiam inordinatam incideret.

Probatur & explicatur ſecunda pars, quia licèt contrà naturalem cognitionem immediatam aliorum futurorum à cauſâ liberâ nō dependentium non militent auctoritates & rationes morales mox adductæ; ut potè quæ impugnant prænotionem immediatam futurorum ratione certitudinis, quæ ratio non urget contrà futura neceſſaria, quibus non repugnat certitudo naturalis prænotionis; licèt inquam hæc ità ſint, propterea què etiam plures Scholaſtici in præſenti loquantur expreſsè de ſolis futuris liberis; ratio tamen phyſica, ſi quæ afferri poteſt, pro naturali incognoſcibilitate immediata futurorū æquè procedit de futuris neceſſariis, ac de liberis; ut ex ſtatim ſubjiciendis patebit, ideò propter paritatem rationis phyſicæ idem ſentiendum, &c. 107.

Contra futura neceſſaria non militant eadem auctoritates, nec eadem rationes morales.

Porrò inquirenda jam eſt ratio phyſica & proxima aſſertæ incognoſcibilitatis futurorum in ſe ipſis; quam quidem rationem facilè aſſignant qui vel negant intellectui Angelico ſpecies futurorum, ſivè deindè id negent quia exiſtiment cum Scoto Angelū à rebus ſpecies accipere, ſivè quia ſentiant cum Dequitos, Arriagâ, Maderno, Deum non infundere Angelis ſpecies niſi ad præſentiam objectorum & quando objecta exiſtunt; vel cum Molinâ *hic quaſt. 57. art. 3.* negant futuris omnem objectivam determinatam veritatem: At hi dicendi modi falſo nituntur ſuppoſito, falſum eſt enim Angelum à rebus ſpecies accipere *ex cap. præced. §. 3.* falſum eſt eaſdem expectatâ objectorum exiſtentiâ & ad ipſorum præſentiam infundi *ex eod. cap. §. 5.* falſum eſt tandem futura contingentia loquendo in eo ſtatu, in quo futura ſunt, carere determinatâ veritate, quāvis enim *ex tract. 1. lib. 3. cap. 3. §. 2.* veritate determinatâ careant antecedenter ad di- 108.

Incognoſcibilitas futurorum in ſe ipſis non provenit ex carentia ſpecierum in Angelis.

Neque ex defectu veritatis objectivæ in ipſis futuris.

vinum decretum, ſine quo non emergunt à ſtatu poſſibilitatis, ſecùs tamen poſt divinum decretum, quo mediante à ſtatu poſſibilitatis emergunt, & conſtituuntur in ſtatu futuritionis; futura igitur quæcumque in eo ſtatu, in quo futura ſunt, & in quo à nobis hîc conſiderantur, ſicuti divinum decretum præſupponunt, ità habent in ſe veritatem objectivam determinatam, alioqui defectu objectivæ veritatis remanerent poſt decretum incognoſcibilia à Deo, non minùs quàm antè decretum, contrà ſupradicta *eod. cap. 3. §. 5.* Quod enim ait Molina Deum ex altitudine & eminentiâ ſuæ ſcientiæ non indigere objectivâ veritate, eſt tùm contrà regulam illam univerſalem *ex obiecto & potentia gignitur notitia*, tùm contrà doctrinam non minùs univerſalem, quâ veritas formalis in quolibet actu explicatur per ordinem ad veritatem objectivam.

Supponenda igitur hîc eſt, tùm in omnibus futuris veritas objectiva, tùm in Angelis ſimultanea ab initio creationis infuſio ſpecierum pro omnibus futuris; & adhuc inveſtiganda ratio cur iſtæ ſpecies veritatem illam objectivam non repræſentent, niſi quando futura actu exiſtunt in propriâ differentiâ temporis; pro quo

109. Aliqui recurrunt ad incognoſcibilitatem divini decreti. Sed impugnantur, quia aliud eſt rem futuram dependere à decreto ut ſit, aliud eſt (ſuppoſita præſertim propriâ ipſius ſpecie in intellectu) dependere à decreto ut cognoſcatur; & cognitio decreti eſſet quidem neceſſaria ut Angelus cognoſceret futura in ſuâ causâ totali, at non ut cognoſcat futura in ſe ipſis; & Deus ipſe ut attigimus *cap. 3. præcit. num. 35.* etiamſi per impoſſibile decreta ſua non cognoſceret adhuc cognoſceret in ſe ipſis futura à decretis dependentia.

Neque ex incognoſcibilitate divini decreti.

Vaſquez *hic diſp. 208. cap 4. num. 15.* loquens in noſtrâ ſententiâ tribuente Angelis ſpecies ingenitas ait præter intellectum & ſpeciem, requiri ad cognitionem objectum proprium & naturale, ideoque futura contingentia non poſſe in ſe ipſis naturaliter ab Angelo cognoſci, quia non ſunt intrà latitudinem objecti naturalis intellectus Angelici; eamdemque ſub diverſis terminis rationem repetit infrà *num. 18.* loquens in propria ſententia tribuente Angelis efficacitatem intelligendi abſque ullo concurſu objectivo, ait enim ideò per nudam potentiam non intelligere futura, quia illa non ſunt objecta naturaliter intellectui accommodata.

110. Sed impugnatur: quia petit principium, hoc ipſum enim eſt quod quæritur; Cur futura nõ ſint intrà latitudinem objecti naturalis intellectus Angelici? cur non ſint objecta naturaliter Intellectui accommodata? Scio Vaſquium ſupponere hoc à ſe probatum, ſed quia *ead. diſp. cap. 2. num. 5.* ubi id probat, affert ſolùm auctoritates & experientiam, non ſatisfacit præſenti intento, ubi quæritur ratio phyſica, cur futura ſint naturaliter incognoſcibilia, ſeu non ſint intrà latitudinem objecti naturalis &c.

Gonet *diſp. 9. art. 4. num. 78.* & alij nonnulli Thomiſtæ excitant hic doctrinam de præſentialitate phyſica futurorum ab æterno; & quia talem præſentialitatem futura habent ſolùm reſpectu Dei, non reſpectu Angelorum, ideò inquiunt eſſe in ſe ipſis cognoſcibilia à ſolo Deo non, ab Angelis; favet plurimùm huic rationi D. Thomas 1. p. q. 57. *art. 3. & q. 86 art. 4.* & quamvis nos *tract. 1. lib. 1. cap. 9. §. 5. & lib. 3. cap 3. §. 6.* non admiſerimus in ſenſu Thomiſtico præſentialitatem futurorum ab æterno, quia tamen iiſdem locis docuimus æternitatẽ Dei ab æterno coëxiſtere phyſicè omnibus temporum differentiis, & ratione talis coëxiſtentiæ, quamvis non ratióne propriæ præſentialitatis, futura omnia eſſe ab æterno phyſicè præſentia Deo, non Angelis, eorumvè cognitioni, videtur eadem ratio facilè poſſe noſtris principiis accommodari: Nihilominùs 111.
impugnatur, quia aliud eſt Angelos non cognoſcere futura ut ſibi phyſicè præſentia & realiter coëxiſtentia; aliud eſt eoſdem nõ cognoſcere futura ut præcisè exiſtentia in propriis differentiis tẽporũ cognitione immediatâ, licèt aut nõ intuitivâ aut intuitiva minùs propriè ut indicavimus *§. 6. præcit. n. 44.* illam ſolùm, non iſtam futurorum in ſe ipſis cognitionem ab Angelis removet allata ratio, quomodocumque explicetur; & quamvis abſolutè concedatur futura antequã exiſtant eſſe Deo, non Angelis phyſicè præſentia, in quo non aſſentior pluribus Recentioribus, qui ex eo, quod ævum ſit duratio tota ſimul inferunt Angelum ratione ævi ſeu propriæ durationis coextendi ad res præteritas & futuras non minùs, quàm Deũ ratione æternitatis, contrà quam illationem aliquid diximus *tract. 1. lib. 1. cap. 9. num. 30.* & videri etiam poteſt Gonet *art. 4. præcit. num. 88.* Addo interim quod etiamſi ævum Angelicum ſe ſimul extenderet ad omnes tũ præteritas tùm futuras temporis differentias, quæ Angelo ſucceſſivè coëxiſtunt; cognitio tamen Angelica quæ menſuratur tempore diſcreto, non ævo, talem extenſionem non haberet, ideò adhuc cognitio Angelica non poſſet attingere res futuras ut ſibi præſentes, quemadmodum attingit cognitio divina, quæ menſuratur æternitate æquè ac ipſa ſubſtantia Dei. Rejectis his dicendi modis & omiſſis aliis nonnullis minoris momenti ſit

Neque ex defectu præſentialitatis phyſicæ futurorum.

Aſſert. 2. Ratio phyſica & proxima non 112.
cognoſcendi futura immediatè in ſe ipſis eſt quia ſpecies futurorum ab initio Angelis infuſæ talis naturæ ſunt, ut ipſa quoad an eſt ſeu quoad exercitiũ exiſtendi actu non repræſentent, niſi poſita conditione actualis exiſtentiæ. Quoad *An eſt* inquam *ſeu quoad exercitium exiſtendi*, quia non negamus Angelum habere poſſe naturalem cognitionem futurorum immediatè in ſe ipſis quoad quid eſt, ſeu quoad prædicata eſſentialia & quiditatem; at hoc eſt cognoſcere futura potiùs ſub ratione poſſibilium, quàm ſub ratione futurorum. Ità Valentia *hic diſp. 4. q. 8. punct. 3. §. Neque obſtat*, Lugus *diſput. 10. cap. 3.*

Ratio proxima & phyſica naturalis incognoſcibilitatis futurorum in ſe ipſis.

cap.3. num. 26. Averſa *q.57. ſect.5. §. uno modo*, Moncæus *in diſp. ſelectis diſp.5.cap.6. §. Hac verò*, & alij quibus quoad rem, ſi minùs quoad modum loquendi, valdè favent plures Thomiſtæ contrà Scotum, Dequiros, Maderuum, Molinam, Vaſquium, Gonetum *locis ſuprà relatis*, maximè verò contrà Arriagam *hic diſp.6. ſect.1. ſubſec.2. & 3.* ubi pluribus contendit oſtendere ſpecies intentionales non poſſe in operando pendere ab exiſtentia objecti, nec potuiſſe ſpecies futurorum connaturaliter Angelis ab initio infundi, quin Angeli naturaliter futura cognoſcant quoad an eſt, ſeu quoad exiſtentiam.

Probatur, quia ex unâ parte nulla eſt repugnantia in ſpeciebus infuſis, quæ talis naturæ ſint ut in actuali repræſentatione ab aliqua conditione dependeant *ex n.69.* poterũt igitur aliquæ ſpecies infuſæ talis eſſe naturæ ut dependeant à conditione exiſtentiæ ſui objecti in actuali repræſentatione ipſius quoad *An eſt*; ex aliâ parte juxtà ſupradicta *cap. præced.* §.1. in ordine ad cognoſcenda futura immediatè in ſe ipſis indiget Angelus aliquo concurſu objectivo; & talis concurſus nec præſtari poteſt ab ipſis futuris, quia res actu non exiſtens nequit actu operari; neque à propriâ Angeli eſſentiâ, quia hæc nequit eſſe repræſentativa niſi aut ſui, aut eorum quæ eminenter continet; reliquum eſt igitur Angelum non poſſe cognoſcere futura immediatè in ſe ipſis aliter quàm per ſpecies infuſas, & per conſequens non poſſe ea in ſtatu futuritionis conſtituta cognoſcere immediatè quoad *An eſt* ſi in ordine ad ea repræſentanda quoad *An eſt* ſpecies infuſæ dependeant à conditione actualis exiſtentiæ.

Dices primò: poſita conditione actualis exiſtentiæ ſpecies futurorum Angelis infuſæ vel intrinſecè mutantur in ſe ipſis, vel non; Secundum non videtur poſſe ſuſtineri, quia ægrè percipitur ſpeciem, quæ anteà non poterat repræſentare ſui objecti exiſtentiam, poſſe poſteà repræſentare talem exiſtentiam, & tamen remanere intrinſecè in ſe invariatam; ſi primum aſtruatur, concedendum eſt poſita conditione actualis exiſtentiæ advenire intellectui Angelico novam entitatem, per quam ſpecies antecedenter infuſa mutetur intrinſecè; at talis nova entitas, cur non dicitur potiùs nova ſpecies, quàm novus modus ſpeciei præcedentis? Sed contrà: dicu

113\. *Species repræſentans eſſentiam poteſt repræſentare exiſtentiam abſque intrinſecâ ſui mutatione.*

poſitâ conditione, &c. ſpecies infuſas non mutari intrinſecè, nec debet videri difficilius ſpeciem, quæ anteà non poterat repræſentare exiſtentiam, poſſe deindè repræſentare abſque mutatione intrinſecâ, quàm ignem, qui antè approximationem non poterat comburere, poſſe poſtea abſque intrinſeca ſui mutatione comburere; voluntatem, quæ antequam objectum eſſet cognitum, nõ poterat illud amare, poſſe poſteà abſque intrinſecâ ſui mutatione ipſum amare; & in univerſum dari cauſas, quæ ad operandum requirant aliquid tanquam conditionem purè extrinſecam; cur ergo ægrè percipietur ſpeciem ad repræſentandum objectum exiſtens requirere aliquid non per quod intrinſecè mutetur, ſed quod ſit conditio purè extrinſeca?

Dices ſecundò: Dependentia ab aliquo tanquam ab extrinſecâ conditione non debet poni ſine urgentiſſima aut ratione aut experientia; atqui in propoſito, tùm ratio tùm experientia ſuadet potiùs independentiam quam dependentiam ſpeciei ab exiſtẽtia objecti in actuali ipſius repræſentatione; ergo malè dicitur ſpecies à tali exiſtentia tanquã à conditione pendere: Minor probatur quoad rationem; exiſtentia ad hoc ut terminet cognitionem non eſt neceſſe, quod ſit actualis; terminatio enim in objecto eſt denominatio purè extrinſeca, quæ ſicuti poteſt cadere ſuprà non actualem quiditatem, ità etiã ſuprà non actualem exiſtentiam; atqui ſpecies, ut in actu ſecundo repræſentet futurum quoad an eſt, non requirit exiſtentiam niſi ut terminum cognitionis; ergo non requirit exiſtentiam actualem, nec ab iſta tanquam à conditione extrinſeca dependet: Minor eadem probatur quoad experientiam in oculo, in quo, ſi deſtructo objecto viſibili remaneat eadem ſpecies, remanet eadem viſio; adeoque ſpecies in actu ſecundo repræſentat objectum exiſtens etiam poſt ſublatam objecti exiſtentiam, ſignum igitur evidens eſt ſpeciem in actuali repræſentatione objecti exiſtentis non dependere tanquam à cõditione ſine quâ non ab actuali ipſius exiſtentia. 114

Sed contrà: nego minorem; ad cujus primam probationem diſtinguo, exiſtentia ad hoc ut terminet cognitionem ex genere ſuo non eſt neceſſe, quod ſit actualis, concedo; ad hoc ut terminet cognitionem talem, id eſt immediatam & per ſpeciem propriam, nego, vel datâ abſolutè majori nego minorem, & dico exiſtentiam in ordine ad cognitionem futurorum quoad an eſt non requiri præcisè tanquam cognitionis terminũ, ſed etiam tanquam conditionem ſe tenentem ex parte principij, & ex hoc capite debere eſſe actualem, quia aliquid non actuale ſicut non poteſt eſſe principium, ità etiam non poteſt eſſe conditio ſe tenens ex parte principij: Neque dicas nos afferre pro ratione quod eſt in quæſtione, dum dicimus exiſtentiam pro cognoſcendis futuris quoad an eſt non requiri præcisè ut terminum cognitionis, quia requiritur etiam ut conditio ſe tenens ex parte principij: Contrà enim afferimus quidem pro ratione quod eſt in quæſtione, at non pro ut eſt in quæſtione ſed ut infrà probandum *num. ſeq.* 115

Ad ejuſdem minoris ſecundam probationẽ do quod de oculo affertur; at dico diverſam eſſe rationem de ſpecie inſerviente intellectui, ac de ſpecie inſerviente ſenſui, quia ſpecies inſerviens ſenſui per hoc, quòd repræſentet exiſtentiam rei actu non exiſtentis nullam inducit in ſenſatione falſitatem, cum ſenſatio ſicuti nihil de ſuo objecto judicat, ità nullam habet aut falſitatem aut veritatem; ſpecies verò inſerviens intellectui per hoc quòd repræſentaret exiſtentiam rei actu non exiſtentis induceret

116\. *Species ſenſibilis ad repræſentandum objectum exiſtens nõ indiget cõditione actualis exiſtentiæ.*

duceret falſitatem in intellectione, quia intellectus judicaret rem exiſtere; dicere autem quod cognitio immediata rei in ſe ipſa & per ſpeciem propriam poſſit eſſe falſa, eſt intercludere intellectui viam omnem certificandi ſe de aliqua veritate ut ſuprà attigimus *num.* 106. Porrò intellectus judicaret rem exiſtere, quia ſicuti ſpecies objecti viſibilis ſivè ſit objecti verè à parte rei exiſtentis, ſivè ſit in oculo conſervata deſtructo objecto, ſivè ſit in oculo producta antecedenter ad exiſtentiam objecti ſemper eamdem viſionem cauſat; ità ſpecies objecti intelligibilis, quæ in ordine ad repræſentandum objectum exiſtens eſſet ejuſdem rationis cum ſpecie objecti viſibilis, adeò ut non penderet ab objecti exiſtentiâ, eamdem ſemper cauſaret intellectionem, vi cujus intellectûs ſemper judicaret, *res exiſtit*, ſive objectum in ſe eſſet exiſtens actu, ſivè eſſet præteritum, ſivè eſſet futurum.

Dices tertiò: Vel ſpecies repræſentans intellectui Angelico immediatè quoad An eſt futura independenter à conditione actualis exiſtentiæ repugnat ex natura rei, vel non; ſi repugnat ex natura rei, ergo neque divinitùs eſt dabilis, & tamen in libris de Incarnatione ſolet concedi infuſa divinitùs Chriſto Domino ſcientia futurorum omniũ in ſe ipſis: Si non repugnat ex naturâ rei, ergo quod de facto ſpecies Angelis infuſæ à tali conditione dependeant provenit ex voluntate Dei extrinſecâ, non ex naturâ rei; & per conſequens naturalis incognoſcibilitas futurorum in ſe ipſis reſolvitur in voluntatem Dei extrinſecam, non in rationem aliquam phyſicam & principium intrinſecũ.

117. Sed contrà: non deſunt quidam aſſerentes hujuſmodi ſpeciem eſſe ex naturâ rei repugnantem & prorsùs impoſſibilem, proptereaque Chriſtum per ſcientiam infuſam habere quidem de futuris evidentiam in atteſtante, at non evidentiam immediatam: Nihilominùs vel ſermo eſt de ſpecie connaturali & debita intellectui creato; vel de ſpecie etiam ſupernaturali & cuilibet intellectui creato indebita; quidquid ſit de iſta, de quâ agetur cum de ſcientiâ Chriſti, dico illam repugnare ex naturâ rei, quatenùs nec intellectus, nec objectum poteſt illam exigere; non intellectus, quia ſi intellectus peteret ſpeciẽ repræſentativam futuri quoad exiſtentiam independenter à conditione actualis exiſtentiæ peteret ſpeciem eodem modo repræſentativam exiſtentiæ futurorum quando non eſſet poſita ac quando eſſet poſita conditio actualis exiſtentiæ; adeóque peteret ſpeciem, quâ inevitabiliter duceretur in judicium falſum, & de futuro ſemper affirmans *exiſtit*, ut jam attigimus *n. præced.* Non poteſt etiam talem ſpeciem exigere objectum, quia objectum non habet jus niſi ad ſpeciem ſimilem ei, quam per ſe poteſt producere; certum eſt autem objectum ſolùm poſſe producere ſpeciem, vi cujus affirmari poſſit *exiſtit*, non vi cujus affirmari poſſit *exiſtet*. Et hinc manet probatum tùm incognoſcibilitatem naturalem futurorum in ſe ipſis non reſolvi præciſè in voluntatem Dei extrinſecam, tùm (quod remanebat probandum ad plenam ſolutionem præcedentis inſtantiæ) exiſtentiam pro cognoſcendis futuris in ſe ipſis non requiri præciſè ut cognitionis terminum; non enim poteſt ſic præciſè requiri, quoties intellectus, ut mox oſtenſum eſt, pro naturali cognitione futuri quoad exiſtentiam poſtulat ſpeciem dependentem à conditione actualis exiſtentiæ.

Species repræſentativa futurorũ quoad *An eſt*, utrùm divinitùs repugnet.

Dices quartò: ſpecies repræſentant per modum imaginis, & ſpecies futurorum ſunt tanquam futurorum imagines; ſed imagines repræſentant ſua exemplaria independenter ab actuali ipſorum exiſtentia; ergo ſpecies futurorum poſſunt repræſentare futura independenter à futurorum exiſtentiâ. Sed con- 118.
trà: loquimur hìc de repræſentatione futurorum quoad An eſt, ſeu quoad exiſtentiam; imagines autem repræſentant ſua exemplaria abſtrahendo omninò ab exiſtentiâ, adeò ut etiam quando exemplar actu exiſtit, talis exiſtentia in imagine non reluceat; ideò inſtantia non tam probat ſpecies futurorum in ipſis repræſentandis non dependere à conditione actualis exiſtentiæ, quàm eaſdem nunquam repræſentare futura quoad exiſtentiã, quod etiã ſecundùm Adverſarios falſum eſt, aliud eſt igitur loqui de imagine, quæ eſt medium cognitum, cujuſmodi ſunt imagines tùm naturales tùm artificiales; aliud de imagine, quæ eſt medium incognitum, cujuſmodi ſunt imagines intentionales & ſpecies, nec eſt in utriſque ſupponendus idem repræſentandi modus.

Imago intentionalis eſt medium incognitũ, cæteræ ſunt media cognita.

---

§. XI.

An & quomodo Angelus naturaliter cognoſcat præterita.

ASSERT. I. Ea præterita, quæ reliquerunt aliquem effectum naturaliter ab Angelo cognoſcibilem, poſſunt in tali effectu naturaliter ab Angelo cognoſci, etiamſi Angelus nullatenus ea cognoverit, quando præſentia fuere. Eſt aſſertum receptiſſimum. 119.

Probatur, quia ex unâ parte præterita non debent eſſe ab Angelo minùs cognoſcibilia, quàm futura; ex alia parte effectus habent connexionem cum rebus præteritis eo ferè modo, quo cauſæ cum rebus futuris; ſicuti igitur in cauſis futurorũ poteſt Angelus naturaliter cognoſcere res futuras cognitione aut certâ aut conjecturali, pro ut aut neceſſaria aut contingens eſt connexio cauſæ cum effectu, ità in effectibus præteritorum poteſt Angelus naturaliter cognoſcere res præteritas cognitione pariter aut certâ aut conjecturali, prout &c. Sicuti inſuper in cauſis futura cognoſcuntur, abſque eo quod ipſorum aliqua alia cognitio præceſſerit; ità & cognoſcentur præterita in effectibus abſque eo quod fuerint aliàs cognita, & ideò appoſui particulas illas *etiamſi Angelus nullatenus ea cognoverit*, *&c.* Neque in hoc ulla eſt controver

Circà naturalem cognitionem præteritorum in Angelo quænam certa

controverſia, quæ item nulla eſt in eo, quòd Angelus poſſit naturaliter cognoſcere præterita, quæ actu cognovit quando fuerunt præſentia; licèt deindè nullum effectum nullumque ſui veſtigium reliquerint præter ſpeciem actus, quo Angelus ea cognovit: Duo tamen remanent, quæ controverſiâ non carent: 120. Quænam controverſa ſint? Primum eſt, utrùm poſſit Angelus naturaliter habere aliquam cognitionem præteritorum, quæ nec ullum ſui veſtigium reliquerunt, nec innotuerunt Angelo quando fuerunt præſentia? Secundum eſt, per quamnam ſpeciem cognoſcat ea præterita quæ antecedenter vidit in ſtatu exiſtentiæ, utrùm ſcilicet per ſpeciem infuſam ipſius rei præteritæ, an per ſpeciem relictam ex actu antecedenti? quam quidem utramque ſpeciem in Angelo admittimus, & primam certè tenetur aſtruere quiſquis aſtruit in Angelo ſpecies infuſas omnium rerum exiſtentium; nulla enim res eſt præterita, quæ non fuerit aliquando exiſtens; Quales ſint in Angelis ſpecies præteritorum. Secundam inferimus ex eo, quod ſi actus intellectus Angelici non relinquerent in ipſo proprias ſpecies, carerent Angeli memoriâ intellectivâ; Sentiendum igitur tales actus, quando ſunt præſentes cognoſci quidem ab eliciente nec per ſpecies à Deo infuſas, nec per ſpecies à ſe emiſſas ſed per ſe ipſos juxtà ſupradicta §. 3. quia tamē tranſeunt producere ſpeciem quâ mediante cognoſci poſſint poſtquam tranſierint; producere inquam non liberè, ſicuti producerent in intellectu alieno, ſed neceſſariò & per modum emanationis; experimur enim in nobis ipſis noſtros actus independenter ab omni voluntatis imperio ſui ſpecies relinquere; & ſicut divina eſſentia præſtit concurſum objectivum ad intrà neceſſariò; ad extrà liberè; ita nil mirum actus Angelicos neceſſariò producere ſuas ſpecies intra ſubjectum proprium, eaſdemque extrà tale ſubjectum aut non producere aut producere liberè.

121. Aſſert. 2. Ea præterita, quæ nec ullum ſui veſtigium reliquerunt, nec innotuerunt Angelo, quando fuerunt præſentia, nullatenùs poſſunt ab Angelo naturaliter cognoſci. Ità Suarez *hic lib. 2. cap. 12.* Amicus *diſp. 11. num. 59.* Dequiros *diſp. 65. ſect. 1.* Ioannes à S. Thomâ *diſp. 23. art. 2. num. 30.* Gonet *diſput. 8 art. 4. §. 4.* alijque Theologi magis communiter contrà Vaſquium *diſput. 208. cap. 4. num. 20.* & Arriagam *diſput. 9. ſect. 3. n. 20.* concedentes naturalem cognitionem talium præteritorum in ſe ipſis.

Probatur primò: talia præterita nec mediatè & in alio; nec immediatè & per proprias ſpecies in ſe ipſis poſſunt naturaliter ab Angelo cognoſci; ergo nullatenùs; probatur antecedens, non mediatè & in alio, quia hoc aliud deberet eſſe aliquod veſtigiū ab ipſis relictum; non immediatè & per proprias ſpecies, quia ſpecies Angelis infuſæ nō repræſentant objectum exiſtens & quoad *an eſt*, niſi poſitâ conditione actualis exiſtentiæ; 122. Futurorum & præteritorum paritas quoad immediatā incognoſcibilitatem. atqui præterita carent cōditione actualis exiſtentiæ & ab exiſtentiâ diſtant æquè ac futura; ergo ſunt quoad *An eſt* immediatè & per proprias ſpecies incognoſcibilia naturaliter ab Angelo æquè, ac futura: Huic præteritorū ad futura paritati favet Scriptura, quæ aliquando præteritorum non minùs, quàm futurorum cognitionē ponit tanquam Dei propriam & ſignum divinitatis ſic *Iſa. 41* habetur, *Accedant & nuntient nobis quacumque ventura ſunt priora quæ fuerunt nuntiate, &c. & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* Scio quidem ly *priora quæ fuerunt* ab Origene non intelligi de rebus creatis præteritis, ſed de divinitatis initiis, quæ fuerunt antè mundum; ab aliis non referri ad ly *& ſciemus quia Dij eſtis*, ſed præcisè ad verba immediata *& ponemus cor noſtrum, & ſciemus noviſſima eorum* quaſi diceretur, tam idola neſciunt præterita quàm nos futura: Nihilominùs hiſce explicationibus ſuadetur quidèm ſcripturam non adeò expreſsè in ſignum divinitatis aſſumere præteritorum, ac futurorum notitiā; & naturalem præteritorū incognoſcibilitatē non eſſe de fide eodem modo, quo eſt incognoſcibilitas futurorum; at non inferrur ipſam tali incognoſcibilitati non favere, nec poſſe ly *priora quæ fuerunt* intelligi de præteritis in aſſerto memoratis & referri ad ly *& ſciemus quia Dij eſtis*, accedēte præſertim auctoritate D. Hieronymi, qui ſuper ea verba ait *Dicite nobis vel præterita vel futura, & ex eorum eventibus veſtram potentiam demonſtrate* Cōfirmatur ex eo, quod in nobis æquè difficilè eſt cognoſcere in ſe ipſis præterita, ac futura, & prophetia aliquando in præterita cadit ut in futura; undè Moyſem dici Prophetam, quia narravit præterita & facta in mundi exordio advertit ex nonnullis Sanctis Patribus Gonet *præcit. §. 4. n. 99.*

Probatur ſecundò: Præterita, quæ nec ullū ſui veſtigium reliquerunt, nec innotuerunt quando fuerunt præſentia, eodē modo ſe habent ac ſi nunquam extitiſſent; ſed ſi nunquā extitiſſent nullatenùs poſſent naturaliter ab Angelis cognoſci præſertim immediatè in ſe ipſis, remanſiſſent enim in ſtatu futuritionis; ergo etiā de facto talia præterita nullatenùs poſſunt naturaliter cognoſci præſertim, &c. quia eo ipſo quòd eodē modo ſe habēt, ac ſi nunquā extitiſſent, eodē modo ſe habent, ac ſi eſſent in ſtatu futuritionis; eademque eſſet ratio de ipſis, quæ de futuris ſuppoſitâ pro utriſq; infuſione ſpecierū, & hoc ultrò nobis cōcedit Arriaga *loco præcit.* ubi etiā Vaſquiū arguit inconſequentiæ, & naturalē incognoſcibilitatē in futuris, non in præteritis, explicat per hoc, quod poſſint Angelo naturaliter infūdi ſpecies præteritorū non ſic futurorum. 123.

Aſſert. 3. Ea præterita, quæ innotuerunt Angelo quando fuerunt præſentia, poteſt Angelus naturaliter cognoſcere non per ſpecies ipſorū ab initio infuſas, ſed per ſpeciem relictam ex actu præcedentis notitiæ Prima pars eſt ſpecialiter cōtrà Lugum *diſp. 10. c. 4. n. 7.* docentem Angelo, qui rem præſentem vidit, ſufficere propriam ipſius ſpeciem infuſam ad eandē rem jam præteritā cognoſcendam ut exiſtentē tali tempore præterito. Secunda pars eſt ſpecialiter contra Vaſquium *c. præcit. n. 19.* negantem relinqui ex actibus

P ſpeciem

ſpeciem aliquam in intellectu. Totum aſſertum ſuſtinent Suarez, Amicus, Ioannes à S. Thomâ, Gonet ſuprà relati.

124. *Præterita, quæ præſentia innotuerunt adhuc non cognoſcuntur per proprias ſpecies.*

Probatur prima pars. Ex eo quod præterita innotuerint, quando fuerunt præſentia, ſpecies ipſorum infuſæ nullâ ſubeunt mutationem aut modificationem intrinſecã ex præcedenti *num.* 113. ergo tales ſpecies non poſſunt conferre ad cognitionem talium præteritorum magis, quàm ſi quando fuerunt præſentia non innotuiſſent; atqui in hoc ſecundo caſu nequeant præterita per proprias ſpecies ab Angelis immediatè cognoſci, ergo nec in illo primo; cum præſertim conditio actualis exiſtentiæ in utroque caſu eodem modo ſe habeat, in utroque ſcilicet ſit præterita, in neutro præſens actualis exiſtentia. Confirmatur, in reliquis cauſis dependentibus in operando ab aliquâ conditione, requiritur talis conditio de præſenti, nec ſufficit quòd præceſſerit, ut patet in approximatione reſpectu ignis, in cognitione objecti reſpectu voluntatis; ergo cum ſpecies in repræſentando rem aliquam quoad *an eſt* requirant conditionem actualis exiſtentiæ, nõ poterunt quoad *An eſt* repræſentare præterita, reſpectu quorum præceſſit quidem conditio actualis exiſtentiæ, at non datur de præſenti.

Dices: Species acquiſitæ poſſunt ſe ſolis ducere in cognitionem rerum præteritarum, quas antecedenter cognovimus; ergo etiam id præſtare poſſunt in Angelis ſpecies infuſę utpotè quæ æquivalent & præeminẽt acquiſitis; antecedẽs probatur, quia ut recordemur rei aliàs cognitæ neceſſe nobis non eſt uti ſpecie actus, quo talẽ rem cognovimus; ſæpè enim experimur nos recordari rei aliàs cognitæ nõ cognoſcendo actum, quo illam cognovimus.

125. *Memoria ſit ne reflexiva.*

Sed contrà: docent aliqui memoriam eſſe eſſentialiter reflexivã, nec unquàm recordari nos rei aliàs cognitæ, niſi reflectẽdo & cognoſcendo actum quo illam cognovimus, quamvis talis reflexio ſit aliquando adeò implicita & adeò tenuis, ut ad illam nõ advertamus; & iuxtà hanc doctrinam poteſt abſolutè negari antecedens; nihilominùs vel ſermo eſt de cognitione immediatâ, vel de cognitione mediatâ; ſi de immediatâ, dico per nullã prorsùs naturalem ſpeciem ſivè infusã ſive acquiſitã haberi poſſe talẽ cognitionẽ de re præteritâ quoad ipſius præteritã exiſtentiam; ſi de mediatâ, dico hanc per ſpecies acquiſitas haberi poſſe etiã nullatenùs reflectendo ſuprà actum quo rem cognovimus, quando fuit præſens; non ſic per ſpecies infuſas: ratio eſt quia ſpecies acquirũtur per cognitionem objecti exiſtentis, ideò eo ipſo quòd quis cognoſcit ſe habere ſpeciẽ acquiſitam alicujus rei, inferre poteſt talem rem aliàs extitiſſe, ſeque aliàs eam cognoviſſe; at ſpecies infuſæ in ſuâ infuſione neque cognitionem neque exiſtentiam proprij objecti ſupponunt, ideò ex eo quod Angelus cognoſcat ſe habere ſpeciem infuſam alicujus rei, non magis inferre poteſt talem rem extitiſſe quàm non extitiſſe; ſe aliàs ipſam cognoviſſe, quàm non cognoviſſe: Ecce quomodò ſpecies acquiſitæ potiùs quàm infuſæ ducere poſſunt ſe ſolis in cognitionem aliquam, mediatam tamen, rerum præteritarum, quæ fuerint antecedenter cognitæ: Quod autem dicebatur ſpecies infuſas æquivalere acquiſitis, & præſtare id, quod præſtant acquiſitæ verum eſt non in ordine ad quamcumque cognitionem, ſed in ordine ad cognitionem immediatam, pro quâ ſolâ exercent formale munus ſpeciei, & rationem medij incogniti.

Diſcrimen ſpecierum acquiſitarum ab infuſis in ordine ad objecta præterita.

126. *Præterita quomodo cognoſcantur per ſpeciem actus, quo innotuerũt præſentia.*

Probatur ſecunda aſſerti pars, & quidem quod actus intellectionis Angelicæ ſuam ſpeciem in eliciente relinquat, breviter iam oſtenſum *num.* 120. nec operæ pretium eſt aliquid addere contrà Vaſquium in re, quam ipſe attingit ex principio purè philoſophico, eóque valdè controverſo: Quod deinde talis ſpecies poſſit Angelo inſervire ad cognoſcendã rem præteritam antecedenter cognitam eo actu, ex quo ſpecies ipſa relicta eſt, probatur quia talis ſpecies ducendo in cognitionem actus ducit etiam in cognitionem objecti, & quidem exiſtentia pro eo tempore, pro quo extitit actus, alioqui non duceret in cognitionem illius actus, cujus eſt ſpecies, ſed diverſi; ex alia parte Angelus attingendo idem objectum per ſpeciem infuſam, & non videndo nunc ipſius exiſtentiam, cognoſcit tale objectum extitiſſe, & nunc non exiſtere in quo formaliter conſiſtit eſſe præteritum; ſicque ſpecies infuſa indirectè concurrit ad inducendam certitudinem præteritorum, quatenùs licèt non ducat in notitiam exiſtentiæ præcedentis, ducit tamen in notitiam non exiſtentiæ præſentis, quæ non exiſtentia requiritur ad completam rationem præteriti.

Dices: actus qui ſpeciem ſui reliquit, eſt præteritus; & tàm non exiſtit, quàm non exiſtat eius objectum; atqui hoc non obſtante per ſpeciem à ſe relictam immediatè cognoſcitur; ergo pariter eius objectum præteritum cognoſcetur immediatè per ſpeciẽ propriam, & nõ ſolùm mediatè per ſpeciẽ actus cuius fuit objectum; minor probatur, quia ex doctrinâ communi ſpecies propria contra diſtinguitur ab alienâ per hoc quod repræſentet ſuum objectũ immediatè, & ut ratio incognita. Sed contrà Angelus non cognoſcit proprium actum præteritum, niſi cognoſcendo ſpeciem ipſius eſſe acquiſitam & per conſequens ſupponentem extitiſſe actum, ex

127. *Actus per ſpeciẽ à ſe relictam nõ cognoſcitur immediatè quoad exiſtentiã.*

quo relicta ſeù acquiſita eſt; adeoq; per ſpeciem ex actu relictam ſolùm mediatè & illativè actum cognoſcit iuxta doctrinam poſitam ſub *præced: num.* 125. propterea ad præſentem inſtantiam nego abſolutè minorem, ad cuius probationem dico ſpeciem propriã quamvis non repræſentet immediate ſuum objectum quoad exiſtentiam, quando actu non exiſtit, & vel præteritum eſt vel futurum, repræſentare tamen ipſum immediatè tùm quoad exiſtentiam quando actu exiſtit tùm ſemper quoad quiditatem, & per hoc ſufficientiſſimè diſtingui à ſpecie alienâ, cui nulla prorsùs convenit immediata repræſentatio objecti, cui eſt aliena.

Vrgebis

Vrgebis: Actus præteritus de quo in præſenti fuit intuitio, ergo ſpecies ex ipſo relicta eſt intuitiva, ergo repræſentativa ipſius immediatè etiam quoad exiſtentiam. Sed cótrà: ſpecies propriè intuitiva eſt, quæ cauſat, non quæ repræſentat intuitionem; inſtantia autem probat ſpeciem, de quâ in præſenti, repræſentate, at non probat cauſare intuitionem; ideò concedo antecedens, nego conſequentiam.

Ex dictis habetur præterita conſiderari poſſe vel quoad quid eſt, ſeu quiditatem, vel quoad an eſt, ſeu exiſteoriam: primo modo omnia, ſecundo modo nulla poſſunt ab Angelo naturaliter cognoſci immediatè in ſe ipſis; mediatè deindè cognoſci poſſunt aliqua ex ſpeciebus actuum præcedentium in Angelo relictis, aliqua ex veſtigiis & effectibus relictis extrà Angelum, aliqua utroq; ex his modis, aliqua neutro: undè etiam aliqua præterita, maximè ex ſecretis & actibus liberis alienis, remanent pluribus Angelis prorsùs incognoſcibilia, niſi ſpecialiter manifeſtétur.

§. XII.

An & quomodò Angelus naturaliter cognoſcat poſſibilia.

128. Purè poſſibilia non cognoſcuntur ab Angelis immediatè.

ASSERT. 1. Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere immediatè, & in ſe ipsâ, rem aliquam purè poſſibilem. Colligitur hoc aſſertum ex D. Thomâ *1. p. q. 56. art. 2. ad* 4. & paſſim indicatur à Thomiſtis, tradunt etiam illud ex Recentioribus Lugus *diſp.* 10 *c.* 4. *n.* 18. Suarez *lib.* 2. *c.* 14. Averſa *q.* 57. *ſect.* 1. Arriaga *diſp.* 9. *n.* 31. *&c.* contrà Dequiros *diſp.* 63. *ſect.* ; *n.* 14. alioſque nonnullos.

Probatur; Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere immediatè, & in ſe ipsâ, rem aliquam purè poſſibilem, niſi per ſpeciem ipſius ſibi infuſam; atqui non habet ſpeciem infuſam alicujus rei merè poſſibilis; ergo non poteſt naturaliter &c. Major eſt manifeſta ex noſtris principiis; cum enim ex una parte nequeat per nos Angelus alia à ſe immediatè cognoſcere aut ex putà efficacitate intellectus, aut per habitum ſcientialem, aut per propriam ſubſtantiam; & ex alia parte certum ſit rem purè poſſibilem non poſſe per ſe ipſam præſtare objectivum concurſum, aut ſpeciem producere, conſequens eſt Angelum non poſſe talem rem immediatè intelligere aliter, quàm per ſpeciem ipſius infuſam; Minor probatur, quia Deus de facto infudit Angelis ſolas ſpecies rerum pro aliqua differentia temporis exiſtentium; primò

129. Nec pro ipſis infuſæ ſunt ullæ ſpecies.

quia ſicuti has ſolas poſſent Angeli ex objectis accipere, ſi per ſpecies ex objectis acceptas intelligerent, ità eaſdem ſolas petunt ſibi à Deo infundi; ſecundò quia ſicuti habent ſpecies omnium rerum exiſtentium, ità non eſſet major ratio tribuendi Angelis ſpecies aliquarum, quàm omnium rerum poſſibilium; tertiò quia vel ſermo eſt de purè poſſibilibus nullâ habentibus cum hoc univerſo connexionem, & hæc ſicuti nullatenùs ſpectant ad hoc univerſum, ità nec ad Angelos in hoc univerſo exiſtentes; vel ſermo eſt de habentibus connexionem aliquam, & pro his ſufficit Angelis cognitio mediata, de quâ infra; In iis enim, quæ ſolùm abſtractivè poſſunt cognoſci, cognitio immediata mediatè non admodùm præeminet, cum utraque ſit intrà idem genus abſtractivæ notitiæ.

Dices: Si Angelus nullam haberet ſpeciē infuſam alicujus rei merè poſſibilis poſſet certò præcognoſcere futura etiam libera; at hoc eſt falſum *ex ſuperiore* §. 9. ergo; probatur ſequela majoris, Angelus habet ſpecies omnium futurorum, per quas ea antequam exiſtant cognoſcit quoad quiditatem; dum igitur ex unâ parte per ſpeciem cognoſceret aliquam quiditatem non attingendo exiſtentiam, & ex aliâ ſciret ſe non habere ſpeciem alicujus rei merè poſſibilis, omninò colligeret talem quiditatem, nec eſſe actu exiſtentem, nec eſſe merè poſſibilem, & per conſequens eſſe futuram. Sed contrà: ſicuti tanquam probabile, non tanquam certum aſtruimus nullam ineſſe Angelis ſpeciē rerum merè poſſibilium, ità Angelus circà talem veritatem, aut aſſenſum omnem ſuſpendet, aut aſſenſum præſtabit ſolùm probabilem, ex quo per conſequens ad ſummum probabiliter inferet quiditatem aliquam eſſe futuram; imò in re neque probabiliter id poterit inferre determinatè, ſed ſolùm indeterminatè & ſubdiſjunctò eſſe aut futuram, aut præteritam; ſolùm enim hoc diſjunctum deducitur ex eo, quod quiditas nec ſit merè poſſibilis, nec actu exiſtens.

130. Id tamen & nobis & Angelis ipſis conſtat ſolum probabiliter.

Dices inſuper: Species rerum merè poſſibilium ſunt ſpecies objectorum naturalium & naturaliter cognoſcibilium, ergo ſunt ſpecies naturales; ergo non ſunt negandæ Angelis, idque confirmatur, quia tales ſpecies nihil aliud præſtarent, quàm repræſentare rem præcisè ſub ratione poſſibilitatis; atqui conceduntur Angelis de facto aliquæ ſpecies taliter repræſentantes, ut ſpecies futurorum antequam exiſtant; imò quæ nunquam aliter repræſentant, ut ſpecies præteritorum quæ non innotuerunt, quando fuerunt præſentia; ergo concedendæ ſunt Angelis etiam ſpecies rerum merè poſſibilium. Sed contra: concedo antecedens cum primâ conſequentiâ, nego ſecundam, non enim omne naturale eſt debitum; nos autem negamus de facto Angelis ſpecies rerum merè poſſibilium præcisè tanquam non debitas. Neque urgeas, quodlibet accidens naturale quamvis non ſit debitum cuicumque ſubjecto, eſt tamen debitum alicui, atqui ſpecies rerum merè poſſibilium nullum habent ſubjectum, cui ſint debitæ, ſi non ſunt debitæ Angelis; ergo aut non ſunt ſpecies naturales, aut ſunt Angelis debitæ: Contrà enim; accidenti naturali ſufficit deberi alicui ſubjecto creabili, nos autem libenter concedimus creabilem eſſe Angelum cui ſint debitæ ſpecies aliquarum, imò etiam omnium

131. Species rerum merè poſſibilium non ſunt ſupernaturales.

rerum merè poſſibilium Ad confirmationem dico, quod tales ſpecies nihil aliud præſtarent, & inſuper nihil aliud præſtare poſſent; at ſpecies præteritorum & futurorum quamvis aliquando nihil aliud præſtarent, id eis eſſet per accidens, & per ſe ac ex naturâ ſuâ poſſent aliquid aliud præſtare; poſſent ſcilicet repræſentare exiſtentiam & ad hanc eſſent primariò ordinatæ.

Aſſert. 2. Angelus poteſt naturaliter cog-
132. noſcere mediatè & in rebus exiſtētibus plures res merè poſſibiles, etiã ex producibilibus à ſolo Deo. Ità omnes communiſſimè.

Angelus cognoſcit mediatè plures res merè poſſibiles.

Probatur & explicatur: ſicuti nos per res exiſtētes diſcurrendo facilè inferimus plures res nũquã extituras producibiles vel ab ipſis cauſis creatis, ut plures homines quam ſint homines futuri, plures item actus intellectus, plures actus voluntatis, plures gradus caloris &c. vel etiam à ſolo Deo ut alios Angelos, alios Cœlos, alium mundum &c. ità multo magis præſtare id poterit Angelus, qui & plures res exiſtentes & ſingulas meliùs cognoſcit.

Dubitatur hic: Vtrùm Angelus àdeò perfectè penetrèt, virtutem cauſarum creatarũ ut in ea cognoſcere poſſit effectus ab ipſis producibiles tùm quoad omnes rationes ſpecificas, tùm quoad omnia individua.

Reſpondeo primò poſſe cognoſci effectus
133. producibiles quoad omnes rationes ſpecificas, dummodò adæquatè contineantur in cauſis creatis exiſtentibus; probatur ex eo quòd in ordine ad diverſas rationes ſpecificas effectuum dantur in cauſis diverſæ habitudines, Angelus autem comprehendendo cauſas debet cognoſcere diverſas habitudines cujuſlibet cauſæ, eo ipſo enim quòd tales habitudines ſunt diverſæ important etiam diverſam in cauſa perfectionem: *Dixi dummodò adæquatè contineantur*, &c. propter actus vitales intellectus præſertim & voluntatis, quos ſi Angelus cognoſceret ſecundùm omnes differentias ſpecificas poſſibiles ſimul attingeret omnes differentias entis per tales actus cognoſcibiles, & per conſequens attingeret omnia prorsùs entia poſſibilia in ordine naturali; talium igitur actuum quidam adæquatè continentur in rebus exiſtentibus, quia ſunt de objectis exiſtentibus; quidam continentur ſolùm inadæquatè, ſecundùm illud ſcilicet quod dicunt ex parte potentiæ, non ſecundum illud quod dicunt ex parte objecti, quia ſunt de objectis purè poſſibilibus, & iſtorum omnes rationes ſpecificas Angelus non cognoſcit.

Non cognoſcit tamē omnes differentias ſpecificas actuum producibilium ab intellectu creato.

Reſpondeo ſecundò quoad individua adhi-
134. bendam in primis eſſe limitationem mox allatam pro rationibus ſpecificis; ex individuis deindè, quæ adæquatè continentur in cauſis creatis exiſtentibus quædam ſunt homogenea, & æqualis omninò perfectionis ut duo primi gradus caloris; quædam etherogenea & perfectionis inæqualis ut duæ cognitiones quarum una ſit clarior alterâ circà idem objectum: Quoad individua ſecundi generis crediderim poſſe ab Angelis omnia diſtinctè & in particulari cognoſci, ſecùs quoad individua, primi generis; ratio eſt quia individua ſecundi generis ſunt reſpectu cujuſlibet cauſæ particularis in numero finito, & determinato, & terminant habitudines perfectionis inæqualis, quibus propterea ignoratis ægrè poteſt ſuſtineri cauſæ comprehenſio; Individua verò ſecundi generis ſunt reſpectu cujuſlibet cauſæ infinita, & terminant habitudines quarum una aliam compenſat, & quarum pluralitas non auget cauſæ æſtimabilitatem ipſis propterea diſtinctè & in particulari non attactis poteſt optimè cauſa comprehendi ut dicebamus *tr.1.l.3.c.2.n.35.* in ordine ad iſta diſtinctè & in particulari cognoſcenda, poteſt & debet extendi virtus naturalis Angelica.

Non cognoſcit item in particulari omnia individua homogenea.

§. XIII.

An & quomodo Angelus naturaliter cognoſcat res ſupernaturales quoad modum?

ASSERT. 1. Res ſupernaturales quoad modum, poſtquã ſunt factæ exiſtentes, poſſunt ſecundùm ſe naturaliter ab Angelo cognoſci æquè, ac cæteræ res nullatenùs ſupernaturales. Ità Vaſquez *hic diſp.214.c.3.* Lugus *diſp.12.ſ.1.n.19.* Eſparza *l.2.q.14.a.11.* Madernus *q.3.a.15.n.5.* Averſa *q.57.ſect.8.* aliique Recentiores communiter, & à fortiori Scotiſtæ tribuentes Angelis naturalem cognitionem rerum ſupernaturalium quoad ſubſtantiam; Thomiſtæ etiam oppoſitum non ſentiunt, quamvis parciùs in hoc puncto loquantur. 135.

Dixi *Res ſupernaturales quoad modum* ſuppono enim tritam diviſionem entium ſupernaturalium in ea, quæ ſunt ſimpliciter & abſolutè ſuprà vires naturæ creatæ ut unio hypoſtatica, viſio beata, &c. & in ea, quæ ſunt ſuprà vires naturæ creatæ ſolùm ſecundum quid, ſolùm ſcilicet ſecundũ aliquas circumſtantias, & modum fiendi, non ſecundùm entitatem rei, quæ fit; illa dicuntur ſupernaturalia quoad ſubſtantiam, iſta quoad modum, illa etiã à Thomiſtis & majori parte Recentiorum dici ſolent ſupernaturalia intrinſecè & ſecundùm propriam formalem entitatem; iſta ſupernaturalia extrinſecè, & relatè ad agens, verùm in hoc ſenſu allatam diviſionē non admittit Scotus, cui propterea aliqui tribuunt quod negaverit omnia entia creata quoad ſubſtantiam ſupernaturalia; hæc tamē non negavit niſi in ſenſu mox ex Thomiſtis allato, nec certè ſubtilis Doctor contendit viſionem beatam, gratiam ſanctificantem, & hujuſmodi alia non eſſe longè aliter ſupernaturalia, & magis ſuprà vires naturæ, quàm ſit corpus reſuſcitatum, aut viſio cæco reſtituta; quamvis deindè etiam viſionem beatam etiã gratiã velit eſſe ſupernaturalia præcisè per comparationē ad agens non per proprias entitates, rationesvè ſibi intrinſecas. 136.

Supernaturalia alia quoad ſubſtantiam; alia quoad modum.

Mēs Scoti.

Dixi *ſecundum ſe* nam de cognitione terminata ad hujuſmodi res & ſimul ad modũ, ratione cujus denominantur ſupernaturales 137.

diverſa

diverſa eſt difficultas, in qua Lugus *cap. præcit. num. 21.* videtur abſolutè negare talem cognitionem poſſe eſſe naturalem, Suarez *lib. 2. cap. 30. num. 5.* diſtinguit modum in ſupernaturalem intrinſecè, qui ſcilicet tùm in ſe, tùm in quolibet alio ſibi ſimili, excedit vires naturæ creatæ, ut tranſubſtantio panis in corpus Chriſti, præſentia Sacramentalis; & in ſupernaturalem extrinſecè, qui in aliquo ſibi ſimili non excedit vires naturæ creatæ, ut reſtitutio viſionis cæco, reunio animæ ad corpus; modum hujus ſecundi generis vult eſſe ab Angelo naturaliter cognoſcibilem, & in re habente hunc modum ſupernaturalitatis poſſe cognitionē attingere non ſolùm rem ſecundùm ſe, ſed etiam rem ſimul & modum, ſecùs de modo primi generis. Nihilominùs reſtitutio viſionis, reunio animæ, vel ſumitur activè, ſeu ex parte agentis; vel paſſivè, ſeu ex parte termini; activè importat concurſum Dei ut ſupernaturalis Auctoris paſſivè importat terminum talis concurſus; & quia concurſus Dei ut ſupernaturalis Auctoris non eſt in ſe naturaliter cognoſcibilis exiſtimo reſtitutionem illam ac reunionem, & reliquos modos ſupernaturales eſſe omnes in ſe ipſis naturaliter incognoſcibiles, adeoque ly *ſecundum ſe* in aſſerto poſitum rectè ſumi non ſolùm præciſivè, ſed etiam excluſivè; adeò ut ſenſus ſit res ſupernaturales quoad modum poſſe cognoſci natnraliter ſecundùm ſe, at non ſecundùm modum, à quo ſupernaturales denominantur.

Res ſupernaturales quoad modum non poſſunt naturaliter cognoſci quoad ipſū modum.

138\. Probatur aſſertum ſic explicatum. Res ſupernaturales quoad modum, poſtquam ſunt factæ exiſtentes ſunt ſecundùm ſe ejuſdem omninò rationis cum cæteris rebus ſimpliciter naturalibus, ergo poſſunt ſecundùm ſe naturaliter ab Angelo cognoſci æquè ac, &c. conſequentia patet, quia eo ipſo, quòd ſunt ejuſdem rationis poſſunt cognóſci eodem lumine, iiſdemque ſpeciebus naturalibus, quibus cæteræ res naturales, antecedens probatur, tùm quia tota ſupernaturalitas talium rerum eſt in fieri & ex parte principij, non in facto eſſe & ex parte termini; tùm quia experientia conſtat Lazarum reſuſcitatum non fuiſſe ſecundùm ſe diverſæ rationis à ſe ipſo nondum mortuo, vinum item ex aqua in nuptiis factum non fuiſſe diverſæ rationis à vino ex uvis expreſſo; cur ergo Angelus per eandem ſpeciem univerſalem naturalem, per quam cognoſcebat Lazarum nondum mortuum, non potuit cognoſcere eundem reſuſcitatum; aut cur Lazarus reſuſcitatus æquè ac nondum mortuus potuit cadere ſub naturalem cognitionem ſenſuum, ne dum intellectus hominum potiùs, quàm ſub naturalem intellectionem Angelicam?

Benè tamē ſecundū ſe.

Dices: dantur aliquæ res quoad modum ſupernaturales, quibus modus ipſe eſt intrinſecus, ſic corpus Chriſti ſacramentaliter exiſtens fit ſacramentaliter exiſtens per aliquid ſibi intrinſecum; hujuſmodi igitur res non poterunt ſecundùm ſe cognoſci, quin cognoſcantur ſimul ſecundùm modum; ergo vel non erunt natmaliter cognoſcibiles ſecundùm ſe, quod eſt contra aſſertum; vel erit etiam naturaliter cognoſcibilis modus, quod eſt contrà aſſerti explicationem. Sed 139.
contrà: quidquid ſit, utrùm Corpus Chriſti fiat ſacramentaliter exiſtens per aliquid intrinſecum, necne? dico res, quibus modus aliquis ſeu *ratio* aliqua ſupernaturalis inexiſtit intrinſecè, ſecundùm eſſe ſimplex nullatenùs eſſe ſupernaturales, ſecundùm eſſe complexum cum modo dicendas potius eſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum, quia modus ipſe eſt quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, & eſt intrinſecus complexo, nec ſe tenet præciſè ex parte efficientis, ut requiritur ad rem ſupernaturalem ſolùm quoad modum; tranſeat igitur hujuſmodi res ſecundùm eſſe complexum cum modo ipſis intrinſeco eſſe naturaliter incognoſcibiles, non propterea ſequitur eſſe naturaliter incognoſcibilem rem ſupernaturalem ſolùm quoad modum.

140\. Ex his, & ex ſupradictis §. 4. & 8. facilè infertur res ſupernaturales quoad modum poſtquam ſunt factæ exiſtentes, ſecundùm ſe poſſe naturaliter cognoſci ab Angelis immediatè in ſe ipſis, cognitione tùm intuitiva, tùm comprehenſiva, ſicuti poſſunt hoc modo ab ipſis cognoſci cæteræ res naturales; eademque de cauſa poſtquam præterierunt poſſe naturaliter cognoſci cognitione mediata & abſtractiva, ſi aut aliquod ſui veſtigiū reliquerunt, aut innotuerunt quando fuerunt præſentia juxtà ſupradicta §. 11. Antequam verò exiſterent, ne probabiliter quidem poterant ab Angelis cognoſci ut futuræ, pendent enim à Deo non ſolùm ut à cauſa libera, ſed etiam ut operante ſuprà curſum cauſarum naturalium, adeò ut & præteritorum experientia, & omnes naturales conjecturæ faveant illarum rerum non fnenritioni potiùs, quàm futuritinni juxtà ſupradicta *n.* 105. Supereſt aliquid dicendum de cognitione earundem rerum ut poſſibilium, ideò ſit

Quando ſunt aut exiſtentes actu, aut præteritæ, non ſic dum ſunt futuræ.

Aſſert. 2. Res ſupernaturales quoad modum, antequam exiſtant poſſunt indiſtinctè, & in communi, ab Angelo naturaliter cognoſci, ut poſſibiles, cognitione mediata evidenti.

141\. Probatur & explicatur. Ex notitia quam Angelus habet tùm de omnipotentia Dei tùm de ſubjectione, & inferioritate cauſarum naturalium ad ipſum, facilè inferre poteſt poſſe Deum producere plures effectus naturales ſuprà omnes naturæ leges, & in illis circumſtantiis, in quibus nulla cauſa ſecunda poſſet propriis viribus id præſtare; atqui hoc eſt cognoſcere (& quidem evidenter, cum ſit evidens notitia, quam Angelus habet de Dei omnipotentia, & inferioritate cauſarum naturalium) indiſtinctè, & in communi eſſe producibiles à Deo aliquos effectus ſupernaturales quoad modum, ergo res ſupernaturales quoad modum, antequam exiſtant, poſſunt, &c. Quaſnam deindè ex hujuſmodi rebus poſſit Angelus etiam diſtinctè & in particulari ut poſſibiles attingere

Poſſunt *ita* indiſtinctè & in communi cognoſci ut poſſibiles.

gere evidenter evidentiâ poſitivâ ſatis non conſtat, & ſolùm in univerſum dici poteſt aliquas taliter attingere, ſed non omnes, ſicuti enim Angelus non adeò penetrat divinam omnipotentiam, ut cognoſcat in particulari quidquid intrà ordinem rerum naturalium poſſit ſecundùm naturæ leges producere in alio mundo, ità nec adeò illam penetrat, ut in particulari diſcernat quidquid ultrà naturæ leges poſſit intrà eundem rerum naturalium ordinem producere in hoc mundo.

142. *Negationes quoad modum ſupernaturales quæ?* Dubitari hic poteſt: An & quomodò Angelus naturaliter cognoſcat negationes quoad modum ſupernaturales? voco negationes quoad modũ ſupernaturales, carentias quaſdam rerum naturalium, quas Deus inducit modo ſupernaturali, & in ea rerum diſpoſitione, in qua nulla cauſa naturalis poſſit illas inducere, ut ſunt carentia ſubſtantiæ panis in Euchariſtia, carentia ſubſiſtentiæ propriæ in humanitate Chriſti; Vaſquez *hic diſp.* 214. *num.* 22. vult hujuſmodi carentias cognoſci ab Angelo immediatè in ſe ipſis eodem prorsùs modo, ac cognoſcantur res poſitivæ, quod licèt fortè poſſet ſuſtineri negando cum Vaſquio neceſſitatem concurſus objectivi, & ponendo intellectum Angelicum poſſe ex propria efficacitate præcisè cognoſcere in ſe ipſis omnia objecta exiſtentia intrà ordinem naturalem, eſt omninò falſum in noſtris principiis requirentibus pro notitia immediata objecti in ſe ipſo concurſum objectivum per ſpeciem propriam, aut omninò immediatum, negationes autem & carentiæ, qualeſcunque ſint, nequeunt aut habere ſpeciem propriam, aut per ſe immediatè præſtare aliquem concurſum, undè

143. *Non poſſunt ab Angelis cognoſci immediatè.* etiam *tract.* 1. *lib* 3. *cap.* 2. *num.* 73. ipſimet Deo negavimus cognitionem immediatam non entium in ſe ipſis; ideò ex communi ratione negationũ & non entium ſentiendum eſt non poſſe Angelos cognoſcere intuitivè immediatè, & in ſe ipſis carentias ſubſtantiæ panis in Euchariſtia, ſubſiſtentiæ propriæ in humanitate Chriſti; ſed ſolùm mediatè & per diſcurſum virtualem, quatenùs Angelus ſciens ſe habere principia ſufficientia ad cognoſcendas res naturales actu exiſtentes, eò ipſo quòd non poteſt cognoſcere in Euchariſtia ſubſtantiam panis, infert ibi non eſſe talem ſubſtantiam, ſed carentiam ipſius, Lugus tamen *hic diſp.* 12. *c.* 2. *num.* 12. Arriaga *diſp.* 10. *n.* 56. Herinex *diſp.* 3. *n.* 4. aliique plures rectè advertunt hujuſmodi diſcurſum in negationibus quoad modum ſupernaturalibus, ſeu ſupernaturali modo inductis eſſe aliqualiter incertum, quia Angelus advertens intercedere aliquid ſupernaturale, dum in tali rerum diſpoſitione non videt talem rem poſitivam, puta ſubſtantiam panis ſub naturali diſpoſitione accidentium ipſius, poteſt rationabiliter dubitare in quonam conſiſtat illud ſupernaturale, vi cujus talis res ipſum latet; utrùm in ſupernaturali deſtructione, an in ſupernaturali occultatione; ſicque Angelus non videns ſubſtantiam panis in Euchariſtia poteſt dumtaxat certò inferre aut ſubſtantia panis divinitùs non exiſtit, aut divinitùs mihi occultatur. Neque dicas ex Vaſquio *num.* 22. *præcit.* ſi hæc doctrina eſſet alicujus momenti deſtrueretur omnis naturalis evidentia, nec Angelo v. g. eſſet unquam evidens aërem carere lumine, aut hominem viſu, quia poſſet ſuſpicari ſe à Deo impediri, ne cognoſceret lumen in aëre, & viſum in homine. Contrà enim, allata doctrina procedit ſolùm, quando conſtat intervenire aliquod ſupernaturale, cæterùm quãdo res apparent in ſuo ſtatu naturali nulla eſt ratio ſuſpicandi; & Angelus non videns rem aliquam à ſe naturaliter viſibilem poteſt certò & evidenter inferre carentiam, ſeu non exiſtentiam talis rei; colligendo jam totam hanc doctrinam,

144. *Et ut præſentes neque etiam mediatè cognitione certa naturali.* Reſpondeo ad propoſitam dubitationem negationes quoad modum ſupernaturales ut præſentes non poſſe naturaliter cognoſci ab Angelo cognitione certa & evidenti, ſed ſolùm conjecturali & probabili: Ratio eſt, quia cognitio certa & evidens debet eſſe aut immediata rei in ſe ipſa, & hoc modo nulla prorsùs negatio eſt evidenter cognoſcibilis, aut mediata & deducta ex aliquo neceſſariò connexo, & hoc reſpectu negationis & carentiæ vel eſt præcisè quòd non cognoſcatur exiſtens entitas poſitiva oppoſita tali carentiæ, vel eſt quòd cognoſcatur exiſtens aliquid aliud incompoſſibile cum illa entitate poſitiva; atqui quod non cognoſcatur exiſtens entitas poſitiva neceſſariò connectitur cum carentia talis entitatis ſolùm quando nihil intervenit ſupernaturale; quod cognoſcatur exiſtens aliquid aliud incompoſſibile cum illa entitate poſitiva poteſt ſolùm contingere, quando negatio inducta eſt modo naturali; ergo à primo ad ultimum nulla ſupereſt via, quâ negationes quoad modum ſupernaturales poſſint ut præſentes naturaliter attingi cognitione evidenti & certâ, ſolùm igitur poterunt attingi mediante diſcurſu admittente aliquam incertitudinem, & cauſante notitiam conjecturalem ſolùm ac probabilem. Eædem tamen negationes ut poſſibiles poterunt indiſtinctè & in communi, & aliquæ etiam in particulari inferri evidenter ex cognitione divinæ omnipotentiæ proportionaliter ad ſupradicta *num.* 141.

Pro pleniori horum omnium diſcuſſione Lugus *hic diſp.* 12. *cap.* 2. Vaſquez *diſp.* 254. *cap.* 4. Albertinus *corol.* 13. aliique nonnulli examinant ex profeſſo quid poſſit Angelus naturaliter cognoſcere in Myſteriis Euchariſtiæ & Incarnationis; at ſpecialis horum myſteriorum cognoſcibilitas, & incognoſcibilitas ſuum locum habet in propriis tractatibus.

§. XIV.

§. XIV.

An & quomodò Angelus naturaliter cognoſcat res ſupernaturales quoad ſubſtantiam, ſeu myſteria Gratiæ.

145. Nulla res quoad ſubſtantiam ſupernaturalis poteſt naturaliter cognoſci intuitivè ab Angelo.

ASSERT. 1. Nullam prorsùs rem ſupernaturalem quoad ſubſtantiá poteſt Angelus poſtquam a parte rei producta eſt naturaliter cognoſcere intuitivè & in ſe ipſa. Ità D. Thomas 1. *p. q.* 57. *art.* 5. Alenſis 2. *part. q.* 26. *memb.* 1. Durandus *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 7. *conc.* 19. *& in* 4. *diſt.* 10. *q.* 4. *num.* 6. Cajetanos, Bannez, Sylvius, Molina *eod. art.* 5. Vaſquez *diſp.* 214. *c.* 3. Amicus *diſp.* 13. Lugus *diſp.* 12. *cap.* 1. *num.* 6. Eſparza *lib* 2. *q.* 14. *art.* 7. Averſa *q.* 57. *ſect.* 8. Madernus *q.* 3. *art.* 15. *num.* 3. aliique tùm Thomiſtæ omnes, tùm omnes ferè recentiores contrà Scotom *in* 4. *diſt.* 10. *q.* 8. §. *ſecunda concluſio &* §. *ad argumenta.* Tartaretem *ead. diſt.* Maſtrium *in* 2. *diſput.* 2. *q.* 10. *art.* 2. Herinex *hic diſp.* 3. *q.* 2. *num.* 4. Radam *p.* 2. *controv.* 8. *art.* 4. aliosque Scotiſtas communiter, ad quos ex recentioribus accedit Arriaga *hic diſp.* 10. *ſect.* 3. *ſubſec.* 3. *&* 4. Sicque ſententia noſtro aſſerto oppoſita, quamvis minùs communis, non caret tamen copia aliqua Sectatorum, & dum eam temerariam appellant Bannez, Zumel, Nazarius, ſunt Cenſores nimis rigidi, in quos propterèa Maſtrius *quaſt. pracis. art.* 3. *n* 336. non veretur temeritatis notam retorquere.

In ſententiam oppoſitam non eſt ferenda cenſura.

146. Dixi *nullam prorsùs rem ſupernaturalem quoad ſubſtantiam*, quia Adverſarij inter ſe non conveniunt, & aliqui cum majori univerſalitate loquuntur extẽdentes naturalem Angeli intuitum ad omnia prorsùs Myſteria gratiæ, quatenùs creatis entibus conſtant; aliqui alij minùs univerſaliter loquentes excludunt à naturali Angeli intuitu præter ea omnia quæ involvunt aliquid creatum & illimitatum, ea etiam Myſteria creata, quæ important pro formali reſpectum ad Deum ſub ratione Deitatis vel ſub aliqua ratione cognoſcibili ſolùm ex revelatione, ſicque excludunt unionem hypoſtaticam, juſtificationem impij per infuſionem gratiæ, opera meritoria vitæ æternæ, &c. & hi contendunt hunc minùs univerſalem loquendi modum eſſe magis juxtà mentem ſubtilis Doctoris, qui licèt *pracis.* §. *Ad argumenta* in reſponſione ad tertium loquatur indefinitè de Myſteriis gratiæ, omniaque ſubjiciat naturali potentiæ cognoſcitivæ Angelorum, debeat tamen intelligi conformiter ad doctrinam *quodlib.* 14. §. *de ſecundo*, ubi pro objecto adæquato cujuſcumque intellectus creati aſſignat præcisè ens limitatum, & paulò infrà §. *de tertio in reſponſione ad ſecundum* addit tale ens debere eſſe ad ſe, vel ſi ad alterum, ad alterum limitatum; adeò ut entitas limitata in ſe, quæ ſit eſſentialiter ad alterum illimitatum nequeat naturaliter intelligi ab intellectu creato. Hæc dicta ſint pro mente Scoti, qui quomodocumque intelligatur non admittit aliquod ens ſupernaturale in ſe naturaliter incognoſcibile ratione ſupernaturalitatis præcisè, ideò directè adverſatur noſtro aſſerto, pro cujus faciliore probatione.

Mẽs Scoti.

147. Duplex ſenſus aſſerto tribui poteſt.

Adverte dupliciter intelligi poſſe, quòd Angelus naturaliter cognoſcat objectum ſupernaturale; primò ità ut ly *naturaliter* ſe teneat præcisè ex parte potentiæ, & ſenſus ſit Angelum ad cognoſcendum ſupernaturale objectum non requirere aliquod complementum ſupernaturale ex parte potentiæ, ſed præcisè ex conſortio & concurſu objecti ſupernaturalis elicere cognitionem ſupernaturalem ipſius: Secundò ità, ut ly *naturaliter* ſe teneat etiam ex parte actus, & ſenſus ſit Angelum poſſe cognitione & actu naturali cognoſcere objectum ſupernaturale: Neutro ex his duobus modis admittimus Angelum poſſe naturaliter cognoſcere objecta quoad ſubſtantiam ſupernaturalia immediatè in ſe ipſis; Primus tamen modus non facit ad rem in præſenti, & à nobis ſupponi poteſt ſufficienter impugnatus *tr.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. §. 2. dum probaremus intellectum creatum ità eſſe improportionatum ad eliciendum actum ſupernaturalem viſionis Dei, ut titulo ſupernaturalitatis actus indigeat aliquo ſupernaturali ſe tenente ex parte potentiæ; nec ei ſufficiat comprincipium ſupernaturale objectivum, aut aliquod lumen præſtans præcisè munus ſpeciei: Solùm igitur ſecundus modus ad rem noſtram pertinet, & ipſe ſolus etiam eſt juxta mentem Scoti & Scotiſtarum, cum quibus habemus controverſiam, ideò aſſertum ſecundo modo intellectum

Probatur primò: Nulla prorsùs res quoad ſubſtantiam ſupernaturalis poteſt cognitione naturali cognoſci ut eſt in ſe, ergo nullam prorsùs rem ſupernaturalem quoad ſubſtantiam poteſt Angelus, &c. conſequentia patet ex eo quòd, ut alibi ſæpiùs dictum eſt, cognitio intuitiva eſt cognitio objecti ut eſt in ſe; antecedens probatur, Nulla prorsùs res quoad ſubſtantiam ſupernaturalis cognoſcitur ut eſt in ſe ea cognitione, ad quam concurrit modo naturali, ſed quælibet res quoad ſubſtantiam ſupernaturalis ad cognitionem ſui naturalem concurrit modo naturali; ergo nulla prorsùs res quoad ſubſtantiam ſupernaturalis cognitione naturali cognoſcitur, aut cognoſci poteſt ut eſt in ſe; minor patet, quia quoties modus concurrendi ex parte objecti ſupernaturalis eſt, cognitio habet objectum motivum ſupernaturale, & evadit in ſe ſupernaturalis; è contrà igitur quoties cognitio eſt naturalis, ſupponitur ex parte objecti modus concurrendi naturalis; major probatur, quia juxta doctrinam D. Thomæ explicatam *tr.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. §. 5. objectum non cognoſcitur ut eſt in ſe, niſi ſit in cognoſcente ut eſt in ſe, eſt autem in cognoſcente eo modo, quo cum cognoſcente concurrit ad cognitionem; & per conſequens res ſupernaturalis ad cognitionem 148.

tionem concurrens modo naturali eſt in cognoſcente modo naturali, & cum in ſe ſupernaturalis ſit, non eſt in cognoſcente ut eſt in ſe, nec cognoſcitur ut eſt in ſe; ergo.

Dices ex Scoto *precit.* §. *Ad argumenta* ens ſupernaturale dici tale præcisè per habitudinem ad cauſam ſupernaturalem, à quâ accepit eſſe, non quod ſit tale quoad entitatem, aut cognoſcibilitatem; quia quantumcumque aliquid ſupernaturaliter ponatur in eſſe, poſtquam tamen poſitum eſt in eſſe, eſt quoddam ens naturale, & proportionatum potentiæ naturaliter cognoſcenti. Sed

149. Impugnatur doctrina qua Scotus ſuſtinet naturalē cognoſcibilitatem rerū ſupernaturalium.

contrà: non inficior hanc doctrinam, ſi ſubſiſteret, eludere omnia argumenta, quæ urgeri poſſunt contrà cognitionem intuitivam naturalem effectuum quoad ſubſtantiam ſupernaturalium; at falſum eſt ens ſupernaturale quoad ſubſtantiam dici tale præcisè per habitudinem ad cauſam, cum enim tale ens requirat cauſam ſupernaturalem non ratione alicujus circumſtantiæ, aut in aliqua determinata rerum diſpoſitione; ſed ratione propriæ entitatis, & ſemper; habitudo ad cauſam ſupernaturalem debet concedi eſſentialis & intrinſeca ipſi entitati, & inferens in ipſa entitate ſupernaturalitatem, cum præſertim, ſi omnia ponuntur ſupernaturalia ſolùm extrinſecè & in fieri, ægrè ſalvetur diſcrimen rerum ſupernaturalium quoad ſubſtantiā à rebus ſupernaturalibus quoad modum. Falſum eſt etiam quod addit Scotus, *Quantumcumque aliquid ſupernaturaliter ponatur in eſſe poſtquam tamen poſitum eſt in eſſe eſt quoddam ens naturale*, enimvero per ly *quoddam ens naturale* vel intelligitur præcisè quoddam ens bonum ac utile ſubjecto, in quo ſenſu uſurpant vocem *naturale* aliqui Scotiſtæ, vel intelligitur ens non excedens vires totius naturæ creatæ, quæ eſt legitima ſignificatio illius vocis *naturale* in præſenti: Primo modo res quæcumque ſupernaturales etiam antequam ponantur in eſſe forent quoddam ens naturale, quia ſemper ſunt quid bonum ac utile ſubjecto aut actuale aut poſſibile. Secundo modo res quoad ſubſtantiam ſupernaturales etiam poſtquam ſunt poſitæ in eſſe ſunt ſupernaturales, quia excedentes totam naturam ejuſque omnes vires, neque productio reddit illas proportionatas viribus naturæ quoad conſervari, undè habitus gratiæ, & actus fidei Theologicæ v. g. non minùs in conſervari, quam in fieri, indigent concurſu cauſæ ſupernaturalis.

150. Non ſunt infuſæ Angelis ſpecies rerum quoad ſubſtantiā ſupernaturalium.

Probatur ſecundò. Angelus nullas prorſùs habet ſpecies infuſas rerum ſupernaturalium quoad ſubſtantiā; ergo nullam prorſùs rem ſupernaturalem quoad ſubſtantiam poteſt, &c. conſequentia patet, quia ex ſupradictis Angelus habet ab initio infuſas ſpecies aliorum omnium à ſe, quorum poteſt ſucceſſivo decurſu temporis habere naturaliter immediatam & intuitivam cognitionem; antecedens probatur primò, quia per ſpecies infuſas Angelus cognoſcit poſſibilitatem & quiditatem rerum in ſe ipſis antequam exiſtant, res autem quoad ſubſtantiam ſupernaturales ſecundùm Adverſarios nequeunt cognoſci ab Angelis quoad poſſibilitatem & quiditatem in ſe ipſis antequam exiſtant: ſecundò quia ſpecies infuſæ ſunt Angelis connaturales & debitæ *ex cap. ſuperiore* §. 4. & à Deo tanquam à naturæ Auctore productæ; atqui tales eſſe non poſſunt ſpecies rerum quoad ſubſtantiam ſupernaturaliū, quæ nullatenùs reſpiciunt Deum ut naturæ Auctorem, & ut ſint rerum ſupernaturalium propriæ debent eſſe ejuſdem ordinis cum illis, & ſupernaturales ſaltem in fieri & ex parte cauſæ loquendo juxta Adverſariorum principia.

Dices: hoc argumentum ſaltem nihil probat contra accidentia ſupernaturalia Angelo intrinſeca; ſicuti enim in ordine ad reliqua accidentia ſibi intrinſeca nullas habet Angelus ſpecies infuſas, eaque cognoſcit immediate per ſe ipſa *ex preced.* §. 5. ità idem dici poteſt de accidentibus ſupernaturalibus; & omninò id dicendum eſt de actibus vitalibus, quos eliciens naturaliter in ſe ipſo experitur, non minùs quando ſupernaturales, quàm quando naturales ſunt; quis enim dicat elicientem actum fidei aut amoris ſupernaturalis non experiri in ſe naturaliter tales actus nec poſſe naturaliter ſcire an amet, an credat? Quod ſi dicatur elicientem ſcire quidem ſe credere & amare, at non ſcire ſe credere & amare per actus ſupernaturales; Inſtatur, quia quidquid ſit utrùm poſſit affirmare tales actus eſſe ſupernaturales, an non? tamen in re conceditur quod eliciens habeat cognitionem naturalem terminatam ad proprios actus ſupernaturales, deindè ſaltem in viſione beata poteſt naturaliter affirmari ipſius ſupernaturalitas; nam videns Deum, vel naturaliter ſolùm ſcit ſe Deum cognoſcere, abſque eo quod ſciat utrùm cognoſcat clarè an obſcurè? & hoc videtur incredibile; vel naturaliter ſcit ſe cognoſcere Deum clarè, & ſic poteſt certò affirmare ſe habere cognitionem ſupernaturalem, cum aliundè certus ſit cognitionem claram Dei non poſſe eſſe naturalem: Hiſce rationibus ductus Arriaga *precit. ſect.* 3. ſimpliciter & abſolutè ſtatuit Angelum poſſe naturaliter cognoſcere ſuos proprios actus ſupernaturales etiam ut tales, ſuppoſita ſupernaturali eorum exiſtentia; quamvis de reliquis entibus ſupernaturalibus quoad de facto nihil definiat, & doceat poſſibilia eſſe entia ſupernaturalia tùm productiva & exigitiva ſpecierum naturalium, tùm alia productiva ſpecierum ſolùm ſupernaturalium, nec aliter in ſe cognoſcibilia quàm cognitione ſupernaturali; non conſtare autem utrùm gratia & dona ſupernaturalia de facto exiſtentia ſint de primo, an de ſecundo entium ſupernaturalium genere?

151. Inſtantia pro cognitione naturali propriorum actuum ſupernaturalium.

Sed contrà: ſervata proportione & reſpectu cognitionis ſupernaturalis idem dici poteſt de accidentibus ſupernaturalibus intrinſecis & inhærentibus Angelo, quod de naturalibus; & illa à potentia ſupernaturaliter elevata poſtulant cognoſci abſque ſpeciebus 152.

ciebus infuſis ſupernaturalibus non minùs, quàm iſta à potentia naturali cognoſcantur abſque ſpeciebus infuſis naturalibus; cæterùm reſpectu cognitionis naturalis non currit paritas propter improportionem, quæ in ſupernaturalibus, non in naturalibus accidentibus reperitur quoad naturaliter cognoſci. Ad illud, quod additur de propriis actibus vitalibus amplector reſponſionem in inſtantia poſitam; & ad illud, quod contrà urgetur dico nos negare cognitionem intuitivam & evidentem actuum ſupernaturalium, ut ſunt in ſe, poſſe haberi naturaliter; nec contendimus tales actus non poſſe cauſare cognitionem naturalem ſui inadæquatam, & quoad prædicata quæ in ipſis ſunt communia cum actibus naturalibus. Actus beatæ viſionis in ordine ad naturaliter cognoſci nihil habet ſpeciale præ cæteris, & quamvis videns Deum per viſionem ipſam ſuprà ſe reflectentem ſupernaturaliter cognoſcat ſe clarè Deum cognoſcere, naturaliter tamen id non diſcernit, & ſolùm cognoſcit ſe eſſe in

Actus ſupernaturales ab eliciente cognoſcuntur naturaliter ſolùm quo ad an eſt.

153. exercitio cognitionis circà Deum. Neque dicas Angelus ſcit ſe poſſe naturaliter videre in ſe ipſo omnem actum naturalem à ſe elicitũ, dum igitur cognoſcit ſe habere actum cognitionis circà Deum, & experitur ſe non poſſe videre talem actum, certò inferet ſe habere actum ſupernaturalẽ, non naturalem circà Deum. Contrà enim, hinc non probatur notitia naturalis intuitiva & immediata actus ſupernaturalis, de quâ ſola procedit aſſertum, ſed ad ſummum notitia abſtractiva & mediata; iſta tamen in re etiam non evincitur certa & evidens, quia Angelus, dum experitur ſe non poſſe videre propriũ actum, poteſt quidem certò inferre, quod interveniat aliquid ſupernaturale; at non quod actus ſit ſupernaturalis in ſe potiùs, quàm quòd ſupernaturaliter occultetur quamvis in ſe naturalis. Ad illud, quod ultimo loco in inſtantia afferebatur, dico Arriagam nimis facilè ſupponere poſſibile quidquid repugnans non evincetur, & juxtà doctrinam alibi traditam de majori impoſſibilium, quàm poſſibilium numero, faciliùs eſſe præſumendum pro impoſſibilitate, quàm pro poſſibilitate: dico inſuper non repugnare quidem ens ſupernaturale productivum ſpeciei naturalis repræſentantis ipſum quoad ea prædicata quæ habet communia cum rebus naturalibus, & hoc ad ſummum probat ratio Arriagæ deſumpta ex eo, quod res ſuperior poſſit producere inferiorem; cæterùm quod ens ſupernaturale ſit productivum ſpeciei naturalis repræſentantis ipſum quoad prædicata propria, & ut eſt in ſe, repugnat ex communi ratione ſpecierum, quæ non poſſunt eſſe intuitivæ, niſi ſint ejuſdem ordinis cum objecto, & per ipſas objectum ſit in cognoſcente ſicuti eſt in ſe; alioqui concedendum etiam eſſet poſſibile objectum ſpirituale productivum ſpeciei materialis, quâ attingeretur ut eſt in ſe à potentia materiali.

Angelus nõ videns proprĩu actum non poteſt certò inferre ipſũ eſſe ſupernaturalem.

Supernaturale quamnam ſpeciẽ naturalem poſſit producere.

154. Aſſert. 2. Nullam prorsùs rem ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, antequam exiſtat, poteſt Angelus naturaliter cognoſcere ut poſſibilem cognitione certâ & evidenti neque immediata, neque mediata. Prima aſſerti pars de cognitione immediata eſt communiſſima, & ipſimet Scotiſtæ cum Scoto, dum admittentes cognitionem naturalem immediatam rerum ſupernaturalium ſingillatim loquũtur de rebus ſupernaturalibus exiſtentibus, ſatis indicant ſe diverſimodè ſentire de iiſdem ut poſſibilibus, unde Arriaga *hic diſp.* 50. *ſect.* 3. *ſubſec.* 3. ait ſe tenere naturalem incognoſcibilitatem rerum ſupernaturalium in ſe ipſis, antequam exiſtant, propter communem auctoritatem Scotiſtarum, & Thomiſtarum. Secunda pars de cognitione mediata habet in aliquibus particularibus rebus aliquos Adverſarios, ſic ex ſupradictis *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 17. non deſunt qui velint eſſe naturaliter demonſtrabilem poſſibilitatem viſionis Dei.

Nulla res quoad ſubſtantiam ſupernaturalis naturaliter innoteſcit ut poſſibilis notitia certa & evidenti.

Probatur prima pars: Nulla prorsùs res quoad ſubſtantiam ſupernaturalis poteſt, antequam exiſtat & ut poſſibilis, cognoſci per ſpeciem propriam naturalem; atqui cognitio immediata rei non exiſtentis haberi non poteſt aliter, quàm per ſpeciem propriam ipſius, & ut talis cognitio ſit naturalis ſpecies debet eſſe naturalis; ergo loquendo de cognitione immediata nullam prorsùs rem ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, antequam exiſtat, &c. Minor patet intelligenti terminos: Major probatur facilè ex doctrina præcedentis aſſerti, neque enim poteſt habere ſpeciem propriam, ut poſſibile & antequam exiſtat, illud quod nequit talem ſpeciem habere, ut actuale & quando exiſtit; juxtà doctrinam Scoti præcedenti aſſerto contrariam vix poteſt efficaciter major illa probari, ſed quid ad nos? 155.

Neque immediata.

Probatur ſecunda pars: Neque ex creaturis aut exiſtentibus aut poſſibilibus, quas Angeli naturaliter cognoſcunt; neque ex Deo ejuſvè omnipotentia ut naturaliter cognoſcibili, poſſunt Angeli acquirere cognitionem certam & evidentem poſſibilitatis rerum quoad ſubſtantiam ſupernaturalium; ergo loquẽdo de cognitione mediata nullam prorsùs rem ſupernaturalem quoad ſubſtantiam antequam exiſtat, &c. antecedens probatur; non ex creaturis, quia illæ quas Angelus naturaliter cognoſcit ſupponũtur eſſe ordinis naturalis, quæ nullam habent neceſſariam & intrinſecam connexionem cum rebus ordinis intrinſecè ſupernaturalis; Non ex Deo, ejuſve omnipotentia, quia ad hujus cognitionem Angelus non aſſurgit, niſi ex effectibus naturalibus, ideò non poteſt certò & evidenter inferre, niſi virtutem ſimilium effectuum productivam. Neque dicas *ex tractatu* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. §. 2. per effectus naturales poſſunt nobis innoteſcere prædicata Dei propria & ſupernaturalia, ergo per eoſdem poteſt innoteſcere in Deo potentia productiva effectuum ſupernaturalium. Contrà enim; talis potentia non habet neceſſariam connexionem cum effectibus naturalibus ſicuti habent illa prædicata ſupernaturalia, de quibus ibi agebatur; 156.

Neque mediata.

cujuſmodi erant ratio primæ cauſæ, entis ſimpliciter neceſſarij, &c. Neque dicas inſuper Angelus cognoſcit naturaliter omnipotentiam Dei eſſe infinitam, ergo evidenter ſcit ipſam poſſe facere quidquid non implicat; at ſcit non implicare effectus quoad ſubſtantiam ſupernaturales, ergo: Contrà enim Angelus non ſcit, niſi evidenter negativè, non implicare effectus quoad ſubſtantiam ſupernaturales; ideò hos ſolùm evidenter negativè poteſt inferre ex infinitate divinæ potentiæ, quæ aliunde ſufficienter relucet in eo, quod poſſit producere effectus naturales tùm modo ſupernaturali, tùm infinitos, coſque perfectiores & perfectiores in ſe ipſis.

157. Neque etiã evidenter innoteſcit ut exiſtens notitia mediata.

Ex his habetur primò rem ſupernaturalem in ſubſtantia, neque etiam poſtquam producta eſt, poſſe ab Angelo naturaliter cognoſci evidẽtiâ abſtractivâ & mediatâ; nihil enim naturaliter cognoſcibile poteſt habere neceſſariam connexionẽ cum re aliqua quoad ſubſtantiam ſupernaturali, & licèt talis res poſſit producere aliquem effectum naturalem, hic tamen effectus eo ipſo, quod naturalis eſt, continebitur in virtute alicujus cauſæ naturalis, & non manifeſtabit evidenter ſuum principium, niſi ſecundùm prædicata communia cauſæ, adeoque non manifeſtabit in ſuo principio quidquam ſupernaturale.

Habetur ſecundò Angelicum, & alium quemcumque creatum intellectum, naturæ viribus probabilem ſolùm & conjecturalem notitiam conſequi poſſe de rebus quoad ſubſtantiam ſupernaturalibus ſive in ſtatu poſſibilitatis, ſivè in ſtatu exiſtentiæ; ſive item indiſtinctè & in communi, ſive ſingillatim & in particulari acceptis; & hanc probabilem ac conjecturalem notitiam nos ſæpè habere poſſumus de propriis actibus & habitibus ſupernaturalibus, multoque magis Angeli ut attigimus *n.* 153.

CAPUT III.

De actu naturali intellectus Angelici.

1. ACTUI intellectus, utpotè conſurgenti ex objecto & potentiâ, aliqua conveniunt ratione objecti ſeu ratione modi, quo objectum ad ſui cognitionem concurrit, hujuſmodi ſunt, quòd cognitio ſit mediata, vel immediata; abſtractiva, vel intuitiva, comprehenſiva, vel non; aliqua conveniunt ratione potentiæ ſeu ratione modi, quo potentia operatur, hujuſmodi ſunt quod actus poſſit ſuſpendi, vel non; quod ad plura, vel pauciora ſe extendat; quod fiat vel non fiat diſcurrendo, cõponendo, dividendo, &c. Quæ intellectioni Angelicæ conveniunt ratione objecti intelligibilis ſufficienter cõſtant ex iis, quæ hucuſque de objecto tùm motivo tùm terminativo abundè dicta ſunt; non æquè conſtant, quæ eidem intellectioni conveniunt ratione potentiæ intellectivæ, de qua parciùs actum eſt, hæc proptereà facio propoſiti tituli materiem, & primo loco explicaturus, utrùm poſſit ſuſpendi actus intellectus Angelici, an verò Angelus ſemper in actuali intellectione neceſſariò permaneat? præmitto varios ea in re dicendi modos: Primus eſt Durandi *in* 2. *diſt.* 3. 2.
q. 8. aſſerentis Angelũ ſemper eſſe in actuali conſideratione omnium rerum à ſe naturaliter cognoſcibilium; conſequenter hic Auctor videtur ſentire non poſſe Angelum liberè deſiſtere ab ullius rei cognitione, undè enim conſtaret nunquam deſiſtere, ſi deſiſtere ex libertate poſſet: Secundus extremè oppoſitus eſt nonnullorum, quorum opinionem, non nomina apud Auctores reperio, docentium poſſe Angelum ſi velit ſuſpendere omnem prorsùs intellectionẽ, & ceſſare ab omni actu ſecundo, intelligendi: Tertius quaſi medius eſt tribuentium Angelo neceſſitatem ad aliquem actum ſecundum intelligendi indeterminatè & in vago, at ad nullum determinatè, neque etiam ad cognitionem ſui ipſius; propendent in hunc dicendi modum Molina *hic quæſt.* 56. *art.* 1. *diſput.* 2. *conc.* 2. Vaſquez *diſp.* 209. *c.* 3. Lugus *diſp.* 14. *c.* 1. *n.* 25. Arriaga *diſp.* 15. *n.* 8. Quartus pariter medius eſt Angelum non eſſe quidem neceſſariò in actu ſecundo intelligendi reſpectu omnium à ſe naturaliter intelligibilium, bene tamen reſpectu aliquorum determinatè, ſcilicet ſui ipſius & Dei, ità Cajetanus *hic q.* 58. *art.* 2. Ferrarienſis 2. *contrà Gentes, c.* 97. aut ſaltem reſpectu ſui ipſius, ità Capreolus *n.* 2. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 5. Hervæus *ead. diſt. q.* 4. *ad* 1. Suarez *lib.* 2. *c.* 3. Amicus *diſp.* 14. *n.* 1. Dequiros *diſp.* 61. *ſect.* 1. Eſparza *lib.* 2. *q.* 16. *ad* 3. Madernus *q.* 3. *art.* 8. *n.* 3. aliique Theologi magis communiter, quamvis non omnes loquantur de eadem cognitione; ſed aliqui ut Dequiros, Madernus, & Eſparza de cognitione ſui confusâ & implicitâ, quâ Angelus ſe ipſum cognoſcit per hoc præcisè, quod ſit in aliquo exercitio cognoſcendi juxtà doctrinam generalem alibi traditam, quod quælibet cognitio notificet ſibi ipſi cognoſcentem; alij de cognitione ſui clarâ & explicita, quâ Angelus ſe ipſum cognoſcit per propriam eſſentiam: Circà hos varios dicendi modos ut aliquid in particulari ſtatuamus, ſit

Variæ opiniones circa neceſſitatem actus ſecundi intelligendi in Angelo.

§. I.

An & quomodò Angelus ſit neceſſariò in aliquo actu ſecundo intelligendi.

ASSERT. 1. Angelus eſt neceſſariò in aliquo actu ſecundo intelligendi ſaltem indeterminatè & vagè. Hoc aſſertum aut tradunt, aut à fortiori ſupponunt omnes Auctores præcitati *num. præced.* contrà ſecundum præallatum dicendi modum, cui aliquantulùm favet Vaſquez *diſp.* 219. *c.* 3. *n.* 8. *verſ. ad ſecundam rationem.* 3.

Probatur:

Probatur: Angelus non poteſt naturaliter ſuſpendere omnem prorsùs actum ſecundum intelligendi, ergo eſt neceſſariò, &c. conſequentia patet, antecedens probatur primò, quia cum non poſſit haberi aut conſervari volitio ſine intellectione, eo ipſo quòd Angelus ſuſpenderet omnem prorsus actum ſecundum intelligendi, ſuſpenderet etiã omnem actum ſecundum volendi, & cum non vivat niſi per intellectum & voluntatẽ careret omni vita in actu ſecundo, ſe haberet ut mortuus, & eſſet in ſtatu in quo non poſſet vitaliter operari ac vivere in actu ſecundo, niſi Deo excitante ad primam cognitionem; quæ omnia videntur perfectioni Angelicæ repugnantia, cum præſertim cætera inferiora viventia ſint ſemper neceſſariò in aliquo actu ſecundo vitæ; animalia enim quamvis non ſemper ſentiant, ſemper nutriuntur ſemperque vegetant: Nec obſtat quod ſentire & vegetare non dependeant à principio libero, dependeant verò in Angelis à principio libero intelligere & velle: Non obſtat inquam, quia principium liberum ſufficienter relucet in eo quod Angelus non ſit neceſſariò in ullo actu determinato intelligendi & volendi, & poſſit pro libito hac vel illa vita vivere, quamvis non poſſit non vivere aliqua vita, & ſicuti idem Angelus liberè eſt in loco, quamvis non poſſit eſſe nullibi, ità &c. Idem primum antecedens probatur ſecundò; Suſpenſio cujuſcumque actus intelligendi, ſi eſſet dabilis; in Angelo, vel poneretur, dum durat volitio, qua Angelus liberè ſe determinat ad talem ſuſpenſionem, vel poneretur immediatè poſt illam volitionem; Non primum, quia repugnat Angelum eſſe actu volentem, & non eſſe actu intelligentem, & actu non intelligere, id quod actu vult, repugnat igitur ceſſare omnem intellectionem, dum durat volitio; Non ſecundum, quia volitio determinat per ſe ipſam formaliter & in genere cauſæ formalis, quod autem non eſt, pro eo ſigno, pro quo non eſt, nihil poteſt præſtare formaliter ſeu in genere cauſæ formalis; deinde volitio eſſet efficacior quando non eſt, quàm quando eſt, ſi poneretur vi ipſius, poſtquam deſiſtit, quod nequit poni vi ipſius, quandiu durat; ergo non eſt dabilis ſuſpenſio, &c.

Angelus in actu ſecundo non intelligens eſſet in actu ſecundo nõ vivens.

Dices: ex vi iſtius actus quo dico *nolo cognoſcere Petrum*, quamvis nequeam ceſſare à cognitione Petri, dum durat talis actus, eo quod in hoc quod eſt nolo cognoſcere Petrum involvitur cognoſcere Petrum, poſſum tamen ceſſare à cognitione Petri in inſtanti ſequenti, & immediatè poſt illum actum; ergo ſimiliter ex vi actus, quo Angelus dicat *nolo cognoſcere ullam prorsùs rem*, quamvis nequeat ceſſare ab omni cognitione, dum actus ille durat, poterit ceſſare in inſtanti ſequenti.

5\. Sed contrà: quoad de facto experientiâ ipsâ conſtat nos nunquam ceſſare à cognitione alicujus objecti per hoc præcisè quod habeamus voluntatem ipſum non cognoſcendi in inſtanti ſequenti, ſed ceſſamus per hoc, quod applicemus intellectum ad cognoſcendum aliud; Quoad de poſſibili poſſet id evenire, ſi ſupponas vel ex vi illius actus quo dico *nolo cognoſcere Petrum* (& eadem proportionaliter eſſet ratio de actu quo Angelus diceret *nolo cognoſcere ullam prorsùs rem*) imprimi ſpeciei Petri quandam virtutem, ratione cujus talis ſpecies maneat quodammodò ligata & impedita, nec poſſit in inſtanti ſequenti intentionaliter concurrere & excitari; vel excitationem ſpecierum requirere tanquam conditionem ſine quâ non quod non præceſſerit volitio de non cognoſcendo objecto per ipſas repræſentato, at hæ ſuppoſitiones de facto non ſunt admittendæ, quia eſſent omninò voluntariæ & ſine fundamento, imò contrà fundamentum experientiæ: Ideò ad inſtantiam nego abſolutè antecedens, ut jacet.

Voluntas ceſſandi a cognitione non poteſt ex ſe præcisè inducere ceſſationem.

6\. Aſſert. 2. Angelus eſt neceſſariò in confusâ & implicitâ cognitione ſui ipſius, non ſic alicujus alterius objecti determinati: Quoad cognitionem verò directam & explicitam nulla ratio ſufficienter probat Angelum phyſicè neceſſitari ad aliquem determinatum & particularem actum ſecundum intelligendi. Colligitur hoc aſſertum ex Dequiros, Maderno, Eſparza, Molina, Vaſquio, Lugo, Arriaga, &c. & eſt contrà Cajetanum, Ferrarienſem, alioſque Thomiſtas; nec non etiam Suarezium, & plures recentiores tribuentes Angelis cognitionem ſimpliciter neceſſariam aut ſui & Dei, aut ſaltem ſui per propriam eſſentiam; eſt à fortiori contrà Durandum, quem ſicut & omnes Auctores mox memoratos jam retulimus *præced. n. 2.*

Probatur & explicatur prima pars: Angelus eſt neceſſariò in aliquo actu ſecundo intelligendi *ex aſſerto ſuperiore*, ſed per quemcumque actũ intelligendi confusè & implicitè cognoſcit ſe ipſum *ex cap. præced. n.* 20. & 24 ergo Angelus eſt neceſſariò in confusâ & implicitâ cognitione ſui ipſius; Non ſic alicujus alterius objecti, hoc enim maximè eſſet Deus, qui propter habitudinem, quam ad ipſum dicit quodlibet ens creatum, neceſſariò debeat ſaltem confusè & implicitè cognoſci in cognitione cujuſlibet objecti creati; At propter hanc habitudinẽ non eſt neceſſe, quod Angelus cognoſcẽdo creaturam cognoſcat Deum, quia poteſt cognoſcere creaturã inadæquatè & non attingendo talem habitudinem; ergo Angelus poteſt exercere aliquem actum ſecundum intelligendi circa objecta creata non attingendo neque etiam confusè & implicitè Deum, & ſolùm de cognitione comprehenſiva verum eſt quod nequeat terminari ad rem creatam, quin aliquo modo terminetur ad Deum.

Angelus eſt neceſſariò in cognitione indirecta ſui, non Dei.

7\. Probatur & explicatur ſecunda pars: Si ad cognitionem directam & explicitam alicujus objecti determinati Angelus neceſſitatur, maximè ad ſui ipſius; at nulla ratio ſufficienter probat Angelũ phyſicè neceſſitari ad directam, & explicitam cognitionem ſui ipſius; ergo quoad cognitionem directam & explicitam, &c. Major patet quia de cogni-

At eſt liberè in cognitione directa tùm ſui tùm cujuſlibet alterius objecti determinati.

tione ſui ipſius maximè eſt controverſia, & neceſſitas cognoſcendi Deum ita à pluribus Thomiſtis Angelo tribuitur, ut ab iiſdem probetur ex neceſſitate, quam ſecundũ ipſos Angelus habet, cognoſcendi ſe ipſum; hac igitur ſublata illa corruit: Minor probatur, quia ex una parte maxima inclinatio, maxima proportio, & maxima convenientia, quæ in Angelo reperitur pro cognitione directa & explicita ſui ipſius oſtendit ad ſummum neceſſitatem moralem talis cognitionis, at non neceſſitatem phyſicam; ex alia parte neceſſitati admittendi ſemper in Angelo vitam in actu ſecundo ſufficienter ſatisfit per hoc, quòd Angelus habeat neceſſitatẽ exercendi aliquam actualem intellectionem vel hanc vel illam; facultati excitandi ab intrinſeco proprias ſpecies, de qua *cap. præced. n.* 8 a. ſufficit tùm neceſſitas moralis cognitionis directæ, tùm maximè abſoluta neceſſitas cognitionis confuſæ & indirectæ ſui ipſius, ex qua in cognitionẽ ſui directam facilè aſſurgeret quoties iſta careret; prærogativa primæ operationis, quam Thomiſtæ in Angelo volunt eſſe cognitionem ſui ipſius, & in quolibet prorsùs agente ponunt naturalem ac neceſſariam, intentum non infert, quia falsò nititur ſuppoſito ex dicendis.

8. Afferri hic ſolent auctoritates D. Thomæ qui 1. *p.q* 56 *art.* 1. *ad* 3. docet intellectum Angelicum non eſſe in potẽtia *maximè quantùm ad hoc, quod intelligit ſe ipſum*, & q. 8. de verit. art. 6. ad 7. ait *Intellectus Angeli non eſt in potentia reſpectu eſſentiæ eius, ſed reſpectu eius ſemper eſt in actu*, ead. quæſt. art. 14. ad 6. *Mens Angeli ſemper ſe actualiter intelligit, quod ideò contingit, quia mens Angeli intelligit ſe per eſſentiam ſuam, quâ ſemper informatur.* Hæ auctoritates ſolùm oſtendunt Angelũ ſemper eſſe in actuali intellectione ſui ipſius, & quidem directa, cum loquatur S. Doctor de intellectione, quâm Angelus ſe ipſum intelligit per eſſentiam propriam; at inde non infertur quod ad intellectionem illam phyſicè neceſſitetur, cum neceſſitas moralis optimè ſufficiat ad hoc, ut Angelus ſemper in tali intellectione permaneat: Deinde quomodocumque auctoritates intelligantur non officiunt noſtro aſſerto, in quo præcisè ſtatuimus neceſſitatem phyſicam intelligendi ſe ipſum in Angelo non ſufficienter probari ratione, quidquid ſit deinde utrùm ſufficienter probetur auctoritate.

Mens D. Thomæ circa cognitionem ſui ipſius in Angelo.

Dubitatur hic: Vtrùm cognitio directa ſui ipſius, à quâ Angelus licèt phyſicè ceſſare poſſit rationibus inſiſtendo, ex auctoritate tamen S. Thomæ & graviorum Theologorum de facto nunquam ceſſat, & habet moralem neceſſitatem non ceſſandi, utrùm inquam talis cognitio ſit ſemper comprehenſiva.

9. Reſpondetur negativè, ratio eſt quia cum cognoſcens nequeat ex alibi dictis habere cognitionem perfectiorem comprehenſione ſui, comprehendendo ſe ipſum exerit totam ſuam virtutem cognoſcitivam, & quamvis poſſit ſimul alia cognoſcere quatenùs cognoſcibilia eſſe poſſunt per propriam eſſentiam eodemque actu, quo ſe ipſum comprehendit, non ſic poteſt ſimul alia cognoſcere per medium diverſum à propria eſſentia, & actu diſtincto à comprehenſione ſui; Angelus igitur nullum aliud objectum poſſet directè attingere per actum diſtinctum à cognitione ſui ipſius, ſi ſemper eſſet in actuali ſui comprehenſione, ſentiendum igitur utplurimùm eſſe in cognitione non comprehenſiva, ſed valde inadæquata & remiſſa; adeò ut quo cognoſcit plura alia à ſe, eo minùs cæteris paribus cognoſcat ſe.

Cognitio ſui ipſius in Angelo ut plurimũ non eſt cõprehenſiva.

Dices ſubſtantiam intellectualem non poſſe quidem ex ſe elicere cognitionẽ perfectiorem comprehenſione ſui; poſſe tamen cum iſta cõponere alias cognitiones, quando ei ſuperadduntur vires ultrà eas, quas habet ex ſe præcisè, quales vires ſuperadduntur Angelo, dum ei ſpecies infunduntur. Sed contrà: Species non ſunt vires ſuperadditæ ex parte potentiæ, nec iſtam ex parte ſui perficiunt, ideò, &c. & quando ex quacumque ſuperaccreſcente virtute, etiam ex parte objecti ſolùm non ex parte potentiæ, poſſet intellectualis ſubſtantia habere cognitionem perfectiorem comprehenſione ſui; nulla eſſet ratio cur inferior Angelus per ſubſtantiam Angeli ſuperioris ſibi intentionaliter unitam non poſſet ſuperiorem comprehendere.

---

§. II.

An & quomodò Angelus poſſit ſimul intelligere plura vel etiam omnia à ſe naturaliter intelligibilia.

ASSERT. 1. Nec uno nec pluribus actibus poteſt Angelus intelligere ſimul omnia à ſe naturaliter intelligibilia. Ita Vaſquez *hic diſput.* 221. *cap.* 3. Molina *q.* 58. *art.* 2. *diſp.* 2. aliique Theologi communiſſimè contrà Durandum *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 8. & Gregorium *in* 2. *diſt.* 11. *q.* 1. qui tamen duo Auctores inter ſe diſcrepant in eo, quod Durandus velit Angelum unico actu & ſemper intelligere omnia à ſe naturaliter intelligibilia, Gregorius velit id præſtari ab Angelis per plures actus, à quorum quolibet poſſint ceſſare & iterùm ad eundem reduci: Aſſertum procedit ex ſuppoſitione, quod Angelus ſit ſemper ſufficienter conſtitutus in actu primo in ordine ad omnia à ſe naturaliter intelligibilia, qualis à nobis ponitur eſſe per ſpecies ab initio infuſas, nam in ſententia Scotiſtarum, aliorumque tribuentium Angelis ſpecies cum ſucceſſione extrà controverſiam eſt Angelum non poſſe omnia objecta ſibi proportionata ſimul intelligere in actu ſecundo, cum non ſit in ordine ad omnia ſimul conſtitutus in actu primo per comprincipia ex parte ipſorum prærequiſita ad actum ſecundum. 10.

Angelus nequit intelligere ſimul omnia à ſe naturaliter intelligibilia.

Probatur aſſertum univerſaliter tùm ex eo quòd juxtà ſupradicta nequeat Angelus habere cognitionem perfectiorem comprehenſione. 11.

ſione ſui, quod quidem procedit ſivè formaliter ſivè æquivalenter, ideſt ſivè uno ſivè pluribus actibus; tùm ex eo, quòd juxtà infrà dicenda *num.* 15. actus attingens omnia, quæ per unam ſpeciem univerſalem repræſentantur eſt adæquatus intellectui habenti talem ſpeciem, nequit igitur Angelus ſimul intelligere plura, quàm per unam ſpeciem repræſententur; atqui nunquam omnia naturaliter ab Angelo intelligibilia per unicam ſpeciem repræſentantur *ex praced. cap.* 1. §. 7. ergo. Confirmatur inductione cauſarum omnium, quæ regulariter nequeunt ſimul præſtare in actu ſecundo illud totum, ad quod habent ſufficientem virtutem in actu primo; ergo ſimiliter Angelus nequit ſimul in actu ſecundo intelligere ea omnia, ad quæ eſt per ſpecies conſtitutus in actu primo.

Dices: Si poſſent Angelis à Deo infundi actus intelligendi, non minùs eſſet connaturale Angelis à Deo ſimul recipere intellectiones omnium naturaliter intelligibilium, quàm iiſdem connaturale ſit de facto à Deo ſimul recipere illorum omnium ſpecies; atqui non eſt major ratio quòd Angeli poſſint connaturaliter intellectiones illas recipere, quàm quòd poſſint connaturaliter ipſas elicere ſuppoſitâ infuſione ſpecierum ad id ſuf-
12. ficientium; ergo. Sed contrà: tranſeat major, nego minorem, & ſicuti ex eo quod Angeli de facto connaturaliter rerum omnium exiſtentiũ ſpecies recipiant nõ ſequitur, quòd poſſint eaſdem producere, ità ex eo quòd poſſent ſimul recipere rerum omnium intellectiones, non ſequitur, &c. ratio à priori eſt quia longè major virtus & efficacitas requiritur ad productionem, quàm ad receptionem; unde etiam quod propriâ virtute producit eſt perfectius producto, & ipſum vel formaliter vel eminenter continet; non ſic quod propriâ virtute recipit; adhuc tamen

Saltem ſupponendo quod intellectiones aliundè nõ recipiat.

Dices ex Gregorio, quamvis ſit majoris virtutis producere, quàm recipere; non eſt tamẽ majoris virtutis producere plures actus per plures ſpecies, quàm unum actum per unam ſpeciem, ſicuti non eſt majoris virtutis ſuſtinere plura pondera cum pluribus, quàm unicũ cum unicâ concausâ, ergo Angelus non indiget majori virtute ad intelligenda ſimul omnia per ſpecies infuſas rerum omnium, quàm ad intelligendum pauciora vel etiam unum, per pauciores vel unam ſpe-
13. ciem. Sed contrà: recolendum ex alibi dictis cauſas alias eſſe homogeneas & concurrentes ad effectum diviſibiliter, hujuſmodi ſunt plures trahentes navim, vel ſuſtinentes pondus; alias etherogeneas & concurrentes ad effectum indiviſibiliter, hujuſmodi ſunt oculus & lumen, intellectus & ſpecies; in cauſis partialibus primi generis poteſt quælibet cauſa multiplicatis concauſis partialib. majorẽ & majorẽ effectũ producere abſq; eo quod ipſa impendat majorem virtutem; non ſic in cauſis partialibus ſecundi generis, ideò, &c. Et hinc obiter corroboratur ſolutio allata ad inſtantiam poſitam ſub *num.* 9. cujus quidem inſtantiæ doctrinam admittens Eſparza *hic q.* 16. *ad* 3. ægrè poterit contrà Gregorium

Cauſæ partiales aliæ inter ſe homogeneæ, aliæ etherogeneæ.

ſuſtinere non poſſe naturaliter Angelum ſimul intelligere omnia quorum habet ſpecies infuſas.

Aſſert. 2. Tùm uno, tùm pluribus actibus 14.
poteſt Angelus immediatè intelligere ſimul plura. Dixi *immediatè*, nam quòd Angelus plura intelligat mediatè, & indirectè non ſolùm poſſibile, ſed ferè neceſſarium eſt, quia vix poteſt adeò diminutè & remiſsè ſe ipſum cognoſcere, quin cognoſcat multiplicem habitudinem ad plura alia, & quia nulla res eſt, quæ omni careat habitudine & connexione ad multa, nullam rem poteſt ſaltem perfectè cognoſcere, quin indirectè & mediatè cognoſcat ea plura, ad quæ talis res dicit habitudinem; at in præſenti loquimur de cognitione immediatâ, quâ intelliguntur plura in ſe ipſis, ac per ſpecies proprias, & aſſertum hoc modo intellectũ tradit D. Thomas 1. *p. q.* 58. *art.* 2. & *q.* 85. *art.* 4. *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 4. *de verit. q.* 8. *art.* 14. & licèt his locis loquatur S. Doctor ſolùm de cognitione plurium unico actu, alibi tamen docet poſſe Angelum ſimul habere plures actus ut videre eſt 1. *p. q.* 58 *art.* 7. *ad* 2. & *q.* 62. *art.* 7. *ad* 3. item *quodlib.* 9. *art.* 7. *in c.* Tradunt inſuper aſſertam veritatem cum Thomiſtis Molina *q.* 58. *art.* 2. *diſp.* 1. Vaſquez *diſp.* 220. *cap.* 2. Lugus *diſp.* 14. *cap.* 2. Arriaga *diſp.* 11. *ſect.* 5. Averſa *q.* 58. *ſect.* 2. &c. Contrà Durandum *quæſt.* 1. *prologi n.* 54. ubi ſentit non poſſe naturaliter eſſe ſimul in intellectu plures actus diſtinctos, & conſequenter ſecundùm ipſum nequeunt naturaliter ab Angelo plura ſimul cognoſci diſtinctis & pluribus actibus, ſed ſolùm unico.

Angelus poteſt immediatè intelligere plura ſimul.

Probatur aſſertum primò quoad immedia- 15.
tam cognitionem plurium ſimul uno actu: Angelus poteſt habere actum adæquatum cuilibet ſpeciei ſibi connaturali, quod eſt idem ac dicere, poteſt per unum actum cognoſcere quidquid per unam ſpeciem ſibi connaturalem repræſentatur, atqui per unam ſpeciem, cum quælibet univerſalis ſit, plura repræſentantur, ergo per unum actum poteſt plura cognoſcere; Major probatur, quia intellectus Angelicus perfectior in tantùm exigit univerſaliores ſpecies, in quantum poteſt elicere univerſaliores actus, & illæ ſicuti dantur propter actus, ità dantur inæquales propter inæqualitatem actuum; ergo verè Angelus poteſt habere actum adæquatum cuilibet ſpeciei ſibi connaturali. Confirmatur quò perfectior eſt ſenſus eò plura ſimul uno actu percipit, & oculus quò perſpicacior eſt eò plura videt unico intuitu; ergo intellectus Angelicus plura intelligit unico actu, imò etiam eò plura quò perfectior eſt; & certè non ſolùm major intenſio, ſed etiam major extenſio actus ſpectat ad intelligendi perfectionem.

Tùm uno actu.

Dices: Angelus, qui eliceret actum adæquatum alicui ſpeciei ſibi connaturali eliceret actum adæquatum propriæ virtuti intellectivæ, cum quo per conſequens non poſſet ſimul componi aliqua alia cognitio, neque etiam ſui ipſius; atqui Angelus ſaltem moraliter loquendo non poteſt ceſſare à co-

gnitione ſui ipſius ; ergo ſaltem moraliter non poteſt elicere actum adæquatum alicui ſpeciei ſibi connaturali, adeoque hinc malè infertur quod poſſit immediate plura ſimul intelligere uno actu. Sed contrà : actus ali-
16. quis poteſt eſſe adæquatus virtuti intellectivæ, vel conſideratæ ſub præciſâ ratione potentiæ & in puro actu primo, vel conſideratæ in quâdam actualitate ſibi moraliter neceſſariâ, & in eâ cognitione ſui à quâ moraliter nequit deſiſtere ; Angelus, qui eliceret actum adæquatum alicui ſpeciei ſibi connaturali, eliceret actum adæquatum propriæ virtuti ſecundo tantùm modo, non primo ; certum enim eſt actum adæquatum alicui ſpeciei repræſentanti plures res inferiores non eſſe æqualis perfectionis cum actu, quo Angelus ſe ipſum poteſt comprehendere, & quo ſolo propriam virtutem intellectivam præciſè acceptam adæquat; poteſt igitur cum aliquâ cognitione ſui, dummodò comprehenſiva non ſit, componere actum adæquatum alicui ſpeciei ſibi connaturali. Adde quòd, cùm per nos phyſicè & ſimpliciter liberum ſit Angelo ceſſare ab omni directa cognitione ſui, nullum eſt abſurdum, ſi nequeat permanendo in aliquâ ſui cognitione elicere ullum actum alicui ſpeciei infuſæ adæquatum, eſſet enim hoc per accidens & ex libertate Angeli ; non per ſe & ex improportione virtutis intellectivæ ad ſpeciem connaturaliter infuſam.

17. Tùm pluribus.

Probatur aſſertum ſecundò quoad immediatam cognitionem plurium ſimul pluribus actibus. Angelus liberè utitur quâlibet ſpecie, non ſolùm quatenùs poteſt illâ uti vel non uti abſolutè, ſed etiam quatenùs poteſt illâ uti ſecundùm repræſentativitatē vel adæquatam vel inadæquatam ; vel majorem vel minorem ; cum enim datâ etiam neceſſitate cognoſcendi propriam eſſentiam habeat tamen libertatem cognoſcendi eam magis, vel minùs ; à fortiori habebit hanc libertatem cognoſcendi magis vel minùs objecta repræſentata per quamlibet ſpeciem infuſam, ad quæ aliquomodo cognoſcenda nullam habet neceſſitatem ; hoc ſuppoſito cur non poterit Angelus per plures inadæquatos actus vel uti inadæquatè pluribus ſpeciebus, vel attingere plura partialia & inadæquata objecta ejuſdem ſpeciei? ſicque plura ſimul pluribus actibus immediatè cognoſcere.

Dices : D. Thomas 1. *p q.85. art.4. in c.* & alibi ſæpè, comparat ſpecies intentionales formis, figuris, coloribus, & ait quod ſicuti impoſſibile eſt idem corpus ſimul perfici diverſis formis, vel figurari diverſis figuris, vel colorari diverſis coloribus ; ità impoſſibile pariter eſt eundem intellectum ſimul informari actu diverſis ſpeciebus ad plura intelligenda ; ergo non poteſt Angelus pluribus actibus plura intelligere ſal-
18. tem per plures ſpecies. Sed contrà : quoad figuras paritas non poteſt eſſe, niſi valdè diminuta ; pluribus enim figuris neque divinitùs poteſt idem corpus figurari, & tamen quis dicat per plures ſpecies neque etiam divinitùs poſſe ſimul plura cognoſci ? cum de facto beati ſimul cognoſcant plura in verbo, ipſomet actu viſionis, plura alia in proprio genere actibus à viſione diſtinctis, adeoque cognoſcant ſimul plura pluribus actibus & per plura media : Quoad formas & colores paritas ſolùm probat eundem intellectū non poſſe ſimul informari diverſis ſpeciebus ad plura ſimul intelligenda actibus vel adæquatis vel contrariis, quia ſolùm formæ adæquatæ nequeunt idem ſubjectum ſimul perficere, ſolùm colores contrarij nequeunt idē ſubjectum ſimul colorare ; cæterum quoad actus inadæquatos, & non contrarios paritas noſtro favet intento, quia ſicuti plures formæ partiales, plures colores non contrarij poſſunt ſimul idem ſubjectum perficere & colorare ; ità &c.

Paritas ſpecierum cū figuris formis & coloribus.

Aſſert.3. De Angelo plura ſimul intelligente poteſt ſub diverſa ratione dici ; tùm 19.
quod ſemper intelligat plura ut unū ſeu per modum unius ; tùm quod aliquando intelligat plura ut plura ſeu per modum plurium. Hoc aſſerto ad aliqualem concordiam reducuntur ſententiæ extremæ oppoſitæ, quarum altera eſt Ægidij *in 1. diſt.3. part.2. q.2.a.3.* Durandi *in 2. diſt.8.q.8. num.7.* Cajetani 1. *p. q.58. art.2. & q.85. art.4.* Ferrarienſis 2. *cont. Gent. cap.55.* Goneti *hic diſp.10. art.2.* & tùm omnium Thomiſtarum, tùm plurium Recentiorum, ſimpliciter docentium Angelum non poſſe intelligere multa niſi per modum unius, & volentium id etiam abſolutè ſenſiſſe S. Doctorem : Altera eſt Molinæ 1. *p.q.58.a.2.diſp.1.* Valentiæ *diſp.4.q.9.punct.3.* Vaſquij *diſp.220. cap 2. n.17.* aliorumque ſimpliciter docentium Angelum poſſe ſimul intelligere plura per modum plurium. Utriuſque ſententiæ Auctores habere potiùs de nomine & dè modo loquendi, quam de re ipſâ, diſſidium rectè notant Suarez *lib.2. cap.37. num.8.* & Lugus *diſp.14. cap.2. n.17.* undè utraque opinio ſano modo & ſecundùm aliquem legitimum ſenſum intellecta optimè poteſt ſuſtineri & conciliari, ſicque aſſertum

Conciliantur opiniones oppoſitæ circà cognitionē plurium per modū plurium vel per modum unius.

Probatur & explicatur : Cognoſcere plu- 20.
ra ut unum ſeu per modum unius ſignificare poteſt cognoſcere plura in ordine ad unum eumdemque ultimum finem ; item cognoſcere plura per intellectionem, quæ aut ſit formaliter unus actus, aut ſaltem uni ſoli actui adæquato æquivaleat ; in utroque hoc ſenſu Angelus ſemper intelligit plura ut unum. Cognoſcere plura ut plura ſeu per modum plurium ſignificare poteſt plura ut diſtincta & diverſa ab invicem ; item cognoſcere plura per plures ſpecies & plures actus, partiales tamen & ſubordinatos ſaltem ratione unius ejuſdemque finis; in utroque hoc ſenſu Angelus aliquando intelligit plura ut plura ex doctrinâ aſſerti præcedentis ; nec ſimultaneæ cognitioni plurium ut plurium in hoc ſenſu adverſatur S. Doctor, qui ubicumque videtur oppoſitum tradere, intelligi optimè poteſt de cognitione plurium ut plurium per plures adæquatas ſpecies, & plures adæquatos ac nullatenùs ſubordinatos actus ; eodem modo (quantùm eſt ex vi

termino

terminorum) intelligi poſſunt verba quæ ex Ariſtotele ſolent in præſenti afferri qui 2. *topic. cap.*4. dixit *contingit plura ſcire, cogitare autem non* & 4. metaph. cap. 4. tex. 10. *Nihil intelligere contingit, niſi intelligente unum*; dixi *quantùm eſt ex vi terminorum*, nam quantùm ad rerum contextum verba illa nihil faciunt ad præſens inſtitutum, & (præter quod Philoſophus locutus eſt de intellectu humano) primo loco ſolùm intendebat quod multa ſcire non idem ſit ac multa cogitare, eo quod qui multa habitualiter ſcit, aliquando unum, non multa actualiter cogitet; Secundo loco agebat de ſignificatione nominum, & docebat nomen in diſputationem adductum debere ſignificare unum quid, alioqui continget diſputantem nihil de diſputatione intelligere ſi per nomen non intelligat unum.

21. Quæ hucuſque de cognitione plurium ſimul dicta ſunt de intellectu Angelico, procedunt proportionaliter de intellectu humano, quatenùs licèt intellectus humanus nequeat ad tot ſimul ſe extendere, ad quot Angelicus; intrà latitudinem tamen propriæ activitatis, & intrà multitudinem objectorum ſibi proportionatam poteſt plura vel pauciora pro libito ſimul cognoſcere; imò faciliùs in homine, quam in Angelo apparet facultas cognoſcendi plura, vel pauciora; pauciora quidem, quia cum non habeat ſpecies univerſales, ut aliquod unum præcisè cognoſcat, non eſt neceſſe quod ſpeciem quaſi dimidiet eâq; inadæquatè utatur; plura item, quia propter eamdem rationem ſpecierum non univerſalium nulla eſt vel apparens difficultas in eo, quod pluribus ſpeciebus ſimul utatur.

---

§. III.

An & quomodo Angelus intelligat diſcurrendo.

22. ASSERT. 1. Certum eſt admitti debere in Angelo diſcurſum aliquem minùs propriè, & minus rigorosè dictum.

Diſcurſus ex vi nominis quid & quotuplex.

Probatur & explicatur: Diſcurſus ex vi nominis eſt quidam mentis curſus ab unâ in aliam cognitionem, vel ab uno in aliud objectum etiam vi ejuſdem cognitionis; ut cum quis eodem actu cognoſcendo cauſam & effectum, cognoſcit ex causâ effectum, vel ex effectu cauſam: quando eſt ab uno in aliud objectum vi ejuſdem cognitionis dicitur diſcurſus virtualis; quando eſt ab unâ in aliam cognitionem dicitur diſcurſus formalis, & ex D. Thomâ 1. *p. q.* 14. *art.* 7. *in c.* alius eſt ſecundùm ſucceſſionem tantùm & conſiſtit præcisè in eo, quòd plura cum pluralitate actuum ſibi ſuccedentium cognoſcãtur; alius eſt ſecundùm cauſalitatem & conſiſtit in eo quòd una cognitio cauſetur ex aliâ, ſivè deindè alteri ſuccedat tanquam poſterior tempore, ſivè ſolùm tanquam poſterior naturâ: Porrò certum eſt in Angelis admitti debere diſcurſum tùm virtualem cùm enim hunc *tract.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 23. admiſerimus in Deo, non eſt cur eum non admittamus in Angelis? tùm formalem ſecundùm ſucceſſionem, quia cum ex ſupradictis Angelus nec uno actu nec ſimul cognoſcat omnia à ſe naturaliter cognoſcibilia, perſpicuũ eſt ex neceſſitate habere aliquam actuũ ſucceſſionem; multo magis talem ſucceſſionem habet ex libertate, quâ poteſt modò unum, modò alterum actum pro libito elicere; atqui diſcurſus tùm virtualis, tùm formalis ſecundùm ſucceſſionem; eſt ex omnium Theologorum ſenſu diſcurſus minùs propriè, & minùs rigorosè dictus; ergo certum eſt admitti debere, &c.

Quoad diſcurſum formaliter ſecundùm cauſalitatem, qui ſolus eſt ſimpliciter & propriè diſcurſus, negant ipſum in Angelis omnimodè & abſolutè Ioannes à S. Thomâ *hic diſp.* 22. *art.* 4. Gonet *diſp.* 9. *art.* 3. Ferrarienſis 3. *cont. Gentes cap* 91. Valentia *quæſt.* 9. *punct.* 2. Eſparza *q.* 15. *art.* 2. aliique nonnulli Recentiores ſecuti torrentem Thomiſtarum pro ſe aſſerentium S. Doctorem 1. *p. q.* 58. *art.* 4 *& de verit. q.* 8. *art.* 15. Aſtruunt è contrà omnimodè & abſolutè diſcurſum illum in Angelis Scotus *in* 2. *diſt.* 1. *q.* 6. §. *Contrà anima, verſic. Item quæritur & diſt.* 7. *q.* 1. §. *Contrà concluſionem verſic. Quod etiam*, Gregorius *ead. diſt.* 7. *q.* 5. *art.* 2. Gabriel *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 3. Herinex *hic diſp.* 3. *q.* 4. *num.* 32. Ochamus *in* 2. *q.* 16. cæteriqùe Scotiſtæ & Nominales; quibus favent Dequiros *hic diſp.* 65. *ſect.* 2. *num.* 8. Averſa *q.* 58. *ſect.* 4. *in fine* ſentientes Angelos non indigere quidem, poſſe tamen ex libertate uti diſcurſu etiam circà ea, quæ evidenter ipſis patent. Has inter extremas Thomiſtarum, & Scotiſtarum ſententias, medio incedunt tramite Molina 1. *p q.* 58. *art.* 3. Amicus *diſp.* 14. *num.* 3. Lugus *diſp.* 14. *cap.* 3. *num.* 9. Arriaga *diſp.* 11. *ſect.* 8. *conc.* 3. Mastrius *q.* 3. *a.* 16. *num.* 4. docentes diſcurrere Angelum circà ea, quæ eis naturaliter evidentia non ſunt, ut futura libera, ſecreta cordium, entia ſupernaturalia; non ſic circà objecta naturalia ipſis evidenter patentia per proprias ſpecies. 23.

Circa diſcurſũ formalem propriũ in Angelis variæ ſententiæ.

Aſſert. 2. In ordine ad nullum prorsùs objectum datur in Angelo ex indigentiâ & neceſſitate diſcurſus formalis propriè dictus; nec diſcurſus formalis ducere poteſt in notitiam aliquam, quam Angelus nequeat habere abſque diſcurſu. Ità Thomiſtæ, Valentia, Eſparza, Dequiros, &c. contrà Scotiſtas, Nominales, Molinam, Amicum, Lugum, Arriagam, &c. ut mox retulimus. 24.

Quoad talis diſcurſus indigẽtiam præfertur ſententia negativa.

Probatur primò in univerſum ratione D. Thomæ *hic quæſt.* 58. *art.* 3. *in c.* Angeli ſe habent ad homines in eſſe intelligibili, ſicut corpora cæleſtia ad ſublunaria in eſſe corporali; ſed corpora cæleſtia ſtatim ab initio habent omnem ſuam perfectionem corporalẽ; eam verò corpora ſublunaria habẽt per mutationem & motum, quo tranſeunt ab eſſe imperfecto ad eſſe perfectum; ergo Angeli ſtatim & unico actu conſequũtur illam perfectionem intelligibilem, ad quam homines

perveniunt

perveniunt per diſcurſum & motum ab unâ cognitione in aliam. Hanc eandem D. Thomæ rationem quamvis ſub diverſis terminis affert Eſparza *hic q.15. art.3.* dicens; Angelus ratione ſuæ ſimplicitatis eſt incapax trãſmutationis; nec proficit temporis decurſu per tranſmutationem acquiſitivam & augmentativam ſubſtantialem, ſicut proficit homo; ergo ſimiliter non proficit intellectualiter, ſicut proficit homo per diſcurſum, qui eſt quædam tranſmutatio intellectualis augmentativa & perfectiva intelligentis; atque adeò conſtituitur in termino totius perfectionis intelligendi per primam inſpectionem ſimplicem objecti, ſicut conſtituitur in termino totius perfectionis ſuæ phyſicæ per primum ſui eſſe.

25. Dices: Hoc modo probaretur Angelos omnia naturaliter intelligibilia ſimul ab initio cognoviſſe, nullamque novam notitiam decurſu temporis comparare; ſicuti corpora cæleſtia omnem ſuam perfectionem ſimul ab initio ſuſceperunt, & Angeli ipſi in eſſe phyſico nihil de novo acquirunt. Sed contrà: paritas procedit quoad modum habendi perfectiones, non quoad ipſarum perfectionum multitudinem ac numerum; & intendimus, quod Angelus, quoties notitiam aliquam ſeu perfectionem intellectualem aquirit, eam aquirat non ſe movendo ab imperfecto ad perfectum, ſicuti nec Angeli ipſi, nec corpora cæleſtia ab imperfecto ad perfectum ſe movẽt in acquirendâ propriâ perfectione phyſicâ: Cæterùm aliundè conſtat non poſſe Angelum habere ſimul omnem actum ſecundum perfectionis intellectualis cognoſcendo ſimul omnia intelligibilia, quamvis & ipſi & corpora cæleſtia habeant ſimul ab initio omnem perfectionem phyſicam.

26. Probatur ſecundò ſpecialiter quoad ea, quæ Angeli non cognoſcũt immediatè, & per ſpecies proprias; aut etiam cognoſcunt ſolùm conjecturaliter. Angelus eodem intuitu quo rem aliquam in ſe ipsâ & per ſpeciem propriam attingit, poteſt cognoſcere omnem connexionem ſivè neceſſariam ſivè contingentem talis rei cum aliis; ergo ut ex vi connexionis unius rei cum aliis res alias cognoſcat aut certò, aut probabiliter, & conjecturaliter prout connexio aut neceſſaria eſt aut contingens, Angelus non indiget procedere per cauſalitatem unius cognitionis ab aliâ; & ut ex objecto cognoſcat quidquid poteſt ex ipſo cognoſcere, non indiget multiplicatione actuum, ſed ſufficit, quòd revocando vires cognoſcitivas fortè circà alia diſperſas vim majorem exerat in eliciendo actu, quo objectum illud inſpicit; ſed diſcurſus formalis propriè dictus importat multiplicationem actuum & cauſalitatem unius actus ab alio; ergo neque quoad ea, quæ aut ex aliis, aut etiam conjecturaliter ſolùm cognoſcuntur, Angelus indiget formali diſcurſu propriè dicto.

Etiam loquendo de objectis quæ Angelus non cognoſcit immediatè.

Dices ex Molinâ, ſæpè Angeli ità cognoſcunt unum ex alio, ut cognoſcant unum abſtractivè, aliud intuitivè, ſic cognoſcendo ex propriâ ſubſtantiâ Deum, cognoſcunt intuitivè propriam ſubſtantiam, abſtractivè Deum; atqu hoc non poteſt fieri unico actu, quia unus & idem actus nequit eſſe intuitivus & abſtractivus; ergo neceſſariò ad id indigent duplici actu, quorum unus attingat abſtractivè Deum, & cauſetur ab alio attingente intuitivè ſubſtantiam propriam.

Sed contrà; jam *tract. 1. lib. 2. cap. 5. num. 15.* 27. diximus nullam eſſe repugnantiam in eo, quod eadem cognitio reſpectu diverſorum objectorũ abſtractiva ſimul & intuitiva ſit. Neque urgeas tunc ſolùm eandem cognitionem poſſe eſſe intuitivam ſimul & abſtractivam, quando quod in alio & abſtractivè cognoſcitur, cognoſcitur certò & evidenter, & æquè benè ac, ſi cognoſceretur in ſe ipſo, quod ut plurimùm non evenit in cognitione naturali Angeli ſæpè attingentis obſcurè tantùm, & probabiliter ea, quæ ex alio abſtractivè cognoſcit; ex hoc capite durum videtur Molinæ, quod cognitio Angelica naturalis eſſe ſimul poſſit intuitiva & abſtractiva, quamvis id non neget viſioni beatæ & ſcientiæ Dei; & in hoc Molinæ favet Averſa *ſect. 1. præcit.* difficiliorem ſe præbens in admittendo quòd eadem notitia reſpectu diverſorum eſſe poſſit evidens & obſcura,

Eadem cognitio poteſt eſſe intuitiva & abſtractiva reſpectu diverſorũ.

certa & probabilis. Contrà enim, ſicuti idem 28. actus viſionis corporeæ, quæ propinquiora ſunt attingit clarè, obſcurè quæ remotiora, propter diverſam ad utranque potentiæ viſivæ applicationem; ità nil mirum, quòd idem actus notitiæ intellectualis propter diverſam potentiæ aplicationem, & diverſum modum tendendi in diverſa objecta, attingat unum certò & evidenter, alterum probabiliter & obſcurè: Cognitio igitur eodem reſpectu diverſorum eſſe ſimul poteſt evidens & obſcura, certa & probabilia, ac per conſequens cognitio intuitiva eſſe poteſt abſtractiva, etiã quando objectum, quod abſtractivè cognoſcitur, non cognoſcitur certò & evidenter.

Item evidens & obſcura, certa & probabilis.

Dices ex Arriagâ *præcit. ſect. 8. n. 62.* facilè contingere poteſt aliquem effectum pendere à cauſis diverſis, quæ ab Angelo cognoſcantur diſtinctis actibus; at talis effectus non poterit ab Angelis cognoſci ex cauſis, niſi per diſcurſum; quia non poterit cognoſci niſi per actum diſtinctũ & cauſatum ab actibus, quibus cauſæ cognoſcuntur; ergo facilè contingere poteſt Angelum ad alicujus objecti cognitionem indigere diſcurſu; minor probatur, in nullâ causâ ſeorſim effectus continetur, ut ſupponitur; ergo cognitio effectus debet eſſe diſtincta ab actibus attingentibus cauſas ſeorſim, debet inſuper eſſe ab iiſdem actibus cauſata, quia cognitio effectus ex cauſis debet eſſe aut indiſtincta aut cauſata à cognitione cauſarum, cum igitur in præſenti ſupponatur non eſſe indiſtincta, conſequens

eſt quòd ſit cauſata. Sed contrà: ſolùm ex li- 29. bertate Angeli præſtantis pluribus actibus inadæquatis id, quod unico præſtare poſſet, non verò ex neceſſitate, contingere poteſt duas cauſas diſtinctis actibus ſimul attingi; nam cum per nos poſſit Angelus uno actu plura etiam per diverſas ſpecies repræſentata intelligere conſequens eſt, ut poſſit ſemper

uno

uno actu attingere quæcumque poteſt ſimul attingere actibus diſtinctis: ſicque inſtantia probat ad ſummum aliqualem diſcurſum in Angelo reperiri poſſe ex libertate, non ex indigentiâ; quod favet ſequenti aſſerto, non officit præcedenti.

30. Aſſert. 3. Dari poteſt in Angelo ex ipſius Angeli libertate diſcurſus formalis propriè dictus etiam circà objecta ſibi proportionata, & evidenter intelligibilia naturaliter. Ità Dequiros & Averſa locis ſuprà citatis, nec non à fortiori Scotiſtæ, & Nominales contrà Thomiſtas & nonnullos Recentiores.

Angelus habet libertatem, quamvis non indigentiam diſcurrēdi.

Probatur & explicatur; Angelus *ex præced. n.* 17. habet facultatem utendi ſuis ſpeciebus inadæquatè, & non comprehēdendi objecta per ſpecies repræſentata ſicque vtendo ſpecie ignis inadæquatè & ad cognitionem non comprehenſivâ poteſt cognoſcere ignē abſque eo, quod eodem actu cognoſcat calorē, poteſt per conſequens ex cognitione ignis procedere ad cognoſcendum calorē diſtincto actu, quod eſt procedere modo diſcurſivo; ſicque, v. g. poteſt Angelus ex libertate ſuâ ità diſcurrere *vbicumque eſt ignis eſt calor*; deinde utendo ſpecie ignis inadæquatè ad repræſentandam præcisè ignis ſubſtantiam dicere *hìc eſt ignis* poſteà inferre *ergo hìc eſt calor*. Diſcurrunt igitur Angeli ex facultate utendi ſpeciebus inadæquatè, non ex neceſſitate cognoſcendi aliquid ignotum, eo ferè modo, quo ut ait D. Thom. *3. p. q.* 11. *a.* 3. *in c.* interdum ſcientes ex cauſis concludunt effectus non ut de novo addiſcant, ſed volendo uti ſcientià, quam iam habent.

Dices: Angelus neque etiam ex ſuâ libertate poteſt à ſe abdicare modum cognoſcēdi ſibi connaturalem, & ſibi aſſumere modum cognoſcendi proprium hominis; atqui cognoſcere cum diſcurſu formali propriè dicto eſt hominis proprium, & modus intelligendi connaturalis Angelo eſt cognoſcere per intuitum & inſpectionem rei in ſeipsâ; vnde etiam D. Thom. *de verit. q.* 8. *a.* 15. *in c.* vult Angelos intellectuales ſolùm dicendos eſſe non rationales, & 1. *p. q.* 51. *a.* 1. *ad* 2. ait D. Gregor. appellātem Angelum *rationale animal* fuiſſe metaphoricè locutum propter ſimilitudinem rationis; ergo Angelus neque etiam ex libertate poteſt diſcurrere. Sed cōtra:

31. dico modum connaturalem cognoſcendi in Angelo importare tùm intuitum, tùm diſcurſum; illum tamen magis principaliter; ſicuti è contrà modus cognoſcendi proprius hominis importat quidem principaliùs diſcurrere, quam intelligere, at non excludit; quin homo circà prima principia intelligat, non diſcurrat; eſt igitur tùm homo tùm Angelus rationalis ſimul & intellectualis, ſumendo tamen denominationem ab eo, quod eſt in quolibet principalius; Angelus iure dicitur intellectualis potius, quàm rationalis, homo rationalis potiùs, quam intellectualis; Dici etiā poteſt rationale hominis proprium eſſe quod importat diſcurrere ex indigentia & per dependentiam à ſenſibus, ac phantaſmatibus; quo certè modo nullatenùs poteſt Angelo convenire, & hâc de cauſâ non niſi metaphoricè Angelus eſt rationale animal; quia rationale per ly *animal* contrahitur ad ſignificandā rationem materialitati immerſam, & diſcurſum alligatum modo cognoſcendi materiali. Ex eo igitur quod Angelus liberè diſcurrat, nec abjicit modum cognoſcendi ſibi connaturalem, nec induit modum cognoſcendi proprium hominis.

In quo ſenſu rationalis dici nequeat.

Dices inſuper. Cognitio diſcurſiva datur in ſupplementum cognitionis immediatę, ergo nunquàm datur ubi dari poteſt immediata, neque enim ſuppletur quod per ſe ipſum præſto eſt; atqui *ex præced. n.* 24. dari poteſt in Angelo in ordine ad omnia objecta ab ipſo naturaliter cognoſcibilia cognitio immediata, ergo. Sed contrà: Cognitio diſcurſiva habet etiam propriam perfectionē minorem quidē perfectione cognitionis immediatæ, nō tamen omninò contemnendam; nec fortè incompoſſibilem cum cognitione immediatâ; in cujus propterea non ſupplementum ſolùm, verùm etiam conſortium vocari poteſt: Nihilominùs tranſeat ſimpliciter antecedens, diſtinguo conſequens, ergo nūquàm datur ex indigentiâ ubi &c. concedo, nunquàm datur ex libertate, nego; Spectat enim ad perfectionem principij liberi poſſe tùm immediatè tùm mediatè præſtare eamdē rem, ſic Deus medijs cauſis ſecundis multa præſtat, quæ poſſet immediatè præſtare per ſe ipſum, imò *ex tr.* 1. *lib.* 3. *c.* 2. *§.* 3. ſe ipſum cognoſcit tùm per ſe immediatè, tùm mediatè ex creaturis. 32.

Cognitio diſcurſiva quomodo detur in ſupplementum immediatæ.

Ex quo meminimus cognitionis immediatæ & mediatæ, advertendum occurrit eamdem cognitionem poſſe ſub diversâ ratione eſſe ſimul immediatam, & mediatam; immediatam ſcilicet ex parte actus; quatenùs non ſupponat aliam cognitionem à ſe diſtinctam, à quâ cauſetur; mediatam ex parte objecti, quatenùs feratur in objectum non immediatè per ſe ipſum, aut per ſpeciē propriam, ſed mediante alio cognitum: Hinc cognitio alia eſt immediata ex parte actus & objecti, alia mediata ex parte actus & objecti, alia immediata ex parte actus, mediata ex parte objecti; Prima neque formaliter neque virtualiter eſt diſcurſiva: Secunda eſt diſcurſiva formaliter: tertia eſt diſcurſiva virtualiter: dum Deus dicitur aliqua cognoſcere mediatè, ſermo eſt de cognitione mediatâ ſolùm ex parte objecti, neque enim fas eſt excogitare in Deo formalem diſcurſum; dum Angelus dicitur poſſe omnia à ſe naturaliter intelligibilia cognoſcere immediatè ſermo eſt de cognitione immediatâ præcisè ex parte actus, neque enim poteſt ex parte objecti immediatè cognoſcere ea, quæ non poteſt cognoſcere per ſpecies proprias, cuiuſmodi ſunt entia merè poſſibilia, futura antequàm exiſtant, ſecreta cordium antequàm revelentur, & negando Angelis omnem neceſſitatem formalis diſcurſus negamus quidem iiſdem neceſſitatem cognitionis mediatæ ex parte actus, ac non cognitionis mediatæ ex parte objecti, vtpotè importātis diſcurſū non formalē ſed virtualē tantùm, quē libēter admittimus eſſe Angelis neceſſariū in ordine ad ea, 33.

Cognitionu immediatæ & mediatæ explicatio.

Aliquis diſcurſus virtualis eſt in Angelo neceſſarius.

quæ nequit cognoſcere per ſpecies proprias.

34. Ex dictis habetur veritatis inquiſitionem, quæ à nobis fit per diſcurſum formalem & pluralitatem actuum, fieri ab Angelis per majorem penetrationem, inſpectionemq; rerum ad veritatē, quæ inquiritur, pertinentiū; in quâ quidem inſpectione aliquando miſcetur diſcurſus virtualis, at nunquā neceſſariò intervenit aut formalis diſcurſus aut actuum multiplicitas; quoties deindè adhibitis in inſpectione illâ totis ſuæ cognoſcivitatis viribus adhuc deficit Angelus à plenâ veritatis notitiâ, nō propterea ad formalem diſcurſum confugit, aut exiſtimat ſe per ipſum poſſe aliquid ampliùs de tali veritate dignoſcere, ſed potiùs efflagitat & expectat revelationē aliquam & illuſtrationē, aut à ſuperioribus Angelis, aut à Deo ipſo habendā; & deſiderium hujus illuſtrationis, non diſcurſus indigentiam arguit admiratio, quâ aliquando præſertim circa ſupernaturalia Angelos affici colligitur ex illo Iſa. 63. *Quis eſt iſte qui venis de Edom*: item ex Cantic. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum?*

Admiratio in Angelis non infert diſcurſum.

---

§. IV.

An & quomodò Angelus intelligat componendo & dividendo?

35. ASSERT. Certum eſt Angelum intelligere cum compoſitione aliquâ & diviſione minùs propriè dictâ; compoſitione verò, & diviſione formali propriè dicta in ordine ad nullum prorsùs objectum Angelus indiget, uti tamen ea poteſt ex libertate. Hoc aſſertum eoſdem habet tùm Propugnatores tùm Adverſarios, quos aſſerta §. præcedentis; nullus enim eſt, qui cæteris paribus non eodem modo ſentiat de compoſitione & diviſione, ac de diſcurſu.

Compoſitio, & diviſio in intelligendo quid?

Probatur & explicatur: Iudicium affirmativum in nobis dicitur compoſitio & judicium, negativum diviſio; quatenus antequā unum de alio affirmemus, aut negemus, apprehendimus diſtinctis cōceptibus ſimplices terminos quaſi indifferentes ad ſimul uniri & affirmari unum de alio, aut ad dividi ab invicem & negari unum de alio, unimus deindè aut dividimus, quando conſiderata terminorū aut convenientia aut diſconvenientia, unū de alio per actum judicij affirmamus aut negamus, & hoc modo actus judicij importat cōpoſitionē, diviſionemvè formalē, & propriè dictam; quia ſupponit realem actuū multiplicitatem, quod ſi id totum fieret unico actu, qui æquivaleret ſimul ſimplicibus apprehēſionibus terminorum, & affirmationi aut negationi unius de alio; talis unicus actus dici poſſet compoſitio & diviſio impropriè dicta & virtualis; ſicuti dicitur formalis & proprius vel virtualis & minùs proprius diſcurſus, prout pluribus actibus realiter diſtinctis, vel unico actu exercetur. Porrò in nobis neceſſitas componendi & dividendi formaliter, oritur ex eodem capite, ex quo neceſſitas formaliter diſcurrendi, nimirum ex eo quod nō poſſimus habere perfectam & comprehenſivam rerum inſpectionem, nec ſimul valdè multa cognoſcere; undè etiam in judicando non ſolemus multa ſimul de aliquo aut affirmare aut negare; & in diſcurrendo forma ſyllogiſtica, quæ poſſet ex multis præmiſſis cōſtrui redacta eſt ad duas, ut quando concluſio infertur poſſit haberi evidens memoria & notitia præmiſſarum: Angelus verò qui 36.
ex præcedenti num. 24. perfectionem ſuam intelligibilem acquirit totam ſimul, ſicuti per diſtinctas præmiſſas non procedit ad concluſionem; ità nec procedit per diſtinctas apprehenſiones ad judicium; loquendo ex neceſſitate & indigentia; ſed poteſt unico actu cognoſcere tùm plures terminos ſimplices tùm ipſorum aut identitatem aut diſtinctionem, licèt etiam propter libertatem, quam habet ad eliciendos actus inadæquatos, poſſit diſtinctis actibus inadæquatis cognoſcere terminos ſimplices, & deindè diſtincto pariter actu cognoſcere & affirmare identitatem aut diſtinctionem: Ecce quomodò datur in intellectione Angelicâ compoſitio & diviſio minùs propriè dicta, virtualis nimirum & eminens; compoſitio verò & diviſio formalis ac propria non datur quidem ex neceſſitate & indigentia, ſicuti in nobis, dabilis tamen eſt ex libertate.

Datur in Angelis virtualiter; formaliter verò dari in ipſis poteſt ſolùm ex libertate.

Dices ex Vaſquio *hic diſp.* 223. *c.* 1. quamvis benè ſalvetur Angelum nulla indigere multiplicitate conceptuum, ut de ſubjecto affirmet prædicata identificata aut ſaltem intrinſeca, & verè videat hæc ineſſe ſubjecto per ſimplicem ſubjecti intuitum, tamen videtur imperceptibile, quod nō indigeat prævia conceptuum multiplicitate, quando attribuit ſubjecto prędicata aut prorsùs extrinſeca, ut cum dicit lapis differt ab Angelo; aut ſupernaturalia, ut cum dicit natura humana eſt unita verbo; aut cum negat unum de alio dicendo v.g. lapis non eſt Angelus; ſi enim ad hæc judicia nō indiget Angelus prævijs apprehenſionibus, ſequitur ipſum eodē actu cognoſcere tū res ſupernaturales & naturales, tū omnia cognoſcibilia, quia de quolibet ſubjecto quodlibet cognoſcibile poteſt aut negari, aut affirmari, vel tāquā diverſū vel tāquā contrariū, ſi minùs tanquā identificatum & conveniens. Sed contrà: Adverto in pri- 37.
mis Angelum æquivalenter ſolùm, non formaliter formare judicia illa, lapis differt ab Angelo, natura humana eſt unita verbo, lapis non eſt Angelus, ſicuti etiam æquivalenter ſolùm, non formaliter format judicia enūtiantia de ſubjecto prædicata identificata, ut homo eſt animal rationale, Angelus eſt ſpiritualis; æquivalenter, inquam, hæc omnia judicia format, quatenùs unico intuitu in re ipsâ immediate cognoſcit identitatem inter hominem & animal rationale, diſtinctionem inter lapidē & Angelum, unionem inter humanam naturam & verbum &c. non formaliter, quatenùs formaliter affirmet, homo eſt animal rationale; aut formaliter neget lapis non eſt Angelus. Adverto inſuper nos judicare componendo & dividendo non præcisè quia judicium noſtrum præcedat aliqua alia cognitio, ſed quia præcedunt duo

Angelus affirmat unū de alio æquivalenter, non formaliter.

actus, ad quos ſubſequitur tertius illos duos priores vel potiùs illorum objecta invicem collata uniens aut dividens. Adverto tandem judicium formari poſſe vel cum cognitione diſtincta utriuſque extremi, vel cum cognitione diſtincta unius & confuſa alterius, quæ cognitio confuſa alterius extremi maximè ſufficit in judiciis negativis, ut enim negem v.g. lapidem de Angelo, ſatis eſt quod cognoſcendo quidditativè Angelum non videam in ipſo prædicata lapidis, etiamſi deinde hæc prædicata clarè & diſtinctè in ſe ipſis non cognoſcam.

38. His animadverſis dico Angelū per ſimplicem intuitum ſubjecti non poſſe quidem clarè, & diſtinctè cognoſcere omnia prædicata etiam extrinſeca, & ſupernaturalia, quæ poſſunt tali ſubjecto attribui; multoque minùs ea omnia, quæ poſſunt de tali ſubjecto negari; poſſe tamen cognoſcere confusè ratione habitudinis, quam ſubjectum ad ipſa importat, ut igitur Angelus æquivalenter formet judicia illa, lapis differt ab Angelo, lapis non eſt Angelus, natura humana eſt unita verbo, cognoſcendo confusè & implicitè prædicata talium propoſitionum, ſufficit perfecta inſpectio & comprehenſio ſubjecti; ut deindè formet talia judicia cognoſcendo clarè & diſtinctè prædicata earumdem propoſitionum, non ſufficit quidem inſpectio ſubjecti & requiritur actus attingens talia prædicata per ſpecies proprias clarè & diſtinctè, at non propterea fit compoſitio aut diviſio, quia non requiritur tertius actus uniens aut dividens duos priores, eorūmvè objecta invicem collata; ſed Angelus per hoc præcisè, quod ſivè per unam ſive per duplicem ſpeciem, ſivè per unum ſivè per duplicem actum, cognoſcat clarè & diſtinctè prædicatū & ſubjectum, cognoſcit omnem ipſorum identitatem vel diſtinctionem, convenientiam vel diſconvenientiam, & ſuo modo judicat quidquid poteſt de ipſis judicare.

39. In Angelis regulariter non datur ſimplex apprehenſio diſtincta à judicio.

Ex dictis habetur non dari regulariter in Angelis ullam ſimplicem apprehenſionem diſtinctam à judicio, & eodem actu, quo rem apprehendunt (non enim negamus in Angelo ſimplicem apprehenſionem, cum præſertim hanc in Deo ipſo præciſis imperfectionibus admiſerimus *tr.1. l.3.c.5.n.45.*) aliquid de ipsâ judicare ſimplici & eminenti modo; non ſolùm autem unico actu Angeli apprehendunt & judicant, ſed etiam eodem unico actu plura ſimul judicant putà hominem eſſe rationalem, eſſe viſibilem, eſſe bipedem &c. quia unico actu vident hæc omnia homini ineſſe.

---

§. V.

Utrùm in cognitione Angelica detur propriè veritas & utrùm dari poſſit etiam falſitas?

40. In cognitione Angelicâ datur propriè veritas formalis.

ASSERT. 1. datur in cognitione Angelicâ formaliter & propriè veritas. Ità omnes Theologi communiſſimè contrà nonnullos memoratos ab Averſa *hic q.58. ſect.6.* admittentes in Angelis veritatem, & falſitatem ſolùm virtualiter.

Probatur: ſi quid in Angelis obſtat veritati formaliter & propriè tali, maximè quòd ipſi non intelligant componendo & dividendo formaliter & propriè, Ariſtoteles verò *3. de animâ cap 6.* & alibi doceat veritatem & falſitatem ſolùm in mentis compoſitione & diviſione reperiri; atqui hoc non obſtat, quia Ariſtoteles loquitur de intellectu humano, in quo omne judicium compoſitione & diviſione perficitur, cæterùm in intellectu Angelico compoſitio ſolùm virtualis & eminens, ſicuti ſufficit ad judicium ità etiam ad veritatem; imò ſicuti judicium ſimplex eſt perfectius complexo, ità in illo perfectiùs, quàm in iſto, reperitur veritas formaliter & propriè; unde etiam in Deo formalis veritas reperitur propriiſſimè, quia in ipſo actus judicij eſt ſimpliciſſimus; & ratio à priori eſt, quia judicium ſimplex ex proprio modo tendendi in objectum eſt magis determinatum ad veritatem & conformitatem cum objecto, quàm judicium complexum ut conſtabit ex ſequenti aſſerto.

41. Datur etiam propriè falſitas ſed ſolùm per accidens.

Aſſert. 2. In cognitione Angelicâ dari poteſt formaliter, & propriè falſitas; at ſolùm per accidens & ex pravo imperio ac abuſu voluntatis. Ità Divus Thomas *1.p. quæſt.58. art.5.* Ioannes à S. Thoma *diſp.22. art.4. num.22.* Eſpasza *q.15. art.4.* Lugus *diſp.15. cap.1.* Averſa *diſp.58. ſect.6.* aliique communiter.

Probatur & explicatur: Cognitio Angelica non eſt ſolùm per modum ſimplicis apprehenſionis, ſed etiam per modum judicij; atqui falſitas, quæ reperiri poteſt, in actu judicij eſt formaliter & propriè falſitas; nec major compoſitio majorvè diviſio requirenda eſt in Angelico judicio pro formali falſitate, quàm pro formali veritate; ergo in cognitione Angelicâ, ſi quæ falſitas dari poteſt, eſt falſitas formaliter & propriè talis: Hæc verò in Angelo dari non poteſt per ſe, quia Angelus per ſe loquendo fertur in quodlibet objectum immediatè ex parte actus, adeoque fertur in objectum immediatè movens, aut per ſe ipsū quando objectum in ſe cognoſcitur, aut per aliud quando objectum cognoſcitur in alio vel ex alio, in quo continetur vel cum quo connectitur; cognitio autem attingens objectum ex motione ipſius objecti non poteſt eſſe falſa, quia objectum non poteſt movere niſi ad percipiendum ipſum ut eſt in ſe, alioqui cognitio ipſa intuitiva falſa eſſe poſſet & ſi objectum poſſet ex ſe movere ad cognoſcendum aliud aliter ac fit, ideſt ad cognoſcendam connexionem, quam habet cum alio, alteriuſvè continentiam, aliter quam ſit talis connexio, taliſvè continentia, cur non poſſet movere ad cognoſcendum aliter, quàm ſit quodlibet ſui prædicatum?

42. Hinc fit Angelum ſicuti per ſe cognoſcit immediatè ex parte actus ea etiam, quæ cognoſcit obſcurè ſolùm & conjecturaliter,

Cur intellectus humanus poſſit per ſe falli?

ità etiam circà iſta per ſe falli non poſſe; quamvis oppoſitum, & quidem ſatis conformiter ad ſua principia, doceant plures ex iis, qui Angelo circà eadem tribuunt indigentiam diſcurſus & compoſitionis, diviſioniſvè conceptuum; quæ certè indigentia eſt unica ratio, cur aliquando per ſe & ex connaturali cognoſcendi modo fallatur humanus intellectus; in hunc enim non ex alio capite abſque omni voluntatis abuſu poteſt irrepere falſitas, quàm ex eo quòd elicicndo unam cognitionem mediante aliâ, cognitio imperfectè & obſcurè objectum repræſcutans facilè parit cognitionem mediatam falſam, quâ objectum illud componatur cum aliquo ſibi diſconveniente, aut ab aliquo ſibi conveniente dividatur.

Porrò per accidens & ex abuſu pravoque imperio voluntatis falſa eſſe poteſt Angelica cognitio, quatenùs voluntas poteſt aut ſine ullo, aut ſine ſufficienti fundamento, & prætergrediendo limites illius fundamenti, quod objectum præbet per primam immediatamque ſui inſpectionem, imperare intellectui abſolutum dé aliquâ re occulrâ judicium, puta videndo hominem mortuum imperare intellectui quod judicet non eſſe reſurrecturum; videndo indicia aliqua & ſigna externa interni odij imperare, non judicium modale de probabilitate, ſed abſolu-

43. tum de exiſtentiâ odij. Hic modus incidendi per accidens in actus falſos per præceps, & imprudens voluntatis imperium, familiaris eſt malis Angelis in præcipitantiam omnem & imprudentiâ paratiſſimis; abeſt verò omninò ab Angelis bonis, in quibus maximè viget alias inter virtutes prudentia; reſpectu Angeli conſiderati in purâ naturâ non eſſet quidem adeò freqũens, ut eſt de facto in Angelis malis, in quibus voluntas inordinata eſt & ad imperia prava proclivis, aliquando tamen irreperet; ſtatus enim puræ naturæ non excludit omne imperium imprudens, & ſicuti non importat confirmationem in bono, ità nec in vero; immeritò propterea Angelos in purâ naturâ ab omni falſitate immunes facit Granadus *hic tract.7. diſp.5.* contrà Zumel *q.58.a.1 q.2. conc.5.* Amicum *diſp.14.a.13.* Eſparzam *q.15. art.5.* alioſque communiter.

Angelus in purâ naturâ non eſſet immunis à falſitate.

§. VI.

Quid ſit in Angelis cognitio matutina, & veſpertina?

44. ASSERT. Cognitio matutina eſt, quâ Angeli beati in mundi initio cognoverũt creaturas actu ſupernaturali in verbo, & intrà verbum: Cognitio veſpertina, quâ actu quocumque cognoverunt creaturas in proprio genere, & extrà Verbum. Colligitur hoc aſſertum ex ipſomet Auctore tribuendi hanc utramque cognitionem Angelis Auguſtino *lib.4. Gen. ad lit. cap.22. & 31.* & *lib.11. de Civit. cap.7.* aliiſque pluribus in locis, item ex D. Thoma *1.p. q.58. art.6. & 7. in 2. diſt. 12. quæſt. unica art. 3. de verit. q. 8. art.16. & 17.* & inter Recentiores ex Lugo *hic diſp. 15. cap.1.* ubi latè diſſerit de legitima mente Auguſtini. Nonnihil advertatur Scotus *in 2. diſt.5. q.9. §. Ad quæſtionem verſic. Poteſt tamen* ubi docet per cognitionem matutinam non ſolùm poſſe intelligi cognitionem ſupernaturalem & beatificam; verum etiam cognitionem naturalem, quâ Angelus cognoſcendo immediatè, abſtractivè tamen, Deum per propriam ipſius ſpeciem, ſimul in Deo priuſquam in ſe ipſis creaturas cognoverit; Verùm notitia naturalis immediata Dei cum nullibi fuerit ab Auguſtino tradita, & à nobis fuerit improbata *cap. præced. §.1.* nequit ad præſens intentum deſervire; & ſubtilis Doctoris explicatio falſo nititur ſuppoſito.

Probatur & explicatur aſſertum D. Auguſtinus exiſtimavit mundi creationem fuiſſe totam ſimul unico inſtanti conſummatam

juxtà illud Eccleſ.18. *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*, ideò ſex dies, quibus *Gen.1.* Deus legitur cuncta feciſſe, noluit eſſe dies uſitatos, qui ſolis circuitu ſucceſſivè peraguntur, ad hoc etiam ductus ex eo quod Sol legatur factus quartâ die; ſenſit igitur per dies illos ſignificari non diſtinctiones temporum, ſed cognitionem Angelorum, quę ratione eximij luminis intellectualis dies dicatur, & ut terminata ad ſex illos rerum ordines, qui in Geneſi recenſentur in ſex dies diſtinguatur; ſicuti autem in die materiali mane principium, veſpere finis diei eſt; ità in die ſpirituali cognitionis Angelicæ notitia, quâ res attinguntur in ſuo principio ſcilicet in Deo, dicitur mane ſeu cognitio matutina; ea, quâ attinguntur in ſe ipſis tanquam in termino divinæ actionis, dicitur veſpere ſeu cognitio veſpertina, vel etiam illa matutina dicitur, quia videre creaturas in Deo eſt quaſi illas videre in fonte lucis orientis & matutinæ, iſta veſpertina, quia videre creaturas in ſe ipſis eſt quaſi videre in luce deficiente & veſpertinâ. Quoad prioritatem inter mane & veſpere non alia quærenda eſt, quàm dignitatis aut ipſius objecti, quod quatenùs eſt in Deo ut faciendum, quâ ratione terminat cognitionem matutinam, præcedit ſe ipſum ut factum, quâ ratione terminat cognitionem veſpertinam; cæterùm duratione cognitio veſpertina antecedit potiùs matutinam, quam ſequatur; quia cognitio naturalis, quâ An-

45. Cognitio Angelica matutina & veſpertina ſecundùm Auguſtinum quid.

46. Angelus res creatas per proprias ſpecies in viâ cognovit ſub veſpertina comprehenditur, & tamen procul dubio anteceſſit viſionem beatam, quæ ſola, quatenùs in verbo creaturas inſpicit, dicitur cognitio creaturarum matutina ſaltem ſecundùm magis expreſſam Auguſtini mentem, ſecundum quam propterea faciliùs dividi poteſt in cognitionem naturalem & ſupernaturalem cognitio veſpertina, quàm matutina, quia cognitio rerum in proprio genere & extrà verbum certè tũ naturalis tũ ſupernaturalis eſſe poteſt; cognitio verò creaturarũ in verbo in eo ſenſu, in quo de ipſa Auguſtinus loquitur, difficilè

Cognitio veſpertina eſſe poteſt tùm naturalis tùm ſupernaturalis; matutina ſolùm ſupernaturalis.

difficilè poteſt eſſe naturalis quidquid in oppoſitum docuerit Scotus ſupra memoratus, & docent etiã ex diverſo tamen fundamento Valentia *hic diſp.4.q.9. punct.5.* improbatus à Lugo *præcit. cap.5.num.12.* & certè cognitio veſpertina ad matutinã comparata malè ab Auguſtino diceretur decoloratior, & quaſi nox; matutina item malè ab eodem aliquando appellaretur diurna & meridiana, ſi imperfecta illa notitia, quæ naturaliter de creaturis in Deo haberi poteſt ſub cognitione matutina contineretur.

Miſſis tanquam non parvi momenti aut ad exponendam mundi geneſim, non ad inſtitutum noſtrum pertinentibus aliis pluribus, quæ circa diviſionem cognitionis Angelicæ in matutinam & veſpertinam egregiè pertractat S. Doctor locis præcitatis, abſolvo præſentem de Angelorum intellectualitate materiam recenſendo inſigniores prærogativas, quibus Angelus homini in cognoſcendo

47\. Prærogantivæ quibus Angelus homini in cognoſcendo præcellit.

præcellit. Prima ſit ex parte actus primi, quatenùs potẽtia intellectiva Angelica nunquam eſt tabula raſa, ſed ſemper univerſalibus & perfectiſſimis rerum omnium naturalium ſpeciebus inſtructa. Secunda ex parte actus ſecundi, quatenùs ſemper regulariter Angelus eſt in aliqua actuali cognitione, ſemperque quodammodò ipſius mens vigilat; eodem item actu plurima, & ſingula perfectè intelligit. Tertia ex parte modi cognoſcendi, quo circà res omnes immediatè verſatur abſque ullo cognitionum progreſſu & circuitu, abſque ulla formalis compoſitionis, diviſionis, diſcurſus indigentiâ, abſque ulla per ſe irrepente falſitate, abſque ulla veritatis penetrandæ difficultate: Alias hiſce affines prærogativas facilè quiſque poteſt ex hucuſque dictis deducere, dum nos ordinem doctrinæ proſequentes ab Angelorũ intellectu ad eorundẽ voluntatẽ procedimus.

CAPUT IV.

De voluntate & libertate Angelorum.

1\. DUm in primo hujus operis tractatu ageremus de divina voluntate, docebamus eam non aliundè meliùs demonſtrari, quàm ex divino intellectu, ob eſſentialem connexionem volitivi cum intellectivo præſertim perfecto: Doctrinam illam huc revocantes poſt comprobatã per tria præcedentia capita perfectam Angelorum intellectualitatem non indigemus ulteriore ratione ad ſuadendam in Angelis voluntatem, quàm etiam reddit de fide certam ſacra Scriptura 1. Pet. 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere* 2. Pet. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit*; non datur enim deſiderium, nec peccatum, ubi non datur voluntas.

2\. Datur igitur in Angelis voluntas, & circa ipſam ſupponenda in primis ſunt ea omnis, quæ poſſunt eſſe humanæ voluntati communis; puta quod non diſtinguatur realiter à ſubſtantia, cujus eſt voluntas, ſed formaliter tantùm; quod diſtinguatur realiter (ſubintellige diſtinctione inadæquata in ſententia Complexiſtarum) actualis volitio ab ipſa potentia volitiva; quod ex intellectu & voluntate conſurgat liberum arbitrium, &c. Supponendum inſuper ob maximam cõnexionem & proportionem volitivi ad intellectivum volũtatem Angelicam eſſe longè perfectiorem humanâ, & diverſam ſpecie ab ipſa; ſicuti ex ſupradictis longè perfectior, & diverſus ſpecie ab humano eſt intellectus Angelicus, qui etiam ſicuti non habet comitem ſenſum aut internum aut externum, ità infert voluntatem purè ſpiritualem abſque conſortio ſenſitivi appetitus, abſque parte iraſcibili & concupiſcibili, & D.Thomas *hic q. 59. art. 4. ad* 1. rectè ait D. Dionyſium *cap.4. de divin. nomin.* tribuentem dæmonibus iram averſam à ratione, ſeu furorem irrationabilem & amentem cupiditatem, locutum fuiſſe metaphoricè, ſicut & ita quandoque tribuitur Deo propter ſimilitudinem effectus.

Circa voluntatem Angelorum plura ſunt ſupponenda.

Voluntas Angelica nõ dividitur in iraſcibilem & concupiſcibilem.

His ſuppoſitis & ad caput primum libri ſequentis *à* §. 5. *ad* 12. tranſmiſſa peccabilitate cujuſlibet Angeli etiam in primo inſtanti creationis, non tot quot inſumpſimus pro potentiâ intellectiva paginas, inſumemus pro volitiva, non enim multa invenio ſpecialia in voluntate Angelica præ humana, occurrunt tamen præcipuè tria; Primum, utrùm Angelus ſit neceſſariò in aliquo actu amoris; Secundum; utrùm ſit in libera volitione immutabilis; Tertium, utrùm ſola voluntate loquatur.

---

§. I.

Utrùm Angelus ſit neceſſariò in aliquo actu amoris.

3\. ASSERT. 1. Angelus non eſt neceſſariò phyſica neceſſitate exercitij in aliquo amore abſoluto, & directo ſui ipſius. Ità Vaſquez *q.60.art.3.num.*29. Lugus *diſp.*17. *c.*1. Dequiros *diſp.*66. *ſect.*1. Arriaga *diſp.*13. *ſect.*4. *ſubſec.*2. Madernus *q.*4. *art.*1. Hennex *diſp.*3. *q.*6. aliique plures contrà Capreolum *in* 2. *diſt.* 4. *q.* 1. *art.* 3. Nazarium 1. *part. q.*60. *art.*3. Gonetum *diſp.*11. *art.*1. §. 1. Valentiam *diſput.* 4. *queſ.*11. *punct.*2. Amicum *diſp.*17. *num.*7. Eſparzam *quæſt.*20. *art.*1. & tùm omnes ferè Thomiſtas, tùm non paucos recentiores.

Dixi *phyſica neceſſitate*, nam propter maximam inclinationem innatam maximamque proportionem, quam habet Angelus in ordine ad amorem ſui, facilè admittam vix unquam à tali amore deſiſtere, & in ipſo neceſſitate quadam morali ſemper verſari ſicuti id etiam *capite præcedenti num.*7. admiſi pro ſui ipſius cognitione.

4\. Angelus amat ſe neceſſariò quoad ſpecificationē.

Dixi *neceſſitate exercitij*, nam quoad neceſſitatem ſpecificationis res extra controverſiam eſt, nec ullus unquam docuit ineſſe Angelo libertatem ad odio habendum ſe ipſum, aut ad volendum ſibi malum aliquod ſub ratione mali; imò quia nemo intendens ad malum operatur, quoties Angelus vel alia creatura rationalis ex odio inimicitiæ vult malum ſub ratione mali alteri, tale malum vult ſub ratione boni ſibi.

Dixi *amore abſoluto & directo* primò ad differentiam ſimplicis complacentiæ, quæ juxtà Dequiros *ſect. præcit. n. 3.* impediri ſolùm poteſt per carentiam cognitionis ſufficientis ad amandū, quâ quidem cognitione Angelus reſpectu ſui carere non poteſt, cum *ex cap. præced. num. 6.* nequeat carere cognitione confusâ & implicitâ ſui ipſius, hæc autem ſufficit ad amandum ſe ipſum, quia quomodocumque quis ſibi confusè repræſentetur, ſemper ſibi repræſentatur ut amabilis à ſe & ſibi bonus; quemadmodum latè proſequitur Dequiros *1. p. tract. 5. diſp. 56. ſect. 3.* & mihi quidem non improbatur, quod omnis cognitio ſui ipſius ſit ſufficiens ad ſe ipſum amandum, at diſplicet illud aliud principium, quod ſimplex complacentia impediri ſolùm poſſit per carentiam cognitionis ſufficientis ad amandum, ad ſummum enim hoc verum eſſet, ſi voluntas creata non poſſet non amare bonum propoſitum ſub purâ ratione boni, atqui verè poteſt bonum taliter propoſitum non amare per ſuſpenſionem omnis actus circà ipſum *ex ſequenti tract. de beatitud. lib. 1. cap. 2. num. 12.* ergo

5\. ly *amore abſoluto & directo* poſitum eſt ſecundò ad differentiam amoris cujuſdam indirecti contenti in quolibet actu voluntatis; quatenùs eo ipſo, quòd quis elicit aliquem actum voluntatis, vult talem actum tanquam ſibi bonum, adeoque vult aliquod bonum ſibi, & aliquo modo ſe amat; Angelus ex alia parte neceſſariò eſt in aliquo actu volendi indeterminatè & vagè, ſi igitur volens per quemlibet actum volendi ſe indirectè amat, conſequens eſt, quod Angelus amore indirecto & implicito ſe neceſſariò amet; in hoc diſcurſu libenter permitto primam partem, pro quâ videri poteſt Dequiros *diſp. 56. præcit. ſect. 4.* at quod Angelus ſit neceſſariò in aliquo actu volendi ſaltem indeterminatè, & vagè falſum apparebit ex ſequenti *num. 14.* Interim quidquid ſit de neceſſitate amoris, aut indirecti, aut ſimplicis complacentiæ, quoad amorem directum & abſolutum,

6\. At nō quoad exercitium amore directo & abſoluto.

Probatur aſſertum: Angelus *ex cap. præced. §. 1.* Non eſt neceſſariò neceſſitate phyſica in cognitione directa & explicita ſui ipſius; ergo pariter non eſt neceſſariò neceſſitate phyſica in directo & abſoluto ſui ipſius amore, cum enim amor omninò cognitionem ſupponat, nequit eſſe major neceſſitas amoris, quàm cognitionis; quamvis è contrà poſſit eſſe major neceſſitas cognitionis, quam amoris, & re vera exiſtimo quod Angelus etiamſi neceſſariò ſe ipſum directè cognoſceret, non neceſſariò ſe ipſum directè amaret, & quod de facto poſſit ſe directè cognoſcere abſque eo quòd ſe directè amet, pro quo faciunt in primis ea omnia, quæ *præcit. num. 12.* afferuntur ad probandum bonum propoſitum ſub pura ratione boni adhuc non amari neceſſariò; favet inſuper eidem intento major libertas voluntatis præ intellectu; cum illa ſit libera formaliter, iſte radicaliter tantùm: concedi igitur poteſt liber aliquis actus voluntatis, cui correſpondeat actus neceſſarius in intellectu. Confirmatur: Angelus non amat ſe neceſſariò amore concupiſcentiæ, quia non apparet quodnam bonum extrinſecum, & à ſe diſtinctum ſibi neceſſariò amet; non item amat ſe neceſſariò amore amicitiæ, tùm quia amor amicitiæ fertur in rem tanquam in finem & gratiâ ſui; eſt autem maximè juxta naturam Angeli amare in ratione finis magis Deum, quàm ſe ipſum; cum igitur ex infrà aſſerendis amicabiliter & in ratione finis Angelus non amet neceſſariò Deum, multò minùs ſub eadem ratione amabit neceſſariò ſe ipſum; tùm quia amor amicabilis actualis non eſt neceſſarius ad hoc, ut Angelus reliqua operetur gratiâ ſui & in bonum proprium, ſufficienter enim ità operabitur amando ſe ipſum interpretativè & habitualiter, aut ad ſummum virtualiter. Neq; amicitiæ neque concupiſcentiæ.

7\. Men. D. Thomæ.

Dices: Amor neceſſarius ſui ipſius concedendus eſt Angelo ſaltem propter auctoritatem D. Thomæ qui *1. part. q. 60. art. 3. & alibi* ſæpè docet Angelum amare ſe ipſum amore naturali. Sed contrà: S. Doctor ſumit amorem naturalem aliquando prout contradiſtinguitur à ſupernaturali, non prout contradiſtinguitur à libero; aliquando prout proximè naſcitur ex inclinatione naturali, quamvis non ſit omninò neceſſarius; quod ſi aliquando etiam ſumit amorem naturalem pro neceſſariò vel loquitur de neceſſitate ſpecificationis, non exercitij, vel de neceſſitate exercitij morali, non phyſica.

8\. Angelus non amat neceſſariò Deum.

Aſſert. 2. Angelus in ſtatu naturali conſideratus non eſt neceſſariò neceſſitate exercitij in aliquo directo & abſoluto amore Dei. Ità Vaſquez *q. 60. art. 5. n. 33.* Lugus *diſp. 17. c. 2. num. 8.* Arriaga *diſp. 13. ſect. 4. ſubſec. 3.* Madernus *quæſ. 4. artic. 2.* Herinex *diſp. 3. q. 6.* &c. contra Capreolum, Gonetum locis citatis *in præced. aſſerta*, Nazarium *1. part. q. 60. art. 5.* Valentia *loco præcitata* loquitur dubitanter, Amicus *diſp. præcit. n. 17. & 28.* ponit in Angelis neceſſitatem exercitij quoad amorem concupiſcentiæ erga Deum, non quoad amorem amicitiæ.

Dixi *in ſtatu naturali conſideratus* quia ſermo in præſenti eſt de Angelo ſecundùm ea, quæ ei conveniunt ab intrinſeco, nec intendimus hic in dubium revocare neceſſitatem amoris ſupernaturalis & beatifici.

Dixi *directo & abſoluto amore*, quia utrùm in indirecto amore ſui, qui fortè in Angelo neceſſarius eſt, involvatur etiam aliquis indirectus & valdè implicitus amor Dei, eſt diverſa & minoris momenti difficultas.

Probatur aſſertum primò: Angelus *ex*

cap.

cap. præced. §. 1. non eſt neceſſariò neceſſitate exercitij in directa & abſoluta Dei cognitione; ergo neque in directo & abſoluto Dei amore; recurrunt pro hac conſequentia mox ſupradicta *n.* 6.

9. **Neque amore concupiſcétiæ.** Probatur ſecundò: Angelus in ſtatu naturali conſideratus neque habet neceſſitatem exercitij quoad amorem concupiſcentiæ, neque quoad amorem amicitiæ reſpectu Dei; ergo non eſt neceſſariò neceſſitate exercitij in aliquo directo & abſoluto amore Dei; probatur antecedens quoad primam partem, ſi Angelus amat Deum neceſſariò aliquo amore concupiſcentiæ maximè eo, quo amat Deum ut bonum ſibi; atqui ex præaſſertis non amat neceſſariò ſe, ergo neque amat neceſſariò Deum ſibi; deinde amando ſe, ſicuti non eſſet neceſſe quòd cognoſceret ſe comprehenſivè, ità amando ſe poſſet non cognoſcere Deum, poſſet igitur amando ſe non amare ſibi Deum: **Neque amore amicitiæ.** probatur antecedens quoad ſecundam partem, quia Angelus in ſtatu naturali conſideratus peccabilis eſt, & poteſt à Deo per actuale peccatum recedere; ergo non adhæret ei neceſſariò per actualem amorem amicitiæ. Reſpondent nonnulli Thomiſtæ Angelum qui crearetur in ſtatu purè naturali non fore peccabilem, & in tantùm de facto aliquos Angelos peccaſſe, in quantùm fuerunt creati omnes in ordine ad finem ſupernaturalem: Sed hæc reſponſio impugnabitur infrà *lib. ſeq. c.* 1. §. 5.

10. Probatur tertiò: Angelus in ſtatu naturali conſideratus poteſt Deum odio habere, ergo à fortiori poteſt Deum amore præſertim amicitiæ non amare; patet conſequentia quia amor amicitiæ eſt amor univerſalis, quo quis vult Perſonæ amatæ in omnibus placere, non placet autem in omnibus qui in aliquo odio habet, & aliquod malum vult; antecedens probatur, Angelus in ſtatu naturali conſideratus poteſt apprehendere Deum ſub aliqua ratione mali, ſicuti de facto dæmones apprehendunt ut malam in Deo juſtitiam vindicativam & punitivam, proptereaque Deum odio habent juxtà illud Pſal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.*

Dices: Dæmones, dum apprehendunt Deum ut judicem & vindicem punientem, ſimul eundem cognoſcunt ut bonum commune omnium, & Auctorem ac conſervatorem proprij eſſe; ergo licèt odio habeant ſecundùm unam rationem, diligunt ſecundùm aliam, magiſque diligunt, quàm odio habeant; cum apprehendant ſemper majorem

11. rationem boni, quàm mali. Sed contrà: cum odio Dei ſecundùm unam rationem poteſt quidem componi amor ſecundùm aliam at iſte amor nunquam erit amor amicitiæ, qui debet eſſe ex motivo univerſali placendi in omnibus Perſonæ amatæ.

12. Ex his habetur ſumendo naturale pro neceſſario, non eſſe naturalem Angelis amicabilem amorem Dei ut naturæ Auctoris; et tamen talis amor naturalis prout naturale importat aut eſſe ex naturæ viribus, quâ ratione dari poſſe in Angelo perfectam ad Deum amicitiam oſtendit ex profeſſo Amicus *hic diſp.* 17. *ſect.* 3. aut eſſe juxtà naturæ inclinationem, quâ ratione poni ſolet non ſolùm naturalis Angelo amicabilis amor Dei, ſed etiam magis naturalis, quàm amor ſui; & quidem ſi ſenſus ſit, quod Angelus naturaliter inclinetur ad majorem amorem appretiativum Dei, quàm ſui, & ad præponendum potiùs Deum ſibi, quàm ſe Deo, res eſt communiter recepta; ſi verò ſenſus ſit, quòd Angelus naturaliter inclinetur ad majorem amorem etiam intenſivum Dei, quàm ſui, res non caret controverſia, & partem negativam tradit Arriaga *hic diſp.* 13. *ſect.* 4. *ſubſec.* 4. *conc.* 2. ubi etiam *conc.* 3. addit videri Angelum magis inclinatũ ad non ceſſandum ab amore ſui, quàm ab amore Dei; in hoc tamen poſtremo Arriagæ non aſſentior, quia eſſe magis inclinatum ad non ceſſandũ ab amore ſui, quàm ab amore Dei, ſeu ad amandum ſe, quàm Deum, eſt eſſe inclinatum ad præferendũ amorem ſui amori Dei, quod malè cohæret cum inclinatione ad majorem amorẽ appretiativum Dei, quàm ſui, ab ipſo Arriaga conceſsâ: Deinde rationes quibus D. Thomas *hic quæſt.* 60. *art.* 5. 13.
& quodlib. 1. *art.* 8. probat Angelum dilectione naturali magis diligere Deum, quàm ſe ipſum, probant etiam Angelum habere inclinationem majorem ad amorem Dei, quàm ad amorem ſui; in primis enim *art.* 5. *præcit.* expreſsè ait *Vnumquodque enim in rebus naturalibus, quod ſecundùm naturam hoc ipſum quod eſt alterius eſt, principaliùs & magis inclinatur in id* (nota ly, magis inclinatur,) *cujus eſt, quàm in ſe ipſum* facit etiam ad noſtrum intentum ratio quâ concludit corpus articuli dicens *alioquin ſequeretur quod naturalis dilectio eſſet perverſa & quod non perficeretur per charitatem, ſed deſtrueretur*, cum enim charitas ſupernaturalis inclinet magis ſubjectum ad amorem Dei, quàm ſui; ſi ſubjectum naturaliter inclinaretur magis ad amorem ſui, quàm Dei; charitas ſupernaturalis deſtrueret, non perficeret dilectionem naturalem, & inclinatio naturalis eſſet perverſa, quia contraria inclinationi ſupernaturali. Qui plura deſiderat pro inclinatione naturali creaturæ rationalis ad majorem amorem Dei, quàm ſui conſulat præter D. Thomam, & Arriagam *locis præcitatis*, Eſparzam *hic q.* 20. *ab art.* 5. *ad* 8. Amicum *diſp.* 17. *num.* 23. Gonetum *diſp.* 13. *num.* 14.

Quomodò Angelus naturaliter inclinetur ad majorem amoré Dei, quam ſui.

Aſſert. 3. Angelus non eſt neceſſariò phyſicâ neceſſitate exercitij in aliquo actu amoris indeterminatè, & vagè. Ità Lugus *diſp.* 17. *cap.* 1. *num* 20. Arriaga *diſp.* 13. *ſect.* 4. *ſubſec.* 1. Herinex *diſp.* 3. *q.* 6. &c. Contrà Suarium *lib.* 3. *c.* 4. Tannerum *diſp.* 5. *q.* 4. *dut.* 1. alioſque nonnullos. 14. **Angelus neque etiã indeterminatè & vagè eſt neceſſariò in aliquo actu amoris.**

Probatur quia ex una parte rationes, quæ militant pro neceſſitate alicujus intellectionis indeterminatè & vagè, non eodem modo militant pro neceſſitate alicujus amoris; facilè enim patet, quod Angelus abſque omni actu amoris optimè poſſet habere vitam in actu ſecundo per aliquem actum intelligendi;

gendi, qui ſecundùm ſe eſſe poteſt ſine omni actu amandi, quamvis non aliquis actus amandi ſine omni act intelligendi: ex alia parte voluntas eſt potentia magis libera, quàm intellectus, jure igitur ei concedi poteſt libertas ad actus etiam indeterminatè & vagè, quamvis talem libertatem non habeat intellectus; & certè reſpectu voluntatis poſſeſſio ſtat pro libertate, quæ propterea in ordine ad nullum actum neque determinatè, neque indeterminatè acceptum, neganda eſt niſi aſſigneiur ſpecialis cauſa neceſſitans, & prævalens poſſeſſioni libertatis. Confirmatur: quamvis intellectus Angelicus ſit neceſſariò in aliquo actu ſecundo intelligendi, non eſt tamen neceſſariò in aliquo actu ſecundo intelligendi directè & explicitè aut ſe ipſum, aut Deum; ergo voluntas Angelica, quando eſſet neceſſariò in aliquo actu ſecundo amandi, certè non eſſet neceſſariò in aliquo actu ſecundo amandi directè & abſolutè, aut ſe ipſum, aut Deum; quis autem dicat Angelum poſſe magis neceſſitari ad aliquem alium amorem, quàm ad amorem ſui aut Dei? ergo ſi ad hunc non neceſſitatur, ad nullum alium neceſſitatur.

15. Dubitatur hic: Vtrùm Angelus ratione libertatis, quam habet ad omnem actum amoris, etiam indeterminatè & vagè, poſſit à tali omni actu ceſſare per puram omiſſionem, an ſolùm per actum poſitivum, quo velit & ſibi imperet ceſſationem ab omni actu? Reſpondetur, niſi repugnet ex genere ſuo in qualibet voluntate pura omiſſio voluntaria, poſſe Angelum à tali omni actu ceſſare per puram omiſſionem; quòd ſi hæc repugnet, non poterit quidem voluntas Angelica ceſſare ab omni actu poſitivo, at poterit ceſſare ab omni amore, & ab omni alio actu etiam indeterminatè, præterquam à volitione ceſſandi; Si contendas in hac volitione ceſſandi involvi aliquem amorem ſui, quia dum Angelus vult actum quo imperat ceſſationem, vult talem actum ut ſibi bonum, adeoque aliquo modo ſe amat, non evincis in Angelo neceſſarium amorem ſui niſi indirectum & valdè implicitum, in quo nihil obtines contrà doctrinam à nobis aſſertam.

---

§. II.

Vtrùm Angelus ſit in omni ſua libera volitione immutabilis?

16. *Angeli ſũt mutabiles in volitionibus imperfectè deliberatis.* ASSERT. Angelus non eſt immutabilis in volitionibus liberis imperfectè deliberatis. Conveniunt in hoc aſſerto non ſolùm Scotiſtæ, & recentiores, infrà afferendi pro mutabilitate cujuſcumque prorsùs liberæ volitionis; verùm etiam Thomiſtæ acriter alioqui ſuſtinentes immobilitatem Angelicam in qualibet libera volitione ſemel habita ex plena, & perfecta deliberatione.

Probatur ex ſcriptura, ex qua conſtat Angelos mutaſſe aliquando ſemel ſuſceptam voluntatem: ſic primò Angeli qui peccaverunt, receſſerunt omnes à prima voluntate, quam habuerunt in inſtanti creationis, ſecundùm quam Deum diligebant: Secundò Angelus Perſarum cuſtos ut colligitur *ex Danielis* 10. quando poſt auditam per Michaelem Archangelum Dei voluntatem deſtitit à diſcordia & pugna, quam habebat cum Angelo Iſraelitarum Cuſtode, mutavit voluntatem, quam ille huic habebat contrariam circà ſolutionem Iſraelitarum à captivitate: Tertiò dæmon poſt procuratã Chriſti mortem Iudam ad proditionem impellendo Ioan. 13. *Cum diabolus iam miſiſſet in cor, ut traderet eum Iuda*, conatus eſt eandem mortem impedire per ſomnium mulieris Pilati Matth. 27. *Nihil tibi & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum*, quod quidem ſomniũ ut refert Lugus *hic diſp.* 17. *ſ.* 6. *num.* 19. multi putant à dæmone fuiſſe; mutavit igitur dæmon voluntatẽ, quam anteà habebat de Chriſti morte. In his & ſimilibus caſibus Thomiſtæ ipſi admittunt in Angelis retractationem prioris voluntatis, ejuſque mutationem in voluntatem contrariam; at exiſtimant priorem voluntatem non fuiſſe plenè, perfectéque deliberatam; quia in primo caſu, inquiunt, dilectio pro primo creationis inſtanti fuit elicita ab Angelis ex motione & applicatione divina potiùs, quàm ex deliberatione propria: In ſecundo & tertio caſu volitionis, à quibus Angeli receſſerunt, proceſſerant ex principiis dubiis, & conjecturalibus; ex quibus, nec certum judicium, nec plena deliberatio haberi poteſt. Hæc Thomiſtica doctrina quoad utramque partem favet præſenti aſſerto, quamvis quoad primam in re non placeat, ſed ſolùm quoad ſecundam; pro impugnatione primæ videantur infrà dicenda *lib. ſeq. cap.* 1. §. 8. contrà impeccabilitatem Angelorum in primo creationis inſtanti; pro intelligentia ſecundæ.

Adverto & recolo *ex ſecundo cap. præced.* aliqua eſſe objecta, quæ Angelo evidenter innoteſcunt, & circa quæ intellectus Angelicus comprehenſivè procedit; aliqua, quæ innoteſcunt ſolùm confusè, & circa quæ intellectus Angelicus procedit ſolùm probabiliter & conjecturaliter, hujuſmodi ſunt actus interni, futura per ſe dependentia à cauſa libera, entia ſupernaturalia, &c. Circa hæc objecta nullum poteſt Angelus habere certum firmumque judicium, & ex mutatione vel objecti, quod de futuro v. g. fiat præſens; vel medij aſſentiendi quatenùs v. g. augeantur conjecturæ aut accedat ſpecialis manifeſtatio, certum eſt judicium ſemel formatum mutari poſſe, & ſimul cum judicio electionem ſemel factam; at hæc electio non dicitur plenè deliberata, quia ſequitur ad judicium infirmum & quaſi nutans, vi cujus, ſicuti intellectus proponit objectum cum incertitudine, ità voluntas cum inconſtantia amplectitur; & ſicuti ille aſſentitur uni cum præparatione quadam ad aſſentiendum oppoſito eo quod ſciat latere motiva fortè pro oppoſito militantia, ita iſta eligit 17. *Quænam ſint in Angelis electiones imperfectè deliberatæ*

unum

unum cum quadam præparatione ad eligendum oppoſitum eo quod voluntas in eligendo valde dependeat à modo, quo ſe habet intellectus in judicando; ratione hujus quaſi præparationis ad oppoſitum voluntas non eſt perfectè determinata, & electio non eſt plenè deliberata; & ecce quomodò non habeatur plena deliberatio, quando procedit ex principiis dubiis & conjecturalibus; Angelus Perſarum Cuſtos v. g. antè manifeſtationem ſibi factam à Michaele Archangelo judicabat eſſe expediens, & divinæ voluntati conforme, non ſolvi Iſraelitas à captivitate, ideò deliberaverat impedire & reſiſtere, ne ſolverentur; quia tamen id judicabat ex conjecturis tantùm & motivis variabilibus, judicium erat infirmum & deliberatio imperfecta; variatis propterea motivis, & divinâ voluntate per Archangelum manifeſtatâ, facilè fuit deliberationem retractare.

18. Sunt & aliæ quædam electiones etiam ſecundùm Thomiſtas in Angelis variabiles; illæ ſcilicet, quæ non fiunt abſolutè, ſed cum reſtrictione aliqua ad tempus limitatum, ut cum Angelus ſe determinat ad præſentiam in hoc vel illo ſpatio, ad aſſumptionem vel motionem alicujus corporis, ad ſucceſſivam aliquam ſeriem diverſarum operationum; in his electionibus, & determinationibus, nullum eſt dubium, quin mutatio contingat; ſi tamen quod Angelus modò velit eſſe in uno modò in alio loco, modò hoc modò illud corpus movere, &c. ut obſervat Eſparza *hic quæſt. 28. art. 5.* non eſt ut plurimùm dicenda potiùs pura ſucceſſio actuum exequens priorem voluntatem, quàm tranſitus ab una voluntate in aliam. Hæc libenter inſinuavi, ut occurrerem illegitimo ſenſui, quem nonnulli in hac controverſia tribuunt ſententiæ Thomiſticæ, arbitrati Angelorum inflexibilitatem poni à Thomiſtis in ordine ad omnem prorsùs volitionem liberam; illiſque acriter objicientes mutationem quamcumque repertam in volitionibus liberis, etiam non plene deliberatis, aut non formatis abſolute & abſque reſtitutione; cum tamen re vera aſtruamur à Thomiſtis inflexibiles Angeli dumtaxat quoad volitiones plenè deliberatas; & propoſita abſolutè concepta, in quo quidem ſenſu erit dirimenda *in ſequenti* §. controverſia, interim ut magis pateat eum eſſe ſenſum Thomiſticum.

Quædam aliæ electiones in Angelis abſque controverſia variabiles.

19. Adverto D. Thomam *q. 16. de malo art. 5. in c.* habere hæc verba *Mutatur in nobis liberum arbitrium ex cauſa intrinſeca; vel propter rationem puta cum quis aliquid prius neſciebat, quod poſtea cognoſcit; vel propter ipſum appetitum, qui quandoque ſic eſt diſpoſitus per paſſionem vel habitum, ut tendat in aliquid ſicut in ſibi conveniens, quod ceſſante paſſione, vel habitu; ſibi conveniens non eſt* (& nonnullis interpoſitis) *ſicut nos naturaliter actu habemus notitiam primorum principiorum, ex quibus procedimus ratiocinando ad acquirendam cognitionem concluſionum; quod in Angelis non contingit, qui in ipſis principiis intuentur omnes concluſiones, quæ ad naturalem eorum cognitionem pertinent, & ideò ſicut immobiliter nos habemus in cognitione primorum principiorum, ità intellectus eorum immobiliter ſe habet circa omnia, quæ naturaliter cognoſcit; & quia voluntas proportionatur intellectui conſequens eſt quod etiam voluntas, &c.* Ecce S. Doctor duplicem aſſignat cauſam variabilitatis in humano arbitrio, prima eſt modus cognoſcendi diſcurſivus, ratione cujus facilè ſupervenit nova notitia: Secunda eſt alligatio ad corpus, ratione cujus ſæpè accidit phyſica diverſitas diſpoſitionis corporalis humorum & paſſionum; hanc variabilitatis cauſam Angelis non ineſſe per ſe patet, illam excludit ex eo quod Angeli ſua objecta cognoſcant, ſicut nos cognoſcimus prima principia; ſicuti igitur Angeli taliter cognoſcunt ea ſolùm, quæ ipſis clara & evidentia ſunt, ita ſolùm circà iſta intendit S. Doctor, quod Angelicus in-

Duplex cauſa variabilitatis in humano arbitrio.

20. tellectus in ſua cognitione, & Angelica voluntas in ſua electione immobilitetur, adeò ut nec ille poſſit ſucceſſu temporis aliter cognoſcere quàm primò cognoverit, nec iſta aliter velle quàm primò elegerit; quamvis poſſit tùm ille ab actuali cognitione, tùm iſta ab actuali volitione ceſſare; ut enim rectè advertit Ioannes à S. Thoma *hic disp. 24. art. 1. n. 11.* dum dicitur immobilitari Angelus, ſenſus eſt quod immobilitetur immobilitate actus quoad ſpecificationem, non immobilitate actus quoad exercitium, &, ut obiter addam, quod ibidem etiam advertit idem Auctor, immobilitas actus quoad ſpecificationem ſolùm intelligitur ſecundùm modum naturalem operandi Angeli, non ſecundùm potentiam abſolutam Dei.

Invariabilitas arbitrij Angelici qualis ſecundùm Thomiſtas.

Ex his habetur controverſiam de immutabilitate, ſeu inflexibilitate Angelica, ſitam maximè eſſe in definiendo; Vtrùm Angelus poſtquam circa aliquod objectum cōprehenſivè cognitum habuit ex deliberatione perfecta, & propoſito abſoluto ac permanenter concepto, electionem aliquam poſſit ſecundùm ſuum naturalem modum operandi habere electionem contrariam, & retractare priorem? In quo ſenſu

---

§. III.

Vtrùm Angelus ſaltem in libera volitione perfectè deliberata; & propoſito permanenter concepto ſit immutabilis?

21. ASSERT. Angelus neque etiam in libera volitione perfectè deliberata & propoſito permanenter concepto eſt immutabilis. Ità Scotus *in 2. diſt. 7. quæſt. unica.* Durandus *ead. diſt. q. 2.* Ægidius Romanus *q. 1. art. 2.* Gregorius & Gabriel *ibid.* Ochamus *in 2. q. 19.* Maſtrius *in 2. diſp. 3. q. 5. art. 1.* Herinex *diſp. 3. q. 6.* Molina *q. 64. art. 2. diſp. 2.* Vaſquez *diſp. 239. cap. 4.* Suarez *lib. 3. c. 10.* Lugus *diſp. 17. cap. 6.* Arriaga *diſp. 14. ſect. 5. ſubſec. 3.* Madernus *q. 5. art. 5. cent. 2.*

Angeli ſunt mutabiles etiam in volitionibus perfectè deliberatis.

& eum tota Scotiſtarum ac Nominalium Schola alij plurimi Recentiores contra Aleſem 3. *part. quæſt.* 1. *membr.* 2. Arboreum *lib.* 1. *theoſophiæ, cap* 5. Henricum *quodlib.* 8. *quæſt.* 11. Eſtium *in* 2. *diſt.* 7. §. 5 Capreolum *ead. diſt. quæſt.* 1. *art.* 1. Ferrarienſem 4. *contrà Gent. cap.* 95. §. *Advertendum ſecundò*, Caietanum *hic quæſt.* 64. *artic.* 2. Salmanticenſes *tract.* 7. *diſput.* 13. *dub.* 1. Ioannem à S Thomâ *diſput.* 24. *art.* 2. *num.* 10. Gonetum *diſput.* 14 *art.* 1. §. 1. cæteroſque Thomiſtas putantes ſe ſentire iuxtà mentem ſui Sancti Doctoris 1 *part. q.* 54 *art.* 2. *in* 1. *diſt* 7. *q.* 1. *art.* 2. *de malo, quæſt* 16. *art.* 2. *de verit. quæſt.* 24. *artic.* 10. eſt inſuper ex Recentioribus contrà Eſparzam *q.* 28. *art.* 7. & 9. Dequirus *diſp.* 36. *ſect.* 2. Et licet poſtremus hic Auctor ſuſtineat in Angelis ſolàm inflexibilitatem moralem, admittàtque flexibilitatem phyſicam, iure recenſetur inter Adverſarios; quia iſti utplurimùm ſoliciti non ſunt, utrùm inflexibilitas Angelorum dicenda ſit moralis, an phyſica? & ut obſervat Maſtrius *quæſt.* 5. *præcit. n.* 102. Thomiſtæ mitiores contenti ſunt inflexibilitate morali.

22. Probatur aſſertum primò auctoritate Sanctorum Patrum. D Hieronymus *epiſt.* 146. *ad Damaſum*, ait cætera, excepto Deo, *cum ſint liberi arbitrij in utramque partem ſuam poſſe flectere voluntatem*; D. Damaſcen. *lib.* 2. *fidei, cap.* 3. docet *Angelum eſſe perpetuo motu præditum, voluntate ac ſententiæ ratione mutabilem*; D. Iſidorus *de ſum. bono, lib.* 1. *c.* 12. tradit *Angelos eſſe mutabiles ſecundùm naturam, ſed non ſinere eos mutari contemplationem divinam*; D. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum, cap.* 3. docet quod ſi homines, poſtquàm averſi ſunt à Deo poſſent rursùm ex ſe habere bonitatem voluntatis, *multo probabiliùs hoc haberet natura Angelica*, & cap. 23. *Hoc ipſum*, inquit, *quòd Angeli ab illo ſtatu beatitudinis mutari in deterius nullatenus poſſunt, non eſt eis naturaliter inſitum, ſed poſtquàm creati ſunt, gratiâ divinâ largitate collatum.*

Dices tres primas auctoritates evincere quidẽ, quòd Angelus ſit mobilis, mutabilis, & flexibilis in partes oppoſitas; at ad hoc verificandum ſufficere quod ſit taliter flexibilis antè electionem, nec eſſe neceſſe, quòd eadem flexibilitas perſeveret poſt electionem circà obiectum ipſum, in quod cadit electio; flexibilitas autem ad oppoſita antè electionem nullatenùs negatur à Thomiſtis, imò traditur expreſsè à S. Doctore 1 *p. q.* 64. *art.* 2. *in c.* ubi de voluntate Angelicâ ait *Si conſideretur antè adhæſionem, poteſt liberè adhærere & huic & oppoſito*: Ad auctoritatem D. Fulgentij dices conditionalem illam procedere de everſione ad bonitatem ex parte gratiæ, & ſenſum eſſe, quod ſi homo ex ſe, id eſt ex propriis viribus & abſque gratiâ, poſſet reſipiſcere, multo magis poſſet ſine gratiâ reſipiſcere Angelus: ad poſteriora eiuſdem D. Fulgentij verba dices Angelos habere ex gratiâ, quod mutari nequeant à ſtatu beatitudinis; quatenùs habent ex gratiâ, quòd poſiti ſint in tali ſtatu. Sed contrà: tres primæ auctoritates abſque neceſſitate limitantur, & fortè etiam parùm con- 23.
formiter ad contextum verborum, ut quilibet conſiderare poteſt: Conditionalis D. Fulgentij ſaltem ſupponit ſuppoſito gratiæ auxilio poſſe ad bonum redire angelicam naturam æquè ac humanam, quod eſſet falſum ſi angelica natura eſſet ſecundùm ſe immobilis ab eo, cui ſemel adhæſit, quâ ratione non eſt immobilis humana: Poſteriora Divi Fulgentij verba tribuunt gratiæ non ſolùm inchoationem, verùm etiam continuationem beatitudinis, nam nõ mutatio à ſtatu beatitudinis appellat talis ſtatus continuationem. Quòd deinde allatæ Sanctorum Patrum auctoritates poſſint utcumque ab Adverſariis explicari, nihil aliud eſt, quàm ipſorum ſententiam non eſſe Sanctis Patribus expreſsè contrariam, aut aliquâ cenſurâ notabilem.

Impugnatur reſponſio adverſariorum ad auctoritates.

24. Probatur ſecundò ratione Scoti *quæſt. unica præcit.* §. *Contrà concluſionem verſic. voluntas*: Angelica voluntas exiſtens ſub actu liberæ volitionis perfectè deliberatæ non aliter ſe habet, ut cauſa talis actus (ut cauſa, inquam, talis actus, id eſt ut prior ipſo ipſúmque reſpiciens, pro inſtantibus ſequentibus; nam ut ſubjectum talis actus ſub ipſo exiſtens tamquam ſub formâ eſt aliquo modo poſterior, ſicut totum eſt poſterius ſuis partibus, nec certè poteſt talem actum abjicere, ut quaſi pro priori inſtanti exiſtentem, aut in ſenſu compoſito habere actum oppoſitum) quàm ſe haberet pro illo inſtãti, pro quo primò fuit cauſa eiuſdem actus; atqui pro illo inſtanti fuit libera ſeù indifferens quoad ſpecificationem, & flexibilis ad oppoſitum; ergo Angelica voluntas exiſtens ſub actu perfectæ deliberationis, ut cauſa talis actus eoque prior, remanet indifferens quoad ſpecificationem & flexibilis ad oppoſitum, quod eſt Angelum eſſe in liberâ volitione etiam perfectè deliberata mutabilem; Minor ab Adverſariis conceditur, major probatur voluntas exiſtens ſub actu per actũ ipſum non aliter ſe habet ut cauſa actus; quia actus non afficit volũtatem ut cauſam, nec ipſam mutat ut actum primum, ſed mutat ſolùm & perficit ut ſubjectum; non aliter etiam ſe habet per quidquam aliud diſtinctum ab actu, quia ex eo præcisè quod voluntas exiſtat ſub actu, nihil ab actu diſtinctum aut in ipſa ponitur, aut ab ipſa tollitur.

Dices ex Ioanne à S. Thomâ *art.* 2. *præcit. num.* 29. voluntatem Angelicam ſemper eſſe ab intrinſeco ſic diſpoſitã, ut ſit flexibilis ad oppoſita antè electionem, & antequam exiſtat ſub actu, ſit verò inflexibilis poſt electionem, & poſtquàm exiſtit ſub actu; ideò nullam eſſe quærendam in illa mutationem, ut poſt electionem inflexibilis ſit, quæ antè electionem erat flexibilis, & ſicuti ignis v. g. quia ab intrinſeco talis eſt naturæ, ut non comburat antè approximationem, comburat poſt approximationem, abſque aliquâ ſui mutatione poſt approximationem comburit, quamvis anteà non combureret, ità ſimi-

liter

liter, &c. Sed contrà: quoad ignem aliundè conſtat ipſum talis eſſe naturæ, ut non comburat antè approximationem, comburat poſt; at voluntatem Angelicam eſſe ab intrinſeco ſic diſpoſitam ut ſit flexibilis, &c. eſt illud ipſum, quod quæritur, & de quo reddenda eſt ratio, ut vidit ipſemet Ioannes à S.Thoma *num. præcit.* ubi propterea illicò conatur ſui dicti rationem reddere ſitam in eo quòd objecta, circà quæ Angelus eſt liber, antè adhæſionem ſic proponũtur determinatè eligibilia, ut proponantur cum indifferentiâ & contingentia ex ſe, & ex meritis objecti, & ſic liberè poteſt adhærere & fini & oppoſito; at quando ſe determinat ad unum præ alio, ipſa ratio determinationis ad unum præ alio non proponitur Angelo mutabili modo, ſed immobili, quia in ipſiſmet principiis, & cum eadem tendentia, & attingentia, quâ attinguntur principia, ipſa etiam ratio determinationis accipitur: Hæc tamen doctrina impugnatur, quia; ſi verum ſit, quando Angelus ſe determinat ad unum præ alio, ipſam rationem determinationis non proponi mutabili modo ſed immobili, cum hæc propoſitio præcedat ipſam primam electionem ſequitur Angelum in ipſa prima electione, imò ante ipſam eſſe flexibilem ſolùm ad unum, circà objectum enim propoſitum immutabiliter, adeoque non repræſentatum cum indifferentia & contingentia, voluntas neque etiam in prima electione, aut ante ipſam, eſt flexibilis ad oppoſita.

26. *Impugnantur poſitivæ eorundem rationes pro inflexibilitate Angelica.*

Probatur tertiò argumento negativo: Circà actus, ad quos voluntas ſe habet ut voluntas & principium liberum, non ut natura & principium naturale, neganda non eſt potentia ad oppoſita abſq; ſpeciali neceſſitate; ſed ad liberam volitionem perfectè deliberatam, & propoſitum permanenter conceptum, voluntas Angelica ſe habet ut voluntas, non ut natura; & ex alia parte nulla eſt ſpecialis neceſſitas ei negandi potentiam ad oppoſita; ergo verè in ordine ad talem volitionem non eſt neganda voluntati Angelicæ potentia ad oppoſita, nec in ordine ad eandem aſtruenda in Angelo immutabilitas; major patet, quia in ordine ad tales actus poſſeſſio ſtat pro libertate, ſeu pro potentia ad oppoſita; minor quoad primam partem conſtat ex ipſis terminis, dum enim volitio ſupponitur libera, utique ad eam voluntas ſe habet ut voluntas ſeu ut principium liberum, quoad ſecundam probatur, quia talis ſpecialis neceſſitas

27. *Impugnatur prima ratio.*

Non oritur primò, ut vult Henricus, ex efficacia & vehementia, quâ voluntas Angelica in id, in quod fertur ex plena deliberatione, ità ſe immergat, ut ibi retondatur, & ideò retrahere ſe nec velit nec poſſit, quemadmodum ſi ferrum acutum penetrans carnes in interioribus oſſium retundatur, ut extrahi non poſſit: Non, inquam, hinc oritur ſpecialis neceſſitas, &c. ut enim omittam Henrici doctrinam quoad modum loquendi eſſe valde metaphoricam & parùm ſcholaſticam; quoad rem ipſam peto, quid intelligatur nomine efficaciæ & vehementiæ, quâ voluntas, &c. vel enim intelligitur intenſio actus adeò, ut ſenſus ſit voluntatem Angelicam in ea, in quæ fertur ex plena deliberatione ferri actu intenſiſſimo; & hoc nec verum eſt, nec probat intentum, quia nec omnis actus plenè deliberatus debet eſſe intenſiſſimus, nec actus intenſiſſimus in ſe immobilitat arbitrium; vel intelligitur perfectio libertatis adeò, ut voluntas Angelica ea, quæ ex plena deliberatione vult, dicatur velle ex efficacia & vehementia, quatenùs vult liberrimè & ex ſe ipſa, ſeu ex propria libertate præcisè, non ex ignorantia aut ex paſſione aut ex aliquo alio extrinſeco minuente libertatem; & hoc non confert ad inflexibilitatem voluntatis, ejuſque immobilem immerſionem in objectum primò, quia major libertas debet attendi etiam penes hoc quod voluntas poſſit ſe magis vel minùs in objectum immergere, eique magis vel minùs tenaciter affigi: ſecundò quia experientia conſtat mutabilitatem in actibus liberis ſpectare ad perfectionem non ad imperfectionem libertatis, actus enim primo primi, qui ſunt imperfectè liberi ſunt minùs à voluntate impedibiles, adeoque ut tales ſunt minùs mutabiles: tertiò quia immutabilitas ſpectat ad perfectionem libertatis ad ſummum in voluntate indefectibili à bono morali, non in voluntate defectibili, quæ certè ex immutabilitate deterioris redditur conditionis in eo quod nequeat errorem ſemel admiſſum revocare, & à malo ſemel commiſſo reſilire.

Non oritur ſecundò, ut volunt Thomiſtæ 28.
magis communiter, ex immobilitate judicij & cognitionis præcedentis electionem perfectè deliberatam, & ex proportione ac connexione potentiæ appetitivæ cum apprehenſiva, ex quâ fit ut illa appetat eo modo, quo iſta apprehendit, & illa non mutet electionem, niſi iſta mutet judicium & cognitionem, quam Thomiſticam doctrinam Eſparza *hic quæſ.* 28. *artic.* 9. ſic corroborat: Perinde comparatur voluntas cum ſua electione pro diverſis inſtantibus ſub iiſdem numero cognitionibus ac motivis, ac comparetur cum eadem electione pro eodem inſtanti ſub diverſis ſolo numero cognitionibus & motivis, utrobique enim diverſitas eſt purè materialis & numerica; atqui impoſſibile eſt etiam phyſicè, ut voluntas eligens de facto unam partem contradictionis ſub aliquibus cognitionibus, & motivis, electura foret pro eodem inſtanti partem oppoſitam ſub cognitionibus, & motivis, ſolo numero diverſis ab iis, ſub quibus de facto elegit; exiſtente enim eodem numero principio electivo diverſitas ſolùm numerica comprincipiorum nequit inducere ſpecificam diverſitatem in electione; ergo ſimiliter impoſſibile eſt, quod idem principium electivũ pro diverſis inſtantibus eligat oppoſita ſub iiſdem numero cognitionibus & motivis, ſeu ſub diſpoſitione intentionali & phyſicâ totaliter eadem. Verùm neque ex hoc capite oritur ſpecialis neceſſitas, &c. &

Impugnatur ſecunda ratio.

admiſsâ pro nunc in Angelis immobilitate
judicij & cognitionis, contrà quam in eo
rigore, quo à Thomiſtis ſuſtinetur, plura fa-
cilè occurrũt ex ſupradictis de libertate An-
gelorum ad utendum ſpeciebus inadæquatè,
& ad intelligendum cum diſcurſu; permiſsâ,
inquam, illa immobilitate dico proportio-
nem & connexionem potentiæ appetitivæ
cum apprehenſiva non conſiſtere in eo, quod
illa appetat eo modo, quo iſta apprehendit,
alioqui illa nunquam haberet formalem in
appetendo libertatem, ſicuti iſta nunquam
talem libertatem habet in apprehendendo;
conſiſtit igitur potiùs in eo, quòd potentia
appetitiva ſemper apprehenſivam ſupponat,
nec poſſit illa operari niſi circà illud idem
objectum, quod iſta proponit, quamvis de-
indè poſſit operari vel eligendo vel rejicien-
do: Ad ratiocinationem Eſparzæ nego ab-
ſolutè minorem, dummodò voluntas eligens
unam partem contradictionis non ſumatur
reduplicativè & in ſenſu compoſito, ut ſubeſt
tali electioni; nec apparet, cur principiũ ele-
ctivum liberum, quod ex natura ſua poteſt
erũpere in electiones oppoſitas præſcinden-
do ab omni diverſitate comprincipiorum, ne-
queat in tales electiones erũpere ſtante com-
principiorũ identitate, vel diverſitate dunta-
xat numerica; & ſicuti duo principia electi-
va ſolo numero diverſa cum comprincipiis
pariter ſolo numero diverſis exire poſſunt in
oppoſitas ac ſpecie diverſas electiones, ità &
poterit id præſtare idem principium electi-
vum cum iiſdem aut ſolo numero diverſis
cũprincipiis; enimverò ad diverſitatem ſpe-
cificã effectus ſola diverſitas numerica cau-
ſæ nihil conducit, & effectus ſpecie diver-
ſos, quos poteſt pro eodem tempore cauſare
duplex cauſa ſolo numero diverſa, poteſt pro
diverſo tẽpore cauſare eadem numero cauſa.
30. Non oritur tertiò ex ipſomet actu ſemel
elicito, quatenùs ut tradit Eſparza *quæſt. præ-
cit. art.7.* quilibet actus voluntatis pollet vi
aliqua peculiari inclinandi voluntatem ad
conſervationem ſui & per conſequens im-
pediendi actum oppoſitum quo retractetur
ut evincitur ex eo quod voluntas ſub una
electione exiſtens difficiliùs erumpit in op-
poſitam, quàm erumperet ſi ſub priore illa
electione non exiſteret: Porrò vis peculia-
ris inclinandi voluntatem, &c. eo eſt major,
quo actus eſt elicitus ex perfectiore cogni-
tione & deliberatione pleniore, & quò uni-
formior perſeverat diſpoſitio tùm intentio-
nalis tùm phyſica in eligente; quæ omnia
ſicuti maximè reperiuntur in actibus Ange-
licis perfectè deliberatis, ità iſti maximè vo-
luntatem inclinant ad non retractationem
eamque in ſe ipſis moraliter ſaltem immobi-
litant; huic doctrinæ aliqualiter favet expe-
rientia ipſa, quâ conſtat nos cum majori qua-
dam propenſione permanere in iis, quæ ma-
turiùs deliberavimus, & ab iiſdem diffi-
ciliùs recedere; unde etiam homo quò ſa-
pientior eſt, eò minùs mutat ſua conſilia,
quia ſicuti pleniùs omnia deliberat, ità fir-
31. miùs omnia tenet. Verùm neque ex hoc cá-
pite oritur ſpecialis neceſſitas, &c. pri-

mò quia vis illa peculiaris inclinandi, &c.
probat voluntatem non ſolùm non poſſe re-
tractare, ſed nec poſſe ſuſpendere actum ſe-
mel elicitum, adeóque habere immobilita-
tem etiam exercitij, quam nequidem Tho-
miſtæ rigidiores agnoſcunt *ex præced. n.20.*
Secundò quia vis illa inclinandi admitti qui-
dem poteſt in effectibus neceſſariis, quibus
naturale eſt non deficere ad præſentiam cau-
ſæ potentis conſervare; at quemadmodum
attigimus *lib. præced. cap.2. num 62.* diverſa
eſt ratio de actibus liberis, quibus naturale
eſt deficere etiam ad præſentiam ſuæ cauſæ
liberæ potentis conſervare, eo quòd ſicuti
liberi ſunt in conſervari æquè ac in produ-
ci, ità reſpectu propriæ cauſæ indifferentes
ſunt ad conſervari & non conſervari, æquè
ac ad produci & non produci, nec ex eo
quod producti ſint faciunt cauſam ſuam in
ratione cauſæ & actus primi aliter ſe habe-
re, pro quo recurrit doctrina ſuprà poſita
num. 24. & hinc etiam corruit quod adde-
batur vim inclinandi cauſam ad ſui conſer-
vationem eò eſſe majorem, quò actus eſt
elicitus cum cognitione & deliberatione
perfectiore; quin potiùs ſi daretur ea incli-
nandi vis, eſſet minor, quia actus, quò ma-
gis recedit à naturali & neceſſario, eò magis
indifferens eſt ad eſſe & non eſſe, adeoque
eo minùs inclinat cauſam ad ſui conſerva-
tionem in eſſe: Ad experientiam, quæ in 32.
confirmationem afferebatur, de hominibus
difficiliùs mutantibus propoſita cum deli-
beratione & conſideratione majore con-
cepta, dico id non provenire ex eo, quod
propoſitis ità conceptis firmiùs hæreant, &
ad ipſa retinenda inclinentur vehementiùs;
ſed ex eo quod difficiliùs occurrat in ele-
ctione oppoſita ratio majoris boni, quæ è
contrà facilè occurrit, quoties quis cum in-
conſideratione & præcipitatione eligit: Ra-
tio à priori eſt, quia principium liberum li-
cèt poſſit eligere quod proponitur ut minus
bonum, quia tamen à majori bono magis
allicitur, iſtud faciliùs eligit, & ex duo-
bus ſub diverſa, ac inæquali ratione boni
apparentibus, aut rarò, aut nunquam eligit
illud, quod apparet ſub ratione boni mino-
ris; & ideò ante electionem præmitti à ſa-
pientibus ſolet conſideratio & conſultatio
ad dignoſcendum, ubinam ſit major ratio
boni? Semel autem lato de hoc judicio vo-
luntas quaſi neceſſariò eam eligit præ alia,
quæ minor apparuit, eademque quaſi ne-
ceſſitate ei ſemel electæ adhæret quo uſ-
que judicium illud perſeverat, & hoc qui-
dem regulariter diù perſeverat quoties ex
accurata cõſideratione & conſultatione præ-
ceſſit. Ecce quomodò qui prudenter & ſa- 33.
pienter, quod eſt idem, ac dicere poſt con-
ſiderationem perfectam & deliberationem
plenam, elegit, non ex adhæſione aliqua
aut immobili affixione ad electionem fa-
ctam, ſed ex apparentia majoris boni in
ipſa, quàm in oppoſita, quaſi neceſſitatur
ne ab ipſa in oppoſitam flectatur; non tamen
magis poſtquam elegit, quàm antequam ele-
giſſet; non magis quando voluntas jam eſt
ſub

Impugnatur tertia ratio.

ſub priore electione ; quàm quando adhuc ſub illâ non eſt, ſed ſolùm ſub repræſentatione per prudens judicium ſibi factâ de majori ratione boni in ea priore electione; cum quo judicio ſicuti Adverſarij docent voluntatem potuiſſe flecti ad partem oppoſitam, quando primò elegit, ità tenentur fateri poſſe ad partem oppoſitam flecti quando in eo, quod primò elegit, perſeverat.

34. Impugnatur quarta ratio. Non oritur quartò ex Angelorum ſuperbia, & ex eo quòd ſuperborum proprium ſit abundare in ſenſu ſuo, & mordicus adhærere propriæ ſententiæ potiùs, quàm fateri in ſe imperfectionem, aut inconſtantiæ, aut prioris pravæ electionis. Non, inquam, hinc oritur ſpecialis neceſſitas, &c. primò quia probaretur Angelorum immobilitas etiam in electionibus imperfectè deliberatis, quoad iſtas enim eandem, quam quoad cæteras, habet ſuperbus ſui propoſiti tenacitatem ; ſecundò, quia probaretur Angelorum immobilitas ad ſummũ in malo & in Angelis malis ; nunquid enim ſuperbia aut immobilitatem poteſt in bono, aut in Angelis etiam bonis reperitur? & tamen in præſenti agitur de inflexibilitate Angelorum univerſaliter, non de ſola obſtinatione Angelorum malorum in malo, de quâ ſpecialiter agendum eſt *lib. ſeq. cap. 5. §. 2.* & ibi etiam impugnabuntur aliæ nonnullæ rationes militantes pro inflexibilitate Angelicâ non in quocumque actu perfectè deliberato, ſed in actu peccaminoſo.

35. Explicantur auctoritates. Ex dictis habetur non ſolùm probatio aſſertæ vertibilitatis Angelorum ad oppoſita, tùm antè, tùm poſt electionem, verùm etiam ſolutio validiorum rationum, quibus ſolet talis vertibilitas poſt electionem plenè deliberatam impugnari ; ſupereſſe duntaxat poteſt explicatio auctoritatum, quarum quidẽ quæ conſiderando Angelos in ſtatu damnationis & pœnali faciunt ipſos immutabiles, & irreducibiles à mala in bonam voluntatẽ nullâ factâ mentione principij, à quo talis irreducibilitas proveniat, nec nobis adverſantur, nec ad rem præſentem pertinent ; quæ verò loquuntur de Angelis conſideratis in ſtatu naturali & in ordine ad actus, ad quos non requiruntur gratiæ auxilia, frequentes quidem ſunt apud S. Doctorem locis *ſuperiore num. 21.* præcitatis, at ex aliis Sanctis Patribus ſolùm perlego referri verba B. Laurentij Iuſtiniani *ſerm. in feſto S. Michaelis* ubi de naturâ Angelicâ ait, *ſivè in bono, ſivè in malo, immutabilem habet firmitatem, ad quod enim ſe vertit, inflexibilis eſt.* & hæ auctoritates intelligendæ ſunt de inflexibilitate comparativâ, quatenùs quòd in comparatione alterius difficiliùs flexibile eſt, dici poteſt comparativè inflexibile, licèt in ſe abſolutè flexibile ſit ; porrò Angeli licèt in ſe abſolutè flexibiles, ut hucuſque traditum eſt, in comparatione hominum multò difficiliùs flectuntur, ut mox tradetur ideò, &c.

§. IV.

Vtrùm Angelus ſit in libera volitione difficiliùs mutabilis, quàm homo?

Aſſert. Angelus in ſua liberâ volitione eſt multò difficiliùs mutabilis quàm homo. Eſt aſſertum receptiſſimum. 36.

Probatur primò in univerſum, quia ſaltem difficillimam & minorem, quàm in homine, mutabilitatem evincunt, tùm auctoritates, tùm rationes, quæ afferri ſolent pro abſoluta Angelorum inflexibilitate aut phyſica aut ſaltem morali, ut patet recurrenti ad ſupra poſita præſertim *à n. 27.*

Probatur ſecundò diſcurrendo per plures particulares cauſas mutabilitatis, quæ aut vehementiores ſunt in homine quàm in Angelo, aut etiam ſolùm in homine reperiuntur. Prima eſſe poteſt mutatio diſpoſitionis corporalis humorum & paſſionum, ratione cujus homo, ſicuti diverſimodè judicat de rerum bonitate, quia juxta Philoſophum 3. Ethic *qualis unuſquiſque eſt talis ei finis videtur*, ità ſæpè priora judicia & cum judiciis priora propoſita mutat, hac mutabilitatis cauſa Angelus omninò caret. Secunda, modus cognoſcendi cum indigentia diſcurſus, ratione cujus homo & poteſt per ſe falli, & quamvis accuratiùs cuncta conſideret non adeò penetrat omnes rationes bonitatis, ideò aut ex errore, in quem anteà inciderit, aut ex nova ratione bonitatis, ad quam anteà non pervenerit, poteſt in novam electionem priori oppoſitam ſe flectere ; hæc cauſa mutabilitatis multò minor eſt in Angelo, qui ex ſupradictis non diſcurrit niſi ex libertate, non fallitur niſi per accidens, & in objectis naturalibus, quæ attentiùs inſpicit, regulariter nihil ignorat. Tertia minor ad Deum propinquitas, ex quâ fit ut ſicuti Deus eſt omninò immutabilis, adeò ut ſemper velit, quæ ſemel vult ; ità Angelus, qui Deo propinquior, quàm homo eſt, debeat eſſe minùs mutabilis, quàm homo ; & cum non poſſit eſſe minùs mutabilis in eo quod ſit mutabilis ſolùm antè electionem, non poſt ; homo verò & antè & poſt ; remanet duntaxat quod ſit minùs mutabilis tranſeundo difficiliùs, & rariùs, ab unâ in aliam electionem oppoſitam. Quarta, Radix ejus difficultatis (& quidem valdè gravis, quæ etiã in homine reperitur in ordine ad revocanda propoſita ſemel cõcepta, & ſe inflectendum in electionem priori oppoſitã ſtante eadem cognitione eodemque judicio) oritur juxtà ſupradicta *num. 32.* ex difficultate & quaſi morali impoſſibilitate amplectendi bonum, quod proponitur ut minus ; atqui hæc difficultas & quaſi moralis impoſſibilitas major eſt in Angelo, quàm in homine, quia Angelus perfectiùs comparat bonum majus cum minore, & in illo præ iſto meliùs diſtinguit majorem allicientiam, majoremque vim motivam voluntatis ; ergo radix difficultatis, & per conſequens diffi-

37. Cauſæ facilius mutandi electiones in homine, quam in Angelo.

cultas ipſa mutandi electiones ſub eadem cognitione, eodemque judicio, in Angelo, quàm in homine major eſt.

38. Ex dictis habetur primò retractationem prioris electionis, & converſionem ad oppoſitum attendi poſſe vel ſub eodem judicio, eademque notitia, vel ſub notitia diverſa, novoque judicio: Primò modo vix moraliter poteſt, ſive ab Angelo, ſivè etiam ab homine, fieri talis retractatio; at id non provenit ex inflexibilitate & immobilitate in electione ſemel facta, ſed ex quaſi morali neceſſitate amplectendi bonum, quod cognoſcitur & judicatur majus, quæ moralis neceſſitas æquè militat non ſolùm antè electionem factam & in ipſa inceptione electionis ſed etiam reſpectu diverſorum ſivè Angelorum ſivè hominum, qui ſi omnes eodem modo judicent bonum A. eſſe majus bono B. omnes neceſſitate quadam morali (ſubintellige ſpecificationis, non exercitij) eligent bonum A. præ bono B.

Electio ſemel facta vix poteſt ſub eâdem cognitione mutari.

39. Secundo modo maximè verificatur retractabilem eſſe ab homine priorem electionem, maximeque apparet longe major difficultas mutabilitatis & flexibilitatis in Angelo, quàm in homine; ille enim poſt attentam naturalis objecti inſpectionem difficillimè poteſt novam notitiam ad idem objectum pertinentem acquirere, aut abſque nova notitia diverſum de electione facienda judicium formare, quorum primum ex propria cognoſcendi imperfectione, ſecundum ex mutatione corporalis diſpoſitionis facilè poteſt homini convenire, quamvis hoc ſecundùm non quidem ex corporali mutatione, benè tamen ex aliquali inconſtantia, poſſit aliquando reperiri etiam in Angelo. Hinc fit flexibilitatem, ſeu mutabilitatem Angelorum abſolutam, meliùs ſuſtineri penes retractationem faciendam ſub eodem judicio, eademque notitia; è contrà inflexibilitatem Angelorum comparativam, ſeu flexibilitatem minorem in ipſis, quàm in hominibus, meliùs explicari penes retractationem faciendam ſub notitia diverſa novoque judicio, ideſt penes majorem difficultatem acquirendi novam notitiam, & formandi diverſum judicium circà rem ſemel electam ex attenta conſideratione & deliberatione perfecta.

Sub cognitione diverſa facilè mutari poteſt ab homine, difficilè ab Angelo.

40. Habetur ſecundò animas ſeparatas, ſicuti quoad incapacitatem mutationis ex diſpoſitione corporea, & modum cognoſcendi abſque indigentia diſcurſus, cum Angelis conveniunt, ità quoad majorem vel minorem immobilitatem in electionibus ſemel factis & flexibilitatem ad electiones oppoſitas, idem de ipſis eſſe ſentiendum quod de Angelis, non quod de hominibus; undè etiam Adverſarij ſuſtinentes Angelos in electionibus plenè deliberatis omnimodè inflexibiles, eandem inflexibilitatem omnimodá tribuunt animabus ſeparatis; at ſecundùm noſtram doctrinam tribuenda illis eſt ſola inflexibilitas comparativa, ſecundùm quam ſint multo difficiliùs flexibiles, quàm in ſtatu unionis & dependentiæ à corpore.

Quid ſentiendum de animabus ſeparatis quoad inflexibilitatem.

Dubitatur hic. Vtrùm ſaltem de potentiâ abſolutâ ſit dabilis creata voluntas naturaliter & ab intrinſeco immobilis in ſuis liberis electionibus, licèt de facto talem voluntatem nec homines habeant, nec animæ ſeparatæ nec Angeli. Illi qui liberaliter de rerum non repugnantiâ ſentiunt, & inter poſſibilia computant quidquid impoſſibile non demonſtratur, illicò affirmative concludent cum Arriaga *hic diſp.* 14. *num.* 45. at juxtà opinionem *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 76. & alibi laudatam docentem in pari, aut non multum impari cauſa, præſumptionem ſtare pro impoſſibilitate potiùs, quàm pro poſſibilitate.

41. Crediderim negativè reſpondendum, quia licèt libèter admittam voluntatem poſſe immobilitari in aliquibus actibus, nimirum in actibus neceſſariis; ſecùs ſe res habet in actibus liberis, quibus ſicuti eſſentiale eſt poſſe à ſuâ cauſa libera produci, vel non produci, ità etiam conſervari vel non conſervari, quo uſque manent liberi: Confirmatur, ex eo quod omnis creatura ſit effectus liber reſpectu Dei, in nullius creaturæ conſervatione Deus immobilitatur, nec eſt dabilis effectus creatus, à cujus conſervatione Deus nequeat deſiſtere, ut attigimus *tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. §. 2. ergo cum quælibet electio libera ſit effectus liber voluntatis creatæ, in nullâ electione liberâ poteſt iſta immobilitari, nec eſt dabilis actus liber, à quo nequeat deſiſtere; & quamvis hinc directè non probetur voluntatem exiſtentem ſub unâ electione poſſe eſſentialiter erumpere in oppoſitam; ſed ſolùm poſſe non permanere in electione, ſub quâ exiſtit; tamen ex eo quod poſſit in electione, ſub qua exiſtit, non permanere, infertur talem electionem non eſſe impedimentum inabjicibile electionis oppoſitæ, & cum ex alia parte voluntas ſit appetitus univerſalis ſequens univerſalitatem intellectus, qui non poteſt eſſe alligatus alicui determinatæ rationi entis ſit, quod voluntas nullo impedimento detenta poſſit in quamlibet electionem erumpere. Confirmatur inſuper argumentis ſuprà latis pro mutabilitate voluntatis Angelicæ, quæ in re militant etiam pro mutabilitate cujuſcumque alterius voluntatis poſſibilis.

Nec de potentia abſolutâ eſt dabilis voluntas creata ab intrinſeco inflexibilis.

Dices ex Arriaga, quænam apparet repugnantia in eo, quod dentur actus liberi ſpecie à noſtris differentes, qui ſemel habiti ſemper neceſſariò durent; aut ipſis non durantibus voluntatem talis naturæ, ut poſita tanquam conditione præteritâ illorum actuû
existentia nequeat oppoſitum velle. Sed con- 42.
trà: dico illud primum eſſe contrà eſſentiam actus liberi, qui non poteſt in conſervari eſſe diverſus à ſe ipſo in fieri; ſecundum eſſe contrà univerſalitatem potentiæ volitivæ, ſicuti eſſet contrà eſſentialem univerſalitatem potentiæ intellectivæ aſtruere poſſibilem intellectum, qui poſita tanquam conditione aliqua cognitione præterita nequeat aliud objectum cognoſcere. Quamvis deindè repugnantia, quæ inquiritur, non adeò evidenter appareat, ſaltem apparent plures rationes repugnantiæ, quàm non repugnantiæ;

&

& tamen quando illæ eſſent ſolùm æquales iſtis, præſumptio pro illis ſtaret juxtà præmiſſa, ergo à fortiori pro illis, & pro repugnantia, ſtat præſumptio in noſtro caſu, in quo ſunt plures, licèt non omninò evidentes.

---

§. V.

An & quomodò locutio inter Angelos fiat mediis actibus voluntatis.

43. ASSERT. Angeli inter ſe potiſſimùm loquuntur per conceptus internos ordinatos, & manifeſtatos mediis actibus voluntatis ad modum conditionis ſe habentibus. Dixi *potiſſimùm*, quia intendimus modum hunc loquendi ponere in Angelis, tanquam ipſis maximè connaturalem maximeque conſentaneum, non tanquam unicum; nec omninò inficiamur poſſe etiam aliter Angelos loqui, ut tradetur *ſequenti* §. Interim aſſertam locutionem docent D. Thomas *de verit. quæſt.* 9. *art.* 4. 1. *p. q.* 107. *art.* 1. Cajetanus *eod. art.* 1. Sylvius *ibid.* Capreolus *in* 2. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 1. Ioannes à S. Thomâ *diſp.* 25. *art.* 1. Gonet *diſp.* 15. *art.* 3. §. 4. Valentia *diſp.* 8. *q.* 4. *punct.* 2. Lugus *diſp.* 11. *cap.* 4. Eſparza *q.* 21. *art.* 4. Tannerus *diſp.* 5. *quæſt.* 4. & cum Thomiſtis communiter alij nonnulli Recentiores contrà Durandum, Henricum, Scotum, Ochamum, Ægidium, Molinam, Arriagam, alioſque varios Auctores in varias circà Angelicam locutionem ſententias diviſos & magis diſtinctè infrà referendos §. 7. per totum.

Probatur & explicatur aſſertum: Locutio non eſt qualiſcumque rei manifeſtatio, alioqui quodlibet objectum, dum per ſui ſpeciem ſe ipſum nobis manifeſtat, nobiſcum loqui diceretur; & non ſolùm metaphoricè, ſed etiam propriè Cœli loquerentur, & Dei gloriam enarrarent, dum Dei gloriam nobis manifeſtant; eſt igitur manifeſtatio aliqua ſpecialis & determinata, eſt ſcilicet manife-

44. Locutio in genere quid.

ſtatio internorum mentis conceptuum, & rerum ut ſubſunt talibus conceptibus; quæ quidem manifeſtatio in nobis nequit eſſe immediata propter molem corpoream, & modum intelligendi dependenter à ſenſibus, ſub quibus nequeunt interni conceptus mentis immediatè cadere; benè poteſt eſſe immediata in Angelis, quibus nec officit ulla corporis moles, nec deſunt propriæ ſpecies talium conceptuum *ex cap. præced.* §. 6. quamvis ſint taliter modificatæ ut nequeat in actu ſecundo conceptus illos exiſtentes repræſentare, niſi poſitâ conditione manifeſtationis, ſeu conſenſus ex parte elicientis: Hinc ſic poteſt argumentum efformari: Angeli inter ſe loquuntur eo modo, quo inter ſe manifeſtant internos mentis conceptus, & res ſubſtantes iiſdem conceptibus; ſed hoc præſtant potiſſimù per ipſoſmet cõceptus ordinatos & manifeſtatos mediis actibus voluntatis per modum conditionis ſe habentibus; ergo Angeli inter ſe potiſſimùm loquuntur per conceptus internos, &c. Major patet ex ratione genericâ locutionis; minor probatur quia conceptus interni unius Angeli, ut fiant noti & manifeſti alteri Angelo *ex præced.* §. 6. nihil aliud requirunt, quàm conſenſum ſeu voluntatem manifeſtandi in eliciente, idque per modum puræ conditionis.

Dices: hoc modo non diſtingueretur in Angelis voluntas loquendi à locutione; nam voluntas loquendi nihil eſt aliud, quàm voluntas manifeſtandi proprios conceptus; atqui per nos poſitâ præciſè in Angelis voluntate manifeſtandi proprios conceptus habetur locutio; ergo non diſtingueretur in Angelis, &c. hoc autem dici non poteſt tùm quia voluntas operandi ſemper diſtinguitur ab ipſâ operatione, tùm quia locutio, ſi non diſtingueretur à voluntate loquendi, conſiſteret in actu voluntatis & per conſequens actus potentiæ cæcæ præſtaret munus luminis, omnis enim locutio eſt manifeſtatio, & omne quod manifeſtat lumen eſt. Sed contrà:

45. Omne quod manifeſtat lumē eſt, nō procedit de eo, quod manifeſtat ex parte objecti.

ut ab hoc ultimo incipiam, dico ly *omne quod manifeſtat lumen eſt* procedere ad ſummum de eo, quod manifeſtat ex parte potentiæ; non de eo, quod manifeſtat ex parte objecti, alioqui omnis ſpecies eſſet lumen, quia omnis ſpecies manifeſtat rem, cujus eſt ſpecies; ly *voluntas operandi ſemper diſtinguitur ab ipſa operatione* procedit de operatione alterius potentiæ à voluntate, nec eſt neceſſe quòd verificetur etiam de operatione, quæ ſit actus voluntatis, neque enim ut voluntas amet v. g. indiget ſemper voluntate amãdi diſtinctâ ab amore, ſed dum amat, rectè dicitur quod velit amare per eundemmet actum, quo amat; Inſtantia igitur non ſufficienter probat locutionem, aut non poſſe conſiſtere in actu voluntatis, aut debere ſemper diſtingui à voluntate loquendi: Nihilominùs utrumque admitto, quia utrumque eſt communiter receptum, utrumque etiam eſt conſonum; non contrarium doctrinæ à nobis aſſertæ; ad probationem verò in oppoſitum conceſſa majore, diſtinguo mino-

46. Actus voluntatis in locutione Angelicâ eſt pura conditio.

rem; poſitâ præciſè in Angelis voluntate manifeſtandi proprios conceptus, tanquam conditione ad loquendum prærequiſitâ, habetur locutio concedo, tanquam formali ratione loquendi, habetur locutio nego; vel poſitâ præciſè, &c. habetur conſequenter locutio concedo, habetur formaliter locutio nego minorem & conſequentiam; ut enim dictum eſt locutio nihil eſt aliud, quàm manifeſtatio conceptus, & hæc in Angelo habetur immediatè & formaliter per conceptũ ipſum, qui ſuppoſitâ præciſè voluntate manifeſtandi eſt per ſe manifeſtus immediatè, & mediatè manifeſtativus rei ſibi ſubſtantis: & quando dicitur manifeſtationem actuum internorum, ſeu ſecretorum cordis, haberi per conſenſum elicientis ſeu per actum voluntatis, ſemper debet intelligi tanquam per conditionem ſeu applicationem; non tanquam per rationem formalem.

Dubitatur hîc: Utrùm conceptus mentis, in quo formaliter conſiſtit locutio Angelica, debeat

debeat eſſe actus reflexus? Affirmat Arrubal *diſp.17. cap.3.* qui ut refert Ioannes à S. Thoma *diſp 25. art.1. num.24.* tres actus requirit ad Angelicam locutionem primò conceptum attingentem rem de quâ eſt loquendum; ſecundò volitionem manifeſtandi talem rem & talem conceptum; tertiò aliũ conceptum attingentem hanc volitionem, & reflectentem ſupra illum priorem conceptũ, ſeu habentem pro objecto priorem illum cõceptum ut volitum manifeſtari; & in hoc tertio conceptu, qui propriè & in toto vigore reflexus eſt, conſtituit formaliter Angelicam locutionem. Actum etiam reflexum minus tamen rigorosè talem pro Angelicâ locutione requirit Vaſquez *diſp.211. cap.11. num.65.* docens omnem conceptum mentis, omnemque actum intellectionis eſſe locutionem quandam, quatenùs Intellectus, qui intelligit ſecum quodammodò loquitur, eſſe verò locutionem cum alio illum ſolum conceptum, qui eſt actus intellectus quaſi reflexus, quatenùs eſt actus Intellectus de cogitatione, vel de actu voluntatis & ſecreto

47. Reflexio ſuprà voluntatem manifeſtãdi non eſt ad locutionẽ neceſſaria.

cordis. Reflexio ab Arrubale requiſita nullatenùs placet, quia ſuperflua eſt, & reddit locutionis exercitium minùs facile ac minùs expeditum; certè in nobis tanquam puerile & ridiculum damnaretur in omni locutione reflectere ſuprà voluntatem manifeſtandi ea, de quibus loquimur; à fortiori igitur damnandum id eſt & excludendum ab Angelis, quibus non poteſt non concedi politior, reſtrictior, & expeditior locutio. Reflexio requiſita à Vaſquio partim placet, partim diſplicet; placet quatenùs ponitur in ordine ad actum voluntatis, quia locutio ex genere ſuo eſt manifeſtatio conceptus mentis, & rei quatenùs conceptui ſub eſt, ut igitur Angelus loquatur de actu voluntatis, debet de tali actu cogitare, & velle cogitationem ipſam manifeſtare, deindè quia impoſſibile eſt Angelum velle manifeſtare aliquid, quin actu cognoſcat illud, quod manifeſtare vult: diſplicet eadem reflexio quatenùs extenditur etiam ad cogitationem ipſam adeò ut; dum unus Angelus vult per locutionem manifeſtare alteri proprium actum intellectus, debeat per alium actum reflexum cognoſcere actum illum, quem manifeſtare vult; nam cum quilibet cognitionis actus per ſe ipſum innoteſcat elicienti, optimè poteſt per ſe ipſum determinare elicientem ad ſui manifeſtationem abſquè eo, quòd diſtincto actu re-

48. Reſponſio ad dubium.

flexo cognoſcatur: Hinc ad dubium abſolutè reſpondeo conceptum mentis, in quo formaliter Angelica locutio conſiſtit, non eſſe neceſſariò actum reflexum, ſed quemcumque mentis conceptum, ſivè directum, ſivè reflexum, per hoc quòd dependenter à conſenſu elicientis fiat alteri notus, locutionem denominari.

Dices: ut conceptus mentis ſit locutio requiritur ſaltem, ut ſit à loquente ſpecialiter ordinatus & directus ad audientem, alioqui non poſſet Angelus uni potiùs quàm alteri loqui; atqui ordinatio & directio eſt opus intellectus, & per actum intellectus fit, ergo ut conceptus mentis ſit locutio requiritur alius actus intellectus ordinans & dirigens ipſum, & per conſequens intervenit aliqua reflexio unius actus ſuprà alium: Sed contrà; 49.
Intellectus aliquando ſumitur prout eſt idem cum voluntate ſeu prout eſt ſimul voluntas, quâ ratione intellectui aliquando tribuitur etiam illud quod habetur per actum voluntatis; & in hoc ſenſu poteſt abſolutè concedi, quòd ordinatio & directio ſit opus in-

Ordinare & dirigere quomodò ſit propriũ intellectus.

tellectus, cæterùm ſumendo intellectum, ut à voluntate contrà diſtinctum, dico ordinare & dirigere eſſe proprium intellectus ad ſummum, quando ordinatio & directio exercetur in rebus poſitis extrà ordinantem, non ſic, quidquid in contrarium Thomiſtæ ſentiant, quando exercetur in actibus ipſius ordinantis, & ſicuti ut attigimus *tract.1. lib 3. cap. 5. num.16.* imperium in ordine ad ea quæ extrà, non in ordine ad ea, quæ intrà imperantem ſunt, proprium eſt intellectus; ità ſimiliter ordinare & dirigere, &c. cum præſertim imperium ipſum eſſe poſſit quædam ordinatio & directio: Ad inſtantiam igitur concedo quidem conceptum mentis, ut ſit locutio, debere eſſe ordinatum & directum à loquente ad audientem; at dico ad talem ordinationem & directionem non requiri alium actum intellectus, ſed ſufficere volitionem manifeſtandi uni potiùs quàm alteri; & ſicuti per approximationem ignis ſufficienter applicatur uni potiùs, quàm alteri paſſo, ità per volitionem illam, quæ conditio eſt, eo ferè modo, quo approximatio, conceptus dirigitur, ordinatur, & quaſi applicatur uni potiùs, quàm alteri Angelo.

Ex dictis habetur conceptum mentis in 50.
Angelo eſſe ſub diverſa ratione occultum & manifeſtum; eſt occultus, quatenùs conſideratur abſolutè, & abſque ullâ ordinatione ad alium Angelum; eſt manifeſtus, quatenùs conſideratur relativè & cum ordinatione ac directione ad alium; imò hâc ratione non ſolùm eſt manifeſtus, ſed etiam eſt manifeſtativus, quia ſe ſolo æquivalet vocibus ac ſignis ſenſibilibus, quibus fit humana locutio, & quæ ſunt manifeſtativa conceptuum; ſicque juxtà regulam generalem quâ uniuntur in ſuperioribus, quæ ſunt in inferioribus diſperſa, Angelus homine ſuperior loquitur præſtando per ſolos mentis conceptus quidquid homo præſtat per conceptus & ſigna ſenſibilia.

---

§. VI.

Explicantur in præaſſerto modo loquendi Angelorum omnes prærogativæ propriæ locutionis.

ASSERT. Prærogativæ ſeu conditiones 51.
maximè requiſitæ ad propriam locutionem tres potiſſimùm ſunt: Prima, quòd detur excitatio audientis ad percipiendum loquentem: Secunda quòd loquens poſſit

Tres præcipue conditiones propriæ locutionis.

ſervare ſecretum, nec pateat omnibus quod uni quis loquitur: Tertia, quòd loquens poſſit mentiri & decipere: & hæ tres conditiones in præaſſerto modo loquendi Angelorum optimè reperiuntur.

Probatur & explicatur prima pars, quòd ſcilicet tres enumeratæ conditiones ad propriam locutionem requirantur. Requiritur prima, quia juxtà illud Eccleſiaſt. 32. *ubi auditus non eſt, non effundas ſermonem* remanet inutilis & evanida locutio, cui auditio non correſpondet, nequit autem correſpondere locutioni auditio, niſi detur audientis ad percipiendum loquentem excitatio: Requiritur ſecunda; quia ſi locutio non poſſet eſſe niſi publica & æquè ab omnibus perceptibilis, nulla darentur amicabilia colloquia, nullæ ſpeciales ſecretorum communicationes, nullæ ſecretæ conſultationes; quæ & id genus alia everterent ſocialem convictum, & regimen politicum: Requiritur tertia; quia pro ſtatu, in quo creatura admittit internos defectus & actus peccaminoſos, ſpectat ad bonum vitæ ſocialis mentiri poſſe ad diſſimulanda celandaque magis propria ſecreta, & præſertim in Angelis malis admittenda eſſe mendacia infertur *ex Io.* 8. ubi de Diabolo dicitur, *Non eſt veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater eius*; audiendus propterea non eſt Arriaga *diſp.* 52. *ſect.* 5. *num.* 29. abſolutè concedens unum Angelum alteri mentiri non poſſe per ſe loquendo; neque quod addit poſſe Angelos ſe fallere in corporibus aſſumptis, vel per ſigna aliqua in corpore facta, ſufficienter ſalvat aut perfectionem vitæ ſocialis, pro quâ malè diceretur Angelos indigere aſſumptione corporum, aut relata verba quibus de malo Angelo dicitur *Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur.*

Probatur & explicatur ſecunda pars quod ſcilicet tres enumeratæ conditiones in præaſſerto modo loquendi Angelorum optimè reperiantur.

52. *Singulæ reperiuntur in præaſſertâ locutione Angelorum.* Reperitur prima conditio: quia excitatur Angelus ad percipiendum loquentem, quando excitatur in ipſo ſpecies illius conceptus, quem loquens manifeſtat, at poſitâ præcisè ordinatione & directione talis conceptus ad ipſum, excitatur in ipſo ejuſdem conceptus ſpecies, ergo ex ordinatione & directione conceptus, ſeu ex conceptu ordinato & directo, habetur excitatio audientis ad percipiendum loquentem; Minor probatur, quia poſitâ ordinatione illa & directione, ſpecies evadit repræſentativa in actu ſecundo conceptus ut exiſtentis, cujus ſolùm ut poſſibilis erat repræſentativa antè ordinationem illam & directionem, ſicque Angelus animadvertens novum exercitium repræſentationis in ſpecie excitatur ad intendum eâ, & ad attendendum quid per ipſam repræſentetur, quod eſt excitari tùm in audiente ſpeciem locutionis quæ ſibi fit, tùm audientem ipſum ad percipiendũ loquentem: Eſſet hic explicandum, quomodo ſpecies abſq; eo quod intrinſecè mutetur & abſque eo quod ei quidquam intrinſecum ſuperaddatur, fieri poſſit de non repræſentâte repræſentans conceptum internum? Quomodo item Angelus ſtatim advertat novum exercitium repræſentationis in ſpecie? ſed utrumque ſufficienter conſtat ex dictis; primum quidem *ex præced. cap.* 2. *§.* 6. *& §.* 10. *n.* 113. Secundum *ex præced. ca.* 1. *§.* 8. *n.* 82. ubi dicebatur Angelum ſemper eſſe in aliquali actuali cognitione omnium ſpecierum ſibi infuſarum; quæ aliqualis cognitio ſufficit ut Angelus aliqualiter animadvertat in qualibet ſpecie quodlibet novum exercitium repræſentationis. Ado hic, quòd quando etiam Angelus nequidem cognitione confuſa & implicita actu cognoſceret omnes ſuas ſpecies; ſaltem urbanitatis gratia, & ad fovendam vitam ſocialem actu ſemper cognoſceret ſpecies alienorum conceptuum, quantùm neceſſe eſt ad præbendam audientiam cuilibet alij volenti loqui: Quando tandem permitteretur Angelum poſſe eſſe ad alia adeò intentum atque diſtractum, ut ad alium Angelum ſibi loquentem nullatenùs advertat & ad audiendum non excitetur, quid indè? non erit inconveniens locutionem aliquam, rariſſimè tamen, elabi & deperdi abſque eo, quod percipiatur; nec Angelo loquenti deerit modus excitandi attentionem Angeli ad alia diſtracti, vel accedendo ad ipſum, & in ipſo cauſando motum aliquem & impulſum; vel petendo quodammodo audientiam mediante alio Angelo, cum quo ille primus familiariùs utatur, & cui per conſequens ſoleat attendere; vel precibus impetrando excitationem à Deo faciendam; niſi etiam velis dicere nullis precibus expectatis Deum ut Auctorem naturæ debere excitationem facere, quando in aliquo particulari & extraordinario caſu nullum aliud Angelo loquenti ſuppeteret remedium excitandi. 53.

Quomodo unus Angelus excitetur ad audiendum alium.

Reperitur ſecunda conditio; quia ſicuti poteſt Angelus quilibet ad neminem prorſùs conceptus ſuos ordinare, ità poteſt ordinare ad unum, non ad alios, & ad plures pauciore ſvè pro libito; dum igitur locutio Angelica ad conceptuum ordinationem conſequitur, poteſt Angelus quilibet, aut nemini loqui, aut loqui uni non aliis, aut loqui pluribus paucioribuſvè pro libito; & quidem ſi velit loqui ordinando conceptus ſuos ad plures confusè & indiſtinctè, poteſt loqui pluribus ſimul in quacumque multitudine; ſi autem velit ordinare conceptus ſuos ad ſingulos diſtinctè & in particulari; Angelus, ſicuti quo inferior eſt poteſt pauciores ex ſuperioribus ſimul cognoſcere diſtinctè & in particulari, ità etiam poteſt paucioribus, non cuicumque multitudini ſimul loqui. 54. *Quomodò Angelus poſſit loqui ſecretò.* Porrò ut unus Angelus alium ſecretò, cæteriſque non audientibus alloquatur, neceſſe non eſt quod ad ipſum propiùs accedat, aut quod ad ipſum à cæteris ſegreget, ſed in quacumque diſtantia & coram quibuſcumque haberi poteſt inter Angelos ſecreta allocutio, quia conceptus eorumque ordinatio & directio non pendent à locorum diſtantia, nec difficiliùs remanent 55.

occulti præſentibus,& propinquis,quàm abſentibus.& quamvis in nobis localis diſtantia requirat clamorem, cum quo non poteſt eſſe ſecreta locutio, diverſa tamen eſt ratio de Angelis, quorum locutio interna eſt, & abſque ullo vocis ſono; nec refert quod *Iſa. 6.* dicatur de Seraphim, *clamabant alter ad alterum*, Enimverò *clamor ille* ut tradit D. Thomas 1.p.q.107. art.4. ad . *non fit propter diſtantiam loci, ſed ſignificat magnitudinem rei, quæ dicebatur, vel magnitudinem effectus ſecundùm quod dicit Gregorius 2. Moral. tanto quiſque minùs clamat, quanto minùs deſiderat*; faciunt hic etiam valdè ad rem verba Ambroſij *ſuper illud Pſalm. 118. Clamavi in toto corde meo*, dicentis, *Clamat cor noſtrum non ſono corporis, ſed cogitationum ſublimitate, concentúque virtutum.*

Quomodò unus Angelus ad alterum clamet.

56\. Repetitur tertia conditio, quia Angelus poteſt formare conceptum contrarium alteri, quam in mente habeat, illúmque ordinando ad alium Angelum ire contrà mentem & exprimere aliquid contrarium ei, quod habet in mente; cognoſcit, v.g. Angelus ſe actu amare, poteſt ex malitiâ formare conceptũ, cujus objectũ ſit ignorantia & carentia amoris, ſeù quo affirmet ſe non cognoſcere actũ amoris, hunc ſecundum conceptũ dirigendo ad alium Angelum, & non dirigendo illum priorẽ quo cognoſcit ſe actu amare, exprimet aliquid contrà id, quod re verâ habet in mente: Neque dicas, ſecundum conceptum, quem dirigit ad alium Angelum, reverâ habet in mente, ergo exprimendo talem conceptum, non exprimit aliquid contrà id, quod habet in mente, nec mentitur. Contrà enim concedo antecedens, diſtinguo conſequens; ergo exprimendo talem conceptum præcisè non exprimit aliquid contrà id, &c. concedo, exprimendo talem conceptum ſimul cum objecto ipſius, non exprimit aliquid contrà id, &c. nego; & dico Angelũ, dum vult loqui per ordinationem & directionem conceptus, non poſſe quidem mentiri unico conceptu præcisè, id tamen poſſe formando duplicem conceptum, & dirigendo unum, non alterum, vndè licèt juxtà ſupradict. *n.* 48. ad locutionẽ Angelicam ex genere ſuo non requiratur in Angelo duplex conceptus, quorum unus ſit quaſi reflexus ſuprà alium, libenter concedo id in Angelo requiri ad locutionẽ mendacẽ, niſi velit mentiri loquendo per ſigna, nõ per ſolam ordinationem conceptus: Modũ hunc mentiendi per conceptum reflexũ tribuunt Angelis Ioan. à S. Thom. *præcit. diſp.* 55. *art.* 1. *n.* 29. Gonet *diſp* 15. *n.* 81. Amicus *diſp.* 15. *n.* 36. quamvis deindè poſtremus hic Auctor id afferat ad probandum omnem locutionem angelicam eſſe formaliter collocandã in expreſſione conceptus reflexi, quâ in re nos ab Amico diſcrepamus, & malè ipſe ex unâ ſpecie locutionis arguit ad locutionem conſideratam univerſaliter & ex genere ſuo.

Quomodò unus Angelus alteri mentiatur.

57\. Explicatis in præaſſerto modo loquendi Angelorum præcipuis prærogativis, & conditionibus ſpectantibus ad communem rationem locutionis propriè dictæ, facilè eſt in eodem reperire alia nonnulla, quæ ſpectate poſſunt ad ſpecialem perfectionem locutionis Angelicæ, ut primò quòd unus Angelus poſſit alteri loqui in quâcumque diſtantiâ: Secundò quòd quilibet Angelus poſſit loqui cuilibet: Tertiò quòd unus Angelus poſſit audire plura ſibi de diverſis rebus ſimul loquentes: Quartò quòd Angelus audiens ſciat & diſcernat, quinam ſibi loquantur.

Primùm facilè conſtat, quia locutio Angelica & auditio tota perficitur mediis actibus intellectus & voluntatis, qui præſcindunt à loco & attingere poſſunt propria objecta in quâcumque diſtantia, & ſicuti nulla diſtantia impedit ne unus Angelus alium cognoſcat, ità etiam nulla diſtantia impedit ne vnus Angelus cognoſcat conceptus alterius ſibi factos ex elicientis ordinatione manifeſtos, quod eſt vnum Angelum audire alium ſibi loquentem.

Angelus poteſt loqui in quacumque diſtantiâ.

58\. Secundum facile conſtat, quia ex vnâ parte Angelus per nos, dum loquitur nihil phyſicum in audiente producit, quâ fortè ratione ſolùm ſuperior inferiori, non inferior ſuperiori loqui poſſet; ex aliâ parte quilibet Angelus poteſt ſuos conceptus internos ad alium quemlibet aut dirigere aut non dirigere, poteſt igitur quilibet cuilibet & non inferiori tantùm aut æquali, ſed etiam ſuperiori loqui.

Poteſt loqui alij cuilibet.

Tertium facilè conſtat quia cum *ex cap. præced.* §. 2. poſſit Angelus plures res diverſas ſimul cognoſcere, utique poterit ſimul cognoſcere plures diverſos conceptus ad ſe à diverſis Angelis ſimul ordinatos; quod eſt audire plures ſibi de diverſis rebus ſimul loquentes.

Poteſt audire plures ſimul loquentes.

59\. Quartum facilè conſtat, quia Angelus audiens cognoſcit clarè & intuitivè conceptum Angeli loquentis & ordinationem talis conceptus ad ſe factam, qui autem cognoſcit clarè & intuitivè aliquẽ actum intellectus, & volũtatis, diſcernit principiũ & ſubjectũ talis actus; Angelus igitur audiens ex eo quod cognoſcat clarè & intuitivè locutionem, diſcernit, quiſnam ſit loquẽs? Dixi Angelũ audientẽ cognoſcere non ſolùm conceptũ loquentis, ſed etiã ordinationẽ cõceptus, quia licèt talis ordinatio ſit etiam ipſa actus internus & liber; nihilominùs quia propter ipſam evadunt manifeſti alij actus interni, optimè cõcedi poteſt quod non indigeat alio actu ut ipſamet ſit manifeſta; adeò ut ſicuti ad recipiendam diſpoſitionem nõ requiritur alia diſpoſitio, ità ad manifeſtandam ordinationem non requiratur alia ordinatio. Quãdo tamen etiam concederetur talem ordinationem non eſſe per ſe manifeſtam, adhùc rectè ſuſtineretur requiri ad aliorum manifeſtationẽ. quia ſicuti ſpecies intentionalis in ſe incognita inſervit ut medium ad cognoſcenda alia, cur ordinatio in ſe non manifeſta non poſſet inſervire ut conditio ad alia manifeſtanda? & juxtà hanc doctrinam Angelus audiens cognoſceret clarè & intuitivè conceptum loquentis, ordinationem verò

Angelus audiens diſcernit, quiſnã loquatur.

Intuetur nõ ſolùm conceptum ſed etiam ordinationem talis conceptus à loquente factam.

talis

talis conceptus arguitivè dumtaxat & abſtractivè, quatenùs ſciret ſe non poſſe alterius conceptum intueri, niſi poſità conditione ordinationis.

Dubitatur hìc, utrùm præaſſertus & hucuſque explicatus loquendi modus conveniat Angelis non ſolùm inter ſe, verùm etiam in ordine ad Deum, & homines.

60. Quomodo Angelus loquatur Deo.

Reſpondeo affirmativè in ordine ad Deum, negativè in ordine ad homines; poſſe ſcilicet per puram ordinationem conceptuum loqui Deo, at non hominibus: Ratio primæ partis eſt, quia licèt per ordinationem proprij conceptus ad Deum nequeat Angelus aliquid ignotum Deo manifeſtare, poteſt tamen per talem ordinationem aliquid à Deo petere, divinam voluntatem conſultare, laudare Dei bonitatem, admirari excellentiam, quibus ſolùm modis datur locutio creaturæ ad Deum, ut explicat Divus Thomas 1. *p. quæſt.* 107. *art.* 3. ubi rectè advertit locutionem non ſemper eſſe ad communicandum & manifeſtandum aliquid audienti, ſed aliquando eſſe ad recipiendum aliquid ab ipſo, & ut aliquid manifeſtatur loquenti, talis eſt omnis locutio creaturæ ad Deum, & talis etiam eſſe poteſt aliqua locutio creaturæ inferioris ad ſuperiorem, ut cum Diſcipulus quærit aliquid à Magiſtro. Ratio ſecundæ partis eſt, quia homo, ut potè qui omnem ſuam cognitionem haurit à ſenſibus, nequit immediatè cognoſcere rem ullam ſpiritualem;

Quomodo hominibus.

& per conſequens nequit immediatè cognoſcere conceptus internos Angelorum, quamvis ad ſe ordinatos & directos; nequit igitur audire Angelicam locutionem factam per ordinationem & directionem internorum conceptuum; poſſet tamen locutionem ità factam audire anima ſeparata habens facultatem intelligendi independenter à ſenſibus; undè tùm Angelis in ordine ad animas ſeparatas,

Quomodo animabus ſeparatis.

tùm animabus ſeparatis inter ſe, convenit ſuprà aſſerta locutio per conceptus ordinatos & directos, imò talis locutio quamvis non conveniat Angelo in ordine ad homines, nequaquam non eſt homini in ordine ad Angelos; cum quilibet Angelus eadem ratione, quâ poteſt immediatè cognoſcere conceptus internos aliorum Angelorum, poſſit etiam immediatè cognoſcere conceptus internos hominum.

61. Quid ſit formaliter locutio & auditio Angelica.

Ex dictis habetur locutionem, quâ potiſſimùm Angeli utuntur eſſe intellectualem conceptum Angeli loquentis ad alium vel alios libero voluntatis actu ordinatum & directum; auditionem verò huic locutioni correſpondentem eſſe cognitionem in Angelo audiente excitatam à loquente, & terminatam immediatè ad conceptum, mediatè ad rem ſubſtantem conceptui loquentis.

§. VII.

Fertur judicium de aliis modis explicandi Angelicam locutionem.

ASSERT. Ex pluribus aliis diverſis modis explicandi locutionem Angelicam aliqui ſunt omninò impoſſibiles; aliqui poſſibiles quidem ſunt, ſed aut minùs connaturales, aut minùs univerſales, proptereaque inter Angelos minùs uſitati.

Probatur & explicatur aſſertum, recenſendo ſingillatim, & breviter ponderando, diverſas hâc in re diverſorum Auctorum ſententias, omnes tamen ſub duplici capite contentas: Primum eſt locutionem Angelorum haberi per efficientiam loquentis in audientem, per productionem ſcilicet aut ſpeciei aut cognitionis in intellectu audientis: Secundum eſt fieri per ſigna, quæ ſecundùm aliquos materialia ſunt & formata in aliquo corpore, ſecundùm alios ſunt ſpiritualia, & vel immanentia loquenti vel tranſeuntia in audientem.

61: De Angelorum locutione opinio Scoti.

Sub primo capite occurrit primo ſententia Scoti *in* 2. *diſt.* 9. *quæſt.* 2. §. *ad quæſtionem iſtam*, & §. *ad ulteriorem* docentis unum Angelum alteri loqui cauſando in ipſo aut conceptum aut ſpeciem, aut tùm conceptum, tùm ſpeciem objecti, de quo loquitur: cauſando conceptum, quando locutio eſt de objecto cujus Angelus habet jam aliundè ſpeciem, & hunc conceptum Angelus loquens cauſat per ſuam memoriam, eandemque ſpeciem intelligibilem per quam producit ejuſdem objecti cognitionem in ſe ipſo; Angelo audiente præcisè recipiente, & merè paſſivè ſe habente ad conceptum ſibi impreſſum: cauſando ſpeciem, quando Angelus inferior loquitur ſuperiori de objecto, cujus iſte ſpeciem non habet, & cujus notitiam ei nequit imprimere eo, quòd ipſũ inveniat ad alia attentum, & ut potè inferior non poſſit à tali ad alia attentione ipſum diſtrahere: cauſando tùm conceptum, tùm ſpeciem quando Angelus ſuperior loquitur inferiori de objecto, cujus ſpeciem non habet, & quem licèt inveniat aliarũ rerum conſiderationi incumbentem; poteſt ut potè ſuperior ab hujuſmodi conſideratione impedire eique aliã imprimere de objecto, de quo loqui intendit: Ex his tribus loquendi modis primus & tertius juxtà mentem Scoti eſt locutio propria, & cui perfecta auditio reſpondet; ſecundus non item, de iſto enim diſſerens ipſemet Scotus *præcit.* §. *ad ulteriorem verſic. Tertium probo* ait *loquens loquitur, & tamen audiens non audit perfectè*; id eſt non audit auditione, *quæ ſit intellectio actualis illius, quod exprimitur à loquente*; ideò modum loquendi per ſolam productionem ſpeciei in præſenti prætereo examinandum infrà, dum judicium feretur de opinione poſità ſub *n.* 66. & Scotum impugno ſolùm quoad id; quod eſt ipſius proprium, & in quo ipſe collocat

 propriam

propriam perfectamque locutionem, nimirum quoad totalem productionem conceptus
63. à loquente in audiente: impugno autem primò ex ratione genericâ actûs vitalis, cui repugnat produci, totaliter præſertim, à principio extrinſeco; & carere omni immanentia: Secundò ex ratione genericâ principij vitalis, cui repugnat in actu ſecundo vivere & nihil prorſùs agere, ſed ſolùm pati, ſicuti ſolùm patiendo & merè paſſivè ſe habendo in actu ſecundo viveret Angelus audiens, & intelligens per conceptum ſeu actum in ſe totaliter productum ab Angelo loquente; Scio utramque hanc repugnantiam negari abſolutè in ſcholâ Scotiſticâ adeò ut Maſtrius *in 2. diſp. 2. quæſt. 9. num. 283.* miretur hiſce nos fundamentis fidere; at nos loquimur conformiter ad noſtra principia, quamvis à Scotiſtis non recepta: Tertiò ex ratione formali locutionis requirentia manifeſtationem rei ut ſubſtantis conceptui ſeu rei & conceptus; quando igitur Angelus deberet loqui producendo intellectionem in audiente, deberet producere intellectionem propriæ intellectionis non intellectionem ſolius rei à ſe intellectæ ut docet Scotus: Quartò ex conditionibus locutionis propriè dictæ quæ ferè omnes deſunt in locutione quam impugnamus: deeſt excitatio audientis, quia per intellectionẽ ab alio ſibi impreſſam audiens cogitur potiùs, quàm excitetur ad audiendum; deeſt facultas loquendi ſecretò, quia licèt Angelus per hoc, quòd imprimeret intellectionem rei uni, non aliis, loqueretur uni, aliis non audientibus; intellectio tamen, quam imprimeret, eſſet ab omnibus aliis cognoſcibilis, adeoque non poſſet loquens celare propriam locutionem in talis intellectionis productione ſitam; Non poſſet Angelus loqui niſi Angelo præſenti & propinquo, quia nec intellectio poteſt tranſmitti per medium materiale & corporeum, nec poteſt dari actio indiſtans, quidquid in contrarium de actione præſertim intentionali ſentiant Scotiſtæ; Non poſſet unus Angelus audire plures ſimul loquentes, quia ſecundùm Scotum non poſſunt in eodem intellectu eſſe ſimul plures intellectiones; Angelus audiens ægrè diſcerneret loquentem, quia licèt Doctor ſubtilis *præcit. verſic. Tertium probo* circà finẽ doceat Gabrielem v.g. ex eo, quòd ipſi à Michaële conceptus imprimatur, convertere ſe ad videndum intellectum Michaëlis, & intellectionem, quam Michaël habet de objecto, de quo loquitur; tamen non explicat, cur convertat ſe ad Michaëlem potiùs, quàm ad aliquem alium Angelum, in quo pariter reperiatur intellectio ejuſdem objecti, de quo Michaël loquitur, tandem idem Angelus non poſſet ſimul loqui valdè multis, quia non eſt veriſimile eumdem Angelum poſſe valdè multas intellectiones ſimul producere.

64. Opinio Ochami & Gabrielis. Sub eodem capite occurrit ſecundò opinio Ochami *quodlib. 1. q. 7. & in 2. q. 20.* & Gabriëlis *in 2. diſt. 9. q. 1. art. 4.* docentium unum Angelum alteri loqui per hoc, quod formet in ſe verbum internum, ſeu eliciat intellectionem ejus, de quo intendit loqui, & deindè per tale verbum, ſeu per talem intellectionem objectivè concurrentem, & per potentiam intellectivam audientis produci in audiente conceptum expreſſivum intellectionis exiſtentis in loquente, & rei tali intellectioni ſubſtantis. Hic loquendi modus, quamvis non tot, quot ſuperior, difficultatibus ſit obnoxius, tamen nec ſufficit ad locutionem faciendam cum Angelo diſtante, nec cohæret cum eo, quod attigimus *præced. cap. 2. num. 44. & 66.* innuentes nullum accidens poſſe concurrere objectivè immediatè cum principio intelligente, cui non inhæreat; nec ſufficienter ſolvat, quomodo unus Angelus alteri liberè loquatur, cum per hujus ſententiæ Auctores concurſus objectivus præſtetur naturaliter & neceſſariò ab intellectione loquentis, neque ut ipſi contendunt ſufficit intellectionem ipſam liberè elici à loquente, quia hoc ſalvat ſolùm libertatem habendi conceptum in ſe ipſo, at non libertatem manifeſtandi conceptum alteri, & multò minùs uni potiùs, quam alteri.

65. Opinio Richardi. Sub eodem capite occurrit tertiò opinio Richardi *in 2. diſt. 9. art. 2. q. 1.* ponentis connaturalem eſſe Angelis radium quemdam ſpiritualem, ex quo Angelus loquens educat ſpeciem proprij conceptus, eamque medio eodem radio ad audientem protenſo audienti offerat, & hic ex tali ſpecie ſibi oblatâ aliam hauriat, eum quâ proprio intellectui impreſsâ eliciat auditionem, ideſt notitiam conceptus exiſtentis in loquente. In hâc notâ opinione nihil eſt non difficile; difficilis eſt primò radius ille ſpiritualis, ut potè qui gratis inducitur: difficilis eſt ſecundò eductio ſpeciei ex tali radio, quia ſequitur ipſum eſſe ſubſtantiam ſuſtentativam talis ſpeciei, & continere virtutem repræſentativam omniũ conceptuum cujuſlibet Angeli; difficilis eſt tertiò tranſmiſſio ſeu protenſio radij ad audientem, quia talis protenſio eſſet nova productio ſubſtantiæ ſpiritualis per creationem: difficilis eſt quartò extractio ſecundæ ſpeciei facta ab audiente, quia ad talem ſpeciem hauriendam requireretur intellectus agens quem ſuprà ab Angelis excluſimus.

66. Opinio plurium tùm Scotiſtarum, tùm Recentiorum. Sub eodem capite occurrit quartò opinio docentium Angelicam locutionem fieri per ſpeciem de novo productam, at non receptam in radio ſpirituali, ut voluit Richardus ſed immediatè impreſſam intellectui Angeli audientis; hanc ſpeciem aliqui ponunt productam à ſpecie objecti locutionis exiſtente in loquente, ità Scotus *præcit §. Ad ulteriorem*, ubi tamen per talis ſpeciei productionem explicat ſolùm locutionem quamdam minùs propriam Angeli inferioris ad ſuperiorem, ut jam tradidi ſub *num* 62. Alij magis communiter aſtruunt productam mediãte conceptu ſeu intellectione Angeli loquẽtis, liberè & voluntariè applicantis talem conceptum ad imprimendã ſui ſpeciem intellectui unius potiùs, quàm alterius Angeli; ità Scotiſtæ, & ex Recentioribus Suarez *lib. 2. cap. 27. & 28.* Lecanus *tract. 3. cap. 1. q. 14.*

*q.*14. aliique nonnulli, cum quibus Maſtrius *in* 2. *diſp.*2. *q.*9. *num.*279. refert etiam aliquos Thomiſtas. Hæc opinio eo modo, quo traditur à Scoto ſpecialiter impugnatur ex eo, quòd ſpecies producta ab aliâ ſpecie deberet repræſentare ſpeciem, à qua producta eſt, non objectum ipſius; & quando etiam repræſentaret tale objectum, non ſufficeret locutioni, per quam debet manifeſtari objectum non ſecundùm ſe, ſed ut ſubeſt conceptui loquentis; eo modo, quo ab aliis ſuſtinetur, impugnari ſolet ex eo, quod ſi actibus intellectus Angelici conveniret producere ſui ſpeciem in intellectu alieno, deberent talem ſpeciem producere neceſſariò & naturaliter, non ex libertate elicientis, at nos oppoſitum docuimus *præced.cap.*1.*n.*35. ideò opinio eo modo explicata diſplicet ſolùm tùm propter ſupradicta *eod. cap.* 1. de ſpeciebus omnibus intentionalibus cuilibet Angelo infuſis, non acceptis ab objecto, quamvis ſpirituali, tùm ex eo, quia talis loquendi modus non poſſet exerceri niſi inter

67. Arriagæ Maderni. Angelos ab invicem indiſtantes: Hoc ſecundum incõmodum effugiunt Arriaga *diſp.*1a. *ſect.*4. & Madernus *q.*3.*art.*17. docentes ſpeciem conceptus, quem Angelus vult alteri manifeſtare, in alterius intellectu produci immediatè à Deo ad exigentiam Angeli loquentis; at contrà hos Auctores adhuc militar noſtra ſuperior doctrina de ſimultanea infuſione omnium ſpecierum cuilibet Angelo à Deo facta ab initio creationis, quoad reliqua poſtremum huuc modum loquendi cæteris omnibus hucuſque relatis præferrem; non tamen approbarem quod addit Madernus *art. præcit. num.*8. inter Angelos indiſtantes, aut in proportionata diſtantia poſitos locutionem fieri abſque ullà ſpecie; non, inquam, id approbarem quia *ex præced. num.*64. accidens non poteſt concurrere objectivè immediatè cum principio intelligente cui non inhæret.

68. Opinio Durandi. Sub ſecundo capite occurrit primò ſententia Durandi *in* 2. *diſt.*11. *q.*2. *num.*12. volentes locutionem Angelicam propriè dictam haberi per ſigna materialia, ideſt vel per ſonos ſenſibiles formatos in aëre ad inſtar vocum, vel per tactus factos in corporibus aſſumptis. Hæc locutio maximè quidem conſentanea eſt Angelis in ordine ad homines; cum quibus non apparet quo aptiore modo loqui poſſint, at Angelis ipſis inter ſe, quamvis non repugnet, parum congruit, & tribuenda omninò illis eſt locutio; quam habere inter ſe poſſent etiam nullo prorsùs corpore exiſtente; quam etiam nullo prorsùs exiſtente corpore deberetur ipſis vita ſocialis & politica; perfecta autem ſocietas & politiá exigit mutuam locutionem; undè relata ſententia rejicienda maximè eſt; ex eo; quod non agnoſcat in Angelis locutionem aliquã purè ſpiritualem, ut non agnoſcit Durandus ex ſuppoſitione, quòd ſecreta cordium non ſint ex ſe omnibus manifeſtà, quamvis deindè & hæc eſſent omnibus manifeſta admittat inter Angelos locutionem per ordinationem voluntatis unius ad alterum; quâ in re licèt aliqualiter accedat ad locutionem à nobis aſſertam, ab eâ tamen adimit prærogativam ſecreti, eamque admittit dumtaxat ex falsâ ſuppoſitione.

Sub eodem capite occurrit ſecundò ſententia Ægidij Romani *in* 2. *diſt.*10. *quaſt.*3. *art.*1. Thomæ de Argentinâ *ead.diſt.quaſt.*1 *art.*2. Gregorij *in* 2. *diſt.*9. *quaſt.*2. Marſilij *in* 2. *q.*7.*art.*2.*&c.* docentium Angelos formare in ſe ipſis ſigna ſpiritualia naturaliter ſignificativa rerum, de quibus volunt loqui, & inſtrumentaliter ideſt in ſe ipſis priùs cognita, ducentia in talium rerum notitiam eum, ad quem diriguntur. Hic loquendi modus non poteſt haberi ſervando ſecretũ aliis; quod quis uni loqueretur; quia ſpecies talium ſignorum eſſent infuſæ ab initio omnibus Angelis; quoties igitur quis in ſe aliquod tale ſignum formaret, ſtatim ipſum; ejuſque ſignificatio omnibus pateret, & poſſet ab omnibus per propriam ipſius ſpeciem cognoſci; neque enim talia ſigna poſſunt excogitari ſecundùm ſe occulta, ſicuti ſunt ſecreta cordium, alioqui deberent ex ipſa cognoſci mediantibus aliis ſignis, & ſic in infinitum. 69. Opinio Ægidij, Argentinæ, Gregorij, Marſilij, &c.

Sub eodem capite occurrit tertiò ſententia Molinæ 1.*p. q.*106. *art.*1. *conc.*2. Dequiros *diſp.*59. *ſect.* 2. Albertini *corol.*11. *theologico dub.*1. &c. docentium Angelos loqui per ſigna ſpiritualia ſignificantia ad placitum; quæ quidem ſigna Dequiros collocat in motu locali, adeò ut ad beneplacitum Angeli diverſus motus localis ipſius rem diverſam ſignificet; Albertinus in quibuſdã qualitatibus ſpiritualibus receptis in audiente, & productis à loquente; Molina ea vocat externa, adeoque indicat ea recipi in Angelo audiente potiùs, quam in loquente. In hâc ſententia ægrè explicatur, quomodo duo aut plures Angeli poſſint inter ſe convenire de inſtituendo aliquo ſigno, nam ad ità conveniendum debent ſe mutuò intelligere & inter ſe mutuò loqui; ergo modus loquendi per ſigna ad placitum non poteſt eſſe unicus, ſed debet dari aliquis prior, quo mediante inter ſe conveniant de ſignificationibus imponendis: Deindè requirerentur diverſa ſigna ad placitum non ſolùm ad loquendum de diverſis rebus, ſed etiam ad loquendum publicè, vel ſecretò de eadem, imò deberent hujuſmodi ſigna diverſificari pro qualibet diverſa Angelorum combinatione, cui facienda eſſet locutio; & obruerentur quodammodo Angeli tanta multiplicatione ſignorũ: Quod ait Dequiros de motu locali deprimit Angelos ad locutionem valdè imperfectam; & ut ità dicam, ſaltatoriã ac ridiculam: Quod ait Albertus de ſignis tranſmiſſis à loquente in audientem limitat Angelos ad loquendum ſolùm cum præſentibus & indiſtantibus. In univerſum modus loquendi per ſigna, qualiacumque hæc ſint; dum ponitur in Angelis tanquam unicus, diſplicet; quia multiplicat entia ſine neceſſitate, cum ſine ſignis habeatur per ſolos actus intellectus & voluntatis modus loquendi præſtantior, & omnibus perfectæ locutionis prærogativis in- 70. Opinio Molinæ, Dequiros, Albertini.

ſtructior, quàm modus loquendi per ſigna.

71. Occurritur auctoritati D. Thomæ.

Scio ex ipſomet Angelico Doctore afferri auctoritates aliquas ad probandam in Angelis locutionem per ſigna, præſertim naturaliter ſignificativa; at talium ſignorum nomine veniunt ipſimet conceptus à loquente ordinati ad audientem, ut ex profeſſo perpendit Ioannes à S. Thoma *diſp.* 25. *art.* 5. *num.* 17. poſt allatos *num.* 15. plures ejuſdem Angelici Doctoris textus ad oſtendendum manifeſtiſſimam eſſe ipſius mentem pro locutione ſuprà aſſerta, & poſt explicata aliqua verba, de quibus ſibi blandiuntur qui pro excitatione ad audiendum omninò requirunt aliquid de novo productum in audientis intellectu.

72. Epilogus judicij lati de præmiſſis opinionibus.

Ex dictis habetur inter omnes præallatas locutionis Angelicæ differentias & Angelorum linguas, eſſe ſub primo capite maximè rejiciendam, & habendam ut impoſſibilem, locutionem Scoticam; locutionem Ochami & Gabrielis non eſſe quidem poſſibilem naturaliter, at ſupernaturaliter non repugnare; idem eſto judicium de locutione Richardi; locutio Scotiſtarum & recentiorum ſolùm improbatur ex ſuppoſitione, quòd Angeli omnia extrà ſe poſita intelligant per ſpecies ab initio infuſas, cæterùm quando fuiſſent producti aut de novo producerentur Angeli talibus ſpeciebus deſtituti, nullum in ipſis agnoſcerem meliorem locutionis modum, quam per productionem ſpeciei in intellectu audientis, faciendam, vel mediante proprio conceptu à loquente, quando eſſet indiſtans, & proximus audienti, vel immediate à Deo ad exigentiam loquentis, quoties iſte vellet diſtantibus & longinquis loqui. Sub ſecundo capite tres modi loquendi per ſigna ſunt omnes poſſibiles, at non poſſunt poni unici, nec habent omnes conditiones perfectæ locutionis; non negaverim tamen primum & tertium aliquando de facto exerceri; ſecundùm ægrè de facto admitterem, quia ſuppoſito, quòd Angeli loqui poſſint per ſigna ad placitum, ſuperfluunt ſigna naturalia, quorum etiam ſignificatio difficiliùs explicatur. Sicque omnia in unum recolligendo triplex loquendi modus datur de facto in Angelis: Primus per conceptus mediis voluntatis actibus ordinatos, & hic eſt potiſſimus ac præſtantior, & quando etiam eſſet unicus optimè ſufficeret Reipublicæ Angelicæ: Secundus per ſigna ſenſibilia; hoc maximè utuntur Angeli ad loquendum cum hominibus & in corporibus aſſumptis: Tertius per ſigna ſpiritualia ſignificantia ad placitum ſignificatione impoſita per locutionem primo modo præhabitam; hic loquendi modus, ſicuti etiam ſecundus aptiſſimus eſt, ut unus Angelus alteri propriè mentiatur; inſervire etiam poteſt ad mutuum quodammodò oblectamentum: hoc titulo inter bonos, priore titulo inter malos aliquandò exercebitur.

---

§. VIII.

An & quomodò illuminatio inter Angelos ſit ſpecies locutionis.

73. *Vnus Angelus alium propriè illuminat.*

Aſſert. 1. Datur inter Angelos illuminatio, quâ unus alium illuminat, nec omnes illuminantur immediatè à Deo. Ità D. Dionyſius *cap.* 8. *cæleſ. hierar.* D. Thomas 1. *p. q.* 106. *art.* 1. D. Gregorius *lib.* 8. *moral. cap.* 6. aliique tùm ſancti Patres, tùm Theologi contrà Durandum *in* 2. *diſt.* 11. *q.* 3. volentem omnes Angelos cauſaliter & propriè illuminari à ſolo Deo, & interpretantem D. Dionyſium de mediatione conſequentiæ & ordinis, non de mediatione cauſalitatis: adeò ut Angeli inferiores dicantur illuminari à Deo mediis ſuperioribus, non quia iſti in illis illuminationem cauſent, ſed quia iſtos priùs quàm illos per ſe ipſum Deus illuminat; quæ interpretatio audax eſt, & ſecundùm Amicum *hic diſp.* 16. *n.* 12. aliqua temeritate non caret, quamvis ad eam forte ductus fuerit Durandus ex eo quòd poſt negatam inter Angelos locutionem omnem purè ſpiritualem non potuerit deinde inter eoſdem admittere illuminationem, quæ ſpecies eſt locutionis. *Cenſura Durandi.*

Probatur aſſertum primò ex SS. PP. quos videre eſt apud Amicum *diſput.* 16. *pracit.* præſertim verò ex D. Dionyſio *cap. pracit.* & alibi ſæpè *in lib. cæleſ. hierar.* cujus auctoritas magni ponderis eſt, nam in ejus *c.* 6. Dionyſius ipſe profitetur ſe loqui ex doctrina Pauli Apoſtoli, quem Præceptorem ſuum & ſacrum divinorum initiatorem vocat; & in ejuſdem libri *c.* 7. agens ſingillatim de illuminatione ſeu inſtructione Angelorũ inferiorum à ſuperioribus, ait, *hoc enim Theologi planè tradunt*, appellat autem Theologos Davidem & Iſaiam, ut notat Valentia *hic diſp.* 8. *quæſt.* 4. *punct.* 1. commemorans Davidis & Iſaiæ verba ad hanc rem pertinentia.

Probatur ſecundò ex conſueto modo operandi Dei, qui ſolet ſubordinare inferiora ſuperioribus, infima mediis, media ſupremis; ſic ut Auctor naturæ non præſtat immediatè per ſe ipſum, quod præſtare poteſt media cauſa ſecunda; ut Caput Eccleſiæ non omnes docet per ſe ipſum de fidei Myſteriis, ſed infimos per medios, medios per ſupremum Sacerdotem & Summum Pontificem; ergo id etiam ſuo modo obſervat Deus in inſtruendis, edocendis, & illuminandis Angelis; inter quos vix aliter haberi poteſt prælatio & ſubjectio; ſuperiorum ad inferiores liberalitas, inferiorum ad ſuperiores ſubordinatio in propriis miniſteriis & operationibus, quæ & id genus alia valde decent quamlibet intellectualem Rempublicam, & ſufficienter non ſalvantur per hoc præcisè, quod membra ſint diverſæ & inæqualis perfectionis. 74.

Aſſert. 2. Illuminatio inter Angelos eſt 75.

ſpecies

ſpecies locutionis, eique præcipuè ſuperaddit doctrinam & Magiſterium. Prima pars eſt à Theologis communiſſimè recepta contrà Hervæum, qui *in 2. diſt. 9. q. 1. art. 2.* vult unum Angelum illuminare alium vel efficiendo in ipſo novum quoddam lumen intellectuale, vel augendo lumen intellectuale præexiſtens, & deinde *diſt.* 11. *q.* 11 explicat unum Angelum loqui alteri producendo in ſe ipſo conceptum quendam gerentem vicem verbi mentalis, quod eſt nullam in Angelis cognoſcere illuminationis cum locutione affinitatem: Eadem prima pars eſt contrà Capreolū mox afferendum *ſeq. n.* 77. In ſecunda parte cōveniunt Thomiſtæ unanimiter, nec Scotiſtæ multùm diſſentiunt, conſentiunt verò Thomiſtis magis expreſsè Valentia *punct.* 1. *præcit.* Vaſquez *diſp.* 216. *cap.* 5. Amicus *diſp.* 16. *n.* 24. Lugus *diſp.* 13. *cap.* 3. *num.* 3. Averſa *quæſt.* 59. *ſect.* 6. cæterique recentiores ferè omnes, à quibus aliqualiter diſcedit Arriaga *diſp.* 22. *ſect.* 3. ubi aſſertum diſcrimen illuminationis à ſimplici locutione parùm approbat & *ſect.* 5. ponit illuminationem locutioni ſuperaddere directionem illuminati ad miniſterium ſuum benè exercendam.

Illuminatio inter Angelos eſt ſpecies locutionis.

76. Probatur prima pars, quia ut notat D. Thomas 1. *p. q.* 106. *art.* 1. *in c.* lumen, ſecundùm quod ad intellectum pertinet, nihil eſt aliud, quàm quædam manifeſtatio veritatis juxtà illud Epheſ. 5. *Omne quod manifeſtatur lumen eſt*: cum igitur locutioni convenire optimè poſſit, quod ſit manifeſtatio veritatis, convenire eidem poteſt, quod ſit illuminatio intellectualis, qualis eſt de qua agitur in præſenti, & de qua propterea rectè aſſerimus ſpeciem eſſe locutionis; Hervæus verò nimis grammaticaliter nomen illuminationis accepit, dum iſtam collocavit in productione vel intenſione luminis, & prætereà impugnatur primò ex eo, quod unus Angelus non poſſet illuminare alium diſtaotem: Secundò ex eo, quod vel loquitur de lumine intellectuali naturali, & hoc lumen eſt indiſtinctum ab ipſo intellectu, imò à ſubſtantia Angeli, nec poteſt ab extrinſeco aut produci aut intendi; vel loquitur de lumine ſupernaturali, & hoc ut à cauſa principali produci poteſt à ſolo Deo, ut à cauſa inſtrumentali divinitùs elevata produci quidem poſſet ab Angelo, at hoc foret præter ordinarium divinæ providentiæ modum, quo nullum ſolet adhiberi Angelorum miniſterium ad infundendum ſupernaturale lumen, aut gloriæ,

77. aut fidei. Hæc probatio militat etiam contrà Capreolum *in 2. diſt.* 11. *q.* 3. *art.* 3. docentem illuminationem fieri per hoc, quod illuminans influat in illuminatum participationem ſui luminis; unde inter Capreolum & Hervæum videtur eſſe ſolum vocalis diverſitas, quatenùs unus appellet participationem luminis illud, quod alius appellat lumen.

Dices: ex D. Thoma 1. *p. q.* 106. *art.* 1. *in c.* Virtus intellectiva inferioris Angeli confortatur ex illuminatione ſuperioris, *ut minùs calidum creſcit in calore ex præſentiâ magis calidi*; atqui magis calidum influit in minùs calidum participationem ſui caloris, & calorem ipſius intendit; ergo ſimiliter, &c. Sed contrà: S. Doctor *eod. art.* 1. *ad* 2. expreſsè ait, quòd unus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, idem habet *q.* 9. *de verit. art.* 1. *ad* 2. ne igitur ſit ſibi ipſi contrarius, paritas, quæ ex eodem in inſtantia affertur, debet intelligi cum aliqua limitatione adeò, ut ſenſus ſit Angelum illuminantem per exteriorem propoſitionem objecti præſtare quodammodò in illuminato illud, quod magis calidum per efficientiam phyſicam præſtat in minùs calido.

Ex eo quod illuminatio ſit ſpecies locu- 78.
tionis loquuntur conſequenter cæteri ab Hervæo & Capreolo Auctores, dum unuſquiſque ad illuminationem extendit propriam de locutione ſententiam; & Scotus vult Angelum illuminantem cauſare totaliter conceptum in illuminato; Ochamus & Gabriel concurrere objectivè per conceptum proprium ad producendum alium conceptum ſimilem; Richardus protendere radium ſpiritualem, & ſic de cæteris juxtà ordinem ſententiarum, quarum meminimus §. *præced.* undè nos etiam, ut conſequenter loquamur, non aliter debemus illuminationem explicare, quàm per conceptus Angeli illuminantis mediis actibus voluntatis ordinatos ad illuminatum, aſſignando tamen in conceptibus ità ordinatis prærogativam doctrinæ & Magiſterij, per quam locutionis genus ad illuminationis ſpeciem contrahitur, & quam locutioni illuminatio præcipuè ſuperaddit, licèt non unicè; non unicè, inquam, quia non deſunt aliæ quædam conditiones illuminationis propriæ, non omni locutioni communes, ut poſt probatam ſecundam partem illicò ſubjiciam. Ideò

Probatur & explicatur ſecunda pars: 79.
Doctrina & Magiſterium conſiſtit maximè in eo, quod Magiſter & Doctor in manifeſtanda nova & alteri ignota veritate accommodet ſe captui alieno, & alienum intellectum adjuvet, ei proponendo ſucceſſivè & per partes id, quod ipſe totum ſimul percipit & comprehendit, eoque plures diviſiones ac ſubdiviſiones adhibendo, quò imbecillior eſt diſcipuli captus: Sicque locutio facta cum doctrina & magiſterio eſt, quâ manifeſtatur veritas dearticulatè & per partes juxtà captum audientis: Evenit hoc optimè in Angelis, in quibus rerum ſupernaturalium æquè ac naturalium ſpecies ſunt magis vel minùs univerſales pro majori vel minori perfectione naturæ & gratiæ; & Angeli habentes naturam perfectiorē, ſicuti *ex lib. ſeq. c.* 1. §. 4. habent majorem gratiam, & gloriā, ità habent univerſaliores non ſolùm naturales, verū etiā ſupernaturales ſpecies, & ex objectis etiā ſupernaturaliter cognoſcibilibus poſſunt plura ſimul cognoſcere; hinc fit Angelos ſuperiores & primæ Hierarchiæ poſſe ex divina illuminatione percipere

Eſt locutio facta cum doctrina & magiſterio.

unico

unico actu & unicâ ſpecie illa objecta, ad quæ cæteri Angeli, quò inferiores ſunt, eò pluribus, tùm ſpeciebus tùm actibus utuntur; ut igitur Angeli ſuperiores illuminationes ſibi à Deo immediatè factas participent inferioribus, debent proprias ſpecies quaſi in plures partiri, & non adæquatos propriæ, ſed accommodatos alienę intellectivitati elicere actus illos, quos volunt ad alios illuminandos dirigere, quod eſt Angelos illuminantes illuminatis loqui cum doctrina & magiſterio, & per conſequens illuminationem doctrinam & magiſterium ſuperaddere ſimplici locutioni.

Dices: nec omnis illuminatio eſt locutio; nec omnis ea illuminatio, quæ locutio eſt, fit cum doctrina & magiſterio, ergo utraque aſſerti pars eſt falſa, & utraque probatio eſt inſufficiens; antecedens quoad primum mébrum evincitur ex inſpirationibus divinis ſeu cognitionibus, quas in nobis Deus excitat, quæ rectè dicuntur illuſtrationes, ſeu illuminationes, & tamen per illas nobis Deus non loquitur, quia nullum ſuum conceptum nobis manifeſtat; ergo, quoad ſecundum membrum ſuadetur ex eo, quod non apparet, cur unico actu & abſque magiſterio nequeat unus Angelus revelare alteri aut alienum aliquem actum internum, aut aliquod futurum contingens ſibi à Deo manifeſtatum? & tamen iſta utpotè non cognoſcibilia naturaliter ab eo, cui revelantur, re-
81. velantur per illuminationem: Sed contrà: nego antecedens; ad probationem primi mébri dico inſpirationes divinas appellari poſſe illuſtrationes & illuminationes in eo ſenſu, in quo Deus *Io* 1. dicitur illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, ſeu omnes creaturas intellectuales, lumine tùm naturæ tùm gratiæ; at non eâ ratione, quâ ſumitur illuminatio in præſenti; ad probationem ſecundi membri tranſeat, quod unus Angelus poſſit revelare utcumq; alteri unico actu & abſque magiſterio alienum aliquem actum internum, aut aliquod futurum; non poteſt tamen revelare certificando alterum, & amovendo ab ipſo omnem ſuſpicionem falſitatis, niſi cum aliquo magiſterio, quo oſtendat & manifeſtet talia objecta non ſolùm ſecundùm ſe, verùm etiam ut revelata à Deo, vel ut ſubſtantia alicui ſpeciali lumini, cui nequeat ſubeſſe falſum: Porrò ad illuminationem non ſufficit cognoſci de novo aliquod objectum aliundè naturaliter non cognoſcibile, niſi cognoſcens de ejus veritate certificetur; alioqui intellectus illuminatus poſſet admittere formidinem, quæ obtenebratio potiùs, quàm illuminatio eſt.

82. Aliæ conditiones illuminationis Angelorum.

Ex his habentur duæ aliæ conditiones, quas illuminatio addit locutioni: Prima eſt, quòd ſit locutio vera: Secunda, quod ſit de objecto non aliundè noto, nec naturaliter cognoſcibili ab ullo Angelo; adeò ut propter à Deus ſit prima origo illuminationum omnium, & quidquid unus Angelus alteri per illuminationem manifeſtat, alicui Angelo primò innotuerit ex illuminatione immediatâ Dei, aut Chriſti, in ſententia enim docente Chriſtum eſſe caput Angelorum æquè, ac hominum, probabile eſt, ut notat Amicus *hic diſp.* 16. *num.* 58. ex Chriſto in Angelos illuminationem deſcendere, ne detur aliquis influxus in membra, qui ex capite non proveniat.

Mitto hic diverſas alias conditiones, quas diverſi Auctores in Angelica illuminatione requirunt: Minor primò, quod ait Durandus *pracit. quaſt.* 3. *num.* 19. illuminationem eſſe de iis, in quibus conſiſtit cognitio beata ſaltem accidentalis; ex hoc deindè inferens ſolum Deum illuminare, quia ipſe ſolus beatificat, tùm eſſentialiter, tùm accidentaliter: at nec primum verum eſt, quia ſecùs Angeli in viâ non fuiſſent capaces illuminationis; nec eo dato illatio haberet vim, quia aliquis concurſus ad beatificationem præſertim accidentalem optimè poteſt
tribui creaturæ: Mitto ſecundò, quod ait 83.
Ægidius *in* 2. *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 5. illuminationem verſari ſolùm circà materiam ſupernaturalem, quod eſt contrà D. Thomam *hic quaſt.* 106. *art.* 1. *ad* 2. dicentem illuminationem eſſe etiam de iis, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, & ratio eſt quia aliqua etiam pertinentia ad ſtatum naturæ ſunt cognoſcibilia ſolùm ſupernaturaliter, & ex divinâ revelatione: Mitto tertiò, quod ait Arriaga *ſect.* 5. *pracit. num.* 25. ad illuminationem requiri, ut per illam illuminatus dirigatur ad miniſterium ſuum benè exercendum; at hoc eſt valdè gratis & voluntariè ac divinando dictum: Mitto quartò, quod nonnulli ad illuminationem requirunt ut ſemper ſit à Superioribus in inferiores, licèt enim regulariter & ſecundum legem ordinariam res ità contingat, quia regulariter & ſecundum legem ordinariam magiſterium fundatum in majori ſpecierum univerſalitate, & unitiore intelligendi modo, ſolùm in ſuperioribus reperitur; non repugnat tamen de potentia extraordinaria Deum infundere circà aliquod objecti genus univerſaliores ſpecies inferiori Angelo, qui propterea poterit circà tale objecti genus illuminationem, & magiſterium exercere in ſuperiorem.

Mitto inſuper leviora nonnulla, quæ poſ- 84.
ſunt hic dubitari; putà utrùm Deus vel Chriſtus unum ſolum Angelum ſupremum, an plures & totam primam hierarchiam immediatè illuminet: Vtrùm illuminationes in Angelis faciendæ ſint ſolùm uſque ad diem judicij, an per totam æternitatem? Vtrùm ex ſpeciali Dei diſpenſatione aliqua illuminatio à bonis & beatis Angelis in malos & damnatos deſcendat? Vtrùm illuminatio poſſit eſſe etiam de iis, quæ videntur in verbo; nō quatenùs Angelus illuminatus poſſit proficere & aliquid de novo attingere ipſo actu viſionis, hic enim ex alibi dictis æternus eſt & immutabilis, etiam circà objectum ſecundarium; ſed quatenus Angelus ſuperior de iis, quæ videt in verbo, poſſit cum doctrina & magiſterio alloqui inferiorem, qui illuminetur ad ea cognoſcenda extrà verbū. Hæc & id genus alia libenter prætereo, quia nequeunt

Dubia quædam indicantur, non examinantur.

nequeunt ſufficienter definiri, quin multum aut divinationis, aut quæſtionis de nomine, miſceatur, ut videre eſt apud Lugum *hic diſp.* 13. *cap.* 4. & Amicum *diſp.* 16. *num.* 56. *& ſequentibus.*

CAPUT V.

De Potentia locomotiva Angelorum.

1. POTENTIA locomotiva ex ipſo terminorum ſono dicitur in ordine ad locum, & motum; ad locum quidem tanquam ad objectum, ad motum tanquam ad actum: Facilè propterea expedientur ea, quæ in Angelis ad potentiam locomotivam in ſe ipſa conſideratam pertinent, ſi præmiſerimus, quæ propria ſunt tùm loci tùm motus Angelici; celeri tamen, levique calamo, ea enim vix poſſumus accuratiùs expendere, quin quæſtionibus ac difficultatibus purè philoſophicis implicemur, miſceamuſque plura tùm motui cuicumque, tùm cuicumque loco communia: Siſtendo igitur in propriis,

Suppono primò Angelos, utpotè qui nec partes habent nec ſuperficiem, non eſſe in loco per cōmenſurationem partium ad partes loci intrinſeci, id eſt illius ſpatij privativi & imaginarij, cum quo penetrantur; non item per commenſurationem ſuæ ultimæ ſuperficiei ad ultimam ſuperficiem loci extrinſeci, id eſt corporis ambientis; & de hoc modo eſſendi in loco intelligendi ſunt aliqui ſancti Patres docentes Angelos non eſſe in loco, aut eſſe in loco ſolùm metaphoricè, abuſivè, & impropriè.

2. *Angelus verè eſt in loco.* Suppono ſecundò Angelos eſſe in loco, prout eſſe in loco nihil aliud dicit, quàm habere propriam ſubſtantiam propriamvè entitatem loco præſentem, ſeu à loco indiſtantem; hocque adeò verum eſt, ut opinio docentium Angelos nullo modo in loco eſſe hæretica dicatur à D. Thoma *in* 1. *diſt.* 37. *q.* 3. *art.* 1. & quod nos ſupponimus à Vaſquio *hic diſp.* 187. *c.* 1. *n.* 2. dicatur ſententia Catholica, à Valentia *diſp.* 4. *q.* 3. *punct.* 1. dicatur ex fide certiſſima.

At non in omni & ubique. Suppono tertiò Angelos ità eſſe ſecundùm ſuam ſubſtantiam præſentes uni, ut non ſint præſentes alij loco, eſſe ſcilicet in aliquo certo & determinato loco, non ubique; & hoc pariter adeò verum eſt, ut Durandus eò quod *in* 1. *diſt.* 37. 2. *p. diſtinctionis q.* 1. ſcripſerit ſubſtantiam Angeli eſſe præſentem ubique & eò modo, quo ipſi convenit eſſe in loco, non eſſe magis in hoc quàm in illo loco, à Valentia *quæſt. præcit. punct.* 2. notetur cujuſdam temeritatis, & à Molina *q.* 52. *art.* 1. *memb.* 2. ipſius ſententia vocetur parùm tuta in fide; & quidem ſententia ipſa nequit cenſuram effugere, poſſet tamen mitiùs agi cum Durando, utpotè qui *q.* 1. *præcit. n.* 38. profitetur ſe non aſſerendo, ſed inquirendo diſputare.

Suppono quartò, & ex mox ſuppoſitis infero, Angelos nec eſſe in loco circumſcriptivè, uti ſunt corpora, neque immenſivè, uti eſt Deus; ſed definitivè, qui eſt modus eſſendi in loco conveniens omnibus rebus creatis ſpiritualibus; & participat tùm de immenſivo, tùm de circumſcriptivo; de immenſivo quatenùs facit locatum eſſe totum in toto, totum in qualibet parte loci; quod competit etiam Deo; de circumſcriptivo, quatenùs facit locatum ità eſſe ſecundùm ſubſtantiam ſuam præſens uni loco, ut non ſit præſens alteri, quod competit etiam corporibus: Poſſet hic inquiri, utrùm ſimpliciter & abſolutè eſſe in loco definitivè ſit eſſe in loco propriè & rigoroſè, an impropriè & metaphoricè? at eſt pura quæſtio de nomine, in quâ dummodò quoad rem non controvertatur, quin Angelus ſit quoad ſubſtantiam & entitatem ſuam verè præſens loco, liberum cuique eſt talem præſentiam appellare exiſtentiam in loco propriam & rigoroſam, vel ſolùm impropriam & metaphoricam; ſolùm adverterim quòd ſi appelletur propria & rigoroſa, non propterea cenſenda eſt univoca cum exiſtentia in loco conveniente rebus corporalibus; at hoc parùm intereſt, quia in omnium ſententia plura analoga dicuntur propriè & rigoroſè de ſuis analogatis. 3.

Suppono quintò Angelos ità eſſe in aliquo certo & determinato loco, ut talem locum vagè ac indeterminatè reſpiciant; & licèt aut ratione effectus, ad quem ex divina providentia deſtinentur, aut aliquo alio titulo extrinſeco poſſint alicui loco particulari immobiliter affigi, & inſeparabiliter alligari; ſecundùm ſe tamen, & ab intrinſeco, ſunt ad hunc vel illum indifferentes, & ab uno in alium mobiles. Hinc occurrit primis paginis inquirendum per quid formaliter determinentur Angeli ad eſſe potiùs in hoc, quàm in illo loco? pro quo formali determinativo Thomiſtæ aſſignant operationem: Modaliſtæ ſimplicem entitatem ſubſtantiæ Angelicæ ſuperadditam: Complexiſtæ ſimultatem ſubſtantiæ Angelicæ & loci. In hoc ternario majori indiget explicatione, quàm cæteræ, opinio Thomiſtica, utpotè quæ & maximè propria eſt præſentis controverſiæ, & plures ſub ſe continet dicendi modos à Thomiſtis ipſis inter ſe diſſidentibus adinventos. Ideò ſit 4. *Neque in hoc potiùs quàm in illo.*

§. I.

Explicatur ratio formalis conſtitutiva Angelorum in loco ſecundùm Thomiſtas.

ASSERT. Ratio formalis conſtitutiva Angelorum in loco ſecundùm Thomiſtas tripliciter explicatur, ſeu tres continet dicendi modos. 5.

5. *Tres modi explicandi exiſtentiam Angelorum in loco ſecundũ Thomiſtas.*

Primus eſt Medinæ 3. *p. q.* 52. *art.* 1. Baunezij 1. *p. q.* 52. *art.* 1. *conc.* 3. Cajetani *eod. art.* §. *Quoad quartum*, Thomæ de Argentina *in* 1. *diſt.* 37. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 1. &c. collocantium talem rationem formalem in operatione immanente applicativa tamen Angeli ad tranſeunter operandum, quod eſt idem ac dicere in applicatione virtutis Angelicæ ad operationem tranſeuntem in tali loco habendam, quæ quidem applicatio potiſſimùm importat actionem immanentem, id eſt judicium practicum operandi in tali loco, cum quo judicio Cajetanus requirit duo alia, primum eſt facultas executiva ad operandum expedita, ſecundum negatio diſtantiæ ab eodem loco; hiſce omnibus poſitis addit Cajetanus Angelum eſſe in loco incompletè ſolùm & inchoativè; compleri verò & perfici ejus præſentiam per operationem tranſeuntem in loco exercitam.

Secundus eſt Ferrarienſis 3. *contra Gentes*, *c.* 68. Ægidij *in* 1. *diſt.* 37. *p.* 2. *diſtinctio is art.* 1. *q.* 1. Salmanticenſium *hic tr.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 5. &c. collocantium talem rationem formalem in operatione tranſeunte, quam Angelus actu in loco exerceat, & quoties Angeli ſunt in loco abſque eo, quod conſtet de ulla ipſorum operatione tranſeunte, ſicuti de tali operatione non conſtat reſpectu Angelorum aut damnatorum exiſtentium in inferno, aut beatorum exiſtentium in Empyreo, recurrunt prædicti Auctores ad operationem occultam.

Tertius eſt Capreoli *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 1. collocantis talem rationem formalem, vel in operatione tranſeunte, vel in aliquo quod ſit inſtar operationis, & hoc, ut refert Arriaga *hic diſp.* 15. *ſect.* 3. *num.* 25. appellantis aliquando miniſtrationem, aliquando præſidentiam, nobilitationem, exornationem, &c. Poſſunt etiam ſub hoc dicendi modo recenſeri Ioannes à S. Thoma *hic diſp.* 20. *art.* 1. *n.* 19. Gonet *diſp* 4. *art.* 1. *n.* 32. aliique nonnulli docentes Angelos eſſe quidem in loco ſibi connaturali per actionem, & propriam operationem; at in loco præternaturali, & violento, eſſe per receptionem & paſſionem.

6. *Modus explicandi recentiorum affinis modis ſuperioribus Thomiſtarum.*

Tribus hiſce diverſis modis explicandi exiſtentiam Angelorum in loco per operationem addi poteſt quartus nonnullorum recentiorum nimirum Amici *hic diſp.* 5. *ſect.* 2. *num.* 49. Eſparzæ *q.* 9. *art.* 4. Averſæ *q.* 52. *ſect.* 4. §. *Quartò tamen*, qui licèt comparativè ad ſpatium imaginarium, & prout eſſe in loco dicit præcisè indiſtantiam à ſpatio velint Angelum eſſe in loco per entitatem modalem, & ubi intrinſecum ſuperadditum; comparativè tamen ad ſpatium poſitivum, & prout eſſe in ſpatio poſitivo dicit aliquid ampliùs, quàm eſſe in corpore penetrativè; dicit ſcilicet aliqualem commenſurationem, & aliqualem contactum, admittunt Angelum eſſe in loco per operationem, quã Amicus vult eſſe ſolam motionem localem; Eſparza & Averſa contenti ſunt juxtà præallatos dicendi modos operatione quacumque activa, aut paſſiva, aut etiam applicatione, virtutis ad operandum; & hoc eſſe in loco per operationem Eſparza appellat præſentialitatem phyſicam; illud aliud eſſe in loco per puram indiſtantiam appellat præſentialitatem metaphyſicam; contenditque exiſtentiam Angelorum in loco ità explicatam eſſe conformem & menti & phraſi S. Doctoris: Neque deſunt Thomiſtæ qui idem ferè ſentiant, nam Ioannes à S. Thoma *præcit. art.* 1. *n.* 4. ait eos, qui docent Angelum eſſe in loco per *ubi* ſeu per modum præſentiæ ſuperadditum ſubſtantiæ verum docere, nec contrà ſententiam D. Thomæ; & difficultates confundi ab exiſtimantibus illos, qui ponunt Angelum exiſtere in loco per operationem, negare quòd Angelus ſit in loco per *ubi* intrinſecum. Vnde

Adverto ſecundùm politiores Thomiſtas operationem tribuere Angelis in ordine ad locum illud, quod tribuit corporibus quantitas; non illud, quod tribuit corporibus *ubi*: Et certè pro hac doctrina plura afferri poſſunt S. Doctoris loca nam *quodlib.* 1. *art.* 4. habetur *Sicut corpus eſt in loco per contactum dimenſiva quantitatis, ita Angelus eſt in loco per contactum virtutis: ſi quis autem velit virtutis contactum operationem vocare: propter hoc, quod operari eſt proprius effectus virtutis, dicatur quod Angelus eſt in loco per operationem; ita tamen quòd per operationem non intelligatur ſola motio, ſed quacumque unitio, quâ ſua virtute ſe corpori unit præſidendo, vel continendo vel quocumque alio modo.* Item 3. *cont. Gent. c.* 68. habetur *Omne quod eſt in loco, vel in re quacumque, aliquo modo contingit ipſam; res enim corporea eſt in aliquo ſicut in loco ſecundùm contactum quantitatis dimenſivæ; res autem incorporea in aliquo eſſe dicitur ſecundùm contactum virtutis, cum careat dimenſiva quantitate: Sic igitur ſe habet res incorporea ad hoc, quod ſit in loco per virtutem ſuam, ſicut ſe habet res corporea ad hoc, quod ſit in loco per quantitatem dimenſivam.* Hinc fit opinionem Thomiſticam de exiſtentia Angelorum in loco per operationem non ſufficienter contrà omnes Thomiſtas à Modaliſtis impugnari per hoc, quod probent requiri ad talem exiſtentiam modalem & ubi ſuperadditum, niſi ſimul oſtendant ad talem entitatem modalem, & ubi ſuperadditum, non prærequiri eſſentialiter operationem ſaltem impropriè dictam, aut applicationem virtutis operativæ; idcò nos contrà Thomiſtas mox arguemus probando abſolutè operationem non eſſe neceſſariam ut Angelus ſit in loco; hinc enim conſequens eſt operationem non ſolùm non eſſe ipſam formalem præſentiam, ſeu formalem rationem ſe ſola conſtitutivam in loco ſed neque eſſe fundamentum ex quo formalis præſentia vel ubi ſuperadditum reſultet: Sit igitur

7. Major explicatio opinionis Thomiſticæ.

§. II.

§. II.

Impugnatur præcedens modus conſtituendi Angelos in loco ſecundùm Thomiſtas.

8. Aſſert. Operatio, quidquid ipſius nomine intelligatur, non eſt neceſſaria Angelo ad exiſtendum in loco: Ita Scotiſtæ, & major pars recentiorum contrà Auctores relatos §. *præced.*

Operatio non eſt neceſſaria Angelis ad exiſtendum in loco.

Probatur primò: Quantitas non eſt neceſſaria ad exiſtendũ in loco rebus materialibus, nec iſtæ deſinerent eſſe alicubi, & in aliquo determinato ſpatio, per hoc quòd quantitate ſpoliarentur; ergo operatio non eſt neceſſaria ad exiſtendum in loco Angelis, nec iſti deſinerent eſſe alicubi, & in aliquo determinato ſpatio, per hoc quòd ceſſarent ab omni operatione vel quaſi operatione tranſeunte vel applicatione ad tranſeunter operandum; conſequentia patet ex proportione, quam juxtà ſupradicta *præced. n. 7.* Adverſarij aſtruunt inter quantitatem rerum materialium & operationem rerum ſpiritualium: Antecedens probatur primò, quia quantitas tribuit impenetrationem, non locationem rei, cui ineſt; & impenetratio, quam habeo à quantitate, non facit me eſſe hic, ſed ſuppoſito quod ego ſim hic, non permittit hic eſſe aliud corpus; quando igitur à me quantitas tolleretur, non deſinerem eſſe hic, ſed ſolùm deſinerem excludere ab eſſe hic aliud corpus: Secundò quantitas non eſt neceſſaria rebus materialibus præcisè ex eo, quod ſint entia finita & limitata, alioqui eſſet neceſſaria alij cuicumque finito & limitato enti; ſed res materiales præcisè ex eo, quod ſint entia finita & limitata, petunt eſſe in aliquo certo & determinato loco, quia petunt eſſe in finito & limitato ſpatio, non ubique; ergo quantitas non eſt neceſſaria ad exiſtendum in loco rebus materialibus.

Nec quantitas rebus materialibus.

9. Confirmatur, ex eo quod ſubſtantia aquæ in vaſe exiſtentis, à quâ Deus præcisè quantitatem adimeret, remaneret in vaſe tanquam in loco, nimis enim durum eſt, quod Thomiſtæ concedunt talem ſubſtantiam remanſuram quidem in rerum natura, at non futuram alicubi, eodem modo concedentes non futurum alicubi Angelum, qui ſoli contemplationi incumbens ab omni externa & tranſeunte operatione deſiſteret, quâ ratione facile eſſet cuilibet Angelo ſe pro libito nullibizare.

Dices primò hoc, quod nobis durum & inconveniens videtur, eſſe tale ſequendo ductum imaginationis, quæ continuum non tranſcendit; ſecùs ſequendo ductum rationis, unde S. Doctor *in 1. diſt. 37. q. 3. art. 1. ad 4.* expreſsè ait *non reputo inconveniens, quòd Angelus ſine loco poſſit eſſe, & non in loco quando nullam operationem circà locum habeo,* &c. *ſed hoc tamen non eſt imaginabile,* &c.

10. Sed contrà: loquitur S. Doctor de eſſe in loco eo proportionaliter modo, quo corporalia ſunt in loco per quantitatem, adeò ut ſcilicet ſe ab eodem loco excludant, & hoc ſolùm modo non reputat inconveniens Angelum in loco non eſſe, quoties tranſeunter non operetur, quamvis id non percipiat imaginatio, quæ quantitatem, aut aliquid ſimile quantitati non tranſcẽdit: Cæterùm loquendo de eſſe in loco univerſaliore modo, & independenter ab eo, quo corporalia ſunt in loco per quantitatẽ, non ſolùm imaginationi, verùm etiam rationi debet videri durum & inconveniens, quod res aliqua finitæ & limitatæ entitatis exiſtat in rerum natura abſque eo, quod in certo & determinato loco ſit. Neque urgeas S. Doctorem *eod. art. 1. in c.* appellare hanc probationem valde rudem, quia procedit ex æquivocatione finis; quatenùs eſſentia Angeli dicitur finita ſumendo finem pro termino eſſentiæ & virtutis, locus dicitur finiens ſeu finitus ſumendo finem pro termino quantitatis dimenſivæ ſeu dimenſionis; non eſt autem neceſſe quod habeat terminum quantitatis, & dimenſionis, quidquid habet terminum entitatis, & eſſentiæ. Contrà enim: eſt rudis probatio arguere à finita eſſentia ad finitũ locum quantitativum, & qui locatum concludat terminis quantitativæ dimenſionis; at eſt valida probatio arguere à finita eſſentia ad finitum locum univerſaliùs acceptum pro certa ac determinata parte ſpatij, ſive poſitivi, ſive imaginarij; hoc quippè eſt arguere à finita eſſentia ad finitam proprietatem, id eſt ad finitam locabilitatẽ, ad finitam præſentiam. 11

In quo ſenſu D. Thomas admittat Angelum non operantem non eſſe in loco.

Dices ſecundò totam probationem à nobis poſitam oſtendere ad ſummũ, nec quantitatem rebus materialibus, nec operationem Angelis, eſſe neceſſariam ad exiſtendum in loco metaphyſicè; at non excludere utriuſque neceſſitatem ad exiſtendũ in loco phyſicè, nec durum aut inconveniens videri debet, tùm eſſentiam aquæ ſpoliatæ quantitate, tùm ſubſtantiam Angeli tranſeunter non operantis, nullibi phyſicè eſſe, dummodò utraque alicubi metaphyſicè ſit. Sed contrà: 12
noſtra probatio oſtendit nec quantitatem rebus materialibus, nec operationem Angelis, eſſe neceſſariam ad exiſtendum in loco verè & realiter, parùm deinde curamus, utrùm id ab aliis appelletur eſſe in loco metaphyſicè, an etiam phyſicè? Nihilominùs, ſi eſſe in loco phyſicè juxtà Auctores relatos *n. 6.* nihil aliud ſit, quàm habere aliqualem commenſurationẽ & aliqualem contactum ad ſpatium poſitivũ, addo tùm res materiales independenter à quãtitate, tùm Angelos indepẽdenter ab operatione eſſe in loco etiam phyſicè, quia res materiales etiam ſpoliatæ quantitate retinere poſſunt extenſionem, quamvis penetrabilem, & Angelus etiam tranſeunter nihil operans poteſt ex infrà dicendis *n. 35.* propriam ſubſtantiam virtualiter ac eminenter extendere.

Probatur ſecundò: Illud non eſt neceſſarium Angelo ad exiſtendum in loco, ad quod prærequiritur exiſtentia in loco, ſed ad operationem prærequiritur exiſtentia in lo-

eo, ergo operatio non eſt neceſſaria Angelo, &c. Major patet, minor probatur, quia etiam per Thomiſtas approximatio agentis ad paſſum eſt conditio prærequiſita ad operationem, approximatio autem agentis ad paſſum nihil eſt aliud, quàm exiſtentia agentis in eo loco, in quo debet operari circà paſſum. Reſpondent Thomiſtæ approximationem agentis ad paſſum importare exiſtentiam in loco, ſeu præſentiam incompletam, & inchoatam, & ad hanc non eſſe neceſſariam operationem, ſed ſufficere applicationem virtutis operativæ in agentibus ſpiritualibus; cæterùm præſentiam completam & conſummatam poni ſolùm ex vi operationis, quæ reſpectu paſſi duo præſtat, conjongit ſcilicet ageos, & producit in ipſo effectum, itaut ex his duobus unum ſit prius altero io diverſo genere cauſæ, in genere ſcilicet cauſæ materialis prius ſit operationem conjungere agens paſſo, quàm cauſare effectum, in genere cauſæ efficientis prius ſit operationem cauſare in paſſu effectū, quàm

54. conjungere agens. Impugnatur hæc reſponſio, quia illud, quod Adverſarij vocant præſentiam incompletam & inchoatam, ad quod etiam ponendum non requiritur ut ipſi contendunt applicatio virtutis operativæ, habet qoidquid neceſſarium eſt pro præſentia locali completa & conſummata, & quidquid ulteriùs Adverſarij exigunt conferre quidem poterit ad præſentiam effectivam, qua Angelus ſit tanquam cauſa in effectu, at non ad præſentiam localem, quá ſit tanquam locatum in loco; quæ tamen duo diſtinguenda ſunt primò quia ex *tract.* 1. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 25. etiam in Deo ſuo modo diſtingoitur præſentia effectiva à præſentia per immenſitatem, quæ eſt præciſis imperfectionibus præſentia localis: Secundò quia ſicuti ſol tanquam cauſa in effectu dicitur eſſe etiam in viſceribus terræ ubi effectus aliquos cauſet, quamvis abſit inde & diſtet localiter, adſitque ibi immediatione virtutis tantùm non ſuppoſiti, ità Angelus operando immediatione virtutis optimè poterit eſſe tanquam cauſa in effectu aliquo, in quo non ſit tanquam locatum in loco.

Eſſe tanquā cauſam in effectu debet diſtinguí ab eſſe tanquā locatū in loco.

55. Probatur tertiò ex eo quod Adverſarij Angelis beatis exiſtentibus in Empyreo, in quod utpotè corpus immobile neqoeūt exercere operationem ullam ſpectantem ad motum localem; Angelis, inquam, beatis coguntor tribuere aut operationes occultas & effectus nobis prorſus igootos, aut productionem lucis cujus nulla alia eſt neceſſitas præter eam, quam ipſimet Adverſarij ſibi voluntariè impoſuēt, ut ſuſtineant Aogelos non eſſe in loco ſine operatione; & eſt id etiam contrà ſupradicta *lib.* 1. *c.* 4. §. 5. ubi negabamus Angelis virtutem productivam alicujus accidentis ſenſibilis non ſpectantis ad motū localem: Coguntur ſecundò in Angelis damnatis pro operatione paſſionem ſubſtituere, & rationem formalem conſtitutivam in loco non in omnibus Angelis eandem aſſignare: Cogentur tertiò aſtruere Angelos nec poſſe moveri, nec exiſtere in vacuo, aut in ſpatio imaginario, ubi nullum eſt corpus in quod poſſint aliquid agere, vel ex quo poſſint aliquid pati: Cogontur quartò pro animabus, quæ olim erant in ſinu Abrahæ, ubi nec operabantur, nec patiebantur (eadēque ferè eſt ratio de animabus modò exiſtentibus in limbo) excogitare paſſionē aliquam per detentionem non pœnalem, ſed carcere quodā honorario ut loqoitur Ioannes à S Thoma *hic diſp* 20. *art.* 2. *n.* 7. Quæ & id geous alia, licèt manifeſtè abſurda non ſint, ſunt tamen dura adeò & difficilia, ut ſatis ſuperque inferant improbabilitatem opinionis, ad quam conſequuntur.

---

§. III.

Explicatur & breviter impugnatur conſtitutio Angelorum in loco ſecundùm Modaliſtas.

Assert. 1. Conſtitutio Angelorum in loco ſecundū Modaliſtas dupliciter potiſſimùm explicatur: Secundùm aliquos ſcilicet Angeli couſtituuntur in loco per modū quendam abſolutum, quo ſubſtantia Angelica unitur corpori; ſecundùm alios per modum quendam, cujus effectus formalis eſt reddere Angelum præſentem tali determinato ſpatio loci, vel poſitivi, vel imaginarij. 56.

Primus dicendi modus eſt Vaſquij *hic q.* 188. *c.* 7. pro ſe referentis Henricum *quodlib.* 2. *q.* 9. Vaſquium ſecutus eſt Alarcon *tr.* 6. *diſp.* 6. *c.* 5. & 6. Docet hæc ſententia ex voluntate Angelica, tanquam ex principio efficiente, addi ſubſtātiæ Angeli modum aliquem abſolutum, ratione cujus Aogelus non ſolùm reddatur propinquus corpori & indiſtans ab ipſo, ſed conjongatur cum ſubſtantia corporis, prout ſubſtantia eſt, non prout hîc aut alibi exiſtit; adeò ut deindè quandiu Angelus ex vi talis modi manet unitus eidē corpori ſemper retineat eandem ubicationem, etiamſi corpus, cui unitus manet ab uno in alium locum moveatur, & per totum mundum diſcurrat: exiſtimat pariter corpus Chriſti, quandiu manet ſub iiſdem ſpeciebus, retinere eandem ubicationem, etiamſi ſpecies ubicationem mutent; ratio eſt, quia ut magis idem Vaſquez explicat *diſp.* 195. *c.* 3. & 4. ſecundùm ipſum ſpiritualia, aut habentia modum ſpiritualium, non dicunt ratione ſui ullum reſpectum diſtantiæ à punctis fixis, quamvis igitur res corporales, quibus ſunt unita mutando diſtantiam à punctis fixis, mutent ſuas ubicationes, ipſa tamen, cum non dicantur eſſe in loco per reſpectum talis diſtantiæ, ſed per conjunctionem cum corpore, non mutant ubicationes & loca, niſi mutent conjunctionem cum corpore.

Conſtitutio Angelorum in loco ſecundùm Vaſquium.

Secundus dicendi modus eſt Molinæ *hic q.* 52. *art.* 1. *memb.* 5. Suarezij *lib.* 4. *cap.* 2. Lugi *diſput.* 5. *cap.* 3. Bubali *quæſt.* 52 *quæſit.* x. *difficult.* 3. §. 6. Arriagæ *diſput.* 15. *ſect.* 3. *ſubſec.* 5. Dequiros *diſput.* 70. *ſect.* 1. & 57.

Conſtitutio Angelorum in loco ſecundū alios Modaliſtas.

& ferè omnium Auctorum Societatis, quos ſequuntur Averſa *quaſt.* 52. *ſect.* 5. Herinex *diſp.* 4. *quaſt.* 3. & plures alij. Docet hæc ſententia conſtitutionem Angeli in tali vel tali ſpatio haberi per entitatem quandam realem & formam abſolutam, quæ educatur de ſubſtantiâ Angeli, & in ea ſubjectetur; ſit ut plurimùm ex libera Angeli voluntate, & terminus motus localis ipſius (ut plurimùm, inquam, quia ſaltem in primâ Angelorum creatione res aliter ſe habuit), habeat pro effectu formali conſtituere in tali diſtantia à punctis fixis, & totam in toto, totam in quâlibet parte talis loci ſubſtantiā Angeli. Hujuſmodi entitas ſeu forma vocatur a ſuis Auctoribus, ubi intrinſecum ſpirituale definitivum, quod aliqui ponunt formaliter inextenſum & indiviſibile non minùs, quàm ſit formaliter inextenſa & indiviſibilis ipſa ſubſtantia Angeli; ità Vaſquez *c.* 7. *precit.* ubi licèt loquatur de modo unionis ad corpus, tamen eadem ratione, quâ ſuſtinet indiviſibilem talem modum, ſuſtineret indiviſibilem modum ubicationis in ſpatio etiam diviſibili, idque expreſsè indicat dum *ibid. num.* 30. addit ſe non poſſe non mirari eos, qui ponunt præſentiam localem Angeli eſſe modum quemdam diviſum & extēſum reſpectu loci: Alij verò ipſum aſtruunt extenſum & diviſibile, quoties Angelus eſt in extenſo & diviſibili ſpatio; ità Molina, Suarez, Lugus, Bubalus, &c. & id etiam probabilius cenſet Arriaga *diſp.* 16. *ſect.* 8. licèt ſimul fateatur non repugnare ubicationem indiviſibilem recipientem ſpatium imaginarium diviſibile; imò addat talem dici poſſe præſentiam Angelicam ſine magna difficultate, ſi nimirum præcisè admittatur, ad minimum quemlibet motum Angeli totam mutari, quod præter mutationem nimis frequentem non videtur habere aliud inconveniens: Porrò ut meliùs intelligatur communior inter Modaliſtas opinio de ubicatione Angelica formaliter extenſa & diviſibili,

18\. Adverto non eſſe contrà rationem formalem ſpiritualitatis habere diviſibilitatem & partes, idque in ſententiâ extrà ſcholā Thomiſticam receptiſſima de intenſione qualitatis per additionem gradus ad gradum evincitur ex eo, quòd ſi res ſpiritualis ex ſuâ ratione formali partes excluderet, qualitas ſpiritualis excluderet gradus, qui nihil ſunt aliud quàm ipſius partes; & per conſequens nulla ſpiritualis qualitas admitteret intenſionem, nullus ſpiritualis habitus eſſe poſſet intenſus aut intenſior alio: Semel autem ſuppoſito, quod accidens ſpirituale admittat diviſibilitatem & partes, aſtruunt prædicti Auctores Angelū conſtitui in loco extenſo per ubicationem diviſibilem & formaliter extenſam, cujus una pars uni parti ſpatij, altera alteri correſpondeat; & ſicuti una pars ſpatij eſt extrà aliam, ità etiam pars ubicationis correſpondentis uni parti ſpatij ſit extrà aliā partem ubicationis, quæ correſpondet alij parti ſpatij: Nec obſtare quod ſubjectum ſit inextenſum, & indiviſibile; eſt enim tale formaliter, at eſt extenſum virtualiter &

Explicatur ubi Angelicum diviſibile & formaliter extenſum.

quodammodo toties replicatum, quot ſunt partes ſpatij, in quo ubicatur; ſufficit autem virtualis extenſio, & quaſi replicatio ad recipiendas partiales ubicationes, quarum una ſit formaliter extrà aliam; nam quemadmodum reſpectu Angeli replicati Romæ; & Mediolani, ubi Romanum eſſet extrà ubi Mediolanenſe, quamvis utrumque reciperetur in eodem ſubjecto indiviſibili & formaliter inextenſo; cur non etiam reſpectu Angeli replicati in palmo A. & palmo B. continuis, ubi A. non eſſet extrà ubi B. non obſtante indiviſibilitate & formali inextenſione ſubjecti; cum hoc ſolùm diſcrimine, quod in primo caſu unum ubi non ſolùm eſſet extrà aliud, verùm etiam eſſet diſcontinuum & diſtans ab alio; in ſecundo caſu unum eſſet extrà aliud, proximum tamen & continuum cum alio. Hæc libenter animadverti, quia licèt impugnanda mox ſit utraque Modaliſtarum doctrina, quando tamen localis Angelorum præſentia conſtituenda foret in entitate modali, mallem ponere hujuſmodi entitatem formaliter extenſam & diviſibilem, quàm indiviſibilem & inextenſam.

Aſſert. 2. Conſtitutio Angelorum in loco non habetur formaliter per modum ſuperadditum, ſivè talis modus ſit modus unionis ſubſtantiæ Angelicæ ad corpus, ſivè ſit modus præſentiæ ſubſtantiæ Angelicæ ad ſpatium. Ita Auctores tùm relati §. 1. *praced.* tùm referendi §. *ſequenti* contrà Vaſquium, Suarium, Molinam, & alios Modaliſtas, quorum mox meminimus *num.* 17. 19.

Ubi Angelicum non eſt modus ſuperadditus.

Probatur primò argumento univerſali, & negativo de non multiplicandis ſine neceſſitate entitatibus, nullam autem eſſe neceſſitatem multiplicandi, & ſuperaddendi entitatem modalem pro conſtitutione Angelorum in loco oſtendetur §. *ſequenti.*

Probatur ſecundò ſpecialiter contrà Vaſquium impugnando modum unionis ad corpus tanquam nec neceſſarium nec ſufficientem ad conſtitutionem Angelorum in loco. 20.
Non eſt talis modus neceſſarius primò, quia malè contendit Vaſquez propinquitatem & diſtantiam à punctis fixis mundi haberi ſolùm à quantitate, adeoque ea, quæ quantitate carent, non poſſe mutare ubicationes & locos mutando propinquitatem & diſtantiam à talibus punctis; malè, inquam, id contendit, cum jam *praced.* §. probatum ſit neque etiam res materiales quantitatem requirere, ut præcisè in loco ſint, & per conſequens ut habeant propinquitatem & diſtantiā à punctis fixis mundi; quæ quidem puncta fixa remanent ab invicem diſtantia, etiam quatenùs ſunt purè imaginaria, ideſt ab omni poſitivo eſſe abſoluta, cur ergo non poſſumus conſiderare ut ab ipſis diſtantes res alias abſolutas à quantitate ſolùm, non à propriâ poſitivâ entitate: Secundò, quia Angeli in ordine ad propriam præſentiam localem penderent à corporibus, & corpus poſſet eſſe in loco ſine ſpiritu, ſpiritus non poſſet eſſe in loco ſine corpore, quod eſt quodammodo ponere majorem ſubordinationem ſpiritus ad corpus, quàm corporis ad ſpiritum: Tertiò,

quia talis modus unionis, ut potè qui juxtà Vaſquium effectivè producitur à voluntate Angeli, nihil eſt aliud quàm quædam Angeli operatio, atqui ex ſupradictis, ut Angelus ſit in loco, non eſt neceſſaria aliqua
21. Angeli operatio, ergo. Non eſt inſuper talis modus ſufficiens, quia manente eodem modo unionis poteſt variari præſentia Angeli, alioqui Angelus in eodem corpore aſſumpto ab occaſu in ortum tranſiens localem præſentiam non mutaret: Neque dicas hoc non debere videri difficilius, quam quod liquor in eodem vaſe exiſtens eumdem locum eamdemque præſentiam localem retineat, ſivè deindè vas in cubiculo ſit, ſivè in plateâ; Contrà enim, nec paritas rectè procedit, quia per hoc quod Angelus corpori uniatur non concluditur intrà corpus, ſicuti tamen liquor concluditur intrà vas; nec ſimpliciter admitto liquorem, quàmdiù exiſtit intrà idẽ vas, retinere eumdem locum, retinet enim ad ſummum eumdem locum poſitivũ & extrinſecum impropriè ſumptum pro ſuperficie ambiente etiam mobili, at non eumdem locum aut imaginarium & intrinſecum, aut extrinſecum propriè ſumptum pro ſuperficie ambiente immobili connotante eamdem diſtantiam à punctis fixis.

Liquor manens in eodem vaſe quomodo maneat in eodẽ loco.

Probatur tertiò ſpecialiter impugnando modum præſentiæ formaliter inextenſum, & indiviſibilem; nam talis modus quatenùs per ipſum poteſt Angelus conſtitui in ſpatiu diviſibili & extenſo, vel eſt alligatus talibus
22. determinatis partibus ſpatij, vel eſt indifferens ad plures, paucioreſvè partes; ſi primũ ſequitur Angelum protendentem ſuam præſentiam versùs maximum, aut eamdem contrahentem versùs minimum, tot mutare ac multiplicare totales modos præſentiæ, quot ſunt partes ſpatij, quas aut acquirit, aut deſerit; quæ mutatio & multiplicatio, quamvis fortè nequeat abſolutè evinci repugnans, eſt tamen parùm conſentanea, tùm quia nimia omninò excreſcit, tùm quia reddit omnem motum Angelicum inſtantaneum adeò ut terminus, qui per motum producitur, ſemper totus ſimul de novo producatur. Si ſecundum ſequitur modum hujuſmodi indifferentem indigere alio modo pro determinatione propriæ indifferentiæ, & ut applicet Angelum tot determinatis partibus; de hoc autem alio modo recurrit eadem difficultas, quæ de priore.

Impugnatur ſpecialiter ubi ſuperadditũ formaliter inextenſum

Probari poſſet quartò aſſertum ſpecialiter impugnando modum præſentiæ formaliter extenſum & diviſibilem; vel ex eo quòd rei ſpirituali ex genere ſuo repugnet formalis extenſio & diviſibilitas, vel ex eo quod forma formaliter extenſa & diviſibilis nequeat recipi in ſubjecto formaliter inextenſo & indiviſibili, cujuſmodi eſt ſubſtantia Angelica; at primum nequit ſufficienter oſtendi; ad ſecundum verò facilè dici poteſt pro recipienda forma formaliter extenſa, & diviſibili, aliundè tamen ſubjecto proportionata, ſufficere in ipſo ſubjecto extenſionem virtualem & æquivalentem, quæ optimè reperitur in ſubſtantia Angelica: Ideò hunc modum formaliter extenſum rejicio dumtaxat, quia ſuperfluus eſt, & non neceſſarius; non quia implicans ſit, aut inſufficiens ad conſtituendum Angelum in loco extenſo.

Ex dictis habetur locum intrinſecum ſumi 23.
poſſe dupliciter, vel pro ubi ſuperaddito, quod ſit forma inhærens ac intrinſecè recepta in locato, & hâc ratione non datur ſecundùm nos reſpectu Angeli locus intrinſecus; vel ut præmiſimus *num.* 1. pro ſpatio, quod ſit intimum ac compenetratum locato & hâc ratione ſpatium quodlibet non tantùm imaginarium, verùm etiam poſitivum poteſt reſpectu Angeli eſſe locus intrinſecus, quamvis reſpectu corporum poſſit naturaliter eſſe locus intrinſecus ſolum ſpatium imaginarium.

Locus intrinſecus ſumitur dupliciter.

---

§. IV.

Explicatur & approbatur conſtitutio Angelorum in loco ſecundùm Complexiſtas.

Assert. Angeli ſunt formaliter in loco 24.
per complexum, ſeu ſimultatem propriæ ſubſtantiæ cum loco. Ità Richardus *in* 1. *diſt.* 37. *art.* 2. *q.* 1. Madernus *hic q.* 2. *art.* 3. & communiter in ſuis manuſcriptis Profeſſores Scholaſtici noſtræ Congregationis: Idem in re, licèt non ſub iiſdem omninò terminis, ſenſiſſe videntur D. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 2. *part.* 2. *art.* 2. *q.* 1. Scotus *ead. diſt. quæſt.* 6. §. *ad propoſitum*, Gabriel *ead. diſt. q.* 2. *art.* 2. alijque plures, qui nulla facta mentione formæ ſuperadditæ docent Angelos eſſe in loco ratione ſuæ limitationis, ſeu ratione ſubſtantiæ limitatæ: Ex Auctoribua Societatis negant ubi ſuperadditum, & Angelos per propriam ſubſtantiam præcisè in loco conſtituunt Vvadingus *in tract. de Incar. diſp. proœmiali dub.* 4. & Martinon *hic diſp.* 42. *n.* 48. apud Dequiros *diſp.* 70. *num.* 1. Eſt verò aſſertum directè contrà Modaliſtas telatos §. *præcedente*: Thomiſtas non habemus adeò directè Adverſarios, quia ut ſuprà attigimus *num* 7. aſſignant in Angelis operationem potiùs pro ratione radicali & fundamentali, quàm pro ratione formali exiſtendi in loco; & ut plurimùm deindè non definiunt, utrùm hæc ratio formalis ſit entitas modalis ſuperaddita ſubſtantiæ, an ipſa præcisè ſubſtantia, quatenùs conjuncta operationi?

In hujus aſſerti probatione procedendum 25.
eſt potiſſimùm negativè ſolvendo argumenta Adverſariorum pro neceſſitate formæ ſuperadditæ militantia; nam ex eo, quod talis neceſſitas non evincatur, regula generalis non multiplicandorum entium abſque neceſſitate, & genius naturæ ſtudentis compendio, ſatis ſuadent debere formam illam rejici. Porrò neceſſitas ubicationis ſuperadditæ non oritur ſecundùm Adverſarios præcisè ex ratione generica præſentiæ localis & conſtitutionis in loco, alioqui ipſamet ubicatio in loco eſſet per aliam diſtinctam ubicationem,

Vndè oritur ſecundũ Adverſarios neceſſitas ubicationis diſtinctæ.

eationem, & ſic in infinitum; oritur igitur ex indifferentia, quam habent res locabiles ad eſſendum in hoc, vel in illo loco; quam indifferentiam ſicuti non habet ubicatio, ità ipſa non eget forma ſuperaddita, & quando Deus rem aliã ab ubicatione produceret alicui determinato loco ex ſe alligatam, res iſta non per diſtinctam formam, ſed per ſe ipſam præcisè, ſeu per propriam entitatem, in tali loco conſtitueretur, & in eodem immobiliter permaneret: Hinc ad Angelos aſſurgendo, quia ipſi maxima pollent indifferentia in ordine ad locum, maximè egent ſecundùm Modaliſtas formâ ſuperadditâ determinativâ; maximâ, inquam, pollent indifferentiã, tùm quia ſunt maximè independentes à quolibet loco particulari, maximeque mobiles ab uno loco in alium, tùm quia non ſolùm ſunt indifferentes ad exiſtendum in hoc vel illo ſpatio ejuſdem menſuræ, ſed etiam ad exiſtendum in ſpatio majore, vel minore; ad protrahendam, vel contrahendam propriam præſentiam. Sicque ſumma præſentis difficultatis ſita eſt in explicando, quâ ratione ſubſtantia Angeli ſecundùm ſe indifferens ad plura, & inæqualia loca, determinetur ad hunc præ illo, ad majorem præ minore abſque entitate modali ſuperadditâ: pro quo

Angeli habent maximam indifferentiam in ordine ad locum.

16. *Præcedens indifferẽtia convenit Angelis ſecundùm eſſe ſimplex.*

Adverto præcedentem indifferentiam convenire ſubſtantiæ Angeli ſecundùm ſe & ſecundùm ſuum eſſe ſimplex; at non eidem ſimul cum loco, & ſecundùm eſſe complexum loci, neque ſubſtantia Angeli habens ſimultatem, & faciens complexum cum loco Romano, eſt indifferens ad eſſe in loco Taurinenſi, imò ſicuti repugnat ſpatium Romanum eſſe Taurini, ità repugnat eſſe Taurini Angelum ſecundùm eſſe complexum cum ſpatio Romano, ſeu complexum Angeli & ſpatij Romani. Dum igitur aſſero Angelos eſſe in loco per complexum, ſeu ſimultatem propriæ ſubſtantiæ cum loco, non pono illos in loco per aliquid indifferens ad plura loca, ſed per aliquid determinatum & alligatum particulari loco.

Dices complexum ſeu ſimultas ſubſtantiæ Angelicæ cum ſpatio Romano, vel importat præcisè ſubſtantiam Angelicam & ſpatium Romanum, vel importat aliquod tertium diſtinctum à ſubſtãtia Angelica & ſpatio Romano ſive alibi, daretur complexũ ſubſtantiæ Angelicæ cum loco Romano; Si dicatur ſecundùm, ſola voce differimus à Modaliſtis, illud enim tertium diſtinctum, eſt id, quod ipſi vocant modum, ſeu entitatem modalem. Sed contrà: Complexum ſeu ſimultas, &c. importat aliquod tertium, complexum tamen & diſtinctũ ſolùm inadæquatè à ſubſtantia Angelica, & ſpatio Romano; undè te, non verbis differimus à Modaliſtis, qui pro præſentia Angeli in ſpatio Romano requirunt aliquod tertium ſimplex, & adæquatè diſtinctum ab Angelo, & ſpatio.

17. *Quid addat Complexũ ſuprà partes ſecundùm eſſe ſimplex.*

Vrgebis: Eo ipſo, quòd ponimus complexũ diſtingui inadæquatè à ſubſtantia Angelica, & ſpatio Romano, neceſſe eſt quòd fateamur ab iiſdem diſtingui per aliquid ſimplex, & ab utriſque adæquatè diſtinctum; nam omnis diſtinctio inadæquata, ſeu includentis ab incluſo, eſt talis ratione alicujus entitatis ſimplicis adæquatè diſtinctæ à reliquis compartibus; ſic domus v.g. diſtinguitur inadæquatè à tecto & ſolo ratione parietum, qui ſunt quid à tecto & ſolo adæquatè diſtinctum, & ſuo modo ſimplex, id eſt ex tecto & ſolo non conſurgens; homo diſtinguitur inadæquatè à materia, & formis partialibus, ratione animæ, quæ eſt quid ſimplex, & ab illis adæquatè diſtinctum; inductione igitur conſtat, &c. Sed contrà; nego abſolutè 28.
antecedens, ad cujus probationem dico primò cum Madern *tract. 1. q. 3. art. 7. num. 14.* non eſſe univerſaliter verum, quòd omnis diſtinctio inadæquata, ſeu includentis ab incluſo, ſit talis ratione alicujus entitatis ſimplicis, &c. nam ſicuti in genere metaphyſico ſubſtantia diſtinguitur ab ente diſtinctione inadæquata, ſeu includentis ab incluſo; & tamen perſeitas, ratione cujus ſubſtantia ab ente diſtinguitur non eſt quid ſimplex ab ipſo ente adæquatè diſtinctum; ita etiam in genere phyſico optimè poſſumus ponere diſtinctionem inadæquatam includentis ab incluſo, quæ per aliquid ſimplex non ſit: Dico ſecundò diſtinctionem inadæquatam, ſeu includentis ab incluſo, aliam eſſe, quâ includens comparatur ad aliquas tantùm partes incluſas; aliam eſſe, qua includens comparatur ad omnes partes incluſas acceptas tamen ſecundùm eſſe ſimplex & in ſtatu ſeparationis, illa diſtinctio tranſeat quod ſit per aliquid ſimplex ſecùs iſta; numquid enim ſex comparatũ ad bis tria ſeorſim accepta diſtinguitur per aliquid ſimplex, adeò ut bis tria nequeant ſimul coaleſcere ad conſtituendum ſex niſi ſuperveniat aliquid ſimplex à bis tria adæquatè diſtinctum. Igitur includens plura, ſeu complexum ex pluribus, comparari poteſt vel ad omnes partes incluſas ſimul acceptas, vel ad omnes acceptas diviſim, vel ad aliquas tantùm: primo modo nullatenùs diſtinguitur complexum à partibus; ſecundò modo diſtinguitur diſtinctione inadæquata includentis ab incluſo, at per aliquid complexum, non per aliquid ſimplex; tertio modo diſtinguitur pariter diſtinctione inadæquata, at per aliquid ſimplex; & ſolùm hoc tertio modo procedit Adverſariorum inductio, quæ propterea diminuta eſt & inſufficiens ad præſens intentum.

Non omnis diſtinctio includentis ab incluſo eſt per aliquid ſimplex.

Vrgebis adhuc: dicere quòd complexum ab omnibus partibus diviſim, & ſecundùm eſſe ſimplex acceptis, diſtinguatur per aliquid complexum, eſt dicere quod diſtinguatur per ſe ipſum, adeoque eſt ludere verbis, & dicere idem per idem. Sed contrà: ſicuti non 29.
verbis luditur quærendo, utrùm tranſitus ab eſſe ſimplici ad eſſe complexum fiat per aliquid ſimplex, an per aliquid complexum? ità nec verbis luditur reſpondendo fieri per aliquid complexum, quod idem eſt ac dicere partes ſecundùm eſſe complexum à ſe ipſis ſecundùm eſſe ſimplex diſtingui per aliquid complexum.

Solvendo has inſtantias viam paravimus argumento

Probatio aſſerti præcedentis.

argumento negativo, quod ad probandum noſtrum aſſertum ſic formari poteſt: Complexum ſeu ſimultas ſubſtantiæ Angelicæ cũ loco ſufficit ex ſe præcisè ad conſtituendum formaliter Angelum in loco; ergo Angeli ſunt formaliter in loco per complexum,&c. conſequentia patet, antecedens probatur, illud ſufficit ad conſtituendum formaliter Angelum in loco, quod ſufficit ad determinandam formaliter indifferentiam, quam habet ſubſtantia Angelica ad plura & inæqualia loca;atqui ad determinandam formaliter hãc indifferentiam ſufficit complexum ſeu ſimultas ſubſtantiæ Angelicæ,&c.quia *ex praced. num.* 26.ſubſtantia Angelica ut faciens complexum cum aliquo particulari loco non eſt

30\. Indifferẽtia poteſt determinari, tùm formaliter, tùm efficienter.

30\. indifferens ad alia loca, ergo: *Dixi ad determinandam formaliter indifferentiam*, quia ad eamdem indifferentiam determinandam effectivè, ſeu in genere efficientis, requiritur antecedenter aut voluntas Angeli ſe moventis ad talem locum, aut decretum Dei in tali loco Angelum producentis, aut aliquid aliud in genere efficientis applicans Angelum tali loco; ſicuti ad tollendam indifferentiam,quam albedo habet ad dealbandum hoc vel illud ſubjectum, prærequiritur in genere efficientis principium applicans albedinem tali ſubjecto, & in ſententia Modaliſtarum, ut Angelus determinetur ad eſſendum in hoc loco, prærequiritur principium producens ubicationem modalẽ affixam huic loco. Hinc quærenti, cur Angelus ſit Romæ potiùs, quàm alibi? Reſpondendum eſt, quod ly *Cur* vel appellat cauſam efficientem, & ſic eſt Romæ per propriam voluntatem, ſeu potentiam locomotivam; vel appellat cauſam formalem & ſic eſt Romæ per complexionem ſeu ſimultatem propriæ ſubſtantiæ cum loco Romano; quæ complexio,ſeu ſimultas, rectè dici poteſt forma complexa, cujus effectus formalis ſit locare Angelum Romæ.

Neque dicas hâc ratione à nobis poni novam formam complexam pro illo effectu formali,pro quo Modaliſtæ ponunt novam formam ſimplicem, & multiplicari entitates à nobis æquè ac ab Adverſariis,& contrà hus propterea inconſequenter nos arguere ex regula generali non multiplicandorũ entiũ ſine

31\. neceſſitate. Contrà enim, nos ponimus novam formam complexam,quam tenentur admittere etiam Modaliſtæ, innegabile quippè eſt Angelum exiſtentem Romæ habere cõplexionem & ſimultatem cum loco Romano;nos igitur ponimus unicam formam complexam pro illo effectu formali,pro quo Adverſarij ultrà eamdem formam complexam ponunt aliam formã ſimplicem. Deindè permittamus negari ab Adverſariis noſtram formam complexam, adhuc nos minùs, quàm ipſi, multiplicamus entitates, diſtinguimus enim ſolùm inadæquatè noſtram formam cõplexam à ſubſtantia Angelica & loco,à quibus illi diſtinguunt adæquatè ſuam formam ſimplicem.

Ex eo quod complexum locale à nobis aſſertum ſuſtineatur eſſe forma complexa, ſeu tertium quid aliquo modo,ideſt inadæquatè, diſtinctum à ſubſtantia Angelica & ſpatio;

patet quâ ratione Angelos, dum denominantur ac fit de novo præſens alicui loco, non acquirat novam denominationem ſine novâ formâ denominante, nec tranſeat à contradictorio in contradictoriũ ſine mutatione reali, quomodo item per motum localem conſurgat novus terminus de novo poſitus in rerum natura, quomodo præſentia localis à nobis explicetur per veram realitatem,non per ſola nomina, voces, & phraſes; ut acriter ac moleſtè contrà nos urgent Adverſarij, quibus videtur inintelligibile purum complexũ ſeu puram ſimultatẽ locati & loci, eſſe quid diſtinctum & ſeparabile tùm à locato tùm à loco;at hoc meo videri provenit præcisè ex penuria terminorum, nimirum, ex eo quia ad explicandum quid ſit formaliter complexum, & ſimultas, non habeamus terminos clariores vocibus ipſis complexi & ſimultatis, quod tamen arguit potiùs eſſe quaſi per ſe notum, quàm eſſe intelligibile; familiare quippè eſt iis,qui valde facilia ac valdè nota ſunt,vix poſſe facilioribus ac notioribus terminis explicari. 32.

32\. Occurritur Modaliſtarum argumentis.

Ex dictis habetur quoad formale conſtitutivum in loco idem eſſe proportionaliter ſentiendum de rebus ſpiritualibus,ac de corporeis & materialibus; nec in hoc puncto diſſident Thomiſtæ, Modaliſtæ,& Complexiſtæ, ſed ſinguli ſervant juxtà ſua principia proportionem:Thomiſtæ ſcilicet exiſtimantes materialia eſſe formaliter in loco per quantitatem molis, conſequenter ſpiritualia in loco conſtituunt per operationem, quam ipſi vocant quantitatem virtutis; Modaliſtæ explicantes ubicationem, & præſentiam rerum materialium per ſimplicem entitatẽ materialem, conſequenter pro ubicatione & præſentia rerum ſpiritualium requirunt ſimplicem entitatem ſpiritualem,Nos etiam cõſequenter cum Complexiſtis localem omnem præſentiam rerum, ſivè materialium, ſivè ſpiritualium, conſtituimus in puro complexo locali, ſeu ſimultate locati & loci. Quomodo, deindè hoc complexum in rebus materialibus, ac ſpiritualibus, diverſum ſit, & reſpectu materialium ubi circumſcriptivum, reſpectu ſpiritualium ubi definitivum rectè nuncupetur, patebit ex ſequentibus, in quibus etiam tradetur, quomodo ſubſtantia ſpiritualis indiviſibilis & inextenſa poſſit per ſe ipſam præcisè correſpondere ſpatio diviſibili, extenſo, & inæquali, modò ſcilicet majori, modò minori. 33.

§. V.

An, & in quanto loco diviſibili Angelus eſſe poſſit?

ASSERT. 1. Angelus verè & propriè eſſe poteſt in loco diviſibili. Ità Theologi 34.
communiſſimè contrà nonnullos memoratos à D. Thomâ *hic q.* 52. *art.* 2. *in c.* qui cogitando indiviſibilitatem Angeli ad modum indiviſibi

indiviſibilitatis puncti crediderunt, quod Angelus nõ poſſet eſſe niſi in loco punctali.

Probatur: Subſtantia ſpiritualis & indiviſibilis verè & propriè eſſe poteſt in loco diviſibili; ergo Angelus verè & propriè, &c. cõſequentia patet, quia ex ſolâ ratione ſubſtantiæ ſpiritualis & indiviſibilis oriri poteſt in Angelo impotentia eſſendi in loco diviſibili; antecedens probatur, tũ ex eo quod Anima rationalis & Deus ſunt ſubſtantia ſpiritualis & indiviſibilis, & tamen ſunt in loco diviſibili, Deus ſcilicet in omni prorsùs ſpatio, anima in ſpatio correſpõdẽte diviſibilitati & extenſioni corporis, quod informat; tum ex eo quod eſt manifeſta deceptio cogitare indiviſibilitatẽ ſubſtantiæ ſpiritualis ad modũ indiviſibilitatis puncti, cũ una ſit extrà genus alterius; & indiviſibilitas puncti, ſi datur, proveniat ex imperfectione, ratione cujus eſt ens omniũ materialium minimum; indiviſibilitas ſpiritualis ſubſtãtiæ proveniat ex perfectione, ratione cujus eſt ens omni materiali majus continens modo eminenti ipſammet rerum materialium diviſibilitatem; undè ſubſtantiæ ſpirituali, nón puncto, tribuimus eſſe virtualiter diviſibile & extenſum.

Dices hoc eſſe virtualiter diviſibile & extensũ nihil aliud importat, quã virtutẽ operativã, quæ quatenùs poteſt ſe quodammodo effundere, & operationẽ exercere, in loco extenſo denominat virtualiter extensã ſubſtantiã, cujus eſt virtus, atqui hæc virtualis extẽſio ſecundũ noſtra principia, ſecundum quæ Angelus non eſt in loco, aut per operationẽ, aut per applicationem virtutis ad operandũ, Angelo non confert ad eſſe in loco; ergo ex tali extenſione ſeu diviſibilitate virtuali inconſequenter & malè arguimus Angelũ poſ-

35. Extenſio & diviſibilitas virtualis ſpiritualis ſubſtantiæ quid?

ſe eſſe in loco diviſibili. Sed contrà: licèt Thomiſtæ nobis objiciant, quod Angelus, ſi eſſet in loco per propriã ſubſtantiã præcisè, ſemper eſſet in loco indiviſibili, nec aliam agnoſcant in ſpirituali ſubſtantiâ diviſibilitatem ſeu extenſionem virtualem præter eã, quæ in inſtantiâ affertur; nihilominùs longè aliter ſentio, & dico pro re præſenti eſſe virtualiter diviſibile & extensũ conſiſtere formaliter in quadã exigentiâ, aut ſaltem connaturali potentiâ ad replicationem, imò ad reproductionem, (alibi enim ex profeſſo oſtendetur quidquid replicatur reproduci) ejuſdẽ ſubſtantiæ in quolibet indiviſibili ſeu minimo loci diviſibilis & extenſi, adeò ut ſicuti quantitas palmaris in ſpatio decẽpalmari, replicata, aliqualiter æquivalet extenſioni decempalmari; ità ſubſtantia indiviſibilis replicata in ſpatio diviſibili æquivaleat ſubſtantiæ diviſibili, dicique poſſit æquivalenter ac virtualiter diviſibilis.

36. Quãtus ſit locus maximus cujuſlibet Angeli.

Aſſert. 2. Non eſt determinatè aſſignabilis magnitudo loci diviſibilis, ad quem poteſt quilibet Angelus ſe extendere, in univerſum tamen ſentiendum eſt nec ullũ Angelum reſpicere magnitudinem majorem & majorem in infinitum; nec omnes reſpicere magnitudinem æqualem. Ità Arriaga *hic diſp.* 16. *ſect.* 3. Averſa *q.* 52. *ſect.* 2. Madernus *quæſt.* 2. *art.* 4. cæterique communiſſimè.

Probatur & explicatur: locabilitas in loco diviſibili ſpectat ad perfectionem Angeli, conſequitur enim ad virtualẽ extẽſionẽ, quæ nihil eſt aliud, quã imminentia quædam rei ſpiritualis ſuprà materialem; ſicuti igitur de perfectione cujuſlibet Angeli nobis non cõſtat determinatè, quanta ſit, conſtat tamen, quod nec in ullo Angelo eſt major & major in infinitum, nec in omnibus eſt æqualis; ità idem proportionaliter ſentiendũ de locabilitate in loco diviſibili, & de magnitudine loci correſpondente tali locabilitati. Vtrùm deindè inæqualitas locabilitatis ità adamuſſim correſpondeat inæqualitati perfectionis, ut quilibet Angelus alium excedens in perfectione excedat etiã in locabilitate & è contrà; ex auctoritate & communiore Theologorum ſenſu videtur affirmandum; ex ratione non ſatis apparet, cur Angelus perfectior alio etiam ſolùm individualiter debeat omninò reſpicere locum majorem? aut cur unus Angelus nequeat eſſe diverſus ſpecie & eſſentialiter perſectior alio, cum quo tamen habeat æqualẽ aut etiã minorẽ locabilitatẽ? paſſim quippè evenit individua ſpeciei inferioris in aliquo prædicato adæquare, aut etiã excedere individua ſpeciei ſuperioris. Accedit quod major locabilitas attendi poteſt non

37. Locabilitas alia extenſivè, alia intenſivè major.

ſolũ in ordine ad locũ majorem, ſed etiã penes modũ nobiliorem eſſendi in loco, exiſtendo in ipſo magis immobiliter, magis ipsũ ornãdo, perfectius in ipſo operando &c. prima locabilitas dici poteſt major extenſivè, ſecunda major intenſivè, & hæc locabilitas major intenſivè faciliùs ſuſtinetur adamuſſim correſpondẽs majori perfectioni eſſẽtiali cujuſlibet Angeli: Certè in ſententia cõponente cõtinuũ ex punctis finitis ægrè ſuſtineri poteſt in tanta, quæ de facto datur, Angelorũ perfectione inæqualium multitudine locabilitas extẽſivè inæqualis, quin perveniatur ad aliquos Angelos, quorũ locus maximus ſit totus mundus, aut etiã toto mundo major; quãvis hoc nos non premat, qui in phyſicis continuum compoſuimus ex partibus proportionalibus, quo modo facilè eſt intrà quamlibet loci extenſionem aſſignare pluribus & pluribus Angelis in infinitum inæqualem, & majorem, vel minorem locum.

38. Eſt poſſibilis Angelus exiſtens ubique.

Quod dictum eſt nullum Angelum reſpicere loci magnitudinem majorẽ & majorem in infinitũ, procedit de Angelis de facto exiſtentibus & conſideratis ſecundùm vires naturæ; nec negamus id, aut Angelo cuicumq; poſſibili, aut Angelis exiſtentibus conſideratis ſecundũ vires potentiæ obedientialis, & ſecundum præſentias replicatas, quas poſſunt habere divinitùs; & licèt quoad primam partẽ oppoſitũ ſentiat cũ aliis nonnullis Madernus *hic q.* · *a.* 4. *n.* 4. nobis tamen neceſſe non eſt quidquã addere iis, quæ dicebamus *tr.* 1. *l.* 1. *c.* 8. *§.* 6. probãtes ubiquitatẽ, prout importat extenſionẽ ad omne ſpatium etiam imaginarium poſſe, contingenter tamen, competere creaturæ ab intrinſeco, idque de Angelis expreſsè docet Arriaga *hic diſp.* 16. *ſec.* 3. *n.* 14.

39.

Ex dictis habetur in loco Angelorum de facto exiſtentium quamvis non ſit aſſigna-

X bile

bile maximum *quod ſic*, eſſe tamen aſſignabile aliquod maximum *quod non*, eſſe ſcilicet aſſignabilem locum, ad quem nullus Angelus de facto exiſtens poſſit ſe extendere, licet non ad quem præciſè non ultrà poſſit ſe extẽdere aliquis determinatus Angelus. Porrò aſſignabile eſt de facto pro maximo *quod non* loci Angelici non ſolùm ſpatium omne conſurgens ex poſitivo & imaginario, verùm etiam ſpatium poſitivum totius univerſi, excepto enim Durando ſuprà relato *n.* 2. in confeſſo eſt apud omnes nullum Angelum de facto exiſtentem poſſe ſe per totum mundum extendere; colligitur id ex Scripturâ, in quâ de Lucifero, fortè Angelorum omnium in naturâ perfectiſſimo, habetur de Cœlo cecidiſſe, nec ampliùs fuiſſe ejus locum in Cœlo inventum; traditur à Sanctis Patribus, præſertim à Damaſceno *lib.* 2. *fidei cap.* 3. ſuadetur congruentiis, quarum potiſſima eſſe poteſt quod omnes Angeli de facto exiſtentes ſunt creati ut partes univerſi; congruit igitur, ut quilibet ſicuti in ſe pars univerſi eſt ità determinatã tantum univerſi partem pro loco ſibi connaturali reſpiciat.

De facto nullus Angelus eſt in totũ mũdo.

§. VI.

An Angelus poſſit eſſe pro libito in loco minore maximo, vel etiam in loco minore & minore in infinitum?

40. ASSERT. 1. Angelus non eſt neceſſariò in loco maximo & ſibi adæquato, ſed poteſt eſſe pro libito etiam in loco minore. Ità D. Thomas *hic q.* 52. *art.* 2. *in c.* D. Bonaventura *in* 2. *diſt* 2. *part.* 2. *a.* 2. *q.* 3. Richardus *in* 2. *diſt.* 37. *art.* 2. *q.* 2. Ægidius *ead. diſt. q.* 2. Suarez *lib.* 4. *c.* 11. Vaſquez *diſp* 191. *cap.* 2. Bubalus *q.* 52 *art.* 2. *quæſito* 2. *diffic.* 2. § 2. Lugos *diſp.* 5. *cap.* 8. Madernus *q.* 2. *art.* 5. Averſa *q.* 52. *ſect.* 8. &c. contrà Hibernicum *in* 1. *diſt.* 8. *q.* 2. Baſſolium *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 4. *a.* 5. Valentiã *hic diſp.* 4. *q.* 3. *punc.* 3. *conc.* 3. Eſparzã *q.* 9. *a.* 5. ubi tamẽ loquitur ſolũ de loco metaphyſico. Scotũ *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 6. §. *utrũ autẽ*, ubi tamẽ loquitur dubitãter & nihil definiendo.

Angelus eſt liber ad locum minorem maximo.

Probatur: Nulla eſt ſufficiens ratio negandi Angelis libertatẽ coarctandi ſuã præſentiam intrà terminos loci adæquati, & collocãdi ſe in loco minore maximo; ergo Angelus non eſt neceſſariò, &c. conſequentia patet; quia propter jus poſſeſſionis, quoties agitur de principio libero, judicãdũ eſt in favorem libertatis, niſi ſufficiens & vehemens ratio ad oppoſitum cogat; antecedens probatur, impugnando tanquam inſufficientes rationes Adverſariorum, ex quorum doctrinã.

Dices primò ſufficientem rationẽ eſſe paritatem Dei, animi rationalis, & corporis, nã nec Deus poteſt eſſe in loco minore, quã ſit totus mundus; nec rationalis animus in loco minore, quam ſit corpus quod informat; nec corpus in loco minore, quã ſit quantitas quã afficitur; ergo ſimiliter Angelus non in loco minore, quam ſit ipſius locus maximus, ſeu
41. ſphæra loci maximi. Sed cõtrà: Deus eſt in loco immutabiliter & immobiliter, non ſic Angelus; ideò ſicuti Angelus, non Deus poteſt ab uno ad aliũ locum tranſire, ità nil mirũ, quod Angelus, non Deus, poſſit à majore ad minorem locum ſe coarctare; Animus rationalis in ſtatu unionis ſe habet ut forma naturalis alligata corpori; ideò nil mirũ, quod ratione magnitudinis corporis ſit alligata determinatæ magnitudini loci, nõ ſic Angelus; deindè poteſt paritas retorqueri dicẽdo, Animus rationalis poteſt eſſe in corpore minore maximo, ergo etiam Angelus in loco minore maximo: Corpus nequit eſſe in loco minore, quã ſit ipſius quãtitas, quia penetrarẽtur partes quantitatis, in Angelo verò coarctatio ad locum minorem maximo fieret per minorem replicationem, non per penetrationem; deinde poteſt hæc etiam paritas retorqueri ex eo, quòd eadem quantitas ſecundùm ſuam entitatem invariata poteſt per condenſationem poni in loco minore juxta ſententiam valdè probabilem, & à nobis etiam in Philoſophiâ propugnatam.

Occurritur rationibus Adverſariorum.

Dices ſecundò ſufficientem rationem haberi ex eo, quod locus maximus correſpõdet perfectioni eſſentiali & ſpecificæ ipſius Angeli, & in diverſis Angelis inæqualis eſt juxtà inæqualẽ diverſorũ Angelorũ perfectionẽ; atqui Angelus non poteſt pro libito minuere ſuã perfectionẽ eſſentialẽ, & ſpecificam; ergo neq; poteſt pro libito ſe collocare in loco minore maximo; & hæc quidẽ ratio videtur ſpecialiùs urgere in noſtris principiis de cõſtitutione Angelorũ in loco per propriã ſubſtantiã præciſè; hæc enim, cũ ſit ſecundum ſe invariabilis, neceſſaria, voluntati Angelicę nõ ſubjecta, incrementi & decremẽti neſcia, quomodònã poteſt per ſe ipſam eſſe in loco inæquali, majore, vel minore? Hinc Amicus *diſp.* 3. *ſec.* 5. *n.* 104. quãvis ſuſtineat ſententiã à nobis aſſertã, *n.* tamen 100 *præced.* referens ſententiã oppoſitã, ait eã apertè ſequi ex opinione aſſerentium Angelos eſſe in loco per nudã ſubſtãtiã abſq; ullo modo addito; Thomiſtæ etiã ſicuti ex indiviſibilitate ſubſtantiæ Angelicæ inferunt, quod ſemper eſſet in loco indiviſibili; ità ex ejuſdẽ immotabilitate inferunt, quod ſemper eſſet in loco æquali, ſi eſſet in loco per propriã entitatẽ non per operationẽ, proptereaque ſatis indicant, quod præſcindendo ab operatione aut ſemper indiviſibilẽ, aut ſaltem ſemper æqualẽ locũ Angelis tribuerent. Sed contrà: ad inſtantiam di- 42.
ſtinguo majorẽ, locus maximus in actu primo, ideſt aptitudo & capacitas ad locũ maximum correſpõdet perfectioni eſſentiali, &c. concedo; locus maximus in actu ſecũdo, prout dicit actualem extenſionẽ ad locum maximum correſpõdet perfectioni eſſentiali, &c. ſubdiſtinguo tanquam actus ſecundus liber concedo, tanquam actus ſecundus neceſſarius, nego; eadem diſtinctione utor ad minorem, & dico Angelum quamvis non quoad actus priores aut ſecundos neceſſarios, benè tamen quoad actus ſecundos liberos, poſſe quodammodo variare & minuere ſuam perfectionem eſſentialem. Neque allata inſtantia habet ſpecialem difficultatem in

noſtris principiis ; enimverò ſubſtantia Angeli ſumpta in actu primo, non ſumpta in actu ſecundo eſt invariabilis & neceſſaria in ordine ad locum, vel utendo terminis ad præſentem materiam & ad noſtra principia magis accommodatis, ſubſtantia Angeli ſumpta ſecundùm eſſe ſimplex eſt invariabilis, voluntati non ſubjecta, incrementi & decrementi neſcia, ſecùs ſumpta ſecundùm eſſe complexum cum loco, quod eſſe complexum eſt actus ſecundus ipſius in ordine ad locum.

Reliqua, quibus poſſet ulteriùs aut probari aut impugnari Angelorum libertas ad locum minorem maximo ſubjicientur aſſerto mox ponendo, pro quo quidquid afferetur militabit à fortiori pro aſſerto jam poſito.

43. Angelus eſt liber ad locum minorem & minorem in infinitum.

Aſſert. 2. Angelus poteſt eſſe in loco minore & minore in infinitum, nec habet intrà latitudinem loci diviſibilis, & extenſi, locum ullum minimum, infrà quem non poſſit præſentiam ſuam contrahere. Ità Auctores relati pro aſſerto præcedente ſi Vaſquium excipias, qui *cap. 2. præcit. num. 5.* in hujus aſſerti materiâ hæret perplexus; Scotus verò magis definitè & cum minore perplexitate contrà nos ſentit in iſto, quàm in ſuperiore aſſerto.

Probatur : In quolibet loco diviſibili ſunt aſſignabiles partes minores, & minores in infinitum, juxtà Ariſtotelicam, & veriorem, ut ex phyſicis ſuppono, continui compoſitionem; ſed in quâlibet ex his partibus conjunctâ reliquis eſt totus Angelus, ergo idem totus Angelus eſſe poteſt in qualibet etiam à reliquis ſejunctâ ; neque enim ipſe ut in loco ſit requirit ex parte loci, aut ſenſibilitatem, aut organizationem, aut figuram, aut quidquam aliud importans determinatã partium extenſionem ; & quàmvis in ſe vivens ſit, non tamen locum vivificat, nec loco utitur, tanquàm comprincipio operandi vitaliter ; ex quo capite cætera viventia, & anima etiam rationalis ſumpta ut forma corporis, habent ſua minima, infrà quæ nequeunt conſervari.

Dices ex Scoto *in 2. diſt. 2. quæſt. 6. §. Ad propoſitum :* ex eo quòd Angelus nequeat eſſe in loco quantumcumque magno, & in infinitum majore, ſequitur quòd neque poſſit eſſe in loco quantumcumque parvo & in infinitum minore ; nam Angelus, qui poſſet eſſe in loco in infinitum minore & minore ; poſſet eſſe in quadrangulo in infinitum ſtrictiore & ſtrictiore, ergo poſſet eſſe in quadrangulo in infinitum longiore & longiore, adeóque in loco quantumcumque magno ſaltem quoad longitudinem ; conſequentia probatur quia ex unâ parte Angelus, cum nulli figurationi loci ſit alligatus, poteſt in eâdem loci areâ ſub quâcumque figurâ ſit ſe conſtituere, ex aliâ parte quadrangulus, qui retentâ eâdem areâ fiat in infinitum ſtrictior & ſtrictior, fiet unâ ſimul in infinitum longior & longior ; ergo. Confirmat ſubtilis Doctor illam ſuam primam illationem ex eo, quod ſicuti concluderetur infinita virtus ex eo, quod Angelus poſſet eſſe in loco in infinitum maiore, ità etiam ex eo, quod poſſet eſſe in loco in infinitum minore, quia poſſe ſe collocare in loco minore adæquato eſt aliqua virtus maior, quàm poſſe ſe collocare ſolùm in loco adæquato ; ergo poſſe ſe collocare in loco minore & minore in infinitum eſt virtus major & major in infinitum, adeóque eſt virtus infinita. Sed contrà : Adverto locum maximum & adæquatum Angeli eſſe circulariter, ſeù ſphæricè metiendum eo modo, quo ſolet aſſignari ſphæra activitatis cujuſcumque naturalis agentis ; nam ſicuti naturale agens æqualiter effundit ſuam virtutem, & operationem in omnes partes, ità veriſimile eſt Angelũ poſſe æqualiter in omnes partes per gyrum extendere ſuam ſubſtantiam, cum præſertim per nos Angelus in tali extenſione ſe habeat ut agens, liberum tamen, propriam ſubſtantiam reproducens in pluribus locis partialibus : Rursùs ſicuti agens naturale impeditum, ne propriam virtutem effũdat in latitudinẽ, non propterea poteſt quaſi longitudine latitudinem compenſare, & longiùs protendendo operationem excedere in longitudine ſuam ſphæram ; ità Angelus non occupans totam latitudinem ſui loci maximi circulariter accepti, non propterea poteſt ſuã ſubſtantiam in maiorem longitudinem protendere, quàm anteà ; & in quâcumque loci figuratione ſe collocet habet terminum versùs maximum non ſolùm quoad totalitatem loci, verùm etiã quoad ſingulas dimenſiones adeò ut ſecundùm nullã dimenſionem valeat excedere diametrũ loci maximè accepti circulariter. 44. Locus maximus Angeli metiendus eſt ſphericè.

Hinc ad inſtantiam dico Angelum intrà dimenſiones ſuæ ſphæræ poſſe eſſe in loco ſtrictiore & ſtrictiore, non ſic excedendo tales dimenſiones ; & quamvis non ſit alligatus alicui figurationi, eſt tamen alligatus aliquibus dimenſionibus, intrà nõ ultrà quas poteſt ſub quâcumque loci figurâ ſe conſtituere; quadrangulus igitur qui coarctatis in infinitum lateribus in infinitum protrahitur, quamvis non creſcat in areâ, creſcit tamen in dimenſione longitudinis ultrà diametrum loci maximi Angelici, ideò, &c. Accedit quod magnitudo loci ex genere ſuo attenditur potiùs penes circumferentiam ambientem, quàm penes aream, in datâ autem hypotheſi quadranguli rectè notat Averſa *q. 52. ſect. 8.* creſcere in infinitum circumferentiã, licèt non creſcat area, ideò dici poſſet ſub illo quadrangulo etiam non creſcente areâ creſcere loci magnitudinem, fierique locum majorem & majorem in infinitum. 45. Occurritur argumentis Scoti.

Ad confirmationẽ dico virtutem aliquam ex eo præciſè, quod ſit libera, non eſſe virtutem majorem ; & virtus collocandi ſe in loco adæquato, & in loco minore, comparata ad virtutẽ collocandi ſe præciſè in loco adæquato, eſt quidẽ virtus diverſa & alia, quia eſt virtus libera comparata ad neceſſariam ; at non eſt virtus major, quia non eſt virtus attingens aliquod majus, & non contentum in eo, quod attingit virtus neceſſaria, quis enim non videat locum minorem adæquato in loco adæquato contine- 46.

ri ? Eſt porrò virtus non ſolùm diverſa, ſed etiam major illa, quà poteſt Angelus ſe extendere ad talem locum determinatum, & ad majorem, ſi comparetur virtuti, quà poſſit ſe extendere ſolùm ad talem locum determinatum, tanquam ad ſuum locum maximum; ideò arguitur infinitas in virtute ad locum quantumcumque magnum, non ſic in virtute ad locum quantumcumque minimum; & ex eo, quod locabilitas Angeli habeat terminũ versùs maximum, non ſequitur, quòd habeat etiam terminũ versùs minimũ.

Vrgebis: quod Angelus poſſit eſſe in loco majore habetur ex majore ipſius perfectione ergo ſimiliter quod Angelus poſſit eſſe in loco minore habetur ex ejuſdem perfectione minore; atqui perfectio Angeli æquè nõ poteſt in infinitum minui, ac non poſſit in infinitum augeri; ergo Angelus æquè nõ poteſt eſſe in loco minore & minore, ac non poſſit
47. eſſe in loco majore & majore. Sed contrà: vel nego conſequentiã abſolutè, quia virtus, quę poteſt in majus poteſt etiam in minus, non è contrà; vel majoris claritatis gratiâ eandẽ diſtinguo, ergo quod Angelus poſſit eſſe in loco minore tanquã in loco ſibi adæquato habetur, &c. cõcedo; quod poſſit eſſe in loco minori tanquam in loco partiali habetur, &c. nego & conceſſa minore ſubſumpta dico nihil aliud re ipſa inferri, quàm inter Angelos de facto exiſtentes, in quorum perfectione, nec versùs maximum, nec versùs minimum, poteſt infinitè procedi, æque eſſe determinatum locum maximum Angeli infimi habentis perfectionem omnium minimam, ac Angeli ſupremi habentis perfectionẽ omnium maximã; & ille locus maximus Angeli infimi eſt inter omnia loca maxima Angelorum de facto exiſtentium minimũ quod ſic loci Angelici. Dixi *inter Angelos de facto exiſtentes*, quia loquendo de Angelis etiam poſſibilibus nihil prohibet infinitè procedere, tùm versùs accrementum, tùm versùs decrementum perfectionis admittendo quocumque Angelo dato cum locabilitate finita eſſe poſſibilem alium, tùm magis perfectum, cui debeat ac locus maximus major; tùm minùs perfectum, cui debeatur locus maximus minor.

48. Ex dictis habetur Angelum, quamvis habeat ſemper locum in actu ſecundo determinatum quoad magnitudinẽ & parvitatẽ, non ſic habere locũ determinatum etiam in actu primo, quia determinatio actus primi eſt determinatio neceſſaria, determinatio actus ſecundi eſt determinatio libera; Angelus autẽ (ſubintellige intrà terminos ſeu dimenſiones loci maximi) nullã habet neceſſitatẽ majoris potiùs, quã minoris loci; & quod in actu ſecundo ad majorẽ potiùs, quã ad minorem locũ ſe extendat convenit ei ex determinatione proprij arbitrij & ex libertate voluntatis, nõ ex neceſſitate naturæ. Hinc Adverſariis objicientibus, quòd juxtà doctrinã à nobis aſſertam Angelus ſaltẽ versùs minimum non ſit in loco determinato, dicito non eſſe in loco determinato ex parte actus primi & determinatione neceſſaria, benè tamen ex parte actus ſecundi & determinatione libera.

Ang.lus eſt in loco determinato ex determinatione liberà, nõ ex determinatione neceſſaria.

§. VII.

Vtrùm admiſſis in continuo indiviſibilibus Angelus poſſit eſſe in loco etiam indiviſibili, & punctali?

ASSERT. Admiſſis præſentis controverſiæ gratiâ indiviſibilibus, quamvis alioqui juxtà compoſitionem continui in Philoſophia traditam non admittendis, Angelus poteſt eſſe in loco etiam ſolùm indiviſibili & punctali. Ità D.Thomas 1.*p.q.*52.*art.*2.*in* 1.*diſt.*37.*q.*3.*art.*2. Ferrarienſis 3.*cont.Gent.cap.*68. Ioannes à S.Thomã *diſp.*a..*art.*3. Richardus *in* 2.*diſt.*2.*a.*2.*q.*2. Capreolus *ead. diſt.q.*1.*art.*1. Suarez *hic lib.*4.*cap.*11. Amicus *diſp.*5.*sect.*7. Lugus *diſp.*5.*cap.*8.*n.*14. Madernus *q* 2.*art.*5. Averſa *q.*52.*sect.*7. Herincx *diſp* 4 *q.*3.*n.*17. &c. contra eos in primis, qui nolunt Angelum poſſe eſſe in loco minore maximo, aut etiam minore & minore in infinitum, unde Vaſquez *diſp* 192 *c.*2. eadem hic, quà ſuperiùs, perplexitate laborat, & Scotus *præcit.* §. *ad propoſitum verſic. de iſto* dum abſolutè negat locabilitatem Angeli in loco minore & minore, dubitat verò de locabilitate ejuſdem in puncto, arguitur inconſequentiæ a Suarezio *præcit. c* 11. & ab Arriaga *hic diſp.* 16 *sect.* 4. Eſt inſuper locabilitas Angelorum in puncto contra alios plures, à quibus recenſendis abſtineo, quia ità ſentiunt vel præcisè ex eo quod nulla admittant indiviſibilia & puncta, in quo nobis directè non adverſantur, vel ex eo quod nolint indiviſibile & punctum habere poſſe rationem loci, in quo ſit quæſtio de nomine. 49.

Angelus poteſt eſſe in indiviſibili & punctuali.

Probatur aſſertum; Admiſſis indiviſibilibus Angelus verè totus eſt in indiviſibili quolibet conjuncto reliquis aut partibus aut indiviſibilibus loci extenſi; ergo etiam verè totus eſſe poteſt in quolibet indiviſibili ſeorſim & ſejunctim accepto; antecedens patet quia Angelus haberet in loco extenſo præſentiam interruptam, non continuatam, quoties non eſſet in quolibet indiviſibili, ſuppoſito autem quod in indiviſibili ſit, non eſt in ipſo ſecundũ aliquam ſui partẽ, cum partibus careat, eſt igitur in ipſo totus; conſequentia probatur, quia ut dicebamus *n.*43. Angelus non requirit in loco, aut ſenſibilitatem, aut organizationem, aut aliud quidquam conveniens indiviſibili ut conjuncto reliquis componentibus continuum potiùs, quàm eidem ſeorſim & ſejunctim accepto.

Dices indiviſibile ſeorſim & ſejunctim acceptũ carere extenſione requiſitâ, tũ ad rationem genericam loci, tùm ſpecialiter ad rationem loci Angelici: requiritur extenſio ad rationẽ genericã loci, quia locus ex genere ſuo importat ſuperficiẽ ambientẽ, certũ eſt autẽ dari extenſionem, ubi datur ſuperficies ambiens: requiritur quoq; extenſio ſpecialiter ad rationem loci Angelici, quia Angelus ſecundum nos eſt in loco per propriã ſubſtantiam, quæ cum habeat in ſe virtualem extenſionem,

nem, exigit etiam aliquam extenſionem in
50. loco. Sed contrà: dicere quod locus ex genere ſuo importet ſuperficiem ambientem eſt relabi in quæſtionem de nomine, cui occurrendum eſt per diſtinctioné loci intrinſeci, & extrinſeci; hic ad ſummum importat ſuperficiem ambienté, ille importat præcisè ſpatium habens talem determinatam diſtantiam à partibus fixis, nec debet ambire locatum, ſed eum ipſo penetrari; quod totum optimè convenit cuilibet indiviſibili, etiam
51. ſeorſim accepto. Extenſio igitur non eſt de ratione generica loci, non eſt etiam ſpecialiter de ratione loci Angèlici, quia virtualis extenſio vel ſumitur in actu primo pro potentia & capacitate ſe extendendi; vel ſumitur in actu ſecundo pro actuali exercitio extenſionis: Virtualis extenſio primo modo non requirit extenſionem in loco, quia ſicuti Angelus retenta capacitate ad locum maximum poteſt ſe conſtituere in loco minore, ità non eſt cur retenta capacitate ad locum extenſum, ſeu ſe extendendi, nequeat eſſe in loco indiviſibili & inextenſo; Extenſio virtualis ſecundo modo exigit quidem loci extenſionem, at ſicuti hoc modo ſubſtantia Angeli habet extenſionem virtualem libere, ità poteſt ad libitum ipſa carere, & ſimul carere omni extenſione loci.

Extenſio virtualis ſumitur dupliciter.

Neque urgeas malè à nobis ſupponi, quòd ſit liberum Angelo exercitium virtualis extenſionis adeò ut poſſit eo omni carere, tùm quia hoc ipſum eſt quamvis ſub diverſis terminis in quæſtione, tùm quia indiviſibilitas Angeli carentis omni exercitio virtualis extenſionis non differret ampliùs ab indiviſibilitate puncti, quòd malè cohæ-
52. reret ſupradictis *n.* 34. Contrà enim, illud ipſum, quod eſt in quæſtione, non malè ſupponitur, quoties ſupponitur tanquam aliunde probatum, ut in propoſito liberum eſſe Angelo exercitium virtualis extenſionis adeò, ut poſſit eo omni carere, probatum ſupponitur, ex eo quod, dum agitur de principio libero in ordine ad ſuos actus ſecundos, præſumptio & poſſeſſio ſemper ſtat pro libertate. Ad illud, quod additur, dicito in illa hypoteſi indiviſibilitatem Angeli fore diverſam ab indiviſibilitate puncti ex parte actus primi & ratione capacitatis ſe extendendi, licèt non ex parte actus ſecundi ratione actualis extenſionis.

Dices inſuper: indiviſibile ſeorſim & ſejunctim acceptum non poteſt eſſe ſuſceptivum operationis, ergo neque poteſt eſſe ſuſ-
53. ceptivum præſentiæ Angelicæ. Sed contià: cum per nos præſentia Angelica non importet operationem, nec Angelus ſit in loco per hoc quod operatur, facilè in noſtris principiis ruit inſtantia, quæ ad ſummum vim aliquam habet contrà Auctores collocantes Angelum in loco per operationem, inter quos Ægidius *in* 1. *diſt.* 3. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 2. hoc potiſſimùm ratione ducitur ad negandum Angelo potentiam exiſtendi in indiviſibili; cæteri tamen oppoſitum ſentiunt, quia, inquiunt, licèt indiviſibile non poſſit eſſe ſuſceptivum operationis *ut quod*, poteſt eſſe ſuſceptivum operationis *ut quo*, licèt non poſſit eſſe id, in quod operatio deſinit, poteſt eſſe id, ex quo operatio incipit; ut magis explicant Gonet *hic diſput.* 4. *artic.* 1. *n.* 102. Bubalus *q.* 52. *quæſit.* 2. *art.* 2. *diffic.* 3. §. 1. &c. Aliqui alij ſuſtinent Angelum poſſe eſſe etiam per operationem in indiviſibili; ex eo præcisè quod indiviſibile, quamvis ſejunctim & ſeorſim acceptum, ſit ſuſceptivum motus localis diſcreti: Ità Ioannes à S. Thoma *hic diſp.* 20. *art.* 3. *num.* 7. Arriaga *diſp.* 16. *ſect.* 5. *n.* 23.

Angelus etiam per operationé poteſt eſſe in indiviſibili.

Ex dictis habetur nos concedere Angelis 54.
de facto exiſtentibus omnem majorem, quæ excogitari poſſit, libertatem in ordine ad contrahendam propriam præſentiam intrà ſphæram loci maximi: Vtrùm verò eadem libertas aſtruenda ſit etiam in omnibus Angelis poſſibilibus? adeò ut repugnet Angelus, qui minore polleat libertate, & aut ex natura ſua determinatus ſit ad exiſtendum ſemper in loco maximo, aut ſaltem habeat minimum *quod ſic*, nec poſſit ſe in loco minore & minore in infinitum, multoque minùs in indiviſibili collocare: Negat Arriaga *hic diſp.* 16. *n.* 16. *&* 31. pro ſua facilitate admittendi poſſibile quidquid non oſtenditur evidenter repugnans; at mihi res eſt valde dubia ob regulam ſæpiùs commendatam, quod in pari, aut non multùm impari cauſa, præſumptio ſtet pro impoſſibilitate potiùs, quàm pro poſſibilitate: Vndè libenter quidem concederem poſſe Deum ſuperaddere Angelo aut poſſibili, aut etiam de facto exiſtenti, entitatem aliquam, quam ipſe Angelus nequeat abjicere, & per quam determinetur ad exiſtendum ſemper in tanta præcisè loci extenſione; non tamen facilè admitterem dabilem eſſe Angelum ità determinatum ex natura ſua, imò ſicuti nullus Angelus eſt poſſibilis, qui ex natura ſua careat libertate in ordine ad majòrem vel minorem perfectionem, ità nec qui careat libertate ad majorem vel minorem præſentiam: Multò minùs admitterem dabilem eſſe Angelum ex natura ſua determinatum ad exiſtendum ſolùm in indiviſibili, careret enim hic Angelus extenſione virtuali etiam in actu primo, nec ullus ſupereſſet modus diſtinguendi indiviſibilitatem ipſius ab indiviſibilitate puncti.

Quid ſentiendum de Angelis poſſibilibus in ordine ad majorem minoremvè locum?

Habetur inſuper hucuſque poſita de li- 55.
bertate contrahendi propriam præſentiam extendi jure poſſe ad animas ſeparatas, quæ ſicuti quoad reliqua Angelis æquiparantur, ita & quoad ſui conſtitutionem in loco: Poſſet quidem de ipſis ſpecialiter inquiri, utrùm locus maximus cujuſlibet animæ ſit præcisè extenſio æqualis extenſioni, quam habuit, aut in ſuo ſtatu perfecto habuiſſet corpus ab ea informatum; At quis id definiat? Solùm hinc erui poteſt aliquod veſtigium magnitudinis loci Angelici, dicendò locum maximum infimi Angeli ſuperare extenſionem cujuſcumque humani corporis procerioris & gigantei; cum Angelus infimus ſit perfectior ea anima, cui conveniret

Quid de animabus ſeparatis?

actuare tale corpus & occupare totam ejus extenſionem; aſſurgendo deinde cum proportionali loci maximi incremento ad ſuperiores & ſuperiores Angelos, fas eſt conjectare valde amplam locabilitatis ſphæram, & ingentem admodùm extenſionem loci maximi.

§. VIII.

An & quomodò idem Angelus poſſit ſimul eſſe in pluribus locis?

56. ASSERT. 1. Angelus naturaliter, & virtute propria, non poteſt ſimul eſſe in pluribus locis adæquatis, bene tamen ſupernaturaliter & virtute divina. Vtraque aſſerti pars eſt receptiſſima adeò, ut oppoſitum primæ partis pro errore reputari dixerit D.Thomas *in* 1. *diſt.* 37. *q.* 3. *art.*2. & opinionem Goffredi *quodlib.*12. ſentientis contrà ſecundam partem appellet periculoſam Baſſolis apud Amicum *hic diſput.* 5. *ſect.* 4. *num.*83.

Angelus naturaliter nequit eſſe in pluribus locis adæquatis.

Probatur prima pars: Angelus naturaliter, & virtute propria, non poteſt eſſe in loco majore maximo; ſed locus adæquatus eſt locus maximus, ergo Angelus non poteſt naturaliter, & virtute propria, eſſe in loco majore adæquato; atqui plura loca adæquata ſunt quid majus loco adæquato, ergo: & hoc argumento infertur Angelum neque poſſe naturaliter ſimul eſſe in pluribus locis, quorum unus adæquatus ſit, alter inadæquatus.

Probatur ſecunda pars, quæ debet intelligi de locis adæquatis materialiter, comparativè ſcilicet ad locabilitatem naturalem, & virtutem propriam Angeli; nam formaliter ſeu comparativè ad locabilitatem obedientialem virtutemque divinam nullus locus eſt Angelo adæquatus, quia nullus eſt, in cujus

57. majore Angelus eſſe non poſſit: Probatur, inquam, ſecunda pars: Extenſio virtualis ſubſtantiæ Angelicæ, quamvis conſiderata naturaliter finita ſit & limitata, conſiderata tamen obedientialiter & ut ſubeſt virtuti divinæ induit infinitatem quandam & illimitationem reſpicientem pro termino adæquato loca omnia, adeoque plura loca adæquata cujuſlibet Angeli de facto exiſtentis; ergo Angelus poteſt ſupernaturaliter, &c. Confirmatur: Poſſe convenire ſupernaturaliter Angelis multiplicem præſentiam adæquatam concedunt etiam Thomiſtæ, id abſolutè negantes de corporibus; ergo nos, qui id de corporibus in Philoſophia non negamus, multo magis debemus in præſenti id Angelis concedere; advertendo tamen obiter Thomiſtas negantes id de corporibus, non de Angelis, loqui conformiter ad ſua principia, quibus Angelos ſtatuunt in loco per operationem ſpectantem ad ejus virtutem in genere efficientis, quæ per conſequens eo ipſo, quòd in genere efficientis eſt, augeri à Deo poteſt; adde quod ſolent

Bene tamen ſupernaturaliter.

etiam concedere Angelos præternaturaliter poſſe eſſe in loco per paſſionem, quâ ratione facile Deus poteſt Angelum exiſtentem in uno loco adæquato ex vi operationis locare alibi ex vi paſſionis; Corpora verò ſtatuunt circumſcriptivè in loco per quantitatem, tanquam per cauſam formalem, & Deus nec poteſt multiplicare effectum formalem non multiplicata forma; nec ſecundùm Thomiſtas, ſecundùm quos corpus habet unitatem numericam à materia ſignata quantitate, poteſt multiplicare quantitatem in uno eodemque numero corpore, ſeu non multiplicato numericè corpore, ideò &c.

Aſſert. 2. Angelus intrà ſphæram ſui loci maximi poteſt naturaliter eſſe in pluribus locis inadæquatis, etiam diſſitis & diſtantibus, abſque eo quod ſit in intermediis. Ità Hervæus *in* 1. *diſt.* 37. *art.*1. Marſilius *ead. diſt. q.*2. *art.*2. Cajetanus 1. *p. q.* 52 *art.*1. Bannez & Nazarius *eod. art.* Gonet *diſp.*4. *art.*3. §.1. ubi ait ex Thomiſtis ſolum Ioannem à S.Thoma acceſſiſſe ad opinionem oppoſitam: Ancipites ſunt ac problematici, Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 7. § *in iſta quæſtione*, Gabriel *ead. diſt. q.*2. *art.* 3. & ex recentioribus Lugus *diſp* 5. *ſ.*7. *n.*15. Contrà Suarium *lib.*4. c.10. Vaſquium *diſp.*190. *cap.*3. Amicum *diſp.*5. *ſect.*4. Bubalum *q.*52. *art.*2. *quæſit.* 2. *diffic.* 1. §. 3. Arriagam *diſput.*16. *num* 42. Eiparxani *q* 9. *art.*1c. (ubi tamen loquitur de ſola præſentia metaphyſica concedens oppoſitum quoad præſentiam phyſicam) Averſam *q.* 52. *ſect.*9. Herincx *diſp.*4. *q.* 3. *num.* 16. Maſtrium *q.*1. *art.* 6. cæteroſque recentiores communiter pro ſe referentes S.Thomam, S. Bonaventuram, Alenſem, Richardum, &c. ſed immeritò, quia S. Thomas aliique inſigniores Theologi ex antiquis non diſtinguunt inter loca adæquata & inadæquata; & dum loquuntur de pluribus locis ſimpliciter intelligendi potiùs ſunt de adæquatis, quàm de inadæquatis; hæc enim ſemper poſſunt in unum locum coaleſcere adeoque ſe habent per modum unius magis, quàm per modum plurium, præſertim quando ſunt intrà ſphæram ejuſdem loci maximi ut ſupponitur in præſenti. 58.

Angelus naturaliter poteſt eſſe in locis inadæquatis diſſitis.

Probatur aſſertum. Angelus poteſt naturaliter eſſe in partibus extremis ſui loci adæquati abſque eo, quòd ſit in medio; ergo intrà ſphæram ſui loci maximi poteſt naturaliter eſſe in pluribus locis inadæquatis, &c. conſequentia patet antecedens probatur Angelus poteſt naturaliter eſſe in medio ſeu in partibus mediis ſui loci adæquati abſque eo, quòd ſit in partibus extremis, ergo etiam in partibus extremis abſque eo, quòd ſit in medio ſeu in partibus mediis; libertas enim Angeli ad non occupandum totum locum maximum æquè infert utrumque. nec apparet, cur ex vi talis libertatis contrahendo præſentiam ad locum minorem maximo, poſſit relinquere partes extremas retinendo medias, non verò relinquere medias retinendo extremas. 59.

Dices primò majorem rationem eſſe, quia partes extremæ ſine mediis ſunt plura loca,

partes

partes verò mediæ etiam ſine extremis ſunt unus locus; eſt autem difficultas non in eo, quòd Angelus poſſit naturaliter eſſe in uno loco, ſed in eo quòd poſſit naturaliter eſſe in pluribus; eſſent, inquies, partes extremæ ſine mediis plura loca, quia eſſent diſtantes, ad unitatem autem loci requiritur continuitas, aut ſaltem indiſtantia. Sed contrà: omnes partes exiſtentes intrà ſphæram loci maximi ſive indiſtantes ſint, ſive diſtantes, dici poſſunt eſſe unus locus, & hac ratione abſolutè negandum eſt requiri continuitatem aut ſaltem indiſtantiam ad unitatem loci, & dicendum unitatem loci eſſe relativam ad unitatem locati, rectéque appellari unum locum illud omne ſpatium, quod eſt intrà ſphæram unius locati: Ne tamen incidamus in quæſtionem de nomine, tranſeat partes extremas diſſitas & ſeorſim acceptas ſine mediis eſſe plura loca, certè ſunt, ut ſupponitur, plura loca ſolùm inadæquata, de quibus contendimus non militare eaſdem difficultates, quæ de pluribus locis adæquatis. Vrgebis &

60\. *Plura loca inadæquata etiam diſſita dici poſſunt unus locus.*

Dices ſecundò ſi non omnes, ſaltem plures, ex iiſdem difficultatibus militare; militat primò paritas corporum, quæ poſſunt naturaliter eſſe in uno tantùm loco, ſive adæquato, ſivè inadæquato: militat ſecundò exemplum corporis Chriſti Domini, quod licèt ſit in qualibet hoſtia, tanquam in loco ſibi inadæquato, non ponitur tamen naturaliter in pluribus hoſtiis diſtantibus, & majus miraculum eſt exiſtere in pluribus hujuſmodi hoſtiis, quàm in unica: Militat tertiò propria conditio præſentiæ definitivæ, per quam ex D. Thoma *1. p. q. 52. art. 2.* Res ità eſt in uno loco quod non in alio, Angelus autem exiſtens in pluribus locis inadæquatis in nullo illorum ità eſſet, quod non in alio. Sed contrà: ad primum dico corporibus nullam prorsùs replicationē convenire naturaliter, Angelis è contrà non poſſe negari aliquam replicationem naturalem, nec poſſe per nos exiſtere in ſpatio diviſibili niſi per replicationem, replicatio autem nihil eſt aliud, quàm exiſtentia in pluribus locis, ideò &c. Deinde corpora non habent libertatem ullam intrà ſphæram ſui loci maximi ideò &c. Ad ſecundum dico Corpus Chriſti in Cœlo ſemper retinere locum ſibi adæquatum, ideò nil mirum multiplicare miracula, quoties per poſitionem ſub pluribus hoſtiis ponitur in aliis pluribus locis etiam ſecundùm ſe inadæquatis: Deinde quamvis tota extenſio corporis Chriſti non habeat in hoſtia locum adæquatum; habet tamen in eadem locum adæquatum quodlibet punctum, ſeu quælibet pars minima talis corporis, quod propterea dum ponitur ſub pluribus hoſtiis, ponitur aliquo modo id eſt ſecundùm quamlibet minimam ſui partem in pluribus locis adæquatis, ut magis explicat Arriaga *hic diſp. 16. num. 38.* Ad tertium vel concedi poteſt Angelum exiſtentem in pluribus locis inadæquatis diſſitis non eſſe in ſingulis definitivè, at nec circumſcriptivè, eo quod modi eſſendi circumſcriptivè & definitivè in loco dicantur ſolùm relatè ad loca adæquata; vel dici poteſt D. Thomam in verbis relatis explicare voluiſſe præſentiam definitivam non quamcumque, ſed adæquatam.

61\. *Dato tamē quod ſint plura, non militant de illis eædem rationes, quæ de pluribus adæquatis.*

Neque urgeas addendo alias difficultates, puta quod Angelus exiſtens in pluribus locis inadæquatis diſſitis eſſet diviſus & diſtans à ſe ipſo: quod ſicuti eadem res non poteſt ſimul eſſe in tempore heſterno & hodierno; ità nec in loco ſursùm & deorsùm, quamvis ſupponantur eſſe duo loca inadæquata: quod ſi Angelus poſſet eſſe in diſtantibus partibus loci, etiam anima poſſet eſſe in diſtantibus partibus corporis: quod ſi poſſet occupare duo extrema non occupando medium, poſſet etiam tranſire ab extremo ad extremum non tranſeundo per medium: quod ſi poſſet eſſe in locis inadæquatis diſtantibus intrà propriam ſphæram, poſſet eſſe in iiſdem auctà quomodocumque ipſorum diſtantià, quia per hoc quod augeatur diſtantia non augetur extenſio, nec ſit locus major. Contrà enim

Ad primam difficultatem (ex quâ eodem modo inferretur Angelum aut fore à ſe ipſo diſtantem, dum replicaretur ſupernaturaliter in duobus locis diſtantibus, aut fore in ſe ipſo diviſum & diſcontinuum, dum eſſet naturaliter in duobus locis contiguis tantùm, non continuis) dico quod Angelus exiſtens, &c. eſſet diviſus & diſtans a ſe ipſo localiter, non ſubſtantialiter; quoad præſentiam, non quoad entitatem: Neque ex eo, quod ſecundùm noſtra principia Angelus ſit in loco per propriam ſubſtantiam ſequitur non poſſe ipſum dividi & diſtare localiter, quin dividatur & diſtet ſubſtantialiter, ſeu quoad ſubſtantiam: Enimverò ſequitur ad ſummum quod dividatur & diſtet quoad ſubſtantiam ſumptam ſecundùm eſſe complexum cum loco, ſeu quoad complexionem ſubſtantiæ & loci, quod libenter admitto. 62

Occurritur aliis rationibus Adverſariorum.

Ad ſecundam (ex quâ inferretur neque de potentia abſoluta poſſe Angelum ſimul eſſe in loco ſursùm & deorsùm) dico diverſam eſſe rationem de differentiis entis ſucceſſivi, ac de differentiis entis permanentis; illis enim, non iſtis repugnat ſimul eſſe, ideò etiam nil mirum quod illis, non iſtis repugnet aliquid ſimul ineſſe.

Ad tertiam diſparitas eſt, quia anima eſt in corpore, non tanquam locatum liberum in loco, ſed tanquam forma naturalis in ſubjecto dependens in informando a diſpoſitionibus, inter quas una eſt quantitas continua; unde etiam anima non ſolùm in diſtantibus, ſed neque in diſcontinuis partibus corporis poteſt exiſtere, cum tamen Adverſarij ipſi non negent Angelum poſſe exiſtere in diſcontinuis partibus loci: Et hinc obiter ſolvitur inſtantia, quæ ex eadem anima fieri poteſt ad infirmandam noſtram probationem ſuprapoſitam dicendo, anima relictis extremis partibus corporis retinet medias, ut patet ex eo, quòd cor primò vivit, & ultimò moritur, non poteſt autem relictis 63

partibus

partibus mediis retinere extremas; ergo ex eo quod Angelus relinquere poſſit partes extremas ſui loci retinendo medias, malè inferebatur poſſe etiam relinquere partes medias retinendo extremas. Solvitur, inquam, quia anima remanens in ſolis partibus mediis id præſtat ex vi ſufficientis diſpoſitionis repertæ in ſolis partibus mediis, quæ diſpoſitio non poteſt reperiri in ſolis extremis: at Angelus id præſtat ex vi propriæ libertatis, quæ æquè militat pro partibus extremis, ac pro mediis.

64. *Angelus non poteſt tranſire ab uno in aliud extremum non tranſeundo per mediũ.*

Ad quartam nego ſequelam, quia occupare duo extrema non occupando medium importat præcisè habere ſubſtantiam in extremis, non in medio; tranſire ab extremo ad extremum, &c importat transferre ſubſtantiam ab uno extremo ad aliud non percurrendo medium, quod eſt aliquod diverſum & majus; à minori autem ad majus non valet argumentum; & ſicuti ſecundùm plures ex Adverſariis Angelus exiſtens ſecundùm ſubſtantiam in toto aliquo loco poteſt operari in illius extremis, non operando in medio; at non poteſt operari ab extremo ad extremum non operando per medium; ſeu poteſt operari in ſubjectis diſtantibus, at non operari in diſtans, ità ſimiliter, &c.

65. *Non poteſt eſſe in locis inadæquatis, utcũque diſtantibus.*

Ad quintam nego pariter ſequelam, quia ſicuti *ex præced. n.44.* Angelus non poteſt occupare eandem extenſionem loci ſub quibuſcumque dimenſionibus, ſed ſolùm ſub dimenſionibus non excedentibus diametrum propriæ ſphæræ; ità nec poteſt occupare loca inadæquata exiſtentia in quacumque diſtantia, ſed ſolùm in diſtantia contenta intrà propriam ſphæram; & in iis ſolis rectè explicatur, quomodò poſſit ſe conſtituere abſque eo quod tranſeat ab uno ad alium ſine tranſitu per medium dicendo id fieri, quatenùs exiſtendo antecedenter in locis diſtantibus ſimul & in medio, à medio deinde ſe ſubtrahat, quod non poſſet dici de locis diſtantibus diſtantiâ non contentâ intrà propriam ſphæram, in his enim ſimul & in medio nunquam Angelus eſſe poſſet. Favet huic doctrinæ, quòd plures concedentes actionem naturalem in diſtans, non propterea eam concedant in quamcumque diſtantiam, ſed velint agens quodlibet poſſe agere in diſtans, duntaxat intrà ſphæram ſuæ naturalis activitatis.

---

§. IX.

An & quomodò plures Angeli poſſint eſſe ſimul in eodem loco?

66. *Plures Angeli poſſunt ſimul eſſe in eodem loco divinitùs.*

ASSERT. I. Supernaturaliter & de potentia abſoluta poſſunt plures Angeli eſſe ſimul in eodem loco. Hoc aſſertum nullos habet quos viderim Adverſarios, & licèt D. Thomas *1. p. q. 52. art. 3. in 1. diſt. 37. q. 3. art. 3. de potentia q. 3. art. 19. ad 1.* indiſtinctè neget eſſe, aut poſſe eſſe plures Angelos ſimul in eodem loco, non loquitur tamen de potentia abſoluta, quia mos ipſius eſt diſputare ſecundùm naturam rerum, non ſecundùm Dei præpotentiam, contrà quam etiam non militant ſuperfluitas & confuſio operationum, quæ ſunt potiſſimæ rationes D. Thomæ pro improbanda coexiſtentia Angelorum in eodem loco; jure propterea Thomiſtæ exiſtimant ſe cum ſuo Doctore ſentire aſſertæ veritati conſentiendo.

Probatur aſſertum univerſaliſſimè & in quacumque de conſtitutione Angelorum in loco ſententia: Supernaturaliter & de potentia abſoluta poſſunt eſſe ſimul in eodem loco plura corpora, ergo etiam plures Angeli: antecedens ſupponitur ex Eucharistiæ myſterio, conſequentia probatur quia confuſio partium univerſi potiùs ſequitur ex locali coëxiſtentia corporum, quàm Angelorum; exigentia etiam, quam habere poteſt una operatio ad non eſſe ſimul cum alia operatione, non apparet unde poſſit eſſe major ac infruſtrabilior eâ exigentiâ, quam habet una quantitas ad non eſſe ſimul cum alia quantitate, ubicationes tandem ſuperadditæ, quando darentur, ſicuti poſſunt ſimul exiſtere, ſi ſint materiales ut in corporibus, ità ſimiliter ſi ſint ſpirituales ut in Angelis; quemadmodum à fortiori conſtabit ex mox dicendis pro coëxiſtentia Angelorum etiam naturali in eodem loco, pro qua ut non ſolùm innoteſcat quid juxtà noſtra principia dicendum ſit, verùm etiam non omninò ignoretur, quid juxtà principia aliena, præſertim Thomiſtica, dici poſſit.

67. *Principia Thomiſtica pro repugnantia naturali plurium Angelorum in eodẽ loco.*

Adverto quoad rem præſentem in ſchola Thomiſtica duo ſupponi: Primum eſt, quòd eadem operatio idemve effectus non poſſit ſimul prodire à duabus cauſis totalibus: Secundum eſt quod Angelus conſtituatur in loco per propriam operationem, ex his duobus ut inferatur ſimpliciter & abſolutè non poſſe plures Angelos ſimul exiſtere in eodem loco, alia duo ſunt neceſſariò ſupponenda, nimirum quòd omnes Angeli ſint in loco per operationem ejuſdem rationis, & quod quilibet ſaltem loquendo naturaliter & de potentia ordinaria ſit ſemper cauſa totalis illius operationis, per quam in loco eſt; in quibus duobus ſicuti Thomiſtæ non conveniunt, ità nec in neganda ſimpliciter & abſolutè coexiſtentia plurium Angelorum in eodem loco, ſed diverſi diverſas adhibent limitationes & diſtinctiones:

68. *Vanæ Thomiſtarũ pro eadem repugnantia limitationes.*

Aliqui enim admittentes poſſe Angelos circà corpora per ſe ipſos immediatè producere aliquos alios effectus à motu locali, docent illos poſſe eſſe in loco per diverſas operationes, puta unum per productionem impulſus, alium per productionem lucis, & duos poſſe ſimul eſſe in eodem loco materiali, non formali; in eodem ſcilicet ſpatio, quod vocant locum materialem, ſed per diverſam operationem, quam vocant locum formalem: Aliqui admittentes Angelos poſſe, aut attemperando proprias vires, aut concurrendo ad effectum excedentem vires ſingulorum ſe habere in ordine ad aliquam operationem, ut cauſas partiales, docent ipſos poſſe ſimul

eſſe

eſſe in eodem loco etiam formali inadæquato tamen, non adæquato: Aliqui diſtinguentes locum in naturalem, in quo Angelus exiſtat per operationem, & violentum, in quo exiſtat per paſſionem ſeu detentionem, docent plures Angelor poſſe ſimul eſſe in eodem loco, dummodò non ſit omnibus naturalis, ſed aut omnibus violentus, aut naturalis uni, violentus aliis: placent hæ omnes limitationes recentioribus præſertim Thomiſtis, ut Ioanni à S. Thoma *diſput.* 20. *art.* 3. Goneto *diſp.* 4. *art.* 4. Aliqui tandem ut Eſparza *q.* 9. *art.* 3. *&* 52. aſſignantes in Angelis præſentiam phyſicam per operationem, & præſentiam metaphyſicam per ubi ſuperadditum, nolunt plures Angelos adeſſe poſſe naturaliter eidem ſpatio præſentiâ phyſicâ, ſecùs præſentiâ metaphyſicâ. Si quis tamen naturalem repugnantiã plurium Angelorum in eodem loco rigide prorsùs & abſque ulla limitatione propugnatam exoptet, conſulat Bubalum *hic q.* 52. *art.* 3. *quæſito unico diffic. unica*, ubi & vult Angelos naturæ viribus non poſſe eſſe in ullo loco violento, ſeu per paſſionem; & probat eoſdem poſſe per ſe immediatè operari in corporibus ſolùm motum localem, ut nos quoque tradebamus *in calce libri ſuperioris*; &, quod difficilius eſt, contendit unum Angelum non poſſe ſimul cum alio eſſe motorem partiarium, aut partialiter ad effectum ullum concurrere ex facultate naturali.

69\. *Limitatio Modaliſtarum pro ſimultate Angelorum in eodem loco.* Adverto inſuper in ſchola Modaliſtica eſſe quidem communiter receptam coëxiſtentiam plurium Angelorum in eodem ſpatio per plures, & diſtinctas ubitates, at non per ubitatem unam & eandem; in quod licèt propendeat Arriaga *diſp.* 16. *ſect.* 9. *n.* 49. oppoſitum tamen tanquam certum ſupponit Lugus *diſp.* 5. *c.* 6. *n.* 5. Hinc quia ſpatium ſolet à Modaliſtis appellari locus extrinſecus, ubitas locus intrinſecus, qui inter ipſos profitentur diſtinctiùs, & formaliùs loqui, concedunt convenire ſimul poſſe pluribus Angelis unitatem loci extrinſeci, at

70\. *Limitatio pro eadem ſimultate in noſtris principiis.* non unitatem loci intrinſeci: In quo ſervata opinionum proportione non multum differunt à Thomiſtis illis, qui concedunt pluribus Angelis unitatem loci materialis, at non formalis: Vnde etiam juxtà noſtram conſtitutionem Angelorum in loco per puram complexionem, ſeu ſimultatem ſubſtantiæ & ſpatij, ſi velimus ſpatium ipſum ſecundùm ſe vocare locum aut materialem aut extrinſecum; complexionem verò, ſeu ſimultatem ſubſtantiæ cum ſpatio locum aut formalem aut intrinſecum, cum certum ſit unum Angelum, ſicuti nequit habere eandem ſubſtantiam quam alius, ità nequire eſſe in eodem ſpatio Romano v. g. per complexionem illam, per quam eſt alius, rectè diceremus plures Angelos poſſe quidem ſimul adeſſe eidem loco materiali & extrinſeco, at non formali & intrinſeco; hocque ſive de Angelis ſive de corporibus procederet etiam divinitùs, ut facilè patet conſideranti: Nihilominus quia nomine loci ſimpliciter & abſolutè prolati venit ſpatium, cui locatum indiſtans & præſens eſt, ſicuti divinitùs conceditur abſolutè poſſibilis coëxiſtentia plurium Angelorum in eodem loco: Ità ſit

Aſſert. 1. Simpliciter & abſolutè plures Angeli poſſunt eſſe in eodem loco etiam naturaliter, & de potentia ordinaria. Ità Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 8. §. *In iſta queſtione*. Gabriel *ead. diſt. q.* 2. *art.* 3. *dub.* 3. Marſilius *q.* 2. *art.* 2. Ochamus *quodlib.* 1. *q.* 4. Suarez *lib.* 4. *cap.* 9. Vaſquez *diſp.* 193. *c.* 4. Amicus *diſp.* 5. *ſect.* 8. Maderuus *q.* 2. *art.* 7. Averſa *q.* 52. *ſect.* 10. Lugus, Arriaga, &c. contrà Bonaventuram *in* 2. *diſt.* 2. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 4. Ægidium *eadem diſt. part.* 2. *art.* 1. *q.* 3. Capreolum *ead. diſt. q.* 1. *art.* 1. Ferrarienſem 3. *contra Gentes*, *c.* 68. Cajetanum 1. *p. q.* 52. *artic.* 3. cæteroſque Thomiſtas, qui tamen propriam ſententiã adeò limitant, ut ferè nobiſcum ſentiant; ex recentioribus habemus directè adverſarium Bubalũ, & ex parte Eſparzam *locis præcitatis*, alioſque nonnullos. 71.

Alia limitatio. Dixi *ſimpliciter & abſolutè* tùm propter prænotata *præced. n.* 70. tùm quia ſi ſermo ſit de locis maximis, Angelus inferior non poteſt ſimul eſſe cum ſuperiore in loco maximo ipſius, niſi per coëxiſtentiam inadæquatam, & ſemper ſuperior, niſi propriam præſentiam contrahat, erit in aliqua parte loci, in quâ non inferior. Hinc in ſententia docente quemlibet Angelum ſemper occupare totum ſuum locum maximum duo ſequuntur: Primum eſt Angelos inæquales non poſſe ex ſe ſibi adæquatè in loco coëxiſtere: Secundum eſt veriſimiliter plures Angelos de facto ſemper eſſe ſimul in aliqua parte ſpatij; patere hoc poteſt conſideranti innumeram Angelorum multitudinem, & amplam, quam quilibet reſpicit, ſphæram loci maximi, ſicque meo videri parùm ſibi cohæret Baſſolius, qui refertur negare Angelis naturalem facultatem tùm contrahendi propriam præſentiam tùm exiſtendi in eodem loco ſimul.

Probatur aſſertum: Subſtantia Angeli præcisè nihil habet, per quod excludat ſubſtantiam alterius ab eodem loco, ergo quilibet Angelus cum ſit juxtà noſtra principia in loco per ſuam ſubſtantiam præcisè ità èſt in loco, ut poſſit naturaliter ſimul eſſe cum alio quolibet; antecedens probatùr, tùm quia ſubſtantia Angeli præcisè non excludit à loco eodem, aut ſubſtantiam animæ rationalis, aut ſubſtantias corporum; tùm quia ſubſtantiæ ipſæ materiales præcisè acceptæ, & ut ſpoliatæ quantitate, non ſe excludunt à ſimul eſſe in loco, ergo, &c. Confirmatur ex jure libertatis, in cujus favorem judicium ferendum eſt, quoties nulla ratio ad oppoſitum cogit. 72. *Plures Angeli poſſunt ſimul eſſe in eodem loco naturaliter.*

Dices ad oppoſitum cogere neceſſitatem vitandi tùm ſuperfluitatem in rerum natura; tùm confuſionem & perturbationem ordinis inter partes univerſi tùm illapſum unius Angeli in alium. Sed contrà: Superfluum eſt non, quòd præcisè non eſt neceſſarium, 73.

Abſque ſuperfluitate & confuſione. ceſſarium, ſed quod in rerum natura nihil præſtat, unde autem conſtat quòd plures Angeli in eodem loco nihil præſtarent? Deinde transeat ſuperfluitas, nonne principium liberum ex voluntate ſaltem depravata poteſt velle aliquid otioſum & ſuperfluum. Ad aliud dico ordinem rerum ſpiritualium attendendum eſſe penes perfectionem ſubſtantialem, non penes locum & ſitum; ideò ex eo quod Angeli loca mutent, vel eidem loco ſimul adſint nulla ſequitur univerſi confuſio, nulla ordinis perturbatio. Ad poſtremum dico non ſequi illapſum ex pura penetratione & coëxiſtentia locali, alioqui frequenter illaberentur Angeli in animas rationales & corpora, cum quibus ſæpè eodem in loco ſunt.

Ex dictis habetur facilè à nobis explicari, quomodò ut traditur *Luc.* 8. Integra dæmonum legio ſimul fuerit in corpore cujuſdam obſeſſi; Quomodò eidem homini ſimul adſint Angelus Cuſtos & Angelus oppugnator, aut Angelus Cuſtos proprius, & Angelus Cuſtos communitatis: Quomodò Angeli huc illucque ſe moventes poſſint aliorum loca percurrere abſque eo, quod aut iſti recedant, aut illi per medium non tranſeant: Quomodò abſque multiplicatione miraculorum poſſint à Deo plures Angeli ſimul ad aliquid mitti, ſicuti facta eſt cum Angelo multitudo militiæ Cœleſtis in Chriſti Nativitate, & plures ſimul Angeli miſſi ſunt ad miniſtrandum eidem Chriſto Domino poſt jejunium.

---

§. X.

An & quomodò conveniat Angelis motus de loco ad locum?

74. Cenſura negantium verum motum localē in Angelis. ASSERT. 1. Angelis verè convenit motus de loco ad locum. Eſt veritas de fide, aut fidei proxima adeò, ut Durandus & Hervæus oppoſitum ſentientes eo quod ille Angelos eſſe ubique, iſte non eſſe verè in loco exiſtimaverit, redarguantur tanquam temere & periculosè loquentes: ab aliquibus reprehenditur etiam Cajetanus in eo, quòd *hic quaſ.* 53. *artic.* 1. §. *circa prædicta* ait motum localem propriè loquendo non convenire ſubſtantiis ſpiritualibus: Verùm Cajetanus loquitur comparativè ad motum rerum corporalium, qui fit per ſucceſſivam commenſurationem partium mobilis ad partes ſpatij, nec aliud intendit, quàm quod intendit S. Doctor *eod. art.* & *in* 1. *diſt.* 37. *quaſ.* 4. *artic.* 1. dicens eſſe in loco & moveri ſecundùm locum convenire Angelo æquivocè reſpectu corporalium; cum quo ſicuti ſtat Angelum eſſe verè in loco, ità verè moveri ſecundùm locum, quod

Probatur tùm ex pluribus auctoritatibus Scripturæ & Patrum, pro quibus videri poteſt Bubalus *hic quaſt.* 53. *artic.* 1. *quaſit. unico diffic.* 1. §. 1. tùm ex eo quod in ſuperioribus traditum eſt Angelos verè eſſe in loco & non in omni, ſed ſingulos in aliquo determinato indeterminatè tamen & liberè; hinc enim conſequens eſt poſſe tranſire ab uno loco ad alium, & poſſe eſſe modò hic, modò alibi; quæ eſt univerſaliſſima & notiſſima ratio motus localis. Hoc ſuppoſito, ut explicemus quomodo, imò quibus modis conveniat Angelis movere, ſit

Aſſert. 2. Quadtupliciter convenit Angelis moveri de loco ad locum, nimirum motu per ſe, motu per accidens; motu continuo, motu diſcreto. Ità Theologi communiter, quamvis non conveniant in explicatione, & nonnulli etiam aliquod ex enumeratis membris non approbent, ut mox referemus, percurrendo ſingula 75. Quadruplex in Angelis motus localis.

Probatur & explicatur. Motus per ſe eſt, qui mobili convenit ab intrinſeco, & ratione ſui: Hunc motum videtur negaſſe Angelis Capreolus apud Lugum *hic diſp.* 6. *c.* 1. *num.* 1. propter principium illud Ariſtotelicum *Omne quod movetur ab alio movetur*, verùm hac ratione probaretur nullum prorsùs mobile per ſe moveri, non per ſe deſcendere gravia, non per ſe levia aſcendere; ſenſus igitur principij Ariſtotelici eſt *omne quod movetur ab alio moveri* quatenùs ſupponit aliud principium extrinſecum, à quo recipit virtutem motivam, & conſtituitur in actu primo ad ſe movendum; non quatenùs non habeat in ſe principium motus; hinc ait Philoſophus ſolum primum motorem movere ſe ipſum, cætera omnia moveri ab alio, quia excepto primo motore cætera omnia conſtituuntur ab alio in actu primo ſe movendi; ex quo ſequitur quidem Angelos aliunde accipere virtutem motricem; at cum hoc ſtat habere talem virtutem ſibi intrinſecam, adeoque moveri per ſe, ſeu movere ſe: Accedit quod ly *Omne quod movetur, &c.* prout ſolet in ſcholis accipi, nihil aliud importat quàm idem ſecundùm idem non poſſe eſſe movens & motum, cauſam & effectum, ad quod ſalvandum ſufficit diſtingui in Angelo potentiam locomotivam à motu ipſo.

Motus per accidens eſt, qui convenit mobili ratione alterius, & hoc tripliciter id eſt 76. Quotuplex ſit motus per accidens, & quomodò conveniat Angelis. vel ratione alterius concomitanter, ut cum unum movetur ad comitandum aliud, motu tamen proprio & proveniente ab intrinſeco; vel ratione alterius efficienter, quo modo Ariſtoteles 6. *phyſ. c.* 10. *text.* 86. ait hominem in navi exiſtentem moveri ad motum navis, quia motus navis efficit motum in homine; vel ratione alterius formaliter, ut movetur pars ad motum totius, eodem enim formaliter motu, quo adæquatè accepto movetur totum, inadæquatè accepto movetur pars. Motus per accidens hoc tertio modo non datur in Angelo, utpotè qui nec poteſt habere rationem partis, nec rationem totius compoſiti ex partibus. Neque etiam regulariter datur motus per accidens ſecundo modo, quia nec unus

Angelus

Angelus regulariter loquendo alium trahit aut movet per impulſum in ipſo impreſſum, nec homo aut corpus poteſt efficere in Angelis motum, alioqui poſſet Angelus moveri impulſu materiali & corporeo, unde diſplicet Vaſquez *hic diſp* 195.*c*.4. in fine concludens Angelum motu per accidens moveri ab ipſo motu corporis. Motus tandem per accidens primo modo eſt ille, qui Angelis optimè convenit præſertim in corporibus aſſumptis, dum enim Angelus cauſat motum in corpore aſſumpto ſimul etiam cauſat motum in ſe ipſo ad comitandum corpus, eadémque ratione debet cauſare in ſe ipſo motum ſi corpus ſupponatur moveri ab aliquo alio motore; alioqui cum Angelus non ſit corpori aſſumpto alligatus, & poſſit cum ipſo penetrari, moto corpore remaneret ille immotus in ſuo priore loco, à quo motum eſt corpus. Hinc etiam qui movet annulum, cui alligatus eſt dæmon, non movet eodem motu annuli dæmonem, ſed iſte movetur virtute propria ex vi pacti, quo alligans ſe annulo ſe obſtrinxit ad comitandum motum annuli.

77. Quid ſit motus continuus. Motus continuus eſt, qui fit per continuam applicationem mobilis ad partes ſpatij, & quidem talis applicatio vel poteſt eſſe continua ex parte ſolius ſpatij, quatenùs licèt fiat in inſtanti & tota ſimul, fiat tamen ad continuas partes ſpatij; vel poteſt eſſe continua etiam ex parte temporis, quatenùs continuitati partium loci correſpondeat continuitas partium temporis, & applicatio ad priores partes loci fiat in prioribus partibus temporis. Motum continuum videntur negaſſe Angelis plures Doctores non ignobiles; imò ipſemet D. Thomas *in* 2. *diſt*.37. *q*.4. *art*.1. concluſit motum Angeli non eſſe continuum, idemque docet *quodlib*.9. *art*.9. videtur id etiam inferri ex doctrina Philoſophi 6. *phyſ. text*. 32. & 86. ubi agens de motu continuo ait nullum impartibile moveri, quia omne quod movetur, dum movetur, (ſubintellige motu continuo) partim eſt in termino à quo, partim in termino ad quem; quod repugnat impartibili non ſolùm quantitativo, de quo ibi Ariſtoteles loquitur; verùm etiam ſpirituali, cujuſmodi eſt Angelus. Nihilominus D. Thomas adeò

78. An verè conveniat Angelis? expreſſe tradit oppoſitum *hic q*. 53. *artic*. 1. *ad* 1. ut Ioannes à S. Thoma *diſp*. 20. *art*. 4. *num*. 9. non vereatur fateri ipſum correxiſſe quod dixerat aliis locis præcit. quamvis etiam dici poſſit in talibus locis negari Angelis motum continuum, qui aut ſit unicus, adeò ut nequeat Angelis alio motu moveri quàm continuo, aut ſit ejuſdem rationis cum motu continuo corporum, adeò ut importet continuitatem & ſucceſſionem partiũ etiam ex parte mobilis. Quoad auctoritatem Ariſtotelis, quatenùs procedit de indiviſibili quantitativo ſeu de puncto ipſam relinquo Philoſophis examinandam, quatenùs extenditur ad Angelum dico ipſum poſſe eſſe partim in termino à quo, partim in termino ad quem, ex parte ſpatij quamvis non ex parte ſui; quatenùs quamvis non habeat in ſe partes, poteſt tamen eſſe in pluribus partibus ſpatij ratione extenſionis virtualis, quâ poteſt occupare locum diviſibilem, quod puncto non convenit, ideò malè transfertur ad Angelum ratio militans pro puncto: Accedit quòd etiam puncto motum continuum tribuit Scotus *in* 2. *diſt*. 2. *q*.9. longam hac de re diſputationem inſtituens.

Motus diſcretus eſt, qui fit vel in tempore vel in ſpatio diſcreto, fit in tempore diſcreto ille motus, qui licèt nunquam fiat ad ſpatium remotum, menſuratur tamen tempore diſcreto, & interrupto morulis quietis; fit in ſpatio diſcreto ille, qui fit ad partes ſpatij inter ſe diſcretas, id eſt inter ſe diſtantes abſque eo, quod fiat per medium, etiamſi deinde non interrumpatur morulis quietis, ſed importet mutationes inſtantaneas ſibi immediatè ſuccedentes. Motus diſcretus primo modo, qui eſt etiam magis propriè, & magis in rigore talis, ex nullo capite excludi poteſt ab Angelis, qui ſicuti liberè ſunt in loco ità poſſunt in illo aut ſemper moveri, aut ſemper quieſcere, aut partim moveri partim quieſcere, ſeu motum quiete, quietem motu interrumpere, eſt quidem hic aliqua difficultas in explicando, quomodò motus quiete interruptus retineat unitatem, adeò ut unus motus dici poſſit, nihilominùs quia unitas diſcreta eſt unitas cum pluralitate, pro unitate motus diſcreti ſufficit aggregatio plurium cum aliqua ordinatione ad unum, quæ ordinatio in ſubjecta materia habetur ex intentione Angeli plures motus etiam quiete interruptos dirigentis ad unum ultimum terminum, & inter illos quieſcentis animo ſe ulteriùs movendi, & tanquam exiſtens in medio, non tanquam exiſtens in termino; quantam deinde poſſit Angelus moram ducere ſervata unitate motus diſcreti, dijudicandum eſt juxtà regulas generales interruptionis requiſitæ ad tollendam unitatem moralem in aliis materiis, puta in actibus peccaminoſis, in confectione Sacramentorum, &c. Motus diſcretus ſecundo modo, ſi in aliquo mobili dabilis eſt, eſt maximè dabilis in Angelo; abſolutè verò dabilis ne ſit? diſcutietur infra §. 12. Interim adverto præter duos motus diſcretos mox aſſignatos importantes aliquam interruptionem aſſignari à nonnullis aliam quandam ſpeciem motus, quo Angelus nec interponendo moram ullam, nec omittendo ſpatium intermedium procedat ad locum diſtantem per plures mutationes inſtantaneas ſibi immediatè ſuccedentes, factas ſingulas ad locum indiſtantem & propinquum, hunc motum aliqui vocant diſcretum, quia conſurgit ex mutationibus quarum una nihil habet commune cum alia, aliqui vocant continuum, quia importat ſucceſſionem non interruptam; eſt diſſidium vocale in quo non expedit immorari, expedit tamen definire an & quomodò ſit dabilis talis motus in Angelo? quod præſtabitur §. *ſequenti*.

79. Motus diſcretus ſumitur dupliciter.

80. Et ſecundũ aliquos tripliciter.

Ex his habes explicatas, quantùm pro re præſenti neceſſe eſt, ſpecies motus localis 81.

Angelo convenientes; ſpecies, inquam, motus localis ſeu motus ſecundùm locum; nam præter hunc, ut tradit D. Thomas *in 1. diſt. 37. q. 4. art. 1.* duplex alius motus Angelis tribuitur à Sanctis: Vnus dici poteſt motus ſecundùm tempus juxtà Auguſtinum *lib. 9. Geneſis ad lit. c.* 14. ubi ait Angelos *moveri ſe per tempus & locum*, intelligit autem nomine motus per tempus quamcumque ſucceſſionem, hancque vocat motum per tempus, quia tempus eſt menſura ſucceſſivorum: Alius dici poteſt ſecundùm illuminationes à Deo in mentem Angeli deſcendentes, hunc motum aſſignat D. Dionyſius *cap. 4. de divin. nom.* & dividit in circularem, rectum & obliquum, quæ licèt videantur eſſe differentiæ motus localis, eo modo tamen, quo traduntur à D. Dionyſio & explicantur à D. Thoma *præcit. artic.* 1. ſunt differentiæ divinarum illuſtrationum, & motus cujuſdam purè intellectualis, nec ſervant analogiam niſi valdè imperfectam ad motum localem, cui ex primæva ſua ſignificatione differentiæ illæ conveniunt.

Quid ſit in Angelis motus circularis, rectus, & obliquus.

---

§. II.

Vtrùm Angelus poſſit moveri de loco ad locum in inſtanti.

82. ASSERT. Angelus poteſt moveri de loco ad locum in inſtanti, etiam intelligendo nomine inſtantis inſtans temporis noſtri, (ſuppoſito quod in ipſo dentur inſtantia) non verò ſolùm inſtans temporis Angelici.Ità Scotus *in 2. diſt. 2. q. 11.* Gregorius *in 2. diſt. 6. q. 3.* Suarez *lib. 4. c. 21.* Lugus *diſp. 6. c. 3. n. 4.* Bubalus *q. 53. art. 3. quæſito unico difficult. 1.* Averſa *q. 53. ſect. 5.* Madernus *q. 2. art. 9.* &c. contra Ægidium *in 1. diſt. 37. p. 2. princ. 2. q. 3.* Capreolum *in 2. diſt. 6. q. 1. art. 1.* Ferrarienſem *3. contra Gentes, cap.* 102. Ioannem à S. Thoma *diſp. 20. art. 5.* Gonetum *diſp. 5. art. 4.* Valentiam *diſp. 4. q. 4. punct. 2.* alioſque non paucos præſertim ex Thomiſtis pro ſe referentibus S. Doctorem ſæpiùs dicentem Angelum moveri in tempore, non in inſtanti, nihilominùs Bubalus *quæſito præcit. diffic. 2.* ex contextu verborum ipſius S. Doctoris contendit ipſum nobis non adverſari, & ſolùm intendere quod Angelus moveatur in tempore diverſo à noſtrate, nec unquam moveatur in inſtanti noſtri temporis, tanquam in menſura propria, adeò ut ſive in tempore moveatur, ſive in inſtanti, habeat pro menſura propria ſui motus tempus & inſtans diverſa à noſtris.

83. Dixi *moveri de loco ad locum* ut innuerem me loqui de motu locali propriè dicto importante duplicem mutationem, alteram quæ ſit de loco, & quâ deſeratur locus antiquus, alteram quæ ſit ad locum, & quâ acquiratur locus novus, ad differentiam motus localis minùs proprij importantis ſimplicem & unicam mutationem, quâ locus aut acquiratur alio loco non deperdito, aut deperdatur alio loco non acquiſito, quod Adverſarij ipſi cõcedunt poſſe Angelis convenire, concedunt ſcilicet poſſe Angelum in unico etiam noſtri temporis inſtanti tùm à Deo per primam productionem, vel per reproductionem, vel per tranſubſtantiationem fieri præſentem cuicumque loco; tùm ex ſe, ſi nullibi ſit, locum acquirere, vel, ſi alicubi ſit, locum per nullibizationem deſerere.

Motus localis alius proprius, alius improprius.

Dixi (*ſuppoſito quod in ipſo dentur inſtantia*) quia negatis in noſtro tempore inſtantibus æquè ac punctis in continuo permanente, aſſertum eſſet de ſubjecto non ſupponente; & diceretur facta in inſtanti, ſeu inſtantanea, omnis illa mutatio, quæ fieret tota ſimul etiamſi quoad nos determinatæ parti temporis continui, non inſtanti propriè dicto correſponderet.

Dixi *non vero ſolùm inſtans temporis Angelici*; de hujus enim temporis inſtanti, quod quidem juxtà infrà dicenda *lib. ſeq. cap. 1. n. 2.* nihil eſt aliud, quàm duratio alicujus Angelicæ operationis, & quod per conſequens poteſt correſpondere pluribus ſive partibus ſive inſtantibus temporis noſtri; minor eſt difficultas, quod poſſit Angelus moveri de loco ad locum in inſtanti, ſuppoſitis noſtris principiis de conſtitutione Angelorum in loco per complexum non per operationem, quamvis ſecùs in principiis Thomiſticis, in quibus motus Angelicus de loco ad locum in uno eodemque inſtanti Angelico inferret Angelum mutare locum permanendo in eadem operatione, quod iiſdem principiis Thomiſticis contradicit. 84.

Inſtans temporis Angelici quid.

Probatur aſſertum ſic explicatum: Moveri de loco ad locum eſt unum locũ deperdendo alium acquirere; ſed Angelus poteſt unũ locum deperdendo aliũ acquirere in inſtanti, etiam intelligendo nomine inſtantis, &c. ergo Angelus poteſt moveri de loco ad locum, &c. Major patet *ex præced. n.* 83. Minor probatur, Angelus poteſt nullum locum deperdendo locũ in inſtanti acquirere, ergo etiam locum deperdendo id poteſt: antecedens, ut præmiſſum eſt, conceditur ab Adverſariis, & probatur ex eo, quod Angelus poteſt occupare locum diviſibilem & extenſum totum ſimul, æquè ac ſol poſſit ſpatium diviſibile & extenſum totum ſimul illuminare, idque facile oſtenditur in noſtris principiis, in quibus extenſio Angeli ad locum diviſibilem fit per reproductionem ipſius Angelicæ ſubſtantiæ; ſicuti igitur ſol ſua luce, quia hæc diffunditur per productionem (quæ ſolùm importat ordinem cauſalitatis, nec requirit ſucceſſionem temporis, ſed tantummodo prioritatem naturæ) poteſt ſpatium diviſibile & extenſum totum ſimul illuminare; ità Angelus ſua ſubſtantia, cum hæc pariter extendatur per reproductionem (quæ ordine cauſalitatis & prioritate naturæ contenta eſt æquè, ac prima productio) poterit locum diviſibilem & extenſum totum ſimul occupare: Probatur jam conſequentia, quod ſcilicet Angelus 85.

Paritas ſolis aerem illuminantis & Angeli locum occupãtis.

poſſit

poſſit acquirere locum in inſtanti & totum ſimul, etiam deperdendo alium; nam nec deperditio loci ſecundùm ſe requirit ſucceſſionem, cum Adverſarij ipſi conſentiant poſſe Angelum in inſtanti locum deperdere alium non acquirendo, & paritas mox allata inter illuminationem, & acquiſitionem loci, extendi proportionaliter poteſt inter ſubtractionem luminis & deperditionem loci; nec tandem ſucceſſionem requirit deperditio unius loci, ut connotans acquiſitionem alterius, quia nulla poteſt aſſignari repugnantia in ſimultate utriuſque mutationis.

Dices: Si haberetur ſimul in eodem inſtanti deperditio unius loci & acquiſitio alterius, Angelus ſimul eſſet in loco quem deperdit, & in loco quem acquirit, ex hoc autem ſequerentur plura abſurda; Sequeretur primò, quòd Angelus exiſteret extrà ſphæràm ſui loci adæquati quoties aut tùm locus qui deperditur, tum locus qui acquiritur eſſet adæquatus, aut ſaltem uterque ſimul eſſet major adæquato; Sequeretur ſecundò, quòd Angelus moveretur ut ſupponitur; nō moveretur, quia in inſtanti non datur prius & poſteriùs, motus autem importat eſſentialiter prius & poſterius, importat enim illud quod movetur aliter ſe habere, quàm ſe habebat priùs; Sequeretur tertiò, quod idem inſtans eſſet inſtans motus & quietis, quia exiſtentia in loco qui deperditur, cum ſit exiſtentia in termino à quo, eſt quies; & exiſtentia in loco qui acquiritur, cum ſit exiſtentia in termino ad quem, eſt motus. Sed

86.
Solvuntur inſtātiæ Adverſariorū.

contrà: diſtinguo ſequelam Angelus ſimul eſſet, &c. occupando unum locum extrinſecè, alium intrinſecè concedo; occupando utrumque intrinſecè, nego, & recolendo ex philoſophiâ modos incipiendi & deſinendi intrinſecè per primum eſſe & ultimum eſſe, vel extrinſecè per ultimum non eſſe & primum non eſſe, dico Angelum, qui in inſtanti unum locum deperdit, alium acquirit; occupare locum quem deperdit per deſitionem extrinſecam, nimirum per primum non eſſe in ipſo, locum quem acquirit, per inceptionem intrinſecam nimirum per primum eſſe, ex quo non ſequitur ſimul eſſe in utroque, ſed ſimul primo non eſſe in uno, & primò eſſe in alio. Hinc facilè patet malè inferri ſequelam primi abſurdi. Ad ſecundum abſurdum dico in motu continuo & ſucceſſivo illud quod movetur aliter ſe habere, quam ſe habebat prius in ipſomet motu; at in motu inſtantaneo aliter ſe habere, quàm ſe habebat priùs in quiete, ſicq; dicere prius & poſterius in ſe ipſo eſſe eſſentiale motui continuo; non inſtantaneo. Ad tertium dico exiſtentiam intrinſecam, & per ultimum eſſe, in termino à quo; non verò exiſtentiam extrinſecam & per primū nōn eſſe in ipſo habere rationem quietis; ideò nego abſolutè

87.
Eædem inſtantiæ retorquētur.

ſequelam. Hæc deindè inſtantiæ poſſunt omnes retorqueri in formis ſubſtantialibus ſibi ſuccedentibus in eodem ſubjecto, vel in ſubſtantiâ corporis Chriſti ſuccedente ſubſtantiæ panis ſub accidentibus Euchariſticis; nam abſque eo quod aut illæ ſint ſimul in eodem ſubjecto, aut iſtæ ſub iiſdem accidentibus; in eodem inſtanti una forma expellitur, alia educitur è ſubjecto; ſubſtantia panis deſinit; ſubſtantia corporis Chriſti incipit eſſe ſub accidentibus.

Suppoſito quòd, ut hucuſque probatum eſt, poſſit Angelus habere mutationes locales inſtantaneas motum localem propriè dictum conſtituentes; ſupereſſet de hujuſmodi mutationibus inquirendum, utrùm poſſint eſſe ſibi immediatè ſuccedētes, an verò inter unam mutationem & aliam debeat neceſſariò mediare morula aliqua quietis; Breviter reſpondeo quæſtionis ſolutionē de-

88.
Vtrùm Angelus poſſit habere plures mutationes locales inſtantaneas inter ſe immediatas.

pendere ab eo, quod admittantur in tempore inſtantia ſibi immediata, in quo ſi loquamur de inſtantibus temporis Angelici, non eſt de parte affirmativâ ambigendum; ſi de inſtantibus temporis noſtri, relinquatur Philoſophis diſputandum, & nobis ſufficiat conditionatè aſtruere, quod ſi tempus noſtrum ex inſtantibus ſibi immediatis coaleſcit, poteſt Angelus per plura noſtri temporis inſtantia nullâ interjectâ morâ ita moveri, ut ſingulis inſtantibus unum locum etiam adæquatum totaliter deperdat, alium etiam adæquatum totaliter acquirat; ſi verò tempus noſtrum ità componitur, ut inter duo quæcumque inſtantia partes medient, non poterit Angelus habere plures mutationes inſtantaneas niſi inter ſingulas ducat moram correſpondentem partibus temporis inter ipſa inſtantia mediantibus. Porrò juxtà noſtrā opinionem philoſophicam nullum inſtans propriè dictum in tempore noſtro agnoſcentem, mutationes inſtantaneæ ea ratione, quâ ſunt dabiles per correſpondentiam ad aliquā determinatam partem temporis acceptam indiviſibiliter & totam ſimul, poſſunt eſſe immediatè ſuccedentes, ſicuti ſibi immediatè ſuccedunt in tempore ipſo partes determinatæ.

Ex dictis habetur à fortiori poſſe Angelum in inſtanti aut mutatione purè deperditivâ à loco maximo ad quemcumque locum minorem, etiam ad indiviſibilem ſe reducere; aut mutatione purè acquiſitivâ à loco quocumque minore, etiam ab indiviſibili ad locum maximum & ſibi adæquatum ſe extendere.

---

§. XII.

Vtrùm Angelus poſſit moveri in inſtanti ad locum etiam diſtantem vel tranſeundo, vel non tranſeundo per medium?

89.
Angelus nō poteſt in inſtāti moveri per medium ad locum adæquatum.

ASSERT. 1. Angelus non poteſt in unico inſtanti moveri ad locum diſtantem ſaltem adæquatum tranſeundo per medium. Ità ultrà eos, qui negant Angelis quemcumque motum localem propriè dictum in inſtanti, Vaſquez *diſp.* 197. *cap.* 2. Lugus *diſp.* 6. *cap.* 4. Arriaga *diſp.* 17. *ſect.* 4. *num.* 26. aliique cōmuniter contrà Gregorium *in* 2. *diſt.* 6. *quæſt.* 5.

quæſt.3. art.2. Majorem *in 2. diſt.2. q.12.* Marſilium *in 2. q.7. art.3.* Hibernicum &c.

Dixi *in unico inſtanti*, nam in pluribus inſtantibus eo modo, quo ex *præced. num.*88. poteſt Angelus plura loca adæquata unum poſt alterum acquirere, poteſt pariter ad locum quemcumque diſtantem, acquirendo & deperdendo unum poſt alterum loca intermedia, pervenire, quod eſſet in pluribus inſtantibus moveri ad locum diſtantem etiam adæquatum tranſeundo per medium.

Dixi *ſaltem adæquatum* quia utrùm poſſit Angelus unico inſtanti moveri ad locum diſtantem inadæquatum tranſeundo per mediũ pariter inadæquatum ex quo ſimul & termino non conſurgat locus adæquato major, multum habet quæſtionis de nomine, in quâ facilè poſſet partem affirmantem ſuſtinere quiſquis contenderet non eſſe de ratione trãſitus per medium, quod mobile priùs tempore in eo ſit quàm in termino, nec quod ipſum deſerat exiſtendo in termino, ſed præcisè quod in eo ſit prius naturâ, quàm in termino, & non ſit in ipſo ultimatè, ſed ſe extendendo ulteriùs quâ de re mox redibit ſermo *ſeq. num.*93.

90. Probatur aſſertum: Angelus qui in unico inſtanti moveretur ad locum diſtantem adæquatum tranſeundo per medium ſe extenderet ad locum majorem adæquato; atqui *ex præced.* §.5. Angelus non poteſt ſe extendere ad locum majorem adæquato, ergo Angelus non poteſt in unico inſtanti moveri &c. probatur ſequela majoris, Angelus qui in unico inſtãti moveretur ad locum, &c. ſimul ſe extenderet ad locum adæquatum & ad medium, niſi enim ſimul ad utrumque ſe extenderet jam non moveretur in inſtanti, de cujus conceptu eſt non admittere prius & poſterius; ſed locus adæquatus & medium ſimul accepta conſtituunt locum majorem adæquato, ergo.

Dices: quamvis Angelus non poſſit ſe extendere ad locum majorem adæquato permanenter & in quiete, benè tamen tranſeunter & in motu; cũ cõmune ſit cuicumq; mobili occupare in motu ſpatium majus ſe ipſo, ſeu ſpatium majus, quàm in quiete; atqui in præſenti ſermo eſt de Angelo in motu, ſeu de

91. Angelo ſe movente; ergo. Sed contrà: quod

Quomodo mobile in motu occupet majus ſpatium, quàm in quiete.

mobile occupet in motu ſpatium majus ſe ipſo, & majus quàm in quiete, verum eſt de occupatione ſucceſſivâ & de motu ſucceſſivo, quâ certè ratione corpus palmare v. g. quod permanenter & in quiete occupat unicum palmum ſpatij, ſucceſſivè ſe movendo occupat in tota ſui motus ſucceſſione plures palmos, & eo plures quò aut velociùs aut diutiùs movetur; hoc modo etiam Angelus ſucceſſivè ſe movendo poteſt locum majorem occupare, quàm in quiete, quia poteſt plura loca etiam adæquata, unum poſt aliud, percurrere: At diverſimodè ſentiendum eſt de motu inſtantaneo, in quo ſpatium quod occupatur occupatur totum ſimul; & in ordine ad ſpatium occupandum totum ſimul mobile non poteſt magis ſe extendere in motu, quàm in quiete.

Vrgebis: Angelus poteſt percurrere in inſtanti, ſeu motu inſtantaneo, totum illud ſpatium, quod poteſt percurrere motu ſucceſſivo; ergo ſi motu ſucceſſivo poteſt occupare ſpatium majus adæquato, id etiam poterit motu inſtantaneo; antecedens probatur, cauſa ſucceſſionis motus eſt reſiſtentia ſpatij pleni exiſtentis in medio, & ex Ariſtotele 4. *phyſ. text.*61. corpus, quod in vacuo moveretur, quia nullam haberet medij reſiſtentiã, quamcumque ſpatij vacui latitudinem in inſtanti percurreret; atqui Angelo ſpatiũ plenum non reſiſtit, & ſe movet in pleno eo modo, quo corpus in vacuo, ergo poteſt percurrere in inſtanti quamcumque medij latitudinem, ſeu totum illud ſpatium quod poteſt percurrere motu ſucceſſivo. Sed cõtrà: Inſtantia nimis probat, probat enim quod An- 92.
gelus poſſet in inſtanti moveri ad quamcũque diſtantiam, & ſimul ſaltem per inſtans ſe extendere ad totam totius univerſi diametrum; probat inſuper quod Angelus poſſet ſolùm ſe movere in inſtanti, nullatenùs ſucceſſivè; ſicuti Ariſtoteles inferebat corpus in vacuo ex neceſſitate fore movendum in inſtanti: nego igitur abſolutè antecedens, ad cujus probationem dico reſiſtentiam ſpatij pleni eſſe cauſam retardationis, non ſucceſſionis motus, ſeu eſſe cauſam ſucceſſionis tardioris, non ſucceſſionis cujuſcumque; hujus verò cauſam eſſe limitationem mobilis ad determinatam latitudinem loci; & reſiſtentiam medij non poſitivam, quæ nulla datur reſpectu Angeli, ſed negativam conſiſtentem in ipsâ diſtantiâ extremorum; & hæc reſiſtentia datur reſpectu Angeli ſivè in vacuo ſive in pleno, & reſpectu corporis etiam in vacuo, in quo propterea Ariſtoteles malè inferebat motũ corporũ fore in inſtanti, & ne concederet motũ in inſtanti malè negavit corpora moveri poſſe in vacuo.

Reſiſtentia medij alia poſitiva, alia negativa.

Eadem ratione, quâ aſſertum & probatum eſt non poſſe in unico inſtanti Angelum moveri ad locum diſtantem adæquatum tranſeundo per medium, infertur non poſſe in unico inſtanti moveri ad locum diſtantẽ inadæquatum tranſeundo per mediũ adæquatum. Vtrùm verò hoc utrumque repugnet etiam divinitùs, eſt quæſtio de nomine ſimilis ei, quam attigimus *præced. num.*89. & qui ibi affirmant poſſe naturaliter Angelum moveri in inſtanti ad locum inadæquatum tranſeundo per medium inadæquatum, hic conſequenter affirmant eumdem poſſe divinitùs moveri in inſtanti ad quemcumque locum diſtantem pertranſeundo quodcumque medium; qui verò illud primum negant, fatentur quidem poſſe Angelum divinitùs collocari in inſtanti in quocumque loco diſtanti & in quocumque ſpatio medio; at nolunt id fieri cum tranſitu per medium, de cujus conceptu exiſtimant eſſe, quod mobile priùs tempore in medio ſit, quàm in extremo & deſerat medium acquirendo extremum; pro quo videantur Suarez *hic lib.*4. *cap.*22.*n.*9. Vaſquez *diſp.*197. *cap.*2.*n.*5. Lugus *diſp.*6. *cap.* 4 *num.*10. Bribalus *q.*53. *art.*2. *quæſito unico diffic.*2.§.1. Nobis verò ſufficiat advertere

93. Vtrum trãſitus per medium ex genere ſuo repugnet motui in inſtanti.

tere modum loquendi eorum, qui ad tranſitum per medium non requirunt prioritatem temporis in ipſius occupatione, nec ejuſdem deindè deſertionem eſſe minùs proprium & minùs communiter receptum, quod in quæſtione de nomine ſufficit ut modus oppoſitus cenſeatur præferendus.

94. Aſſert. 2 Non poteſt Angelus in inſtanti moveri ad locum diſtantem non tranſeundo per medium. Ità Scotus *in 2.diſt.2.quæſt.* 2. Tartaretus *ibid.* Bonaventura *in 1. diſt.37. part.2. art.2. q.2.* Ægidius *ead. diſt. part.2. princ.2. quæſ.2.* Molina *hic q.53. art.2.* Valentia *diſp.4. quæſt.4. punct.1.* Suarez *lib.4. cap.19.* Amicus *diſp.6. ſect.4.* Arriaga *diſp.17. ſect.2. ſubſec.1.* Medernus *q.2.art.10.*&c. contrà Capreolum *in 2.diſt.6.q.1. art.1.* Ferrarienſem *3. cont. Gent. cap.102.* Cajetanum *hic q.53.art.2* Ioannem à S.Thoma *diſp.20. art.4.* Gonetum *diſp.5.art.3.* Vaſquium *diſp.196. cap.2.* &c. Inter utriuſque oppoſitæ claſſis Auctores ferè problematicè, & mediâ quadam via, procedunt Lugus *hic diſp.6.c.5.* Averſa *q.53. ſect.4.* Eſparza *quæſt.10. art.2.* &c.

95. *Medium aliud communicans, aliud non communicans.*

Solet hic communiter diſtingui duplex medium; alterum communicans ſeu participans, alterum non communicans ſeu non participans: Medium communicans dicitur, quod habet aliquid commune cum extremis, & componitur ex partibus utriuſque extremi, ſic ſi ſupponantur duo ſpatia tripalmaria cõtinua vel contigua, à primo puncto primi ſpatij paulatim procedendo versùs ultimum punctum ſecundi ſpatij aſſignari poſſunt infinita, vel finita in infinitum, ſpatia tripalmaria habentia aliquid de primo, aliquid de ſecundo ſpatio, & omnia hujuſmodi ſpatia dicuntur media communicativa: Medium non communicans eſt, quod nihil habet commune cum extremis, nec ex partibus extremorum coaleſcit, ſic in ſpatio tripalmari palmus, qui ſecundus & intermedius eſt, dicitur medium non communicans nec participans, ſed merè contingens: Hinc qui præcisè quærunt, utrùm motu inſtantaneo Angelus non tranſeat per medium, aut utrùm poſſit in inſtanti moveri ab extremo ad extremum non pertranſeundo medium? Prædictâ diſtinctione utentes diverſimodè loquuntur de medio communicante, ac de non communicante; & ſolùm de medio non communicante aſtruunt eſſe pertranſeundum ab Angelo, medium verò communicans concedunt non pertranſiri in motu inſtantaneo ab extremo ad extremum; idque conforme eſt doctrinæ poſitæ ſub *præced. n.93.* Vndè

Aſſertum procedit de medio non communicante.

etiam verè aſſertum procedit de medio non communicante, nobis tamen neceſſe non fuit hoc exprimere, quia medium correſpondens loco diſtanti eſt ſolùm medium non cõmunicans; exprimendo igitur locum diſtantem, & medium ut tali loco correſpondens, ſatis patet ſermonem eſſe de ſolo medio non communicante: Accedit quod hoc ſolum debet intelligi nomine medij abſolutè prolati, cum medium communicans in rigore ſit portio extremorum, non medium inter extrema: Tandem medium communicans, quamvis propriè non pertranſeatur, tamen non prorsùs omittitur, nec mobile ità ab eo præſcindit, ut non fiat ei præſens; hic verò Adverſarij, dum docent Angelum poſſe moveri ad locum diſtantem abſque eo quod tranſeat per medium, intelligunt quod omninò à medio præſcindat, & quod ſe conſtituat præſentem loco diſtanti nullatenùs ſe conſtituendo præſentem ſpatio intermedio, in quo ſenſu contrà ipſos.

96. Probatur aſſertum primò: Angelus movendo ſe ad locum diſtantem non poteſt præſcindere à medio, nec poteſt conſtituere ſe præſentem loco diſtanti, quin priùs conſtituat ſe præſentem medio; ergo non poteſt in inſtanti moveri ad locum diſtantem non tranſeundo per medium; antecedens probatur, vel ſermo eſt de motu proprio & mutatione purè acquiſitiva, quâ exiſtens in primo palmo ſuæ ſphæræ, nec talem palmum deſerens, acquirat præſentiam etiã in ultimo palmo ejuſdẽ ſphæræ præſcindẽdo à partibus medijs vel ſermo eſt de motu proprio & mutatione tum acquiſitivâ, tũ deperditivâ, quâ Angelus deſerens locũ ſivè adæquatum ſivè inadæquatum, in quo eſt, alium locum diſtantem acquirat præſcindendo a medio; ſed neutrum ex his ab Angelo fieri poteſt; non primum, quia talis acquiſitio novæ præſentiæ importat replicationẽ & in noſtris principijs reproductionem ſubſtantiæ Angelicæ, Angelus autem non poteſt per reproductionem ponere propriam ſubſtantiã in loco diſtanti, quia cum, ut aliundè ſuppono, nullum agens naturale poſſit producere effectũ aliquem in diſtans, multò minùs poterit Angelus producere in diſtans propriam ſubſtantiam; Non ſecundùm, quia ex ſupradictis Angelus conſtituitur in loco per complexum propriæ ſubſtantiæ cum ſpatio, imperceptibile autem eſt, quod diſſolvat complexum cum hoc ſpatio, quin faciat ſaltem tranſeunter complexum cum ſpatio immediatè propinquo; alioqui demus duos Angelos, quorum unus tranſeundo, alter non tranſeundo per medium, ſe transferat ad locum diſtantẽ; quæro, dum primus Angelus eſt in medio, vel alter eſt nullibi, vel jam eſt in loco diſtanti; illud dici non poteſt, quia ſuppoſitâ conſtitutione in loco per propriam ſubſtantiam, repugnat Angelum eſſe & nullibi eſſe; ſi iſtud dicatur, ergo movetur ad locum diſtantem eodem prorsùs modo, quoàd locum propinquum, quod eſt moveri & non moveri ad locum diſtantem; ut magis mox urgebitur in ſecunda probatione.

Dices hoc argumentum non procedere univerſaliter, & ſingillatim nullam habere vim in ſententia Thomiſtica, ſecundùm quã Angelum moveri à loco Romano v.g. ad locum diſtantem non pertranſeundo medium nihil eſt aliud, quàm ceſſando ab operatione in loco Romano incipere operari in loco diſtanti, nihil operando in medio, quo modo ſicuti poſſet Angelus ceſſando ab operatione in loco Romano, nec in medio, nec in loco diſtãti operari, ità à fortiori poterit ceſſando

ab

ab eadem operatione operari, aut ſolùm in
medio & loco propinquo, non in loco di-
ſtanti; aut ſolùm in loco diſtanti, non in me-
97. dio. Sed contrà: ſufficit nobis arguere effica-
citer in noſtris principiis, & ſaltem difficul-
tas percipiendi, quòd Angelus poſſit aut ab
omni loco ſe abſolvere & nullibi prorsùs eſ-
ſe; aut ſe abſolvere à medio, & a quocun-
que ad quemcumque locum tranſire in in-
ſtanti, inſinuat quam difficilia ſint ſenten-
tiæ illius principia, ex quibus talia inſerun-
tur. Neque urgeas: etiam in noſtris princi-
piis Angelus tranſeundo ad locum diſtantem
liberè tranſit per medium, ergo etiam in no-
ſtris principiis poteſt ſe abſolvere à medio, &
Quomodò Angelus tranſeat per medium liberè. medium non pertranſire; Contrà enim libe-
rè tranſit quoad modum, quatenùs poteſt
tranſire per medium motu veloci vel tardo,
continuo vel diſcreto; at non tranſit liberè
quoad ſubſtantiam, quatenus poſſit tranſire
vel non tranſire per ipſum.

98. Probatur aſſertum ſecundò: Motus ad lo-
cum diſtantem eſt ex genere ſuo eſſentialiter
diverſus à motu ad locum propinquum; at-
qui talis non eſſet, ſi fieret ſine medio, ſeu
ſine tranſitu per medium, ergo: Major non
videtur poſſe negari; aut ſaltem non vide-
tur intelligibile, quomodò unus motus adeò
perfectior, & adeò difficilior alio, non ſit
eſſentialiter diverſus ab alio: Minor proba-
batur, ſi motus ad locum diſtantem eſt eſ-
ſentialiter diverſus à motu ad locum propin-
quum, debet eſſe diverſus per id proportio-
naliter, per quod eſt diverſus locus diſtans
à loco propinquo, debet igitur eſſe diver-
ſus ratione medij, ſeu quatenùs non fiat ſine
medio; quia loca diſtantia à propinquis dif-
ferunt ratione medij, ſeu quatenùs illa non
ſunt ſine medio; hocq; probatur ex eo, quod
ſecluſo omni alio ex eo præcisè, quod inter
duo loca concipiatur ſivè poſitivum, ſivè
imaginarium ſpatium intermedium, talia lo-
ca intelliguntur eſſe abinvicem diſtantia; &
è cótrà nullo alio ſecluſo ex eo præcisè, quod
ſecludatur inter duo loca quodcunque ſivè
poſitivum, ſivè imaginarium ſpatium in-
termedium, talia loca intelliguntur eſſe pro-
pinqua; & confirmatur ipsâ ſenſuum expe-
rientiâ, oculis quippè ipſis nulla res apparet
ab alia diſtans, niſi appareat aliquod inter-
vallum medians; nec magis diſtans, niſi ma-
jus appareat intervallum medium; & quia
objectum, quò remotius eſt à potentia viſi-
va, eò minus apparet propter acutiorem an-
gulum viſualem, quem in oculo format, res
a potentia viſiva valdè remotæ, quamvis ma-
gnum inter ipſas intervallum mediet, appa-
rent, parùm diſtantes, quia illud magnum
intervallum à longè viſum apparet parvum,
hàc de cauſa montes à longè viſi apparent
99. Cœlo proximi: Confirmari hoc idem poteſt
Cur mótes à longè viſi appareant Cœlo propinqui? ex diſtantia temporaria, quam non niſi per
intermedias mutationes dignoſcimus; nec
memoria nos certificat de majori, aut mino-
ri diſtantia temporis præteriti, niſi per plu-
res aut pauciores mutationes, operationeſ-
vè intermedias; propterea qui dormierunt
neſciunt, quantùm temporis præterierit in-
ter finem præcedentis & initium ſequentis
vigiliæ, quia nequeunt numerare opera-
tiones & mutationes, quæ intermediarunt
inter illius finem & iſtius initium; propterea
etiam tépus doloris videtur diuturnum pro-
pter multas mutationes, quæ in ipſo ſen- *Cur tempus doloris diuturnum, tempus voluptatis breve videatur?*
tiuntur, excitat quippè gravis dolor no-
vas ſemper & novas vehementes reflexio-
nes; econtrà videtur breve tempus volu-
ptatis propter mutationes pauciores, vo-
luptas quippè ſopit quodammodo, & abſor-
bet mentem, mens verò ſopita & abſorpta
parùm reflectit, parum numerat mutatio-
nes.

Dices: toto hoc ratiocinio nihil aliud con-
cluditur, quàm medium eſſe differentiam eſ-
ſentialem & præcipuum ſpecificativum loci
diſtantis; atqui Angelus poteſt acquirere lo-
cum diviſibilem præſcindendo ab aliqua dif-
ferétia eſſentiali ipſius, præſcindendo ſcilicet
à ſucceſſione & ab acquiſitione unius partis
poſt alteram, cum tamen locus diviſibilis eſ-
ſentialiter importet partes ſibi ſuccedentes
unam poſt aliam; ergo ſimiliter poteſt acqui-
rere locum diſtantem præſcindendo à medio
etiam dato, quod medium ſit eſſentialis loci
diſtantis differentia: Deindè ſi allata doctri-
na aliquid probaret pro intento aſſerti, pro-
baret etiam contrà ſuprà dicta § 8. Angelum
non poſſe eſſe in duobus locis diſtantibus
abſque eo, quod ſit in medio, cur enim eſſen-
tialis connexio locorum diſtantiû cum medio
impedit tranſitû Angeli ab uno loco ad aliû
abſque tranſitu per medium, non verò impe-
dit exiſtentiam Angeli in uno loco & in alio
abſque exiſtentia in medio? Sed contrà ac- 100.
quiſitio ſucceſſiva unius partis poſt alteram
eſt differentia accidentalis, nó eſſentialis loci
diviſibilis; nec ei cóvenit ex eo præcisè, quod
habeat diviſibilitatem & partes; ſed ex eo,
quod correſpondeat mobili ejuſdé conditio-
nis & ſibi per partem poſt partem commen-
ſurabili, cujuſmodi eſt ſolùm mobile corpo-
reum, non tamen adhuc qualecumque, ſed ſe
movens per ſpatium inadæquatum motu ho-
rizontali, non lapis quadripalmaris v.g. mo-
vens ſe motu perpendiculari, & æquabiliter
ſecundùm omnes ſuas partes per medium ad-
æquatum deſcendens, ſuperficiem quadripal-
marem abſque ſucceſſivâ acquiſitione totam
ſimul & in inſtanti occupat. Ad illud, quod 101.
in inſtantia additur adverto optimè poſſe ali-
quid attingi abſque ſua differentia eſſentiali
ab eo, extrà cujus rationem formalem eſt ta-
lis differentia eſſentialis, ſic ſi dulcedo eſſet
differentia eſſentialis lactis, adhuc oculus
videndo lac non videret dulcedinem; Porrò *Cur mediû inter loca diſtâtia debeat neceſſ[…] in motu, nó in quiete.*
medium eſt extrà rationem formalem perma-
nentiæ & quietis in loco, quia hæc exerce-
tur in loco tanquam in termino, nunquam
tanquam in medio, eſt verò intrà rationem
formalem motus, quia verè quod ſe movet
poteſt eſſe in medio ſub ratione medij; ideò
quod medium ſit differentia eſſentialis loci
diſtantis infert Angelum ſe moventem &
tranſeuntem ab uno ad alium locum diſtan-
tem debere ſe movere & tranſire per me-
dium, at non eumdem permanentem ac
quieſcentem

quieſcentem in uno & alio loco diſtanti debere ſimul permanere & quieſcere etiam in medio.

Vrgebis: ex his probaretur neque divinitùs dari poſſe motũ localem ad locum diſtantem abſque tranſitu per medium, nam talis tranſitus eſſet differentia eſſentialis motus ad locum diſtantem; ſicuti medium ipſum eſt differentia eſſentialis loci diſtantis; commune autem eſt cuilibet rei quòd neq e divinitùs dari poſſit abſque ſuâ differentiâ eſſentiali: Admittere deindè, quòd neque divinitùs dari poſſit ille motus, eſt in ordine ad locum diſtantem nihil magis concedere Angelo conſiderato obedientialiter & ut ſubeſt viribus præpotentiæ Dei; quàm conſiderato naturaliter, & ut utitur viribus propriis: Præter quod non apparet, undè implicet Deum producere in Angelo exiſtente Romæ formam illam modalem, cujus effectus formalis eſt conſtituere Angelum exiſtentem Taurini, non producendo ubicationem, ſeù formam, per quam ſit in reliquâ Italiæ parte; atqui ex hoc præcisè Angelus moveretur ad locum diſtantem abſque tranſitu per mediũ; ergo.

102\. Sed contrà: libenter admitto illationem loquendo de motu locali propriè dicto, & prout importat rem eſſe in novo loco abſque reproductione; Nec propterea in ordine ad locum diſtantem nihil magis concedimus Angelo conſiderato obedientialiter. &c. Primò enim conſideratus obedientialiter poteſt moveri ad locũ diſtantẽ velociore tranſitu per mediũ, quàm poſſit naturaliter: Secundò poteſt moveri ad locum quemcumque diſtantem, tanquàm ad locum propinquum, ideſt unico inſtanti ſe ſimul extendendo ad locum ipſum diſtantem & totum ſpatium intermedium; cum naturaliter poſſit ſic moveri ſolum ad locum diſtantem, ex quo & ſpatio intermedio non habeatur locus maior adæquato: Tertiò ſivè retinendo, ſivè deſerendo locum, in quo eſt, poteſt per reproductionem divinitùs factam poni in quocumque loco diſtanti; cum naturaliter poſſit ſe ipſum Angelus reproducere ſolùm in loco proqinquo, intrà ſphæram ſui loci maximi, & retinendo locum priorem. Ecce quomodò, negatâ etiam divinitus poſſibilitate motus inſtantanei ad locum diſtãtem impertranſito medio, adhùc in ordine ad acquirendum locum diſtantem multò plura tribuimus Angelo ex viribus præpotentiæ Dei, quàm ex viribus propriis.

Motus localis proprius ad locum diſtantem etiam divinitùs requirit tranſitũ per medium.

103\. Illud quod in inſtantiâ additur de non repugnantiâ formæ modalis, cujus effectus formalis & vix habere videtur quidquam roboris poſt ſuprà improbatum ubi modale; nihilominùs quia tale ubi improbavimus, ut non neceſſarium potiùs, quàm ut non poſſibile, non poſſumus omninò omittere objectam difficultatem, pro quâ ex unâ parte ſuppono *ex tract. de Euchariſt.* non poſſe rem aliquam replicari, quin reproducatur; ex aliâ parte adverto non eſſe faciliùs perceptibile quòd res aliqua quoties excluditur tranſitus per mediũ fiat exiſtens in loco diſtante deſerendo locum priorem, quàm retinendo ipſum; & ſicuti quando retinetur locus prior eſt, neceſſaria reproductio, ut ponatur in loco diſtanti, ità hæc erit eodem modo neceſſaria, ſi relinquatur quidem locus prior, at non habeatur tranſitus ullus per medium; quia dùm nullus habetur tranſitus per medium, res in ordinè ad locum diſtantem eodem modo ſe habet; ac ſi aut remaneret in loco priore, aut in nullo prorsùs loco eſſet: Hinc datis formis modalibus dico adhùc in Angelo exiſtente Romæ non poſſe divinitùs produci ubi Taurinenſe, niſi priùs naturâ aut Angelus reproducatur aut ei tribuatur ubi conſtitutivum ipſius in reliquâ Italiæ parte intermediâ, quod magis conſtabit dum ex profeſſò impugnabitur opinio docentiũ corpus Chriſti non poni in Euchariſtiâ per reproductionem ſui, ſed per ſolam productionem ubicationis modalis, per quã ſit præſens ſub ſpeciebus abſque trãſitu per medium, quamvis non moveatur localiter ex eo; quod non deſerat locum priorem, & terminum à quo.

Idque ſuſtinetur etiã admiſſo ubi modali.

Ex dictis habetur perfectionem virtutis motivæ nihil conferre ad acquiſitionem præſentiæ in loco diſtanti abſque tranſitu per medium, quia acquiſitio talis præſentiæ nequit haberi per motum, neque inſtantaneũ, ut hucuſque probatum eſt; neque ſucceſſivum, ut infertur à fortiori ex inſtantaneo; perfectio autem virtutis motivæ nõ confert ad acquirendam præſentiam, niſi per motum: ideò malè nonnulli arbitrantur ſpectare ad perfectionem virtutis motivæ Angelicæ, quod poſſit Angelus acquirere præſentiam in loco diſtanti abſque tranſitu per medium. 104.

Habetur inſuper motum diſcretum ex parte ſpatij, cujus ſuprà meminimus *num.* 79. eſſe motum impoſſibilem & repugnantem, & ſumendo motum diſcretum pro motu interrupto non eſſe dabilem in Angelo motum diſcretum, niſi ex parte temporis.

In totâ hâc controverſiâ de motu ad locũ diſtantem abſque tranſitu per medium conſultò omiſi quamcumque D. Thomæ auctoritatem, quia exiſtimo non ſatis in hoc puncto conſtare de legitimâ S. Doctoris mente; licèt enim *hic quæſt.* 53. *art.* 2. *in c.* expreſsè habeat, *Sic igitur ſecundùm quod motus Angeli nõ eſt continuus non pertranſit omnia media. Hoc autem, ſcilicet moveri, de extremo ad extremum, & non per medium, poteſt convenire Angelo, ſed non corpori.* tamen cum ratio; ex qua id deducit, non procedat niſi de mediis eam communicantibus, forſan de his ſolis loqui intendit, & auget hanc ſuſpicionem dum *eod. art. ad* 2. poſtquàm ſibi objecerat paritatem inferentem tranſitum à loco ad locum diſtantem abſque tranſitu per medium non communicans, id eſt à Gallia in Syriam abſque tranſitu per Italiam; reſpondet negando paritatem, quæ erat cogitationis mentalis ad motum localem, & ait *quòd dum Angelus movetur localiter, applicatur ejus eſſentia diverſis locis, anima autem eſſentia non applicatur rebus quas cogitat, ſed potiùs res cogitatæ ſunt, in ipsâ, & ideò non eſt* 105.

Examinatur mens Divi Thomæ.

Z *ſimile.*

ſimile. Scio ſecundùm Thomiſtas S. Doctorem in hac reſponſione eſſe locutum de motu continuo, nihilominùs verba, ut ſonant, æquè procedunt de motu diſcreto, quia etiam per motum diſcretum applicatur eſſentia loco: Scio eoſdem ſibi blandiri de aliis clarioribus ſui Doctoris verbis deſumptis *ex quodlib.* 1. *art.* 5. *& ex* 1. *diſt.* 37. *quæſt.* 4. *art.* 2. ſed omnia, quatenùs negant aliquando tranſitum per medium, intelligi poſſunt de medio communicante, quatenùs faciunt Angelum aut abſolutum à loco, aut non neceſſitatum ad ſequendas in ſuo motu leges loci, intelligenda ſunt de loco quoad commenſurationem adeò ut ſenſus ſit Angelum eſſe immunem à commenſuratione ad locum & à legibus commenſurationem conſequentibus, cujuſmodi eſt acquiſitio ſucceſſiva per partes poſt partes.

---

§. XIII.

Quid ſit formaliter in Angelis tùm motus localis, tùm potentia loco-motiva?

106. ASSERT. 1. Motus localis in Angelis nihil aliud eſt formaliter, quàm ſucceſſivum ſeu fluxum complexum ſubſtantiæ Angelicæ cum diverſis locis. Eſt definitio conſequens ad conſtitutionem in loco ſuprà aſſertam §. 4. undè hic æquè ac ibi habemus Adverſarios, tùm Thomiſtas, tùm Modaliſtas.

Definitio motus localis Angelici explicatur.

Probatur & explicatur aſſertum, quod, ut complectatur motum etiam inſtantaneum, debet intelligi de ſucceſſione & fluxu per partes priores & poſteriores, aut tempore, aut etiam ſolum naturâ, probatur, inquam, & explicatur; motus localis ex genere ſuo nihil eſt aliud, quàm ſucceſſiva & fluxa præſentia localis, idemque de ipſo ſentiendum eſt proportionaliter, quod de præſentia locali cum igitur hæc in Angelis nihil ſit aliud ex dictis, quàm complexum ſubſtantiæ Angelicæ cum loco, ille etiam nihil aliud erit, quàm ſucceſſivum & fluxum complexũ &c. adeò ut complexum permanens & fixum in eodem loco ſit quies ſeu præſentia Angeli in uno loco quieſcentis; complexum ſucceſſivum & fluxũ in diverſis locis ſit motus ſeu præſentia Angeli ab uno ad alium locum ſe moventis. In quo loquuntur conformiter ad ſua principia Adverſarij dum Thomiſtæ in præſenti motum explicant per ſucceſſivum contactum quantitatis virtutis ſeu Angelicæ operationis ad diverſa loca; Modaliſtæ per ſucceſſivam receptionem diverſorum modorum diverſa loca reſpicientium, ex quibus omnibus coaleſcat quodammodo unum ubi ſucceſſivum & fluxum. Vaſquez per ſucceſſivam productionem diverſorum modorum unionis ad diverſa corpora, &c.

107. Hinc facile eſt ſtatuere, utrum Angelus dum movetur localiter mutetur intrinſecè ſeu acquirat aliquid extrinſecum, nec ne? quæ difficultas implicatiſſima eſt eo quod in ipſa ſit maxima ſentiendi diverſitas juxtà diverſitatem explicandi præſentiam localem, & motum: Ex Thomiſtis; qui Angelum in loco collocant per operationem purè tranſeuntem, volunt Angelum in ſuo motu locali mutare intrinſecè corpora at non mutari intrinſecè in ſe; qui eumdem in loco ſtatuunt per applicationem virtutis actu immanente factam, non negant in Angelo ſe movente omnem mutationem intrinſecam: Modaliſtæ facilè concedunt in quolibet motu locali mutationem intrinſecam ex receptione ubicationum intrinſecarum ſibi ſuccedentium: Vaſquez pariter facilè agnoſcit mutationem intrinſecam, quoties Angelus per ſe movetur & per ſe locum mutat uniendo ſe realiter corpori diverſo; ſecus quando movetur per accidens ad motum corporis, & retinendo unionem ad idem corpus. Nos igitur noſtra recolentes principia ſicuti docuimus præſentiam localem importare formam complexam, quâ Angelus mutetur intrinſecè ſecundùm eſſe complexum, quamvis non ſecundùm eſſe ſimplex, quatenùs ut faciens complexum cum loco Romano in ratione entis complexi, quamvis non in ratione entis ſimplicis intrinſece differt à ſe ipſo ut faciente complexum cum alio loco, ità in præſenti dicimus Angelum dum localiter movetur mutari intrinſecè ſecundum eſſe complexum, non ſecundùm eſſe ſimplex; & aliquid intrinſecum complexum, non ſimplex ſucceſſivè acquirere.

Quomodo Angelus mutetur ex vi motus localis.

108. Aſſert. 2. Potentia loco-motiva in Angelis nihil aliud eſt formaliter, quã virtus cauſativa motus localis diſtincta, tùm ab intellectu & voluntate, tùm à ſubſtantia Angelica eo modo, quo tùm ab invicem, tùm à ſubſtantia Angelica, diſtinguuntur intellectus & voluntas. Hoc aſſertum eſt maximè contrà quamplures Thomiſtas, qui diſtinguentes realiter cæteras potentias vitales ab invicem, potentiam loco-motivam in Angelis ne ratióne quidem diſtinguũt ab intellectu & voluntate, eamdemque potentiæ loco-motivæ indiſtinctionem ſuſtinent Vaſquez *hic diſp.* 218. *cap.* 3. Granadus *tract.* 9. *diſp.* 1. &c. contra quos aſſertum noſtrum tradunt Richardus *in* 2. *diſt.* 14. *art.* 1. *q.* 6. Aureolus *in* 2. *diſt.* 8. *art.* 3. Suarez *lib.* 4. *cap.* 24. Lugus *diſp.* 3. *cap.* 2. Amicus *diſp.* 7. *n.* 17. Arriaga *diſp.* 17. *ſect.* 7. Averſa *q.* 53 *ſect.* 1. Herinex *quæſt.* 4. *num.* 4. &c. Ex his Auctoribus multi ſtant pro diſtinctione etiam reali potentiæ loco-motivæ tùm ab intellectu & voluntate, tùm à ſubſtantia Angeli; nos ſicuti eaſdem potentias à ſubſtantia animæ, & ab invicem in philoſophia diſtinguebamus formaliter ſolũ & ratione, ità formaliter ſolùm & ratione deberemus in præſenti diſtinguere potentiam loco-motivam; nihilominùs ut abſtraherem à quæſtione philoſophica, dixi indefinitè diſtingui *eo modo quo, &c.*

Definitio & diſtinctio potentiæ loco-motivæ in Angelis.

Probatur aſſertum quoad diſtinctionem potentiæ loco-motivæ ab intellectu & voluntate, de quâ quidem ſolâ diſtinctione eſt controverſia & difficultas: Omnes rationes,

nes, quæ ſuadent dari in Angelis aliquam diſtinctionem intellectus à voluntate ſuadent à fortiori dari diſtinctionem potentiæ loco-motivæ à volũtate & intellectu; ergo in Angelis potentia loco-motiva ſeu virtus cauſativa motus diſtinguitur à voluntate & intellectu eo modo, quo iſtæ duæ potentiæ diſtinguuntur ab invicem; antecedens probatur, diſtinctio intellectus à voluntate ſuadetur maximè ex diverſitate actuum & modi operandi, atqui hæc diverſitas major eſt in potentia loco-motiva, magis enim differt impulſus & præſentia localis ab intellectione & volitione, quàm intellectio & volitio ab invicem, modus item operandi potentiæ locomotivæ, ut potè qui intentionalis non eſt, & poteſt exerceri non vitaliter in ſubjecto extrinſeco magis differt à modo operandi intellectus & à modo operandi voluntatis, qui uterque intentionalis & eſſentialiter vitalis eſt, quàm differat alter ex his modis ab altero; ergo: Accedit quod reperimus alicubi potentiam loco motivam ſeu virtutem cauſativam motus abſque intellectu & voluntate, ut patet in gravibus & levibus, nullibi autem reperimus voluntatem ſine intellectu, aut intellectum ſine voluntate Confirmatur: Potentia loco-motiva in Angelo ſe habet, ut omnipotentia ſeu potentia executiva in Deo; Angelus enim quidquid extrà ſe operatur, operatur per potentiam loco motivam, ſicuti quidquid operatur Deus ad extrà operatur per omnipotentiam; atqui hæc in Deo *ex tract.* 5, *lib.* 3. *cap.* 5. §. 1. diſtinguitur ab intellectu & voluntate eo modo, quo intellectus & voluntas ab invicem; ergo: ubi adverto obiter loqui in hoc puncto conſequenter Thomiſtas omnem prorsùs diſtinctionem ab intellectu & voluntate proportionaliter negantes in omnipotentia divina, æquè ac in potentia loco-motiva Angelica.

110. Occurritur fundaméto Adverſariorum. Fundamentum Adverſariorum innititur maximè univerſali principio non multiplicandi nec diſtinguendi ſine neceſſitate entitates; & uniendi in ſuperioribus, quæ ſunt in inferioribus diſperſa: At hæc non urgent in præſenti, ubi hypotheticè loquimur & ex ſuppoſitione diſtinctionis intellectus à voluntate, aſſerimus eamdem diſtinctionem potentiæ loco-motivæ ab utriſque, nec ſolliciti ſumus utrùm ſit ſufficiens neceſſitas diſtinguendi; ſed utrùm ſit tanta pro potentia locomotiva, quanta pro aliis duabus, quam quidem tantam eſſe, imò majorem jam probatum eſt: Eademque ratione, ſicuti titulo uniendi in ſuperioribus, &c. intellectus & voluntas non magis in unam potentiam coaleſcunt reſpectu Angelorum, quàm reſpectu hominum, ità non mirum, quod eodem titulo neceſſe non ſit reſpectu Angelorum potiùs, quàm reſpectu hominum in unam cum intellectu & voluntate potentiam coaleſcere virtutem, loco-motivam.

Dices Angelos eſſe purè intellectuales, puræ autem intellectualitati non obſtat voluntas ab intellectu diſtincta, quia etiam voluntas ad gradum ac vitam intellectualem pertinet; obſtaret verò diſtincta potentia loco-motiva, quia operando per talem potentiam non operarentur intellectualiter, adeoq; non haberent ampliùs puram intellectualitatem. Sed contrà: Angeli ſunt purè intellectuales, 111. Quid ſit Angelos eſſe purè intellectuales.
quatenùs in genere cognoſcitivo non habẽt ullam aliam potentiam præter intellectum & voluntatem ad differentiam hominis habentis in tali genere plures alias potentias; non quatenùs quamlibet aliam potentiam in quolibet genere excludant, præſertim ſi hæc alia potentia ponatur ſubordinata & ſubjecta directioni, ac imperio intellectus & voluntatis, quemadmodum à nobis in Angelis ponitur potentia loco-motiva.

---

§. XIV.

Quanta ſit in Angelis potentia loco-motiva? Vbi de velocitate motus Angelici, aliiſque nonnullis.

ASSERT. Non eſt determinatè aſſignabile quanta ſit potentia loco-motiva in quolibet Angelo, in univerſum tamen ſentiendum eſt eſſe in ſingulis finitam ac determinatam, & inæqualibus inæqualem. Ità communiter Theologi, & ſingillatim Valquez *diſp.* 197. *cap.* 3. Amicus *diſp.* 7. Lugus *diſp.* 3. *c.* 3. *n.* 13. Arriaga *diſ.* 17. *ſect.* 5. Averſa *q.* 53. *ſect.* 5. &c.

Probatur & explicatur: Potentia locomotiva ut potè quæ convenit Angelis in ordine 112. Angeli habent potẽtiam locomotivam determinatam.
ad locum debet proportionari loco & locabilitati Angelorum, cum igitur ſuprà §. 5. dictum ſit non eſſe determinatè aſſignabile, quantus ſit locus maximus & quanta locabilitas ſumma cujuſlibet Angeli, quamvis nec ſit in aliquo major & major in infinitum nec in omnibus æqualis, idem hic proportionaliter dicendum de potentia loco-motiva; & certè ſi Angelus poſſet ſub eadem menſura temporis majorem & majorem locum in infinitũ occupare ſe movendo, quod eſſet nullam quodammodo habere limitationem ac determinationem potentiæ motivæ, ægrè ſuſtineretur non poſſe majorem & majorem locum in infinitum occupare quieſcendo quod eſſet nullam habere limitationem ac determinationem locabilitatis ſeu loci maximi; ut magis patebit ex dubij quod mox ſubjicio ſolutione.

Dubitatur igitur, utrùm potentia locomotiva in Angelis non ſolùm ſit quomodocumque finita & limitata entitativè, ſed etiam talis ſit terminativè, adeò ut habeat certum terminũ velocitatis, nec poſſit Angelus movere, aut ſe, aut alia à ſe, velocius & velociùs in infinitum, loquendo præſertim de aliis à ſe, quæ motui non reſiſtant. Negant Capreolus *in* 2. *diſt.* 6. *q.* 1. Alenſis 2. *part. q.* 33. *memb.* 1. Suarez *lib.* 4. *cap.* 14 Lugus *diſp.* 6. *cap.* 1. *num.* 8. aliique nonnulli volentes majorem & majorem in Infinitum velocitationem motus ſui ipſius arguere in Angelis virtutem motivam diverſæ rationis, at nõ

infinitam, & tùm finitatem tùm inæqualitatem virtutis motivæ Angelicæ ſalvari ſufficienter in acquiſitione finiti ac inæqualis loci maximi, item in finita ac inæquali velo-
113. citatione motus corporum: Nihilominùs cum Vaſquio, Amico, Arriaga, & Averſa *locis præcitatis* oppoſitum ſentio, & dico Angelos ſucceſſivè ſe moventes habere certum terminum velocitatis, & etiam intrà ſphæras ſui loci adæquati Angelos inæqualis perfectionis non poſſe æquale ſpatium eadem tẽporis brevitate, eademque velocitate motu ſucceſſivo percurrere; ratio eſt quia in motu ſucceſſivo major velocitas ex genere ſuo arguit majorem virtutem motivam; ſed virtus, quâ Angeli ſe movent, habet ſecundùm ipſos Adverſarios certum terminũ perfectionis, nec major & major eſt in infinitũ; ergo ſimiliter motus ſucceſſivus Angelorũ, ubicũque exerceatur, habet certum terminũ velocitatis, nec poteſt eſſe velocior & velocior in infinitum; major probatur, major velocitas in motu ſucceſſivo eſt major perfectio motus, tùm quia ſe habet ut major intenſio in qualitatibus, tũ quia motus ſucceſſivi non aliundè, quàm ex inæqualitate velocitatis poſſunt ſortiri inæqualitatem perfectionis; atqui major perfectio motus arguit majorem virtutem motivam ex regula generali, quâ perfectior actus ſecundus arguit perfectiorem actum primum, ergo. Confirmatur ex eo, quod nullus Angelus poſſet motu ſucceſſivo moveri velociùs à Deo quàm à ſe ipſo, ſi quilibet poſſet ex ſe ipſo moveri motu ſucceſſivo velociore & velociore in infinitum.

Adeo ut nequidem ſe ipſos poſſint movere qua cumque velocitate.

Dices: nullum eſt inconveniens, quòd Angeli nullum habeant terminum in tarditate motus adeò ut etiam nequeant moveri tardiùs à Deo, quàm à ſe ipſis; ergo ſimiliter nullum eſt inconveniens, quod non habeant terminum in velocitate adeò ut nequeant moveri velociùs à Deo, quàm à ſe ipſis: Rurſùs Angeli motu inſtantaneo nequeunt moveri velociùs à Deo, quàm à ſe ipſis, neque in hoc ullum eſt inconveniens; ergo nec erit inconveniens, quod nequeant velociùs à Deo, quàm à ſe ipſis, moveri
114. motu ſucceſſivo Sed contrà: major tarditas motus arguit tantum libertatem virtutis motivæ, non majorem perfectionem ipſius, ſicuti arguit major velocitas, ideò diſpar eſt ratio, pro qua videri poſſunt & huc proportionaliter transferri ſupradicta *à n. 44. ad* 48. Ad illud, quod additur, de motu inſtantaneo, nego in primis antecedens tanquam de ſubjecto non ſupponente; quia ſicuti inſtans non admittit tempus, ità motus inſtantaneus nec admittit velocitatem, quâ brevi; nec tarditatem, quâ longo tempore ſpatium percurritur: data deindè utcumque velocitate in motu inſtantaneo nego adhuc antecedens, quia licèt Angeli neque divinitùs poſſint breviùs, quàm in inſtanti ſpatium percurrere, poſſunt tamen in inſtanti percurrere ſeu occupare divinitùs ſpatium majus adæquato, adeoque poſſunt in inſtanti occupare majus ſpatium virtute divina, quàm virtute propria; quod ſufficit ad motum inſtantaneum ſuo modo velociorem.

Quamvis poſſint quacumque tarditate.

Urgebis: quidquid ſit, utrùm motui inſtantaneo poſſit necne convenire velocitas certè minùs eſt acquirere ſpatium aliquod quocumque brevi tempore, quàm illud acquirere in inſtanti, cum quodcumque breve tempus plura includat inſtantia; atqui Angelus per nos poteſt in inſtanti acquirere ſpatium contiguum ſibi adæquatum, ergo à fortiori poteſt idem ſpatium acquirere quocumque brevi tempore, & per conſequens intrà aream ſaltem ſui loci adæquati moveri motu quocumque velociore. Sed contrà: non va- 115.
let arguere à majori ad minus in diverſo genere, arguitur autem in diverſo genere motus, dum arguitur à motu inſtantaneo ad ſucceſſivum; nec eſt de utroque par ratio, nam ad motum inſtantaneum præcisè requiritur virtus, non major, ſed (præſertim ratione mobilis quod debet eſſe indiviſibile) diverſa à virtute requiſita ad motum ſucceſſivum; ad hunc verò ut breviori quocumque tempore fiat requiritur virtus, non diverſa, ſed major & infinita; quia motus ſucceſſivus ex genere ſuo ſumit ſuam perfectionem à brevitate temporis, inſtantaneus à magnitudine ſpatij, undè ſic poſſet formari pro nobis argumentum, virtus motiva finita non poteſt eodem inſtanti acquirere quodcumque ſpatium majus totum ſimul, ergo neque eodem tempore quodcumque ſpatium majus ſucceſſivè, quod eſt æquivalenter dicere, ergo neque idem ſpatium ſucceſſivè quocumque minore tempore.

Obiter occurrit efficax probatio noſtræ doctrinæ.

Dices inſuper contrà ſuperiorem primam probationem: Virtus motiva finita poteſt cauſare motum velociorem & velociorem in infinitum, idque probatur in gravibus ſua virtute finita velociùs ad centrum ſe moventibus, quo magis ad centrum accedunt; hæc enim ſi ſupponantur infinitè à centro diſtare, ad centrum ſe movendo, velociuſque ſemper ac velociùs accedendo, ſicuti in infinitum accedent ità in infinitum motum velocitabunt. Sed contrà: dum ſupponitur grave 116.
infinitè diſtans à centro, ſupponitur infinitum clauſum terminis, & ex una parte à centro, ex alia parte ab ubicatione rei gravis terminatum; deindè deberet ſimul ſupponi in tali re gravi, aut virtus motiva infinita, aut carentia innatæ tendentiæ ad centrum infinitè diſtans: Nihilominus quidquid ſit de his omnibus do liberaliter ſuppoſitionem ut jacet, ad illationem dico potentiam finitam, cui ſucceſſivè major ac major virtus accreſcat, poſſe cauſare motum velociorem in infinitum, non ſic eam cui non accreſcat nova virtus; hoc ſecundo modo ſe habet potentia loco-motiva Angelorum, primo modo verò virtus motiva gravium in data hypotheſi; omnes enim Philoſophi pro causâ majoris velocitatis motus gravium in fine aſſignant aliquid, quod ſucceſſivè augetur; ſivè id ſit fortior & fortior attractio centri, ſivè major & major copia aeris à tergo propellentis, ſivè gravitas accidentalis & impetus ex motu ipſo ſucceſſivè augeſcens.

Ex

117. Ex bis habetur à fortiori non poſſe Angelum velociùs ac velociùs movere alia à ſe, præſertim ſi motui reſiſtant, unde non ſolùm poteſt Angelus ſuperior reſiſtendo inferiori eludere quodammodò ipſius impetum, & immotus permanere; verùm etiam corpus aliquod eſſe poteſt tantæ molis, tantique ponderis, ut nequeat ab Angelo dimoveri, & aliò aut transferri aut projici: Cum quo tamen ſtat vires Angelicas humanis comparatas eſſe in ordine ad magna pondera valde robuſtiores æquè ac valde expeditiores ad magnam motus velocitatem, nec quidquã ampliùs inſinuare intendunt ſancti Patres tribuentes Angelis agilitatem mirabilem, quâ poſſint ubicumque voluerint impigrè adeſſe, & remotiſſima loca repétè pertingere, licèt hujuſmodi auctoritates immeritò aſſumant Adverſarij ad probandum Angelos nec habere ullum terminum velocitatis in motu ſucceſſivo, nec dependere à medio in motu inſtantaneo; ſed poſſe aut cum ſucceſſione velociùs & velociùs pertranſire quodcumque medium, aut in inſtanti pervenire ad locum quemcumque distantem impertranſito medio. Porrò velocitas motus Angelorum ſuprà naturalem velocitatem motus hominis, aut alterius cujuſlibet corporis, elucet maximè in motu diſcreto & inſtantaneo, quo Angelus (datis in tempore inſtantibus ſibi immediatè ſuccedentibus) in ſingulis inſtantibus ſingula loca ſibi adæquata percurrat: hiſce inſtantibus non admiſſis determinata pars temporis, quæ per modum inſtantis ad acquirendum locum totum ſimul Angelo ad libitum deſerviret, poſſet quidem eſſe valde brevis, ſed haberet terminum brevitatis nec poſſet ab Angelo eligi brevior & brevior in infinitum.

Sanctorum Patrum mens de velocitate motus in Angelis.

Pro complemento potentiæ locomotivæ & motus Angelorum eſſet hic inquirendum quid per motum localem, & utrùm per ſolum motum localem poſſint Angeli operari circa corpora? Sed ſatisfactum eſt in fine libri præcedentis; ideò totam hanc materiem abſolvo breviter afferendo duo corollaria, quæ obiter in hujus capitis progreſſu jam ſemel & iterum attigi.

118. Primum eſt quòd exercitium extenſionis virtualis in re ſpirituali importet replicationem præſentiæ nnò reproductionem entitatis, quod licèt facilè explicet rem ſpiritualem eſſe poſſe totam in toto loco diviſibili, & totam in qualibet parte ipſius, videtur tamen gravem pati difficultatem in eo, quod inferat rem quamlibet ſpiritualem poſſe per ſe ipſam naturaliter replicari & reproduci, ſicuti poteſt per ſe ipſam habere naturaliter exercitium virtualis extenſionis in loco diviſibili. Huic difficultati occurro advertendo replicationem ex genere ſuo nihil aliud eſſe, quàm multiplicationem præſentiæ, hæc verò multiplicari poteſt vel totaliter & in locis adæquatis, vel partialiter & in locis inadæquatis contentis intrà unam eandemque aream loci maximi, dum multiplicatur præſentia in locis adæquatis, ſeu excedendo locum maximum, habetur replicatio totalis & ſimpliciter; dum in locis inadæquatis & intrà aream loci maximi, habetur replicatio partialis & ſecundùm quid; illa eſt ſupernaturalis rebus non ſolùm materialibus, verùm etiam ſpiritualibus; iſta eſt rebus ſpiritualibus connaturalis, & ſupernaturalis duntaxat rebus materialibus, reſpectu quarum meliùs diceretur de ſubjecto non ſupp nente, quia cum res materialis abeat neceſſariò actualem præſentiam ad totum ſuum locum maximum nequit replicari, niſi excedendo loci maximi aream; Replicat o igitur quia abſolutè prolata ſopponit pro replicatione totali & ſimpliciter, ſolet cenſeri cuilibet creaturæ ſupernaturalis; talis tamen non eſt, ſi ſumatur ſecundùm quid & cum addito, neque cum hac limitatione ullus eſt ſcrupulus in concedendo, quod Angelus poſſit per ſe ipſum naturaliter replicari, eademque proportionaliter eſt ratio de reproduci.

Explicatur virtualis extenſio ſita in replicatione & reproductione.

119. Secondum eſt, quod Angelo repognet ab omni loco abſolvi, ſeu exiſtere & nullibi exiſtere, in quo licèt oppoſitum eſſet ſentiendum tùm juxtà principia Thomiſtica, tùm juxtà exiſtentiam Angelorum in loco aſſertam à Vaſquio; per Thomiſtas enim ex eo præciſè quod nihil extrà ſe operaretur, per Vaſquium ex eo præciſè quod nulli corpori uniretur, nullibizaretur Angelus; licèt item Modaliſtæ ut videre eſt apud Lugnm *hic diſp. 5. c. 9.* ſint inter ſe diviſi, nec facilè aſſignent in Angelo aut in aliqua alia re creata repugnantiam carendi quocumque modo ubicationis ſuperadditæ, quod ſufficeret ad nullibizationem ſaltem formalem; licèt tandem ſumendo locum pro ſolo ſpatio poſitivo Angelus, utpotè qui nullibizaretur ex eo præciſè, quod transferretur ad ſpatia imaginaria, ſi non à ſe ipſo, ſaltem à Deo nullibizari poſſet; Licèt, inquam, hæc omnia ita ſint, nihilominùs non deſerendo noſtra principia, ſecundùm quæ eſſe in loco, nec operationem, nec modum, nec ſpatium poſitivum importat, ſed puram complexionem ac ſimultatem rei cum ſpatio etiam imaginario, non poſſumus ambigere de repugnantia rei quæ exiſtat & nullibi exiſtat; ſpatium enim imaginarium ſuo modo ſemper exiſtit, & Deo divinæque immenſitati totaliter coëxiſtit, cum Deus ſit quidem per ſubſtantiam ſuam extrà mundum, at non extrà ſpatia imaginaria; res igitur, quæ nullibi exiſteret, ſicuti deberet non eſſe præſens & coëxiſtens ſpatio imaginario, ità nec eſſet præſens & coëxiſtens Deo divinæque immenſitati, quomodò autem res Deo non præſens à Deo conſervaretur? Confirmatur res, quæ nullibi eſſet, diſtaret & non diſtaret à qualibet parte ſpatij imaginarij; diſtaret, quia, ut ſupponitur, nulli parti ſpatij imaginarij eſſet præſens; non diſtaret, quia participaret divinam immenſitatem, quæ ſicuti adæquatè ſumpta importat eſſe ubique, & habere indiſtantiam à toto ſpatio imaginario, ità ſumpta participativè & quaſi partialiter importat eſſe alicubi & habere indiſtantiam ab

Angelus nõ poteſt eſſe & eſſe nullibi.

aliqua parte ſpatij imaginarij: Ex eo igitur quod Deus tribuat creaturæ participationem propriæ immenſitatis ſub hac potiùs, quàm ſub illa ratione, ſeu ut correſpondentis huic potiùs, quàm illi parti ſpatij talem creaturam determinat ad hoc potiùs, quàm ad illud ſpatium, ſeu illam producit ſecundùm eſſe complexum cum hoc potiùs, quàm illo ſpatio; quod eſt ipſam eſſe alicubi & in aliquo determinato loco. Eadem proportionaliter eſt ratio de eſſe in aliquo determinato tempore, eandemque habet in noſtris principiis repugnantiam Angelus & quælibet alia res ad nunquizari, ſeu ad eſſe & eſſe nunquam, ac ad nullibizari, ſeu ad eſſe & eſſe nullibi.

LIBER

LIBER TERTIUS.

DE VIA, & TERMINO Angelorum.

NEMO non novit vix ullam eſſe ſine umbra lucem, ſine labe formam, ſine diſſidio pacem: Nemo non didicit cohærere nivibus ethnæa incendia, ſuperioribus inferiora connecti, & ſæpè etiam oppoſita inter ſe invicem permiſceri, adeò ut nec impertinens prorsùs nec inſolens videri poſſit, ſi lucem & tenebras, gratiam & culpam, beatitatem & miſeriam, pugnam & pacem, vitam & mortem unà ſimul liber iſte componat; proferat ſcilicet Angelos omnes, primùm ſplendore fidei illuſtres, gratiæ decore conſpicuos, puriſſimi amoris ardore fervidos, vitæ ſupernaturalis munere vegetos, infuſarum virtutum dote præclaros, ſuaviſſimæ pacis fœdere conſociatos, in ſanctitatis tramite, in beatitatis limine conſtitutos: Moxque luctuosâ nimiùm metamorphoſi eoſdem oſtendat in diſcordiam, in deſertionem deflectere, acerrimum ſeſe laceſſere in prælium, diviſa hinc indè agmina pertinaci pugnâ colluctari, donec triumphator ſuis cum aſſeclis Michael gratiam gloriâ, ſpem comprehenſione, fidem viſione conſumet, amoris ardorem æternis perficiat incrementis, ſupernaturalem vitam ſupernaturali immortalitate confirmet, in apice ſanctitatis, in ſinu beatitatis conquieſcat: Triumphatus verò cum turmis turbiſque ſuis Lucifer, in culpam, in caliginem, in miſeriam, in mortem præcipiti lapſu, irreparabili excidio detrudatur. Ab Angelis igitur in gratia conditis ad eoſdem in gloriam evectos liber iſte procedet, deſinetque in portionem illam Angelorum, quos culpâ vitiatos gehenna caſtigat, & nequiſſimos ſpiritus quaſi fecem à puriore cæterorum cætu ſegregatam in totius tractatus calcem rejiciens ultimo prorsùs loco meritò addicet eos, qui primam Empyrei ſedem immeritò appetierunt.

CAPUT I.

De iis, quæ fuerunt omnibus Angelis communia in via.

1\. HVCUSQUE de Angelis ſecundùm naturam, perfectioneſque naturales, jam de iiſdem ſecundùm gratiam, donaque ſupernaturalia; & quamvis ſtatus, tùm viæ, tùm termini non ſolùm ſupernaturali, verùm etiam naturali ordini convenire poſſit, nihilominùs ſecundùm præſentem providentiam, ſecundùm quam omnes Angeli ſunt conditi propter finem ſupernaturalem, vix ulla habetur ſpecialis ratio de tendentia ad finem naturalem, ſeu de via & termino ordinis naturalis, quibus propterea breviter expeditis in primo paragrapho, in reliquis percurremus accuratiùs viam & terminum ordinis ſupernaturalis, procedentes ab iis, quæ in viæ initio fuerunt omnibus communia ad ea, quæ in viæ proceſſu primùm, deinde in termino fuerunt bonorum & malorum propria.

---

§. I.

Vtrùm omnes Angeli ab initio creationis fuerint beati, beatitudine ſaltem naturali?

ASSERT. 1. Nullus Angelus de facto fuit ab initio creationis ſimpliciter 27
beatus beatitudine ſupernaturali: Dixi *de facto* ad indicandum non repugnare ex natura rei Angelum, qui in ſua creatione ſimpliciter beatus ſit & videat Deum: Dixi *ſimpliciter beatus* nam de beatitudine ſupernaturali inchoata & ſecundùm quid, quæ etiam dici ſolet beatitudo viæ, & conſiſtit in actibus fidei & charitatis *ex ſeq.* §. 3. conſtabit

Nullus Angelus fuit creatus ſimpliciter beatus beatitudine ſupernaturali.

conſtabit ea Angelos in creationis initio non caruiſſe: Cæterùm loquendo de beatitudine ſupernaturali ſimpliciter tali, quæ etiam dicitur beatitudo patriæ, & potiſſimùm in Dei viſione ſita eſt, traditur aſſertum à D. Thoma *hic q. 62. art. 1.* Magiſtro *in 2. diſt. 4.* Scoto *ead. diſt. & ſeq.* Amico *hic diſp 18. ſect. 2.* Lugo *diſp 19. c. 1. n. 13.* Averia *q. 62. ſect. 1.* Herincx *diſput. 5. q. 1.* cæteriſque Theologis communiſſimè contrà Ludovicum Vivex *ſuper Auguſtinum l 1. de civit. c. 9.* exiſtimantem Angelos bonos & creatos fuiſſe & ſemper permanſiſſe in Dei viſione, quam etiam fuiſſe malis ab initio communicatam tranſeunter contendunt nonnulli probare ex ſanctis Fulgentio *lib. de fide ad Petrum c. 3.* & Bernardo *ſerm. 7. in Pſalm. Qui habitat*, multoque magis ex Auguſtino, qui licèt expreſſiùs loquatur de Angelis bonis, de quibus *c. 9. præcit.* ſpecialiter ait nunquam fuiſſe peregrinatos, tamen, dum *in libris Gen. ad lit.* ſæpiùs tribuit omnibus Angelis cognitionem matutinam rerum in verbo ab initio, & antecedenter ad veſpertinam, videtur concedere omnibus Angelis ab initio cognitionem intuitiuam & beatam.

3\. Explicatur ſancti Patres.

Probatur aſſertum primò occurrendo auctoritatibus mox relatis, quæ quatenùs ſimpliciter docent Angelos omnes fuiſſe conditos in gloria, fuiſſe ab initio beatos, intelligendæ ſunt de gloria inchoata & beatitudine viæ; niſi etiam dicantur omnes conditi in gloria ratione loci ex eo, quod omnes juxtà ſupradicta *lib. 1. c. 1. §. 4.* fuerint creati in Empyreo, qui locus eſt patriæ & beatæ viſionis. Auguſtinus in eo, quod ſpecialiter ait de Angelis bonis, intendit ipſos nunquam fuiſſe peregrinatos à gratia, & tanquam exules per peccatum, nec negat fuiſſe peregrinatos à gloria, & tanquam viatores per meritum; in eo, quod tradit de cognitione matutina, obſcurior eſt ipſius mẽs, D. Thomas *art. præcit. ad 3.* & Scotus *in 2. diſt. 3. q 9. §. Ad quæſtionem* exiſtimant Auguſtinum locutum eſſe de cognitione quadam matutina naturali & abſtractiva; ſi tamen conformiùs ad ſupradicta *lib. præced. c. 3. n 46.* non admittatur cognitio matutina naturalis, quoties Auguſtinus tribuit Angelis cognitionem matutinam, intelligendus erit de ſolis Angelis bonis & conſideratis poſt ſtatum viæ adeò, ut in ipſis deinde cognitio matutina præferatur veſpertinæ dignitate, non tempore; & dicatur fuiſſe ab initio propter breviſſimam moram, quæ interceſſit creationem inter & beatificationem.

4\. Probatur aſſertum ſecundò, quia ex una parte ſicuti Angelorum & hominum eadem eſt de facto beatitudo, ità debuit utrorumque eſſe idem modus eam conſequendi, ſcilicet per merita præcedentia in ſtatu viæ, ex alia parte beatitudo in inſtanti creationis eſſet privilegium valde eximium, & opus inſignis liberalitatis, non ex arbitrio & abſque poſitivo fundamento confingendum; & licèt Adverſarij aliquod ſibi fundamentum conſtruant ex auctoritatibus ſanctorum Patrum, hoc tamen jam ex mox dictis corruit. Confirmatur; congruum fuit omnes Angelos creari uniformes & in eodem ſtatu, nec eſt abſque ſpeciali neceſſitate inducenda in ipſorum creatione difformitas; atqui certum eſt Angelos malos non fuiſſe ab initio creationis ſimpliciter beatos, ergo idem congruit aſſerere de Angelis bonis; Minor probatur, quia certum eſt Angelos malos non fuiſſe impeccabiles, nec habuiſſe viſionem perpetuam & permanentem, ut requiritur ad beatitudinem ſimpliciter; & quando etiam beatitudo ſimpliciter poſſet eſſe temporanea, eique ſufficeret viſio in tranſitu, cur nam omnibus Angelis reprobis conceſſum fuiſſet in via privilegium viſionis tranſeuntis? quod aut nulli hactenùs homini, aut ſolùm alicui inſigniori prædeſtinato communicatum eſt.

5\. Angeli non ſunt creati ſimpliciter beati beatitudine naturali.

Aſſert. 2. Angeli non fuerunt ab initio creationis ſimpliciter beati beatitudine naturali. Dixi *ſimpliciter* quia beatitudo naturalis non minus quàm ſupernaturalis alia eſt talis ſecundùm quid, alia eſt talis ſimpliciter; iſta illi addit potiſſimùm perpetuitatem & inamiſſibilitatem provenientem fortè ex aliquo ſpeciali & gratioſo Dei dono, neque enim ordo naturæ etiam puræ excludit omne gratioſum, imò ſumpta gratia præcisè pro dono gratioſo & liberali ſpectat ad providentiam etiam naturalem aliquas gratias impertiri ut ſuppono *ex tract. de beatitudine lib. 1. c. 3. n. 16.* & magis *ex tract. de gratia lib. 2.* ſparſim: Excludo igitur ab Angelis beatitudinem naturalem ſimpliciter talem, qualis eſſet, quæ pro ſtatu puræ naturæ conveniret creaturæ intellectuali in termino, quidquid ſit deindè de beatitudine naturali ſecundùm quid tali, qualis eſſet, quæ pro eodem puræ naturæ ſtatu dari poſſet in via, & de qua videtur locutus S. Doctor *hic q. 62. art. 1. in c.* & quoties alibi facit Angelos creatos in beatitudine naturali; quamvis Thomiſtæ ipſum rigidiùs intelligant de beatitudine ſimpliciter; at ſaltem eſt ambigua mens S. Doctoris, ſicuti etiam non eſt admodum perſpicua mens Doctoris ſubtilis *in 2. diſt. 3. q. 9. §. Ad quæſtionem*: In hac Doctorum Angelici & ſubtilis ambiguitate ſtant expreſsè pro noſtro aſſerto Albertus *in 2. diſt. 4. art. 2.* Bonaventura *art. 1. q. 1.* Richardus *art. 2. q. 1.* Vaſquez *diſp. 216. c. 2.* Amicus *diſp. 18. ſect. 1.* Dequiros *diſp. 75. ſect. 1.* &c. contrà Durandum *in 2. diſt. 4. q. 1.* Cajetanum *1. p. q. 62. art. 1.* Gonetum *diſp. 12. art. 1. §. 1.* Averſam *q. 62. ſect. 1.* alioſque plures præſertim ex ſchola Thomiſtica.

Mens D. Thomæ.

6\. Probatur aſſertum: Beatitudo naturalis ſimpliciter talis eſt illa, quam creatura intellectualis ad finem ſupernaturalem non ordinata habuiſſet in termino puræ naturæ, ſed Angeli ab initio creationis non fuerunt beati hac beatitudine; ergo: Major patet ex præmiſſa naturalis beatitudinis diviſione, nec negari poteſt ſine quæſtione de nomine, quâ cõfundatur pro ſtatu puræ naturæ beatitudo

viæ

Etiam pro ſtatu puræ naturæ diſtinguenda eſt beatitudo viæ à beatitudine termini.

viæ cum beatitudine termini, quæ confuſio ſeu indiſtinctio, licèt tolerabilior eſſet in Angelis non admittentibus duplicem vitam, alteram mortalem & dependentem à ſenſibus, alteram immortalem & à ſenſibus independentem, quàm in hominibus; tamen etiam in illis eſſet valde difficilis, quia non ſalvaretur in ipſis pro ſtatu puræ naturæ capacitas majoris felicitatis, quàm miſeriæ, pro quo videantur infrà dicenda *tract. de Beatitud. lib.1.cap.3.num.13.* Minor probatur, Beatitudo naturalis conveniens creaturæ intellectuali in termino puræ naturæ fuiſſet perpetua & inamiſſibilis, alioqui non eſſet beatitudo diverſa à beatitudine viæ contrà mox dicta; ſed Angeli ab initio creationis non fuerunt beati beatitudine naturali perpetua & inamiſſibili, ut quoad Angelos malos patet ex eo, quod de facto ea carent, quoad Angelos bonos infertur ex eo, quòd congruit eos fuiſſe in creatione uniformes bonis, item ex eo quod ſicuti potuerunt & ipſi peccare, ità potuerunt & ipſi amittere eam beatitudinem naturalem, quam habuerunt.

7. Confirmatur, Angeli ab initio creationis non fuerunt neceſſariò in actibus naturalibus cognitionis & amoris Dei; ergo ab initio creationis non fuerunt ſimpliciter beati beatitudine naturali, conſequentia probatur, quia beatitudo naturalis debet formaliter, aut in utroque, aut in altero illorum actuum conſiſtere, & ut ſit perpetua ac inamiſſibilis debet conſiſtere in actu perpetuo ac inamiſſibili, cujuſmodi eſt ſolus actus neceſſarius; Antecedens etiam probatur, Angeli ab initio creationis non fuerunt neceſſariò in illis actibus ex propriis naturalibus præcisè, quia *ex lib. præced. c.3. & 4. §.1.* Angelus, quantùm eſt ex ſe, poteſt pro libito ab actuali Dei cognitione & amore ceſſare; non item ex aliquo ſpeciali, & intrà ordinem naturæ gratioſo dono, quia abſque neceſſitate & poſitivo fundamento non eſt ſupponendum in ipſo creationis initio ullum hujuſmodi donum.

Dices hanc probationem non eſſe efficacem contrà Thomiſtas docentes Angelos in puris naturalibus conſtitutos non poſſe peccare contrà præcepta purè naturalia, nec poſſe ceſſare à cognitione & amore Dei ut Auctoris naturæ & per conſequens beatitudinem naturalem in talibus actibus ſitam eſſe reſpectu Angelorum per ſe inamiſſibilem & perpetuam; quamvis deinde ſit per accidens amiſſibilis pro ſtatu elevationis, pro quo Angelus peccando directè contrà præcepta ſupernaturalia indirectè deordinatur à Deo etiam ut Auctore naturæ, ceſſat à perfecto ipſius amore, & ab ejuſdem cognitione ſub ea mortalitate & ratione practica; ſub qua eſt beatitudo naturalis, nec proptereà in Angelis poſt peccatum non remanent integra naturalia, quia ad iſtorum integritatem non requiritur, quòd permaneat omnis moralitas & omnis actus ſecundus; ſed ſufficit quod permaneat eſſe phyſicum quoad eſſentiam, potentias, ſpecies intentionales, & id genus alia.

8. Sed contrà: Quod Angelus in puris naturalibus conſtitutus non poſſit peccare contrà præcepta naturalia impugnabitur inferiùs §. 5. quòd non poſſit ceſſare à cognitione, &c. impugnatum eſt ſuprà, ideò quamvis Thomiſtæ loquantur conſequenter ad ſua principia, probatio contrà ipſos eſt efficax quia ſupponit aliunde impugnata principia, quibus poſſunt argumenti efficaciam eludere.

---

§. II.

Utrùm omnes Angeli ab initio creationis receperint Gratiam habitualem?

9. Angeli omnes fuerunt creati in gratia habituali.

ASSERT. Angeli receperunt ab initio creationis gratiam habitualem, ſeu fuerunt in ipſa creati. Ita D. Thomas 1. *part. q.62. art.3. in 2. diſt.4. q.1. art.3. & quodlib.9. q.4. art.3.* Albertus *in 2. diſt.3. art.12.* Durandus *diſt. 4. q. 2.* Cajetanus 1. *part. q.62. artic. 3.* Ferrarienſis 3. *contrà Gentes, cap.110.* Gonet *diſp.12. art.2. §.2.* Suarez *lib.5. cap.4.* Vaſquez *diſp.227. c.2.* Amicus *diſp.18. ſect. 3.* Lugus *diſp. 19. c.2.* Averſa *q.62. ſect. 2.* Herincx *diſp.5. q.1.* Madernus *q.4. art.3.* & cum omnibus Thomiſtis ferè omnes recentiores contrà Magiſtrum *in 2. diſt.3. c.6.* & expreſſiùs *diſt.5. c.2.* Hugonem Victorinum *in ſum. tract.2. c.2.* Ægidium *in 2. diſt.4. q. 1. artic.4.* Richardum *ead. diſt. q.2. artic.2.* alioſque nec paucos nec ignobiles Auctores, ad quos valde accedunt, licèt cum aliqua incertitudine & quaſi problematicè loquantur, Scotus *in 2. diſt.5. q.1. §. ad inquirendum* Henricus *quodlib.8. q.10.* Bonaventura *in 2. diſt.4. art.1. q.2.* &c.

Probatur primò ex Scriptura, in quâ indicatur Angelos malos fuiſſe in gratia & ſanctitate conditos; habetur enim in Epiſtola Canonica Iudæ Apoſtoli, *Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed reliquerunt ſuum domiciliũ*, & Ezech. 28. dicitur allegoricè de Lucifero *Perfectus decore in deliciis Paradiſi Dei fuiſti, &c. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te:* quæ loca cum ex ſupradictis nequeant intelligi de Principatu & deliciis beatitudinis; debent ſaltem procedere de Principatu gratiæ & deliciis ſanctitatis, in quibus deinde ſi fuerunt conditi Angeli mali; à fortiori etiam boni.

10. Item primi Parentes.

Confirmatur, eadem ſcriptura verbis illis Eccleſ. 7. *Deus fecit hominem rectum* non obſcurè teſtatur hominem fuiſſe à Deo conditum in gratia & ſanctitate, idque ferè pro certo habetur præſertim poſt Tridentinum quod *ſeſ.5. de peccato originali can.1.* definiit *Adam per peccatum juſtitiam & ſanctitatem perdidiſſe, in qua fuerat conſtitutus*; ergo à pari idem ſentiendum de Angelis; Accedunt plurimæ ſanctorum Patrum, ſive Græcorum, ſive Latinorum, pro creatione Primorum Parentum in gratia auctoritates, & valdè multæ etiam pro creatione Angelorum, ut

videre eſt apud Vaſquium *pracit. diſp.* 227. *cap.* 2. & 3. Quibus certè Scripturæ & Patrum auctoritatibus minoris momenti ſunt illæ, quas pro ſe afferunt Adverſarij ut *ex Iob.* 4. ubi vulgata legit *in Angelis ſuis reperit pravitatem*, textus Hebræus legit *in Angelis ſuis non poſuit laudem* vel *lucem*: ex Ioanne Papa *in cap. viſis litteris* 16. *q.* 2. ubi loquens de diabolo ait *Dolet enim ſatis & erubeſcit charitatem, quam i. Cælo nequivit habere, homines tenere in terris*: Ex D. Gregorio *lib.* 32. *moral. cap.* 18. ubi ſuper illud Ezech. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis*, &c. ait *Huius ergo lapidis in die conditionis ſua foramina praparata ſunt, quia videlicet capax charitatis eſt conditus; quâ ſi repleri voluiſſet*, &c. Ad illud ex ſcriptura

11. Occurritur auctoritatibus Adverſariorũ.

admittendo lectionem Hebræi textus dico ad ly *non poſuit* debere ſubintelligi *firmè* vel ly *laudem & lucem* importare laudem, & lucem gloriæ: Ad decretalem Ioannis præter quod in aliquibus codicibus pro ly *nequivit* legitur *nequit* dico ſenſum eſſe, quod nequiverit habere poſt peccatum; vel quòd impotentia ſecundum quid & ex ſuppoſitione malitiæ ſuæ nequiverit habere perſeverante: Ad D. Gregorium dico ipſum loqui de capacitate charitatis aut auctæ per merita, aut conſummatæ per gloriam, quâ ſi diabolus repleri voluiſſet, &c. Omitto afferre & explicare alia quædam teſtimonia, quia non abſolutè inficior aliquos SS. PP. favere Adverſariis & diverſimodè in hac controverſia loqui, ut de Auguſtino ſingillatim notat Vaſquez *diſp. pracit. num.* 8. unde ſaltem quoad Angelos malos à loco extrinſeco, & ab auctoritate, ſua olim probabilitate non caruit opinio docens eos non fuiſſe in gratia conditos.

12. Angeli fuerunt ab initio ordinati ad finem ſupernaturalem.

Probatur ſecundò ratione: Angeli ab initio creationis fuerunt ordinati ad finem ſupernaturalem; ergo ab initio creationis receperunt gratiam habitualem; antecedens probatur, Angeli fuerunt aliquando ad finem ſupernaturalem elevandi, ergo fuerunt ad talem finem ab initio creationis ordinati, tùm quia commune eſt omnibus rebus, cum primò exiſtunt, ordinari à Deo in finem, ad quem perducendæ ſunt; ſicuti currentibus in ſtadio, cum primò curſum arripiunt, præfigitur ſcopus, in quem debent curſum dirigere; tùm quia bona opera Angelorum ab initio creationis fuiſſent neceſſariò inutilia, nec potuiſſent ad ullum ultimum finem prodeſſe; non ad ultimum finem naturalem, cum iſte non eſſet obtinendus; non ad ultimum finem ſupernaturalem, cum ad iſtum non eſſent proportionata utpotè provenientia à pura natura: Prima etiam conſequentia probatur, quia gratia habitualis eſt medium maximè neceſſarium ad finem ſupernaturalem, maximè autem congruit divinæ providentiæ illicò conferre media ad finem, ad quem ordinat quoties non ponitur obex ex parte ſubjecti, ſicuti Angeli in inſtanti creationis nullum poſuerunt obicem gratiæ imò ad ipſam ſe diſpoſuerint, cum ex infrà dicendis non peccaminoſos ſed bonos actus in tali inſtanti elicuerint. Confirmatur paritate D. Thomæ,

13. Gratia ſe habet ut ratio ſeminalis in ordine ſupernaturali.

Gratia habitualis, utpotè quæ eſt ſemen gloriæ comparatur ad beatitudinem ſeu finem ſupernaturalem eo modo, quo ratio ſeminalis in natura ad effectum naturalem; atqui in prima creatione corporalis creaturæ ſunt ei inditæ rationes ſeminales omnium naturalium effectuum; ergo in prima creatione Angelorum eſt eis infuſa habitualis gratia. Confirmatur inſuper ex eo, quod nulla fuit ratio differendi habitualis gratiæ infuſionem, non enim talis ratio fuit impotentia ſe diſponendi ex parte Angelorum, quia mox oſtendetur oppoſitum; non fuit item prioritas, quâ natura debet gratiam præcedere, quia talis prioritas debet eſſe prioritas naturæ & materialis cauſalitatis, non temporis & realis durationis; nec eſt aſſignabilis ulla alia ratio alicujus momenti, ergo.

Eſt ejuſdẽ rationis in Angelis, & in hominibus.

Ex dictis habetur primò gratiam habitualem ab initio infuſam Angelis fuiſſe ejuſdem rationis cum ea, quæ fuit infuſa primis Parentibus & nobis etiam, dum juſtificamur, infunditur; enimverò, ubi non eſt diverſus finis, non debet eſſe diverſum medium, illud præſertim, quod primum & potiſſimum eſt; & ubi ejuſdem rationis eſt fructus, infertur eadẽ ratio ſeminalis; ex aliâ parte nulla eſt neceſſitas diverſificãdi ſpecie gratiam habitualem Angelicam ab humana, imò fortè ſuſtineri vix poteſt divinitùs non repugnans ſpecifica gratiæ diverſitas.

14. Cum gratia fuerunt infuſæ Angelis virtutes Theologicæ.

Habetur ſecundò fuiſſe ab initio creationis infuſa Angelis plura alia dona ſupernaturalia, & in particulari virtutes Theologicas, & ex moralibus eas ſaltem, quarũ actus non repugnãt naturæ Angelicæ ratione materiæ: Ratio eſt quia talia dona ſunt quaſi proprietates comitantes gratiam, quæ cum fuerit in Angelis eadem, ac in nobis, non debuit in illis ſejungi ab illis donis, quorum conſortio in nobis gaudet, & quorum ſubſidio Angeli ab initio creationis indiguerunt ad eliciendos actus diſpoſitionis ad gratiam & meriti ad gloriam, quæ quidem prærogativa diſpoſitionis & meriti ſicuti maximè relucet in actibus virtutum Theologicarum, ità iſtarum habitus maximè congruebat infundi: Quoad virtutes morales dixi *eas ſaltem quarum actus, &c.* quales ſunt, quæ ordinantur ad moderandum appetitum ſenſitivum ut temperantia, caſtitas, &c. harum virtutum habitus tribuunt nonnulli Angelis in ordine ad actus quoſdam ſecundarios, nimirum vel ſimplicis complacentiæ, vel conditionatos ex objecto, vel inductivos hominum ad actus earundem primarios, aliquos ità ſentientes refert & ſequitur Lugus *hic diſput.* 19. *cap.* 2. *num.* 23. Alij magis communiter negant quia ceſſante primario effectu & fine virtutis ceſſat etiam motivum eam infundendi; & licèt Deus poſſit infundere propter fines etiam ſecundarios, id tamen, cum ſit extrà leges communis providentiæ, non eſt abſque ſpeciali neceſſitate præſumendum; nec ſufficientis

15. At non omnes virtutes morales.

neceſſitatis

neceſſitatis argumentum eſt, quod hujuſmodi virtutes reperiantur in hominibus beatis, abſque eo quod adſit appetitus moderationis indigus, & materia, circa quam exercere poſſint ſuos actus primarios: Enim verò in hominibus beatis tales habitus antecedenter producti conſervantur, non primò producuntur; ad conſervari autem minùs requiritur, quàm ad primò produci, quia quod jam antecedenter productum eſt, habet jus ad conſervari, non ſic quod nondum productum eſt ad primò produci; paritas igitur de hominibus beatis non ſufficienter probat; non item ſufficiens eſt, quod dicebatur de actibus ſecundariis, ad quos quidem exercendos ex motivo propriarum virtutum viderentur requiri proprij habitus; at cum Angeli poſſint in actus illos erumpere nobiliore modo ex motivo charitatis, non ſunt pro iiſdem ex proprio motivo exercendis producendi habitus ultrà communes ordinariaſque leges, & ceſſante fine primario; de quo latiùs Amicus *diſput.* 18. *num.* 46. *&c.*

---

§. III.

Vtrùm omnes Angeli ab initio creationis receperint gratiam habitualem ex propria diſpoſitione?

16. ASSERT. Angeli ab initio creationis receperunt gratiã habitualem ex propria diſpoſitione, ſeu ad illam ſe diſpoſuerunt in ipſo creationis inſtanti per actum charitatis & converſionis ad Deum ut ad finem ſupernaturalem; per actum, inquam, charitatis, &c. non quia Angeli non habuerint in eodem creationis inſtanti alios actus ſupernaturales, ſed quia ſolus actus charitatis eſt propria & proxima diſpoſitio ad gratiam. Ità Cajetanus 2. 2. *q.* 24. *art.* 3. *ad* 3. Zumel *hic q.* 62. *art.* 2. Gonetus *diſput.* 12. *art.* 2. §. 3. Suar. *lib.* 5. *c.* 8. Vaſquez *diſp.* 228. *cap.* 1. Valentia *diſp.* 4. *q.* 13. *punct.* 1. Lugus *diſp.* 20. *c.* 1. Dequiros *diſp.* 72. *ſect.* 2. Averſa *q.* 62. *ſect.* 3. Madernus *q.* 4. *art.* 3. &c. contrà Sotum *lib.* 1 *de natura & gratia c.* 5. Capreolum *in* 2. *diſt.* 4. *q.* 1 *art.* 3. Molinam *hic q.* 62. *art.* 3. §. *longè probabilius* Amicum *diſp.* 18. *ſect.* 4. Arriagam *diſp.* 20. *ſect.* 3. & à fortiori contrà Auctores ſuprà relatos pro opinione ſimpliciter negante Angelis gratiam ab initio creationis.

Angeli receperunt gratiam ex prævia diſpoſitione.

17. Probatur: Angeli potuerunt in inſtanti creationis ſe diſponere ad gratiam habitualem per actum charitatis & converſionis, &c. ergo de facto ſe per talem actum diſpoſuerunt & ab initio creationis receperunt habitualem gratiam ex propria diſpoſitione; conſequentia probatur, quia in univerſum quoties forma recipitur in ſubjecto capaci diſpoſitionis, congruentius ei eſt recipi ex prævia diſpoſitione, & ſingillatim id eſt congruentius gratiæ, alioqui neque in homine adulto diſpoſitionem ullam prærequireret; eſt inſuper id congruentius ſubjecto, quia ex genere ſuo & cæteris paribus melius eſt acquirere perfectionem aliquomodo à ſe & cooperationem aliquam exercendo; quàm purè ab alio, & merè paſſivè ſe habendo: Probatur jam primum antecedens, Angeli potuerunt in inſtanti creationis liberè operari, ut ſuppono ex infrà dicendis, ergo potuerunt liberè elicere actum ſupernaturalem charitatis, ſeu converſionis, &c. atqui talis actus in inſtanti creationis liberè elicitus potuit eſſe diſpoſitio ad gratiam habitualem; ergo Angeli potuerunt in inſtanti creationis ſe diſponere ad gratiam, &c. Singula hujuſce probationis membra mox corroboro impugnando rationes & reſponſiones Adverſariorum. Ideò

Dices primò: datò quod Angelus in inſtanti creationis potuerit elicere aliquem actum liberum, eſt tamen ſpecialis difficultas de actu ſupernaturali charitatis, primò propter auctoritatem D. Thomæ *q.* 16. *de malo art.* 4. *ad* 14. *&* 15. tribuentis Angelo in primo inſtanti motum & converſionem in Deum ut auctorem naturæ non ut auctorem gratiæ, adeoque naturalem non ſupernaturalem actum charitatis; idque probantis in corpore articuli ex eo, quod Angelus non poſſit ſimul moveri in naturaliter cognita & in ſupernaturalia; ſed debeat motus Angeli primò eſſe in id, quod eſt ſibi connaturale, & per hoc pertingere in id, quod eſt ſuprà naturam: ſecundo quia ad eliciendum liberè ſupernaturalem actum charitatis prærequiritur actus fidei, pro quo neceſſe eſt apprehendere objectum revelatum, perpendere motiva credibilitatis, habere judicium practicum & pium affectum credendi; quæ quidem omnia moraliter loquendo non videntur potuiſſe ab Angelis peragi unico inſtanti. Sed contra: Ad primum fateor locum 18.
citatum *ex q.* 16. *de malo* favere Adverſariis, ideò quaſi dubius de mente S. Doctoris illum non retuleram pro noſtro aſſerto, cui tamen aliis pluribus in locis favet luculentiùs, nec Thomiſtæ, cum quibus ſentimus, dubitant ſe ſentire cum ſuo Doctore, quem Gonetus §. *præcit. n.* 36. ait *hic q.* 63. *art.* 5. *ad* 3. *&* 4. expreſsè retractaſſe ſententiam & rationem traditam in quæſtione illa de malo. Neque urgeas, ſicuti natura debet præcedere gratiam, ità amor naturalis ſeu Dei ut Auctoris naturæ debet præcedere amorem ſupernaturalem ſeu Dei ut Auctoris gratiæ; ergo amor ſupernaturalis non potuit ab Angelo elici in primo inſtanti. Contrà enim, natura eſt ſubjectum gratiæ, non ſic amor naturalis eſt ſubjectum amoris ſupernaturalis; rursùs non eſt in libertate Angeli habere vel non habere naturam, ſicuti ex ſupradictis eſt in libertate ipſius elicere vel non elicere amorem Dei ut Auctoris naturæ: ideò poſſet abſolutè paritas negari; hac tamen tranſmiſſa ſolùm infertur inter amorem naturalem & ſupernaturalem prioritas naturæ, qualis ſolùm neceſſaria eſt inter naturam & gratiam, & quæ ſicuti patitur produci à Deo in eo-

Mens D. Thomæ.

Occurritur rationibus Adverſariorum.

dem inſtanti naturam & gratiam, ità & elici ab Angelo in eodem inſtanti naturalem & ſupernaturalem amorem. Ad ſe-
19. cundum concedo ad actum liberum charitatis in Angelo præcedere, naturâ tamen, non tempore, actum fidei, quamvis poſſet iſtius vices ſupplere cognitio proveniẽs ex ſcientia ſupernaturali infusâ, pro quâ quidem cognitione elicienda nulla occurrit, nequidem apparens neceſſitas longioris moræ; concedo, inquam, præcedere actum fidei; at ad hunc eliciendum non requiri in Angelis moram aliquam majorem creationis inſtanti facilè concipiet, quiſquis conſideraverit, tùm perſpicaciam & velocitatem Angelicam in intelligendo, tùm conditionem inſtantis creationis, quod, ut aliundè ſuppono, non eſt momentum indiviſibile noſtri temporis, ſed determinata ipſius pars indiviſibiliter accepta.

Dices ſecundò: dato quòd Angelus potuerit in inſtanti creationis elicere liberè actum ſupernaturalem charitatis; iſte tamen actus non potuit eſſe diſpoſitio ad gratiam, quia ſaltem loquendo connaturaliter & de potentia ordinaria, debet procedere effectivè à gratia, nequit autem diſpoſitio ſine mutua cauſalitate procedere effectivè à for-
20. ma, ad quam eſt diſpoſitio. Sed contrà: Thomiſtis admittentibus mutuam cauſalitatem in diverſo genere cauſæ grave non eſt concedere, quod diſpoſitio poſſit eſſe effectivè à forma, ad quam eſt diſpoſitio, adeoque quòd Angeli potuerint ſe diſponere ad gratiam habitualem per actum effectivè procedentem ab eadem gratia; at nobis hanc doctrinam Thomiſticam ſuo loco improbaturis aliter ſentiendum eſt, & dicendum actum illum charitatis in Angelis non proceſſiſſe effectivè à gratia habituali, ſed ab actuali; id eſt à ſpecialibus auxiliis; & quamvis abſolutè ac cæteris paribus connaturalius ſit elicere actus ſupernaturales dependenter à proprio habitu, quàm dependenter ab actuali auxilio, ſecùs tamen quando fit aliqua particularis ſuppoſitio, nec ſunt cætera paria, ut in præſenti; ubi ſupponendum eſſet Angelos recipere gratiam merè ab extrinſeco, & abſque omni diſpoſitione ac merito, quod ipſis minùs conveniens & minùs glorioſum eſt, quàm operari ſupernaturaliter ex actuali auxilio. Neque urgeas; ſi Angelus recipit gratiam abſque prævia diſpoſitione fit contrà connaturalem modum operandi moraliter, ſi elicit actum ſupernaturalem independenter ab habitu fit contrà connaturalem modum operandi phyſicè; atqui convenientius eſt fieri contrà connaturalem modum operandi moraliter, quàm contra connaturalem modum operandi phyſicè; ergo: Deinde gratia habitualis eſt prima radix omnium prorsùs donorum ſupernaturalium, ergo ante ipſam male ſupponitur dari auxilia actua-
21. lia ſupernaturalia. Contrà enim: nego abſolutè minorem in ſubjecta materia ſanctitatis & libertatis, quæ cum maximè ſpectet ad genus moris magis exigit ſervari connaturalem modum operandi moraliter, quàm operandi phyſicè: Ad illud, quod additur dico gratiam habitualem eſſe omnium donorum ſupernaturalium, auxiliorumque etiam actualium primam radicem poſitivè, quatenùs habenti illam debent omnia concedi; at non negativè, quatenùs non habenti illam debeant omnia negari.

Dices tertiò dato tandem quod Angeli per actum liberum charitatis potuerint in inſtanti creationis ad gratiam ſe diſponere, non eſt veriſimile, quod omnes de facto per talem actum ſe diſpoſuerint; cum enim effectus liberi non ſoleant iidem evenire ſimul in pluribus, inveriſimile omninò eſt infinitos pene Angelos pro eodem creationis inſtanti conveniſſe in actu libero charita-
tis. Sed contrà: effectus liberi non ſolent 22.
iidem evenire in pluribus, quando hæc plura nullum habent comprincipium ſuperius uniforme, ſicuti tamen habuerunt Angeli pro actu charitatis, pro quo Deus omnibus providit actuale auxilium efficax; & ſicuti admiſſa poſſibilitate talis actus Adverſarij recurrunt ad negationem uniformem auxiliorum efficacium pro ratione conſenſus omnium Angelorum in illo actu non eliciendo; ità nil mirum, ſi nos recurramus ad uniformem auxiliorum collationem pro ratione conſenſus in eodem actu eliciendo.

Vrgebis connaturalius eſt gratiæ conferri abſque prævia diſpoſitione; ergo Deus potiùs debuit omnibus Angelis negare, quàm conferre auxilia, quibus ſe ad gratiam diſponerent; antecedens probatur, tùm quia gratia habitualis connaturalius fuit collata Chriſto, quàm ulli puræ creaturæ, & tamen Chriſto collata fuit abſque prævia diſpoſitione; tùm quia connaturaliùs confertur ſubjecto non exiſtenti, quàm exiſtenti in peccato; provenit autem ex ſtatu peccati, quod gratia in homine adulto prærequirat diſpoſitionem; unde etiam pro diſpoſitione requirit formalem aut virtualem peccati retractationem; tùm quia denique gratia eſt prima forma in ordine ſupernaturali, connaturale autem eſt formæ primæ nullam
aliam præſupponere. Sed contrà: Ad pri- 23.
mam antecedentis probationem dico gratiam aliunde ab intrinſeco debitam connaturaliùs conferri abſque prævia diſpoſitione, quia abſque diſpoſitione ſalvatur, quod ſubjectum eam non recipiat merè ab extrinſeco, at ſoli Chriſto, non ulli puræ creaturæ, eſt aliunde ab intrinſeco debita; ideò, &c. Ad ſecundam dico non præcisè ex ſtatu peccati, ſed ex ratione principij liberi provenire, quod gratia prærequirat diſpoſitionem in homine adulto, quatenùs exigit recipi juxtà conditionem ſubjecti, & diverſimodè in principio libero capaci diſpoſitionis, ac in non libero; unde communior opinio, quam etiam indicat S. Doctor *1.p.q.95.art.1.ad 5.* vult primos Parentes in quibus ſtatus peccati ſtatum gratiæ non præceſſit ſe ad gratiam diſpoſuiſſe. Ad tertiam dico gratiam habitualem eſſe in ordine ſupernaturali primam formam vel poſitivè

non

non negativè ut *præced. num.* 21. dicebatur de prima radice; vel ea ratione, quâ forma ſubſtantialis eſt prima forma comparata ad accidentales, non excludendo, imò exigendo aliquas ex iſtis in ſubjecto præcedere.

24. Vtrùm Angeli in primo inſtanti meruerint gratiam.

Dubitari hic poſſet: Vtrùm actus ſupernaturales eliciti ab Angelis in inſtanti creationis dependenter à ſpeciali motione, & actuali auxilio, habeant in ordine ad gratiam non ſolùm rationem diſpoſitionis, verùm etiam rationem meriti, & utrùm ex ſuppoſitione, quòd habeant rationem meriti dumtaxat congrui in ordine ad gratiam, habere poſſint rationem meriti condigni in ordine ad gloriam; verùm hæc & ſimilia communia ſunt actui charitatis aut contritionis, quo quilibet peccator ſe diſponit ad juſtificationem, & proprium locum habent *in tractatu de Gratia.*

§. IV.

Vtrùm omnes Angeli ab initio creationis receperint gratiam habitualem cum proportione ad propria naturalia?

25. In Angelis gratia eſt inæqualis juxtà inæqualitatem naturæ.

ASSERT. Omnes Angeli ab initiò creationis receperunt gratiam habitualem cum proportione ad propria naturalia; habuerunt ſcilicet ex libertate & liberalitate Dei eamdem inæqualitatem gratiæ & donorum ſupernaturalium, quam naturæ & donorum naturalium. Ità D. Thomas 1. *p. q.* 62. *art.* 6. Magiſter *in* 2. *diſt.* 3. *cap.* 2. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 9. *art. unic. q.* 3. Durandus *ead. diſt. quæſt.* 2. Eſtius *in* 1. *diſt.* 3. §. 9. Valentia *hic diſp.* 4. *q.* 13. *punct.* 3. Suarez *lib.* 5. *cap.* 10. Vaſquez *diſp.* 228. *cap.* 2. Amicus *diſp.* 18. *ſect.* 5. Madernus *q.* 4. *art.* 4. cæterique Theologi communiter adeò, ut Eſparza *quæſt.* 24. *art.* 1. poſt relatum Vaſquium dicentem neminem ſe legiſſe qui oppoſitum aſſereret, addat nec aſſeruiſſe poſteriores Neotericos; niſi quod Becanus, Lugus, Derehennis, aliique nonnulli præeunte Molina rem incertam pronuntiant: omninò problematicus eſt Arriaga *diſp.* 20. *ſect.* 4. *ſubſec.* 2. ubi contendit SS. PP. quorum & Scholaſticorum auctoritati magis, quàm rationi aſſerta ſententia innititur, explicationem pati Baſilio excepto, propter quem unum tamen ait non eſſe ferendum determinatum judicium.

26. Quomodò id intelligendum.

Dixi *ex libertate & liberalitate Dei* ad innuendum inæqualitatem naturæ non eſſe ullo modo in Angelis cauſâ inæqualitatis gratiæ & Deum non reſpexiſſe ad creationem & perfectionem naturalem Angelorum, tanquam ad motivum collationis gratiæ, alioqui gratia non eſſet gratia, ſed merces, & ad illam operationes perfectionesvè naturales haberent rationē diſpoſitionis aut meriti, quod saperet hæreſim Pelagianam; undè Vaſquez *cap. præcit.* exiſtimat non minùs de fide eſſe dignitatem Angelorum naturalem non fuiſſe cauſam gratiæ ipſis collatæ, quàm bonam indolem & ingenium hominum non fuiſſe cauſam gratiæ ipſorum. Solùm igitur ex ſuâ libera & liberali voluntate ſervavit Deus proportionem gratiæ ad naturam, & æquali exceſſus menſurâ majoribus gratiæ donis inſignivit illos Angelos quos creavit cum majoribus naturæ dotibus, quamvis quia divina voluntas ſapienter & rationabiliter omnia vult, non deſit ex parte Dei ratio & motivum talis proportionis ſervandæ, nec deſint nobis congruentiæ ejuſdem aſſerendæ.

Probatur aſſertum primò auctoritatibus ſanctorum Patrum: ex D. Baſilio *lib. de ſpiritu ſancto, c.* 16. habetur: *Neque enim Cœlorum virtutes ſuapte natura ſanctæ ſunt, nam ſi id eſſet, nulla re differrent à Spiritu ſancto: ſed juxtà portionem, qua ſe invicem ſuperant, à ſpiritu habent ſanctificationis menſuram.* Ex D. Damaſceno *lib.* 2. *fidei c.* 3. habetur *Per verbum Dei creati ſunt Angeli, & per ſanctificationem Spiritus ſancti perfecti; proque ſuâ dignitatis & ordinis ratione, illuminationem & gratiam participantes circumſcripti ſunt.* Ex D. Dionyſio *lib. de cœleſti hierarchia*, ubi à *c.* 6. diſcriminantur hierarchiæ & ordines Angelorum tùm per naturalia, tùm per ſupernaturalia dona, ſic *cap* 6 habetur de prima hierarchia, quod *in primis divinitatis in agendo illuſtrationibus ſine intervallo occupatur*; de eadem dicitur *c.* 7. quod *primæ Dei patefactiones & initiationes ad eam ut vicinam maximè primùm ac maximè perveniant.*

Neque hiſce auctoritatibus contrarius eſt Auguſtinus 11. *de Civit. c.* 13. docens omnes Angelos æqualis fœlicitatis ab initio creatos eſſe; enimverò loquitur de æqualitate geometrica, non arithmetica; proportionalitatis, non proportionis; & de quacumque felicitate intelligatur omnes Angeli ſunt creati in felicitate æquali, non comparando felicitatem unius ad felicitatem alterius, ſed felicitatem cujuſlibet ad propriam naturam, & proportionem quam felicitas unius habet cum ſua natura ad proportionem quam cum ſua pariter natura habet felicitas alterius. 27. Occurritur auctoritati D. Auguſtini.

Probatur ſecundò congruentiis: Prima ſit quia ſicuti inæqualitas in natura ſpectat ad pulcritudinem & perfectionem Reipublicæ Angelicæ in eſſe naturali, ità inæqualitas in gratia ſpectat ad pulcritudinem & perfectionem ejuſdem in eſſe ſupernaturali, ſi igitur inæqualitas naturæ & gratiæ ſibi correſpondeant, magis apparebit utriuſque ordinis pulcritudo & perfectio, quæ alioqui confunderetur quodammodò & perturbaretur, ſi aliqui ſuperiores in natura fuiſſent creati inferiores in gratia, & è contrà. Secunda ſit, quia gratia perficit naturam; ergo ubi nullum eſt impedimentum, nullaque indignitas, ut in Angelis ab initio creationis & in primis Parentibus pro prima ipſorum formatione, congruit quod magis perficiat naturam perfectiorem, ſicque notat Eſtius §. 9. *præcit.* fuiſſe primis Parentibus in ſuâ creatione collatam diverſam gratiam; Adæ quidem gratiam viro convenientem, Evæ verò gratiam convenientem ſuo ſexui. Tertia ſit, quia ſicuti Deus ordinavit totam na- 28.

turam Angelicam ad gratiam & gloriam, ità veriſimile eſt quod ordinaverit & conſtituerit diverſos ipſius gradus ad diverſos gradus gratiæ & gloriæ, *ut pu* (verba ſunt D. Thomæ art. 6. præcit.) *ſi ædificator lapides polit ad conſtruendam domum, ex hoc ipſo, quod aliquos pulchriùs, & decentiùs aptat, videtur eos ad honoratiorem partem domus ordinare.*

Dices has congruentias eſſe admodum leves, è contrà verò validiores, gravioreſque afferri poſſe pro collatione gratiæ non attenta proportione ad naturam; Prima ſit, ut luculentius conſtet gratiam non eſſe debitam naturæ, ſed eſſe donum puræ liberalitatis; Secunda, ut ſupernaturalis providentia eodem modo ſua dona diſtribuat Angelis ac hominibus, in quibus æqualitas vel inæqualitas donorum gratiæ non ſervat proportionem cum æqualitate vel inæqualitate donorum naturæ, puta aut perfectionis ſpecificæ, quia hæc eadem in omnibus eſt, gratia verò diverſa & inæqualis; aut ingenij, indolis &c. quia non rarò ubi felicius ingenium eſt & melior indoles, minora ſunt gratiæ dona: Tertia, quia non eſt veriſimile omnes Angelos in inſtanti creationis liberè ſe diſponendo ad gratiam fuiſſe uniformes & concordes ad operandum & amandum Deum inæqualiter juxtà menſuram inæqualis per-

29. fectionis naturalis. Sed contrà: quamvis congruentiæ à nobis allatæ ſecundùm ſe præcisè non admodum graves ſint, ſuppoſitâ tamen auctoritate, quæ hac in controverſia pro nobis ſtat, nec contemnendæ ſunt nec leves, & ex Adverſariorum inſtantia infertur ad ſummum, quoties aliundè conſtaret Deum in prima ſanctificatione Angelorum non ſervaſſe proportionem ad naturam, non defuturas congruentias ſuadentes, quod fuiſſet id rationabiliter & ſapienter præſtitum; hujuſmodi tamen congruentiæ, dum auctoritate conſtat oppoſitum, leves ſunt & facilè rejiciuntur, ideò

Ad primam dico æqualitatem à nobis aſſertam eſſe ex pura libertate ac liberalitate Dei, non ex aliquo jure, quod habeat natura Angelica ad gratiam ſibi æqualem, & fruſtrà quidquam aliud requiritur, ut conſtet gratiam non eſſe debitam, &c.

30. Cur in Angelis, non in hominibus ſervetur proportio gratiæ ad naturā? Ad ſecundam dico in hac controverſia nos duci potiſſimùm auctoritate Sanctorum Patrum & Scholaſticorum, quæ non idem docet de Angelis, ac de hominibus, præter quod non deſunt aliquæ ſpeciales rationes diſtribuendi utriſque diverſimodè ſupernaturalia dona; enimverò homines in præſenti ſtatu naturæ lapſæ habent indignitatem & obicem gratiæ, non ſic Angeli in inſtanti creationis, ideò cum naturalis perfectio in homine ſit indigna gratiæ & quodammodo vitiata non in Angelis, non eſt eadem reſpectu hominum quæ reſpectu Angelorum decentia largiendi gratiam juxtà menſuram perfectionis naturalis; & paritas Angelorum ad ſummum rectè extenderetur ad homines pro ſtatu innocentiæ, pro quo non inficior fuiſſe probabiliter largiendam gratiam juxtà quantitatem perfectionis naturalis, ut ex Eſtio jam retuli *præced. num.* 38. Deindè homines ratione partis ſenſitivæ quâ conſtant, ſunt in operando magis inter ſe difformes, quàm Angeli; nec adeò facilè erumpunt toto conatu, quo poſſunt in actus intellectus & voluntatis; unde ſicuti magis in Angelis, quàm in hominibus, perfectio operandi commenſuratur perfectioni eſſendi, ità eſt aliqua major ratio, quod in illis potiùs, quàm in iſtis, perfectioni eſſendi commenſuretur quantitas gratiæ.

Ad tertiam dico non eſſe magis inveriſimile, quod omnes Angeli fuerint in primo creationis inſtanti uniformes & concordes ad amandum Deum amore inæquali juxtà inæqualitatem perfectionis naturalis cujuſlibet, quàm quod fuerint uniformes & concordes ad amandum Deum ſimpliciter; utrobique enim difficultas uniformitatis & concordiæ non aliundè oritur, quàm ex libertate, ſicuti igitur *ex præced. num* 21. inveriſimilitudo & difficultas uniformitatis & concordiæ ad amandum tollitur ex collatione uniformi auxiliorum efficacium; ità & difficultas concordiæ ad amandum amore inæquali, &c. tolletur ex uniformi ſeu uniformiter difformi collatione auxiliorum efficacium inæqualium juxtà inæqualitatem, &c. 31. Cur Angeli fuerint concordes in diſpoſitione inæquali ad gratiam?

Quærenti deindè, unde conſtet Deum præparaſſe auxilia taliter inæqualia potiùs, quàm aut æqualia omnibus, aut inæqualia inæqualitate diverſa ab inæqualitate perfectionis naturalis ſingulorum: Dico id colligi ex iiſdem auctoritatibus & congruentiis, ex quibus oſtenſum eſt Deum infudiſſe Angelis gratiam, tùm ex propria diſpoſitione, tùm cum proportione ad inæqualitatem naturæ: Nec placet hâc in re diſcurſus Eſparzæ *præcit. quæſt.* 24. *ab art.* 3. *ad* 6. ubi ſupponit in primis Angelos ex ſuppoſitione elevationis in finem ſupernaturalem impendere in actus ſupernaturales eamdem activitatem, quam impenderent in actus naturales, & poſſe quantùm eſt de ſe Angelos ſuperiores majorem, quàm inferiores activitatem in actus ſupernaturales impendere, & quia cuilibet cauſæ debent præparari cõprincipia ad exercendam totam ſuam activitatem, vult deberi Angelis ſuperioribus auxilia ad actus perfectiores: Supponit inſuper Angelum, quoties aliquid eligit, eligere ſummo conatu & ſumma intenſione ſibi poſſibili; ex his infert Angelos recepiſſe ab initio creationis auxilia inæqualia juxtà inæqualitatem propriæ naturæ & activitatis, item incubuiſſe cuilibet actui ſupernaturali ex tota activitate tùm propria tùm auxiliorum; ſicque exiſtimat ſe aſſignare rationem uniformitatis & concordiæ Angelorum in diſponendo ſe ad gratiam inæqualiter juxtà inæqualitatem propriæ naturæ. In hoc diſcurſu diſplicet primò, quod dicitur Angelos ſuperiores impendere majorem activitatem in actus ſupernaturales, ex hoc enim inferretur majorem activitatem naturalem aliquid conferre ad majorem perfectionem actus ſupernaturalis contrà ſuprà dicta *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. §. 4. Diſplicet ſe- 32. Diſplicet hâc in re diſcurſus Eſparzæ.

cundò

cundò neceſſitas, quam imponit Angelis in ordine ad eligendum ſummo conatu quidquid eligunt, clamat enim in oppoſitum jus libertatis, pro quâ ſtat poſſeſſio; huic autem juri & poſſeſſioni non eſt ſine efficaciſſimis rationibus præjudicandum: Diſplicet tertiò, quia infertur majorem gratiam in ſuperioribus, minorem in inferioribus Angelis, fuiſſe ex natura potiùs, quàm ex Dei liberalitate.

33. In Chriſto & Deiparâ gratia non ſervavit proportionem cum naturâ.

Ex dictis habetur mirum non eſſe, quod in Chriſto & Deipara perfectio donorum ſupernaturalium magno intervallo ſuperaverit perfectionem naturæ, adeò ut licèt hæc fuerit in utriſque imperfectior (loquor de Chriſto ut homine) naturis Angelorum; in donis tamen ſupernaturalibus Deipara, & multo magis Chriſtus, omnes Angelus maximè excellerit: Enimverò ſi reſpectu aliorum hominum ſervata non eſt proportio gratiæ ad naturam, multò minùs ſervari debuit in Chriſto & Deiparâ.

---

§. V.

De peccabilitate omnibus Angelis communi in via; & primò Vtrùm omnes Angeli peccare potuerint directè & immediatè contra legem naturalem?

34. Qualis fuerit peccabilitas Angelorum in materia naturali.

ASSERT. Omnes Angeli ex natura ſua potuerunt peccare directè & immediatè contra legem naturalem. Ità Auctores afferendi *ſequenti* §.8. pro omnimoda repugnantia creaturæ intellectualis ex naturâ ſuâ impeccabilis contrà Durandum *in 2. diſt.6.q.1. & diſt.23.q.1.* Capreolum *in 2. diſt.22.q.1. art.3.* Cajetanum 1.*p. q.63. art.1.* Ioannem à S. Thoma *diſp.23. art.1. num.15.* Gonetum *diſp.13. art.1.§.4.* Ferrarienſem 3. *cont. Gent. cap.109.* Bannexium 1.*p. q.63. art.1.* Zumelem *ibid.* alioſque Thomiſtas cum aliquo tamen inter ſe diſſidio, quatenus Bannez, Zumel, Nazarius nomine legis naturalis in præſenti intelligunt ſolùm legem inſitam & præcepta juris naturæ, non præcepta poſitiva quæ poſſent à Deo imponi in ordine ad finem naturalem; cæteri verò loquendo abſque limitatione videntur intelligere nomine legis naturalis quæcumque naturalis ordinis præcepta etiam poſitiva, hocque expreſsè & in terminis defendunt Gonet §. *præcit. num.*22. Ioannes à S. Thoma *art. præcit. num.*28 & apud iſtum alij.

Dixi *directè & immediatè*, nam ſuppoſitâ elevatione ad finem ſupernaturalem, ex eo, quod Angeli peccare potuerint contrà legem & finem ſupernaturalem conſequens eſt, nec negatur ab Adverſariis, eoſdem peccare potuiſſe contrà legem & finem naturalem indirectè & mediatè; cum non poſſit eſſe averſio à Deo ut à fine ſupernaturali, quin ſit averſio ab eodem ut à fine naturali, & violatio legis ſupernaturalis ſit per ſe ipſam, ſaltem indirecta violatio legis naturæ, ut potè quæ dictat legi ſupernaturali ex ſuppoſitione, quod detur, eſſe obtemperandum: Hinc Thomiſtæ libenter fatentur dæmones mentiendo v. g. invidendo, homineſvè ad malum inducendo, tranſgredi legem naturæ; at dicunt in his omnibus formaliter & directè ipſos peccare contrà legem ſupernaturalem, eo quod omnia præſtent ex odio Dei ut ſupernaturalis Auctoris, & volunt eoſdem tùm in puris naturalibus conditos nullateoùs fore peccabiles, tùm ad ſupernaturalem finem ordinatos non fore peccabiles immediatè & per ſe primò niſi in materia ſupernaturali; contrà tamen

Probatur aſſertum primò: Angeli conditi in puris naturalibus potuiſſent peccare; ſed peccando in puris naturalibus peccaſſent immediatè & directè contrà legem naturalem; ergo Angeli ex natura ſua potuerunt peccare immediatè & directè contrà legem naturalem; minor patet quia in puris naturalibus nec fuiſſet ullum ſupernaturale præceptum, nec ulla ordinatio ad finem ſupernaturalem, adeoque peccatum non potuiſſet immediatè & directè committi contrà finē & legem, ſupernaturalem ſicuti Adverſarij contendunt evenire in præſenti providētia; in quo tamē conſtabit ipſos gratis & perperam laborare, ſi aliundè conſtet poſſe Angelos, quantùm ex ſe eſt, peccare in puris naturalibus, ideò probatur major: Angeli conditi in puris naturalibus obſervarent legem naturalem & præcepta naturalia liberè, quia laudabiliter & meritoriè; ergo poſſent non obſervare & non obſervando peccare. 35. Angeli in purâ naturâ conditi poſſent peccare.

Reſpondent Adverſarij, quod obſervarent liberè quoad exercitium, quatenùs poſſent ea implere per hanc vel illam operationem, & hoc ſufficere ad obſervantiam laudabilem & meritoriam; quāvis deindè non obſervarent liberè quoad ſpecificationem, nec poſſent erumpere in operationem oppoſitam obſervantiæ. Sed impugnatur reſponſio, quia 36. proprium objectum libertatis ſpecificationis ſeu contrarietatis eſt, in quo apparet ratio tùm boni tùm mali, non pura ratio boni, atqui ſub lege naturæ & præceptis naturalibus plura continentur in quibos apparet ratio tùm boni, tùm mali, cujuſmodi ſunt ea præſertim, quæ reſpiciunt bonum alienum juxtà univerſale illud naturæ principiū *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; ergo ſub lege naturæ, & præceptis naturalibus, ſunt plura objecta propria libertatis ſpecificationis; circà quæ per conſequens Angeli non neceſſitarentur quoad ſpeciem actus. Deindè libertas exercitij abſque libertate ſpecificationis improbabitur infrà *n.61.*

Reſpondet Ioannes à S. Thoma *art.1. præcit. num.27.* hinc ſolùm probari quòd Angelus quoad ſpecificationem non neceſſitaretur per ſe & ex meritis objecti, cum hoc tamen ſtare, quod neceſſitaretur ex proprio modo operandi intrà ordinem naturalem, intrà quem ex parte voluntatis ſemper actu diligit Deum ut Auctorem naturæ ſuper omnia; ex parte intellectus ſemper comprehenſivè & unitè procedit circà pertinentia ad legem 37. Quomodò juxta Thomiſtas Angeli in purâ naturâ neceſſitarentur ad bonum.

legem naturalem & bonum rationis, quia hæc omnia cognoſcit in cognitione ſuæ propriæ naturæ, quam ſemper comprehendit, non poſſet igitur ex parte intellectus admittere aliquod dictamen defectuoſum exorbitans à regula rationis; atqui tùm cum dilectione Dei ut Auctoris naturæ ſuper omnia, tùm abſque carentia dictaminis defectuoſi & exorbitantis à regula rationis naturalis, nequit committi peccatum directè contrà legem naturalem; ergo licet non ex meritis objecti, benè tamen ex proprio modo operandi Angelus in puris naturalibus neceſſitaretur ad bonum neceſſitate ſpecifi-

38. cationis requiſita ad impeccabilitatem. Sed impugnatur reſponſio, quia plura falſa ſupponit: falſum eſt primò, quod Angelus in puris naturalibus Deum ut Auctorem naturæ neceſſariò diligeret, & quando concedenda eſſet aliqua Dei dilectio neceſſaria, talis dilectio eſſet concupiſcentiæ, quâ Deus diligeretur ut bonus ipſi Angelo & ut conſervans ipſum in eſſe, potiùs quàm amicitiæ, quâ Deus diligeretur ut bonus in ſe, & tamẽ hæc ſola dilectio non patitur peccati conſortium. Falſum eſt ſecundò Angelum neceſſariò cõprehendere propriam naturam & ſemper cõprehenſivè procedere circà pertinentia ad legem naturalem, quamvis non negem ipſum poſſe ità procedere, ſi velit, pro quo conſulantur ſupradicta *lib. præced. cap. 3. & 4.* Falſum eſt tertiò non poſſe intellectum Angelicum in puris naturalibus admittere dictamen defectuoſum eâ præſertim ratione, quâ tale dictamen poteſt neceſſariò prærequiri ad peccatum ut magis explicabitur *ſeq. §. 9.* Neque dicas hæc omnia ideſt dictamen defectuoſum, cognitionem non comprehenſivã, dilectionem Dei non neceſſariam, poſſe quidem cõvenire Angelo, at non ſecundùm modum operandi ſibi connaturalem; Thomiſtæ verò, dum negant Angelos peccare poſſe in pura natura, ſumunt ipſos ut procedẽtes modo ſibi connaturali. Contrà enim: ſi nomine modi connaturalis operandi intelligitur operari conformiter ad propriã naturã, certè cum natura Angeli ſit ſaltem fundamentaliter ipſa lex naturalis, veriſſimum eſt Angelum operantem modo ſibi connaturali, hoc eſt conformiter ad legem naturalem, peccare non poſſe; at in hoc ſenſu res non poteſt cadere ſub controverſia; Aliter igitur ſumendus eſt modus operandi connaturalis, pro eo ſcilicet, quo Angelus operetur independenter ab extraordinaria & indebita providentia; & in hoc ſenſu Angelus etiam operans modo ſibi connaturali potuiſſet in pura natura peccare.

39. Probatur aſſertum ſecundò: Angeli in ſtatu naturæ elevatæ ſunt peccabiles directè & immediatè contrà legem ſupernaturalem; ergo in ſtatu naturæ puræ fuiſſent peccabiles directè & immediatè contrà legem naturalem, ex quo deindè conſequens eſt ipſos tales extitiſſe etiam pro præſenti ſtatu elevationis in viâ, pro quo ſi per Adverſarios contraxerunt peccabilitatem, quam non habuiſſent in pura natura, à fortiori retinuerunt eã, quam in pura natura habuiſſent: Antecedens ſupponitur, conſequentia probatur, primò quia ſecùs providentia ſupernaturalis minùs conduceret ad ſuum finem & ad ſuæ legis obſervantiam, quàm providentia naturalis, adeoque illa eſſet quodammodo minùs perfecta & minùs ſufficiens: Secundò quia elevatio ad finem ſupernaturalem non eſſet maximum beneficium, videri enim poſſet meliùs & eligibilius ordinari ad ſolum finem naturalem certò & infallibiliter conſequendum, quàm elevari ad ſupernaturalem, cum incertitudine ipſum obtinendi, & periculo amittendi ſimul cum ipſo finem naturalem: tertiò quia eſſe ex nihilo, non habere propriam voluntatem pro regula operandi, aliaque hujuſmodi univerſalia principia, quæ *ex ſeq. §. 12.* afferri ſolent ſimpliciter & abſolutè pro peccabilitate cujuſlibet creaturæ, non minùs militant de Angelis ut ſubeſſent legi naturali in pura natura, quàm de iiſdem ut ſubſunt legi ſupernaturali in natura elevata.

Ex his habetur primò Angelos pro ſtatu puræ naturæ non ſolùm non fuiſſe futuros impeccabiles, ſed nec fortè habituros minorem facilitatem peccandi quã in ſtatu elevationis, nam etiam ex minori facilitate peccandi in natura pura, quàm in elevata, videretur reddi minùs perfecta & minùs benefica ſupernaturalis providẽtia; nec refert quod in pura natura non fuiſſent tot occaſiones peccandi, non tot præcepta, nec tam ardua; Non refert, inquam, quia ſi in ſtatu elevationis augentur præcepta & occaſiones peccandi, augentur etiam exuberantiùs vires & media, quibus præcepta impleantur, occaſiones ſuperentur. 40. Angeli in pura naturâ fortè nec habuiſſent minorem facilitatem peccandi.

Habetur ſecundò non eſſe cenſendam ab hucuſque dictis alienam mentem S. Doctoris cum etiam ipſe ad probandã ſimpliciter peccabilitatem Angelorum adhibeat principia ſupra memorata communia ſtatui puræ naturæ; & quamvis expreſſiùs oſtenderit Angelos peccabiles in natura elevata, quàm in pura, id præſtitit, quia de facto datus eſt ſolus ſtatus elevationis, non quia ad hunc ſolum voluerit Angelicam peccabilitatem reſtringere: Nec obſtat quod, ut refert Ioannes à S. Thoma *art. præcit. n. 18.* ex S. Doctore habeatur malũ Angeli conſiſtere non potuiſſe in eo, quod pertinet ad ordinem naturæ: Peccatum diaboli non fuiſſe in aliquo, quod pertinet ad ordinem naturalem: In actione naturali Angeli non poſſe eſſe malum inordinationis: Naturale eſſe Angelo converti in Deũ ſecundùm quod eſt principiũ naturalis eſſe. Non obſtat, inquam, quia in primis duabus propoſitionibus ſolùm ſermo eſt de objecto primi peccati de facto reperti in malis Angelis: In tertia propoſitione ſumitur actio naturalis pro actione neceſſaria: In quarta naturale ſumitur non pro neceſſario, ſed pro eo quod vel eſt juxtà inclinationem naturæ, vel contra diſtinguitur à ſupernaturali. 41. Mens D. Thomæ.

§. VI.

§. VI.

Vtrùm omnes Angeli, quantùm eſt ex ſe ſeù ex naturâ rei, potuerint peccare venialiter?

42. Angeli ex naturâ rei potuerunt peccare venialiter.

ASSERT. Omnes Angeli, quantùm eſt ex ſe ſeù ex naturâ rei, potuerunt peccare venialiter præſertim ex levitate materiæ. Ità Suarez *hic lib. 3. c. 8.* Lugus *diſp. 17. cap. 4.* Amicus *diſp. 20. ſect. 2.* Dequiros *diſp. 67. ſect. 2.* &c. contrà Alenſem *2. part. q. 98. memb. 4. artic. 3.* Ioannem à S. Thomâ *hic diſputat. 23. art. 3. num. 3.* Gonetum *diſput. 13. articul. 1. num. 29.* & Thomiſtas communiter.

Dixi *quantùm eſt ex ſe ſeù ex natura rei*; nam, Vtrùm vel dæmones de facto nonniſi lethaliter peccent ratione obſtinationis in averſione à Deo; vel omnes Angeli pro præſenti ſtatu viæ ex ſpeciali providentiâ Dei non potuerint quouſque permanſerunt in gratiâ venialiter peccare eo, quod non deceret venialem culpam cum gratiâ conjũgere, ſunt diverſæ difficultates; in quarum primâ Lugus *præcit. c. 4 num. 2.* pro parte aſtruente in dæmonibus potentiam venialiter peccandi, in quam etiam ipſe propendet, refert Valent. & Salas; in ſecundâ docet Eſparza *q. 25. in fin.* omnes Angelos, qui lethaliter peccarũt fortaſſe de facto pro priori naturæ ad peccatum lethale peccaſſe venialiter ratione diverſionis ad objecta, quorum conſiderationi & omiſſioni conſiderationis aliorum ſuberat ſpeciale periculum peccandi lethaliter.

Dixi *præſertim ex levitate materiæ*, nam, Vtrùm poſſint Angeli peccare venialiter etiã ex indeliberatione & ſubreptione actus? negant aliqui ex illis ipſis, qui abſolutè ſtant pro ſuperiore aſſerto, ut Suarez, Eſparza, &c. & eſt maior ratio dubitandi, quàm de peccatis venialibus ex levitate materiæ, ſeù ex genere ſuo, quamvis non admodùm efficax in noſtris principiis ut mox ſubjiciam *n. 47.* Interim

43. Probatur aſſertum: Omnes Angeli quantùm eſt ex ſe potuerunt peccare in materiâ levi non addendo circumſtantiam ullã mortaliter aggravantem, ſed peccatum in materiâ levi nullâ additâ circumſtantiâ mortaliter aggravante eſt peccatum veniale, quod vocant ex levitate materiæ; ergo omnes Angeli quantùm eſt ex ſe ſeù ex naturâ rei potuerunt, &c. Maior quò ad primas particulas probatione non indiget, nec ullus negat poſſe Angelum leviter detrahere, leviter invidere, provocare hominem ad verbum otioſum; ad mendacium jocoſum, &c. tota difficultas eſt quò ad poſtremas particulas propter Thomiſtas contendentes Angelum, in quâcunque materiâ peccet, peccare ex fine lethaliter malo, idque ipſi convenire ex naturâ ſuâ, & ex connaturali

Doctrina Thomiſtica contrà peccatũ veniale Angelorum.

modo operandi; quatenùs voluntas comparatur ad media & ultimum finem eo modo, quo intellectus ad concluſiones & prima principia; & ſicuti intellectus Angelicus ex ſuo connaturali & comprehenſivo modo operandi ſemper incipit à primis principiis, in iſtis ſimul cognoſcit concluſiones, nec poteſt has cognoſcere niſi relatè ad illa; ità voluntas Angelica ſemper incipit ab ultimo fine, in iſto vult media, nec poteſt hæc velle ſeparatim ab illo; hinc fit omnem deordinationem voluntatis Angelicæ debere incipere à fine, nec poſſe Angelum aberrare à mediis, niſi errando ab vltimo fine; quod eſt ipſum non poſſe peccare in materiâ etiam leviſſimâ, niſi contemnendo finem ultimum; & niſi additâ ex fine circumſtantiâ moraliter aggravante, cùm omnis deordinatio ab ultimo fine lethaliter mala ſit: & ecce potiſſimum ac ferè unicum fundamentum opinionis oppoſitæ; ideò ut probentur poſtremæ illæ particulæ noſtræ majoris propoſitionis, quantùm neceſſe eſt ad præſens inſtitutum, ſufficit ſi contrà doctrinam Thomiſticam mox traditam oſtendatur Angelum peccantem poſſe non habere ex fine circumſtantiam mortaliter aggravantem, quod ſic oſtendo; Vt ex fine accedat circumſtantia lethaliter aggravans, ſeù lethaliter mali; requiritur deordinatio poſitiva à fine ultimo, ut enim ſuppono ex ſequenti tractatu de Beatitudine venialiter tantùm, non lethaliter peccat, qui conſtituit negativè tantùm, non poſitivè finem ultimũ in creaturâ, quod eſt idem ac dicere, qui negativè tantùm, non poſitivè à vero ultimo fine deordinat, ſed Angelus peccans poteſt non habere poſitivam deordinationem à vero fine ultimo; ergo Angelus peccãs poteſt non habere ex fine circũſtantiam mortaliter aggravantem: Minor probatur, quia Angelus peccans poteſt verſari præcisè circà medium, non circà finem ſimpliciter ultimum, poteſt ſcilicet non ordinare medium ad finem vlteriorem abſque eo, quòd ordinet ad medium cætera omnia, cum in dicendis in tractatu de Beatitudine homo (eademque quò ad hoc eſt ratio de Angelo) poſſit operari non ordinando ne quidem implicitè ſuam operationem ad finem aliquem ſimpliciter ultimum in particulari; atqui verſari præcisè circà medium, non circà finem ſimpliciter ultimum aut non eſt propriè deordinatio à fine, aut eſt deordinatio à fine ſolùm negativa; ergo.

44. I[illegible]obatur talis doctrina.

45[illegible] Hinc ad præcedentem ratiocinationem Thomiſticam dico in primis paritatem voluntatis comparatæ ad media & ultimum finem cum intellectu cõparato ad concluſiones & prima principia currere quò ad aliqua tantùm; non quò ad omnia; & certè cum etiam in Angelis voluntas, non intellectus ſit potentia formaliter libera, faciliùs etiam in Angelis poteſt voluntas verſari circà media, non circà finem, quàm intellectus circà concluſiones non citrà principia: dico inſuper falſum eſſe quod in-

tellectus Angelicus neceſſariò cognoſcat modo comprehenſivo, nec poſſit cognoſcere concluſiones niſi in primis principiis & non niſi relatè ad illa; pro quo ſufficit recolere quæ ſparſim dicebamus *lib. præced.* de facultate intellectus Angelici ad utendum ſuis ſpeciebus inadæquatè, ad diſcurrendum, ad componendum ac dividendum, &c. Corruit igitur utraque baſis ratiocinationis Thomiſticæ & utraque præmiſſa, ex qua inferebatur omnem deordinationem voluntatis Angelicæ debere incipere à fine ultimo & à cō-temptu ipſius: Et quamvis videatur talis ratiocinatio deſumpta ex S. Doctore 1. 2. *q.* 89. *art.* 4. in re tamen ipſe non conſiderat ibi Angelos in ſtatu viæ, ſed in ſtatu beatitudinis vel damnationis, undè titulus illius articuli eſt *Utrùm Angelus bonus vel malus, &c.* & in corpore articuli loquitur de Angelis bonis & malis prout illi beati, iſti damnati ſunt; in argumento verò *ſed contrà* loquitur quidem de Angelis pro ſtatu viæ, at non negat ibi in ipſis peccatum veniale niſi eo modo, quo in hominibus pro ſtatu innocentiæ, in quo ſi non potuerunt homines peccare venialiter, id habuerunt ab extrinſeco, & ex ſpeciali providentia Dei.

Mens D. Thomæ.

46. Hinc inſuper fit quod Angeli, quamvis de facto ratione dignitatis ſtatus, in quo conditi ſunt, probabiliter fuerint præſervati ab omni veniali, ſi tamen creati fuiſſent in purâ naturâ, in quâ dignitas ſtatus non poſtulaſſet beneficium præſervationis, interdum in venialia incidiſſent, præſertim ex levitate materiæ, in quo genere non defuiſſent frequentes venialium occaſiones.

Supereſt jam aliquid ſtatuere de peccatis venialibus ex indeliberatione & ſurreptione, pro quibus eſt peculiaris ratio dubitandi, ex eo quod Angeli nullam habeant dependentiam à ſenſibus à quâ tamen ſolâ in nobis proveniunt motus ſurreptitij, & aliqualiter indeliberati antevertentes uſum rationis & imperium voluntatis; quatenùs aliquando intellectus noſter à ſenſibus media phantaſia excitatur ad cognoſcendum aliquod objectum, quod ſubitò movet & allicit voluntatem, antequam ipſa poſſit plenè deliberare & applicare intellectum ad perfectam cogitationem & advertentiam; hoc nullatenùs evenire poteſt in Angelo, in quo intellectus non aliundè excitatur, quam ex imperio voluntatis, & cum ſit ab initio refertus ſpeciebus propriis rerum omnium à ſe naturaliter cognoſcibilium, poteſt ſemper à voluntate applicari ad cognoſcendum quodlibet objectū perfectè & cum plena advertentia. His non obſtantibus cum Amico

47. *diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 36. Lugo *diſp.* 17. *cap.* 4. *num.* 12. Dequiros *diſp.* 67. *ſect.* 2. *num.* 5. cenſeo Angelos quantùm eſt ex ſe, & ex naturâ rei habere poſſe motus ſurreptitios ac indeliberatos, & per conſequens peccata venialia ex indeliberatione & ſurreptione; cum hæc nullam habeant ſpecialem præ cæteris peccatis venialibus difficultatem ſuppoſito, quod non repugnet in Angelis ſurreptio ſeu indeliberatio ex genere ſuo; hanc verò non repugnare, & poſſe Angelos quantùm eſt ex ſe habere motum aliquem ſurreptitium probo ex eo, quòd ut ſuppono ex libro ſuperiore Angelus quantùm eſt ex ſe non poteſt ſimul cognoſcere perfectè omnia, quorum habet ſpecies ab unico infuſas, & iſtæ ſpecies poſſunt excitari ab extrinſeco ideſt per alienam locutionem; poterit igitur in uno Angelo præſertim ad plurium aliarum rerum conſiderationem intento excitari ab alio ſpecies alicujus objecti, ad quod ille valdè imperfectè attendat, imò ad quod nequeat niſi imperfectè attendere ſuppoſito, quod nolit deſiſtere ab aliis, in quibus conſiderandis detinetur; in hoc caſu objectum ità imperfectè cognitum poterit ſubitò movere voluntatem cauſando in ipſa motum ſurreptitium & indeliberatum, qui ſcilicet antecedat perfectā intellectus advertentiam & plenam voluntatis deliberationē; imò qui in illa circumſtantia attentionis ad alia objecta diſparata non poſſit perfectæ advertentiæ & plenæ deliberationi ſubeſſe; ergo verè poteſt Angelus quantùm eſt ex ſe habere motum aliquem ſurreptitium ac indeliberatum. Ad rationem dubitandi tranſeat, quòd in nobis pro eo ſtatu, pro quo non habemus alium connaturalem modum intelligendi, quàm per ſenſus, omnis ſurreptio proveniat à ſenſibus; non indè infertur quod dependentia à ſenſibus ſit unica & adæquata cauſa ſurreptionis, aut univerſaliter pro quolibet intelligente aut pro nobis in quolibet ſtatu, ſed ſolùm quod ſit aliqua & ſufficiens cauſa; libenter etiam concedam quod ſit cauſa tùm frequentior tùm efficacior, quatenùs & plures & magis inimpedibiles ſint ſurreptiones, quæ in nobis ex dependentia à ſenſibus, quàm quæ in Angelis aliundè poſſunt provenire. 48.

Peccata venialia ex ſurreptione non ſunt ab Angelis ſpecialiter excludēda.

Solvitur ratio dubitandi.

§. VII.

An & quomodo Angeli peccare potuerint in primo inſtanti creationis?

ASSERT. Angeli quantùm eſt de ſe potuerunt, potentiâ etiam morali & ordinaria, peccare in primo inſtanti creationis, ſumendo tale inſtans rigoroſè pro ut correſpondet nunc noſtri temporis, non verò tantùm prout correſpondet inſtanti Theologico ſeu inſtanti temporis Angelici: Et hæc procedunt potiſſimùm inſiſtendo rationibus.

Dixi *quantùm eſt de ſe* ideſt conſiderando Angelos vel ſecundùm ea, quæ ipſis conveniunt ab intrinſeco & ex natura ſua, vel ſaltem præſcindendo ab infuſione gratiæ, ſi minùs ab ordinatione ad finem ſupernaturalem; nam ſi conſideretur Angelus, prout de facto in primo inſtanti creationis recepit gratiam ſanctificantem & ad ipſam ſe diſ- 49.

poſuit

poſuit per actum ſupernaturalem amoris, & converſionis in Deum, eadem eſt reſpectu Angeli repugnantia ad peccandum in primo inſtanti, quæ ad coniungendam eum peccato gratiam, & ſupernaturalem dilectionem Dei; at non propterea exiſtimo Angelum, ut poſſit peccare in creationis inſtanti, creandum eſſe in pura natura, ſufficit enim ſi creetur ſine gratia, quamvis cum ordine ad finem ſupernaturalem, & cognitione illius per fidem, imò etiam cum ordine ad gratiam pro alio inſtanti recipiendam, ſi ſe ad illam in primo diſponeret, non recipiendam ſi peccaret.

50. *Sententia quædã media circa peccabilitatẽ in primo inſtanti.* Dixi *potentiâ etiam morali & ordinariâ* quæ particulæ ſunt ſpecialiter contra Suarez *hic lib.7.c.20.n.47.* Amicum *diſp.20. ſect.3. n.88.* Eſparzam *q.26.art.2.* Malonium *in 2. diſt.6.diſp.7.* Lexanam *tract.6.diſp.8.q.6.* & alios nonnullos, qui licèt nec eodem modo, nec ex eodem fundamento loquantur, exiſtimant ſe conciliare extremas Thomiſtarum, & Scotiſtarum ſententias, ſecundùm aliquam potentiam negando ſecundùm aliquam aliam affirmando Angelos, quantùm eſt de ſe, peccabiles in primo inſtanti.

51. Dixi *ſumendo tale inſtans rigorosè prout, &c.* quia primum inſtans temporis Angelici nihil eſt aliud, quàm prima operatio angelica; & hac ratione dupliciter excogitari poſſet aliquem Angelum peccare in primo inſtanti, id permittentibus Adverſariis ipſis cum quibus habemus controverſiam; ſi nimirùm vel ſupponatur aliquem Angelum incipere operari diù poſtquam creatus eſt, & habere primum inſtans theologicum longè poſterius ad primum inſtans phyſicum; vel ſermo ſit de inſtanti extrinſeco, aſſumendo pro menſurâ unius Angeli inſtans theologicum ſeù operationem alterius, ſic Angelo ſuperiore perſeverante in primâ operatione, ſi inferior duplicem ſucceſſivè habeat operationem, bonam alteram, alteram malam, dicetur iſte peccare in primo inſtanti theologico alieno tamen & extrinſeco, non ſuo & intrinſeco: At non eſt hic ſenſus, quo hic aſſerimus poſſibilem peccabilitatem Angelorum in primo inſtanti, *Quid hic veniat nomine primi inſtantis?* hujus igitur nomine intelligimus primum *nunc* noſtri temporis, etiam prorsùs indiviſibile, ſi aliquod *nunc* prorsùs indiviſibile dari poteſt; advertendo tamen, quod *nunc* noſtri temporis, ſivè prorsùs indiviſibile, ſive indiviſibiliter ſumptum, admittit prius & poſterius naturâ; quamvis non duratione, adeò ut ſicuti uni inſtanti temporis Angelici poſſunt correſpondere plura inſtantia temporis noſtri, ità uni inſtanti temporis noſtri correſpõdere poſſint plura inſtantia naturæ.

52. *D. Thomas contrarius eſt peccabilitati in primo inſtanti.* Dixi *& hæc procedunt potiſſimùm inſiſtendo rationibus*, quas particulas libenter addidi ob reverentiam auctoritatis D. Thom. qui *in 2.diſt.3.quaſt.2.part.1. de malo, quæſt.16. art.4. 1.p.quaſt.63.art.5.* & alibi adeò conſtanter docet Angelos non potuiſſe peccare in primo inſtanti, ut rationabiliter non admittat explicationem ullam ſuperiori aſſerto conformem; idem quod D. Thomas ſenſerunt alij & plures & graves Auctores ex Antiquis, undè Eſtius *in 2.diſt.3.§.6.* quamvis attentis rationibus in opinionem à nobis aſſertam propendeat, abſolutè tamen appellat tutiorem opinionem oppoſitam, tanquàm majori auctoritate ſuffultam; iure igitur, ne videamur quidquam detrahere auctoritati D. Thomæ & aliorum Antiquiorum, peccabilitatem Angelorum in primo inſtanti ſuſtinemus cum aliquâ modificatione; & rationibus magis quàm auctoritatibus inſiſtendo quamvis hiſce præſertim temporibus non careamus etiam auctoritatum ſubſidio, & magnorum multorumque Auctorum ſuffragio; etenim

Aſſertum à nobis poſitum ſimpliciter & abſolutè ſuſtinent Scotus *in 2.diſt.5.quaſt.2. §. Teneo igitur.* Tartaretus *ead.quaſt.* Maſtrius *in 2.diſp.3.quaſt.1.a.1.* Rada *controv.11.a.3.* Gabriel *in 2.diſt.4.q.1. art.3. dub.1.* Marſil. *in 2.q.3. art.2.* Ochamus *quodlib.2.q.6.* Bachonis *in 2.diſt.23.art.3.* Valentia hic *diſp.4.quaſt.14.punct.4.* Vaſquez *diſp.236. cap.3.* Arriaga *diſput.14.ſect.4.* Averſa *q.63.ſect.5.* Madernus *q.4.art.7.* & cum triplici Scotiſtarum, Nominalium, & Bachoniſtarum Scholà alij plures Recentiores contrà Bonaventur. *in 2.diſt.3.p.2.art.1.q.2.* Albert. *ead.diſt.a.14.* Ægidium *ead.diſt.part.2.q.1.art.2.* Richard. *ead.diſt. art.2. q.2.* Durandum *in 2. diſt.5. q.2.* Alenſem *2.par.quaſt.29.memb.1. art.7.* Henric. *quodlib.8.q.10.* Ferrarienſ. *3. contr. Gent.cap.109.* Caietanum *1.p. q.63. art.5.* Ioannem à S. Thomâ *diſp.23. art.2.* Gonet. *diſp.13.art.5.* & tùm omnes Thomiſtas, tùm omnes ferè Scholaſticos Antiquiores, tùm nonnullos etiam Neotericos, ut Dequiros *diſp.68. ſect.4.* & (licèt cum aliquâ limitatione loquentes) Suarium, Amicum, Eſparzam, aliòſque relatos *præced.n.50.*

Probatur aſſertum: Angeli quantùm eſt de ſe non minùs potuerunt peccare in primo inſtanti creationis, quàm in inſtanti ſequenti, ſeù non minus in primo, quàm in aliquo alio poſteriore Inſtanti propriæ exiſtentiæ; ſed quantùm eſt de ſe potuerunt potentiâ etiam morali & ordinariâ peccare in aliquo ſubſequenti & poſteriore inſtanti; ergo quantùm eſt de ſe potuerunt, &c. Minor eſt extrà controverſiam; Major probatur, quia cum Angelus eiuſdem naturæ ſit in primo inſtanti ac in reliquis, non eſt ei negandum pro primo inſtanti; quod pro reliquis conceditur, niſi adſit peculiaris neceſſitas, quam non adeſſe in præſenti oſtendam deſtruendo potiſſima, quæ ab Adverſariis jaciuntur, fundamenta talis neceſſitatis; & capita repugnantiæ, quam attribuunt peccato primi inſtantis; utque id præſtem majori claritate, ea ſingillatim propono ſub propriis titulis. Ideò ſit 53

§. VIII.

Quomodò Angelis titulo libertatis non repugnat peccare in primo inſtanti?

54. ASSERT. Angeli, quantùm eſt de ſe, poſſunt in primo inſtāti creationis operari liberè, etiam libertate ſufficienti ad peccandum, adeoque titulo libertatis non repugnat ipſis peccare in primo inſtanti. Prima pars eſt ſpecialiter contrà Riebardum, Henricum, Alenſem &c. volentes nullum agens poſſe operari liberè in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ, imò Alenſis videtur id aſtruere etiam de operatione neceſſaria: Secunda pars eſt ſpecialiter contrà Thomiſtas concedentes Angelis pro primo inſtanti libertatem ſufficientem ad meritum, non ad peccatum; quam vocant contradictionis, non contrarietatis.

Probatur prima pars: Angeli poſſunt in primo inſtanti creationis operari neceſſariò, ergo quantùm eſt de ſe poſſunt in eodē operari liberè; antecedens probatur, operationi Angelicæ non repugnat eſſe in inſtanti, imò cum ſit ſpiritualis & indiviſibilis ex genere ſuo petit in inſtanti eſſe potiùs, quàm operationes aliorum agentium; operationi neceſſariæ non repugnat eſſe in inſtāti primo productionis ſui principij, quia adhuc poterit eſſe natura poſterior ſuo principio, & operatio ſaltem neceſſaria non majorem poſteritatem requirit, alioqui omnis poſteritas naturæ eſſet ſimul poſterioritas temporis, quod eſt contrà torrentem Philoſophorum: Prima etiā conſequentia probatur; non eſt requirenda reſpectu proprij principij major poſterioritas in operatione libera, quam in operatione neceſſaria, poſterioritas enim requiritur ratione dependentiæ, quæ major non eſt in una, quàm in alia operatione; ergo ſi in primo inſtanti datur ſufficiens poſterioritas pro operatione neceſſaria, datur etiam pro operatione libera; neque hæc ex ullo alio capite exigit in ſuo principio prioritatem temporis & durationis, ergo.

Dices ex Henrico ad operandum liberè prærequiri indifferentiam; & hanc debere tempore, non natura tantùm præcedere operationem, alioqui ſi præcederet tantum natura, principium liberè operans haberet pro eodem inſtanti temporis determinationem & indifferentiam, ſeu determinationem & carentiam determinationis; adeoque idem ſubjectum pro eodem inſtanti temporis eſſet ſimul ſub forma, & ſub carentia formæ; eſſet ſimul cū forma, & privatione; quo nihil magis repugnans.

55. Indifferētia poteſt eſſe in eodem inſtanti tēporis cum determinatione.

Sed contrà: cōcedo prærequiri indifferentiam ad operandum liberè, at nego hanc debere plus, quàm natura præcedere operationē liberam, & non poſſe eſſe in eodem inſtanti temporis cum determinatione; nec propterea eſſet ſimul determinatio cum carentia determinationis, quia ſicuti actus primus non importat carentiam actus ſecundi, ità nec indifferentia carentiam determinationis, cum indifferentia nihil ſit aliud quàm determinatio in actu primo ſupponens in eodem principio etiam actum primum ad determinationem oppoſitam; determinatio igitur libera addit aliquid ſuprà indifferentiam, at non ponit id quod negat indifferentia, neque eſt incompoſſibilis cum indifferentia, ſed cum hac eſt incompoſſibilis ſola determinatio neceſſaria. Neque urgeas: indifferentia idem eſt ac indeterminatio, omnis autem indeterminatio eſt carentia determinationis: Contrà enim: indeterminatio negativè ſumpta eſt carentia determinationis, non ſic indeterminatio ſumpta poſitivè; cum hâc verò, non cum illa indeterminatione coincidit indifferentia.

Dices ex aliis nonnullis Auctoribus: Operatio libera non poteſt eſſe operatio prima; ergo non poteſt eſſe operatio primi inſtantis, nec de ipſa procedit eadem ratio, ac de operatione neceſſaria, quæ eſt ſemper prima cujuſcumque agentis operatio; antecedens probatur primò, quia operatio libera debet eſſe operatio voluntatis, atqui operatio voluntatis non poteſt eſſe operatio prima, quia nihil volitum quin præcognitum, adeoq; nulla eſt volitio, quam non præcedat intellectio; ergo: ſecundo, quia operatio libera eſt operatio deliberata; atqui operatio deliberata non poteſt eſſe prima, cum debeat ſupponere aliam operationem, ideſt actum deliberantem: tertiò quia omne liberum reſolvitur in aliquod neceſſarium; ergo etiam omnis operatio libera reſolvitur in operationem neceſſariam; atqui non poteſt eſſe operatio prima illa, quæ aliam ſupponit in quam reſolvitur, ergo.

56. Operatio libera non poteſt eſſe operatio omninò prima.

Sed contrà: diſtinguo antecedens, operatio libera non poteſt eſſe operatio prima primitate naturæ concedo, non poteſt eſſe prima primitate temporis, nego antecedens; ergo non poteſt eſſe operatio primi inſtantis naturæ, concedo; primi inſtantis temporis, nego conſequentiam, & dico quod cum inſtans creationis ſit inſtans temporis, ut aliqua operatio ſit ab Angelo in primo inſtanti creationis, ſufficit ſi ſit prima primitate temporis, adeò ut non ſupponat erumpere ab Angelo aliquam aliam operationem priorem tempore, etiamſi requirat aliam operationem priorem natura. Ad primam probationem antecedentis concedo majorem, quam ſuppono procedere de operatione, quæ ſit libera formaliter, & quæ ſit operatio voluntatis, aut elicitivè, aut imperativè; at dico operationem voluntatis non poſſe quidem eſſe primam primitate naturæ, benè tamen primitate temporis; & nihil eſſe volitum, quin ſit præcognitum, vel tempore tamen vel naturâ, non ſemper tempore.

57. Operatio deliberata quænam ſit?

Ad ſecundam dico ad operationem deliberatam ſufficere, quod procedat à voluntate cum plena advertentia intellectus & indifferētia judicij, ſicuti operatio indeliberata dicitur illa, ad quam voluntas movetur ex

ſurreptione

ſurreptione & advertentia non plena. Neque dicas ad plenam advertentiam & perfectam indifferentiam judicij requiri moram temporis, quâ comparetur plena ac perfecta notitia objecti & circumſtantiarum. Contrà enim: intellectus Angelicus, qui diſcurſu non indiget, omnia poteſt ſimplici & inſtantanea inſpectione percipere; ideò in nobis, non in Angelis poteſt requiri ad plenam advertentiam, & prærequiri ad operationem deliberatam mora temporis. Ad tertiam dico, ut liberum reſolvatur in neceſſarium ſufficere, quòd neceſſarium præcedat natura: Quod in conſequentia infertur operationem liberam debere reſolvi in operationem neceſſariam quamvis comparando operationem voluntatis ad operationem intellectus permitti poſſit, abſolutè tamen loquendo poſſet negari, ſufficeret enim operationi liberæ reſolvi in aliquod neceſſarium per modum actus primi; certè ſi comparentur operationes voluntatis inter ſe, exiſtimo ſimpliciter falſum, quòd operatio libera debeat in neceſſariam reſolvi.

58\. Probatur ſecunda aſſerti pars, contenta particulis illis *etiam libertate ſufficienti ad peccandum:* Angeli quantùm eſt de ſe poſſunt in primo inſtanti creationis operari liberè libertate ſufficienti ad merendum; ergo etiam libertate ſufficienti ad peccandum; antecedens admittitur ab Auctoribus, contrà quos agimus in præſenti; conſequentia probatur primò, quia ex natura rei ad peccandum non requiritur libertas major, ſed potiùs, minor, quàm ad merendum, debet enim magis intendi ratio boni ut actus ſit meritorius, quàm debeat intendi ratio mali ut actus ſit peccaminoſus; & quamvis in aliquo ſubjecto, de quo aliunde conſtat impeccabilitas ut de Chriſto Domino, admittatur libertas ad meritum abſque libertate ad peccatum, hoc tamen extendendum non eſt ad ſubjectum, de quo aliunde peccabilitas potius evincitur, quàm impeccabilitas; ut de Angelo in primo etiam inſtanti: Secundò, quia non fuit liberum Angelis carere pro ſecundo inſtanti libertate ſufficienti ad peccandum; atqui ſi tali libertate caruiſſent in primo; fuiſſet ipſis liberum eadem carere in ſecundo, fuit enim ipſis liberum retinere pro ſecundo inſtanti idem dictamen rationis eandemque cognitionem; quam habuerant in primo, & ex quâ Adverſarij maximè inferunt inſufficientiam libertatis ad peccandum pro tali primo inſtanti; ergo: Tertiò, quia libertas, quam Angeli in primo inſtanti habuerant ad merendum fuit ſecundùm ipſoſmet Adverſarios libertas contradictionis & exercitij; atqui hæc libertas eſt ſufficiens ad peccandum ſi minùs peccato commiſſionis contrà præcepta negativa; ſaltem peccato omiſſionis contrà præcepta poſitiva; libertas enim contradictionis ad actus v. g. fidei & charitatis eſt potentia omittendi tales actus, quæ ex ſe præciſè eſt potentia peccandi ſuppoſito præcepto eliciendi tales actus & ſe per ipſos diſponendi ad gratiam; quod certè præceptum Angeli

Non poteſt in Angelis ſuſtineri libertas ad merendum ſine libertate ad peccandum.

de facto habuerunt aut ſaltem habere potuerunt.

59\. Dices cum Thomiſtis & ſingillatim cum Ioanne à S. Thoma *hic diſp. 23. art. 2. n. 31. & ſequentibus* libertatem contradictionis in Angelis pro primo inſtanti eſſe ad omittendum phyſicè & naturaliter, non moraliter & culpabiliter; quia omiſſio moralis & culpabilis debet eſſe volita, adeoque debet importare actum pravum & poſitivum, quo volita ſit; eo ipſo autem, quod importat actum poſitivum pravum ſpectat ad libertatem contrarietatis, quæ verſatur inter actum bonum & actum malum; non ad libertatem contradictionis, quæ præciſè reſpicit actum, & carentiam actus: Suppoſito igitur, quod omiſſio alicujus actus non poſſit eſſe niſi culpabilis, Angelus in primo inſtanti in ordine ad talem omiſſionem habet potentiam antecedentem ſolùm & in ſenſu diviſo, non conſequentem & in ſenſu compoſito. Sed contrà: Hæc doctrina in primis non procedit in ſententia ſuſtinente omiſſionem etiam culpabilem poſſe eſſe puram, nec neceſſariò debere eſſe actu poſitivo volitam: Deinde quod dicitur omiſſionem actus volitam per actum poſitivum ſpectare ad libertatem contrarietatis eſt contrà communiter receptam explicationem libertatis contrarietatis & contradictionis: Tandem ſi libertas in Angelis pro primo inſtanti eſt ad omittendum phyſicè tantùm & naturaliter, erit ſimiliter ad phyſicè tantùm & naturaliter operandum; eademque ratione; quâ non poteſt Angelus pro primo inſtanti omittere culpabiliter & demeritoriè; non poterit pro eodem operari meritoriè & laudabiliter.

60\. Doctrina Thomiſtarũ pro libertate ad meritum abſque libertate ad peccatum.

61\. Impugnatur.

Mitto hic poſitivas Adverſariorum rationes contrà ſufficientiam libertatis ad peccandum pro primo inſtanti, ſunt enim eædem, quæ in univerſum militant contrà potentiam peccandi, & quarum enumerationem ac impugnationem proſequor in ſequentibus §§. Sit igitur

§. IX.

Quomodò titulo cognitionis ad peccandum prærequiſitæ non repugnet Angelis peccare in primo inſtanti.

62\. ASSERT. Ad peccandum, aut non prærequiritur cognitio defectuoſa, aut ſaltem non prærequiritur talis defectus; qui repugnet intellectui Angelico pro primo inſtanti, adeoque titulo cognitionis ad peccandum prærequiſitæ non repugnat Angelis, &c. Dixi ſub disjunctione *aut non prærequiritur cognitio defectuoſa*, ut abſtineam in præſenti ab examinanda controverſia illa, utrùm abſolutè poſſit eſſe peccatum in voluntate nullo præcedente defectu in intellectu: in quâ quidem controverſiâ ſic univerſaliter propoſita partem negativam ſuſtinent cum omnibus Thomiſtis plures recentiores;

tiores, affirmativam verò cum Scoto *in 2. diſt.6.q.1. ad 3. & in 3. diſt.36. quæſt. unica* Maſtrius *in 2. diſput.3. num.37.* Arriaga *hic diſp.23. ſect.6.* aliique nonnulli recentiores ſecuti Scotiſtas & Nominales. Dixi *aut ſaltem non prærequiritur talis defectus, qui repugnet*, &c. in quibus particulis vix habemus alios Adverſarios à Thomiſtis requirentibus ad quodlibet peccatum prævium dictamen defectuoſum, quo intellectus applicet voluntatem ad actum peccaminoſum, judicando practicè talem actum eſſe eliciendum & imperando voluntati ipſius productionem; quia deinde hujuſmodi dictamen pro primo inſtanti ſupponitur præcedere omnē actum Angelicæ voluntatis nequit provenire ex electione ipſius Angeli, conſequens eſt igitur quod aut repugnet in primo inſtanti, aut proveniat ſpecialiter à Deo; hoc ſecundum dici non poteſt; ſi verò primum dicatur, obtinent Thomiſtæ intentum: Contrà tamen

62. Quomodò ad quodlibet peccatum prærequiratur defectus in intellectu.

Probatur & explicatur aſſertum: Cum ex una parte ad eliciendum liberè actum præceptum non requiratur cognitio defectuoſa, & ex alia parte cognitio ſufficiens ad eliciendum liberè actum præceptum ſufficiat ad ipſum omittendum, quia elicere liberè aliquem actum eſt elicere cum potentia & prærequiſitis ad omittendum; ſatis probabiliter infertur ad omittendum actum præceptum & per conſequens ad peccandum ex genere ſuo non prærequiri cognitionem defectuoſam: Si tamen hoc non obſtante aliquis defectus in intellectu prærequiritur, talis defectus nec debet eſſe poſitivus conſiſtens in errore aut judicio moraliter pravo, nec privativus conſiſtens in carentia alicujus cogitationis & conſiderationis debitæ ineſſe pro talibus circumſtantiis, ſed ſufficit negativus conſiſtens in carentia cognitionis non debitæ, quæ tamen ſi adeſſet peccatum impediret, atqui iſte defectus non repugnat intellectui Angelico in primo inſtanti, quia etiam cognitio à Deo ſpecialiter proveniens poteſt eſſe negativè defectuoſa, & carens perfectione ſibi non debita; ergo ad peccandum aut non prærequiritur cognitio defectuoſa aut ſaltem non prærequiritur talis defectus, qui repugnet, &c. In toto hoc diſcurſu indigent ſolùm probatione particulæ illæ *talis defectus nec debet eſſe poſitivus conſiſtens, &c. nec privativus, ſed ſufficit negativus*, &c. Et quidem

63. quod non debeat eſſe poſitivus probatur ex eo, quod Adverſarij malè ſupponunt voluntatem non poſſe ultimò determinari, niſi ex prævio judicio practico vel imperio intellectus; adeò ut illa nequeat velle mendacium, niſi iſte judicet eſſe mentiendum, vel mendacium imperet; malè, inquam, id ſupponunt quia voluntas habet ab intrinſeco facultatem ſe determinandi, nec indiget prævia operatione intellectus niſi ad repræſentandam rationem boni & mali, quæ repræſentatio fieri poteſt per ſimplicem apprehenſionem, æquè ac per judicium vel imperium. Quod item non debeat eſſe privativus probatur ex eo, quod ſecus omne peccatum eſſet ex ignorantia culpabili, quæ nihil eſt aliud, quàm carentia cognitionis debitæ. Quod tandem ſufficiat defectus negativus probatur tùm ex ſufficienti partium enumeratione; tùm ex eo quod cum motiva à peccato retrahentia nimirum Dei bonitas, æternæ beatitudinis præmium, æternæ damnationis pœna propemodùm infinitè prævaleant motivis ad peccatum impellentibus, quæ non ſunt niſi brevis aut utilitas aut voluptas, vix videtur fieri poſſe ut utriſque motivis attentè conſideratis & invicem comparatis voluntas à peccato non retrahatur; quoties igitur voluntas ad peccandum ſe determinat rectè dicitur præceſſiſſe in intellectu aliquis defectus negativus, id eſt carentia attentioris conſiderationis prædictorum motivorum; quæ licèt non ſit debita, ſi tamen adeſſet vix poſſet cum peccato conjungi, unde etiam *Eccleſ. 7.* conſulitur noviſſimorum memoria, tanquam efficaciſſimum non peccandi remedium *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* — Explicatur in omni peccato defectus negativus ex parte intellectus.

Dices: quoties voluntas peccat vult malum propoſitum ſub ratione boni, ergo quoties voluntas peccat intellectus proponit & conſequenter cognoſcit malum ſub ratione boni; atqui hoc eſſe non poteſt ſine errore & actu poſitivè defectuoſo; ergo quoties voluntas peccat præcedit in intellectu poſitivus defectus & error; antecedens probatur, quoties voluntas peccat malè operatur adeoque malum vult; atqui non vult malum ſub ratione mali, quia malum ſub ratione mali eſt objectum fugæ tantùm non proſecutionis; ergo quoties peccat, vult malum ſub ratione boni. Sed contrà: Voluntas quoties peccat vult objectum quod eſt bonum delectabile vel utile, at non honeſtum; & peccatum conſiſtit in eo quod præferatur bonum delectabile, vel utile bono honeſto, hincque voluntas peccando dicitur velle malum oppoſitum bono honeſto, imputativè tamen & interpretativè potiùs, quàm poſitivè & formaliter: Verùm, ne hæreamus in terminis, tranſeat antecedens, diſtinguo conſequens, proponit malum ſub ratione boni ſimul exiſtentis cum tali malo, concedo; ſub ratione boni oppoſiti tali malo, nego antecedens, & in eodem ſenſu nego conſequentiam; non enim error eſt, aut actus poſitivè defectuoſus, ſi mendacium, quod in ſe eſt malum malitia oppoſita honeſtati, proponatur & cognoſcatur ſub ratione boni bonitate delectabili vel utili; quæ verè in mendacio conjungitur cum malitia oppoſita honeſtati; & in rigore id non eſt proponere malum ſub ratione boni, ſed proponere in objecto tùm rationem mali tùm rationem boni. 64. Voluntas dū peccat quomodò velit malū?

Ex dictis habetur; quomodò intelligendæ ſint nonnullæ auctoritates, quæ prima fronte Adverſariis favent, ut quod habetur ex Ariſtotele 3. Ethic. 5. *Omnis malus eſt ignorans*; & verba, quæ in perſona impiorum referuntur Sap. 5. *Erravimus à via veri-* 65. Occurritur auctoritatibus.

tatis :

tatis: Intelligendæ ſcilicet ſunt de ignorantia negativa & errore pariter negativo;vel, ſi velis ſuſtinere peccatum committi poſſe nullo prorsùs præeunte defectu intellectus, intelligendæ erunt de ignorantia & errore ſubſequenti,quatenùs ut colligitur *ex Sap.* 2. ad peccatum ſequitur quædam cæcitas & excæcatio mentis ſecum facilè trahens ignorantiam & errorem.

---

§. X.

Quomodò titulo operationis incipientis cum eſſe rei non repugnet Angelis peccare in primo inſtanti?

66. Operatio incipiens cũ eſſe rei poteſt eſſe peccaminoſa.

ASSERT. Operatio ſaltem libera incipiens cum eſſe rei non eſt ei ab agente, à quo habet eſſe, nec tali agenti ſpecialiter tribuitur, unde nec operatio peccaminoſa incipiens cum eſſe Angeli ſpecialiter tribueretur Deo, à quo Angelus haberet eſſe; adeoque titulo operationis incipientis cum eſſe rei non repugnat Angelis peccare in primo inſtanti. Eſt contrà Thomiſtas, qui maximè fidunt propoſitioni illi univerſali *Operatio quæ ſimul incipit cum eſſe rei eſt ei ab agente, à quo habet eſſe*: & verè eam in terminis approbat ipſemet D.Thomas *hic q.*63. *art.* 5. cui tamen eandem improbando non intendimus contradicere, quia ut præmiſimus §.7. in hac controverſia præſcindimus ab auctoritate, & loquimur ſolùm inſiſtendo rationi: ex quo capite facile nobis eſſet nos obiter expedire à verbis D. Anſelmi *lib. de caſu diaboli c.*12. dicentis *Quidquid ſe movet ad volendum, priùs ſe vult ità movere*: & cap. 13. *Reſtat ut ille Angelus, qui iam aptus factus eſt ad habendam voluntatem, ſed tamen nihil vult, non poſſit habere primam voluntatem à ſe*; facilè, inquam, expediremur fatendo Anſelmum in contraria extitiſſe ſententia, ut ſatetur etiam Amicus *hic diſp.*20. *n.*61. Nihilominùs poteſt quoque Anſelmus explicari dicendo cum Scoto *in* 2. *diſt.* 5. *q.* 2. per ly *primam voluntatem* intelligi ipſam potentiam volitivam, non volitionem in actu ſecundo, & ſimiliter per ly *priùs vult* deſignari primum, non ſecundum actum volendi.

Dixi *operatio ſaltem libera* quia mens non eſt hic definire, utrùm neque operatio neceſſaria incipiens cum eſſe rei attribuenda ſit producenti rem? Solùm adverto ipſoſmet Adverſarios loqui cum aliqua limitatione, nec omnes prorsùs operationes incipientes cum eſſe rei attribuere generanti, ſeu producenti rem; ſed illas ſolas, quæ pertinent ad conſtitutionem ipſius rei in ſtatu ſibi convenienti, connaturali, & habili ad exercendas alias operationes ſibi proportionatas; ſic reſpectu ignis v.g. attribuunt generanti, quod ſursùm moveatur; at non quod calefaciat vel illuminet, quia calefactio & illuminatio,licèt incipiant cum eſſe ignis, non pertinent ad conſtitutionem ejus in ſuo ſtatu naturali, ſicuti motus ad locum ſursùm, ſi extrà ſit, ut magis explicat Ioan. à S. Thoma *hic diſp.* 23. *art.* 2. *n.*44.

Probatur aſſertum: Operatio ſaltem non pertinens ad conſtitutionem rei in proprio ſtatu, etiamſi incipiat cum eſſe rei, non tribuitur ſpecialiter principio producenti rem; ſed operatio libera non pertinet ad conſtitutionem rei in proprio ſtatu, nec requiritur v. g. ad hoc, ut Angelus ſit in ſtatu ſibi connaturali & habili ad operandum; ergo operatio ſaltem libera incipiens cum eſſe rei non eſt ei ab agente, &c. Major conſequitur ad mox præallatam doctrinam Adverſariorum, & ſuadetur à priori ex eo;quod productio dat eſſe, non operari; ex vi igitur productionis vel nulla prorsùs operatiò rei productæ debet attribui principio producenti, vel ea ſola quæ ſpectat ad eſſe ejuſdem rei, ſeu ad connaturalem & proprium ſtatum ipſius: Minor probatur; tùm in univerſum quia ſtatus & eſſe rei importat aliquid permanens, cujuſmodi non eſt ex genere ſuo operatio libera; tùm ſpecialiter de Angelo, quia in ratione principij liberi conſtituitur per potentiam & actum primum non per actualem operationem, nec ad hoc, ut ſit in ſtatu ſibi connaturali & habili etiam proximè ad operandum, prærequirit operationem liberam aut actum voluntatis; ſed ſolùm actum intellectus objectum aliquod proponentis; ergo. 67. Operatio libera incipiens cũ eſſe rei nõ eſt ei ab agente.

Dices: Iſte actus intellectus eſt applicatio voluntatis Angelicæ ad primò operandum; atqui iſte actus intellectus eo ipſo, quod non præſupponit aliquem actum ejuſdem Angelicæ voluntatis debet provenire Deo Auctore, & ex ſpeciali Dei determinatione; ergo etiam Deo Auctore & ex ſpeciali Dei determinatione habetur applicatio voluntatis Angelicæ ad primò operandum, ſeu ad primum actum liberum; nihil autem ampliùs Thomiſtæ intendunt, & nihil ampliùs requiritur, ut prima operatio libera Angeli ſpecialiter tribuatur Deo; & peccaminoſa eſſe non poſſit. Sed contrà: diſtinguo majorem, eſt applicatio impropria & per modum conditionis ad primò operandum requiſitæ, concedo, eſt applicatio propria & per modum determinationis ad primò operandum hoc potiùs; quàm illo modo, nego majorem; & data minore, nego conſequentiam;nec video quomodò inſtantia vim ullam habeat ſuppoſito, quòd voluntas circa objectum ſibi propoſitum determinetur à ſe ipſa, non à judicio practico, vel imperio intellectus, ut volunt Thomiſtæ. 68.

Vrgebis: ſaltem ad primum actum voluntas non poteſt ſe determinare, ſeu ſe applicare per ſe ipſam; ergo ſaltem ad primò operandum actus intellectus reſpectu voluntatis Angelicæ ſe habet per modum determinationis; ſeu applicationis propriè dictæ, & per conſequens, ſi talis actus intellectus ſpecialiter tribuatur Deo, etiam applicatio, ſeu determinatio voluntatis Angelicæ ad

primò

primò operandum, erit ſpecialiter Deo tribuenda; antecedens probatur, ut voluntas ſe determinet ſeu ſe applicet ad aliquem actum, debet velle talem actum; atqui non poteſt velle primum actum, quia ſecùs haberet alium actum priorem primo actu; ergo. Sed contrà: voluntas poteſt velle ſuum actum vel imperativè, formaliter, & per modum objecti: vel elicitivè tantùm, virtualiter, & præcisè per modum actus, primo modo vult ſuum actum per priorem actum diſtinctum, ſecundo modo vult ſuum actum per ſe ipſum, & ex eo præcisè quod vult, vult ſe velle: ut voluntas ſe determinet & applicet ad aliquẽ actum ſufficit quod talem actum ſecundo modo velit, ideò poteſt ſe applicare ad primum actum abſque eo quod habeat actum priorem primo.

69. Quomodò voluntas ſe applicet ad ſuum primum actum.

Ex dictis habetur primò in Angelo pro creationis inſtanti conſiderari poſſe vel operationem omninò primam, vel operationem primam liberam: illa eſt operatio intellectus, iſta eſt operatio voluntatis: Illam concedimus non potuiſſe de facto eſſe niſi ex ſpeciali excitatione & determinatione Dei, non enim potuit talis excitatio eſſe ex electione ipſius Angeli, quia ſecùs aliqua operatio voluntatis præcederet omnem operationem intellectus, nec ex determinatione alterius cauſæ ſecundæ, aut alterius Angeli: quia nec ulla cauſa ſecunda primo inſtanti exiſtentiæ Angelorum, nec ullus Angelus aliis de facto præextitit: Non negaverim tamen, quòd ſi Deus nunc v. g. aliquem Angelum de novo crearet, pro excitanda in iſto prima cognitione non eſſet neceſſariò recurrendum ad Deum, ſed poſſet talis excitatio fieri ab aliis Angelis jam præexiſtentibus: & ſi fieret ab Angelis malis, cognitio quæ primò excitaretur poſſet eſſe etiam poſitivè defectuoſa. Porrò cõcedendo de facto fuiſſe ſpecialiter à Deo primam operationem Angelici intellectus adhuc id negamus de prima operatione Angelicæ voluntatis: quod diligenter advertendum eſt, ne communis vox operationis primæ ſit occaſio confundendi unam cum alia in præſenti controverſia, in qua tamen hucuſque oſtenſum eſt valdè diſparem eſſe utriuſque rationem.

70. Occurritur axiomati & exemplis quibus Adverſarij fidunt.

Habetur ſecundò Adverſarios hic malè pro ſe afferre tùm axioma illud *qui dat formam dat conſequentia ad formam*, tùm plura exempla rerum artificialium, in quibus ipſarum defectus tribuitur Artifici, ſi in prima operatione defectuoſæ ſint: ut ſi horologium primas horas malè pulſet, ſi calamus primum caracterem malè formet. Enimverò axioma illud procedit ſolùm de iis, quæ formam conſequuntur neceſſariò, cum præſertim ea, quæ liberè à forma proveniunt, valdè impropriè dicantur formam conſequi: Exempla etiam illa ſunt de rebus reſpicientibus operationes neceſſarias, & quas benè vel malè fieri non eſt in libera earundem rerum poteſtate. Deinde Artifici tribuitur non ſolùm, ſi prima vice, ſed etiam ſi poſteà defectuoſa ſint in ſuis operationibus artificiata: & horologium conſtituens vel aptans calamum minùs exprobraretur, ſi illud prima vice malè poſteà benè diu incederet, iſte prima vice malè poſteà benè diu atramentum redderet, quàm ſi è contrà: Quoties igitur talia exempla quidquam probarent, tribuendæ eſſent Deo operationes Angelicæ non ſolùm primi inſtantis, verùm etiam cujuſcumque inſtantis ſubſequentis; rectè propterea monet Arriaga *hic diſp.* 14. *ſect.* 1. *num.* 11. Adverſarios parùm debere fidere his exemplis quæ examinata diligenter noſtram potiùs, quàm ipſorum ſententiam perſuadent.

§. XI.

Quomodò nullo alio titulo repugnet Angelis peccare in primo inſtanti?

ASSERT. Nec titulo productionis omninò liberalis & gratioſæ; nec titulo cognitionis inter omnes in via poſſibiles perfectiſſimæ, nec titulo ſpecialis manutenentiæ Dei; nec ullo alio titulo aſſignabili repugnat Angelis peccare in primo inſtanti. 71. Prima pars eſt contrà Dequiros *hic diſp.* 68. *ſect.* 4. docentem Deum, ſicuti nullum habuit debitũ creandi Angelos, ità illos creaſſe omninò liberaliter & gratioſè, adeoque inſtans creationis Angelorum fuiſſe inſtans gratiæ & miſericordiæ, Angeloſque ipſos pro tali inſtanti fuiſſe gratiæ & miſericordiæ opus, nec minùs repugnare, quod pro eodem inſtanti peccaverint; quàm quod imputetur peccatum gratiæ & miſericordiæ Dei. Secunda pars eſt contrà Eſparzam *q.* 26. *art.* 3. exiſtimantem inter cognitiones tam naturales, quàm ſupernaturales, reſpectu Angeli, dum eſt in via, poſſibiles & contentas in ejus virtute activa naturali, gratiæque auxiliis ei conceſſis, deberi eidem pro primo inſtanti omnium perfectiſſimam, & perfectiſſimè omnium dirigentem in ultimum finem; hanc verò cognitionẽ perfectiſſimam continere, ſeu ſecum trahere impotentiam moralem ad peccandum. Tertia pars eſt contrà Suarezium *lib.* 7. *c.* 20. *n.* 47. volentem Deum ſecundum leges providentiæ ordinariæ teneri ad non permittendum peccatum in Angelis, ſeu ad ipſos manutenendos, ne peccent pro primo inſtanti, eo planè modo, quo multi docent tùm primos Parentes tùm omnes Angelos fuiſſe toto viæ decurſu ex ſpeciali Dei providentia manutenendos, ne peccarent venialiter, priuſquam lethaliter.

72. Angelis non repugnat peccare in primo inſtanti titulo productionis gratioſæ.

Probatur prima pars: Dato quod productio Angelorum fuerit omninò liberalis & gratioſa, talia tamen fuit ſolùm in ordine naturali, & per conſequens ſolùm in ordine naturali Angeli pro primo inſtanti fuerunt opus gratiæ & miſericordiæ, atqui cum opere gratiæ & miſericordiæ quod eſt tale ſolùm in ordine naturali non repugnat conjungi peccatum; ergo titulo productionis omninò liberalis & gratioſæ non repugnat

Angelis

Angelis peccare in primo inſtanti. Major patet, quia productio Angelorum nihil involuit ordinis divini, nec ullam dicit proportionem cum prædicato aliquo proprio Dei ut eſt in ſe, ut requiritur ad ordinem ſupernaturalem; dato igitur, quod fuerit omninò liberalis & gratioſa, talis tamen fuit ſolùm, &c. Dato, inquam, quia præſertim in ſententia ſuprà relata *lib.* 1. *c.* 1. *num.* 14. aſſerente demonſtrabilem eſſe ex perfectione univerſi Angelorum exiſtentiam facilè ſuſtineretur ſuppoſito decreto creandi univerſum fuiſſe debitam perfectioni univerſi, non verò omninò liberalem & gratioſam productionem Angelorum: Minor probatur, quia opus gratiæ & miſericordiæ in ordine naturali, quamvis importet aliquid non debitum, non importat tamen aliquid poſitivè indebitum; repugnantia autem cum peccato, ſeu impotentia peccandi eſt aliquid poſitivè indebitum creaturæ intellectuali ſe-

73. cundùm ſe conſideratæ. Confirmatur: Quod productio Angeli pro primo inſtanti ſit opus miſericordiæ & gratiæ infert duntaxat Angelum ipſum eſſe opus miſericordiæ & gratiæ ſecundùm ea, quæ habet ex vi productionis, quod eſt idem ac dicere ſecundùm ea, quæ habet ſpectantia ad eſſe non ſecundùm ea, quæ habet ſpectantia ad liberè operari juxta doctrinam traditam *præced. num.* 67. ſed ſi Angelus pro primo illo inſtanti peccaret, peccatum ſpectaret ad liberè operari, non ad eſſe: ergo adhuc peccatum non refunderetur in Dei miſericordiam & gratiam. Mitto alia pro hac prima aſſerti parte argumenta, ex quibus plura ſibi objicit ipſemet Dequiros *diſp præcit. à ſect.* 5. *ad* 15.

74. Nec titulo cognitionis perfectiſſimæ.

Probatur ſecunda pars: Falſum eſt deberi Angelo pro primo inſtanti cognitionem omnium ipſi in via poſſibilium perfectiſſimam; ergo titulo cognitionis perfectiſſimæ ei non repugnat peccare in primò inſtanti, etiamſi deinde detur ex cognitione illa perfectiſſima ſequi moralem peccandi impotentiam, quod facilè negarent qui abſolutè docent poſſe committi peccatum nullo prorsùs præcedente defectu intellectus; probatur antecedens; Angelus eſt indifferens, ut ad primam cognitionem eliciendam pro primo inſtanti excitetur, aut à Deo, aut ab alio Angelo, ſi ſupponatur aliquis alius Angelus præexiſtens, ergo ei non debetur pro primo inſtanti cognitio omnium perfectiſſima, alioqui Angelus excitans inferret excitato injuriam, ſi eum primò non excitaret ad perfectiſſimam cognitionem: Deinde Adverſariis incumbit aſſignare, unde oriatur tale debitum cognitionis perfectiſſimæ: Nec ſufficit dicere, quod in ordine ad talem primam cognitionem Angelus eliciens eſſet cauſa naturalis & neceſſaria, cauſæ verò neceſſariò agenti debeatur ex natura rei effectus, præſertim immanens, perfectiſſimus omnium, qui ab ea fieri poſſunt. Non ſufficit, inquam, quia Angelus in ordine ad primam cognitionem, quamvis elicitivè ſit cauſa naturalis & neceſſaria, applicativè tamen, ſeu excitativè dici poteſt cauſa libera, quatenus petit à cauſa libera applicari, ſeu excitari, cauſæ autem liberæ convenit excitare cum libertate, & cum facultate applicandi ad cognitionem magis vel minùs perfectam.

Probatur tertia pars: Leges providentiæ ordinariæ Dei non exigunt ſpecialem manutenentiam Angelorum à peccatis pro primo inſtanti; ergo titulo ſpecialis manutenentiæ Dei non repugnat Angelis peccare in primo inſtanti; antecedens probatur primò; quia leges hujuſmodi eſſent leges providentiæ ordinariæ moralis, contrà quas nec de potentia abſoluta Deus poteſt operari, & tamen Auctores, quos impugnamus, volunt Deum de potentia abſoluta ſubtrahere poſſe ſpecialem illam manutenentiam: Secundò quia leges providentiæ ordinariæ ſe accommodant exigentiæ creaturarum, & ſinunt cauſas ſecundas agere motus ſuos; ergo ſi Angeli ipſi ſecundùm ſe non exigunt talem ſpecialem manutenentiam, neque ipſam exigent leges providentiæ ordinariæ Dei, quod autem eam non exigant Angeli ipſi ſecundùm ſe patet ex hucuſque dictis pro libertate & potentia eorundem ad peccandum in primo inſtanti: Et hinc obiter habetur aliqua major ratio manutenendi eoſdem Angelos, ne ſuppoſita creatione in gratia peccarent venialiter priuſquam lethaliter; eo quia talem manutenentiam videbatur exigere phyſicè dignitas ipſa ſtatus gratiæ pro ſtatu innocentiæ. 75. Nec titulo ſpecialis manutenentiæ Dei.

Dices: leges providentiæ ordinariæ exigunt illud, quod magis conſentaneum & magis connaturale eſt; atqui magis conſentaneum & magis connaturale eſt non permittere peccatum in Angelis pro primo inſtanti; ergo talem non permiſſionem, in quâ conſiſtit ſpecialis manutenentia, exigunt leges providentiæ ordinariæ: Minor probatur, quia ex tali non permiſſione magis præcluditur aditus omnis tribuendi culpam aliquam Deo, & meliùs ſuſtinetur ratio, quâ plures ſancti Patres probant Angelum in primo inſtanti non fuiſſe malum quia à Deo creatus eſt. Deinde leges potentiæ ordinariæ exigunt id, quod ordinariè fit; atqui ordinariè non permittitur peccatum in Angelis pro primo inſtanti, cum de facto in tota Angelorum multitudine nullum hujuſmodi peccatum permiſſum fuerit; ergo. Sed contrà: diſtinguo majorem, leges providentiæ ordinariæ exigunt etiam illud, quod &c. concedo; exigunt tantùm illud quod, &c. nego majorem; & data minore ad diſtinctionem majoris diſtinguo conſequens & dico leges providentiæ ordinariæ exigere illud omne, quod poteſt Deus præſtare abſque miraculo, & quia Deus ex dictis *tract.* 1. *lib.* 4. *cap.* 5. §. 2. neque etiam moraliter & de potentia ordinaria neceſſitatur ad id, quod ex parte objecti melius eſt, ſequitur ipſum poſſe abſque miraculo velle illud, quod eſt minùs conſentaneum, & minùs connaturale, adeoque ex legibus providentiæ ordinariæ non teneri ad magis conſentaneum. Alia etiam diſtinctio poſſet 76. Providentia ordinaria Dei non reſpicit ſingulum quod magis conſentaneum eſt.

hic adhiberi dicendo leges providentiæ ordinariæ exigere illud, quod magis conſentaneum & connaturale eſt, ſumendo ly *magis* adverſativè, prout dicitur in ordine ad aliud, quod nullatenùs conſentaneum & connaturale ſit; ſecùs ſumendo ly *magis* comparativè, pro ut dicitur in ordine ad aliud, quod & ipſum connaturale ac conſentaneum eſt, quamvis in inferiore gradu; in Angelis autem pro primo inſtanti non permiſſio peccati relata ad permiſſionem eſt comparativè tantùm, non adverſativè magis conſentanea: ideò, &c.

Niſi ſumendo ly *magis* adverſativè.

77. Ad probationem minoris dico magis apparenter, non magis re ipſa præcludi aditum & ſuſtineri rationem, &c. nam nec ex peccato Angelorum in primo inſtanti ullatenùs imputabilem eſſe culpam Deo patet *ex duobus præcedentibus* §.§. Nec ſancti Patres probant Angelum in primo inſtanti non fuiſſe malum, quia quomodocumque à Deo creatus eſt, ſed quia creatus eſt tali modo id eſt in gratia. Ad illud quod additur dico ly *ordinariè fit* ſumi poſſe, vel pro fieri ſine miraculo, vel pro fieri frequenter vel etiam ſemper; primo, non ſecundo modo illud, quod ordinariè fit eſt ſecundùm leges potentiæ ordinariæ.

Probatur quarta pars, quia circa peccatum Angelorum in primo inſtanti non eſt aſſignabilis ullus titulus repugnantiæ non aſſionis alicui ex hucuſque improbatis, & qui per conſequens non poſſit ex hucuſque dictis facilè rejici: ergo.

---

§. XII.

Vtrùm ſit dabilis Angelus, vel alia creatura intellectualis, cui ex natura ſua ſimpliciter repugnet poſſe peccare?

78. Repugnat creatura intellectualis ex natura ſua ſimpliciter impeccabilis.

Aſſert. Neque de potentia abſoluta eſt dabilis Angelus, vel alia creatura intellectualis, cui ex natura ſua ſimpliciter repugnat poſſe peccare. Ità D.Thomas *in 3. diſt.* 23. *q.*1. *art.*1. *de verit. q.* 24. *art.*7. 3. *contrà Gentes, cap.* 109. 1. *part. q.*63. *art.*1. Bonaventura *in* 2. *diſt.*23. *art.*1. *q.* 1. Ægidius *eadem diſt. q.* 1. *art.* 1. Scotus *ead. diſt. quæſt.unica*, §. *Dico igitur* Eſtius *in* 2. *diſt.*7, §.9. Suarez *hic lib.*7. *cap.* 3. Valentia *q.*54. *punct.*1. Vaſquez *diſput.*231. *cap.*2. Amicus *diſp.*20. *ſect.*1. Lugus *diſput.* 17. *cap.*3. Dequiros *diſput.*69. *ſect.*2. Eſparza *diſput.*25. *art.*5. Averſa *q.*63. *ſect.*1. Madernus *q.*4. *art.* 6. & cum omnibus tùm Thomiſtis tùm Scotiſtis omnes ferè recentiores contrà Magiſtrum *in* 1. *diſt.* 44. *cap.* 2. Ochamum *eadem diſt. quæſt. unica art.* 1, Majorem *in* 2. *diſt.*23. *quæſt.* 2. Gabrielem *eadem diſtinct. art.*1. Malonium *in* 2. *diſt.*6. *diſp.*3. Bachonem *in* 2. *diſt.* 38. *art.* 2. Arriagam *de Deo diſp.*5. *ſect.* 4. *ſubſec.* 2. alioſque nonnullos, quibus prima facie videntur addi poſſe quicumque propugnant poſſibilitatem ſubſtantiæ creatæ ab intrinſeco ſupernaturalis, & habentis connaturalitatem ad viſionem Dei, hi nihilominùs, quamvis poſſint faciliùs ſuſtinere in aliqua creatura impeccabilitatem ab intrinſeco, ad hoc non compelluntur ex prærogativa ſubſtantiæ ſupernaturalis quia dici poſſet accidens ſupernaturale non poſſe eſſe principium peccandi, quia Deus per ipſum facit ſpecialem favorem ſubjecto, nec poteſt ſubjectum ex ſpeciali Dei favore acquirere principium peccandi; quod non militat pro ſubſtantia, quæ ſicuti non eſſet suprà exigentiam alicujus ſubjecti, ità non importaret in ſui productione ſpecialem Dei favorem magis, quàm de facto ſubſtantia Angeli, cui dicendi modo faveret doctrina ex Dequiros relata *præcedenti num.*71. Multo minus ad id compelluntur ex connaturalitate ad viſionem præſertim juxtà principia Scotiſtica ponentia Dei viſionem de facto reddere beatos impeccabiles ſolùm ex decreto Dei extrinſeco, non ex natura rei; juxta principia verò ex natura rei connectentia impeccabilitatem cum viſione adhuc dici poſſet creaturam, cui connaturalis eſſet viſio, non propterea fore neceſſariò videntem; peccatum autem optimè poſſe repugnare cum viſione, non cum capacitate connaturali viſionis. Hæc poſita ſunt doctrinæ gratia, & ad inſinuandum quid juxta aliena principia dici poſſet, non quid juxtà noſtra dicendum eſſet in hypotheſi ſubſtantiæ creatæ ab intrinſeco ſupernaturalis, & connaturaliter Deum videntis.

79. Talis impeccabilitas non conſequitur innegabiliter ex hypoteſi ſubſtantiæ ſupernaturalis connaturaliter videntis Deum.

80. Dixi in aſſerto *vel alia creatura intellectualis*, quia in rigore non poteſt aut latiùs aut reſtrictiùs controverſia agitari: Non latiùs, fruſtrà enim extenderetur ad creaturam brutalem aut brutali inferiorem, quæ nullatenùs operatur in genere moris, & impeccabilis eſt titulo imperfectionis & incapacitatis ad reſpiciendam regulam ullam, non titulo perfectionis & indefectibilitatis à regula quam reſpiciat; in quo ſolùm ſenſu controvertitur creaturæ impeccabilitas: Non reſtrictiùs, quia rationes militantes contrà impeccabilitatem Angeli communes ſunt cuilibet intellectuali creaturæ; unde etiam quamvis aliqui ex Auctoribus præcitatis explicitè loquantur de ſolis Angelis, utendo tamen rationibus cuilibet intellectuali creaturæ communibus meritò cenſentur idem ſentire de qualibet intellectuali creatura.

Dixi *ex natura ſua* id eſt ex principiis intrinſecis, & præſcindendo à quolibet dono naturæ ſuperaddito, maximè verò à viſione beata & unione hypoſtatica, quæ duo ſunt potiſſima, & fortè etiam unica principia, ex quibus creatura intellectualis redditur abſque alio favore Dei extrinſeco impeccabilis, ut ſuppono ex tractatibus de Beatitudine & de Incarnatione.

81. Dixi *ſimpliciter repugnet poſſe peccare*, quia licèt cohærenter ad ſupradicta de po-

tentia

tentia Angelorum ad peccandum, tùm in pura natura, tùm venialiter, tùm pro primo exiſtentiæ inſtanti, exiſtimem repugnare creaturam quæ ex ſua natura ſit impeccabilis etiam ſolùm ſecundùm quid; in hac tamen impeccabilitate adeò univerſaliter accepta non conveniunt omnes Auctores pro aſſertò præallati; ex quibus, ut patet recolenti *præcedentes* §. §. 5. 6. & 7. plures contenti ſunt ſuſtinere creaturam quamlibet ex natura ſua peccabilem pro ſtatu elevationis, poſt primum exiſtentiæ inſtans, & in genere dumtaxat culpæ lethalis; quæ certè peccabilitas aliqua ex his conditionibus vel omnibus modificata, ſufficientiſſima eſt ad aſſerendum repugnare impeccabilitatē ſimpliciter, hæc quippè omnem prorsùs peccabilitatem negat: In noſtri igitur aſſerti probatione non erimus ſolliciti de hac, vel illa, determinata peccabilitate; & intentum obtinebimus oſtendendo in univerſum repugnantiam creaturæ intellectualis, quæ nullo modo id eſt pro nullo ſtatu, nullo tempore, & nullo genere peccati poſſit ex natura ſua peccare. In hoc ſenſu aſſertum

Probatur primò auctoritatibus ſanctorum Patrum, quarum pondere magis, quàm rationibus ſe flecti profitentur Scotus, Valentia, aliique nonnulli ex præcitatis aſſerti propugnatoribus; hujuſmodi porrò auctoritates paſſim obviæ ſunt apud Scholaſticos, ſingillatim apud Vaſquium, Amicum,

82. Mens D. Auguſtini.

Madernum locis præcitatis: Neque hiſce auctoritatibus quidquam detrahunt verba Auguſtini *lib. 11. Geneſ. ad lit. cap. 7.* ex quo Magiſter *cap. 1. præcitato* refert hæc haberi *Talem potuit Deus hominem feciſſe, qui nec peccare poſſet, nec vellet; & ſi talem feciſſet quis dubitat eum meliorem fuiſſe?* Quidquam certè non detrahunt, quia verba illa, ut à Magiſtro referuntur, non ſunt Auguſtini, qui ibi ſolùm docet poſſe à Deo fieri creaturam, quæ nolit peccare; & quæ poſſit non peccare, peccare tamen velit; nolle autem peccare, & poſſe non peccare longè diverſum eſt à non poſſe peccare, porrò formalia verba Auguſtini *cap. 7. præcitatò*, vel potiùs *in fine cap. 6. præcedenti* hæc ſunt, *Ecce nos concedimus meliorem eſſe naturam, quæ omninò peccare nolit, concedant & ipſi non eſſe malam naturam, quæ ſic facta eſt; ut poſſet non peccare, ſi vellet.* Fortè magis favet Adverſariis quod idem Auguſtinus ait *lib. 22. contrà Fauſtum cap. 28.* ubi poſtquam præmiſit *ſi nihil delectaret illicitum; nemo peccaret*, ſubdit, *Utrùm autem ſit aliqua rationalis creatura, quam nihil illicitum poſſit delectare? magna quæſtio eſt.* Nihilominùs anceps iſte loquendi modus nihil aliud evincit, quàm noluiſſe ibi Auguſtinum aliquid definire, non ſic indefinitè locutus eſt *lib. 3. contrà Maximinum cap. 12.* verbis illis *Cuicumque creaturæ rationali præſtatur ut peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ:* Nec rectè diceretur verba hæc procedere ſolùm de creaturis exiſtentibus; enimverò creaturis poſſibilibus æquè ac exiſtentibus convenit eſſe ex nihilo, ex quo Auguſtinus aliis in locis ſumit rationem peccabilitatis, ſic *lib. 2. de Civit. cap. 6.* docet *voluntatem malam non ex eo eſſe incipere, quia natura eſt: ſed ex eo, quod de nihilo natura facta eſt*, & cap. 7. ait *ea poſſe deficere, quæ ex nihilo facta ſunt.* In hac peccabilitatis radice aſſignanda frequentes ſunt reliqui etiam SS. PP. quibus familiare eſt ſoli Deo tribuere non poſſe peccare eo, quod ipſe ſolus ſit à ſe, non ab alio nec ex nihilo; cujus quidem rationis vim mox magis elucido.

Probatur ſecundò ratione univerſaliſſima: Neque de potentia abſoluta eſt dabilis creatura intellectualis ex natura ſua ſimpliciter indefectibilis in operando; ſed creatura, cui ex natura ſua ſimpliciter repugnaret poſſe peccare, eſſet ex natura ſua ſimpliciter indefectibilis in operando; ergo neque de potentia abſoluta; &c. Major probatur, neque de potentia abſoluta eſt dabilis creatura ex natura ſua ſimpliciter indefectibilis in eſſendo, ut ſuppono *ex tr. 1. lib. 1. cap. 7. §. 2.* & admittunt ferè omnes Adverſarij; ergo ſimiliter non eſt dabilis creatura ſimpliciter indefectibilis in operando, cum virtus operativa ſequatur eſſentiam rei, & perfectio operandi non poſſit eſſe major, quàm perfectio eſſendi: Porrò quia defectibilitas cujuſcumque creaturæ in eſſendo & vertibilitas ipſius ab eſſe ad non eſſe, ſeu ad defectum eſſendi, maximè infertur ex eo, quòd quæcumque creatura ab alio ſit, & ex nihilo; etiam in eſſe ab alio & ex nihilo refunditur defectibilitas in operando & vertibilitas ab operatione cum rectitudine ad operationem cum defectu rectitudinis; ſicque profundiſſima eſt æquè ac validiſſima illatio, quâ ſancti Patres ex eſſe ab alio, & ex nihilo deducunt in quolibet creatura potentiam peccandi, & ex eſſe à ſe reperto in ſolo Deo arguunt in ſolo Deo ex natura ſua poſſe reperiri impeccabilitatem. 83.

Quomodò ſancti Patres ex eſſe ab alio & ex nihilo rectè inferant potentiam peccandi?

Dices defectibilitatem in eſſendo eſſe defectibilitatem entitativam & phyſicam ſufficientem ad inferendam defectibilitatē entitativam & phyſicam in operando; ad inferendum ſcilicet, quod operatio poſſit deficere in entitate & in eſſe phyſico; at non ad inferendam defectibilitatem moralem, ratione cujus operatio permanens in entitate deficiat a rectitudine: Accedit quod eâdem arguendi formâ probaretur etiam operationes procedentes ab habitibus virtutū poſſe eſſe moraliter defectuoſas, quia habitus ipſi virtutum ſunt defectibiles in eſſendo; inſuper etiam Beatos eſſe defectibiles in operando & peccabiles, quia beati ipſi ſunt defectibiles in eſſendo, & ex nihilo. Sed contrà: dicitur defectibilitatem entitativam & phyſicam in eſſendo ſufficere ad inferendam defectibilitatem etiam moralem in operando; primò quia omne morale fundatur in phyſico, & ad phyſicum conſequitur, nec unquam per ſe & ſolitariè ſtat; quoties igitur phyſicum eſt defectibile, ſi ad ipſum conſequitur aliquod eſſe morale, debet hoc participare 84.

Ex defectibilitate phyſica infertur moralis.

conditionem ſui principalis, id eſt defectibilitatem; ſecundò, quia defectibilitas entitativa & phyſica convenit operationi etiam præcisè ex eo quod in ſe creatura ſit abſtrahendo à defectibilitate principij: ergo ut ex defectibilitate principij in eſſendo aliquid inferatur, debet inferri in operando defectibilitas moralis: tertiò quia defectibilitas moralis eſt minor defectibilitate phyſica: ergo id, quod ex parte principij ſufficit ad inferendam defectibilitatem phyſicam, multo magis ſufficit ad inferendam defectibilitatem moralem operationis. Neque dicas: ex defectibilitate per annihilationem non ſemper infertur defectibilitas per corruptionem, & tamen illa eſt major iſtâ: ergo ſimiliter ex defectibilitate phyſica, quamvis ſit major morali, non ſufficienter infertur defectibilitas moralis. Contrà enim: deſitio per annihilationem & deſitio per corruptionē ſunt duo omninò diſparata, non ſic defectus phyſicus & defectus moralis, cum iſte in illo fundetur; arguitur autem rectè à majori ad minus inter connexa, non

85. Vbi ûque operatio procedit modo morali.

inter omninò diſparata. Ad illud, quod additur, dico defectibilitatem principij in eſſendo arguere defectibilitatem moralem in operatione procedente à tali principio modo morali, quod eſt idem ac dicere modo libero, quo modo procedunt operationes a voluntate tantùm, non ab aliquo habitu, ideò, &c. & hinc obiter patet, cur defectibilitas eſſendi in creaturis brutalibus, & inſenſibilibus, in ipſis non arguat defectibilitatem moralem operandi, quia ſcilicet nulla operatio ab ipſis prodit modo morali; nec proptereà ſunt melioris conditionis, quàm creaturæ rationales: nam ut rectè ait Auguſtinus 12. de Civit. c. 1. *Sicut melior eſt natura ſentiens etiam cum dolet, quàm lapis qui nullo modo dolere poteſt: ità rationalis natura præſtantior eſt etiam miſera, quàm illa quæ rationis vel ſenſus eſt expers, & in quam proindè non cadit miſeria.* Ad poſtremum de Beatis dico ipſos conſideratos ſecundùm naturam præcisè eſſe peccabiles, quamvis deinde ſint impeccabiles ratione viſionis, at illud primum ſufficit ad præſens intentum: cæterùm *tract. ſeq. lib. 2. c. 3. n. 62.* explicabitur Beatos in aliquo ſenſu & ratione alicujus ſibi inamiſſibiliter conjuncti non eſſe ex nihilo.

86. Probatur tertiò alia ratione pariter valde univerſali. Neque de potentia abſoluta eſt dabilis creatura intellectualis ex natura ſua aut nullatenùs libera aut libera tantùm in ordine ad bonum honeſtum: ergo neque de potentia abſoluta eſt dabilis creatura intellectualis, cui ex natura ſua, &c. Probatur antecedens quoad primam partem, creatura intellectualis nullatenùs libera, aut deberet eſſe nullatenùs volitiva, quam ſuſtinet poſſibilem Arriaga *diſp. 2. de anima num. 127.* aut ſi eſſet volitiva deberet neceſſariò moveri à quolibet objecto per intellectum propoſito, adeò ut non differret ipſius voluntas ab appetitu ſenſitivo, niſi quod illi ab intellectuali, iſti à ſenſitiva cognitione objectum proponeretur, ex quo capite aſtruunt poſſibilem creaturam intellectualem impeccabilem Major & Gabriel *locis præcitatis* atqui omninò repugnat tùm creatura intellectualis nullatenùs volitiva ut ſuppono *ex tract. 1. lib. 4. cap. 1. num. 4.* tùm voluntas, quæ neceſſariò moveatur à quolibet objecto per intellectum propoſito, quia tali voluntati deberet proponi quodlibet objectum ſub unica ratione, aut boni, aut mali; repugnat autem intellectus adeò imperfectus ut attigi *eodem c. 1. num. 23.* ergo. Pro-

87. Non eſt dabilis creatura ab intrinſeco libera ſolū intrà genus boni honeſti.

batur primum antecedens quoad ſecundam partem, quæ eſt ſpecialiter contrà Ochamum *præcit. diſt. 44.* libertas in ordine ad ſolum bonum honeſtum, ad volendum ſcilicet hoc illudve bonum intrà genus honeſti, at non extrà tale genus, vel proveniret ex eo quod intellectus non niſi honeſtum poſſet cognoſcere ac voluntati proponere; vel ex eo quod intellectu proponente bonum etiam delectabile, & utile; voluntas eſſet determinata ad præferendum honeſtum, & ad non proſequendum bonum ullum, in quo honeſtas non relucèat: Neutrum ex his dici poteſt: Non primum, quia de eſſentia cujuſcumque intellectus poſſibilis, ſicuti eſt ferri in objectum ſub ratione veri, ità eſt ferri poſſe in illud omne, in quo reperitur ratio veri, quæ certè reperitur etiam in bono delectabili præcisè vel utili, & experte cujuſcumque honeſtatis: Non ſecundum, quia voluntas quæ circà objectum propoſitum ſub multiplici ratione boni ſit ex ſe & ab intrinſeco determinata ad ſolam rationem honeſti, debet eſſe aut per ſe ipſam regula honeſtatis, aut in-

88. Aut inſeparabilis à regula honeſtatis.

ſeparabiliter tali regulæ annexa; nequit autem ulla voluntas creata eſſe per ſe ipſam regula honeſtatis, alioqui aliqua voluntas creata poſſet non ſubjici ad regulam & legem ullam à ſe diſtinctam & ſibi ſuperiorem; nequit item eſſe inſeparabiliter per ſe ipſam annexa tali regulæ, quia vel ſermo eſt de regula honeſtatis in ordine ſupernaturali, & cum hac regula voluntas creata per ſe ipſam ſicuti habere non poteſt connexionem connaturalem, ità multo minùs habere poteſt connexionem inſeparabilem; vel ſermo eſt de regula honeſtatis in ordine naturali, & quando cum hac creata voluntas concederetur eſſe inſeparabiliter connexa, inferretur impeccabilitas dumtaxat ſecundùm quid & in materia naturali, adeoque non infirmaretur probatio aſſerti negantis impeccabilitatem ſimpliciter; nihilominùs doctrinæ gratia, & quia re ipſa ſentio repugnare creaturam ab intrinſeco impeccabilem etiam in ſola materia naturali, addo, quod regula illa honeſtatis ſumpta in actu primo, prout conſiſtit in ipſo lumine rationis naturalis, eſt quidem à voluntate creata inſeparabilis non minùs, quàm intellectus, à quo lumen rationis naturalis non diſtinguitur; at non ſic ſumpta in actu ſecondo prout dicit exercitium talis luminis & actuale dictamen rationis, quia voluntas quælibet creata ex

natura

naturâ ſuâ poteſt, aut non operari dum ratio dictat, aut operari ex ſimplici apprehenſione objecti antè omne dictamen rationis, aut imperare dictamen defectuoſum & rationi difforme.

89. Hoc argumentum deſumptum ex repugnantia creaturæ ab intrinſeco determinatæ ad honeſtum, & inſeparabiliter connexæ cum actuali & exercitâ regulâ honeſtatis, poteſt ſub aliis terminis ſic urgeri: Creaturæ ab intrinſeco determinatæ ad honeſtum & inſeparabiliter connexæ; &c. eſſet bonum morale, quidquid eſſet bonum phyſicum; & è contrà nihil eſſet bonum phyſicũ quod non eſſet bonum morale; ſeu eſſet bonum honeſtum quidquid eſſet delectabile aut utile, & è contrà nihil eſſet delectabile aut utile, &c. atqui hoc repugnat creaturæ & proprium ſolius Dei eſt, quia quod eſt prohibitum creaturæ eo ipſo non eſt ei bonum morale; repugnat autem creatura, cui non poſſit prohiberi aliquod bonum phyſicum, puta amor alicujus propriæ excellentiæ & phyſicæ perfectionis; ergo repugnat creaturæ quod ſit ab intrinſeco determinata ad honeſtum, &c. major probatur, creatura non poteſt eſſe ab intrinſeco determinata ad non volendum aliquid ſibi phyſicè bonum, ergo creaturæ ab intrinſeco determinatæ ad honeſtum, ſeu ad non volendum niſi honeſtum, deberet eſſe bonum morale & honeſtum quidquid eſſet bonum phyſicum, & è contrà nihil eſſet, &c. antecedens probatur, creatura non poteſt habere appetitum elicitum ab intrinſeco & neceſſariò contrarium innato, haberet autem ſi eſſet ab intrinſeco determinata ad non volendum aliquid ſibi phyſicè bonum, cum ad omne bonum phyſicum & ad omnem perfectionem ſibi phyſicè convenientem datur in ſe qualibet appetitus innatus, & ſicuti perfectio ex eo, quod evadat prohibita, non deſinit eſſe phyſicè conveniens, ità non deſinit terminare appetitum innatum.

Vrgetur magis præcedens ratio.

90. Ex dictis habetur primo creaturam ab intrinſeco impeccabilem, ſi daretur, fore infinitam; foret enim à ſe & non admitteret regulam ullam ſibi ſuperiorem, nec ullam legem, quâ poſſet prohiberi aliquid ipſi phyſicè conveniens; quæ ſicuti ſunt Dei maximè propria, ità maximè arguunt infinitatem: Neque dicas, talis creatura eo ipſo; quod eſſet creatura, eſſet ex nihilo & ſubjecta Deo; ergo nec foret à ſe nec excluderet regulam ſuperiorem, & per conſequens ex neutro capite involveret infinitatem. Contrà enim: in hoc relucet aperta repugnantia talis creaturæ, quæ eſſet ex nihilo & ſubjecta Deo quia creatura; eſſet à ſe & non admitteret regulam ſuperiorem, quia impeccabilis ab intrinſeco, adeoque involveret contradictoria nimirum eſſe ex nihilo & non eſſe ex nihilo; eſſe ſubjectam & non eſſe ſubjectam Deo. Neque dicas inſuper, creatura ab intrinſeco impeccabilis, titulo impeccabilitatis non deberet importare majorẽ perfectionẽ, quàm creatura videns Deum, cum etiam hæc habeat impeccabilitatem; atqui creatura videns non importat perfectionem infinitam; ergo. Contra enim: tranſmitto majorem ſi fiat comparatio ad creaturam videntem Deum ab intrinſeco; at hæc eſſet ſimpliciter infinita; nego majorem, ſi comparatio fiat ad creaturam videntem ex dono gratuito ſuperaddito, quâ ſolùm ratione Deus videri poteſt à creatura abſque repugnantia & infinitate principij videntis. Cur deindè poſſe videre Deum ab intrinſeco, & proportionaliter loquendo eſſe ab intrinſeco impeccabile augeat in infinitum perfectionem ſuprà poſſe videre & eſſe impeccabile dependenter à dono ſuperaddito tradebamus *tract. 1. lib. 2. cap. 3. num. 79. & 80.*

Creatura ab intrinſeco impeccabilis eſſet infinita à ſe & non ſubjecta Deo.

91. Habetur ſecundò repugnare in univerſum creaturam intellectualem ab intrinſeco determinatam ad aliquod particulare genus boni, eademque ratione, qua oſtenſum eſt non eſſe dabilem creaturam ab intrinſeco liberam ſolùm intrà genus boni honeſti, non eſt dabilis creatura ab intrinſeco libera ſolũ intrà genus boni delectabilis aut utilis; & ſicuti repugnat creatura ab intrinſeco determinata ad bonum honeſtum & ad non peccandum, ità etiam ab intrinſeco determinata ad bonum turpe & ad peccandum (ſubintellige materialiter, ubi enim eſt neceſſitas & determinatio ab intrinſeco, nequit eſſe formale peccatum) quia huic creaturæ deberet ineſſe aut intellectus limitatus ad cognoſcendum ſolum bonum turpe, aut natura cui eſſet bonum turpe quidquid eſſet bonum phyſicum, adeò ut non poſſet ei phyſicè convenire ullum bonum honeſtum; quorum primum eſt contrà eſſentiale ſpecificativum intellectus ſitum in univerſali ratione veri; ſecundum eſt contrà propriam conditionem naturæ rationalis, cui æquè eſt imperceptibile non convenire bonum ullum rationis, ac eſſet imperceptibile non convenire naturæ ſentienti bonum ullum ſenſus. Propter proportionalem hanc rationis paritatem Dequiros *hic diſp. 69. ſect. 4.* putat ex creatura ab intrinſeco determinatâ ad honeſtum & ad non peccandum inferri determinatam ab intrinſeco ad turpe & ad non benè operandum, & ex iſtius repugnantia ad repugnantiam illius validè argui.

Non eſt dabilis creatura ab intrinſeco libera ſolũ intrà genus boni delectabilis aut utilis.

CAPUT II.

De duratione viæ Angelorum.

92. Brevi, levique calamo durationem viæ Angelorum percurrunt aliqui, eam tantummodò metientes tempore noſtro; quâ ratione vix quidquã aliud dici poteſt, quàm modicam, ſed nobis incertam temporis moram Angelos in viâ tranſegiſſe; verùm quia præter noſtrum tempus, quod Angelis extraneum, alienumque eſt, datur aliud tempus ipſorum proprium Angelicis conſtans inſtantibus, pener

hujuſce temporis inſtantia examinando, quãdiù Angeli fuerint viatores; plura occurrent calamo accuratiore digniora, & procedendo deindè à menſura propria ad alienam, poterit aliquid veriſimiliùs definiri etiam in ordine ad noſtrum tempus; expedit interim nonnulla præmittere: Ideò

1. Præmitto primò dari in Angelis operationes aliquas inter ſe incompoſſibiles, & quæ illis ineſſe non poſſunt, niſi una poſt aliam & cum ſucceſſione; hujuſmodi operationes cum deficiant & deſinant, non menſurantur æternitate participata ut viſio beata, nec ævo ut ſubſtantia ipſa Angeli; cum ſint independentes à motu primi mobilis & superiores ad tempus noſtrum, non menſurantur noſtro tempore per ſe & tanquam menſura propria; per ſe ipſas igitur ſeu per proprias durationes conſtituunt menſuram quãdam, quam Theologi vocant tempus diſcretum, tempus quidem quia involuit prius & poſterius, diſcretum verò, quia operationes ex quibus conſtituitur ſibi ſuccedunt diſcretè, ſicut in numero unitates: Porrò operationes ipſæ quia indiviſibiles ſunt & ſucceſſionis expertes dicuntur inſtantia, eſt tamen advertendum non omnes operationes quomodocumque inter ſe diverſas rectè dici diverſa inſtantia, ſed eas ſolas, quæ vel quoad ſubſtantiam, vel juxtà nonnullòs ſaltem quoad aliquem modum intrinſecum habent ordinem ſucceſſionis, & una deſinit, cum altera incipit; unde dixi *operationes aliquas inter ſe incompoſſibiles*, &c. quia operationes, quæ ſibi coëxiſtunt & ſimul durant, habentur ut unicum inſtans; nec tempus componunt. Quòd ſi contingat Angelum habere plures actus ſimul ità, ut unus permanenter duret, alij ſucceſſivè fluant & ſibi ſuccedant, in quæſtione eſt, utrùm propter unius actus permanentiam unicum inſtans, an propter plurium actuum ſucceſſionem plura inſtantia dicenda ſint; ex generali regula deſumendi denominationem à potiori crediderim dicendum eſſe unicum inſtans, ſi unus ille actus in quo Angelus permanet eſt principalior cæteris ſibi ſuccedentibus, hoſque ſibi ſubordinat; dicenda verò plura inſtantia, ſi uno illo actu principaliores ſint alij habentes ſucceſſionem.

Tempus diſcretum in Angelis quid?

2. Præmitto ſecundò unum inſtans Angelicum non ſolùm poſſe coëxiſtere pluribus inſtantibus, aut partibus noſtri temporis; ſed etiam pluribus inſtantibus alterius Angeli, quatenùs poteſt unus Angelus in eodẽ actu perſiſtere, dum alius ſucceſſivè actus mutat, quod maximè evenit in Angelis ſuperioribus reſpectu inferiorum; illi enim ſiquidem ratione ſpecierum univerſaliorum regulariter intelligunt per pauciores actus, ità minùs multiplicant tùm intellectus tùm reliquas operationes, majoremque habent proprij temporis ſimplicitatem ac uniformitatem; hinc plures Thomiſtæ, ut videre eſt apud Gonetum *hic diſp. 6. art. unico num.* 17. ſtatuunt pro omnibus Angelis unum numero tempus, tempus ſcilicet exiſtens in Angelo ſupremo eo, quòd ſit menſura magis regularis, & magis uniformis, conſiderant tanquam menſuram omnium operationum exiſtentium in Angelis inferioribus; hâc ratione plures operationes ſibi ſuccedentes aliquando ſimul ſunt multiplex & unicum inſtans Angelicum; multiplex ſecundùm durationem intrinſecam & menſuram propriam, unicum ſecundùm durationem extrinſecam & menſuram alienam.

In quo ſenſu poſſit ſtatui unũ numero [tempus] pro Angelis omnibus.

Præmitto tertiò in viâ Angelorum conſiderari poſſe vel ſola inſtantia intrinſeca & conſtitutiva, vel etiam inſtantia extrinſeca & terminativa; quod eſt idem ac dicere, vel ſolas operationes quæ ad meritum & demeritum pertinent, vel eas etiam quæ meritum & demeritum extrinſecè terminantes incipiunt pertinere ad præmium & pœnam; glorificationem & damnationem.

Præmitto quartò plura eſſe capita diverſimodè procedendi in aſſignandis & enumerandis inſtantibus viæ Angelorum. Primum eſt, quod aliqui non diſtinguunt inter inſtantia Angelica & inſtantia noſtri temporis; ſed quaſcumque morulas ſpectantes ad diverſum ſtatum Angelorum vocant diverſa inſtantia, quidquid ſit deindè utrùm talibus morulis correſpondeant necne diverſæ operationes ſervantes inter ſe ordinem ſucceſſionis? Secundum eſt, quod ad multiplicanda inſtantia aliqui requirunt pluralitatem operationum in ſe ipſis diverſarum ſubſtantialiter, aliqui alij contenti ſunt pluralitate modorum ſucceſſivè advenientium operationi ſubſtantialiter eidem. Tertium eſt, quod aliqui conſiderant inſtantia in ordine ad tempus Angeli ſupremi, cæteris Angelis extrinſecum, & idem numero reſpectu omnium; alij in ordine ad tempus proprium ſingulorum Angelorum, ſingulis intrinſecum, & in diverſis diverſum. Quartum eſt, quòd aliqui loquuntur de ſolis inſtantibus conſtitutivis & ſumunt viam excluſivè à termino; aliqui loquuntur de inſtantibus etiam terminativis & ſumunt viam incluſivè cum termino. Quintum eſt diverſus modus diſtribuendi naturam, gratiam & gloriam; qui enim ponunt Angelos recepiſſe in creatione gratiam antecedenter ad diſpoſitionem & meritum, multoque magis qui eos aſtruunt in puris naturalibus, non in gratia conditos, habent majus jus diſtinguendi plura inſtantia, puta primum creationis, ſecundum collationis gratiæ; tertium meriti; quartum perſeverantiæ in bonis, deſectionis in malis; quintum glorificationis in illis, damnationis in iſtis. Qui faciunt Angelos ſaltem bonos fuiſſe ab initio beatos beatitudine ſupernaturali, unico inſtanti in Angelis bonis; duplici in Angelis malis rem totam expediunt. Qui mediâ incedentes in via ponunt Angelos dependenter à propriâ diſpoſitione in gratiâ, non in gloriâ conditos, medio etiam modo aſſignant inſtantia Angelorum viatorum, ideſt nec plura nec pauciora (includendo inſtans terminativum) quàm tria in Angelis malis, & totidem vel etiam duo tantùm in bonis.

4. Vnde proveniat diverſitas enumerandi inſtantia viæ Angelorum.

5. Tres modi talia inſtantia enumerandi.

6. His præmiſſis, ut clarè procedam, & præcludam

Legitimus ſenſus controverſiæ.

eludam aditum controverſiæ vocali, ſumo ex una parte inſtantia Angelica ut contrà diſtincta ab inſtantibus temporis noſtri, ut pertinentia ad tempus proprium & intrinſecum ſingulorum Angelorum, & ut conſtituentia, non extrinſecè terminantia viam; ex alia parte ſuppono juxtà ſupradicta initio capitis præcedentia creationem nullius Angeli in gloriâ, & omnium in gratiâ dependenter à propriâ diſpoſitione; hâc ratione facile erit definire, quot inſtantibus Angelicis Angelorum via conſtiterit? quamvis alioqui ſit res nimiâ ſententiarum varietate difficilis.

---

§. I.

Quot inſtantibus Angelicis conſtiterit via malorum Angelorum?

7. ASSERT. Nec pluribus, nec paucioribus, quàm duobus inſtantibus conſtitit via malorum Angelorum, ut à termino contradiſtincta. Ità Eſtius *in 2. diſt. 3. §. 13.* Hetinex *hic diſp. 5. num. 19.* Ioannes à S. Thoma *diſp. 24. art. 1. num. 12.* Gonet *diſp. 12. art. 4. §. 2.* Zumel *q. 63. art. 6.* Molina *eod. art.* Vaſquez *diſp. 239. cap. 10.* Lugus *diſp. 20. cap. 5.* Amicus *diſp. 19. ſect. 7.* Madernus *q. 4. art. 8. num. 4.* Eſparza *quæſt. 28. art. 2.* Averſa *q. 63. ſect. 5.* &c. Prima pars ideſt particula illa *nec pluribus* eſt contra Auctores relatos *cap. præced. num. 9.* pro ſententia negante Angelos fuiſſe conditos in gratia, & aliquos ex aſſerentibus fuiſſe conditos in gratia independenter à propria diſpoſitione; eos ſcilicet, qui docent Angelos ita conditos omnes ſtatim poſt inſtans creationis fuiſſe gratiâ benè uſos, & ad Deum converſos. Secunda pars ideſt particula illa *nec paucioribus* eſt contrà Cajetanum *hic q. 63. art. 6.* Nazarium *eod. art.* Salmanticenſes *diſp. 12. dub. 1.* Ferrarienſem *3. cont. Gent. cap. 10.* & plures alios Thomiſtas volentes Angelos in ſecundo inſtanti peccaſſe, & ſimul damnationis pœnam incurriſſe, adeoque agnoſcentes in ipſis unicum iſtans viæ puræ & à termino contradiſtinctæ.

8. Via malorum Angelorum non habuit plura, quàm duo inſtantia.

Probatur prima pars: Angeli mali in viâ non habuerunt plures quàm duas operationes incompoſſibiles, & ſibi ſuccedentes; quarum prima fuit actus charitatis & ſupernaturalis converſionis in Deum, quo uniformes Angelis bonis ſe diſpoſuerunt ad gratiam; ſecunda fuit actus peccati, quo Angelis bonis difformes à gratia defecerunt; ergo non pluribus, quam duobus inſtantibus conſtitit, &c. conſequentia patet recolenti *ex præced. num. 6.* quid in præſenti veniat nomine inſtantis; antecedens probatur, quia licèt antè actum charitatis, quo Angeli omnes ſe ultimò diſpoſuerunt ad gratiam, præceſſerint fides & aliqui alij actus, ſivè naturales, ſivè ſupernaturales; hujuſmodi tamen actus cum non fuerint incompoſſibiles cum ultima diſpoſitione ad gratiam, imò ad eam fuerint ordinati, eamdemque præceſſerint naturâ tantùm non tempore, non reputantur ut plura inſtantia; licet item poſt actũ primi peccati, quo mali Angeli à gratia defecerunt, iſti in alios actus peccaminoſos inciderint, ratione tamen primi peccati perſeverantis & ſibi ſubordinantis cætera nullus eſt locus diſtinguendi diverſa inſtantia.

Confirmatur: ſi via malorum Angelorum continet plura, quàm duo inſtantia, alterum meriti, alterum peccati, maximè quia ad inſtãs meriti præceſſerunt inſtantia creationis & gratiæ; atqui hoc eſt falſum, nam præter quod ex ſupradictis creatio fuit naturâ tantùm prior merito, gratia verò fuit eodem merito (ſubintellige congruo & diſpoſitivo) naturâ poſterior; præter hoc, inquam quando creatio & gratia præceſſiſſent tempore meritum, illa adhuc non rectè dicerentur inſtantia Angelica, quia in creatione & infuſione gratiæ juxtà omnes ferè Adverſarios Angeli habuiſſent ſolùm operationem aliquam naturalem neceſſariam: & tamen inſtantia conſtituentia tempus diſcretũ Angelicum conſiſtunt in ſolis operationibus liberis, quæ ſolæ poſſunt habere ordinem ſucceſſionis; operationes verò neceſſariæ, ſi quæ in Angelis dantur, habent pro menſura, aut æternitatem participatam, aut ævum. 9.

Probatur ſecunda pars: Via malorum Angelorum, ut à termino contra diſtincta, non potuit conſtare unico inſtanti; ergo non potuit conſtare inſtantibus paucioribus, quàm duobus; antecedens probatur, inſtans peccati, ſeu operatio peccaminoſa, nec potuit conſtituere unum inſtans cum inſtanti creationis, nec cum inſtanti damnationis, atqui hoc eſſet neceſſarium ut via malorum Angelorum conſtaret unico inſtanti, nam ſi præter inſtans creationis & damnationis admittitur aliud inſtans medium, hoc inſtans medium eſt ſecundum inſtans viæ contradiſtinctæ à termino, ideſt ab inſtanti damnationis; Major quoad primam partem facilè evincitur ex eo, quod Auctores, quos habemus in hâc parte Adverſarios, nobiſcum ſentiunt inſtans creationis fuiſſe inſtans gratiæ & converſionis ad Deum, cum hâc autem certum eſt non eſſe compoſſibilem operationem peccaminoſam, quemadmodum requireretur, ut in unum inſtans cum creatione confluerent; eadem major quoad ſecundam partem probatur; ſi inſtans peccati (ſubintellige formalis & demeritorij, quale fuit peccatum Angelorum in viâ) conſtituiſſet unum inſtans cum inſtanti damnationis, meritum & demeritum, vel ſaltem demeritum & potentia merendi, fuiſſet in Angelo jam poſito extrà viam; potentia non peccandi fuiſſet ſimul cum impotentia vitandi damnationem ſeu potiùs evadendi à damnatione; pro eodem inſtanti fuiſſet malus Angelus in empyreo quod fuit locus primi peccati, & in inferno qui eſt locus damnationis, quæ omnia abſurda & implicatoria ſunt, ut magis conſtabit ex dicendis *cap. ſeq §. 3.* de neceſſitate diſtinguendi in Angelis bonis inſtans meriti ab inſtanti beatitudinis.

10. Nec pauciora.

11. Inſtàs peccati formalis debet omninò diſtingui ab inſtanti damnationis.

Confirmatur

Confirmatur eadem major quoad eamdem ſecundam partem: Peccatum & damnatio important operationes Angelicas incompoſſibiles; ergo peccatum & damnatio non poſſunt eſſe unum & idem inſtans Angelicum; conſequentia patet ex intelligentia inſtantis Angelici; antecedens probatur, peccatum ſecum affert cognitionem poſſibilitatis proximæ vitandi pœnam æternam, & obtinendi æternam felicitatem; damnatio in actu ſecundo & exercita ſecum affert cognitionem impoſſibilitatis proximæ tùm vitandi pœnam, tùm obtinendi felicitatem; & inſuper addit experientiam ſummæ miſeriæ; atqui hæ cognitiones ſunt incompoſſibiles; ergo. Confirmatur inſuper, inſtans creationis non poteſt eſſe inſtans damnationis, & quamvis docuerint aliqui Angelos bonos fuiſſe conditos beatos, nemo tamen eò devenit, ut dixerit Angelos malos fuiſſe conditos damnatos; atqui cum ex ſupradictis inſtans creationis poſſit eſſe inſtans peccati, ſi inſtans peccati poſſet eſſe inſtans damnationis, ſequeretur inſtans creationis poſſe eſſe inſtans damnationis; ergo.

---

§. II.

Quot inſtantibus Angelicis conſtiterit via bonorum Angelorum?

12. Via bonorū Angelorum conſtitit unico inſtanti.

ASSERT. Via bonorum Angelorum, ut contradiſtincta à termino, unico inſtanti Angelico conſtitit. Ità Eſtius *in 2. diſt. 3.* §. 13. Ioannes à S. Thoma *hic diſp. 24. art. 1. num.* 17. Vaſquez, Maderuus, Eſparza locis præcitatis *num.* 7. & à fortiori videntur poſſe hic afferri Cajetanus, Nazarios, Salmanticenſes, Ferrarienſis *ibid.* relati pro unico inſtanti viæ malorum, quia tamen poſteriores hi Auctores ſub tali unico inſtanti viæ, ut à termino contradiſtinctæ, ponunt ſolùm operationem, quâ Angeli ſe diſpoſuerunt ad gratiam ab initio creationis, nos verò cum prioribus Auctoribus ponimus etiam perſeverantiam, & meritum ſubſequens gratiam, ità convenimus ſub nomine unici inſtantis, ut valdè diſſideamus in re per nomen importata, ideò quoad rem vix poſſumus poſteriores illos Auctores inter Adverſarios non recenſere; multo magis habemus hic Adverſarios cæteros omnes ſupra memoratos pro ſententia aſtruente in malis Angelis plura, quàm duo inſtantia; & inſuper Gonetum, Herincx, Molinam, Amicum Lugum, *ibid.* adductos, alioſque nonnullos, qui ità duobus inſtantibus pro viâ malorum contenti ſunt, ut duo proportionaliter requirant pro viâ bonorum & contrà hos ſpecialiùs procedit aſſertum, quod proptereà ſic

13. Compl: ctente tùm creationem

Probatur: Nulla eſt neceſſitas diſtinguendi in bonis Angelis inſtans perſeverantiæ, & meriti ſubſequentis gratiam ab inſtanti creationis in gratia dependenter à propria diſpoſitione; ergo via bonorum Angelorum, ut contradiſtincta à termino, unico inſtanti Angelico conſtitit, conſequentia patet quia nec ſunt diſtinguenda in Angelis inſtantia ſi nulla occurrat neceſſitas, propter regulam generalem non multiplicandi quidquam abſque neceſſitate; nec ſuppoſita creatione ipſorum in gratia dependenter à propria diſpoſitione poteſt aliundè occurrere neceſſitas diſtinctionis, quàm ex perſeverantia in bono, & prærogativa meriti ſubſequentis gratiam.

in gratiâ, tùm perſeverantiam in bono.

Probatur antecedens primò auctoritate D. Thomæ *hic q.62. art.5. & q.63. art.6.* docentis Angelos per primum actum charitatis, & per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniſſe, quod ægrè verificaretur, ſi eſſet neceſſitas diſtinguendi diſpoſitionem ad gratiam & perſeverantiam, meritum inchoatum & meritum conſummatum, in duo inſtantia. Neque dicas: quamvis non ſint diſtinguenda duo inſtantia puræ viæ, eſſe tamen diſtinguendum meritum inchoatum tanquam meritum viæ, & meritum conſummatum tanquam meritum termini; intelligendum S. Doctorem de primo merito, dum ait Angelos per primum & unum actū beatitudinem meruiſſe; cæterum tali merito non fuiſſe completam & abſolutam viam, ſed ſolùm merito, quod habuerunt boni Angeli in inſtanti glorificationis correſpondente inſtanti, quod in Angelis malis fuit ſimul inſtans peccati & damnationis, & in quo illi ab iſtis fuerunt diſcreti, quod quidem fuiſſe in utriſque ſecundum inſtans, ſeu ſecundam operationem, habetur ex ipſomet S. Doctore *eod. a. 6. ad 4.* dicente *Prima operatio fuit omnibus communis, ſed in ſecunda ſunt diſtincti, & ideò in primo inſtanti omnes fuerunt boni, ſed in ſecundo fuerunt boni à malis diſtincti.* Contrà enim meritum termini, & inſtans, quod nec puræ viæ ſit 14.
nec puri termini, ſed viæ & termini ſimul, nullatenùs admitti poteſt, ut jam attigimus *præced. num.* 11. & ex profeſſo infrà tradetur; per primum igitur & unum actum meriti D. Thomas intelligit meritum etiam conſummatum, nec verum eſt, aut iſtud ab inſtanti glorificationis, aut peccatum ab inſtanti damnationis non fuiſſe diſtinctum: Quod additur de diſcretione bonorum Angelorum à malis in ſecundo inſtanti dico ſufficienter verificari per hoc, quod talis diſcretio facta fuerit in inſtanti, quod fuit ſecundū pro malis; niſi velis dicere tale inſtans fuiſſe ſecundum etiam pro bonis, extrinſecè & æquivalenter ac diverſa ratione ab ea, quâ fuit ſecundum pro malis, prò quibus fuit tale intrinſecè, formaliter, & in toto rigore.

Occurritur reſponſioni & inſtantiæ Cajetani.

Probatur idem antecedens ſecundò ratione: neceſſitas diſtinguendi inſtantia in Angelis habetur ex incompoſſibilitate operationum; ſed inter operationes, quibus Angeli boni ab initio creationis ſe primo diſpoſuerunt ad gratiam, & illas quibus perſeverarunt, & continuarunt meritum ſubſequens gratiam uſque ad glorificationem excluſivè, nulla fuit incompoſſibilitas; ergo nulla eſt 15.

neceſſitas

neceſſitas diſtinguendi in bonis Angelis,&c. minor probatur operationes ; quibus boni Angeli, tùm ſe primò diſpoſuerunt ad gratiam, tùm perſeverarunt & continuarunt meritum, fuerunt potiſſimùm actus fidei & charitatis ; at in viâ non datur unus actus fidei, aut unus actus charitatis incompoſſibilis cum alio,& ad ſummum inter charitatem viæ, & charitatem patriæ, propter ſpecificam utriuſque diverſitatem datur aliqua incompoſſibilitas ; ergo inter operationes, quibus Angeli boni, &c.

Dices primò ad diſtinguenda inſtantia Angelica non ità neceſſariò requiri incompoſſibilitatem operationum, ut non ſufficiat etiam incompoſſibilitas modorum eidem operationi advenientium, adeoque actus ipſos fidei & charitatis, quamvis ſubſtantialiter eoſdem toto viæ decurſu,ratione diverſorum modorum ſibi advenientium afferre ſufficientem neceſſitatem diſtinguendi inſtans primæ diſpoſitionis ad gratiam ab inſtanti perſeverantiæ : Porrò advenisse diverſos,& incõpoſſibiles modos probant Adverſarij ex eo, quod actus illi ab initio fuerunt abſque plena deliberatione, fuerunt liberi quoad exercitium tantùm, non quoad ſpecificationem,regulati ab intellectu proponente ſolam rationem boni ; in progreſſu deindè,& quatenùs perſeveranter meritorij, fuerunt plenè deliberati, etiam quoad ſpecificationẽ liberi, regulati à judicio indifferenti proponente objectum ſub utrâque ratione boni & mali. Sed contrà : tranſeat ſufficere in-

16. Occurritur inſtantiis aliorum Adverſariorum.

compoſſibilitatem modorum, &c. nego reperiri talem incompoſſibilitatem in propoſito, nego enim actus illos ab initio fuiſſe abſque plenâ deliberatione, liberos ſolùm quoad exercitium, &c. nec poſſunt hæc ab Adverſariis probari niſi ex falſo ſuppoſito, quo negent principium ullum operari poſſe ſimpliciter liberè pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti. Accedit quòd dato etiam hoc ſuppoſito, & conſequenter conceſſa majori libertate actibus illis in continuatione, quàm in inceptione, inferretur quidem in illis aliqua diverſitas,at non incompoſſibilitas modorum,ut videre eſt apud Ioannem à S.Thomâ *præcit. art.* 1. *num.* 10.

Dices ſecundò, etiamſi nec actus fidei & charitatis, nec modi talibus actibus advenientes ſufficerent ad diſtinguendum inſtans inceptionis ab inſtanti perſeverantiæ in viâ bonorum Angelorum, non deſunt alij actus proprij inſtantis perſeverantiæ & diſtinctivi ipſius ab inſtanti inceptionis ; certum eſt enim bonos Angelos non fuiſſe otioſos,dum mali peccarunt,nec pugna & victoria,quam cum malis & de malis habuerunt eſſe potuit ſine novis actibus orationis pro implorando auxilio, ſubjectionis ad Deum pro avertendo conſenſu à ſuperbiâ, &c. Addit Lugus *cap. præcit num.* 11. veriſimillimè myſterium Incarn. non fuiſſe Angelis ab initio revelatum, & per conſequens ex tali revelatione poſteà factâ bonos Angelos habuiſſe novum actum fidei, novos item actus amoris ſingulis & adorationis ergà Chriſtum,

17. Sed contrà:Vt boni Angeli non fuerint otioſi ſatis eſt, quod primos actus continuaverint cognoſcendo ſe habere facultatem expeditam divertendi ad alios, & per hoc dicerentur ſe movere in bonis actibus, nõn otiosè quieſcere ; ſe movere,inquam, virtualiter & poteſtativè, ut loquitur Ioannes à S Thomâ *præcit. art.* 1. *num.* 21. licèt non formaliter;juxtà hunc dicendi modum poſſet in Angelorum bonorum perſeverantiâ non admitti ullus novus actus ; nihilominùs placet cum Adverſariis liberaliùs agere eiſque dare in tali perſeverantia novos actus orationis, ſubjectionis in Deum (excipio illos, quos Lugus inſinuat, circà myſterium Incarnationis, quod exiſtimo aut ab initio aut nullatenùs fuiſſe Angelis in viâ revelatũ) alioſque ſimiles ; at dico hos actus utpotè non incompoſſibiles cum primis actibus fidei & charitatis, imò cum ipſis connexos eiſque ſubordinatos, non eſſe ſufficientes ad diſtinguendum novum inſtans, ſaltem ob regulam generalem denominationis deſumendæ à potiori, de quâ ſuprà *num* 2.

Angeli boni etiam ſi- ne novis actibus nõ fuiſſent otioſi.

Habuerunt tamen in ſuâ perſeverantiâ novos actus.

Vrgebis male negari incompoſſibilitatem novorum actuum cum prioribus, cum Angelus propter neceſſitatem habendi,& impotentiam excedendi actum adæquatum ſuæ virtutis cognoſcitivæ & volitivæ, nequeat in novos actus intellectus & voluntatis erũpere,quin ab aliis deſiſtat : male item afferri regulam illam denominationis,&c.quia cum actus amoris ſit potiſſimus actus,tùm meriti, tùm beatitudinis, idemque amor permanet in Angelis viatoribus & beatis;ex regulâ illâ probaretur in bonis Angelis etiam meritum & beatitudinem, viam & terminum denominari debere unicum inſtans.Sed contrà: 18.
aſſumunt Adverſarij falſa ſuppoſita:ex dictis enim *lib. præced.* falſum eſt Angelos neceſſariò ſemper eſſe in actu adæquato, & ex dicendis *tract. ſeq.* amor nec eſt potiſſimus actus beatitudinis, nec permanet idem in Angelis viatoribus & beatis;cum ſpecie differat charitas viæ à charitate patriæ, & beatitudo in viſione, non in amore eſſentialiter conſiſtat.

Dices tertiò:quando tandem non ſatis conſtaret, undè ſumenda ſit diſtinctio duorum inſtantium viæ in Angelis bonis, adhuc ex eo quòd ipſorum via non fuerit brevior viâ malorum, & hæc duplici inſtanti conſtiterit, haberetur ſufficiens neceſſitas diſtinguendi etiam in illâ duplex inſtans;brevior porrò illa non fuit, quia ſicuti habuerunt omnes ſimul viæ initiũ,ità congruebat habere omnes ſimul viæ terminum ; nec æquum videbatur eos, qui ſimul pugnaverant,non ſimul experiri exitum pugnæ, & victores priùs pervenire ad præmium & gloriam,quàm victos ad pœnam & ignominiam. Sed contrà:libenter 19.
concedo parem in omnibus Angelis viæ durationem, verùm cùm *ex præced. num.* 3 inſtans unius Angeli poſſit coëxiſtere pluribus alterius, optimè potuit unum inſtans in bonis Angelis æquè durare,ac duo inſtantia in malis;nec propterea evadere duplex, niſi comparativè, extrinſecè, & æquivalenter.

Angelorum omnium via fuit par in duratione.

Ex dictis habetur addendo inſtantibus viæ

inſtantis termini, & totum Reipublicæ Angelicæ negotium ſupputando ab initio creationis ad initium beatificationis & damnationis incluſivè, duo fuiſſe bonorum, tria malorum Angelorum inſtantia, loquendo de inſtantibus temporis Angelici, vel, ut alij vocant, theologici; ſupereſt jam inquirendum quanto noſtri ſeu philoſophici temporis ſpatio talia inſtantia reſponderint; & quidem inſtans tùm gloriæ tùm damnationis, quamvis ſit ultrà omne noſtrum tempus æternitate tota duraturum, ſub eâ tamen ratione formali, ſub quâ eſt extrinſecè terminativum viæ, & intrinſecè initiativum termini, certum eſt utrumque fuiſſe indiviſibile, & unico indiviſibili noſtri temporis inſtanti, ſi talia inſtantia tempus noſtrum admittit, correſpondens; ſolùm propterea de inſtantibus viæ ut contradiſtinctæ à termino res incerta eſt & controverſa, ſolùm de iſtis ſtatuendum eſt, utrùm correſpondeant indiviſibili momento, an diviſibili intervallo noſtri temporis? pro quo ſit

Tempus aliud theologicum, aliud philoſophicū.

---

§. III.

Quanto tempori noſtro correſpondeant præaſſerta inſtantia viæ Angelorum?

20\. ASSERT. 1. Primum inſtans viæ malorum Angelorum correſpondet moræ diviſibili noſtri temporis, non verò ſoli inſtanti indiviſibili & mathematico; etiamſi hiſce inſtantibus tempus noſtrum conſtaret. Ità Vaſquez *hic diſp.* 229. *cap.* 10. *num.* 43. Molina *quæſt.* 63. *art* 6 *conc.* 3. Lugus *diſp.* 10. *cap.* 4. *num.* 4. Herinex *diſp.* 5. *quæſt.* 2. *n.* 20. Nazarius *quæſt* 63. *art.* 6. *controv. unica*, &c. Contrà Salmanticenſes *hic diſp.* 12. *dub* 1. Ioannem à S. Thoma *diſp.* 24. *art.* 1. *num.* 3. Gonetum *diſp.* 12. *art.* 4. *n.* 61.

Primum inſtans viæ Angelorum correſpondet moræ diviſibili, non momento noſtri temporis.

Probatur primò ex ſcripturâ *Ezechiel* 28. ubi per allegoriam de Lucifero dicitur *In medio lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ*, ly autem *ambulaſti* ly *in viis tuis* malè accommodatur indiviſibili & mathematico inſtanti noſtri temporis. Neque in contrarium militat quod de eodem Lucifero habetur Io. 8. *Ille homicida erat ab initio* & 1. Io. 3. *ab initio Diabolus peccat*; enimverò ly *ab initio* idem ſonat ac *propè initium* alioqui nimis probaret, probaret ſcilicet primum Luciferi peccatum in ipſo creationis inſtanti.

21\. Probatur ſecundò ratione & congruentiis: Prima ſit, quia videtur incongruum tùm excellentiæ divinæ bonitatis conferre beneficia omninò momentanea, tùm perfectioni conditionis Angelicæ non aliquantulùm immorari in deliberando negotio omnium maximo: Secunda, quia propoſitionem myſteriorum fidei, examen credibilitatis eorumdem, pluralitatem actuum fidei, ſpei, charitatis, aliarumque virtutum licet non repugnet in Angelis haberi indiviſibili momento temporis; eſt id tamen minus connaturale, nec par eſt nobiliſſimos ſpiritus in has quodammodò anguſtias ſine neceſſitate conjicere: Tertia, quia conceſſa malis Angelis antè peccatum morâ diviſibili facilè explicatur, quomodo Lucifer induxerit alios ad peccandum eoſque ipſe in peccato præceſſerit, illis adhuc protrahentibus primum inſtans.

Dices: Primum inſtans viæ Angelorum eſt inſtans creationis; ſed inſtans creationis, ut potè quæ tota ſimul fit & debet à conſervatione diſtingui, neceſſariò correſpondet unico indiviſibili inſtanti noſtri temporis; ergo etiam primum inſtans viæ Angelorum, &c. major probatur, immediatè poſt inſtans creationis fuit in malis Angelis ſecundum inſtans, ideſt inſtans peccati; nam productionem, vel continuationem actus immediatè ſubſequentem inſtans creationis, habuerunt Angeli ex plena ac perfecta deliberatione, adeoque inflexibiliter, & immutabiliter; ſi igitur habuiſſent productionem vel continuationem actus boni, evaſiſſent in bono immutabiles, nec potuiſſent impoſterum peccare. Sed contrà: juxtà noſtram ſententiam philoſophicam negantē indiviſibilia, inſtans ipſum creationis correſpondet portioni noſtri temporis indiviſibiliter quidem ſumptæ at diviſibili re ipſâ; quia tamen in aſſerto locuti ſumus præſcindendo ab eâ ſententiâ, & datis etiam indiviſibilibus, ſolvo aliter argumentum, & diſtinguo majorem; primum inſtans viæ Angelorum ſumptum initiativè & inadæquatè eſt inſtans creationis, concedo; ſumptum cōtinuativè & adæquatè, nego majorē, & datâ minore nego conſequentiam; probatio majoris malè ſupponit tum omnes & ſolos actus, ſubſequentes inſtans creationis eſſe perfectè deliberatos, tùm in actibus perfectè deliberatis Angelos inflexibiles eſſe & immutabiles. Neque urgeas: hinc ſaltem ſequeretur etiam malos Angelos in bono perſeveraſſe; contrà enim, ſine ſcrupulo id admitto, dummodò non intelligatur de perſeverantiâ finali, quæ ſola eſt bonorum Angelorum propria, & ſola venit nomine perſeverantiæ abſolutè prolatæ. 22.

Fundamētum Adverſariorum.

Nititur falſo ſuppoſito.

Quanta deindè fuerit perſeverantia in bono, & mora diviſibilis, quæ Luciferi peccatum præceſſit? Iuſtinus *in dialogo cum Tryphone* & Irenæus *lib.* 4. *cap.* 78. eam extendunt uſque ad tempus, quo peccarunt primi Parentes in terreſtri Paradiſo, aliqui alij ſaltem uſque ad completos ſex primos dies creationis ex eo, quod in fine talium dierum dicatur *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*; aliqui uſque ad ſecundam mundi diem, quādo Deus diviſit aquas, quæ ſunt ſuprà, ab aquis quæ ſunt infrà firmamentum, quaſi per hanc diviſionem adumbretur diviſio tunc facta bonorum Angelorum à malis: Communior Doctorū & Sanctorum Patrum exiſtimatio eſt Angelos peccaſſe primâ die mundi, adeò ut initio talis diei creati aliquam ſolùm talis diei partem in gratiâ tranſegerint, hancque valdè brevē fuiſſe cōſtabit à fortiori ex dicendis *n.* 25. de 23.

Angeli non permanſerunt in gratiâ totâ primâ die mundi.

brevitate

brevitate totius viæ omnium Angelorum; certè illud Iſa. 14. *Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris* indicat in ipſo quaſi exortu Luciferum cecidiſſe, & quod de eodem dicitur Io. 8. *in veritate non ſtetit*, quamvis ex terminis excludat ſolam perſeverantiam finalem, favet tamen etiam plurimùm perſeverantiæ breviſſimæ, quæ quodammodò pro non perſeverantiâ reputetur: Neque huic breviſſimæ moræ in gratiâ, peccatovè Angelorum commiſſo in ipſo mane primi diei, contraria ſunt verba illa relata ad finem ſextæ diei *vidit Deus*, &c. nam vel intelligenda ſunt de ſolis rebus corporeis, vel de ſola bonitate naturali; pro quo plura videri poſſunt apud Lugum *hic diſp.* 25. *c.* 3. *num.* 7. *& ſequentibus.*

24\. Aſſert. 2. Secundum inſtans viæ malorum Angelorum ſimiliter correſpondet moræ diviſibili noſtri temporis, non verò ſoli inſtanti, &c. In hoc aſſerto conveniunt illi etiam, qui ab aſſerto ſuperiore diſſentiunt, ut Gonet *loco prac*it.

Secundum inſtans viæ Angelorum pariter correſpondet moræ diviſibili.

Probatur: Secundum inſtans viæ malorum Angelorum continet *ex Apocal.* 12. inſigne prælium inter bonos & malos Angelos multis ex parte malorum inſtigationibus, multis ex parte bonorum virtutum actibus peractum: continet ſeductionem plurium Angelorum factam à Lucifero, de quo *eod. cap.* 12. *Apocal.* dicitur *cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum*, & Iſa. 14. *Tu terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti*; hanc porrò ſeductionem quamvis aliqui velint ſolo exemplo factam; communior tamen inter Scholaſticos & Sanctos Patres opinio fert non caruiſſe inſtigatione, ſuaſione, & propoſitione motivorum rationumque ad peccatum inducentium, ut videtur etiam indicari verbis illis Ezechiel. 28. *In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate*, & latiùs proſequitur Lugus *hic diſp.* 25. *cap.* 2. atqui tùm prælium multiplici oppoſitorum actuum quaſi colluctatione peractum, tùm peccatum ſeductione & iniquâ quodammodo negotiatione in plures effuſum, ſaltem facilè, & connaturali modo non videntur potuiſſe unico noſtri temporis momento conſummari. Confirmatur: Perſeverantia importat moram temporis, nec poteſt eſſe momentanea; atqui ſicut Angeli electi non fuerunt donati gloriâ, niſi poſt aliquam perſeverantiam in bono; ità congruum fuit Angelos reprobos non damnari ad pœnam, niſi poſt aliquam perſeverantiam in malo; ne videretur Deus magis ſollicitus & expeditus in puniendo, quàm in præmiando; ergo. Confirmatur inſuper, quia vel mali Angeli potuerunt de peccato pœnitere; certum eſt autem haberi non poſſe peccatum & pœnitentiam unicô inſtanti; vel ſi habuerunt pœnitendi impotentiam, ſaltem talis impotentia non ſolet refundi in temporis anguſtias, ſed in negationem auxiliorum ſufficientium, aut in conditionem voluntatis inflexibilis: porrò de hâc potentia vel impotentia agetur infrà *cap.* 4. §. 6.

Aſſert. 3. Vnicum inſtans viæ bonorum Angelorum correſpondet illis duabus moris diviſibilibus noſtri temporis, quibus correſpondent duo inſtantia viæ malorum. 25.

Probatur facilè aſſertum & omninò infertur ex ſupradictis de æquali duratione Angelorum omnium in via, & de prærogativa inſtantis Angelici ſecundùm ſe potentis coëxiſtere, tùm pluribus aliis Angelicis inſtantibus, tùm pluribus partibus noſtri temporis. Non adeò facile eſt aſſignare, quanta determinatè fuerit utraque hæc temporis mora toti viæ Angelicæ correſpondens? Hugo de S. Victore *lib.* 1. *cap.* 10. videtur ei tribuere quantitatem unius diei artificialis, Arriaga *hic diſp.* 20. *num.* 60. non audet concedere ſpatium majus uno horæ quadrante; cæteri regulariter contenti ſunt fateri brevem, ſed incertam quantitatem; quamvis ipſe Arriaga *diſp.* 21. *num.* 10. refert ab Angelo revelatum aliquando fuiſſe B. Amadeo, quod Angelorum via fuerit multo longior, quam homines putent.

Quantum fuerit totum ſpatium viæ Angelorum?

CAPUT III.

De Termino & Beatitudine Angelorum bonorum.

NE cogar aut repetere alibi dicta, aut dicere alibi repetenda, abſtineo in præſenti ab illis omnibus, quæ ſunt beatitudini Angelorum cum beatitudine hominum communia, neque huc transfero aut *ex tract.* 1. totum librum de viſione Dei, aut *ex tract. ſeq.* totam ferè materiam de beatitudine formali & de iis, quæ ipſam ex parte intellectus ac voluntatis conſequuntur: Dotes etiam & Aureolæ, quæ animæ beatæ eſſentiam ornant, utrùm ornent pariter eſſentias Angelorum? opportuniùs expedietur circà finem tractatus ſequentis *l.* 3. *cap.* 3. §. 5. undè vix quidquam ſupereſſet hujus loci propriũ; niſi occurreret grave antiquorum præſertim Scholaſticorum diſſidium circà ſtabiliendum in Angelis ordinem durationis beatitudinem inter & meritum; nam licèt extrà controverſiam ſit Angelos obtinuiſſe ex proprio merito beatitudinem, adeò ut oppoſita opinio ex Valentiâ *hic quæſt.* 13. *punct.* 2. §. *tertiò ponendum eſt* temeraria & erronea, ex Molina *quæſt.* 62. *art.* 4. non ſolùm temeraria ſed & periculoſa in fide cenſeatur, & vel nullus hactenùs eam docere auſus fuerit, ut notat Vaſquez *diſp.* 229. *cap.* 1. *num.* 5. vel habeat ſolùm Auctores innominatos, ut videtur inſinuare Magiſter *in* 2. *diſtinct.* 5. *cap. ult.* licèt, inquam, extrà controverſiam id ſit, valdè tamen in controverſiâ verſatur, utrùm meritum fuerit duratione ac tempore præcedens; an ſubſequens; an duratione concomitans & natura præcedens beatitudinem? eſtque hæc controverſia hujus loci propria, ut 26.

Cenſura opinionis facientis Angelos beatos abſque proprio merito.

potè non communis beatitudini hominum, quam omnes concedant eis, quibus datur ex propriis meritis (quod dixerim propter Chriſtum Dominum & parvulos decedentes antè uſum rationis) dari ex meritis tempore præcedentibus : Ratio autem diverſi-
3. modè in hoc ſentiendi de Angelorum, ac de hominum beatitudine, eſt diverſitas ſtatuendi in utriſque gratiam; hanc enim in hominibus omnes ſtatuunt præcedere tempore gloriam, ſecùs in Angelis, in quibus nullam agnoſcant gratiæ ad gloriam præcedentiam temporis illi in primis, qui faciunt Angelos ſupernaturaliter beatos ab initio creationis, & inſuper qui faciunt eoſdem primò conditos in puris naturalibus, & in ſecundo deindè inſtanti illicò ſimul donatos gratiâ & gloriâ; cujus utriuſque opinionis Auctores retulimus *præced. cap. 1. num. 2. & 9.* Qui verò concedunt etiam Angelis aliquam temporis prioritatem inter infuſionem gratiæ & collationem gloriæ, admittunt quidem communiter aliquod meritum tempore præcedens gloriam; at adhuc non conveniunt, utrùm tale meritum præcedens dici poſſit perfectum, & conſummatum? Propterea ſub hoc capite examinabitur primò: utrũ Angeli habuerint vel habere potuerint beatitudinem ex meritis ſubſequentibus? Secundò: utrùm ex meritis naturâ tantùm præcedentibus? Tertiò: utrum ſaltem non repugnet meritum naturâ tantùm præcedens beatitudinem?

---

§. I.

Utrùm Angeli boni habuerint, vel habere potuerint beatitudinem ex meritis ſubſequentibus?

6. ASSERT. 1. Angeli non habuerunt beatitudinem ex meritis ſubſequentibus. Ità D. Thomas *hic q. 62. art. 4.* Scotus *in 2. diſt. 5. q. 1. §. Ideò tenetur* Eſtius *ead. diſt. §. 3.* Vaſquez *hic diſp. 229. cap. 3.* Amicus *diſp. 18. num. 312.* cæterique Theologi communiſſimè contrà Magiſtrum *in 2. diſt. 5. cap. ult.* & Altiſiodotenſem *lib. 3. tract. 1. cap. 7.* quorum ſententiam probabilem cenſent Albertus, Bonaventura, & Major apud Amicum *diſp. præcit. n. 108.* & è contrà nimis rigidè excipit Eſtius *præcit. §. 3.* dicens eam omnes Scholaſticos ſelectis erroribus annumerare; cenſura verò mitiore & æquiore Molina *hic q. 62. a. 4 §. Poſterior* eam judicans non ſatis tutam.

Probatur: Nulla eſt neceſſitas tribuendi, & multiplex eſt convenientia non tribuendi Angelis beatitudinem ex meritis ſubſequentibus, ergo Angeli non habuerunt beatitudinem, &c. antecedens quoad primam partem conſequitur ad ſupradicta de creatione Angelorum in gratia, non in gloria, & de eorum actibus ſupernaturalibus in via elicitis; nec viæ brevitas impedit, ne merita magna eſſent & proportionata magnitudini gloriæ: enim verò nulli eſt determinato tempori alligata intenſiva actuum perfectio, ex quâ magis, quam ex eorumdem aut multiplicitate aut diuturnitate, deſumitur magnitudo meriti: Quoad ſecundam partem idem antecedens probatur primò ex communi Sanctorum Patrum & Scholaſticorum ferè omnium conſenſu. Secundò ex paritate hominum, in quibus non dantur merita ſubſequentia beatitudinem; & tamen confuſio ſtatus termini cum ſtatu viæ, augmentum beatitudinis æternitate tota duraturum, pœna damnatorum ex malis operibus ſubſequentibus nec illata, nec aucta; aliaque hujuſmodi, quæ pro hominibus in propoſito militant, æquè videntur pro Angelis militare: Tertiò ex incongruitate fundamenti Adverſariorum aſſignantiũ pro operibus beatitudinem ſubſequentibus & beatitudinis meritoriis obſequia & miniſteria, quæ hominibus, aut potiùs Deo circà homines, Angeli exhibent; inferiores quidẽ per immediatam hominũ cuſtodiam, ſuperiores per inſtructionem & illuminationem inferiorum de rebus ad humanam ſalutẽ conducentibus; quaſi verò aut hominibus non exiſtentibus, aut Adamo non peccante, fuiſſent Angeli, aut nullam, aut diverſam & minorem beatitudinem ex meritis conſecuturi; quia in primo caſu nulla, in ſecundo diverſa & pauciora ergà homines miniſteria præſtitiſſent. 4. *Congruentiæ contra merita ſubſequentia beatitudinem in Angelis.*

Aſſert. 2. Angeli neque etiam ſecundùm diverſam Dei providentiam potuerunt habere beatitudinem ex meritis ſubſequentibus; benè tamen potuerunt ex talibus meritis habere aliquod beatitudinis augmentum. Colligitur hoc aſſertum ex Vaſquio *præcit. cap. 3. num. 7. & 10.* ex Arriaga *diſp. 21 ſect. 2. conc. 1. & 2.* ex Molina *art. 4. præcit. §. Atque hæc* & præſertim quoad primam partem ex aliis pluribus; quamvis quoad eamdem ſit contrà Amicum *præcit. num. 112.* verbis tamen magis quàm re ipſa contrarium, loquitur enim hic Auctor de meritis materialiter ſolùm & tempore, non formaliter & cauſalitate ſubſequentibus. 5. *Neque ſecundum diverſam Dei providentiam potuerunt Angeli eſſe beati ex meritis ſubſequentibus.*

Probatur prima pars, Neque etiam ſecundùm diverſam Dei providentiam principium meriti poteſt cadere ſub meritum, ut ſuppono ex tract. de Gratiâ; ſed ſi Angeli haberent beatitudinem ex meritis ſubſequentibus, principium meriti caderet ſub meritum; ergo Angeli neque etiam ſecundum diverſam Dei providentiam, &c. minor probatur; merita ſubſequentia beatitudinem eſſent ſupernaturalia; atqui omnis ſupernaturalis actus, imò omnis ſupernaturalis perfectio reperta in beato habet pro principio & radice eſſentialem beatitudinem; ergo hanc haberent pro principio & radice merita ſubſequentia; & per conſequens ſi Angeli haberent beatitudinem ex meritis, &c.

Dices: Gratia habitualis eſt radix beatitudinis potiùs, quàm habeat ipſa beatitudinem pro radice: Rurſus cognitio aliqua ſupernaturalis, ſaltem ſecundùm diverſam Dei providentiam, potuit ineſſe Angelis independenter à beatitudine, & tanquam collata à Deo

ex

ex puta liberalitate, non ad beatitudinis exigentiam; ergo meritum in Angelis beatis proveniens ex tali cognitione, & ex gratia habituali, non haberet beatitudinem ipſam pro principio, & per conſequens potuiſſent Angeli habere beatitudinem ex tali merito abſque eo quod principium meriti caderet
6. ſub meritum. Sed contrà: Gratia habitualis non conſummata eſt radix beatitudinis potiùs quàm, &c. ſecus autem gratia habitualis conſummata, quæ ſola reperiri poteſt in beato, gratia enim non conſummata eſt gratia amiſſibilis, adeoque propria viatoris & ſubjecti peccabilis. Ad illud quod additur permitto dari potuiſſe in Angelis cognitionem aliquam ſupernaturalem independentem à beatitudine; at talis cognitio non fuiſſet propria ſtatus beatifici, ideò meritum ſubſequens talem cognitionem ſpectaret ad Angelum exiſtentem in ſtatu non purè beatifico, ſed quaſi medio inter beatitudinem & viam; hic autem nos loquimur de Angelo, qui ſit purè ac ſimpliciter comprehenſor &
7. in ſtatu beatitudinis: Ex quo patet obiter etiamſi fortè Chriſtus Dominus potuerit propriam beatitudinem mereri per merita eandem ſubſequentia, non rectè hinc argui ad Angelos, quia Chriſtus Dominus fuit viator ſimul & comprehenſor Angeli autem ſupponuntur eſſe purè comprehenſores: Accedit quod opera ſupernaturalia & merita, quæ in Angelis beatis nequeunt non dependere à beatitudine, in Chriſto habere facilè poterant principium à beatitudine omninò diverſum, nimirum gratiam unionis.

Diſparitas inter Chriſtũ & Angelos in ordine ad habendã beatitudinem per meritum ſubſequens.

Probatur ſecunda pars, quia licèt ſecundùm præſentem providentiam beatitudo eſſentialis in quolibet beato invariabiliter eadem perſeveret, nec augmentum ullum ſubeat; ſecundùm diverſam tamen providentiam, & de potentia abſoluta, eſt capax augmenti ſaltem uſque ad aliquod determinatum tempus unde etiam Innocentius III. *in cap. cum Martha, de celebrat. Miſſarum* ait multos olim non reputaſſe abſurdum, Sanctorum gloriam uſque ad judicij diem
8. augeri. Porrò augmentum illud poſſet cadere ſub merita ſubſequẽtia beatitudinem primò collatam; quia non eſſet principium talium meritorum, nec illa ullo modo præcederet; adeoque nullo modo ſequeretur principium meriti cadere ſub meritum. Tandem ſtatus beatitudinis, etiam purè & ſimpliciter talis, ſicuti non excludit omnem operationem liberam, ità non excludit de potentia abſoluta omnem operationem meritoriam; etiam in ordine ad beatitudinem ipſam augendam; & licèt qui eſt in termino nequeat terminum de novo acquirere, poteſt tamen in termino acquiſito magis perfici: ergo ex nullo capite repugnat potuiſſe Angelos ſuam beatitudinem augere ex meritis ſubſequentibus primam beatitudinis collationem; quamvis de facto res non ità evenerit, & liberæ Angelorum æquè ac hominum beatorum operationes habeant rationem gratiarum actionis pro præmio ſuprà meriti condignitatem obtento, non meriti pro novo præmio obtinendo.

§. II.

Vtrùm Angeli boni habuerint beatitudinem ex meritis naturâ tantùm præcedentibus?

ASSERT. Angeli boni non habuerunt 9.
beatitudinem ex meritis naturâ tantùm præcedentibus, ſed ipſam plenè etiam & conſummatè meruerunt tempore & duratione priùs, quàm receperint. Hoc aſſertum conſequitur ad ſupradicta de creatione Angelorum in gratia, non in gloria, & de eorundem mora in via per aliquod, quamvis breve ſpatium diviſibile noſtri temporis; tradunt ipſum Eſtius *in 2. diſtinct. 3. §. 11.* Ioannes à S. Thoma *hic diſp. 24. n. 25.* Gonet *diſp. 12. art. 3. §. 1.* Vaſquez *diſp. 229. c. 5. & 6.* Amicus *diſp. 19. num. 122.* Lugus *diſp. 21. cap. 1. num. 41.* cæterique Theologi communiter contrà D. Bonaventuram *in 2. diſt. 5. art. 3. q. 2.* Ægidium *ead. diſt. q. 2. art. 2.* Richardum *art. 2. q. 1.* Albertum *2. part. ſumm. tract. 4. q. 19.* Maironum *in 3. diſtinct. 17. quæſt. 1.* Cajetanum *hic q. 63. artic. 6.* alioſque non paucos ex Antiquis; qui tamen nec eodem modo, nec eodem fundamento contrà nos procedunt, ut videre eſt apud Vaſquium *diſput. præcitata à cap. 5. ad 8.*

Meritum in Angelis nõ præceſſit ſolùm naturâ gloriam.

Probatur. In Angelis bonis gratia habitualis præceſſit tempore, non naturâ tantùm gloriam; ergo hanc eandem præceſſit tempore, non naturâ tantùm meritum; ergo Angeli boni non habuerunt, &c. antecedens ſupponitur ex ſupradictis de creatione Angelorum in gratia, non in gloria; conſequentia probatur primò, quia ipſimet actus, qui per nos fuerunt in Angelis diſpoſitio ad gratiam, fuerunt in iiſdem meritum ad gloriam, non potuit igitur in Angelis gratia præcedere tempore gloriam, niſi hanc eandem præceſſerit tempore meritum: Secundò, quia pro illo temporis ſpatio, pro quo gratia præceſſit gloriam, Angeli boni non eliciendo actus ſupernaturales meritorios gloriæ fuiſſent in ordine ſupernaturali culpabiliter otioſi, adeoque fuiſſent & non fuiſſent boni: Tertiò, quia commune Adverſariorum, ſi Cajetanum excipias, fundamentum eſt Angelos bonos pro primo inſtanti non fuiſſe in gratia conditos, in ſecundo verò ſimul duratione fuiſſe tùm gratia tùm etiam gloria donatos.

Probatur aſſertum ſpecialiter contrà Ca- 10.
jetanum admittentem quidem in bonis Angelis prioritatem temporis inter gratiam & gloriam, ſed docentem deindè meritum concomitans gratiam, & præcedens tempore gloriam fuiſſe imperfectum, inchoatum, & commune malis Angelis, meritum verò perfectum, conſummatum, & bonorum Ange-

Probatur id ſpecialiter contrà Cajetanum. lorum proprium habuiſſe cum gloria ſimultatem temporis & ſolam prioritatem naturæ; probatur, inquam, primò ex dictis *cap. præced. num.* 14. ex quo loco patet Cajetanum non rectè opinionem ſuam ſtabilire ex D. Thoma *hic q.*62. *artic.*5. *& quaſ.*63. *artic.*6. ſcio quidem aliquod majus præſidium pro Cajetani opinione deſumi ex eodem S. Doctore *quodlib.* 9. *art.* 8. *& in* 2. *diſt.*5. *q.*2. *art.*2. Verùm quod ibi S. Doctor dubitanter tradiderat implicitè retractavit *præcit. q.*62. *art.*4. *in c.* ubi ait *Actus non poteſt eſſe meritorius, niſi in quantum eſt gratiâ informatus, non autem ſimul poteſt informari gratia imperfecta, quæ eſt principium merendi, & gratia perfecta, quæ eſt principium fruendi:* Secundò ex eo, quia nomine meriti perfecti & conſummati vel intelligitur conſecutio præmij, quæ videtur dici poſſe ultima meriti perfectio & conſummatio; vel intelligitur perſeverantia in merito & continuatio ipſius cum plena & perfecta libertate; ſi primum eſt ſingularis ac inuſitata locutio, & ex ipſa ſequitur nullum peculiare meritum fuiſſe in Angelis bonis, quod in malis non fuerit excepta conſecutione gloriæ; ſi ſecundum, eadem eſt difficultas conjungendi cum beatitudine continuationem meriti ac inceptionem; & ex alia parte, cum antequam fuerint beati, habuerint Angeli tùm gratiam tùm plenam & perfectam libertatem, nihil illis defuit in ordine ad perfectè & conſummatè merendum, nec apparet cur ad hoc eſſet ipſis neceſſaria conſecutio beatitudinis.

11. Confirmatur aſſertum ſimpliciter, tùm ex paritate hominum, qui beatitudinem ſuam conſequuntur ex meritis tempore, non naturâ tantùm præcedentibus; tùm ex ratione generica meriti, quod ſaltem regulariùs & connaturaliùs loquendo præcedit tempore præmium; tùm denique ex eo, quia meritum Angelorum regulabatur, aut ſaltem exigebat regulari à fide, quæ non poteſt eſſe pro eodem inſtanti temporis ſimul cum gloria & viſione beata.

Ex dictis habetur admittendam eſſe in Angelis prioritatem temporis inter meritum beatitudinis & beatitudinem, etiam quando non repugnaret haberi beatitudinem ex meritis ſolà naturâ præcedentibus, examinandum jam eſt doctrinæ gratiâ, utrùm hoc re vera non repugnet de potentia abſoluta? ſicuti non repugnare docent plures etiam ex iis qui nobiſcum ſentiunt quoad de facto, inter quos Amicus *hic diſputat.* 18. *num.* 116. Dequiros *diſput.* 72. *num.* 18. Arriaga *diſputat.* 20. *ſect.* 5. *ſubſect.* 1. &c.

---

§. III.

Vtrùm ſaltem non repugnet meritum beatitudinis naturâ tantùm præcedens beatitudinem.

Assert. Simpliciter & abſolutè repugnat meritum beatitudinis natura tantùm præcedens beatitudinem. Ità Ioannes à S. Thoma *diſp.* 24. *art.*1. *num.*27. Vaſquez *diſp.*229. *cap.*5 *num.*25. Eſparza *q.*28. *art.*4. &c. contrà Amicum, Dequiros, Arriagam locis mox præcitatis & à fortiori contrà Adverſarios aſſerti præcedentis. 12. *Simpliciter repugnat meritum beatitudinis ipſam præcedens tantùm naturâ.*

Dixi *meritum beatitudinis*, quia non contendo ad quodlibet meritum ex genere ſuo requiri, quod præcedat tempore præmium; nec inficior ultimam diſpoſitionem ad gratiam habere rationem aliquam meriti congrui reſpectu gratiæ, quam naturâ tantùm, non duratione præcedit; actus item elicitos ab homine juſto eodem inſtanti temporis, quo eliciuntur, obtinere augmentum gratiæ, quod eſt ipſorum præmium; & ratio à priori eſt, quia merito ex genere ſuo ſufficit in ordine ad præmium prioritas requiſita ad cauſam moralem; hæc autem non minùs, quàm cauſa phyſica contenta eſt prioritate naturæ: Meritum igitur beatitudinis ex ſua propria conditione, & quatenùs meritum beatitudinis eſt, requirit prioritatem temporis in ordine ad beatitudinis præmium, idque ſic

Probatur: Meritum beatitudinis & beatitudo ipſa eſſentialiter important conditiones incompoſſibiles: ergo ſimpliciter & abſolutè repugnat meritum beatitudinis naturâ tantùm, &c. conſequentia patet quia meritum præcedere beatitudinem tantùm naturâ infert meritum coexiſtere beatitudini in eodem inſtanti temporis; nequeunt autem in eodem inſtanti temporis ſibi coexiſtere ea, quæ important conditiones eſſentialiter incompoſſibiles: Antecedens probatur, meritum beatitudinis eſſentialiter importat potentiam peccandi, & gratiam amiſſibilem ſeu non conſummatam, beatitudo ipſa eſſentialiter importat impotentiam peccandi & gratiam inamiſſibilem, ſeu conſummatam; atqui hæ ſunt conditiones incompoſſibiles, & ſimpliciter repugnat ineſſe eidem ſubjecto pro eodem inſtanti temporis potentiam & impotentiam peccandi; gratiam amiſſibilem & inamiſſibilem, non conſummatam & conſummatam; ergo; major quoad ſecundam partem ſupponitur *ex tract. de beatitud.* ubi ex profeſſo oſtenditur viſionem beatam afferre eſſentialiter & ab intrinſeco impeccabilitatem ac inamiſſibilitatem gratiæ; quoad primam probatur, quia meritum beatitudinis importat conſecutionem liberam ipſius, adeoque potentiam non conſequendi; potentia autem non conſequendi beatitudinē eſt potentia deficiendi ab ul- 13. *Meritum beatitudinis & beatitudo ipſa dicunt conditiones incompoſſibiles.*

timo

timo fine, adeoque eſt potentia peccandi; rurſùs meritum beatitudinis debet informari gratia, atqui non poteſt informari gratia conſummata, quia hæc oritur ea beatitudine tanquam ex propria radice; adeoque beatitudo caderet ſub meritum, cujus ipſa eſſet principium, ſi caderet ſub meritum informatum gratia conſummata; neceſſe eſt igitur meritum beatitudinis importare gratiam non conſummatam & amiſſibilem:

14. Vbi adverte obiter aliud eſſe, quod nullum meritum provenire poſſit ex gratia conſummata, aliud eſſe quod non poſſit ex ipſa provenire meritum beatitudinis; hoc non illud aſtruimus, quia ex hoc, non ex illo inferretur principium meriti cadere ſub meritum; undè etiam in primo inſtanti beatitudinis meritum ipſius beatitudinis, non quodcumque aliud meritum repugnare contendimus.

Dices primò pro ſententia Cajetani meritum beatitudinis inchoatũ & imperfectum, utique non poſſe eſſe à gratia conſummata; benè tamen meritum perfectum, ſeu conſummatum; & de illo, non de hoc verificari quod importet potentiam peccandi &

15. gratiam amiſſibilem. Sed contrà: niſi improprio & abuſivo loquendi modo, de quo ſuprà *num.* 10. nomine meriti perfecti & conſummati intelligatur conſecutio ipſa præmij, dico in merito etiam perfecto & conſummato beatitudinis admitti debere potentiam peccãdi, ſeu non conſequendi beatitudinem; nec non prioritatem reſpectu gratiæ conſummatæ, quæ ſicuti eſt eſſentialiter poſterior beatitudine ipſa, ità debet eſſe poſterior quocumque etiam conſummato beatitudinis merito. Neque dicas: confirmatus in gratia haberet gratiam conſummatam & inamiſſibilem, quæ tamen nec beatitudine ipſa, nec omni beatitudinis merito eſſet poſterior, ergo malè ſupponitur gratiam conſummatam eſſe eſſentialiter poſteriorem beatitudine, &c. Contrà enim: nos loquimur de gratia conſummata & inamiſſibili per ſe, ſeu ex natura rei; confirmatus autem in gratia dici poſſet habere gratiam conſummatam, ac inamiſſibilem ad ſummum per accidens, & ex decreto Dei extrinſeco.

Gratia per ſe conſummata eſt propria beatitudinis.

16. Dices ſecundò ex Arriaga *hic diſput.* 20. *precic. n.* 54. meritum beatitudinis, etiamſi ſupponatur requirere peccabilitatẽ, ſeu potentiam peccandi, non propterea repugnare cum beatitudine pro primo iſtius inſtanti; quia beatitudo ſeu viſio beata pro ſecundo inſtanti & alius ſequentibus, non pro primo affert impeccabilitatem & tollit potentiam libertatemve peccandi, quod ſic probatur: Beatitudo non tollit peccandi libertatẽ pro eo inſtanti, pro quo à peccandi libertate dependet; atqui viſio beata pro primo inſtanti dependet, aut ſaltem poteſt dependere à peccandi libertate; quænam enim repugnantia in eo, quod Deus ſtatuat me beare in inſtanti A. ſi in tali inſtanti bene operer, non beare, ſi peccem; in quo caſu pro eo inſtanti, pro quo benè operando beatitudinem conſequerer & quod eſſet primum inſtans beatitudinis, haberem potentiam & libertatem peccãdi, non quidem cum peccato beatitudinem conjungendo, ſed ex ſuppoſitione peccati beatitudinem non obtinendo; quamvis deinde pro inſtãtibus ſequentibus eo, quod non ſit mihi liberum beatitudinem acquiſitam abjicere, ſicuti eſt liberum ipſam acquirere, non habeam libertatem peccandi, hæc quippè libertas ſine libertate abjiciendi beatitudinem inferret potentiam ſimul conjungendi peccatum & beatitudinem, ubi obiter apparet diverſa ratio de gratia habituali, cum qua etiam pro ſecundo inſtanti & ſequentibus habeo libertatem peccandi, abſque eo quòd inferatur libertas conjungendi cum ipſa peccatum; quia eam; utpotè quam poſſum acquiſitam abjicere, non ſolùm liberè acquiro, verùm etiam liberè retineo; ideò non ſolùm poſſum peccare & peccando non acquirere pro eo primo inſtanti, pro quo bene operando gratiam acquiro, verùm etiam poſſum peccare, & peccando non retinere pro quolibet alio inſtanti, pro quo ipſam retineo. Sed contrà: 17.

Opinio Arriagæ de potentia peccandi non repugnante cũ primo inſtanti beatitudinis.

Beatitudo ſeu viſio beata pendet aut pendere poteſt à libertate peccãdi in inſtanti temporis præcedente, at non à libertate peccandi in eodem inſtanti temporis, in quo ipſa primò exiſtit; & cum beatitudo ſit ejuſdem rationis in primo & in quolibet alio inſtanti, ſi in primo inſtanti poſſet admittere libertatem peccandi eandem poſſet admittere in quolibet alio inſtanti ſequenti

Impugnatur.

Reſpõdet Arriaga beatitudinem eſſe quidem ejuſdem rationis in primo, ac in reliquis inſtantibus; at eſſe diverſum modum eam habendi; quatenùs liberum cuique eſt eam habere pro primo inſtanti, at ſuppoſitò quod pro primo inſtanti habeatur, neceſſarium eſt, non ampliùs liberum eandem habere pro reliquis; & addit quod etiam pro reliquis inſtantibus beatitudo non tolleret peccandi libertatem, quoties etiam pro reliquis eſſet liberum eam habere, quatenùs Deus mecum v. g. ità ſtatueret *Etiamſi abſolutè nulla expectata cauſa poſſim ego viſionem hanc tibi auferre, nolo tamen niſi expectando liberam tuam in hoc inſtanti determinationem; ſi peccaveris, non eam conſervabo; ſi non peccaveris, conſervabo: Vt verò poſſit voluntas habere principia ſufficientia libertatis, dabo tibi in hoc inſtanti prius natura, quàm quidquam circà viſionis conſervationem determinem, cognitionem aliam indifferentem de bonitate & malitia, cum quâ poſſit peccatum & eius carentia coniungi:* ſunt ipſiſſima verba Arriagæ *in tract. de Beatitud. diſp.* 33. *n.* 18.

18. Sed impugnatur, quia implicat Deum velle aliquod ſub conditione impoſſibili, eſt autem conditio impoſſibilis, quod peccem priùs natura, quàm caream conſervatione viſionis, & tamen conditio illa *ſi peccaveris, non eam conſervabo*, infert videntem Deum priùs naturâ peccare, quàm careat conſervatione viſionis; implicat igitur decretum illud Dei, quod aſſeritur poſſibile ab Arriaga, & libertate, quæ tempore beatitudinem non præcedat, non ſolùm pro reliquis, ſed nec pro primo inſtanti, liberum

Impugnatur ejuſdẽ reſponſio.

berum cuiquam eſt habere beatitudinem: Cæterùm hic maximè diſplicet juxtà doctrinam Arriagæ, ut ſuſtineatur beatitudinem haberi poſſe per meritum naturâ tantum præcedens; concedi eamdem amitti poſſe per peccatum, quod pluſquam falſum ſuppono ex proprio tractatu.

19. Aſſerta repugnantia meriti beatitudinis naturâ tantùm præcedentis beatitudinem ſolet ulteriùs probari primò ex eo, quod meritum eſſentialiter reguletur à cognitione fidei; cognitio autem Dei per fidem nequeat eſſe ſimul tempore cum cognitione ejuſdem per viſionem beatam. Hæc tamen probatio videtur efficax ſolùm de potentia ordinaria; quia quidquid contrà ſentiat Ioannes à S. Thomâ *præcit. num.* 27. de potentiâ abſolutâ regulabile eſt meritum à ſcientiâ infuſâ, quæ nullam habet cum viſione beata incompoſſibilitatem: Secundò ex eo, quod repugnet peccatum naturâ tantùm præcedens damnationem; loquendo de peccato formaliter tali, ex quo inducatur damnatio æterna tanquam pœna, quodque ſi ſimul eſſet cum damnatione inferret ſimul potentiam & impotentiam vitandi damnationem; impotentiam quidem, quia exiſtenti in ſtatu damnationis non eſt ampliùs liberum vitare damnationem; potentiam verò, quia peccanti formaliter & damnationem merenti liberum eſt non peccare & damnationem vitare: Hæc tamen probatio aſſumit rem meo quidem videri veram, ſed minùs certam ipsâ re, quam probare intendit: undè Ioannes à S. Thomâ poſtquam docuit repugnare meritum naturâ tantùm præcedens gloriam, non veretur admittere *præcit. art.* 1. *num.* 31. peccatum naturâ tantùm præcedens æternam pœnam contrà Vaſquium *præcit. diſp.* 29. *cap.* 7. Eſparzam *præcit. art.* 4. *&c.*

Aliæ minùs efficaces probationes noſtri aſſerti.

20. Ex dictis habetur Angelos potuiſſe quidem beatitudinem recipere in ipſo creationis inſtanti; at non eodem modo, quo de facto in tali inſtanti receperunt gratiam; hanc enim de facto receperunt ex meritis, & cum potentia peccandi; cum neutrâ autem ex his conditionibus potuiſſent recipere beatitudinem: non ex meritis, quia beatitudinem in creatione receptam merita potuiſſent naturâ tantùm præcedere, ſub meritis autem naturâ tantùm præcedentibus nequit cadere beatitudo, licèt poſſit cadere gratia; non cum potentia peccandi, quia beatitudo excludit tùm peccatum tùm potentiam peccandi, gratia verò peccatum duntaxat, non peccandi potentiam.

Beatitudo in inſtanti creationis dari non poteſt ex meritis.

CAPUT IV.

De peccato, præſertim primo, malorum Angelorum.

INGRADIMUR malorū Angelorum viam ea ex parte, quâ fuit ipſorum propria & exorbitās a felici initio omnibus Angelis communi, juxtà ſupradicta de creatione Angelorum omnium in gratiâ, & quando etiam permitteretur dæmones ſaltem non fuiſſe in gratiâ creatos, non propterea concedi poſſet eos fuiſſe ab initio & in primo exiſtentiæ inſtanti malos propter definitiones Conciliorum Carthaginenſis IV. *can.* 1. Bracarenſis 1. *can.* 7. Lateranenſis *cap. firmiter*, quibus definitionibus licèt potiſſimùm damnetur error Manichæorum & Priſcillianiſtarum aſtruentium dæmones malos ex naturâ ſuâ & per ſubſtantiam naturaliter malam, vehementer tamen etiam impetitur opinio Eugubini *lib.* 8. *de perenni Philoſophiâ cap.* 38. aſtruentis dæmones ab initio malos ex pravâ voluntate, & per culpam liberè commiſſam in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ; quapropter licet Manichæorum error, utpotè qui involvit rem etiam de potentia abſoluta repugnantem, & ſupponentē duo prima principia bonorum alterū, alterum malorum, ſit omninò deteſtabilis, & longè intolerabilior opinione Eugubini; hæc nihilominùs accedente prædictis Conciliis cōmuni Scholaſticorum & Sanctorum Patrum conſenſu gravi ſolet cenſura notari, à Divo ſe licet Bonaventurâ *in* 2. *diſt.* 4. *art.* 1. *q.* 1. & a D. Thoma 1. *p. q.* 63. *art.* 5. *in c.* rejicitur ut erronea, à Suarezio *lib.* 7. *de Ang. cap.* 19. appellatur valdè temeraria, à Valentia *hic q.* 14. *punct.* 4. oppoſitum cenſetur ex fide certum, &c. Hinc fit ſupponendum prorsùs eſſe primum dæmonum peccatum non fuiſſe ab ipſis commiſſum in primo inſtanti; placet verò ulteriùs nonnulla alia ſupponere, tanquam aut ex præaſſertis conſequentia, aut ad faciliorem aſſerendorum notitiam conducentia: Ideò 1.

Cenſura opinionis aſtruentis dæmones fuiſſe malos in primo inſtanti.

Suppono primò verè dari aliquos Angelos voluntaria & libera malitia malos; & non ea æſtimatione vulgi tantùm, ut fuit error nonnullorum apud D. Thomam *in* 4. *diſt.* 34. *quæſt.* 1. *art.* 3. *in c.* ſed in rei veritate tales eſſe eos ſpiritus, quos dæmones nominamus, rectè enim notat Auguſtinus *lib.* 8. *de civit. cap.* 13. dæmonis nomen ſecundùm ſcripturarum & fidelium uſum non niſi in malam partem accipi, quamvis ſecundùm græcam vocabuli æthimologiam, ſecundùm quam *Dæmon* idem eſt ac peritus ſeu ſciens, poſſet etiam in bonam partem accipi pro ſpiritu ſciente & perito, & dæmonium pro ſe ſcientia ipſa ſeu doctrina, undè *Act.* 17. Paulus Athenienſibus videbatur novorum dæmoniorum 2.

Dæmonis nomē quid ſignificet.

niorum annuntiator eo, quod videretur eis novas doctrinas inferre, & ſiſtendo in hac nominis ethymologia mali ſpiritus. Cacodæmones, id eſt malum ſcientes, potiùs quàm præcisè dæmones eſſent appellandi.

3. Suppono ſecundò, quonam determinatè tempore commiſſum fuerit ab Angelis primum peccatum non eadem certitudine conſtare, quâ conſtat illud commiſſum non fuiſſe in primo inſtanti, nec circà tale tempus quidquàm ampliùs dici poteſt quàm Angelos primò peccaſſe in ſecundo inſtanti temporis Theologici, & in diviſibili, brevi tamen poſt creationem morâ temporis noſtri, juxta ſuprà tradita *cap.* 2. §. 2. *&* 3. Portò quia in hujuſmodi brevi mora non habuerunt Angeli occaſionem aut cauſam mutandi locum, in quo fuerunt creati, conſequens eſt locum creationis fuiſſe locum primi peccati & malos Angelos primò peccaſſe in Empyreo, in quo fuerunt ſimul cum bonis creati juxtà ſupradicta *lib.* 1. *cap* 1. §. 4.

Primũ peccatum Angelorum quando, & ubi commiſſum?

4. Suppono tertiò ex doctrina D. Thomæ *hic q.* 63. *artic.* 2. peccatum aliquod in aliquo eſſe poſſe dupliciter, vel ſecundùm reatum, vel ſecundùm affectum: Peccatum ſecundùm reatum eſt in eo, qui contrahit peccati malitiam abſque eo quòd conſummet in propria perſona aut cauſet immediatè actum, cui per ſe primò annexa eſt talis malitia, veluti ſi quis ſuadeat alteri homicidium vel de homicidio patrato ab alio gaudeat: Peccatum ſecundùm affectum eſt in eo, qui per propriam naturam afficitur ad talis peccati objectum, ipſiuſque actum immediatè cauſat & in propria Perſona conſummat: Primo modo concedit S. Doctor eſſe poſſe in dæmone omnia peccata, quatenùs ad omnia poteſt homines inducere; ſecundo modo duo ſolùm peccatorum genera, ſuperbiæ nimirùm, & invidiæ; quod poſterius Vaſquio *in comment. præcit. art. num.* 27. videtur difficillimum, & meritò ſi S. Doctor loqueretur in ea univerſalitate, quâ intelligitur à Vaſquio; at re verâ intelligendus eſt cum aliqua reſtrictione, itaut nimirùm loquatur dumtaxat de illis peccatis, quæ Angeli committere potuerunt in primo lapſu & ſecundùm ſuum connaturalem modum operandi, pro quo videatur Ioannes à S. Thoma *hic diſput.* 23. *artic.* 3. *à num.* 12. nobis in hac re ſufficiat explicaſſe terminos.

Peccatum ſecundùm reatum & peccatum ſecundùm affectum quid?

5. Suppono quartò peccatum vel in genere, vel in ſpecie attendi poſſe: Peccatum in genere aliud mortale eſt, aliud veniale; aliud commiſſionis, aliud omiſſionis, juxtà principia Thomiſtica peccatũ primum Angelorum, nec veniale, nec omiſſionis eſſe potuit, ut explicat Ioannes à S. Thoma *art. præcit. à num.* 3. Principiis Thomiſticis in hoc puncto non adhæreo, & conſequenter ad ſupradicta *cap.* 1. §. 6. exiſtimo primum peccatum Angelorum ex ſe & ex natura rei potuiſſe eſſe veniale; quia verò ibidem dicta contrà Thomiſtas volentes non poſſe Angelos verſari circa media niſi ex fine, nec poſſe ipſorum deordinationem niſi à fine incipere deſtruunt fundamentum, quo Ioannes à S. Thoma *artic.* 3. *præcit. à num.* 5. ſuſtinet primum Angelorum peccatum neceſſariò debuiſſe eſſe commiſſionis, exiſtimo tale primum peccatum etiam omiſſionis & contrà præceptum affirmativum puta convertendi ſe ad Deum eſſe potuiſſe; quamvis de facto nec omiſſionis fuerit, nec veniale; modus enim, quo Scripturæ & ſancti Patres explicant genus illius primi peccati aſſimilando ipſum homicidio. *Ioan.* 8. collocando ipſum ſub ſpecie ſuperbiæ, &c. non quadrat peccato aut omiſſionis aut venialis; effectus etiam damnationis & pœnæ æternæ ad ipſum ſecutæ ſpecialiter evincit veniale non fuiſſe. Suppono igitur Angelos primò peccaſſe in genere lethali & commiſſionis, & pro præſenti controverſia primi peccati Angelici peccatum attendi debere in ſpecie, non in genere.

Primũ peccatum Angelorum potuit eſſe tùm veniale tùm omiſſionis.

De facto tamen fuit lethale & commiſſiõnis.

Suppono quintò attendendo peccatum in ſpecie, & quærendo in quanam peccati ſpecie fuerit primus Angelorum lapſus non poſſe ampliùs inter ſententias aliqua ratione probabiles & ab omni cenſura immunes recenſeri eam, quâ diceretur primus ille lapſus fuiſſe peccatum libidinis, ſeu carnalis luxuriæ, ut ex Eſtio *in* 2. *diſt.* 6. §. 2. videntur ſenſiſſe Irenæus, Tertullianus, Iuſtinus, Origenes, Lactantius & quidam alij Antiqui propter verba illa Geneſ. 6. *Videntes filij Dei filias hominum*, &c. ſed legitimum horum verborũ ſenſum jam attulimus *lib.* 1. *c.* 2. *num.* 13. & ex omnimoda Angelorum ſpiritualitate *eo cap.* ſtabilita ſatis præcluditur aditus ſuſpicandi in Angelis peccatum ullum carnalis luxuriæ; præter quod ſi eſſent corporei haberent corpora non elementaria, non ſimilia noſtris, nec apta cum filiabus hominum commiſceri; deinde peccatum quod narratur *Gen.* 6. fuit commiſſum paulò ante diluvium, adeoque valdè poſt primum peccatum Angelorum, & hinc Ioannes à S. Thoma *præcit. art.* 3. *n.* 9. putat neminem ex illis etiam, qui tribuerunt Angelis carnalem cum filiabus hominum concubitum, poſuiſſe in tali concubitu primum peccatum, ſed quidquid ſit, utrùm talis opinio aliquos olim obtinuerit Patronos? certè jam penitus repudiata eſt & habenda pro errore: Ea igitur exploſâ miſſiſque aliis nonnullis minoris momenti opinionibus, quarum meminit Eſtius §. 2. *præcit* tres remanent alicujus probabilitatis ſententiæ: Prima primum Angelorum peccatum collocat ſub ſpecie invidiæ: Secunda ſub ſpecie ſpiritualis luxuriæ ſitæ in inordinato amore ſui, quem Maſtrius *in* 2. *diſp.* 3. *n.* 67. cum politioribus ſcriptoribus Philautiam vocat: Tertia ſub ſpecie ſuperbiæ: Diſcutio per ſingulas: Idcò ſit 6.

Cenſura opinionis ponentis pro primo peccato Angelorum carnalem luxuriam.

§. I.

Vtrùm primum malorum Angelorum peccatum fuerit invidia?

7. ASSERT. 1. Primum Angelorum malorum peccatum non fuit invidia. Ità Theologi communiter contrà nonnullos quorum meminit Auguſtinus *lib.* 11. *Geneſ. ad lit. cap.* 14. & cum quibus videtur ſenſiſſe Cyprianus *in opuſcul. de zelo & livore.*

Invidia eſt ſoboles ſuperbiæ.

Probatur. Invidia eſt ut plurimùm ſoboles ſuperbiæ, & ex ſuperbia naſcitur ubicumque cum ſuperbia reperitur; ergo ubicumque cum ſuperbia reperitur, non eſt peccatum primum; atqui in Angelis verè fuit cum ſuperbia ut abundè patebit ex ſequentibus; ergo invidia in Angelis non fuit primum peccatum; antecedens apertè colligitur tùm ex D. Thoma *hic q.* 63. *artic.* 2. & 2. 2. *q.* 36. *art.* 4. *ad* 1. tùm ex D. Auguſtino *precis. cap.* 14. dicente *Invidia ſequitur ſuperbiam, non præcedit. Nec enim cauſa ſuperbiendi eſt invidentia, ſed cauſa invidendi ſuperbia: Cum enim ſuperbia ſit amor excellentia propria. invidia vero ſit odium felicitatis aliena, quid unde naſcetur ſuis in promptu eſt.* Hiſce auctoritatibus infringitur & corrigitur auctoritas Cypriani *opuſcalo præcitate* ſi ipſe re verà contrarium ſenſit, & non potiùs invidiam eo loco accepit ſecundùm originem & radicem ſuam, quæ eſt ſuperbia.

8. Verè fuit in Angelis, ſed non tanquam peccatum primum.

Dices malè cohærere aſſerto noſtro illud Sap. 2. *Invidia diaboli mors intravit in mundum.* Sed contrà: his verbis nihil exprimitur de peccato primo, & ſolùm tribuitur Angelis peccatum invidiæ præſcindendo ab eo, quod ſit vel non ſit primum; nec ea poſſumus de peccato primo intelligere, cum plura & clariora ſuppetant Scripturæ teſtimonia pro primo peccato in ſuperbia collocando; allato igitur textui ſatisfit admittendo utcumque, quemadmodum libenter admittimus, in malis Angelis peccatum invidiæ.

Admiſſo in malis Angelis invidiæ peccato quæri hic poſſet, circà quodnam objectum, & quandonam fuerit commiſſum? Quoad objectum Cyprianus *opuſcul. præcit.*

Cui & quando Angeli inviderint.

Tertullianus *de patientia cap.* 5. & Baſilius *in ſerm. de invidia*, aſſignant hominem, quatenùs creatum ad Dei imaginem, & ad eandem felicitatem, quam Angelus ipſe erat habiturus. D. Bernardus *homil.* 17. *in Cantica*, Rupertus & alij videntur aſſignare Chriſtum Dominum, ut inſignitum dignitate unionis hypoſtaticæ. Quoad tempus, qui docent Angelum ſtatim ab initio per revelationem cognoviſſe hominem creandum & Chriſtum futurum, docent conſequenter in eo ad ſuperbiam illicò ſubſecutam invidiam, cæteri ſentiunt eum non potuiſſe homini invidere, niſi poſtquam vidit ipſum conditum, id eſt ſexto die creationis univerſi, & hac ratione non ante ſextum diem in hominem Angelus concepiſſet invidiam. Quid magis arrideat colligi poterit ex infrà dicendis de objecto Angelicæ ſuperbiæ §. 5. *n.* 43. & 45.

§. II.

Vtrùm primum malorum Angelorum peccatum fuerit Philautia, ſeu ſpiritualis luxuria?

ASSERT. Primum Angelorum peccatum non fuit Philautia, ſeu ſpiritualis luxuria. Ità Auctores referendi pro aſſerto ſequenti contrà Scotum *in* 2. *diſtinct.* 6. *q.* 2. §. *Quantùm ad ſecundum* & §. *Ad argumenta principalia*, Baſſolium *ead. diſt. quæſt. unica art.* 3. Fabrum *diſput.* 32. Brancaſium *diſp.* 10. *q.* 2. Pontium *diſp.* 15. *q.* 3. Maſtrium *diſp.* 3. *q.* 4. *art.* 1. cæteroſque Scotiſtas, pro quorum ſententia aliqui recenſent Gabrielem & Holcot; ſed neuter ſentit eodem omninò modo, quo Scotus; ut quoad Gabrielem oſtẽdit Vaſquez *hic diſp.* 232. *c.* 1. quoad Holcot colligitur ex Lugo *diſp.* 24 *c.* 2. *n.* 3. 9.

Philautia & ſpiritualis luxuria quid?

Probatur: Philautia ſeu ſpiritualis luxuria eſt inordinatus amor amicitiæ erga ſe ipſum & affectus immoderatæ delectationis ac complacentiæ erga propriam excellentiam abſolutè conſideratam, nec relatam ad alios; atqui primum Angelorum peccatum non fuit inordinatus amor amicitiæ erga ſe ipſos, &c. Major deſumpta eſt ex Scoto & Scotiſtis, & ex eo quod Græca vox *Philautia* idem prorsùs Latinè ſonat ac *Amor ſui*, vox verò *Luxuria* licèt ex uſu quodam appropriata ſit delectationi venereæ, ex inſtitutione tamen ſua indifferens eſt ad ſignificandam delectationis immoderantiã in quacumque materia, adeoque immoderantia delectationis in excellentia Angelica ſpirituali rectè dicitur luxuria ſpiritualis, ut magis probat Maſtrius *art.* 1. *præcit. n.* 68. & 70.

10. In ea non conſiſtit primũ Angelorum peccatum.

Minor probatur, Amor amicitiæ erga ſe ipſum & affectus complacentiæ de excellentia propria abſolutè conſiderata eo modo, quo à Scoto & Scotiſtis in præſenti ſumitur non poteſt eſſe actus inordinatus & peccaminoſus; ergo talis actus non fuit primum peccatum Angelorum, & *inordinatus amor amicitia, affectus immoderatæ complacentiæ* eo modo, quo in præſenti ſumuntur *amor amicitia, affectus complacentia*, ſunt termini repugnantes; undè etiam per terminos repugnantes Adverſarij explicant Philautiã ſpiritualéque luxuriam: Antecedens probatur, amor ſui & affectus cõplacẽtiæ de excellentia propria nõ poteſt eſſe inordinatus & peccaminoſus, niſi progrediatur ad objectum ab ipſo Angelo diſtinctum; atqui talis actus eo modo, quo à Scoto & Scotiſtis in præſẽti ſumitur, nõ progreditur ad objectũ ab ipſo Angelo diſtinctũ, ergo: Major probatur, amare ſe ipſum ſibique in perfectione propria complacere eſt actus ex objecto & ex genere ſuo

bonus,

bonus, utpotè valdè conformis naturali dictamini rationis; actus autem hujuſmodi non poteſt eſſe inordinatus, niſi progrediatur ad aliquid extraneum, & ab objecto ſuo diſtinctum; alioqui idem actus poſſet ex eodem principio eſſe bonus & malus.

Reſpondebis amicabilem amorem ſui, quamvis ex genere & objecto bonum, potuiſſe in Angelo etiam non progrediendo ad aliquid extraneum eſſe inordinatum & malum ex eo, quod fuerit exceſſivus & nimius.

11. *Amor ſui non poteſt eſſe nimius intenſive.* Sed impugnaberis, quia amor ſui, prout ſumitur in præſenti, nec intenſive, nec extenſive nec ullo alio modo poteſt eſſe exceſſivus & nimius: Non intenſive, quia ex una parte intenſio quantum eſt de ſe actum bonum non reddit malum, ſed meliorem; ex alia parte unuſquiſque habet jus amandi ſe ipſum tota intenſione, quâ poteſt; ſicuti de facto quilibet Angelus amat ſe ipſum tota intenſione, quâ poteſt, in ſententia docente amorem ſui eſſe in quolibet Angelo

Nec extenſive. ſimpliciter neceſſarium: Non extenſive, quia nimietas extenſiva, vel attenderetur penes durationem quatenùs Angelus nimis perſeveraſſet in ſui amore; & ſic incumberet Adverſariis aſſignare, unde nam Angelus teneatur ad tantam & non majorem in amore ſui perſeverantiam? vel attenderetur penes objectum, quatenùs Angelus amaret in ſe nimiam bonitatem; & ſic cum Angelus ſupponatur amare nullam prorsùs bonitatem extraneam, ſed eam ſolam excellentiam, quam in ſe revera habet, non poteſt dici, quòd nimiam bonitatem amet; niſi ſimul dicatur, quòd nimiam bonitatem habeat.

Nec ullo alio modo. Non ullo alio modo, quia non eſt aſſignabilis ullus alius modus, quo poſſit eſſe exceſſivus & nimius amor Angeli erga ſe ipſum præcisè.

Dices ex Scoto *præcit. §. Quantùm ad ſecundum verſic. ad argumenta* Angelum amare ſe ipſum amore exceſſivo, & nimio; ſeù immoderato, quatenùs abſque eo, quod velit aliquid advenire per quod creſcat, vult bonum ſuum majus eſſe in ſe, quàm ſit; & ità magnum quod ſine alicujus alterius adventu vult illud eſſe majus omnibus aliis; quæ non ità diligit; hanc doctrinam Maſtrius unico termino complectens ait amorem, de quo in præſenti, eſſe exceſſivum & nimium non in intenſione, nec in extenſione, ſed in appretiatione, quam etiam vocat

12. irreferibilitatem in Deum. Sed contrà: hæc doctrina Scotus ſibi ipſi non cohæret, non enim ſalvat in Angelo inordinationem amoris abſque eo, quod progrediatur ad objectum à ſe diſtinctum, & ſiſtendo in bono proprio abſolutè ac ſecundùm ſe, quia bonum ſine alicujus alterius adventu majus, quàm ſit in ſe, cum ſit quid impoſſibile utique eſt objectum extraneum & ab ipſo Angelo diſtinctum; velle bonum ſuum eſſe majus omnibus aliis non eſt ampliùs ſiſtere in bono proprio abſolutè ac ſecundùm ſe, ſed eſt velle ipſum comparativè & relatè ad alia, eademque ratione rejicitur quod addit Maſtrius de appretiatione, nam magis appretiare ſe, quàm cætera, eſt ſe præferre cæteris, adeoque importat amare ſe ipſum non abſolutè & ſecundùm ſe, ſed relatè & comparativè, imò prælativè, quod ad ſuperbiam propriè dictam, ſeu ad amorem propriè ſuperbum pertinet, non ad amorem ſui præcisè.

Nec ſufficienter occurrit Maſtrius *n.77, & 81.* dicendo appretiationem non poſſe eſſe ſine relatione & comparatione ad aliud, quando eſt formalis & explicita; benè tamen quando eſt implicita tantùm & virtualis, qualis eſt appretiatio reddens exceſſivum, nimium, & inordinatum amorem ſui, quo Angeli primò peccarunt. Non, inquam, 13.
ſufficienter occurrit, quia appretiatio illa niſi ſit formalis & explicita non tribuit ſpecialem malitiam, nec conſtituit determinatam ſpeciem peccati, remaneret igitur aſſignandum aliquid aliud, ratione cujus amor ſui eſſet inordinatus inordinatione requiſita ad primum, ac tale peccatum in ſpecie: Porrò *Appretiatio implicita creaturæ magis, quà Dei reperitur in omni peccato lethali.* *niſi ſit formalis & explicita non tribuit*, &c. quia appretiatio implicita tantùm & virtualis eſt malitia quædam tranſcendens & generalis conditio cujuſcumque peccati lethalis, quatenùs quiſquis lethaliter peccat in ratione finis ultimi & amore amicabili magis appretiat virtualiter & implicitè creaturam, quàm Deum, ut ſuppono ex paſſim dicendis *in tract. de Beatitud.* ſingillatim verò *ex lib. 1. c 2. n. 28. & 36.*

Reſpondebis rursùs ad ſuperiorem probationem, actum ex objecto & ex genere ſuo bonum eſſe poſſe inordinatum & peccaminoſum eo, quòd ſit occaſio, aut cauſa alicujus peccati ſubſequentis, ſicque amorem ſui potuiſſe eſſe inordinatum in Angelis eo, quòd fuerit occaſio ſuperbiendi. Sed 14.
impugnaberis primo, quia amor ſui, quatenùs eſſet occaſio aut cauſa alicujus peccati ſubſequentis, deberet ſpecialiter referri ad tale peccatum ejuſque objectum, & per conſequens progrederetur ad aliquid extraneum, nec ampliùs ſiſteret in excellentia Angeli abſolutè & ſecundùm ſe. Secundò, quia actus malus ex eo præcisè quod ſit occaſio, aut cauſa peccati ſubſequentis, non eſt malus malitia diverſa à malitia peccati ſubſequentis, ſed eadem prorsùs formaliter exiſtente in peccato ſubſequente, denominative in occaſione ipſius; amor igitur ſui in Angelo malus ex eo præcisè, quod fuiſſet occaſio ſuperbiendi, non fuiſſet malus, niſi denominative, extrinſecè, & malitia formaliter exiſtente in ſuperbia ſubſequente, non verò malitia propria amoris ſui & conſtituente in ipſo ſpeciem peccati à ſuperbia diverſam. Tertiò, quia amor ſui in Angelis malè dicitur fuiſſe occaſio aut cauſa ſuperbiendi, ex natura enim ſua præcisè non inferebat ſuperbiam magis, quàm gratiarum actionem, aut alium actum bonum; & de facto ſuperbia ſubſecuta eſt ex libertate & pravitate malorum Angelorum, non ex natura ipſius amoris; qui propterea dici fortè poteſt occaſio accepta, at nullatenùs occaſio data ſuperbiendi.

Dices, quamvis fortè ſatis non conſtet, undenam determinatè proveniat inordinatio & malitia in amore ſui? certè dari amorem aliquem ſui malum & inordinatum omninò evincitur, tùm ex eo quòd Philautia, quæ nihil aliud ſonat quàm amor ſui, ſolet in malam partem accipi & inter vitia numerari, tùm ex verbis illis Auguſtini lib. 14. de Civit. cap. 28. *Amor ſui uſque ad contemptum Dei ædificat terrenam Civitatem Babylonis.*
15. Sed contrà: Amor ſui dupliciter potiſſimùm poteſt eſſe inordinatus & malus, vel malitia ſuperbiæ ratione appretiationis explicitæ quâ quis formaliter & explicitè ſe ipſum ſuprà cætera omnia diligit; vel malitia generali & tranſcendenti, quatenùs eum ex dicendis *præcitato cap. 2 num.* 45. in quolibet lethali peccans regulariter habeat ſe ipſum pro ultimo fine *cui*, in quolibet lethali involvitur inordinatus amor ſui, tanquam finis *cui*. Hinc dico Philautiam ſignificare vel amorem ſui ſuperbum vel vitium per omnia peccata vagans; & pariter de amore ſui in alterutra ex his acceptionibus intelligenda eſſe præallata verba Auguſtini; cæterùm nec Auguſtini verba, nec Philautiæ in malam partem acceptæ nomen rectè accommodari amori ſui, quatenùs ſiſtit in purâ lineâ amoris; nec diſtrahitur ad objectum extraneum, & malitiam aut alienam aut tranſcendentem.

Philautia quemnam ſui amorē ſignificet.

Plura alia poſſent hic afferri pro Scoto aut contrà Scotum, ſed opportunior eorum locus erit *in ſeq.* §. Ideò ſit

---

§. III.

Utrùm primum peccatum malorum Angelorum fuerit ſuperbia?

16. Primùm Angelorum peccatum ſuperbia.

ASSERT. Primum malorum Angelorum peccatum fuit ſuperbia propriè dicta. Ità D. Thomas 1. *part. q.* 63. *art.* 2. *in* 2. *diſtinct.* 5. *q.* 1. *artic.* 3. *lib.* 3. *contra Gentes, cap.* 109. *de malo, quæſt.* 16. *art.* 2. *ad* 4. Magiſter *in* 2. *diſtinct.* 6. Bonaventura *eadem diſtinct. artic.* 1. *q.* 1. Durandus *q.* 2. Albertus *in ſumm.* 2. *part. tract.* 5. *q.* 21. *memb.* 2. Alenſis 2. *part. quæſt.* 28. *memb.* 2. Cajetanus 1. *part. q.* 63. *art.* 2. Ioannes à S. Thoma *diſput.* 23. *art.* 3. Eſtius *in* 2. *diſt.* 6. §. 2. Suarez *hoc lib.* 7. *c.* 8. Vaſquez *diſp.* 132. *cap.* 3. Lugus *diſp.* 24. *c.* 2. Amicus *diſp.* 20. *ſect.* 4. Madernus *q.* 5. *art.* 1. Averſa *q.* 63. *ſect.* 3. cæterique tùm Antiqui tùm recentes Theologi contrà Scotum & Scotiſtas relatos in præcedente aſſerto; item contrà Auctores, quorum meminimus §. 1.

Probatur primò auctoritatibus, quibus maximè ſtandum eſt in quæſtione facti dependentis ex libera & in ſe nobis occulta voluntate Angelorum; probatur, inquam, auctoritatibus Scripturæ & Patrum frequentibus & familiaribus apud omnes penè Auctores, præſertim apud Eſtium, Vaſquium, Amicum locis præcitatis; propter hujuſmodi auctoritates ſententiam à nobis aſſertam eſſe ferè certam exiſtimant Ioannes à S. Thoma *artic.* 3. *præcit. n.* 9. Amicus *præcit. ſect.* 4. *num.* 94. & plures alij, imò Granadus *tract.* 13. *diſp.* 1. *ſect.* 1. *n.* 4. non veretur vocare temerariam ſententiam oppoſitam, ſed Scoti & Scholæ Scotiſticæ auctoritas facilè rejicit hanc temeritatis cenſuram in Cenſorem, unde etiam Herincx *diſp.* 5. *q.* 3. *num.* 30. redarguit tanquam temerè loquentem Ludovicum Vives in eo quod ait: *Scoto non placet peccatum Angelorum fuiſſe ſuperbiam, credo, ob id ſolum quod D. Thomæ placuerat ſequenti veterum Scriptorum ſententiam*: ſed rejectis ſcommatum aculeis addamus probationi noſtræ robur aliquod, impugnando quas Adverſarij afferunt inſinuatis auctoritatibus explicationes.

17. Cenſura nonnullorũ in oppoſitã Scotiſtarũ ſententiam.

Dicunt igitur ſuperbiam aliam eſſe propriam & ſtrictè talem, aliam eſſe impropriè & latè dictam; utramque conſiſtere in immoderato affectu propriæ excellentiæ, ſed unam attingere propriam excellentiam ut relatam ad alios, quibus vult præeſſe, aliam attingere eandem excellentiam abſolutè & ſecundùm ſe, ſibi in ipſa nimis complacendo; prima eſt ſuperbia propria, cujus ſignificationi conſonat nomen ipſum cum ſuperbire nihil aliud ſonat, quàm velle ſuper alios ire: Secunda eſt ſuperbia impropria conſtituens peccatum in ſpecie diverſa ab ea, in quâ eſt ſuperbia propria: De hac ſuperbia impropria, quam ipſi Philautiam, ſpiritualemve luxuriam vocant, intelligunt auctoritates quibus exprimitur ſuperbiam eſſe primum peccatum Angelorum, & omnis peccati initium.
18. Sed contrà, permittendo pro nunc Adverſariis allatam diviſionem, quamvis alioqui & ex dictis & ex dicendis falſam, dico auctoritates quoties multæ & multorum ſunt non debere intelligi in ſenſu improprio, incredibile quippè eſt plures pluries de eadem re locutos voluiſſe ſemper uti locutione impropria, nullatenùs etiam indicando locutionis improprietatem.

Impugnatur reſponſio Adverſariorum ad auctoritates.

Dicunt inſuper ſuperbiam in præmemoratis auctoritatibus accipi poſſe pro ſuperbia propria, intelligendo deinde hanc fuiſſe primum Angelorum peccatum primitate malitiæ, quatenùs fuerit in Angelis peccatũ omnibus gravius & potiſſima cauſa damnationis ipſorum; non primitate exiſtentiæ, quatenùs fuerit peccatum omnibus prius & omnia duratione præcedens: Sed contrà: adhuc auctoritates illæ hac ratione ſumuntur 19.
in ſenſu improprio, cum eo ſolùm diſcrimine, quòd improprietas, quæ anteà ponebatur cadere ſuprà ſuperbiam, nunc ponitur cadere ſuprà peccatum, quà primum: Accedit quod iſta explicatio nullatenùs quadrat illis textibus, in quibus ſuperbia dicitur omnis peccati initium, vox quippè *initium* non aliam primitatem ſignificare poteſt, quàm exiſtentiæ & durationis. Nec rectè occurritur dicendo ſuperbiam dæmonis

fuiſſe initium omnis peccati hominum, non omnis peccati Angelorum; Non rectè, inquam, quia id foret limitare ſine neceſſitate verba univerſaliter prolata; ſignificatio autem verborum in auctoritatibus ad ſenſum minùs univerſalem æquè, ac ad ſenſum minùs proprium, inflectenda ſine neceſſitate non eſt.

20. Probatur ſecundò ratione: Primum peccatum Angeli fuit amor inordinatus excellentiæ; ſed amor inordinatus excellentiæ eſt ſuperbia propriè dicta, ergo primum peccatū Angeli fuit, &c. Major admittitur à Scotiſtis, & ſuadetur ex eo, quòd excellentia eſt bonum delectabile & inter delectabilia maximè alliciens, adeóque objectum maximè proportionatum primo peccato Angeli, qui certè non potuit affici & allici à bono utili æquè ac à delectabili, quia allicientia bóni utilis commenſuratur indigentiæ ad quam auferendam ordinatur, talis igitur allicientia non potuit eſſe niſi minima reſpectu Angeli qui, utpotè ab initio creationis aſſecutus omnem perfectionem ſibi cóvenientem, vel nullam vel valdè exiguam indigentiam habere potuit. Minor probatur, ad objectum ſuperbiæ propriè dictæ non requiritur, quod ſit excellentia ad alios relata, ſed ſufficit quod ſit excellentia, quæ quatenùs quò ad rem aut quò ad modum habendi indebita, reddat inordinatum actum quo amatur ſeù appetitur; ergo amor inordinatus excellentiæ, &c. Antecedens probatur primò quia ſuperbia non ſolét definiri per relationem & reſpectum ad alios, ut patet ex definitionibus Sanctorum Patrum relatis in lexicon theologico verbo *Superbia*; Secundo quia ex quatuor ſpeciebus ſuperbiæ aſſignatis à D.Gregorio *lib.* 23. *moral.* & commendatis à D.Thoma 2.2. *quæſt.* 162. *art.* 4. quarta dumtaxat ſpecies importat reſpectum aliquem ad alios; Tertiò quia ſpectat ad ſuperbiam propriè dictam non ſolùm efferre ſe ſuprà alios, ſed etiam efferre ſe ſuprà ſe, quod nullam dicit habitudinem ad alios; colligitur hoc ex D.Thoma *in* c.40. *Iob lect.* 1. ubi diſtinguit duplex ſuperborum genus, aliud extollentium ſe ſuprá alios, aliud extollentium ſe ſuprà ſe, & 2.2 *quæſt.* 112. *art.* 1. *ad* 2. ubi arrogantiam per quam aliquis ſuprà ſe ipſum extollitur ait eſſe ſpeciem ſuperbiæ. Ex quo patet Adverſarios malè ſumere aliquod ſuæ opinionis fulcimentum ex ſono ipſo vocis, quaſi ſuperbire idem ſonet ac velle ſuper alios ire; cur enim ſonat potiùs velle ire ſuper alios, quàm velle ire ſuper ſe; dico igitur ſuperbiam ex genere ſuo ab utroque præſcindere, & importare dumtaxat appetitum excellentiæ indebitæ, ſivè deinde tali excellentiâ quis velit ſuprà alios, ſivè ſuprà ſe attolli.

Objectum ſuperbiæ propriè dictæ quid?

21. Superbire ex vi nominis quid.

Dices: humilitas eſſentialiter importat relationem ad alios, conſiſtit enim in eo quòd quis ſe exiſtimat aliis deteriorem & velit aliis ſubjici ex D.Tho. 2.2. *q.* 161. *art.* 2. *in c.* ergo etiam ſuperbia propriè dicta debet explicari per relationem ad alios; ſuperbia enim propriè dicta directè opponitur humilitati, peccata autem & vitia, ſicuti diſtinguuntur per virtutes ſibi oppoſitas, ità debent cum proportione ad eaſdem explicari. Sed contrà ex D.Iſidoro *lib.* 10. *Etymolog. cap.* 8. humilis dicitur, quaſi humi acclivis ſeù imis inhærens; ex D. Bernardo humilitas definitur virtus; quâ veriſſimâ ſui cognitione ſibi ipſi quilibet viléſcit, & ex D.Thomâ *pracit. quæſt.* 161. *art.* 1. *in c.* dicitur virtus, quæ temperat & refrænat animum ne immoderatè tendat in excelſa; pro nobis igitur potiùs, quàm contrà nos ſumi poteſt ex humilitate argumentum hæc enim quamvis in aliquâ ſui ſpecie importare poſſit relationem ad alios, ex genere tamen ſuo à tali relatione præſcindit, & eſſentialiter conſiſtit in appetitu utilitatis, quo quis velit tenere ſe in imo ſeù infimo.

22. Humilis ex vi nominis quid.

Humilitas non dicit eſſentialiter relationem ad alios.

Dices inſuper: Quando tandem concederetur ſuperbiam propriè dictam præſcindere ab habitudine ad alios, & reperiri in amore inordinato excellentiæ etiam ad alios non relatæ; adhùc in iſto amore & per conſequens in ſuperbia propriè dictæ non conſiſteret primum peccatum Angelorum, quia iſte amor eſſet concupiſcentiæ, non amicitiæ; eſſet quippè amor quo Angelus excellentiam ſibi, non ſe ipſum amaret; atqui amor concupiſcentiæ ſupponit amorem amicitiæ, & amor concupiſcentiæ inordinatus amorem amicitiæ inordinatum; ergo iſte amor ſupponeret alium amorem à ſe diſtinctum & ſe priorem, qui eſſet primum Angelorum peccatum, & nō eſſet propriè & formaliter, ſed ad ſummum radicaliter ſuperbia; quatenùs dici poſſet radix ſuperbiæ ſitæ in concupiſcentia ſubſequente. Sed contrà: vel ſimpliciter negandum eſt amorem concupiſcentiæ debere ſupponere priorem ſe, diſtinctúmque à ſe amorem amicitiæ, & dicendum unum eundémque actum eſſe amicitiam & concupiſcentiam, quoties ſubjectum, cui quis vult bonum, ſivè ſit ipſe volens ſivè ſit Perſona diverſa, eſt ſimul finis *cui* & finis *cuius gratia* hocque eſſet conforme infrà dicendis *tract. ſeq. de Beatitudine*, *lib.* 3. *cap.* 2. §. 5. circa amorem amicitiæ ab amore concupiſcentiæ indiſtinctum in beatis: Vel tranſmittendo & dando Adverſarius diſtinctionem amoris amicitiæ ab amore concupiſcentiæ, illiúſque ad iſtam prioritatem, dicendum eſt concupiſcentiam quidem amicitiam, at non inordinatam concupiſcentiam inordinatam amicitiam ſupponere; & hoc eſſet conſequens ad ſupradicta contrà inordinationem amoris, qui ſit pura amicitia (ſubintellige eo modo, quo eiuſdem ad ſe ipſum amicitia dari poteſt) ſui ipſius.

23. Cócupiſcentia nō præſupponit neceſſariò amorē amicitiæ.

Multóque minùs inordinata concupiſcentia inordinatā amicitiam.

Neque urgeas: ex una parte omne relativum eſſentialiter ſupponit in eodem genere aliquod abſolutum, in quo fundetur; ergo amor concupiſcentiæ, qui eſt vel ſaltem eſſe poteſt relativus ad alios, eſſentialiter ſupponit amicitiam ſeu benevolentiam ſui, qui eſt amor abſolutus: ex aliâ parte actus malus non poteſt oriri ab actu bono; ergo ſi concupiſcentia præſupponit amicitiam, in-

ordinata concupiſcentia non poteſt non præſupponere inordinatam amicitiam adeoque corruit utraque ſolutio inſtantiæ præcedentis. Contrà enim : ad primum dico relativum

24\. Relativum quomodo ſupponat abſolutum.

eſſentialiter ſupponere aliquod abſolutū per modum actus primi, non ſemper per modum actus ſecundi, & ex hoc capite concupiſcentiæ ſui ipſius, quoties foret relativa, ſufficere quod in eodem genere tanquam aliquid abſolutum præſupponat potentiam concupiſcendi : Ad ſecundum dico actum malum non poſſe oriri ab acto bono ex determinatione quodammodò ex propriâ conditione ipſius actus boni, benè tamen ex libertate & pravitate principij utrumque actum elicientis, ut jam attigimus *praecd. num.* 14. & hoc modo dico neceſſarium eſſe, quod omnis actus malus oriatur ab actu, ſi minùs poſitivè bono moraliter, ſaltem non malo;

Actus malus oritur ab actu non malo.

quia prima cujuſlibet principij liberi cognitio ſicuti non libera, ità non mala eſt; & tamen ex ea oritur, eamque præſupponit omnis actus malus. Deindè, ſi actus malus non niſi ab actu malo oriri poſſet, vel in actibus malis eſſet infinitè procedendum, vel eſſet cum Manichæis deveniendum ad aliquod principium à ſe malum, & conſequenter ad duo prima principia malorum alterum, alterum bonorum.

25\. Ex dictis habetur Scotum ſub ſpirituali luxuriâ collocare, tùm inordinatum amorem amicitiæ, tùm inordinatum amorem concupiſcentiæ ergà ſe ipſum, adeò ut primum Angelorum peccatum fuerit in primo amore inchoatum, conſummatum verò in ſecundo, & ex utroque capite ad ſpiritualis luxuriæ ſpeciem pertineat: Nos è contrà directe contendimus neutrum amorem rectè dici ſpiritualem luxuriam, ſed primum nec eſſe ex ſe præcisè peccaminoſum, nec neceſſariò ad ſecundum præſupponi, hunc verò eſſe ſuperbiam propriè dictam, ſicque in unico amore, eoque conſtituto in ſpecie ſuperbiæ propriè dictæ fuiſſe tum inchoatum, tùm conſummatum primum Angelorum peccatum.

Germanum & adæquatum diſcrimen inter nos & Scotum.

Habetur inſuper Scotum non negare Angelis peccatum ſuperbiæ propriè dictæ, ſed huic peccato negare conditionem primi; imò nec negare conditionem primi quocumque modo, ſed primitate exiſtentiæ dumtaxat & durationis, non malitiæ & gravitatis: Hinc fit difficultatem, quæ hic ſupereſt in aſſignando particulari objecto Angelicæ ſuperbiæ eſſe Scoto communem nec titulo eam vitandi moveri quemquam debere ad opinionem Scoticam opinioni hucuſque aſſertæ præferendam; præter quod in propoſito vix facilius eſt Scoto ſuæ ſuperbiæ impropriæ, quàm nobis ſuperbiæ propriæ materiem determinare.

Porrò reſidua difficultas & controverſia circà objectum Angelicæ ſuperbiæ agitari poteſt tùm de poſſibili, tùm de facto; utroque modo quatuor præ cæteris in quæſtionem veniunt, nimirùm æqualitas cum Deo, unio hypoſtatica, primatus ſeu prælatio, & beatitudo; de ſingulis hiſce excellentibus bonis ſtatuendum, an & quomodo in eorum

Quadruplex objectum Angelicæ ſuperbiæ.

deordinata concupiſcentia ſuperbire primò potuerit, & in quonam re ipſa primò ſuperbierit Angelus?

---

§. IV.

Quodnam potuerit eſſe objectum prima ſuperbia malorum Angelorum?

ASSERT. 1. Æqualitas ſeu ſimilitudo in naturâ cum Deo potuit eſſe objectum primæ ſuperbiæ malorum Angelorum. Ità Scotus *in* 2. *diſt*. 6. *quaſt*. 1. §. *Quia tamen*. Tartaretus *ibid*. Faber *in* 2. *diſp*. 31. Maſtrius *diſp*. 3. *q*. 3. *art*. 1. cæterique Scotiſtæ (licèt deindè ſecundùm ipſos prima Angelorum ſuperbia non potuerit eſſe primum eorumdem peccatum, quod parùm pro nunc intereſt) & ex Recentioribus Vaſquez *hic diſp*. 234. *cap*. 2. Suarez *lib*. 7. *c*. 12. Lugus *diſp*. 24. *cap*. 2. *num*. 26. Arriaga *diſp*. 24. *ſect*. 4. &c. contrà Ægidium *in* 2. *diſt*. 5. *q*. 1. *art*. 2. Durandum *ead. diſt. q*. 1. Ferrarienſem 3. *cont. Gent. cap*. 109. Cajetanum 1. *p q*. 63. *art*. 3. Ioannem à S. Thomâ *diſp*. 23. *art*. 3. *num*. 19. Gonetum *diſp*. 13. *art*. 2. §. 2. cæteroſque Thomiſtas & ex Recentioribus Eſparzam *q*. 27. *art*. 4. Madernum *q*. 5. *art*. 2. &c. 26.

Probatur: Æqualitas in naturâ cum Deo, ſi poſſit eſſe Angelo objectum affectus peccaminoſi, potuit eidem eſſe objectum primæ ſuperbiæ; ſed talis æqualitas verè poteſt eſſe Angelo objectum affectus peccaminoſi; ergo potuit eidem eſſe, &c. major patet, quia talis æqualitas eſt excellentia ſuprema & Angelo maximè indebita, adeoque ſi potuit eſſe Angelo objectum peccati, potuit et eſſe objectum valdè idoneum ſuperbiæ, & quidem primæ, quia cognitio, ex quâ potuit Angelus de tali æqualitate ſuperbire, potuit omnem aliam ſuperbiā imò omne aliud peccatum antecedere: Minor probatur, æqualitas in naturâ cum Deo poteſt eſſe Angelo objectum voluntatis eam appetentis; at affectus quo voluntas eam æqualitatem appeteret verè poſſet eſſe affectus peccaminoſus, quia licèt inefficax, poſſet tamen eſſe liber & deliberatus, item quatenùs præſertim poſſet eſſe ex motivo Monarchici ſupremique principatus & dominij in res omnes, eſſe poſſet ex motivo valdè pravo; quidquid ſit deindè, utrùm affectus æqualitatis & ſimilitudinis cum Deo, quo quis Deo ipſo totam ſuam perfectionem retinente optaret ſanctitatem æqualem quodammodò divinæ & ex horrore peccati diceret *O ſi eſſem tam alienus à culpâ, tam ſanctus quàm Deus* poſſit eſſe non peccaminoſus imò honeſtiſſimus, quemadmodum affirmare videtur Arriaga *præcit. ſect*. 4. *num*. 10. & 16. ergo: Major probatur, ſi æqualitas in naturâ cum Deo non poteſt eſſe Angelo objectum voluntatis, &c. maximè quia talis æqualitas eſt impoſſibilis, & ab Angelo cognita ut talis, ſed hæc ratio nulla eſt, quia impoſſibile cognitum ut tale, propoſitum tamen ſub hâc conditione *ſi poſſibile*

Æqualitas naturæ cū Deo potuit eſſe objectum primæ ſuperbiæ Angelorum.

27\. Impoſſibile etiam cognitum ut tale quomodo poſſit eſſe objectum voluntatis.

ſibile eſſet poteſt eſſe objectum voluntatis inefficaciter & conditionatè appetentis, quod quidem probatur primò ratione, quia conditio apposita poſſibilitatis ſuſpendit impoſſibilitatē, quæ erat unicū impedimentū appetibilitatis; itē quia impoſſibile apprehenſū ut poſſibile eſt appetibile, ſed impoſſibile apprehenſum ſub conditione poſſibilitatis eſt aliquo modo apprehenſum ut poſſibile, eſt ſcilicet apprehenſum ut poſſibile conditionatè, quamvis non ut poſſibile abſolutè; ergo: Secundò exemplis; Pœnitens enim vellet peccatum præteritum non fuiſſe, damnati vellent Deum non eſſe, ſi poſſet id fieri; & quilibet in ſe ipſo frequenter experitur velleitates quaſdam circà impoſſibilia ſub conditione quod poſſibilia forent, quilibet juſtus v.g. vellet amare Deum amore infinito ſi talis amor eſſet poſſibilis, undè etiam ab omnibus commendatur fervor Auguſtini dicentis in Soliloquiis *Domine ſi tu eſſes Auguſtinus & ego poſſem eſſe Deus, mallem Te quam me eſſe Deum*: Tertiò auctoritate D. Thomæ 1.2 *q.13. art.5. ad 1.* ubi ait *Voluntas completa non eſt niſi de poſſibili quod eſt bonum volenti, ſed voluntas incompleta eſt de impoſſibili, quæ ſecundùm quoſdam velleitas dicitur, quia ſcilicet aliquis vellet illud ſi eſſet poſſibile*: Hoc idem iiſdem ferè verbis habetur *q.16. de malo art.3. ad 9.*

28. Impoſſibile aliud tale per ſe, aliud tale per accidens.

Dices primò cum Thomiſtis duplex eſſe impoſſibile, unum tale per ſe & abſolutè, quod ex terminis & ex naturâ rei importat repugnatiam, nec in ullo umquàm caſu habet veram & realem poſſibilitatem; aliud tale per accidens & ex ſuppoſitione, quod importat repugnantiam ſolùm ex tali hypotheſi ſtatus, loci, temporis, non ex naturâ rei, imo in aliquo caſu habet veram realemque poſſibilitatem; ſic peccatum præteritum verè poteſt nō fuiſſe, ſi non ſupponatur fuiſſe præteritum; immortalitas verè eſt poſſibilis homini, ſi homo non ſupponatur habere corpus corruptibile; hæc propterea de facto ſunt impoſſibilia dumtaxat ſecundo modo, & de hoc impoſſibilium genere procedit D. Thomæ auctoritas & ſuperior probatio; non de impoſſibilibus primo modo, cujuſmodi eſt æqualitas Angelorum cum Deo in natura; ratio eſt quia impoſſibilia hoc primo modo ex nulla ſuppoſitione, aut conditione, habent umquam entitatem aliquam aut bonitatem, & reſpectu ipſorum conditio ipſa poſſibilitatis eſt conditio impoſſibilis, ſecùs ſe res habet in impoſſibilibus, ſecundo modo, ideò, &c.

29. Utrumque eſt inefficaciter volibile.

Sed contrà: dico diſcrimen impoſſibilis per ſe ab impoſſibili per accidens in eſſe volibili non eſſe attendendum in ordine ad voluntatem inefficacem, ſed in ordine ad efficacem, quatenùs impoſſibile per accidens eſt efficaciter volibile ſumptum ſecundùm ſe & in ſenſu diviſo ab hypotheſi, ſub quâ eſt impoſſibile; impoſſibile autem per ſe nullo modo eſt efficaciter volibile neque etiam ſumptum ſub ea conditione *ſi poſſibile eſſet*; quia hæc conditio, ut potè impurificabilis, pro nulla temporis differentia connotat veram poſſibilitatem, quamvis impoſſibilitatē aliqualiter ſuſpendat; propterea Maſtrius *art. præcit. num. 54.* notat nimis ultrà perrexiſſe Hiribarnem, qui *tract. de act. hum. diſp. 7. ſect. 2. concl. 3.* docuit finem per ſe impoſſibilem volibilem eſſe volitione efficaci conditionata. Illud quod dicebatur impoſſibilia per ſe ex nulla ſuppoſitione, aut conditione, habere umquam entitatem aliquam, aut bonitatem, verum eſt de bonitate abſoluta & reali; falſum de bonitate conditionata & apprehenſa, quæ tamen ſufficit ad volitionem inefficacem conditionatam. Neque urgeas: in impoſſibili per ſe non poteſt dari bonitas apprehenſa, niſi ex errore aut ignorantia; in præſenti autem ſupponitur Angelum nec errorem habuiſſe nec ignorantiam circà impoſſibilitatem æqualitatis in natura cum Deo: Contrà enim: verum eſt antecedens de bonitate apprehenſa ut abſoluta, falſum eſt de eadem apprehenſa ut conditionata ſub conditione poſſibilitatis; cur enim nequit haberi ſine omni errore & ignorantia hoc judicium, Æqualitas in natura cū Deo, ſi eſſet poſſibilis, eſſet bona.

30. Impoſſibile poteſt ſine errore apprehendi poſſibile poſſibilitate conditionata.

Dices ſecundò: affectus inefficax & conditionatus, de quo hucuſque, non eſſet peccaminoſus, quia non ſpectaret ad voluntatem electionis, ſine quâ ſicuti non poteſt haberi averſio ulla aut converſio in ordine ad finem, ità nec peccatum; aut ſaltem non eſſet peccaminoſus in ſpecie ſuperbiæ, quæ eſſentialiter reſpicit bonitatem ut convenientem appetenti, qualis non eſſet bonitas conditionatè apprehenſa in æqualitate cū Deo; æqualitas enim cum Deo eſt deſtructiva creaturæ appetentis, nec Angelus retinendo proprium eſſe evadere poteſt in naturâ æqualis Deo.

31. Electio poteſt ſumi dupliciter.

Sed contrà: Voluntas electionis ſumi poteſt, vel pro voluntate perfectè libera & deliberata; vel pro voluntate diſponente aſſecutionē finis & media ad id conducentia: ſiue voluntate electionis haberi non poſſe averſionē aut converſionē, ſi intelligatur de averſione aut converſione formali, verificatur de voluntate electionis ſecundo modo ſi intelligatur de averſione aut converſione etiam virtuali, verificatur de voluntate electionis etiam primo modo: Dico igitur affectum inefficacem conditionatum poſſe eſſe perfectè liberum & virtualiter averſivum ab ultimo fine hocque ſufficere ut ſit peccaminoſus etiam graviter utque ſpectet ad voluntatem electionis in eo ſenſu, in quo ſine iſtâ nequit haberi peccatum. Ad aliud inſtantiæ membrum dico, quod ſicuti ad affectum ſimplicem ſufficit bonitas conditionatè poſſibilis, ità ad affectum ſuperbum ſufficit bonitas conditionatè conveniens; ſicque æqualitas cum Deo, quamvis in re diſconveniens Angelo & deſtructiva ipſius ſeu incompoſſibilis cum ejus permanentia, ſub conditione tamen ſi conveniret, & eſſet compoſſibilis cum permanentia Angeli in ſuo eſſe, poteſt terminare ſuperbiam Angeli appetentis æqualitatem cum Deo, non ſi eſſet poſſibilis quomodocumque, ſed ſi eſſet poſſibilis conjungi cum ſui permanentia.

Ex dictis in unum breviter collectis habetur

betur æqualitatem in natura cum Deo potuiſſe eſſe objectum primæ ſuperbiæ Angelorum non terminando actum efficacem, aut inefficacem ſimpliciter abſolutum; ſed inefficacem conditionatum conditione tamen non ſuſpendente actum ipſum, ſed præcisè ſe tenente ex parte objecti, & ſuſpendente intentionaliter ac objectivè tùm impoſſibilitatem æqualitatis cum Deo, tùm incompoſſibilitatem ejuſdem cũ permanentia Angeli in proprio eſſe; & juxtà hunc dicendi modum auctoritates, quas præſertim ex D. Thoma & ex D. Anſelmo nobis objiciunt Adverſarij, intelligendæ ſunt de ſuperbia Angelorum attingente æqualitatem naturæ cum Deo per actum aut efficacem aut inefficacem ſimpliciter abſolutum.

Summa totius doctrinæ.

Explicatio auctoritatum.

33. Aſſert. 5. Simpliciter & abſolutè loquendo unio hypoſtatica potuit eſſe objectum primæ ſuperbiæ malorum Angelorum: Suppoſito verò decreto Incarnationis ſubſequẽte prævisionem peccati Adæ, & à fortiori peccati Angelorum, potuerunt quidem Angeli habere pro objecto ſuæ primæ ſuperbiæ unionem hypoſtaticam revelatam ut poſſibilem, at non eamdem revelatam ut futuram. Prima pars eſt communiſſima adeò ut Vaſquez *hic diſp.* 533. *cap.* 1. *num.* 6. Amicus *diſp.* 20. *num.* 123. aliique pro oppoſita ſententia non referant niſi Auctores innominatos. Secunda pars ſub propriis terminis apud pauciores agitatur, traditur tamen expreſsè à Lugo *hic diſp.* 24. *cap.* 2. *num.* 39. & ab Arriaga *diſp.* 54. *ſect.* 5. contrà Eſparzam *q.* 28. *art.* 9. & Madernum *quaſt.* 5. *art.* 4. *n.* 12.

Simpliciter unio hypoſtatica potuit eſſe objectum primæ ſuperbiæ Angelorum.

Probatur prima pars: Simpliciter & abſolutè antè peccatum primæ ſuperbiæ potuit Angelis innoteſcere, tùm ut poſſibilis, tùm ut futura unio hypoſtatica; atqui eo ipſo, quod ſic innotuerit, potuit eſſe objectum primæ ſuperbiæ; ergo ſimpliciter & abſolutè loquendo, &c. Major patet, minor probatur, unio hypoſtatica eſt ex ſe bonum valdè excellens & à creatura inordinatè appetibile, adeoque objectum valdè proportionatum ſuperbiæ conſiſtentis in appetitu inordinato boni excellentis; ergo ſuppoſito, quòd Angelis innotuerit antè primam ipſorum ſuperbiam, potuit ipſis eſſe objectum primæ ſuperbiæ; & quidem terminando actum efficacem, cum ſupponatur innotuiſſe ut objectum poſſibile.

Dices: Vnio hypoſtatica eſt bonum tùm deſtructivum perſonalitatis propriæ in naturâ quam terminat, tùm moraliter perficiens & ſummè ſanctificans eamdem naturam; ergo nec actu efficaci, nec actu inordinato potuit eam Angelus ſibi appetere. Sed contrà:

34. Etiam per actum efficacem.

quamvis propter primam hujus inſtantiæ partem Eſtius *in* 2. *diſt.* 6. §. 7. in fine fateatur Angelum nõ potuiſſe ſibi appetere unionem hypoſtaticam, niſi eo modo quo dictum eſt poſſe ſibi appetere æqualitatem cum Deo facilè tamen occurritur primò, quia ut aliundè ſuppono non repugnat unio hypoſtatica cum naturâ creatâ retinente perſonalitatem propriam; ſecundò, quia rectè quis poteſt appetere deſtructionem partis minùs præcipuæ propter majus bonum alterius partis principalioris, quemadmodum Paulus optabat diſſolvi quoad Corpus, ut melius cum Chriſto eſſet quoad animam; tertiò quia inde probaretur unionem hypoſtaticam de facto fuiſſe violentam & noxiam naturæ humanæ aſſumptæ. Ad illud de bono moraliter perficiente & ſanctificante libenter admitto non poſſe ſub tali ratione appeti inordinatè; at non defuerunt Angelis aliæ rationes, ſub quibus deordinare & ſuperbire potuerint in appetitu unionis hypoſtaticæ.

Dices inſuper: Non ſunt dabiles ſimul plures uniones hypoſtaticæ, ſeu plures Chriſti ex doctrinâ apud multos inſignes Recentiores *in tract. de Incarn.* receptiſſimâ; ergo unio hypoſtatica ſaltem ut efficaciter volita potuit eſſe objectum ſuperbiæ unius tantùm Angeli, non plurium ſimul, nec omnium
malorum Angelorum. Sed contrà: tranſmiſ- 35.
ſo antecedente, nego conſequentiam primò, quia non multiplicantur ſimpliciter uniones hypoſtaticæ per aſſumptionem plurium naturarum ab eâdem Perſonâ, undè quando omnes mali Angeli ſimul appetiiſſent unionem propriæ naturæ cum Perſonâ Verbi, adhuc in rigore non appetiiſſent plures uniones hypoſtaticas; ſecundò quia unio hypoſtatica perſonaliter facienda in ſolâ Perſonâ unius Angeli potuit eſſe cæteris objectum ſuperbiæ propter excellentiam, quæ ex uno illo Angelo in totam Rempublicam Angelicam redundaret.

36. Non ſic potuit eſſe objectum ſuppoſito decreto Incarnationis, &c.

Probatur ſecunda pars: Suppoſito decreto Incarnationis ſubſequente prævisionem, &c. prævisio primæ ſuperbiæ Angelorũ fuiſſet antè prævisionem Incarnationis futuræ; ergo prima ſuperbia non potuiſſet habere pro objecto Incarnationem futuram, adeoque nec revelatam ut talem; antecedens patet, fuiſſet antè decretum Incarnationis futuræ; ergo multo magis antè prævisionem; conſequentia probatur, eo ipſo quod prævisio primæ ſuperbiæ fuiſſet antè prævisionem Incarnationis futuræ, fuit prævisa futura talis ſuperbia antè prævisam futuram Incarnationem; atqui ſuperbia prævisa futura antè prævisam futuram Incarnationem non potuiſſet habere pro objecto Incarnationem futuram; ergo prima ſuperbia non potuiſſet habere, &c. ſi ipſius prævisio fuiſſet antè prævisionem, &c. Minor probatur, ſuperbia prævisa antè Incarnationem futuram, & habens pro objecto Incarnationem futuram eſt prior & poſterior Incarnatione futurâ; atqui hoc non poteſt eſſe, ergo ſuperbia prævisa futura, &c. non potuiſſet habere, &c.

Dices vitari inconveniens mutuæ prioritatis, ſi dicatur ſuperbiam Angelorum fuiſſe prævisam antè decretũ Incarnationis in carnè paſſibili, non antè decretum Incarnationis ſecundùm ſe, & ideò Incarnationem ut futuram ſecundùm ſe, quamvis non eamdem ut futuram in carne paſſibili, potuiſſe eſſe Angelis occaſionem ſuperbiendi & appetendi in propriâ naturâ eam unionem, quam præcognoſcebant faciendam in naturâ humanâ Sed contrà: eadem eſt ratio de decreto

Incarnationis

Incarnationis ſecundùm ſe, ac de decreto eiuſdem in carne poſſibili, quia ſaltem de facto unum decretũ non fuit prius alio, nec ab alio diſtinctum; & quando aliter res ſe haberet adeò ut futuritio Incarnationis ſecundum ſe antecederet, futuritio ejuſdem in carne paſſibili ſubſequeretur permiſſionem, prævifionemque primæ Angelorum ſuperbiæ, nihil nobis obeſſet, nihil enim aliud intendimus, quàm Incarnationem futuram eâ ratione, quâ terminat decretum ſubſequens prævifionem peccati Adæ, non potuiſſe eſſe objectum primæ Angelorum ſuperbiæ: Vndè etiam non facit hic ad rem ſcientia media, quâ mediante peccatum tùm Adæ tùm Angelorum fuerit prævifum ſolùm conditionatè futurum antè decretum Incarnationis, fuerit verò utrúmque peccatum ut abſolute futurum poſterius decreto Incarnationis abſolutè futuræ, & ideò ſuperbia Angelorum ut abſolutè futura habere potuerit pro objecto futuram Incarnationem; quæ doctrina, ſi traſmittamus ſcientiã mediam, noſtro aſſerto non adverſatur, quamvis ſit aliundè difficilis & rejicienda, tùm ratione ſcientiæ mediæ quam involuit, tùm ex eo quod non tribuat idem objectum ſuperbiæ Angelorum prævifæ futuræ ſub conditione ac eidem prævifæ futuræ abſolutè, ut patet cõſideranti, & magis explicat Arriag. *pracit. ſec.* 5. agens contrà Granad.

58. *Primatus & prælatio potuit eſſe objectum primæ ſuperbiæ Angelorum.* Aſſert. 3. Primatus ſeù prælatio potuit eſſe objectum primæ ſuperbiæ malorũ Angelorum. Conveniunt in hoc aſſerto Theologi omnes, quamvis non omnes deindè eodem modo talem primatũ, ſeù prælationem explicent, ut conſtabit ex variis Auctorum placitis, quæ poſt breviſſimam aſſerti probationem ſubjiciam.

Probatur: Primatus ſeu prælatio ratione cujus quis aliis, aut non ſubſit, aut præſit, eſt objectum maximè proportionatum ſuperbiæ, quæ in excellentia ad alios relatâ, licèr per nos eſſentialiter non conſiſtat, valdè tamen relucet, & cum ex ſupradictis Angeli potuerint primò ſuperbire etiam circà impoſſibile cognitum ut tale, vix poterit aſſignari modus aliquis primatus & prælationis, circa quem verſari non potuerit prima Angelorum ſuperbia; ergo verè primatus ſeù prælatio potuit eſſe, &c. Qualis deindè fuerit aut eſſe potuerit huiuſmodi primatus, ſeu prælatio?

59. *Talis prælationis multiplex explicatio.* D. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 5. *art.* 1. *quaſt.* 1. Alenſis 2. *part. ſum. quaſt.* 109. *membr.* 3. Valentia *hic quaſt.* 14 *punct.* 3. Collocant in exemptione à quolibet actuali Imperio & præcepto Dei. Amicus hic *diſp.* 20. *ſect.* 8. in prærogativa dominandi & imperãdi cæteris ſpretâ humili ſubjectione ad Archangelum Michaëlem à Deo conſtitutum Principem in munere docendi & illuminandi: Molina *q.* 63. *art.* 2 *diſp. unic. membr.* 5. addit hac in re tranſgreſſionem ordinationis Dei, quæ fortè præcepto aliquo poſitivo innotuerat. Aliqui ex facientibus objectum ſuperbiæ Angelicæ hypoſtaticam unionem volunt quod Lucifer appetierit præeſſe hominibus, tamquàm Magiſter & Caput, Mediator & Redemptor eo modo, quo de facto Chriſtus præſunt. Hæeque & ſimilia ſpectãt ad primatum quemdam moralem, & non prorsùs impoſſibilem; ultra quem excogitari facilè poteſt aliquis alius maior primatus in re quidem impoſſibilis, at non inappetibilis ab Angelo; cujuſmodi foret aut in eſſe morali nõ poſſe obligari ullo divino præcepto; & eſſe ſimpliciter ſui juris, aut in eſſe phyſico indépédéria à Deo quò ad cõſervari & poteſtas influendi in cæteras creaturas, iiſdemque utendi tamquàm inſtrumentis phyſicis. Excogitari tãdem poteſt primatus quidam in opinione, & exiſtimatione cæterorũ quatenùs Lucifer appetierit ab aliis Angelis aut ab hominibus adorari cultu latriæ & coli ut Deus, quod innuũt Nazianz. Cyrill. & Theod. apud Lug *hic diſp.* 24. *s.* 2. *n.* 46.

Aſſert. 4. Beatitudo tùm naturalis, tùm ſupernaturalis, potuit eſſe objectum primæ ſuperbiæ malorum Angelorum. Ità Theologi communiter. 40. *Beatitudo tùm naturalis tũ ſupernaturalis potuit eſſe objectum, &c.*

Probatur, quia Beatitudo tùm naturalis ex vi luminis innati, tùm ſupernaturalis ex vi luminis infuſi, illicò Angelis innotuit; utraque deinde, quamvis objectum de ſe honeſtiſſimum & honeſtè appetibile, potuit tamen quò ad modum inordinatè appeti inordinatione ſpectante ad ſuperbiam, quæ quidem inordinatio facilè ſe immiſcet, quoties objectum eſt excellens, ut re vera excellens, imò in proprio ordine ſummum bonum eſt, tùm naturalis, tùm ſupernaturalis beatitudo. Porrò inordinatus appetendi modus reſpectu beatitudinis ſupernaturalis potuit conſiſtere in eo quòd; vel eam neglexerit ut habendam ex divina gratia; & per opera humiliationis, vel præſumpſerit eam aſſequi ex propriis viribus; vel in ea deſideraverit aliquod privilegium ſingulare, puta cognitionem omnium futurorum; omnium poſſibilium, ipſiúſve Dei comprehenſionem. Idem inordinatus appetendi modus reſpectu beatitudinis naturalis potuit conſiſtere in eo, quod vel ex complacentia ipſius ſumpſerit occaſionem negligendi & recuſandi ſupernaturalem, vel per eam intenderit habere in ſe ipſo naturaliter ultimum finem eo ferè modo, quo Deus eſt per naturam ſuam beatus non tendendo in aliquid à ſe diſtinctum, vel aliter affectaverit ſingularitatem aliquam, nimiámve cum Deo ſimilitudinem in ſua naturali felicitate.

---

§. V.

Quodnam de facto fuerit objectum prima ſuperbia malorum Angelorum?

ASSERT. 1. Æqualitas in natura cũ Deo non fuit de facto objectum, &c. Ità Auctores referendi in Aſſertis ſequentibus contrà Majorem *in* 2. *diſt.* 6. *quaſt.* 1. Eſtium *ead. diſt.* §. 6. *in fin.* Arriagam *hic diſp.* 24. *ſect.* 9. *in* 41. *Æqualitas in naturâ cum Deo non fuit de facto*

objectum ſuperbiæ Angelorũ.

ſive Maſtrium *diſput.* 3. *num.* 57. cæteroſque Scotiſtas, quamvis eos ſubtilis Doctor præeat quoad de poſſibili tantùm, quoad de facto nihil reſolvens.

Probatur: Prima ſuperbia Angelorum de facto non fuit per modum velleitatis ineſficacis & affectus conditionati circà rem chymericam & impoſſibilem; atqui talis eſſet, ſi æqualitas in natura cum Deo eſſet ejus objectum; ergo æqualitas in naturâ cum Deo non fuit, &c. Minor patet ex ſupradictis circà modum, quo Angeli potuerunt in illa æqualitate primò ſuperbire, nec certè excogitare fas eſt in Angelis innocentibus nullaque adhuc peccati caligine obtenebratis cæcitatem tantam, ut potuerint illius æqualitatis repugnantiam ignorare: Major probatur, quia prima Angelorum ſuperbia fuit de facto primum ipſorum peccatum cum maxima deliberatione commiſſum, & ut colligitur præſertim *ex. Ezech.* 28. cum quadam negotiatione Luciferi ad ſui ſequelam ſolicitantis Angelos inferiores contrà validam reſiſtentiam & pugnam Miebaëlis, de quâ *Apocal.* 12, quis autem hæc exiſtimet ab Angelis ideſt ſapientiſſimis ac prudentiſſimis ſpiritibus peracta circà rem chymericam & impoſſibilem? quis ſibi perſuadeat ſtolidum adeò dementemque Luciferum, ut ſollicitus fuerit & negotioſus pertrahendi cæteros Angelos ad inanem velleitatem? quis non ſuperfluum exiſtimet omnem Michaëlis conatum in iiſdem avertendis ab eâ velleitate, à quâ non poterant niſi

42. tenuiſſimè allici? Confirmatur ex eo quod verba illa *In Cœlum conſcendam, exaltabo ſolium, ſedebo in monte teſtamenti, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*, quibus Iſa. 14. Luciferi peccatum deſcribitur, ex modo ſignificandi exprimunt voluntatem abſolutam & efficacem tendentem in aliquid ut aſſequendum, nec benè aptantur velleitati conditionatæ & ineſficaci terminatæ ad aliquid impoſſibile. Ex quo patet obiter malè Adverſarios pro ſe afferri illud, *Similis ero Altiſſimo*, ſi enim ly *ſimilis* importaret ſimilitudinem æqualitatis in naturâ malè connecteretur cum ly *ero* importante futuritionem abſolutam; debet igitur ly *ſimilis* intelligi de ſimilitudine non æqualitatis in naturâ, ſed proportionis in aliquo excellenti prædicato, nimiæq; imitationis; nec quidquam ampliùs infertur ex illo *Ezech.* 28. ubi de Lucifero in perſona Regis Tyri refertur quod elevatus in corde ſuo dixerit *Deus ego ſum*, aut ex illo, *Quis ut Deus*, quod Michaëli contrà Luciferum prælianti tribuit Eccleſia.

Occurritur fundamento Adverſariorum.

43. Aſſert. 2. Vnio hypoſtatica non fuit de facto objectum, &c. Eſt contrà Catherinum *in opuſc. de gloria bonorũ Angelorum & lapſu malorũ & in illud* Gen. 3. *ſed & ſerpens erat callidior* Vigneriumn *de inſtitutionibus Theologicis* c. 3. §. 2. Torniellum *tom.* 1. *Annal. de mundi primordiis*, Maderum *hic q.* 5. *a.* 4. *n.* 7. Eſparzã *q.* 28. *a.* 8. qui tamen poſteriores Auctores non excludunt ab objecto Angelicę ſuperbię beatitudinẽ, & volunt quidẽ Angelos in primo peccato ſuperbiiſſe circà unionem hypoſtaticam, at non unicè circà ipſam. Oppoſitum verò ſimpliciter & abſolutè tradunt, ſtantque directè pro noſtro aſſerto Eſtius *in* 2. *diſt.* 6. §. 7. Vaſquez *diſt.* 233. *cap.* 2. Amicus *diſput.* 20. *ſect.* 6. Lugus *diſput.* 84. *cap.* 2. *num.* 39. Valentia *quæſt.* 14. *punct.* 3 §. *Tertia ſententia*, Arriaga *diſput.* 24. *ſect.* 5. *n.* 38. ubi tamen ſolùm loquitur de unione hypoſtatica ut futura & *num.* 44. reputat probabile oppoſitum loquendo de unione hypoſtatica ut poſſibili.

Vnio hypoſtatica non fuit de facto objectum primæ ſuperbiæ Angelorum.

Facilem hic aliqui & efficacem probationem deſumunt ex eo, quod antè peccatum & in via revelatum Angelis non fuerit myſterium Incarnationis, ut videntur ſenſiſſe aliqui Sancti Patres relati à Vaſquio 1. *part. diſput.* 205. *cap.* 2. & ex Scholaſticis id docuerunt Alenſis 2. *part. quæſt.* 26. *memb.* 1. Gabriel *in* 2. *diſtinct.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 5. *dub.* 4. Eſtius *in* 2. *diſt.* 11. §. 5. Arriaga *hic diſp.* 20. *ſect.* 2. *ſubſec.* 3 in idem etiam valdè propendent Vaſquez *cap. præcit.* & Molina *quæſt.* 57. *art.* 5. *diſp.* 2. Nihilominus cùm pro ſententia oppoſita ſint validiores Sanctorum Patrum auctoritates & major Scholaſticorum numerus, ut videre eſt apud Suarium *hic l.* 5. *cap.* 6. Lugum *diſp.* 12. *cap.* 3. *n.* 20. Maderum *q* 4. *art.* 5. Averſam *quæſt.* 57. *art.* 8. ſi minùs tanquam certum ut ſupponit Io. à S. Thoma *hic diſp.* 23. *art.* 3. *n.* 27. ſaltem tanquam probabilius ſupponi poteſt, quod Angeli habuerint in via fidem Incarnationis, ideò argumentum pro re noſtrâ deſumptum ex talis fidei carentia, tanquam parùm probabili ſuppoſito ſuffultum non approbo, & data Angelis antè peccatum fide futuræ Incarnationis adhuc ſubſiſtit aſſertum, quod 44.

Etiamſi Incarnatio fuerit ipſis in viâ revelata.

Probatur: Incarnatio futura non fuit de facto Angelis occaſio primi peccati; ergo unio hypoſtatica non fuit de facto objectum &c. conſequentia patet, quia non niſi ex ſibi facta revelatione futuræ Incarnationis veriſimile eſt innotuiſſe Angelis in via unionem hypoſtaticam, & non niſi cum habitudine ad Chriſtum venturum, cujus aut prærogativam ambierint, aut ſubjectionem recuſaverint, faciunt Adverſarij Angelos circà unionem hypoſtaticam ſuperbientes: Antecedens probatur: Incarnatio futura non potuit de facto eſſe occaſio primi peccati Angelorum ſi fuerit à Deo præviſa futura ſolùm poſt præviſum futurum primum peccatum Angelorum; atqui de facto fuit à Deo præviſa futura ſolùm poſt, &c. ergo non fuit de facto Angelis occaſio, &c. majorem ſuprà probavimus *n.* 36. minorem ſupponimus ex doctrinâ cum Thomiſtis ſtatuenda *in tract. de Incarn.*

Dices: juxtà hanc probationem concederetur de facto Incarnationem fuiſſe occaſionem, unionemque hypoſtaticam objectum primæ Angelorum ſuperbiæ, ſi Incarnationis decretum anteceſſiſſet talis primæ ſuperbiæ permiſſionem & præviſionem; atqui reſpectu Angelorum de facto Incarnatio eodem modo ſe habuit, quo ſi ejus decretum anteceſſiſſet, &c. ergo ſive in re anteceſſerit,

rit, ſivè non, verè Incarnatio fuit de facto occaſio, &c. Minor probatur de facto Incarnatio Angelis innotuit antecedenter ad peccatum, & eodem modo quo ſi ejus decretum, &c. neque enim ſi tale decretum præceſſiſſet id ſcivissent Angeli; ſicuti nec modò ſciverunt non præceſſiſſe; & ratio eſt, quia nec ſcivissent, nec modò ſciverunt futuritionem peccati proprij; ergo reſpectu Angelorum Incarnatio de facto eodem modo ſe habuit, &c. Adde quod etiamſi decretum Incarnationis fuerit ſubſequens ad peccatum, adhuc per nos Incarnatio ut revelata fuit prior peccato in executione, ergo adhuc potuit eſſe occaſio peccati in executione. Sed contrà: tranſeat major diſtinguo minorem, eodem modo ſe habuit quoad ſubſtantiam & quoad cognitionem confuſam Angelis viatoribus communicatam, concedo; quoad ſeriem divinorum decretorum & ex parte objecti, nego minorem & conſequentiam. Ad illud quod additur dico aliud eſſe loqui de prioritate temporis, aliud de prioritate cauſalitatis; & ex ſuppoſitione Incarnationis decretæ occaſione peccati Incarnatio revelata potuit præcedere peccatum tempore, quia quod eſt poſterius in genere cauſæ vel quaſi cauſæ moralis rectè poteſt eſſe prius tempore; at non potuit eadem Incarnatio præcedens tempore eſſe occaſio peccati, quia ſic evaderet prior cauſalitate, & daretur mutua prioritas cauſalitatis occaſionalis inter Incarnationem & peccatum.

45. Occurritur auctoritatibus.

Mitto hic auctoritates, quas ex Scriptura pro ſe afferunt Adverſarij, quia obſcuriores ſunt, & vel nihil aliud ſuadent quàm innotuiſſe Incarnationem Angelis, vel ſi quid in eadem inferunt de occaſione peccati, intelligendæ ſunt in ordine ad ſuperbiam non primam; aut in ordine ad peccatum invidiæ potiùs, quàm ſuperbiæ.

Incarnationem unionemvè hypoſtaticam ut poſſibilem non exiſtimo fuiſſe de facto occaſionem ſuperbiendi aliter, quàm eamdem ut futuram, quia gratis omninò diceretur Deum antè prævisionem peccati & futuritionem Incarnationis habuiſſe decretum revelandi iſtam Angelis ut poſſibilem, quod fuiſſet neceſſarium ut in divina præſcientia & conſequenter etiam in re ipſa Angeli arriperent ex Incarnatione ut poſſibili occaſionem ſuæ primæ ſuperbiæ.

46. Aſſignatur objectum primæ ſuperbiæ Angelorum.

Aſſert. 3. Objectum primæ ſuperbiæ Angelorum fuit de facto, tùm beatitudo naturalis ſimul & ſupernaturalis; tùm prærogativa aliqua prælationis & primatus, beatitudine tamen & prælatione ſumpta ut non importante modum ullum impoſſibilem, quas particulas addiderim ne loquerer parùm coherenter ad ſuprà poſita *n.* 41. ubi dicebatur primam ſuperbiam Angelorum non fuiſſe actum inefficacem, in quem tamen relaberemur admittendo impoſſibilitatem aliquam in ejus objecto, etiamſi talis impoſſibilitas afficeret modum objecti acquirendi, non ipſam objecti ſubſtantiam. Hoc aſſertum quatenùs de beatitudine loquitur Patronos habet D. Thomam *hic quæſt.* 63. *art.* 3. D. Ambroſium *epiſt.*48. D. Anſelmum *lib. de caſu diaboli cap.*4. Thomiſtas omnes, Durandum, Richardum, Ægidium, Vaſquium *diſput.*235. Eſparzam *quæſt.* 27. *art.* 6. &c. Quatenùs deindè aſſertum loquitur de prælatione & primatu tradunt ipſum D. Bonaventura, Alenſis, Valentia, Molina locis relatis *præced. num.* 39. & plures Sancti Patres apud Lugum *hic diſput.* 24. *cap.* 2. *num.*43.

Probatur & explicatur. Res quæ in facto conſiſtit, qualis eſt quæ controvertitur in præſenti, eſt auctoritatibus potiſſimùm definienda; ſed tùm pro beatitudine tùm pro primatu, ſicuti ſtant multi & magnæ notæ Auctores, ità plures & graves militant auctoritates; ex alia parte nec duo memorata objecta reſpuunt ſimul conjungi in ordine ad eumdem ſuperbiæ actum, nec contrà alterum ipſorum ſuppoſita excluſione impoſſibilitatis, de quà in aſſerto, occurrit aliqua gravis momẽti ratio auctoritatibus præponderans; ergo verè objectum primæ ſuperbiæ Angelorum fuit de facto, &c. & cum vix aliquid appareat, ex quo una ſententia ſit alteri præferenda, æquum fuit utramque ſequi, eodemque aſſerto complecti. Dicatur igitur primò ſuperbiiſſe Angelos in eo, quod agnoſcentes neceſſaria ſibi eſſe in ordine ad ſupernaturalem beatitudinem gratioſa auxilia, nec poſſe eam conſequi ſine captivitate intellectus in obſequiũ fidei, voluntatiſque ſubjectione ad plura præcepta; & hiſce omnibus tandem obtinendam beatitudinem hominibus communem, & ad quam humana æquè ac Angelica natura ordinabatur; appetierint in beatitudine Deo nimis aſſimilari, homini præferri, voluerint ſiſtere in propria naturali beatitudine, eo quod in hâc ſiſtendo nec homines habuiſſent ſocios, nec tot quot homines præceptis fuiſſent ſubjecti, nec gratioſis auxiliis & intellectus obſequio indiguiſſent; ideoque etiam beatitudinem ſupernaturalem modo prænuntiato habendam neglexerint & ecce quomodo beatitudo naturalis ſimul & ſupernaturalis, primatus item principaliùs quidem ſuprà homines, conſequenter verò etiam ſuprà bonos Angelos beatitudinem hominibus communem non dedignatos, fuerit objectum Angelicæ ſuperbiæ, & quidem aptiſſimum; cum nec ullum poſitivum intellectus errorem ſupponat nec involvat aliquid impoſſibile, nec excellentiam contineat à ſolo Lucifero obtinendam, qualis fuiſſet, ſi ipſe ſolus eſſe appetiiſſet aut Deus aut Chriſtus, quod certè cæteris Angelis proponendo eos feciſſet potius à ſe averſos, quàm ſibi in peccatum conſentientes; adeoque ſuæ iniquæ negotiationis incongruam materiam elegiſſet, congruentiſſimam verò eligendo materiam à nobis aſſertam, in quam etiam, ut potè non carentem ſpeciali aſſimilatione & imitatione alicujus perfectionis Dei propriæ, eximiè quadrant auctoritates Scripturæ, *de quibus ſuprà n.*42.

47. Epilogus totius doctrinæ circa tale objectum.

§. VI.

Vtrùm mali Angeli poſt lapſum potuerint pœnitere.

48. [Angeli poſt lapſum potuerunt pœnitere.] ASSERT. Mali Angeli poſt lapſum potuerunt pœnitere. Ita Scotus *in 2. diſt. 6. quæſt. 2. §. Ad argumenta principalia verſic. ad 4.* Gxbriel *ead. diſt. art. 1. conc. 2.* Herincx *hic diſp 5. q. 2. num. 21.* Vaſquez *diſp. 229. c. 7. num 34* Suarez *lib. 8. cap. 1.* Lugus *diſp. x6. cap. 1. num. 11.* Dequiros *diſp. 74. ſect. 2.* Salmeron *ſ per 2. Pet. 2. diſp. 3. dub 3.* &c. contrà Eſtium *in 2. diſt. 6. §. 5. verſic. denique,* Molinam *hic. q. 63. art. 6. conc. 5.* Amicum *diſp. 18. num. 148.* Arriagam *diſp. 25. ſect. 1.* Averſam *q. 64. ſect. 1.* alioſque plures, cum quibus ſentiunt Thomiſtæ communiter, non tamen ex eodem cum aliis fundamento, ſcilicet non ex carentia auxiliorum ſufficientium ad pœnitendum, ſed ex intrinſeca immobilitate in quolibet actu plenè deliberato, undè Gonet *hic diſp. 14. num. 17.* malos Angelos antè damnatiooem ait eſſe obſtinatos in malo obſtinatione incompleta proveniente à cauſa intrinſecâ, non obſtinatione completa proveniente à cauſa tùm intrinſeca tum extrinſeca.

Probatur. Malis Angelis ad poſſe pœnitere poſt lapſum nec defuit temporis ſpatium, nec flexibile voluntatis arbitrium, nec ſufficiens gratiæ auxilium; ergo mali Angeli poſt lapſum, &c. antecedens quoad primam partem infertur ex eo, quod juxtà ſupradicta *c. 2. num. 24.* inter Angelorum lapſum & damnationem interceſſit diviſibile temporis intervallum, quod licèt breviſſimum, Angelis tamen xd operandum expeditiſſimis quantùm eſt de ſe ad pœnitentiam ſuffeciſſet; quoad ſecundam partem ſupponitur ex doctrinâ cōtrà Thomiſtas latiùs tradita *lib. præced. c. 4.*
49. [Et habuerunt ſufficientia ad pœnitendum auxilia.] §. 3. quoad tertiam probatur quia peccatoribus in ſtatu viæ ſunt maximè conſentanea auxilia ſufficientia ad pœnitendum, undè veriſimilius eſt hominibus etiam perditiſſimis non deeſſe; ergo non eſt ſine neceſſitate dicendum ea malis Angelis defuiſſe, cum præſertim ex aliâ parte videri poſſet detrahi multum ſuavitati divinæ in Angelis providentiæ, ſi mali non potuiſſent à peccato reſurgere & pœnitere pro eo ſpatio viæ, pro quo boni poterant à gratia deficere & peccare; item ſi illi non potuiſſent priora demerita auferre reſipiſcendo, quò uſque potuerunt demerita augere novas culpas committendo, ut augere uſque ad detruſionem in inferos potuiſſe concedunt Adverſarij & ſingillatim Amicus *diſp. præcit. n. 153.*

Dices: neceſſitatem dicendi fuiſſe Angelis ſufficientia ad pœnitendum auxilia ſuadet primò auctoritas; nam D. Damaſcenus *lib. 2. fides cap. 4.* ait *quod hominibus mors eſt, hoc Angelis lapſum exitiſſe: Poſt lapſum enim præclara jam eſt illis omnis reſipiſcendi facultas, quemadmodum & hominibus poſtquam ex hâc vitâ migrarunt* & D. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum c. 3.* ait loquendo de bona voluntate, *ſic amiſerunt Angeli, cum haberent, ut amiſſam deinceps habere non poſſint.* Secundò experientiâ, quâ conſtat nullum ex malis Angelis pœnituiſſe. Tertiò ratio, quia auxilia quæ dantur ad reſurgendum à culpa ſunt gratiâ Chriſti Redemptoris, mali autem Angeli nullam habuerunt gratiâ Chriſti, nec fuerunt per Chriſtum redempti; alioqui fruſtrà laborarent Sancti Patres in inquirendo, cur Deus voluerit hominibus parare Redemptorem, non Angelis? cujus quidem divinæ voluntatis relatas à Sanctis Patribus rationes collegit Lugus *cap. præcit. num. 7.*
50. [Occurritur Adverſariorum auctoritatibus.] Sed contrà: Ad primum in re ambigua & non revelata ſufficeret auctoritates auctoritatibus compenſare, adductis Patribus alios Patres opponendo, nimirum Rupertum *lib. 1. de victoria Verbi Dei cap. x1.* dicentem *Illud datur intelligi quod non ſtatim in initio peccati de Cœlo proiectus fuerit, ſed ipſum quoque expectaverit patientia Dei: ipſe autem ſecundum duritiam ſuam, & cor impœnitens iram ſibi theſaurizavit;* Cyrillum *in catecheſi 2.* dicentem *Neſcitur quanta Deus condonarit Angelis, nam & Angelis indulget,* quæ indulgentia videtur collocanda ſaltem in eo, quod auxilia ad reſipiſcendum ſufficientia pro ſtatu viæ, non xbſtulerit: Addo tamen prædictos Patres explicari rectè poſſe, ipſos intelligendo de lapſu per damnationem conſummato, & de conſummata eodem modo amiſſione bonæ voluntatis; quod ſi placeat Damaſcenum ſpecialiter intelligere de lapſu viæ nondum conſummato, comparatio lapſus Angelorum ad mortem hominum intelligenda eſt de morte in fieri, ſeu de mortis articulo, in quo optimè poteſt homo pœnitere, non de morte in facto eſſe. Accedit quod breviſſimum, quod habuerunt Angeli, ſpatium pœnitendi poteſt moraliter pro nullo reputari, & hâc forte de cauſa nonnulli Sancti Patres dixerunt eos pœnitere non potuiſſe, ſeu non fuiſſe à Deo ad pœnitentiam expectatos, undè non negaverim Sactorum Patrum auctoritates rectè militare contrà Salmeronem *loco præcit.* docentem Angelos poſt lapſum antequàm è Cœlo ejicerentur fuiſſe diu à Deo invitatos ad pœnitentiam.

51. [Cur nullus Angelus de facto pœnituerit?] Ad ſecundum admitto pro certo nullum Angelum de facto pœnituiſſe; at id infert carentiam auxiliorum efficacium, non ſufficientium ad pœnitendum, nec magis mirum videri debet in tanta malorum Angelorum multitudine omnes potuiſſe pœnitere finaliter, & nullum pœnituiſſe; quam ans eoſdem omnes potuiſſe in bono permanere & nullum permanſiſſe, aut in multitudine hominum reproborum poſſe omnes perſeverare finaliter, & nullum perſeverare de facto. Cur verò nulli Angelo voluerit Deus concedere efficacia ad pœnitendum auxilia, quæ concedit pluribus hominibus recurri poteſt ad rationes à Lugo *loco præcit.* recitatas pro inquirentibus, cur Deus voluerit homines non Angelos redimere, aut cur

ſtatuerit

ſtatuerit diuturnum hominibus, breviſſimum Angelis ſpatium pœnitendi?

52. Ad tertium qui decretum Incarnationis præponunt prævisioni peccati, & Chriſtum faciunt Angelorum æquè ac hominum caput; ſicuti Angelis bonis, ut non caderent, ità Angelis malis, ut reſurgerent, facilè concedent gratiam per Chriſtum, utrùm deinde dicendi iſti eſſent redempti per Chriſtum redemptione ſufficienti, vel non? videbunt ipſi; Nos ſicuti aliter de Incarnationis

Quomodò omnis gratia ad pœnitendum ſit gratia Chriſti. decreto ſentimus, ità alia via procedimus, & auxilia data ad reſurgendum ſpectare ad gratiam Chriſti concedimus duntaxat reſpectu hominum, gratiam verò datam Angelis ſive bonis ad perſeverantiam, ſiva malis ad reſipiſcentiam volumus eſſe gratiam Dei, non Chriſti; ſupernaturalis Auctoris, non Redemptoris.

53. Ex dictis habetur impœnitentiam finalem fuiſſe in Angelis verè peccaminoſam, & demeritoriam, utpotè in ſe ipſa formaliter liberam & voluntariam; unde etiam ex tota hujus capitis ſerie apparent tres potiſſimùm peccati ſpecies in viatoribus Ange-

Quot peccatis peracta fuerit in Angelis via iniquitatis? lis, ſuperbia ſcilicet, invidia, impœnitentia: adeò ut malus Angelus ſuæ percurrens viam iniquitatis fuerit in ingreſſu ſuperbus, in progreſſu invidus, in exitu impœnitens; non negando tamen quin fuerit aliis etiam modis reus, puta in Deum blaſphemus, in ſe impatiens, in Michaelem ejuſque Aſſeclas rebellioni reſiſtentes iratus: Lucifer prætereà ſpecialiter fuit ob aliorum ſeductionem ſcandaloſus; neque enim audiendi ſunt nonnulli, inter quos Caſtro *verſ. Peccatum hæreſi 3.* exiſtimantes apoſtatas Angelos ex ſe & ſpontè omninò, non ex ſuaſione exemploque Luciferi defeciſſe, imò hunc ex aliorum conſpiratione, & præparatione ad rebellandum, occaſionem ſumpſiſſe deficiendi ſeque eis offerendi in caput rebellionis; quæ exiſtimatio minùs conſentanea eſt dictis Scripturæ & Patrum, & communi ſententiæ ſcholaſticorum.

Plura hic addi poſſent de aliis ſpecialibus dæmonum pro ſtatu viæ, peccatis; de modo quo Lucifer cæteros ſeduxit; de numero & ordinibus ſpirituum ſeductorum; de ordine & perfectione Luciferi, & id genus alia, de quibus latè agunt inter cæteros Eſtius *in 2. diſt. 6. à §. 8. ad* 12. Arriaga *hic diſp.* 24. *à ſect. 7. ad* 12. Lugus *diſput. 24. c. 3. & tota diſp.* 25. mihi verò in rebus, quæ tùm aliqualiter ex jam dictis deducuntur, tùm levis momenti & incertæ reſolutionis ſunt, ſufficiat indicaſſe Auctores, quos poſſit curioſior Lector conſulere.

CAPUT V.

De Termino, ſeu damnatione & pœnâ Angelorum malorum.

DÆMONUM damnatio & pœna vix aliquid habet damnationi hominum non commune; duo tamen ſunt, quæ licèt nec propria nec unica dæmonū mala, ſolent in præſenti à Theologis ſingillatim pertractari: Alterum eſt perverſæ voluntatis obſtinatio, alterum perennis flammæ combuſtio; illa ad pœnam damni pertinet, iſta pœnam ſenſus conſtituit: Attendi verò poteſt damnatorum ſpirituum obſtinatio, tùm in ordine ad peccata præterita, à quibus nequeunt reſurgere pœnitendo, tùm in ordine ad peccata futura, à quibus nequeunt abſtinere bene operando, & utroque modo aut totum aut principalius difficilium eſt in aſſignando, unde proveniat; hocque nobis expediendum eſt, antequam procedamus ad pœnam ſenſus explicaturi modum, quo ſpirituales ſubſtantiæ corporeo igne torquentur, aliaque nonnulla talem torturam conſequentia, & complentia miſerrimum ſtatum Angelicæ damnationis. Sit igitur

§. I.

An detur & unde proveniat in Angelis damnatis impotentia pœnitendi?

ASSERT. 1. Verè datur in Angelis damnatis impotentia pœnitendi. Eſt dogma fidei contrà antiquum errorem non admittentium ullum fixum & perpetuum animarum ſtatum, de quo fuit vehementer ſuſpectus Origenes, quamvis fortè pro tunc ſine hæreſis nota, eo quod res adhuc eſſet minùs elucidata, ut notat Lugus *hic diſp* 26. *c. 3. n.* 21. ubi etiam oſtendit malè à nonnullis in Origenis partes & in eundem errorem trahi D. Ambroſium, & D. Hieronymum. Angeli damnati habent impotentiam pœnitendi.

Probatur: Angeli damnati verè habent impotentiam evadendi è pœnis inferni; ergò verè in eis datur impotentia pœnitendi; conſequentia patet, quia verè pœnitentibus venia non negatur, hancque B. Martinus, ut refert in ejus vita Sulpicius, non dubitavit dæmoni polliceri, ſi reſipiſceret: antecedens probatur ex Matth. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus* Apocal. 20. *cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Iſa. ult. *Vermis eorum non morietur & ignis non extinguetur.* Confirmatur ex definitione Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. *cap. firmiter,* ex Symbolo Athanaſij, & ex torrente aliorum Patrum, quorum plures refert Valeotia *hic*

q. 15. *punct.* 2. Neque hiſce auctoritatibus obſtat illud Sap. 5. *Pœnitentiam agentes & præ anguſtia ſpiritus gementes:* Neque enim hoc loco ſermo eſt de pœnitentia ſalutari & fructuoſa involvente deteſtationem malitiæ & retractationem voluntatis; ſed de pœnitentia non ut oportet, & vitioſâ, importante diſplicentiam pœnæ cum affectu ad culpam, quatenùs damnatis diſplicet peccaſſe quia pœnas incurrerunt, nullatenùs quia Deum offenderunt; unde de damnato rectè ait Fulgentius lib. de fide cap. 3. *Habebit quidem pœnitentiam in futuro ſæculo de malis ſuis, ſed indulgentiam in conſpectu Dei non inveniet, quia etſi erit ibi ſtimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis.*

Vnicè provenientem ex negatione auxiliorum ſufficientium.

3. Aſſert. 2. Impotentia pœnitendi in Angelis damnatis unicè provenit ex negatione gratiæ & auxiliorum ſufficientium ad eliciendum actum pœnitentiæ ſalutaris & ut oportet. Ità D. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 7. *art.* 1. *q.* 1. Scotus *ead. diſtinct. quæſt. unica,* §. *De ſecundo dico.* Richardus *ead. diſt. art.* 2. *q.* 1. Molina *hic q.* 64. *art.* 2. *diſp.* 2. Suarez *lib.* 8. *c.* 7. Vaſquez *diſp.* 239. *cap.* 7. Lugus *diſp.* 27. *c.* 2. Maſtrius *diſp.* 3. *q.* 5. *num.* 85. & alij Scotiſtæ apud ipſum, ſicuti etiam apud recentiores relatos, recentiores alij quamplurimi contrà Aureolum *in* 2. *diſt.* 7. *q.* 1. *art.* 1. & Holcot *in* 2. *q.* 4. item contrà Ochamum *in* 2. *diſt.* 19. & Gabrielem *in* 2. *diſt.* 7. *q.* 1. *art.* 1. quorum duo priores in intenſiſſimum malitiæ habitum à Deo infuſum; duo poſteriores in actum odij ſui ipſius à Deo pariter infuſum, & perpetuò conſervatum, refundunt cauſam impotentiæ pœnitendi, ſed utrorumque ſententiam impiam pectoreque Chriſtiano indignam vocat Molina *diſput. præcit. in fine.* Eſt inſuper aſſertum quatenùs in eo apponitur ly *unicè* contrà Thomiſtas, & Auctores alios alibi relatos pro inflexibilitate Angelorum in volitionibus perfectè deliberatis, & hanc inflexibilitatem aſſignantes pro cauſa intrinſeca impotentiæ pœnitendi in dæmonibus; nec non admittentes negationem auxiliorum pro una & ſufficienti, at non pro unica & totali ejuſdem impotentiæ cauſa.

Cenſura quorūdam Adverſariorum.

4. Probatur: Negatio gratiæ auxiliorumque ſufficientium, & præter ipſam nihil aliud eſt cauſa impotentiæ pœnitendi in damnatis; ergo verè impotentia pœnitendi in Angelis damnatis, &c. Antecedens probatur, certum eſt pœnam damni, licèt principaliùs conſiſtat in carentia viſionis, importare tamen etiam carentiam gratiæ donorumque omnium & auxiliorum ſupernaturalium, æternamque eſſe in damnatis hanc carentiam, ſicuti æterna eſt pœna damni; certum item eſt pœnitentiam ſalutarem, & ut oportet haberi non poſſe ſolis naturæ viribus & abſque auxiliis gratiæ, negatio igitur auxiliorum ſufficientium verè datur in Angelis damnatis, & verè in ipſis eſt cauſa impotentiæ pœnitendi; præter ipſam verò nihil aliud, quia nec quidquam aliud neceſſarium eſt, cum malum ex quocumque defectu proveniat, & pro adæquata cauſa negationis ſufficiat aſſignare negationem cauſæ etiam non adæquatæ, neceſſariò tamen requiſitæ ad affirmationem; nec item quidquam aliud poteſt convenienter aſſignari, cum inflexibilitas Angelicæ voluntatis improbata ſit *lib. præced. cap.* 4. § 3. infuſio verò habitus malitiæ vel actus odij ſit Deo inconveniens & repugnans, utpotè quæ redderet Deum cauſam particularem mali moralis; actus inſuper odij ex ratione generica actus vitalis infundi nequit ab extrinſeco: & quando infuſio illa actus vel habitus non repugnaret, certè aſtruenda non eſſet ſine maxima neceſſitate; quæ tamen nulla urget in præſenti, ubi aſſerta negatio eſt ſufficientiſſima cauſa illius impotentiæ pro qua Adverſarij recurrunt ad pravum habitum, vel actum odij.

Non ex aliquo habitu vel actu infuſo à Deo.

Dices talem negationem reſpectu impotentiæ pœnitendi eſſe cauſam negativam tantùm & extrinſecam; præter quam neceſſarium eſt, aut ſaltem conveniens, aſſignare cauſam aliam poſitivam & intrinſecam; adeoque vel habitum aliquem vel actum, vel inflexibilitatem: Accedit quod beati per habitum luminis & actum viſionis redduntur impotentes ad peccandum; ergo ſimiliter damnati per habitum aliquem vel actum reddi debent impotentes ad pœnitendum. Sed contrà pro effectu, qui in defectu & carentia conſiſtit, fruſtrà & perperam inquiritur cauſa poſitiva & intrinſeca; impotentia autem pœnitendi eſt defectus & carentia; non ſic impotentia peccandi, ideò &c.

Ex dictis habetur conſtare certitudine fidei magis explicitæ, quòd damnati ſint in æternum puniendi, quàm quod ſint impotentes ad pœnitendum, illud enim eſt immediatè in Scripturis traditum & in Conciliis definitum; iſtud eſt deductum ex illo primo, & ex eo quod verè pœnitenti venia à Deo non negetur; non negari verò à Deo veniam pœnitenti, licèt ſit ſufficienter in Scripturis expreſſum, fortè tamen poſſet intelligi de iis, qui ſunt in via, non de iis qui ſunt extrà viam & in termino; ſicuti etiam quamvis ſæpè in Scripturis habeatur Deum nullum bonum opus ſine præmio, nullum malum opus ſine pœna relinquere, hoc tamen intelligitur de ſolis bonis & malis operibus viæ; & nec beati bene operando novum præmium, nec damnati operando malè novam pœnam merentur: Hinc Arriaga *diſp.* 25. *ſect.* 5. *num* 25. putat non eſſe adeò certum, quòd damnati habeant impotentiam præſertim phyſicam pœnitendi, ſed ſolùm quòd vel non poſſint pœnitere, vel ſi pœniteant acceptanda à Deo non ſit, nec ad veniam computanda eorum pœnitentia eo, quod extrà viam facta: Nihilominùs, quia limitatio illa veniæ ad pœnitentiam viæ ſine ullo ſanctorum Patrum ſuffragio fieret, & ex alia parte tùm negatio auxiliorum ſupernaturalium, tùm impotentia benè moraliter operandi, de quâ *in ſeq.* § omninò corroborant in damnatis pœnitendi impotentiam, non eſt de ejus certitudine ambigendum; 5.

Singularis modus negandi in damnatis impotentiam pœnitendi.

gendum; ſed ſolùm concedendum eam non eſſe dogma fidei adeò expreſſum, ſicuti eſt æternitas punitionis.

---

§. II.

An detur, & undè proveniat in Angelis damnatis impotentia benè operandi?

6. Datur in damnatis impotentia benè operandi.

ASSERT. 1. Datur in Angelis damnatis impotentia benè moraliter operandi adeo, ut nequeant elicere ullum actum moraliter bonum. Dixi *bene moraliter operandi*, quia ex triplici bono naturæ, moris, & gratiæ; quoad bonum gratiæ pars affirmativa, quoad bonum naturæ pars negativa extrà controverſiam eſt; eo quod mali Angeli ſpoliati fuerint donis gratuitis, non naturalibus, remanet igitur controverſia quoad bonum moris importans honeſtatem naturalem, adeóque medians inter bonum naturæ & gratiæ; quatenùs importat honeſtatem, quâ caret bonum naturæ; & caret ſupernaturalitate, quam importat bonum gratiæ. Hoc aſſertum ità explicatũ tradunt D. Thomas *hic q. 64. art. 2. ad 5. in 2. diſt. 7. q. 1. artic. 2.* Magiſter *ead. diſt.* D. Bonaventura *ead. diſt p. 1. art. 1. q. 2.* Ægidius *q. 1. art. 2.* Richardus *art. 1. q. 2.* Vaſquez *diſput. 231. cap. 1.* Lugus *diſp. 27 cap. 3* Madernus *q. 5. art. 6.* Averſa *q. 64. ſect 3.* & tùm Thomiſtæ omnes, tùm ferè omnes alij Scholaſtici contrà Durandum *in 2. diſt. 7. q. 2.* Valentiam *hic diſp. 4. q. 15. §. Contrà vero.* Tartaretum *in 2. diſt. 7. quæſt. unica §. Quantum ad ſecundum articulum*, & plures Scotiſtas, qui tamen non abſolutè omninò loquuntur; imò Maſtrius *in 2. diſput. 3. q. 5. num. 84.* Herinex *hic diſp. 5. q. 7. num. 50.* negata ſolâ potentia phyſica admittunt in damnatis impotentiam moralem bene operandi, idque exiſtimant dici ſecundùm germanam mentem ſubtilis Doctoris *in 2. diſt. 7. quæſt. unica, §. Quantum ergo* ubi ità articulum concludit: *Mirabile enim videtur negare potentiam naturalem in natura illa excellente, ubi non apparet aliquid, propter quod ſit neganda; probabile eſt autem quod ſecundùm hanc potentiam non exeant in actum propter vehementem malitiam*, &c. Ecce priora verba excludunt impotentiam phyſicam, poſteriora favent impotentiæ morali bene operandi.

Mens Scoti.

7. Probatur aſſertum ex Iob 10. *Vbi umbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat:* Ioan. 9. *Venit nox, in quâ nemo poteſt operari*, qui textus procedunt de loco damnatorum, & licèt intentum noſtrum clarè non evincant, ei tamen valdè favent. Confirmatur ex eo, quod ſuper illud Ioan. 3. *Ab initio diabolus peccat.* Gloſſa habet *ab initio ſui peccati nihil aliud facit, niſi peccare:* Confirmatur inſuper ex ſanctis Patribus, ex Auguſtino lib. 14. de Civit. c. 27. *Ità damnato atque obdurato Angelo malo, ut iam bonam voluntatem ulteriùs non haberet.* Ex Fulgentio de fide cap. 3. *Vt Angeli mali nec mala poſſint unquam voluntate carere, nec pœna:* ex Gregorio lib. 18 moral. c. 1. *Omnis voluntas diaboli iniuſta eſt:* Ex D. Bernardo lib. 5. de conſid. poſt med. *Quid tam damnatum, quàm voluntas addicta huic neceſſitati volendi, nolendique, ut ad utrumlibet iam ſicut non niſi perversè, ità non niſi miſerè moveatur.* Has Scripturarum, Patrum, & Scholaſticorum auctoritates Madernus *præcit. art. 6. n. 3.* exiſtimat eſſe unicum pro re præſenti fundamentum, & vult, quæ afferri ſolent rationes, eſſe parùm efficaces: Certè non eſt ad rationes recurrendum, ſaltem antequam definitum ſit: Vnde proveniat & qualis ſit, phyſica ne, an moralis, aſſerta benè operandi impotentia?

8. Quoad modum explicandi iſtam impotentiam impugnantur Aureolus Holcot Ochamus Gabriel.

Pro quo Aureolus & Holcot ad intenſum malitiæ habitum, Ochamus & Gabriel ad actum infuſum odij Dei recurrunt, eodemque modo ſentiunt de impotentia bene operandi, quo de impotentia pœnitendi; ideò contrà hunc dicendi modum recurrunt impradicta *n. 3. & 4.* præter quod difficiliùs explicatur, quomodò habitus malitiæ, multoque magis actus odij auferat potentiam ad omnem actum bonum, cum habitus vitioſi inclinent ſolùm ad malum, non neceſſitent; & actus odij excludat ſolùm bonas operationes à Dei amore dependentes, non quaſcumque: Neque dicas actuale odium Dei formaliter quidem has ſolas operationes excludere; conſequenter verò & in genere finis excludere cujuſcumque operationis bonitatem, quia aufert ab omni operatione tendentiam in ultimum finem, quæ eſt circumſtantia eſſentialiter requiſita ad omnem moralem bonitatem. Contrà enim: in primis tale odium per Adverſarios non eſſet voluntarium, utpotè per ipſos ab extrinſecò infuſum, quando igitur auferet à cæteris operationibus circumſtantiam ultimi finis, auferret illam modo involuntario, quod non ſufficit ad malitiam moralem: Deinde ad operationem moraliter bonam ſufficit tendentia in Deum ultimum finem etiam ſecundùm quid & ſub aliqua particulari ratione, ut patet ex eo quod non omnia infidelium opera ſint peccata, talem autem tendentiam habere optimè poteſt operatio elicita ab exiſtente in actuali odio Dei, quæ propterea operatio ſi aliundè non vitietur erit moraliter bona. Ex his remanet impugnatus etiam Gregorius *in 2. diſt. 7. q. 1. art. 2.* refundens damnatorum impotentiam ad benè operandum in perpetuam contrà Deum murmurationem ortam ex ingenti triſtitia: enimverò non ſatis apparet, aut omnimoda neceſſitas talis perpetuæ murmurationis, aut cur ab ipſa magis, quàm ab odio contrà Deum, excludatur omnis bona operatio? Gregorius.

9. Marſilius. Molina.

Marſilius *in 2. q. 5. art. 3.* & Molina *hic q. 63. art. 2. diſp. 2. §. Relicta igitur* pro cauſa impotentiæ damnatorum, de quâ in præſenti, aſſignant negationem concurſus generalis Dei ad omnem actum moraliter bo-

num;

num: Et quidem dubium non eſt, quin talis negatio ſit ſufficiens; ſed ſolùm, utrùm ſit conveniens cauſa talis impotentiæ? arguitur enim contrà convenientiam ex eo, quòd negatio illa, ſeu ſubſtractio videretur violenta & contra naturalem exigentiam ſpirituum damnatorum, qui tamen ſpoliati quidem ſunt gratuitis, at non vulnerati in naturalibus; videretur item Deo indigna, quia Deus per ſe ipſum impediret in damnatis omnem bonam operationem, quod neque in præcedentium peccatorum pœnam videtur Deo ſatis dignum.

10. Vaſquez. Vaſquez *diſput.* 241. *cap.* 4. aſſignat pro cauſa negationem omnis cogitationis congruæ, quâ voluntas ad bonum opus præveniatur, ad quod tamen concedit damnatis cogitationem non congruam, ſeu ſufficientem. In hoc dicendi modo plura ſunt difficilia, difficile eſt primò, quod ſequitur damnatos non habere majorem impotentiam benè operandi, quam habeant reprobi imò & prædeſtinati pro eo hujus vitæ tempore, quo male operantur, & quo certè carent congrua & efficaci cogitatione ad opus bonum: Nec Vaſquez ſufficienter diſcrimen aſſignat per hoc, quòd damnatis cogitatio illa congrua negetur lege manifeſta, viatoribus verò pro eo tempore, pro quo malè operantur, lege non manifeſta. Non ſufficienter, inquam, quia negatio cogitationis congruæ ex eo, quòd ſit revelata & facta lege manifeſta non auget impotentiam bene operandi; nec viator ex eo præcisè, quòd haberet revelatam ſibi & manifeſtam negationem cogitationis congruæ, male operaretur eadem impotentia bene operandi, eademque obſtinatione quâ damnatus. Difficile eſt ſecundò in principiis Vaſquij & Patrum Societatis negare omnem cogitationem congruam ad quodcumque opus moraliter bonum abſque eo, quod impediatur aliquis curſus cauſarum naturalium, ex quibus certè abſque ulla ſpeciali Dei illuminatione occurrere facilè poteſt cognitio boni honeſti naturalis congrua ad illud operandum, Vaſquez autem eadem ratione, quâ vult damnatis in ordine ad bene operandum non eſſe negandum à Deo concurſum generalem, debet concedere non eſſe itidem impediendum curſum cauſarum naturalium.

11. Thomiſtæ. Thomiſtæ communiter aſſignant pro cauſa converſionem & adhæſionem immutabilem ad finem perverſum, & peccaminoſum, eo quod exiſtens in termino non poſſit operari, niſi in ordine ad illum ultimum finem, cui adhæret; cum igitur damnatus exiſtat in termino & adhæreat fini perverſo, neceſſe eſt quod in ordine ad talem finem perverſum omnia operetur, & per conſequens quòd quidquid operatur, ſit ſaltem ex circumſtantia finis malum moraliter. Verùm, cum certum ſit viatorem exiſtentem in peccato non ſemper operari malè, & in ordine ad finem peccati, aſſignandum eſt Adverſariis, cur ad perverſum ſui peccati finem omnem ſuam operationem ordinet damnatus potiùs, quàm peccator in via? Deinde quis ſibi perſuadeat diverſos homines propter diverſa peccata damnatos, ſingulos referre ſemper omnes ſuos actus ad diverſos fines, Avarum ad pecunias, Lurconem ad eſcas, Luxurioſum ad voluptates, &c. Ratio à priori eſt, quia ſive in via, ſive in termino finis ultimus peccati eſt ſolùm interpretativè, & præſumptivè ultimus; ad finem autem ſolùm præſumptivè ultimum non eſt neceſſe omnia referre, ut patet ex eo quod *tract. ſeq lib.* 1. *c.* 2. §. 6. dicetur poſſe hominem ſibi conſtituere ſimul plures fines ultimos totales, interpretativè, ſeu præſumptivè intentos.

Lugus *hic diſp.* 27. *cap* 3. *num* 18. *&* 27. media quadam incedit via, ſupponit ſcilicet duo genera operum bonorum naturalium, quædam vocat opera pietatis, ex genere ſuo aliqualiter conducentia, licèt congruitate valdè remota, ad ſalutem; quædam alia vocat opera vitæ communis, indifferenter omninò ad ſalutem ſe habentia, & reſpicientia præcisè cōmodum naturæ; quoad bona opera primi generis negat damnatis auxilia ſufficientia & concurſum generalem adeoque in illis aſtruit impotentiam phyſicam; quoad bona opera ſecundi generis admittit in iiſdem auxilia ſufficientia & paratum concurſum generalem, & forſan interdum aliquod auxilium efficax, adeoque negat impotentiam phyſicam & forſan etiam moralem. 12. Lugus. Bona opera naturalia alia pietatis, alia vitæ communis.

Verùm contrà hanc diviſionem bonorum operum naturalium, quam Lugus ſtabilire curaverat 1. *part. lib.* 1. *diſp.* 40. *c.* 6. plura facilè occurrerent, niſi diſpliceret immorari in difficultatibus ad alios Theologicos tractatus, de actibus humanis præſertim & de Gratia pertinentibus; pro te præſenti ſufficiat contra Lugum revocare auctoritates ſuprà relatas ex ſanctis Patribus abſolutè docentibus diabolum nihil aliud facere niſi peccare, omnem damnatorum voluntatem eſſe malam, injuſtam, perverſam; quibus malè cohæret quod ait Lugus de facto damnatos erumpere in aliquas operationes moraliter bonas licèt exiguæ & infimæ bonitatis; nec ſatisfacit dicendo operationes hujuſmodi aliquando à ſanctis Patribus metaphoricè appellari peccata & nihil; quidquid enim ſit, utrùm ſancti Patres aliquando utantur hac adeò lata metaphora? certè non ſunt cum tali metaphora intelligendi, niſi ex maxima neceſſitate, qualis non urget in præſenti. 13.

Aſſert. 2. Impotentia benè moraliter operandi in Angelis damnatis moralis eſt, non phyſica, nec aliunde oritur quàm ex conditione ſtatus damnationis, ſeu ex collectione miſeriarum talem ſtatum conſtituentium. Ità Suarez *hic lib.* 8. *cap.* 11. Amicus *diſput.* 21. *ſect.* 2. *num.* 44. Arriaga *diſp.* 25. *ſect.* 6. *ſubſec.* 3. Dequiros *diſp.* 75. *ſect.* 2. *n.* 8. Madernus *q.* 5. *art.* 6. Herinex *diſp.* 5. *q.* 7. *num.* 49. Maſtrius *in* 2. *diſput.* 3. *q.* 5. *num.* 84. & tùm aliqui alij Scotiſtæ, tùm major pars recentiorum contrà Auctores mox relatos à *num.* 8. *ad* 13.

Probatur prima pars: Impotentia phyſica 14.
bene

Impotentia bene operandi in damnatis eſt moralis, non phyſica.

bene moraliter operandi, nec neceſſaria, nec conveniens eſt Angelis damnatis, contrà verò ſufficiens eſt & convenientiſſima impotentia moralis; ergo impotentia benè moraliter operandi in Angelis, &c. probatur antecedens, Impotentia phyſica non eſt neceſſaria, quia ſine illa ſalvantur auctoritates ſanctorũ Patrum beneficio impotentiæ moralis; non eſt conveniens, quia nec convenienter aſſignari poteſt, unde proveniat? ut patet ex hucuſque dictis; nec æquè benè ac moralis ſalvat, quomodò remaneant in Angelis damnatis integræ naturalia & libertas ſufficiens ad peccandum? ergo impotentia phyſica benè moraliter operandi nec neceſſaria eſt, &c. Confirmatur ex eo, quòd innatum jus voluntatis clamat pro potentia phyſica bene operandi, ergo ei non eſt talis potentia in ullo ſtatu deneganda abſque ſumma neceſſitate, quæ neceſſitas non apparet quoties poſſunt omnia ſalvari negata eidem ſola potentia morali: ergo

Dices: major bene operandi impotentia ponenda eſt in damnatis, quàm in quolibet viatore perverſo licèt & indurato, ut nos ipſi *præced. n.* 10. arguebamus contrà Vaſquium; atqui ſæpè contingit aliquem viatorem habere moralem impotentiã bene operandi, eſſe ſcilicet adeò gravibus tentationibus oppugnatum, adeò ad peccata ex vitioſis habitibus inclinatum, in tot circũſtantiis ad malum vehementer, ad bonum leviter allicientibus conſtitutum, ut difficillimum prorſùs & moraliter impoſſibile ſit à malo abſtinere & bene operari: ergo in damnatis ponenda eſt impotentia bene operandi major quàm moralis, & per conſequens phyſica.

15\. Sed contrà: quamvis non rectè ponatur in quolibet viatore pro eo tempore, pro quo peccat, tanta impotentia bene operandi, quanta ponitur in damnatis; hincque jure ſuprà argueremus contrà Vaſquium in iſtis aſtruentem impotentiam ad bene operãdum ſolum conſequentem ortam ex carentia cogitationis congruæ & auxilij efficacis, non eſſet tamen inconveniens tantam, quantam in damnatis, bene operandi impotentiam concedere in aliquo viatore valde obdurato, & hoc fortè concedent qui docent inſignes quoſdam peccatores in via carere auxiliis ſufficientibus ad pœnitendum: Nihilominùs data abſolutè majore & minore, nego conſequentiam; & dico damnatum poſſe habere majorem bene operandi impotentiam in eodem genere impotentiæ moralis abſque eo, quod perveniatur ad impotentiam phyſicam, & ità de facto evenire eo quod motiva malæ & impedimenta bonæ operationis reſpectu damnatorum validiora ſemper & plura ſint, quàm reſpectu ullius viatoris quomodocumque perverſi, & in peccato obdurati, ut facilè patet ex ſequenti explicatione ſecundæ partis.

Eſt tamen major, quã in ullo viatore.

16\. Probatur & explicatur ſecunda pars: Status damnationis dicit carẽtiam cujuſcumque ſpecialis ad bonum vocationis & propenſionis; excludit etiam ſpem omnem præmij ex bono opere conſequendi; involvit è contrà peſſimos habitus doloreſque acerbiſſimos; anxiam recordationem amiſſæ beatitudinis, rabidamque deſperationem evadendi è miſeriis, mutua ad male operandum incitamenta & exempla efficaciùs moventia ex eo quod nulla ſit pœna de novo incurrenda quæ retrahat; odium in Deum, iram in bonos Angelos, invidiam in humanum genus, aliaque hujuſmodi peccata, aut nunquã aut vix unquam actualiter interrupta; qui certè cumulus malorum tùm culpæ tùm pœnæ non poteſt non reddere ſummè difficilem & moraliter impoſſibilem quãcumque bonam operationem; cum in nobis ipſis experiamur ingentem bene operandi difficultatem quoties aut vehementi irâ agitamur, aut acribus torquemur doloribus, aut gravi triſtitia premimur: Rectè igitur in prædictorum malorum cumulum, ſeu in conditionem ſtatus damnationis refunditur moralis impotentia bene operandi, & non in quidquam aliud; quia quidquid aliud aſſignetur eſt improbatum ex ſupradictis *à n.* 8. *ad* 12.

Oritur ex conditione ſtatus damnationis.

17\. Ex dictis habetur majorem eſſe beatorum ad malè, quàm damnatorum ad bene operandum impotentiam: illa enim ut ſuppono *ex ſeq. tract. de Beatitud.* phyſica eſt, hæc ut mox aſſertum eſt ſolùm moralis: Neque debet tanquam inconveniens reputari beatos eſſe quodammodò firmiùs confirmatos in bono, quàm damnatos in malo, quinimò Deo hoc maximè convenit, cum nihil aliud ſit, quàm divinam providentiam liberaliorem eſſe in promovendo bono morali, quàm in malo morali permittendo; in præmiando, quàm in puniendo.

Impotentia bene operandi in damnatis eſt minor impotentiã malè operandi in beatis.

Habetur inſuper majorem pariter eſſe impotentiam damnatorum ad pœnitendum ut oportet, & ad quodcũque aliud ſupernaturale bonũ, ad quod defectu gratiæ & auxiliorum ſufficientium habent impotentiã phyſicam; quàm ad bona moralia ordinis naturalis, ad quæ per nos nec generali, & ſufficienti concurſu Dei, nec potentia phyſica carent. Eſt

18\. tandem major damnatorũ impotẽtia ad operandum morale bonũ, quàm ad abſtinendum à morali malo; nam ad morale bonũ operandum habent impotentiã moralem non ſolùm in ordine ad omne morale bonum collectivè, verùm etiam in ordine ad quodlibet ſingillatim & in particulari; ad abſtinendum à morali malo, habent impotentiam moralem ſolùm in ordine ad omne malum collectivè, non in ordine ad hoc vel illud in particulari; quamvis ſcilicet moraliter non poſſint non elicere aliquem actum malum in vago, ad nullum determinatè neceſſitantur, & hinc maximè fit mala, quæ perpetrant eis ad culpam imputari, eo quod habeant pro ſingulis in particulari, etiam moralem libertatem exercitij; quando tamen admitteretur damnatos habere moralem neceſſitatem exercitij ad aliquem actum malum determinatè, puta ad odium Dei; adhuc poſſet aliunde talis actus ad culpam imputari eo, quod eſſet liber in cauſa, id eſt in peccato finali viæ: Aliam ejuſdem imputabilitatis rationem addit Amicus *hic diſput.* 21. *ſect.* 1. *num.* 17.

Damnati non habent tantam impotentiam ad abſtinẽdum a malo, quantam ad operandum bonũ.

Cur peccata commiſſa à damnatis imputentur ad culpam.

probabiliter aſtruens in damnatis actum reflexum perfectè liberum, quo peccata ex morali neceſſitate commiſſa vellent adhuc committere, ſi ad ea non eſſent moraliter neceſſitati.

§. III.

Quonam igne torquenantur Angeli damnati?

19. Ignis torquens Angelos damnatos eſt corporeus, & ejuſdem rationis cũ noſtro.

ASSERT. Angeli dãnati torquentur igne non ſpirituali & metaphorico, ſed corporali & proprio ejuſdemque rationis cum noſtro. Eſt veritas apud Scholaſticos & ſanctos Patres receptiſſima adeò ut oppoſitum pro errore deputandũ eſſe non dubitet Ioannes à S. Thoma *hic diſp.* 24. *art.* 3. *n.* 3. & D. Hieronymus *in c.* 66. *Iſa & epiſt.* 59. *c.* 2. inter errores Origenis recenſeat, quod ignem inferni non poſuerit in ſuppliciis, ſed in conſcientia peccatorum; hic error valdè arriſit Calvino dicenti in inferno nihil eſſe aliud, quàm timere Deum irarum, ut refert Bellarminus *tom.* 1. *controv.* 2. *lib.* 4. *de Chriſto c.* 8. Ideò quamvis aſſerta a nobis veritas non ſit, ut notant Bellarminus *tom.* 2. *controv.* 6. *lib.* 2. *de Purgatorio, c.* 11. & Vaſquez *hic diſp.* 243. *c.* 2. adhuc ab Eccleſia expreſsè definita, malè

Cenſura opinionis oppoſitæ.

tamen inter Catholicos audit Catharinus in eo, quòd *lib. de præmiis bonorum & ſuppliciis malorum* dixit igne inferni pœnam ſpiritualem, metaphoricè ignem nuncupatam, non verum ignem ſenſibilem & corporeum deſignari; minùs malè audiret, qui fatendo in inferno verum ignem corporeum, exiſtimaret eum eſſe ſpeciei diverſæ à noſtro; quã de re diſputat Clicthovæus *in D. Damaſcen. lib.* 4. *fidei cap. ult.* & Alphonſus à Caſtro *lib.* 1. *contra hæreſes, cap.* 9. ait litem adhuc eſſe ſub judice.

20. Probatur: Angeli damnati torquentur eodem igne, quo torquebuntur corpora damnatorum poſt diem judicij; atqui hic ignis non eſt ſpiritualis & metaphoricus, ſed corporalis & proprius; ergo Angeli damnati torquentur, &c. Major patet, quia idem eſt reſpectu omnium damnatorum tùm locus, tùm torturæ & torquentis creaturæ genus: Minor probatur; Scriptura quoties ſimpliciter loquitur præſertim ſi frequenter & uniformiter loquatur, debet intelligi in ſenſu proprio; atqui Scriptura ſimpliciter loquitur de igne inferni, & ſimpliciter tradit eo eſſe torquenda damnatorum corpora, idque præſtat frequenter & uniformiter; ergo debet intelligi in ſenſu proprio, & per conſequens de igne corporali, ejuſdemque rationis cum noſtro, qui ſolus eſt ignis propriè talis & ſimpliciter dictus: nomen enim ignis eſt nomen ſpecificum, ſicut Aqua, Aër, nec poteſt propriè ſignificare, niſi ſubſtantiam unius ejuſdemque rationis, ſubintellige ſpecificæ, nec aliter aſtruimus ejuſdem rationis ignem inferni cum noſtrate, à quo fatemur eſſe diverſæ rationis quoad ali-

Ignis ille eſt diverſus quoad aliqua accidentia.

qua accidentia, ut quoad obſcuritatem, denſitatem, majorem acrimoniam, &c.

Dices ſpecialem eſſe rationem intelligendi in ſenſu metaphorico Scripturam, dum loquitur de igne inferni, quia eadem Scriptura, tùm alibi vocem *ignis* metaphoricè uſurpat ut cum *Luc.* 3. & *Matth.* 3. dicitur *Ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igne*; tùm alias inferni pœnas metaphoricè commemorat ut cum mentionem facit aquarum & nivium *Iob* 24. Fletus & ſtridoris dentium *Matth.* 8. Vermis qui non moritur *Iſa.* 66. & *Marci* 9. Accedit quod favent huic metaphoricæ interpretationi nonnulli ſancti Patres, nam Damaſcenus *lib.* 4. *fidei cap. ult.* negat ignem inferni eſſe corporeum, Ambroſius verò *in c.* 14. *Lucæ* & Hieronymus *in cap.* 65. *Iſa.* nomine ignis inferni intelligunt triſtitiam & dolorem ſpiritualem, quem dæmones patiuntur ex amiſſione beatitudinis; Auguſtinus tandem *lib.* 21. *de Civit. c.* 10. exiſtimat talem eſſe ignem, quo cruciabatur dives in inferno, qualis ſunt lingua, digitus, &c. quæ recenſentur *Luc* 16. quibus ſi addas Gregorium *lib.* 15. *moral. cap.* 17. expreſsè appellantem incorporeum gehennæ ignem, habes ultrà Damaſcenum quatuor ſanctos Doctores Eccleſiæ pro intento inſtantiæ. Sed contrà: novum non eſt eandem vocem in Scripturâ debere aliquando propriè, aliquando metaphoricè intelligi juxta diverſam materiæ capacitatem & verborum contextum, tranſeat igitur metaphoricè uſurpari vocẽ *ignis* in textu illo *Luc.* 3. & *Matth.* 3. non eſt id transferendum ad alios textus in quibus nec incapacitas materiæ nec contextus verborum cogit ad metaphoram: Tranſeat etiam metaphoricè tribui damnatis aquas, nives, fletum, ſtridorem, vermem, &c. non eſt eadem ratio de igne, de quo frequentior ac uniformior eſt Scripturæ locutio, & pro ejus interpretatione in ſenſu proprio unanimis ſanctorum Patrum conſenſus, à quibus certè excipiendi non ſunt quatuor Eccleſiæ Doctores nam D. Gregorius appellat ignem gehennæ incorporeum ſolùm quia non alitur corpulento pabulo, ut ignis noſter uſualis, hocque docet ipſemet *lib.* 4. *dial. cap.* 31. ubi etiam *cap.* 29. de eodem igne ait in terminis *corporeum eſſe non ambigo*: D. Auguſtinus tranſeat, quod in colloquio illo Abrahami & divitis, quod fortè totum parabolicum eſt, flammam vel potiùs cruciatum flammæ exiſtimaverit metaphoricè ſumi, non eſt id univerſaliter de mente Auguſtini ſentiendum etiam in ordine ad alia Scripturæ loca, cum ipſemet *eod. cap.* 10. *de Civit.* ità habeat, *Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, Spiritus incorporees poſſe pœna corporalis ignis affligi?* D. Hieronymus in eo, quod objicitur, recitativè loquitur; ut colligitur ex eo, quod alibi ex propria ſententia loquens id refellit, refellit autem tùm *epiſt.* 59. *c.* 2. tùm *in cap.* 5. *ad Epheſ.* ſuper illud *Nemo vos ſeducat.* D. Ambroſius ab Eſparza *hic q.* 29. *ad* 4. permittitur ſenſiſſe cum Adverſariis, & excuſatur eo quod

21. Auctoritates pro igne inferni metaphorico & incorporeo ex SS. PP.

22. Auctoritates oppoſitæ & explicatio præcedentium.

ipſius

ipſius tempore non eſſet adhuc adeò perſpicuum & ſtabilitum in Eccleſiæ dogma de vero igne inferni; ab Eſtio *in* 4. *diſt.*44. §.13. *ad* 8. intelligitur de igne ſumpto pro præcipua inferni pœna abſque eo, quod abſolutè negaverit cruciatum minùs præcipuum à verò igne corporeo: Et ecce quomodò quatuor Eccleſiæ Doctores pro nobis, non contrà nos ſtent; non item contrà nos ſtat Damaſcenus, quia negando ignem inferni eſſe corporeum ſolùm intendit ipſum non indigere corporulento pabulo; & perpetuitate ac incorruptibilitate ſua res ſpirituales ac incorporeas imitari.

23. In præſentis inſtantiæ ſolutione duo tranſmiſimus, quæ negari potuiſſent: Negari potuiſſet primò in verbis illis baptizabit *ſpiritu ſancto & igne* ly *igne* metaphoricè ſumi, licèt enim ea locutio metaphoram aliquam contineat, nihilominùs verũ quoque ignem viſibilem & corporeum ſignificabat, quatenùs Chriſtus Dominus miſſurus erat Spiritum ſanctum ſub ſpecie veri ignis viſibilis:

Utrùm dentur in inferno veræ aquæ, veræ nives, veri fletus? Negari potuiſſet ſecundò metaphoricè inter inferni tormenta recenſeri aquas, nives, fletus, &c. dicendo ſpiritus reprobos veris aquis nivibuſque torqueri eo proportionaliter modo, quo veris flammis; dari item in inferno verum fletum, verum dentium ſtridorem, veroſque vermes poſt judicij extremi diem ad damnatorum corporum, licèt non ad Angelorum torturam; pro quo videri poſſunt Lugus *hic diſp.*28. *ſ.* 1. *num.*8. & Arriaga *diſp.*16. *ſect.* 1. *n.*5. Nobis ſatius fuit iſta tranſmittere, quàm examinare, quia quidquid de his dicatur minùs certum eſt, quàm certum ſit dari in inferno verũ ignem corporeum, eoque dæmones verè torqueri; inquirendus jam eſt hujus torturæ modus, qui quidem adeò difficile invenitur ab humano intellectu, ut inveniri & aſſignari re ipſa non poſſe exiſtimaverit Durandus *in* 4.

24. Opinio Durandi de dæmonum ab igne tortura. *diſt.*44. *q.*11. ubi poſtquam docuit animas ſeparatas igne torqueri ex conſideratione ipſius futuri nexûs corporibus reſumendis, addit ſpiritus Angelicos nunquam corpori uniendos affligi ab igne per quandam ſimilitudinem & adaptationem, quatenùs habent dolorem ſpiritualem ſummum, ſicuti ab igne, qui eſt maximè activus, ſolet oriri dolor ſummus ſenſibilis; & quamvis ſummum illum dolorem ſpiritualem videatur collocare in triſtitia de carentia viſionis, concludit tamen tandem *n.*29. quod totalem modum, quo ſpiritus ab igne patiuntur nullus adhuc docuit, nec docere poteſt niſi ei reveletur; ſciri item non poſſe modum, quo ignis torqueat vel ſpiritus Angelicos, vel animas ſeparatas, tradidit Bellarminus *tom.* 2. *contron.* 6. *de Purgatorio, lib.*2. *c.* 12. exiſtimans ità etiam ſenſiſſe D. Auguſtinum & D. Gregorium; placet nihilominùs non omninò difficultati ſuccumbere, & in re obſcura valdè ac perplexâ inſinuare ſaltem, quid probabilius, ac veriſimilius ſit?

§. IV.

Utrùm Angeli damnati igne corporeo torqueantur per alligationem ad ipſum?

ASSERT. Angeli damnati verè torquentur igne corporeo per alligationem ad ipſum. Ità D. Thomas 1. *p.q.*64.*art.*4.*ad* 3. *&* 4. *cont. Gent. c.* 90. Scotus *in* 4. *diſt.* 44. *q.*2.§.*De ſecundo*, & omnes utriuſque Scholæ Doctores, imò omnes alij Scholaſtici communiſſimè, adeò ut nec valdè diſſentiat Durandus ipſe *precit. q.*11. quamvis deindè diſſidium ſit tùm Thomiſtas inter & Scotiſtas in alligatione ad ignem explicanda, tùm inter utroſque & plures alios ſcholaſticos in ſtatuendo, utrùm reſpectu ſpirituum in ſola alligatione conſiſtat potiſſima pœna ſenſus & ignis tortura? quod infrà examinabitur; interim aſſertum, ut jacet 25.

Probatur: Angeli damnati verè alligantur igne corporeo, & talis alligatio eſt ipſorum verè afflictiva; ergo Angeli damnati verè torquentur, &c. Probatur antecedens quoad primam partem ex 2. Pet. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*: ex Epiſt.can.Iudæ *Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit*: ex Apocal. 20. *Apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum & clauſit*: ex Pſalm. 106. *Vincula eorum diſrupit, quia contrivit portas æreas & vectes ferreos confregit*, qui poſtremus textus, etſi intelligatur de limbo ſanctorum Patrum, tamen quid ſimile quoad vincula & quoad metaphoram de portis æreis, ferreiſque vectibus, debet à fortiori intelligi de inferno damnatorum, certum eſt igitur damnatos omnes eſſe in inferno veluti carceri mancipatos ac alligatos, & cum aliunde certum ſit dari in inferno ignem corporeum tanquam inſtrumentum pœnale, huic jure optimo cenſeri debet facta damnatorum alligatio. Probatur primum antecedens quoad ſecundam partem; homini etiam vili, imò bruto animali libertate & ratione deſtituto, moleſta ac afflictiva eſt quæcumque alligatio & violenta detentio, ut abundè teſtantur latratus & rabies canis catena devinctæ, quomodo igitur involuntaria & violenta alligatio ad vilem creaturam corpoream non erit afflictiva ſpirituum, quibus connaturalis eſt libertas & facultas tùm vagandi quocũque pro libito, tùm dominandi in quodcumque corpus, quibus irẽ ſuperbia auget appetitũ libertatis, independentiæ, & excellentiæ ſuprà connaturalis perfectionis metas, & ſingillatim ſuprà omnẽ humani generis conditionẽ, ex quo capite erit Angelicis ſpiritibus permoleſtum eidem, cui homines, igni alligari, & habere communia vincula cum viliſſima ac maximè contemptibili homi-

Datur alligatio damnatorũ Angelorum ad ignem corporeum.

26. Talis alligatio eſt ipſorum afflictiva.

num fæce poſt dedignatum in Cœlo conſortium beatitudinis cum portione eorundem ſelectiſſima, maximéque æſtimabili.

47. Eſt ad ignẽ etiam ut ad objectum.

Huic moleſtiæ provenienti ex alligatione ad ignem, tanquam ad locum, addunt Scotiſtæ cum ſuo Doctore *præcit. §. De ſecundo, verſ. In tertio etiam*, moleſtiam provenientem ex alligatione ad ignem tanquam ad objectum; adeò ut prima alligatio ſit potiſſimùm noxia virtuti motivæ, ſecunda virtuti intellectivæ damnatorum ſpirituum; conſiſtit autem hæc ſecunda alligatio in neceſſaria ac intenſiſſimâ ignis intuitione & conſideratione, quæ quidem conſideratio multipliciter contriſtativa eſt & afflictiva; primò ſcilicet, quia eſt de aliquo nolito & tamen exiſtente, quod eſt objectum proprium triſtitiæ; ſecundò, quia eſt ex determinatione divinâ, cui damnati ſpiritus vellent reſiſtere; tertiò, quia minuit libertatem attendendi ſaltem intensè ad res alias eximias & jucundas ex proprio arbitrio conſiderandas; quartò quia ignem repræſentat ut inſtrumentum implacabilis indignationis Dei, imò fortè etiam ut ſignum vilitatis eorum, qui per ipſum puniuntur, ſicut eſt ſedere ad tranſtra Remigum, vel ferre laqueum collo inſertum. Scotiſticam hanc alligationem ad ignem, tanquam ad objectum Thomiſtæ non improbant, quin potiùs extendunt, dum præter alligationem localem aſſignant alligationem quoad potentias operativas, quatenùs ſpiritus damnatus, nec ubi vult, nec ſecundùm quod vult, operari poteſt; ſed ſolùm ubi eſt tanquam carcere concluſus, & ſecundùm genus operationum compoſſibilium cum perpetua notitia & triſtitia ſui tormenti, ut magis explicat Ioannes à S. Thoma *hic diſpu. 24. art. 3. n. 16.*

48. Datur etiã reſpectu dæmonum apud nos vagantium

Secunda hæc alligatio aptiſſima eſt ad explicandum, quomodò ignis gehennalis liget malos ſpiritus, etiam extrà infernum exiſtentes? enimverò intenſa conſideratio, & (in noſtris principiis quibus contrà Scotum ſuſtinemus cognitionem intuitivam haberi poſſe per ſpeciem) perpetua intuitio ignis gehennalis optimè haberi poteſt à ſpiritibus extrà infernum apud nos vagantibus, ſive ſecum circumferant ſive non aliquam ignis portionem, quod incertum eſt & licèt affirment id nonnulli apud Herinca *diſput. 5. q. 4. num. 35.* regula tamen non facilè multiplicandi miracula, quibus ignis huc illucque inviſibiliter ac inſenſibiliter transferatur, valdè ſuadet oppoſitum, in quod propendeo.

49. Ex quo occurrerunt mali ſpiritus extrà infernum vagantes, placet aliqua de ipſis obiter breviterque diſquirere, & primò. Quàm certum ſit dari aliquos dæmones extrà infernum? Secundò, utrùm fuerint aliquandò omnes in inferno? tertiò, utròm ſint in inferno concludendi poſt diem judicij, non ampliùs inde exituri? quartò, utròm minùs extrà infernum torqueantur, quàm in inferno?

Apud nos vagari plures dæmones eſt de fide.

Ad primum reſpondetur eſſe id certum ex fide propter plura Scripturæ loca, quorum meminit Eſtius *in 2. diſt. 6. §. 12.* item ex communi Eccleſiæ conſenſu roborato non ſolùm auctoritate Scripturæ, verùm etiã experientia obſeſſionis corporum, multoque magis quotidianæ tentationis hominum ad peccandum, jure propterea D. Hieronymus *ſuper c. 6. ad Epheſ.* teſtatur omnium Doctorum opinionem eſſe, quòd aër inter Cœlum & Terram medius plenus ſit contrariis fortitudinibus: Nec adverſatur Magiſter *in 2. diſt. 6.* dicens non eſſe conceſſum dæmonibus nobiſcum in terra habitare, ſolùm enim excludit habitationem familiarem, qualis eſt hominum inter ſe; cæterùm ipſam terræ ſuperficiem à dæmonibus occupari clarè ſignificant verba illa Iob. 1. *Circuivi terram & perambulavi eam.* 1. Pet. 5. *Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, &c.* Apocal. 12. *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, &c.*

50. Probabile tamen eſt fuiſſe ab initio omnes in infernum detruſos.

Ad ſecundum reſpondetur eſſe veriſimile valdè, & probabile, quòd dæmones omnes in ſua prima de Cœlo ejectione fuerint in infernum detruſi, quia ex una parte conveniebat omnes experiri locum ſibi deputatum, ex alia parte ante creatos homines nulla erat dæmonibus cauſa exiſtendi extrà infernum, extrà quem ut ait D. Thomas *in ſupplem. q. 70. art. 3. ad 2.* ſpiritus damnati nunquam ſunt, niſi ex diſpenſatione divina, vel ad inſtructionem, vel ad exercitium electorum. Neč probabile eſt, quod Canus relatus ab Eſtio *præcit. diſt. 6. §. 13.* ait ſolùm dæmones nequiores fuiſſe in infernum detruſos; enimverò eadem ratione deberent ipſi ſemper in inferno detineri, minùs malis ſaltem uſque ad diem judicij ſemper in noſtro aëre commorantibus, quod falſum eſſe conſtat *ex Luca* 8. ubi plures ex ſpiritibus qui inter homines verſabantur juſſi ſunt in abyſſum deſcendere, & ex eo quod juxtà multorum, ac ferè omnium ſententiam, dæmonum nequiſſimus ex inferno exivit ad tentandum primos Parentes in Paradiſo, & Chriſtum in deſerto; ex divina igitur diſpenſatione & diſpoſitione datur quædam inter dæmones alternatio, adeò ut nec iidem ſemper intrà, nec iidem ſemper extrà infernum ſint, & fortè ut opinatur Arriaga *hic diſput. 26. ſect. 10. n. 59.* quilibet dæmonum apud nos vagantium aliquoties in infernum deſcendit ſui pravi miniſterij rationem nequitiæ Principi redditurus, & ipſius juſſa ſuſcepturus pro novis in homines infeſtationibus.

51. Et in infernũ omnes iterum detrudentur poſt diem judicij.

Ad tertium reſpondetur affirmativè, ceſſante enim poſt diem judicij hominum in hoc mũdo infeſtatione ceſſat pro dæmonibus cauſa, aut permanendi extrà infernum, aut ab inferno exeundi, poſtquam igitur tempore ipſius finalis judicij omnes inde exiverint ſimul cum hominibus, imò etiam ab hominibus, judicandi juxtà illud 1. *Cor. 6. Neſcitis quoniam Angelos judicabimus*, in gehennalem ignem recludentur nunquam impoſterũ egreſſuri, pro qua re plura videri poſſunt apud D. Aug *lib. 20. de Civit. à c. 14.*

52. Ad quartum non deſunt qui doceant malos

los Angelos in hoc mundo exiſtentes nondum recepiſſe ultimum eſſentiale ſupplicium pœnæ ſenſus, nec eſſe tale ſupplicium recepturos, niſi peracto extremo judicio, poſt quod conſequenter exiſtimant eos graviùs eſſe torquendos, & hanc opinionem non eſſe fidei contrariam fatetur Gonet *hic diſp.* 14. *art.* 2. *n.* 79. Nihilominùs abſolutè ſentiendum quoad eſſentiale ſupplicium pœnæ ſenſus (de pœna damni controverſia non eſt) malos Angelos è Cœlo ſemel ejectos non minùs extrà infernum torqueri, quàm in inferno, nec minùs antè, quàm poſt finale judicium; pro cujus veritatis intelligentia & pro explicatione auctoritatum quæ in contrarium afferri poſſunt Eſtius *in* 2. *diſt.* 6. §. 14. rectè diſtinguit triplicem damnationem malorum Angelorum primam factam in mundi initio, ſecundam in adventu Chriſti, tertiam faciendam in finali judicio; per primam damnationem è Cœlo ejecti receperunt æternam pœnam damni & ſenſus, & de hàc damnatione habetur 2. Pet. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, &c.* per ſecundam ejecti, licèt non totaliter, ex hoc mundo, ſpoliati fuerunt liberiori poteſtate, quà permiſſi fuerāt in homines dominari antè Chriſti adventum, & quâ carere ipſis moleſtum eſt pro ingenti ipſorum malitia & odio in humanum genus, de hàc damnatione habetur Io. 12. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*; per tertiam ex mundo hoc totaliter ejecti, & omni nocendi electis poteſtate ſpoliati ab hominibus ipſis judicabuntur, & poſt propriam malitiam ac vilitatem toti univerſo manifeſtatam firmiter in gehennam recludentur, quod ſpiritibus cupidis excellentiæ & libertatis augebit accidentalem torturam; de hàc damnatione proce-
33. dunt Scripturæ & Sancti Patres, quoties indicant dæmones nondum eſſe judicatos, nundum eſſe in ignem miſſos, ſolùm in fine ſæculi eſſe ſupplicio extremo plectendos; & hanc fortè damnationem præproperam metuentes mali ſpiritus *Matth.* 8. clamabant *Quid nobis & tibi Ieſu Fili Dei? Veniſti hùc antè tempus* (ideſt antè finale judicium) *torquere nos*; poſſunt tamen hæc verba meliùs referri ad ſecundam damnationem, cui magis quadrat, quod unus eorum ſpirituum Chriſto dicit Luc. 8. *Obſecro te ne me torqueas: Præcipiebat enim ſpiritui immundo ut exiret ab homine.* Sic explicatis auctoritatibus facilè corruit omne Adverſariorum fundamentum, & facilè etiam intentum noſtrum probatur aliundè, præſertim ex eo, quod nec ad diem judicij differatur, nec poſt talem diem augeatur aut pœna eſſentialis in animabus damnatis, aut eſſentialis gloria in beatis, ſivè animabus, ſivè Angelis; & tamen animæ damnatæ non ſunt magis aut pœnæ dignæ aut extrà terminum, quàm mali ſpiritus; boni item Angeli non ſunt magis digni præmio, quàm mali ſupplicio, & eorum plures extrà Cœlum uſque ad finale judicium verſantur, æquè ac plures iſtorum extrà infernum.

Non tamen puniuntur majori pœnâ eſſentiali quam nunc.

Explicatur triplex dæmonum damnatio.

Ex dictis habetur ſuſtinendum omninò 34.
eſſe, quòd dæmones in hoc mundo vagantes ſemper & ubique ſecum circumferant pœnam ignis, etiamſi non ignem ipſum; ideò ſi eſſentialis & potiſſima ignis pœna ſtatuatur in ſuprà aſſerta alligatione ad id, quod *num.* 28. attigimus de alligatione objectiva, ſupereſſet aliquid addendum de alligatione, & de modo quo dæmones extrà infernum diſcurrentes ſecum ferant localem alligationem ad ignem remanentem intrà infernū, in quo neceſſariò non erit laborare ſi alligatio ſuprà aſſerta non ſit pœna ignis potiſſima & eſſentialis, ideò hoc illicò diſcutiemus & in hujus diſcurſiune arripiemus occaſionem inſinuandi, in quonam formaliter Thomiſtæ collocent alligationem ad ignem inferni? & quomodo talem alligationem ſalvent in ſpiritibus ab inferno diſtantibus?

Dæmones pœnam ignis circumferunt licèt non ignem ipſum.

---

§. V.

Utrùm Angeli damnati igne corporeo torqueantur per alligationem ſolam; an etiam per aliam potiorem torturam?

ASSERT. Angeli damnati igne corporeo 35.
non torquentur per alligationem ſolam neque hæc eſt reſpectu ipſorum potiſſima ignis tortura. Ità Auctores tùm *præced. n.* 24. relati pro occulta & inexplicabili Angelicorum ſpirituum ab igne tortura, tùm infrà afferendi pro variis modis eam explicandi aliter, quàm per alligationem contrà Thomiſtas & Scotiſtas & ex Recentioribus Eſparzam *q.* 29. *art.* 5. ad Thomiſtas accedentem, Averſam *q.* 64. *ſect.* 7. tùm Thomiſtis, tùm Scotiſtis faventem, aliosque nonnullos.

Alligatio ad ignem non eſt potiſſima dæmonum tortura.

Probatur: Per ſolam alligationem non ſalvatur, quod ignis exerceat in Angelos damnatos ardorem & combuſtionem, eoſque torqueat ardendo, comburendo, & concremando; atqui hoc ſalvandum eſt, & in ardore ac combuſtione, quantum fieri poteſt, collocanda eſt potiſſima ignis tortura; ergo Angeli damnati igne corporeo non torquentur per alligationem ſolam, &c. Major patet; quia alligatio nullam habet ſpecialem cum ardore & combuſtione affinitatem, & ad quodlibet aliud corpus æquè ac ad ignem fieri poteſt; minor probatur, quia Scriptura frequenter & conſtanter affirmat ignem in inferno ardere, comburere, concremare. Sic habetur Iudith 16. *Ut urantur & ſentiant uſque in ſempiternum.* Iſa. 33. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis.* Matth. 3. *Paleas* (ideſt reprobos) *comburet igni inextinguibili.* Io. 15. *Si quis in me non manſerit, &c. in ignem mittent & ardet.* Similis loquendi modus conſtantior adhuc & frequentior eſt in Sanctis Patribus, quorum auctoritates paſſim cuilibet occurrent.

Dices has Scripturæ & Patrum auctoritates vel procedere ſolùm in ordine ad damna-

torum corpora, non univerſaliter etiam in ordine ad ſpiritus, præſertim Angelicos; vel intelligendas eſſe in ſenſu improprio & metaphorico, nec certè negari hic poteſt omnis metaphora, cum certum ſit ignis ardorem & combuſtionem eſſe actionem corpoream, cujus capaces non ſunt puri ſpiritus.

36. Sed contrà: fateor aliquas ſaltem ex allatis auctoritatibus ad corpora vel ad homines, non ad Angelos, ſingillatim referri; at adhuc ſufficienter probant intentum, quia aliundè certum eſt, eâdem dæmones, quâ homines, pœna torqueri, & reproborum animas etiam antè reunionem ad corpora gehennali igne comburi, utrumque tradit expreſsè D. Gregorius 4. *dialog.* primum quidem *cap.* 32. ubi ait, *Quamvis Angelorum & hominum longè ſit natura diſſimilis, una tamen pœna implicat quos unus in crimine reatus ligat*; ſecundùm verò *cap.* 28. ubi de hominibus habetur, *Sicut electos beatitudo lætificat, ità credi neceſſe eſt, quod à die exitus ſui ignis reprobos exurat*, &c. clariùs adhuc ac luculentiùs Hugo Victorinus *lib.* 2. *de Sacram. p.* 16. *cap.* 3. dicens, *veriſſimè auctoritate ſacri eloquij & Catholicæ veritatis probatur teſtimonio, corporali & materiali igne animas etiam nunc antè ſuſceptionem corporum cremari.* Ad illud, quod addebatur de ſenſu improprio & metaphorico dico, quando vitari nequeat omnis metaphora & improprietas, ſaltem debere eam præferri, quæ minor eſt, ut quantum fieri poteſt ad ſenſum proprium accedatur; quod Adverſarij per ſolam alligationem non præſtant; illi præſertim, qui cum Scoto *in* 4. *diſt.* 44. *quæſt.* 2. gehennalem alligationem collocant partim in detentione objectivâ, partim in detentione locali proveniente effectivè à Deo, ad combuſtionem enim quæ eſt actio effectivè phyſicè ab igne proveniens nulla aſſimilatione, nullavè proportione accedit actio, aut proveniens effectivè à ſolo Deo, aut proveniens ab igne intentionaliter duntaxat & objectivè.

Dæmones & homines pœnâ ſimili torquentur.

37. Hinc Thomiſtæ aliam à Scotiſtis viam ineunt, & ut ſuſtineant alligationem eſſe effectivè phyſicè ab igne, docent ligari damnatos ſpiritus media qualitate ſpirituali ab igne ut inſtrumento Dei effectivè phyſicè producta, cujus primarius effectus ſit impedire potentiam ad extrà operativam, ne pro libito operetur, & conſequenter coarctare ſubſtantiam, ipſamque quodammodo incarcerare intrà ſpatium illud, ultrà quod potentia operativa impeditur, ne operationem ſuam extendat, & ex eo quod talis qualitas ſuum primarium effectum exerceat in potentia operativa ponitur à Goneto *hic diſput.* 15. *art.* 2. §. 2. & Ioanne à S. Thomâ *diſp.* 14. *art.* 3. *num.* 21. immediatè ſubjective in ea potentia potiùs, quàm in ſubſtantia. Explicant deindè hujus doctrinæ Auctores, quomodo dæmones extrà infernum retineant alligationem ad ignem, & ſecū ferant pœnam ignis, licèt non ignem ipſum; explicant, inquam, dicendo dæmones retinere & ſecum ferre talem qualitatem cum mutatione materiali effectus ipſius, cum coarctatione ſcilicet potentiam ad determinatum locum aëris in hoc mundo pro coarctatione earumdem ad determinatum locum ignis in inferno, & aliquando cum majori laxatione ſpatij, quæ utrùm dæmonibus inſerviat ad aliqualem diminutionem pœnæ accidentalis, an laxatio ipſa nova alia pœna accidentali compenſetur? non definiunt, ſed relinquunt ut problema. Explicant inſuper, quomodo pœna ignis ſit in damnatis ſpiritibus inæqualis? dicendo eſſe inæqualem qualitatem operationum impeditivam; & prout intenſior vel remiſſior eſt talis qualitas, inſervire ad majorem vel minorem torturam, ſeu eſſe magis vel minùs reſtrictivam potentiæ operativæ, & quaſi vinculum magis vel minùs eam reſtringens; In totâ hâc doctrinâ, quam fuſiùs tradunt Gonetus & Ioannes à S. Thomâ *art. præcit.* vix quidquam aliud diſplicet, quàm quod productio qualitatis alligativæ etiamſi effectivè phyſicè ab igne proveniens, non ſit adhoc ſufficienter ſimilis combuſtioni; ſed poſſit aſſignari aliquid ſimiliùs & per conſequens conformius auctoritatibus ſuprà relatis. Pro quo

Alligatio dæmonum ad ignem in quonam formaliter conſiſtat, ſecundum Thomiſtas.

Adverto duo eſſe præcipua ſententiarum capita in hâc controverſia: Primum eſt negantium ignem producere aliquid phyſicum in ſpiritibus: Secundum eſt id affirmantium, & hæ ſunt inter ſe diviſæ circà modum cauſalitatis vel phyſicè, quâ phyſica entitas producta in ſpiritibus ad torturā proveniat immediatè ab ipſo igne tanquam inſtrumento divinitùs elevato; vel moralis, quâ illa phyſica entitas proveniat immediatè à Deo ad præſentiam ignis tanquam ſigni ad id inſtituti; quæ quidem ſententiarum ſub ſecundo capite diviſio pendet à controverſiâ generali agitari ſolita *in tract. de Sacram.* circà cauſalitatem rei ſpiritualis à corporeâ, & ea tali tractatu ſupponentes cauſalitatem phyſicam Sacramentorum in gratiam, poſſumus hîc conſequenter ſupponere cauſalitatem phyſicam ignis in entitatem de novo ad ſpirituum tormentum productam, ſi phyſica ſit; hocque eo libentiùs ſupponimus, quòd hujuſmodi cauſalitas phyſica meliùs, quàm moralis ſalvat Scripturas exprimentes pœnam ignis ſub combuſtionis & ardoris nomine. 38.

Primum caput continet primò ſententiam Avicennæ 9. *metaph. cap. ult.* docentis dæmones torqueri ex eo præcisè, quòd apprehendant ignem ut ſibi noxium, ſivè noxius re vera ſit, ſivè non; pro hâc ſententiâ referunt aliqui D. Bonaventuram & Scotum, ſed Scotus contrarius eſt, & D. Bonaventura ei favet ſolùm in ſuperficie lectionis, ut ait Maſtrius *hic diſp.* 3. *quæſt.* 6. *num.* 123. Continet ſecundò ſententiam Algazelis 5. *phyſ. cap.* 5. docentis dæmones torqueri ſolâ cogitatione privationis boni deſiderati, amiſſæ ſcilicet beatitudinis. Continet tertiò ſententiam Alberti *in* 4. *diſt.* 44. *art.* 20. & 34. Richardi *ead. diſt. art.* 2. *quæſt.* 3. Ægidij *quodlib.* 2. *quæſt.* 9. &c. docentium dæmones torqueri per ſpeciem quamdam intentionalem in ipſorum intellectibus productam ab igne, ut inſtrumento Dei, & eoſdem cogentem 39.

Claſſis ſententiarum explicantiū torturam dæmonum abſque productione phyſicæ entitatis.

ad

ad Moleſtam ignis conſiderationem. Continet quarto ſententiam Gabrielis *in ſupplem. quæſt.* 3. *art.* 2. Ochami *quodlib.* 1. *quæſt.* 19. & fere etiam Scoti *in* 4. *diſt.* 44. *quæſt.* 2. volentium dæmones torqueri per impreſſionem non ſpeciei intentionalis, ſed actualis cognitionis ab igne, ut à Dei inſtrumento

40. factam. Hæ omnes ſententiæ præſertim verò prima & ſecunda præter plures alias, quas continent difficultates, impugnantur à fortiori iiſdem auctoritatibus, quibus impugnavimus potiſſimam ignis torturam in ſolà ad ipſum alligatione collocatam; imò prima & ſecunda impugnantur etiam auctoritatibus quæ præſcindendo à combuſtione univerſaliter docent damnatos vero igne torqueri.

Secundum caput in duas ſententiarum claſſes ſubdivido, quarum altera docet illud phyſicum, quod ignis producit in ſpiritibus, eſſe qualitatem corpoream caloris; altera eſſe qualitatem ſpiritualem; utraque deindè claſſis continet ſub ſe plures & diverſos dicendi modos, & in varias adhuc ſententias iterum ſubdividitur.

41. Claſſis ſententiarum id explicantium per productionem qualitatis corporeæ.

Prima igitur ſub ſecundo capite claſſis continet primò ſententiam Henrici *quodlib.* 8. *quæſt.* 34. docentis ignem torquere dæmones ut calidum, producendo calorem in ipſis redditis à Deo per impreſſionem ſupernaturalis qualitatis capacibus talis caloris recipiendi, imò etiam (ſi de Henrici mente judicemus cum Dequiros *hic diſput.* 77. *num.* 7.) materialiter ſentiendi; quoad caloris in ſpiritibus receptionem Henrico favet ex Recentioribus Lugus *diſp.* 18. *cap.* 2. *n.* 16. quoad materialem ejuſdem ſenſationem eidem favet, licet cum aliquâ in modo diverſitate, Ripalda memoratus à Dequiros *diſp. præcit. num.* 4. Continet ſecundò ſententiam Coninchij *quæſt. de Purgatorio dub.* 3. exiſtimantis dæmones & animas antè reunionem ad propria corpora miraculosè alligari aliquibus corporibus, & ex impreſſione ignei caloris in hæc corpora torqueri eo modo, quo anima de facto torquetur ex receptione nimij caloris in corpore, quod vivificat propter ſympathiam, quam habet cum tali corpore. Continet tertiò ſententiam, quam diſcurrendo tamen ſolùm non aſſerendo latè explicat Dequiros *præcit. diſp.* 77. *à ſect.* 2. ubi poſt liberatam ab omni etiam improbabilitatis censurâ doctrinam de compoſitione Angelorum ex materia ejuſdem rationis cum noſtra ſpiritualizatâ tamen, & ſolutâ a quantitate, ait juxtà hanc exiſtimationem optimè explicari rem præſentem dicendo ignem producere calorem intenſiſſimum in materiâ mali Angeli, qui calor utpote diſponens ad introductionem formæ ignis ſit contrarius formæ ſubſtantiali exiſtenti in illa materia; faciat materiam illam caleſcere & ardere æquè ac noſtram; adeoque torqueat Angelos eodem modo, quo nos dum recipitur in materiâ, ex quâ nos componimur.

42. Claſſis ſententiarum id explicantium per productionem qualitatis ſpiritualis.

Secunda ſub eodem ſecundo capite claſſis continet primò ſententiam Bachonis *in* 4. *diſt.* 46. *art.* 2. docentis infernalem ignem in ſpiritibus producere calorem ſpiritualem, qui tamen in ipſo igne ſit eſſentialiter una forma cum calore materiali, ſicuti ſunt eſſentialiter una forma in homine gradus intellectualis ad ſpiritualem, & gradus ſenſitivus ad materialem naturam pertinens. Continet ſecundò ſententiam Thomiſtarum relatam *præced. num.* 37. docentium ignem in ſpiritibus producere qualitatem ſpiritualem alligativam potentiæ operativæ, & conſequenter ipſius ſpiritualis ſubſtantiæ. Continet tertiò ſententiam Suarezij *hic lib.* 8. *cap.* 14. docentis in ſpiritibus producere qualitatem ſpiritualem diſſonam & diſconvenientem naturæ ipſorum, & ideò ipſis doloriferam, quem dicendi modum ſecuti ſunt Malonius *in* 5. *diſt.* 6. *diſp.* 20. *ſect.* 2. Peſantius *hic quæſt.* 64. *art.* 4. *diſp.* 5. Lugus *diſp.* 58. *cap.* 2. *num.* 50. Arriaga *diſp.* 26. *ſect.* 8. Madernus *q.* 5. *art.* 7. *n.* 12. aliique Recentiores permulti.

43. Sententia inter præallatas media.

Supereſt hic recenſenda ſententia quædam inter hucuſque relatas quaſi media, quæ præſcindendo ab eo, quod ignis producat vel non producat in ſpiritibus aliquam phyſicam qualitatem, docet ſpiritus damnatos ad præſentiam ignis, cui ſunt alligati elicere virtute divina actus vitales intellectus & voluntatis omnino ſimiles iis, quos elicit anima in corpore, dum iſtud comburitur. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 50. *q.* 1. *art.* 1. quem licèt cum aliqua in modo explicandi varietate ſecuti ſunt Leſſius *de perfect. div. lib.* 13. *cap* 30. Molina 1. *p. q.* 45. *art.* 5. *diſp.* 2. *ad* 3. Valentia *hic q.* 15. *punct.* 3. Tannerus *diſp.* 51 *quæſt.* 6. *dub.* 6. & alij apud Dequiros *diſp.* 76. *ſect* 5. ubi hanc ſententiam reliquis præfert in primis ex eo, quod ſatis aſſequatur proprietatem combuſtionis & ardoris & juxtà eam ſtrictè dici poſſit dæmones ardere & comburi; ſicuti dicitur ardere & comburi; ſeu ardore & combuſtione torqueri, anima ratione cognitionis experimentalis & triſtitiæ quam habet, dum corpus ei unitum comburitur.

44. Fertur de præallatis ſententiis judicium.

In tanta opinandi varietate nimis lubricum perplexumque eſſet quidquam eligere, niſi commodè poſſent ex jam dictis minorem ad numerum reduci ſententiæ, inter quas delectus faciendus eſt; & quidem quoad ſententias relatas ſub primo capite, omnes illicò fuerunt ibi rejectæ *num.* 40. quoad relatas ſub ſecundo capite, ſententia Coninchij abſque ulla auctoritate comminiſcitur corpora dæmonibus unita; & unio, quâ unirentur, nec poſſet eſſe ſubſtantialis, cum dæmones non ſint formæ informantes; nec localis ſufficeret ad intentum, quia non ſufficeret ad ſympathiam ſimilem ei, quam habet anima noſtra cum corpore quod vivificat: Sententia quam Dequiros commendat, quoad Angelos de facto exiſtentes manet ſufficienter improbata *ex dictis præced. lib.* 1. *cap.* 2. §. 4. contra compoſitionem Angelorum ex materia ſpiritualizata: Sententia Bachonis falſo ſupponit in calore ignis contineri gradum ſpiritualem: Sententia Thomiſtarum de qualitate alligativa impugnata eſt *præced. num.* 35. & 37. Sicque tres duntaxat

remanent

remanent ſententiæ, inter quas babendus eſt in præſenti delectus. Prima de tortura per calorem igneum obedientialiter receptum in ſpiritibus. Secunda per qualitatem ſpiritualem doloriferam. Tertia per ſolam intellectionem experimentalem ignis, & triſtem affectum voluntatis indè conſequentem. In boc ſententiarum ternario, ut unicam tandem præligam, ſit

---

§. VI.

Quænam ſit potiſſima tortura quam Angeli damnati patiuntur ab igne corporeo?

45. Collocatur tandè potiſſima dæmonum tortura in qualitate ſpirituali dolorifera.

ASSERT. Potiſſima tortura, quam Angeli damnati patiuntur, &c. melius explicatur per qualitatem ſpiritualem diſſonam & diſconvenientem in ipſis obedientialiter ab igne productam; quàm aut per calorem, etiam dato quod iſte poſſit in eorum ſubſtantia obedientialiter recipi, aut præcisè per actus ſpirituales vitales ſimiles, iis quos elicit anima, dum corpus ei unitum comburitur. Ità Suarez, Malonius, Peſantius, Lugus, Arriaga, Madernus locis ſuprà relatis, &c. contrà Auctores pro cæteris ſententiis adductos, §. *praced.*

Probatur prima pars: Qualitas aliqua ſpiritualis poteſt in Angelis obedientialiter ab igne produci, quia & ſubjectum ſpirituale eſt ſecundùm ſe capax ſpiritualis accidentis, & reſpectu effectus non vitalis cauſandi in ſolo genere efficientis datur in igne, & in qualibet creatura potentia obedientialis ad quodlibet; poteſt item eadem qualitas eſſe Angelo diſſona & diſconveniens, quia poteſt Angelum malè afficere, deturpare ipſum & vilitare, retardare quoad motum, hebetare quoad actus intellectus & voluntatis, aliaque hujuſmodi præſtare Angelo ingrata, & diſplicentia; & ratio à priori eſt, quia ità ſe habent proportionaliter qualitates ſpirituales ad ſpirituale ſubjectum ſicuti materiales ad materiale, ſicuti igitur ex iſtis aliquæ ſunt materiali ſubjecto conſonæ & convenientes, aliæ diſconvenientes & diſſonæ; ità etiam ex illis reſpectu ſubjecti ſpiritualis aliquæ erunt, &c. Atqui qualitas ſpiritualis ab igne producta, in malis Angelis recepta, iiſdemque diſconveniens & diſſona habet omnia requiſita ad potiſſimam torturam, quam Angeli damnati, &c. ergo potiſſima tortura quam Angeli damnati, &c. melius explicatur, &c. minor probatur talis qualitas ex eo

46. Aſſignantur in tali qualitate omnes conditiones potiſſimæ torturæ.

quod ſit quid phyſicum phyſicè in damnatis Angelis receptum, phyſicè (ſecundùm univerſalem doctrinam *n.* 38. præindicatam) ab igne productum, explicat damnatorum Angelorum torturam eſſe phyſicam & ab igne; ex eo quod ſit accidens capax intentionis & remiſſionis explicat eamdem torturam poſſe eſſe in diverſis damnatis diverſam & inæqualem; ex eo quod poſſit divinitùs ſaltem conſervari non præſente ſuo principio productivo explicat damnatus non ſecum ferendo ignem ipſum, poſſe ſecum ferre ignis pœnam; ex eo quòd proveniat ab aliquo ſecundùm ſe afflictivo ſenſuum, & cauſet triſtitiam diverſam ab eâ, quæ terminetur ad carentiam beatitudinis, explicat in pœna ignis rationem pœnæ ſenſus, ipſiuſque omnimodam diverſitatem à pœnâ damni; ergo qualitas ſpiritualis, &c. habet omnia requiſita ad potiſſimam torturam, &c.

Probatur ſecunda pars: Calor igneus, quamvis intenſiſſimus & in Angelo receptus, non poteſt Angelum graviter torquere; ergo per calorem etiam dato, quod poſſit in Angelis recipi non rectè explicatur potiſſima tortura, &c. & per conſequens meliùs iſta explicatur per qualitatem ſpiritualẽ, &c. conſequentia patet, antecedens probatur; calor igneus, quamvis, &c. nec poteſt Angelum graviter torquere ex ratione generica qualitatis materialis, nec ex ratione ſpecifica talis qualitatis: Non ex ratione generica qualitatis materialis, quia licèt hujus ignobilitas poſſit aliqualiter diſplicere ſpiritui, nobili præſertim & ſuperbo; non tamen taliter, qualiter dæmoni diſplicet pœna ignis; & nemo, ut arbitror, diceret Angelum divinitùs recipiendo lucem, aut albedinem, aut aliam quamcumque qualitatem materialem tam graviter fore torquendum, quam nunc in inferno torquetur. Non ex ratione ſpecifica talis qualitatis, quia calor, ut talis qualitas ſeu ut calor eſt, nullam habet ſpecialem diſconvenientiam cum ſpiritu, nam ſpecialis diſconvenientia caloris cum ſubjecto eſt, quia ſolvit ipſius temperamentum, quod in ſpiritu nullum eſt: Nec refert in calore præſertim gehennali excogitari poſſe ignobilitatẽ aliquam & vilitatem majorem, quã in luce, albedine, aliavè ſimili qualitate materiali; enim verò hic vilitaria exceſſus tantus non eſt, ut poſſit notabiliter augere diſconvenientiam, & cum non deſint materialia accidentia calore igneo ignobiliora, hæc in Angelo poſita inferrent majorẽ torturam, quam de facto inferat calor igneus gehennæ, quod certè eſt nimium detrahere gravitati gehennalis torturæ. Confirmatur: Calor, ſivè ſumatur ut qualitas materialis ſivè ut talis qualitas, non torquet niſi ſentiatur; materiale enim ut tale, ſivè in genere ſivè in ſpecie, eſt proprium ſpecificativum potentiæ ſenſitivæ, nec poteſt experimentaliter percipi aliter, quàm per ſenſum, ut mox *num. ſeq.* magis probabitur, atqui non poteſt ſentiri ab Angelo, quia Angelus non habet potentiam ſenſitivam, nec ſine potentia ſenſitiva poteſt elevari ad ſentiendum propter regulam generalem alibi traditam, quod vivens in uno genere vitæ non poſſit elevari ad actus vitales alterius generis, non oculus ad audiendum, non voluntas ad intelligendum & per conſequens neque intellectus ad ſentiendum.

47. Oſtenditur potiſſimam dæmonum torturam non poſſe haberi a calore.

48. Probatur tertia pars: Nec poſſunt dari in Angelo actus ſpirituales vitales omninò ſimiles iis, quos elicit anima, &c. nec per tales actus, ſi darentur, ſalvari poteſt phyſica

ſica ab igne tortura; ergo præciſè per actus ſpirituales vitales, &c. non rectè explicatur potiſſima tortura, quam Angeli, &c. conſequentia patet; probatur antecedens quoad primam partem, Actus ſpirituales vitales, quos elicit anima, &c. ſunt actus de objecto ſenſato; atqui non poſſunt dari in Angelo actus de objecto ſenſato, cum dari non poſſit in Angelo ſenſatio; ergo non poſſunt dari in Angelo actus ſpirituales vitales omninò ſimiles, &c. neque enim poſſunt eſſe omninò ſimiles actus, qui non ſunt de omninò ſimili objecto, præſertim conſtituendo, ut nos conſtituimus, actum quemlibet ex complexo potentiæ & objecti. Major probatur, actus ſpirituales, quos elicit anima, dum corpus ei unitum comburitur, non ſolùm ſunt de calore ipſo, ſed etiam ſunt de ſenſione caloris, ſunt enim de calore ut noxio, calor autem non eſt noxius animæ, niſi ut cauſat ſenſionem ut patet ex eo quod ſpecie caloris exiſtente in intellectu, calore verò ipſo non exiſtente in ſenſu, anima non capitur calorem ut noxium, nec torquetur:

Nec præciſè per actus ſpirituales vitales.

49. Probatur idem antecedens quò ad ſecundam partem, datis talibus actibus ignis non concurreret ad dæmonum torturam niſi eo modo, quo concurreret ad tales actus, nam in iſtis unicè tortura conſiſteret; atqui ad hos concurreret objectivè tantùm & intentionaliter, non phyſicè; ergo ſimiliter ad torturam objectivè tantùm & intentionaliter, non phyſicè concurreret; ergo per tales actus, ſi darentur, ſalvari non poteſt phyſica ab igne tortura; minor probatur, ignis concurreret ad illos actus non per aliquod præcedens nocumentum, quod inferret Angelo, ſed præciſè imprimendo calorem intellectui Angelico ad excitandam & cum intellectu concauſandam cognitionem ſimilem ei, quam habet anima, &c. vel etiam ſolùm movendo Deum ad ſupplendum mediante ſpecie intentionali tale caloris munus, ergo.

Dices primò contrà probationem primæ partis, nec dabilem eſſe aliquam qualitatem Angelo diſſonam & diſconvenientem; nec, ſi aliqua eſt dabilis, talem eſſe poſſe qualitatem ſpiritualem productam ab igne obedientialiter, nec tandem, ſi iſta qualitas eſt Angelo diſconveniens, eſſe poſſe diſconvenientè eâ diſconvenientiâ, quæ de facto reperitur in dæmonum tortura: Ratio primi eſt, quia omnia diſconvenientia & diſſonantia qualitatis cum ſubjecto oritur ex eo, quod vel ſolvat temperamentum ipſius, vel expellat ab ipſo formâ aliquam connaturalem? in Angelis autem damnatis nec ullum temperamentum ſolvitur, quia temperamento carent; nec forma ulla connaturalis expellitur, quia ſupponuntur retinere integra naturalia. Ratio ſecundi eſt, quia hujuſmodi qualitas, utpotè nec ab aliquo creato agente naturaliter producibilis, nec in aliquo ſubjecto connaturaliter receptibilis, eſſet forma ſupernaturalis, quæ ea genere ſuo ornat & perficit, adeóque delectat non torquet: Ratio tertij eſt, quia tortura dæmonum de facto debet explicare per aliquid habens ſpecialem proportionem cū combuſtione & ardore, quomodo autem poteſt talem propoitionē habere ſpiritualis qualitas nullatenùs ignis propria, & per potentiam obedientialem, per quam ab igne producitur, æquè producibilis ab aqua, aere, &c. Sed contrà:

50. Ad primum dico non afferri adæquatum diſconvenientiæ & diſſonātiæ principium; nam fætor, v. gr. olfactui, & fel palato diſplicet ac diſconvenit abſque eo, quod fiat in organis ſenſuum aliqua diſſolutio partium, aut expulſio qualitatum. Deindè, cur non poteſt excogitari reſpectu Angelorum qualitas aliqua contraria naturalibus ipſorum potentiis, ſi hæ aſſerantur à ſubſtantiâ diſtinctæ, aut ſaltem naturalibus actibus talium potentiarum, vel ſpeciebus intentionalibus, quas etſi actu obſervatam integritatem naturalium non expellat, tamen ratione virtutis expulſivæ diſſonet, & diſconveniat, & torqueat; Sicuti calor in aqua receptus eſſet diſconveniens, etiamſi divinitùs frigus non expelleret.

Qualitas ſpiritualis afflictiva Dæmonum non eſt neceſſe, quod aliquid ab ipſis expellat.

51. Ad ſecundum dico nullam apparere repugnātiam ſubſtātiæ creatæ, cui ſit connaturalis qualitas illa ſpiritualis; nihilominùs quia, juxtà generalem doctrinam alibi traditam, cæteris paribus præſumptio ſtat pro impoſſibilitate do talem ſubſtantiam creatam impoſſibilem eſſe & repugnantem, ſi non proptereà qualitas illa erit forma ſupernaturalis ſimpliciter, quia non erit ſpecialis participatio Dei ut eſt in ſe; erit igitur ſupernaturalis ſecundùm quid, ſeù præternaturalis, & infrà omnem naturam non ſupra, depreſſiva; non elevativa.

Præternaturalis eſt, non ſupernaturalis in ſubſtantiâ.

52. Ad tertium Lugus *hic diſp.* 28. *c.* 2. *n.* 50. exiſtimat qualitatem illam habere ſpecialem participationē naturæ vel proprietatis igneæ eo ferè modo, quo qualitates in ſubſtantia ſupernaturales ſunt ſpeciales participationes naturæ vel proprietatum Dei: Dequiros *diſp* 76. *num.* 20. vult eamdem qualitatem ex parte ſui poſcere non aliter fieri, quàm præviâ actione ignis, vel etiam prævio calore ab igne immiſſo; Utrumque aptè ſatisfaceret inſtantiæ, at primum eſt gratis dictum & videtur relabi in opinionem Bachonis de calore ſpirituali; ſecundum ſupponit etiam in ordine ad effectus non vitales inæqualem & diverſam in diverſis rebus potentiam obedientialem, quod mihi non probatur, ideò dico ſpecialem proportionem illius qualitatis cum combuſtione & ardore conſiſtere in eo quòd effectivè phyſicè ab igne proveniat, & habeat vim maximā cruciandi ſpiritus ſeparatos, ſicuti combuſtio & ardor habet vim maximā cruciandi animam corpori unitam, magis quàm infrigidatio, aut operatio quæcumque alterius materialis agentis; & hinc talis qualitas eſt aliqualiter propria ignis, & licèt potuiſſet etiam produci ab aquâ, aëre, &c. non tamen tàm convenienter, quàm ab igne. Neque dicas, ſaltem ex hoc non explicatur, cur qualitas hujuſmodi ſit ſimilior combuſtioni, quàm qualitas alligativa, de quâ ſuprà *num.* 37. Contrà

Proportio & ſimilitudo ipſius cū combuſtione.

enim: eſt ſimilior combuſtioni, quia ſicuti apud nos combuſtio magis torquet quàm vincula, ligamina, & impedimenta operandi, ita & dæmones magis torquet qualitas à nobis aſſerta, quàm qualitas purè alligativa.

Dices ſecundò contrà probationem ſecundæ partis: Calor igneus in Angelo receptus, quamvis non poſſit eum graviter torquere, ſi conſideretur naturaliter, ſecùs tamen, ſi conſideretur obedientialiter & ut inſtrumentum Dei; hoc enim modo, cur non poterit præſtare illud ipſum, quod per nos præſtat qualitas ſpiritualis; ſi autem præſtare id poteſt, utique de facto præſtat, quia dicendo dæmones de facto calore torqueri meliùs procul dubio, quàm ullo alio torturæ modo ſalvatur ignem exercere in dæmones combuſtionem & ardorem juxtà auctoritates ſuprà relatas *n.35*.
53. Sed contrà: ut ab hoc ultimo incipiam, quãdo dæmones calore igneo in ſe recepto torquerentur, adhuc certè non cõburerentur propriè & abſque metaphora, quia (niſi juxtà ſententiam cujus meminimus *praced. n.41.* exiſtimentur conſtare materiâ ſpiritualizatâ, in qua exiſtimatione libenter in præſenti tormentum intenſiſſimi caloris cæteris omnibus præferrem) non diſponerentur ad corruptionem & ad converſionem in ignem, quod eſt propriè ſecluſaque omni metaphora cõburi & ardere, imò, quidquid contrà ſentiat Lugus *hic diſp.28.*
c.2. n.49. nec in rigore denominarentur calidi, quia forma non denominat quodcumque ſubjectum, in quo recipitur, ſic gratia vel intellectio, ſive per poſſibile ſive per impoſſibile, recepta in lapide nec gratum nec intelligentem denominaret lapidem, eo quod utraque hæc denominatio requirat ſubjectum rationale; eodem modo calor non denominaret calidum eo, quod denominatio calidi requirat ſubjectum capax formæ ignis: Quando igitur calori materiali, non ſpirituali qualitati tribueretur dæmonũ tortura, adhuc non ſalvarentur abſque omni metaphora præallatæ auctoritates, quamvis negari nequeat, quin meliùs explicaretur torturam illam eſſe propriam ignis & ſimilem veræ combuſtioni, adeoque de facto
54. aſtruendam, ſi foret poſſibilis; at poſſibilis non eſt: ad id, quod objiciebatur calorem obedientialiter & ut inſtrumentũ Dei poſſe præſtare illud, quod per nos præſtat ſpiritualis qualitas, dico verum id fore, ſi ſpiritualis qualitas torqueret aliquid efficiendo, at torquet per ſe ipſam formaliter; & in genere cauſæ formalis quod præſtatur ab una forma, neque etiam obedientialiter præſtari poteſt ab alia diverſæ rationis. Neque dicas: dolor formalis conſiſtit in perceptione qualitatis doloriferæ, non in qualitate ipſa; ergo hæc per ſe non torquet formaliter. Contrà enim: benè procedit antecedens de dolore formali vitali, non de dolore formali objectivo.

Angelus calore in ſe recepto nec propriè cõbureretur nec denominaretur calidus.

Dices tertiò contrà probationem tertiæ partis: Animæ ſeparata & Angelus poſſunt divinitùs elicere omnes illos actus ſpirituales, quos poteſt elicere animæ unita; omnes enim hujuſmodi actus ſunt intrà rationem formalem intellectus & voluntatis; quælibet verò potentia vitalis elevari poteſt ad quoſlibet actus contentos intrà propriam rationem formalem: ergo verè dari poſſunt in Angelo actus ſpirituales vitales omninò ſimiles iis, quos elicit animæ, dum corpus ei unitum comburitur: Nec ſufficienter reſpondetur hos actus habere pro objecto ſenſationem organicam præſentem & actualem, quæ non eſt dabilis in anima ſeparata & Angelo, ideò non defectu potentiæ vitalis, ſed defectu objecti dari non poſſe in anima ſeparata & Angelo actus ſpirituales ſimiles iis, quos elicit anima, &c. Non ſufficienter, inquam, reſpondetur, nam ſicuti poni poteſt aut conſervari ſenſatio objecti objecto ipſo non exiſtente, puta viſio albedinis non exiſtente albedine, ità ſimiliter conſervari poterit, aut poni, intellectualis perceptio ſenſationis non exiſtente ſenſatione: Hujus inſtantiæ doctrinam commendant & ampliant Arriaga *diſp.86. ſect.5.* & Dequiros *diſp.76. ſect.5. & 6.* Sed contrà: accepto 55.
allatam in inſtantia ipſa reſponſionem, & ad hujus impugnationem nego paritatem, quia ſenſatio utpotè actus vitalis non poteſt à Deo ſuppleri, ſicuti tamen ſuppleri poteſt albedo aut aliquod aliud objectum ſenſibile, ideò ex eo, quod dabilis ſit viſio, ſeu ſenſibilis perceptio albedinis albedine non exiſtente, malè infertur dabilem eſſe experimentalem cognitionem, ſeu perceptionem intellectualem ſenſationis, ſenſatione ipſa non exiſtente. Neque urgeas, ad perceptionem intellectualem ſenſationis nihil aliud ex parte objecti requiritur, quàm intentionalis ſpecies ſenſationis; at Deus tam poteſt producere intentionalem ſpeciem ſenſationis non exiſtente ſenſatione, quàm intentionalem ſpeciem objecti ſenſibilis non exiſtente objecto ſenſibili; ergo tam poteſt dari intellectualis perceptio ſenſationis non exiſtente ſenſatione, quàm ſenſibilis perceptio albedinis non exiſtente albedine. Contrà enim: ad intelligendam ſenſationem quomodocumque, utique ſufficit ſpecies intentionalis: non ſic ad percipiendam ipſam experimentaliter, quia experiri ſenſationem non eſt præcisè eam intelligere; ſed ab ea vitaliter affici, quod nequit per ſpeciem ſuppleri.

Poteſt percipi objectũ ſenſibile nõ exiſtens ac non ſenſatio ipſa.

§. VII.

De inæqualitate pœnæ aliiſque nonnullis ad Angelos damnatos ſpectantibus.

ASSERT. In Angelis damnatis inæqualis eſt pœna, tùm ſenſus, tùm etiam damni. Quoad pœnam ſenſus aſſertum eſt communiſſimum; quoad pœnam damni eſt contrà Capreolum *in 4. diſt.22. q. 1. & 3.* 56.

Angeli dãnati habent inæqualem pœnam etiam dãni.

Durandum

Durandum *eod. diſt. q.1. n.8.* alioſque nonnullos exiſtimantes pœnam damni capacem non eſſe inæqualitatis, contrà quos ſentiunt Scotus *in 4. diſt.50. q.6.* circa finem, Lauræa *in 4. tom.4. diſp.13. art.11.* Suarez *hic lib.8.c.5.* Lugus *diſput.27. c.4. n.39.* & alij Theologi magis communiter.

Probatur: in Angelis damnatis inæqualis eſt culpa, ergo etiam inæqualis eſt pœna quæ ſicuti in Angelis æquè ac in hominibus culpæ correſpondet, ità debet in utriſque ſervare proportionem cum culpâ; & quidem quoad pœnam ſenſus facilè explicatur inæqualitas penes inæqualem intenſionem illius qualitatis, quâ ſpiritus damnati ab igne obedientialiter elevato torquentur; quoad pœnam damni, quamvis ut eſt pura privatio inæqualitatē non admittat eo quòd quemlibet damnatum privet totaliter viſione Dei, aliove quolibet ſupernaturali bono; ut tamen connotat aliquod poſitivum, aut antecedens, aut ſubſequens, poteſt inæ-

57. *Inæqualitas pœnæ dãni in quonam conſiſtat?* qualitas explicari multipliciter: Primò ſcilicet ex inæqualitate gratiæ & juris ad gloriam dici poſſunt pati majorem pœnam damni illi, qui in via habuerunt majorem gratiam; & hic inæqualitatis modus, quamvis non correſpondeat inæqualitati culpæ in hominibus, in quibus non ſemper excidit à majore gratia qui graviùs peccat; poſſet tamen probabiliter ſuſtineri correſpondens in Angelis damnatis, in quibus & gratia data fuerat cum proportione ad perfectionem naturæ juxtà ſupradicta *c.1. §.4.* & probabile eſt eos, qui fuerunt in natura excellentiores, fuiſſe etiam deteriores in culpâ: Secundò ex inæqualitate triſtitiæ & doloris, quatenùs qui graviùs peccarunt, magis triſtantur & vehementiùs dolent de carentia viſionis divina providentia attemperante talem triſtitiam & dolorem proportionatè ad culpam; hic inæqualitatis modus valdè propriè convenit pœnæ damni in ſententia docente triſtitiam de pœna damni ad pœnam damni pertinere; & eſſe pœnam ſenſus illam ſolam, quæ ad ignem conſequitur vel ad aliquam aliam rem ſenſibilem; non illam omnem, quæ in aliquo poſitivo conſiſtit: Tertiò ex inæqualitate cauſæ; privatio enim ſicuti dicit ordinem non ſolùm ad formam, quâ privat; ſed etiam ad cauſam undè provenit, ità ejus inæqualitas poteſt etiam aliqualiter à cauſa dcſumi; damnati igitur propter plura aut graviora peccata dici poſſunt habere majorem pœnam damni, majoremvè carentiam viſionis & gratiæ eo quod apoſuerint majorem cauſam talis carentiæ, ut latiùs explicat Lugus *cap.pracit.num.49.* Nobis in difficultate levis momenti nec Angelorum propria, ſed omnibus damnatis communi placet non admodùm immorari; eademque de cauſa breviter hic expediemus alia nonnulla ad pœnam, & ſtatum damnationis pertinentia.

58. *Pœna dãni eſt gravior pœna ſenſus.* Dubitatur autem primò: Utrùm pœna damni ſit gravior pœnâ ſenſus? Reſpondetur affirmativè, ratio eſt quia viſio in genere boni eſt incomparabiliter magis bona, quàm in genere mali ſit mala pœna ſenſus, undè *in tract. de Beatitud. lib.3. cap.2.n.19.* dicemus torturam ignis gehennalis reſpectu videntis eſſe malum leviſſimum, & nullius momenti; ergo licèt fortè carentia boni non ſit ex genere ſuo tam mala, quàm eſt bona forma oppoſita, tamen carentia boni comparata ad malum, quod reſpectu boni, quo ipſa privat, leviſſimum ſit, non poteſt non eſſe tali malo pejor; atqui pœna damni conſiſtit in carentia viſionis, quæ in genere boni eſt incomparabiliter magis bona, quàm in genere mali ſit mala pœna ſenſus, & hanc reſpicit ut malum leviſſimum; ergo pœna damni conſiſtens in carentia viſionis eſt pejor & gravior pœna ſenſus. Confirmatur ex D. Chryſoſtomo *homil.13. in epiſt. ad Philip* dicente *Tantum malum mihi videtur de tanta gloria cecidiſſe, ut gehennam pro nihilo habeam pra hoc damno & ruina.* Nec mirum eſt vix nos percipere magnitudinem pœnæ damni ejuſque exceſſum ſuprà pœnam ſenſus, cum vix etiam percipiamus magnitudinem & excellentiam beatæ viſionis, penes quam præcipuè pœna damni menſuranda eſt.

Dubitatur ſecundò, utrùm triſtitia & dolor de amiſſa beatitudine ſeu de carentia viſionis ſit pœna damni, an pœna ſenſus? Affirmat eſſe pœnam ſenſus Durandus & Capreolus *locis pracit.* item Molina *hic quaſt.64. art.3. diſp.2.* Vaſquez *diſp.242. cap.2.* &c. exiſtimant eſſe pœnam damni ſeu ſub pœna damni comprehendi Scotus *in 4. pracit. q.6.* Gabriel *in 4. diſt.22. art.3.* Malonius *in 2. diſt.6. diſp.21.* Quaſi problematicè loquitur Lugus *hic diſp.27. cap.4. num.31.* Controverſia reducitur ad quæſtionem de nomine, in qua ad loquendum de pœna damni & ſenſus cum majori diſtinctione unius ab alia, & ad meliùs explicandam in pœna damni capacitatem inæqualitatis mallem triſtitiam & dolorem de carentia viſionis collocare ſub pœnâ damni quam pœnâ ſenſus; cui tamen non deeſt ſua etiam triſtitia ſuuſque dolor de nocumento poſitivo illato ab igne. 59. *Continet ſub ſe in damnatis triſtitiam aliquam.*

Dubitatur tertiò: Utrùm talis ſit triſtitia & dolor dæmonum, ut de re nullâ gaudium, delectationemvè admittant? Affirmant & aſtruunt ſaltem antè finale judicium levem aliquam delectationem in dœmonibus Alenſis *2. part. quaſt. 160. memb. 4. art. 1. & 2.* Gregorius *in 1. diſt. 1. quaſt. 2. art.2. ad 3.* Suarez *hic lib.8.cap.5.* Lugus *diſp.27.cap.4. num.29.* Arriaga *diſp.26. ſect.9.* Negant & excludunt à dæmonibus omnem prorsùs delectationem propriè dictam admiſſa in iiſdem dumtaxat aliqua ſimplici cõplacentiâ Ochamus *in 2. quaſt.19 ad 7. dub* Gabriel *diſt.7. quaſt.1. art.3. dub 1.* Molina *hic quaſt.64. art 3. diſp.3.* Vaſquez *diſp.242. cap.3.* Herinex *diſp. 5. quaſt.6. num. 49.* & alij quorum ſententiam ut probabiliorem amplector; quia conformior eſt infrà dicendis *tract. de Beatitud. lib. 3. cap. 2. §. 7.* de carentia cujuſcumque triſtitiæ in beatis, eâdem quippè ratione, quâ vehemens gaudium beatorum omnem triſtitiam, vehemens triſtitia dam- *Triſtitia dæmonũ nullam prorsùs delectationem ...*

ctationem admittit.

natorum omne gaudium excludit; ſicuti enim eadem eſt contrarietas, ità eadem eſt vis in triſtitia ad excludendum gaudium, quæ in gaudio ad excludendã triſtitiam; undè etiã ſicuti ibi dicetut ex natuta rei, non ex decreto Dei extrinſeco, beatos omni carere triſtitia; ità & proportionaliter loquimur in præſenti.

Dices diverſam eſſe rationem de beatitudine, ac de damnatione; quia beatitudo eſt ſummum bonum, ideò debet omne malum excludere, & inter alia malum triſtitiæ; at ſummum malum non eſt dabile & per conſequens damnatio ſummum malum non eſt, ut excludere debeat omne bonum & inter alia bonum cujuſcumque delectationis: Vndè ſicuti non valeret hæc conſequentia: Beatitudo nullã admittit cognitionem falsã, ergo dunnatio nullam admittit cognitionem verã; ità nec valet conſequentia illa: Beatitudo nullum admittit actum triſtitiæ; ergo damnatio nullum admittit actum lætitiæ.

61\. Damnatio eſt malum ſummum in aliquo genere.

Sed contrà: licèt damnatio non ſit malum ſummum in omni genere, eſt tamen tale in genere contriſtativi & afflictivi; debet igitur ſaltem in hoc genere excludere omne bonum contrarium, adeoque omnem delectationem, omnemque lætitiam. Deindè allata diſparitas faceret hic ad rem, quoties oſtenderetur aliundè neceſſitas tribuendi damnatis delectationem.

Vrgebis verè oſtendi aliundè talem neceſſitatem primò auctoritate ſacræ Scripturæ Pſal. 12. *Qui tribulant me exultabunt, ſi motus fuero* Pſal. 29. *Nec delectaſti inimicos meos ſuper me* Pſal. 37. *Nequando ſupergaudeant mihi inimici mei*; ex quibus & ſimilibus locis inferunt communiter Sancti Patres gaudere & exultare dæmones, dum nos tentationibus vincunt & inducunt ad peccatum; & confirmari hoc poteſt ex cachinnis, in quos ſæpè improbi ſpiritus erumpetunt propter hominum lapſus ut pluribus exemplis tradit Beda *lib. 5. hiſtoria cap. 13.* Secundò auctoritate Sanctorum Auguſtini & Thomæ; ille enim *lib. 2. Gen. contrà Manich. cap. 17.* ait de dæmone *Pœna ejus eſt, ut in poteſtate habeat eos, qui Dei præcepta contemnunt* (nonnullis interpoſitis) *& indè major pœna eſt, quia de hac tam infelici poteſtate lætatur*; iſte 1. *part. quæſt. 64. art. 3. ad* 1. reſpondens ad recitata Auguſtini verba, ea approbat, & ait *Nihil prohibet unum ſimul dolere de uno & gaudere de alio.* Tertiò ratione, quia negari non poteſt plura dæmonibus evenire ſecundùm ipſorum deſiderium, ex conſideratione autem talium eventuum connaturaliter reſultat delectatio & gaudium; quod enim abſens deſideratur, factum præſens delectat.

62\. Sed contrà: dico auctoritates intelligendas eſſe de gaudio impropriè dicto & ſumpto pro ſimplici complacentia, non de gaudio propriè tali & à ſimplici complacentia contradiſtincto: Neque hic contrà nos militat generalis regula de præferendo ſenſu proprio: Non militat, inquam, primò quia in ſenſu proprio relata verba nimis probarent nam *exultare & ſupergaudere* lætitiam valdè ingentem ſignificant, qualem nec Adverſarij in damnatis agnoſcunt: ſecundò, quia relati textus in rigore procedunt de inimicis hominibus in hâc vitâ, & nonniſi per ampliationem quamdam & acceptionem minùs propriam extenduntur ad dæmones; Tertiò, quia ſolùm cæteris paribus ſenſus proprius præferendus eſt.

Mens D. Thomæ circà dæmonum gaudium.

Quoad D. Thomam ſpecialiter addo intelligi debere de gaudio phantaſtico, de hoc enim expreſsè loquitur *in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 4.* ubi clariùs habet dæmones gaudere, dum homines ad peccata pertrahunt, vocat autem gaudium phantaſticum, non quatenùs dæmones ſibi ipſis videantur gaudere, cum re vera non gaudeant; ſed quatenùs ità ſe gerunt ac ſi gauderent, & nobis quandoque ſe tanquam gaudentes oſtendunt, & cachinnis lætitiam ſimulant: hæc doctrina poteſt etiam aliis præallatis auctoritatibus inſervire.

63\. Non omne quod deſideratur, [illegible]lectat dum poſſidetur.

Ad rationem dico, quod abſens deſideratur factum præſent delectat, ſi factum præſens proſit & emolumentum aliquod afferat, item ſi non adſit contrarium vehementiſſimum ejus vim retundens; cæterùm ſicuti ex dicendis *præcit. §. 7.* malum præſens quod non nocet, aut quod reperit in ſubjecto vehementiſſimum gaudium, ſimplicem diſplicentiam, non triſtitiam terminat; ità proportionaliter, &c. Nec mirandum magis eſt, quòd Angeli damnati de peccatis noſtris propriè non gaudeãt, quàm quòd Angeli beati de iiſdem propriè non triſtentur; cùm non minùs plures ex iſtis ad ea impedienda, quàm plures ex illis ad ea inducenda incumbant.

Occaſione hujus quaſi concertationis beatos inter & damnatos Angelos plura hic opportunè tradi poſſent tùm de illorum tutela & cuſtodia, tùm de iſtorum infeſtatione & oppugnatione in homines viatores; nec deſunt qui abundè & eruditè huic tractatui utrumque permiſceant, & in primis D. Thomas 1. *p. à q.* 111. *ad* 115. Eſtius *in* 2. *diſt. 6. §. 16. & 17.* item *diſt. 10. & 11.* Amicus *hic diſp. 19.* Lugus *diſp. 22. & 29.* Arriaga *diſp. 22. & 27.* Herincx *diſp. 4. q. 7. 8. & 9.* Nobis in ſe facillima & ad eruditionem magis, quàm ad diſputationem, pertinente ſufficiat indicaſſe, undenam ſuppleri poſſint, quæ deſiderari hic patimur; dum difficiliora & abſtructiora, quæ hucuſque protulimus, tutelaribus Angelis deferimus, & Eccleſiæ judicio ſubjicimus.

LIBER PRIMUS.

DE BEATITUDINE OBIECTIVA, & ultimo fine hominis.

ECCE titulum re plurimâ plenum: Ecce vocem, cujus uberrimam ſignificationem nulla periodus, nulla elocutio, oratio nulla poſſit adamuſſim exprimere. Hujus tituli, hujuſque vocis ſub cortice bonum omne, omnis felicitas, omne appetitus illicium, omne voluntatis incitamentum concluditur: Hinc omnes intellectualis creaturæ actus ſuam ſpeciem, ſuam formam, ſuam perfectionem derivant: huc omnes humani motus, huc omnes intermedij fines collimant; nec præfixo titulo ſatisfieri, ut par eſt, poteſt, niſi tractatio per ampliſſimum humanorum actuum campum, per totam finalis cauſæ materiem divagetur, & plura moralia, philoſophica item plura percurrat; at quia hæc inſtituti noſtri propoſitum, & Theologiæ purè ſcholaſticæ methodum violarem, ſolùm Theologica, ſolum ſcholaſtica expoſcentes breviores huic tractatui limites decernemus, & quæ de humanis actibus deſiderari patimur, dum ſejunctim moralia Deo dante tractabimus, opportuniùs, uberiúſque proſequemur: In præſenti verò huic primo libro de Beatitudine objectiva, & fine ultimo, ſolùm alij duo libri ſuccedent, quorum alter de Beatitudine formali, alter de iis, quæ Beatitudinem conſequuntur, inſcribetur.

Diviſio totius tractatus.

CAPUT I.

Præmittuntur nonnulla de Beatitudine objectiva & ultimo fine in communi.

LICET Beatitudinis nomen abſolutè prolatum ſecundùm uſitatiorem loquendi modum ſtet pro beatitudine formali potiùs, quàm pro objectiva; nihilominùs, quia iſta aliqualiter illam præcedit, & cum fine ultimo meliùs beatitudo objectiva, quàm formalis coïncidit, formali objectivam præmittimus; ut & ordo, quem ſecundùm ſe utraque ſervat, in utriuſque explicatione ſervetur, & in hujus tractatus limine aliquid, ut moris eſt, de ultimo fine magis appoſitè, magiſque ad rem dicatur.

---

§. I.

In quibuſnam conveniant, in quibuſnam differant Beatitudo objectiva, & finis ultimus?

ASSERT. 1. Beatitudo objectiva, & finis ultimus, quoad rem utroque nomine importatam conveniunt omnimodè, imò ſunt unum & idem. Ità Theologi communiter cum D. Thoma 1. 2. *q.* 1. *art.* 8. *in c.* & D. Auguſtino *lib.* 19. *de Civit. c.* 1.

Beatitudo objectiva & finis ultimus quoad rem ſunt idem.

Probatur. Summum bonum eſt tùm beatitudo objectiva, tùm finis ultimus; ergo beatitudo objectiva & finis ultimus quoad rem, &c. Probatur antecedens primò ex D. Auguſtino *cap.* 11 *præcit.* ubi loquens de eo quod efficit hominem beatum ait, *Illud eſt finis boni noſtri, propter quod appetenda ſunt cætera, ipſum autem propter ſe ipſum: Finem ergo boni nunc dicimus, non quo conſumatur, ut non ſit; ſed quo perficiatur, ut plenum ſit*, & nonnullis interpoſitis, *fines itaque iſti ſunt ſummum bonum*, &c. Ecce D. Auguſtinus vult rationem beatitudinis in ratione ultimi finis, & rationem ultimi finis in ſummo bono conſiſtere, adeoque vult ſummum bonum eſſe tùm beatitudinem objectivam, tùm finem ultimum; & hæc tria, Summum bonum, Beatitudo objectiva, finis ultimus, eſſe quaſi ſynonima. Probatur idem antecedens ſecundò, beatitudo objectiva eſt id, cujus poſſeſſione voluntas maximè ſatiatur ac perficitur: Finis ultimus eſt id, quod à voluntate maximè & ſuper omnia appetitur; ſed ſummum bonum eſt tùm id, cujus poſſeſſione voluntas maximè ſatiatur, tùm id, quod à voluntate maximè appetitur: ergo eſt tùm beatitudo objectiva, tùm finis ultimus; Minor probatur, eſt de

Beatitudo objectiva, finis ultimus, ſummum bonum ſe habent ut ſynonima.

ratione formali ejus, quod à voluntate maximè appetitur, ſui poſſeſſione voluntatem maximè ſatiare, maximéque perficere; eſt item de ratione formali boni eſſe à voluntate appetibile, & conſequenter de ratione formali boni ſummi eſſe ſummè, maximéque appetibile; ergo ſummum bonum eſt tùm id &c.

Dices: Summum bonum eſt aliquid unicum, & determinatum in particulari non ſic beatitudo objectiva & finis ultimus; diverſi enim homines diverſas res pro beatitudine objectiva & fine ultimo ſibi conſtituunt, ut patebit ex infrà dicendis; ergo ſummum bonum non eſt tùm beatitudo objectiva, &c. Sed contrà: Diverſos homines
3. diverſas res pro beatitudine objectiva, & fine ultimo ſibi conſtituere, oſtendit utrumque eſſe quid varium & multiplex interpretativè, affectivè, & in falſa hominum opinione; cum quo ſtat utrumque eſſe quid unicum, & in particulari determinatum entitativè, effectivè, & in re ipſa; hac verò etiam ſolùm ratione ſummum bonum eſt aliquid unicum, & determinatum in particulari.

Beatitudo objectiva & finis ultimus quomodò differant.

Aſſert. 2. Beatitudo objectiva & finis ultimus differunt ab invicem quoad connotata, & quoad munera quæ exercent.

Probatur & explicatur. Finis ultimus dicitur in ordine ad plura, quàm dicatur beatitudo objectiva, hæc quippè dicitur ſolùm
4. in ordine ad creaturas intellectuales, quæ ſolæ ſunt capaces beatitudinis formalis; ille dicitur etiam in ordine ad alias creaturas, quæ omnes, ſicuti ſunt à Deo ut à primo principio, ità eundem reſpiciunt ut ultimum finem. Finis ultimus dicit ordinem ad media, movet intentionaliter appetitum, & maximè finalizat quando ut poſſidendus & abſens deſideratur: Beatitudo ut talis nec cauſalitatem in media, nec motionem intentionalem exercet; & maximè beat, quando ut præſens, & poſſeſſa delectat. Finis ultimus non dicitur de Deo ad intrà ut colligitur ex D. Thoma 1. *p. q.* 19 *art.* 5. *in corp.* & ex profeſſo dicebimus inferiùs §. 4. non exercet ſcilicet munus ſuum, ſuamque cauſalitatem in ordine ad actiones divinas immanentes; benè verò dicitur de Deo ad intrà beatitudo objectiva, objectum ſcilicet beatificum maximè exercet in Deo ad intrà munus beandi, & Deus ad intrà ſummè beatus eſt.

Finis ultimus non dicitur de Deo ad intrà benè tamen beatitudo.

5. Ex his habes beatitudinem & ultimum finem non eſſe quidem duas voces prorsùs ſynonimas, ſicuti ſunt enſis & gladius, veſtis & indumentum, quæ rem tùm entitativè & materialiter, tùm etiam connotativè & formaliter ſeu in ordine ad ſuorum munerum exercitium prorsùs eandem ſignificant, eſſe tamen quaſi ſynonimas, quatenùs illud, quod ſignificant, eſt entitativè & materialiter unum & idem, licèt connotativè & formaliter diverſum: & non niſi hanc connotativam diverſitatē evincit quidquid afferri poteſt ad probandum differre ſimpliciter beatitudinem & ultimum finem, dummodò ſervetur inter utrumque proportio, comparetur ſcilicet finis ultimus ſimpliciter ad beatitudinem ſimpliciter, finis ultimus naturalis ad beatitudinem naturalem, ſemperque ſumantur ſub eodem genere beatitudo & finis ultimus.

---

§. II.

Quid, & quotuplex ſit finis ultimus?

Finis ultimi definitio.

Assert. 1. Finis ultimus eſt bonum, quod propter ipſum, & propter quod cætera appetuntur. Colligitur hæc definitio ex Ariſtotele pluribus in locis, præſertim verò ex 1. *Ethic. cap.* 2. traditur etiam à Theologis communiter in limine hujus tractatus, quamvis ſub diverſis variiſque terminis: cur nobis ſub mox aſſertis terminis magis arrideat? ipſorum explicatione conſtabit. Ideò aſſertum 6.

Probatur & explicatur. Dicitur *bonum* quia ſermo hic eſt de fine non prout ſignificat terminum, quo res finitur; ſed prout ſignificat cauſam finalem, quâ voluntas movetur, movetur autem voluntas à bono tanquam à proprio objecto, undè etiam ait D. Thomas 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. *in corp.* Objectum voluntatis eſt finis & bonum: ſtat porrò ly *bonum* loco generis, quia non omne bonum eſt objectum voluntatis per modum finis, præſertim ultimi. Dicitur *quod propter ipſum*, nam finis movet agens propter ſe, ſeu gratia ſui; libentiùs autem poſuimus ly *quod propter ipſum*, quàm ſicuti magis communiter poni ſolet, *cujus gratia*, ut aſſerta definitio meliùs complecteretur diviſionem mox inter cæteras referendā in finem cujus gratia, & in finem cui, in quâ diviſione unum membrum videtur cum toto diviſo confundi, dum finis in univerſum definitur eſſe id cujus gratiâ: cæterùm in re ly *quod propter ipſum* idem ſonat ac cujus gratia, ſeu quod ſui gratia; utræque ſcilicet particulæ ſonant, 7.
cujus bonitate & amore, ſeu quod ſui bonitate & amore; & quidem quatenùs ly *quod propter ipſum* ſumitur pro eodem, ac quod ſui bonitate importatur formalis ratio finalizandi, quæ eſt bonitas finis; quatenùs ſumitur pro eodem ac quod ſui amore importatur conditio requiſita ad finalizandum, ut enim bonitas finalizet, debet eſſe cognita & intenta ſeu amata. Dicitur *& propter quod* 8.
cætera appetuntur, quibus particulis explicatur propria finis cauſalitas, quæ eſt movere voluntatem ad operandum propter finem & conſequenter ad volendum ea quæ conducunt & ordinantur ad ipſum; poſui autem ly *cætera*, ut ſi ſermo ſit de fine ultimo ſimpliciter, ſupponere poſſit pro aliis omnibus rebus ſimpliciter; ſi ſermo ſit de fine ultimo ſecundùm quid & in aliquo determinato genere, ſupponere poſſit pro aliis rebus ejuſdem generis. Porrò quomodò propter ultimum finem cætera appetantur magis explicabitur *cap. ſeq.* §. 1. & 2.

Finis bonitas eſt ratio formalis, finis amor eſt conditio in ordine ad finalizandum.

Aſſert. 2.

8. Aſſert. 2. Plures & variæ aſſignari poſſunt finis ultimi diviſiones, præſertim loquendo de diviſionibus quæ fini ultimo conveniunt non ſolùm ſecundùm propriam conditionem finis ultimi, verùm etiam ſecundùm communem & genericam rationem finis. Ità Theologi communiſſimè, qui ſolent hic hujuſmodi diviſiones ex variis Angelici, & Philoſophi locis deſumptas enumerare & explicare: Inter præcipuas, & magis ad rem præſentem pertinentes.

Finis diviſiones.

Prima diviſio ſit in finem *qui*, finem *quo*, & finē *cui*: Finis *qui* eſt res ipſa finalizans; finis *quo* eſt talis rei adeptio, ſeu conſecutio; finis *cui* eſt ſubjectum, cui talis res appetitur & acquiritur: Finis *qui* comparatus ad finem *quo* dicitur etiam finis objectivus, & finis *quo* finis formalis; comparatus verò ad finem *cui* dicitur etiam finis cujus gratia, & finis *cui* finis in cujus gratiam. Contendunt aliqui hîc ſolum finem *qui* habere propriam rationem finis, tùm quia in ipſo ſolo relucet bonitas movens voluntatem, & exercens propriam finis cauſalitatē; tùm quia ſi etiam finis *cui* eſſet propriè finis, nullus finis *qui* eſſet finis ſimpliciter ultimus, & non ordinatus ad alium finem propriè talem; cum omnis finis *qui* ordinetur ad finem *cui*. Nihilominùs cum Amico *tom. 3. diſput. 1. ſect. 1. n. 8. & 11.* meliùs dicitur hæc omnia habere propriam, imò unicam rationem finis; quatenùs bonum, quo appetitus movetur, completè ſumptum in bonitate objecti à ſubjecto acquiſita & poſſeſſa conſiſtit, nec ægrotus v.g. ſanitatem quodammodò in abſtracto intendit, ſed ſanum in concreto, quod eſt dicere ſanitatem acquiſitam à ſubjecto, ſeu ſanitatem tanquam finem *qui*, acquiſitionem tanquam finem *quo*, ſubjectum tanquā

Prima in finem qui, finem quo & finē cui.

9. finem *cui*. Ex his facilè ſolvitur prima pars rationis dubitandi dicendo bonitatem, quā voluntas movetur, quamvis principaliùs reluceat in fine *qui*, ſimpliciter tamen & abſolutè ſitam eſſe in ipſo ut integrante unum quid cum fine *quo* & fine *cui*, non in ipſo ſolo: ad ſecundam partem rationis dubitandi dico in rigore finem *qui*, & finem *cui*, non eſſe propriè duos fines, ſed duas partes unius finis, & dum ordinatur finis *qui* ad finem *cui*, non ordinari unum finem ad alium finem, ſed unam partem ad aliam partem ad conſtituendum eundem finem; verum quidem eſt finem abſolutè prolatū potiùs ſtare pro fine *qui*, quàm pro fine *cui*; quia finis *qui* eſt pars principalior, cum in ipſo magis reluceat cauſalitas finalis, & ſit perfectivus finis *cui*.

10. Secunda ſit in finem ultimum ſimpliciter, & in finem ultimum ſecundùm quid: Finis ultimus ſimpliciter eſt, qui in omni actionum & rerum genere ultimò expetitur, adeò ut ad ipſum alia omnia ordinentur: ipſe ad aliud non ordinetur, ſed propter ſe & gratia ſui intendatur. Finis ultimus ſecundùm quid eſt, qui ultimò expetitur ſolùm in aliquo determinato actionum & rerum genere; ſic ſanitas eſt finis ultimus in rebus & actionibus medicinalibus, victoria in rebus & actionibus militaribus: Ille dicitur etiam finis ultimus univerſalis, iſte finis ultimus particularis; quatenùs ad illum tota actionum & rerum univerſitas, ad iſtum ſolùm particularis actionum & rerum ſeries refertur. Neque dicas; finis ultimus ſecundùm quid & particularis ordinatur ad finem ultimū ſimpliciter & univerſalem, cum ad hunc omnia ordinentur: ergo reſpectu finis ſimpliciter ultimi eſt mediū, ergo non poteſt poni tanquam membrum dividens finem, alioqui finis divideretur in mediū, & in aliquid, quod non eſt finis. Contrà enim: in fine ultimò ſecundùm quid conſiderari poteſt tùm ratio boni jucundi aut honeſti, tùm ratio boni utilis; ſecundùm hanc finis ultimus ſecundùm quid habet rationem medij, ſecundùm illam habet veram rationem finis & rectè ponitur tanquam membrum dividens finem; nec in controverſia eſt, utrùm res eadem ſecundùm diverſam bonitatem poſſit eſſe finis & medium; quamvis ſit id in controverſis de re eadem ſecundùm eandem bonitatem, & illud apertè admittit Vaſquez *t. 2. diſput. 4. c. 1.* quamvis deinde *c. 2.* hoc alterum acerrimè neget, velitque abſolutè intermedia ſecundùm bonitatem utilem, ſecundùm quam ſunt intermedia, non poſſe habere rationem finis, in quo puncto contrà Vaſquiū ſentiunt Ioannes à S. Thoma *hic diſp. 1. art. 4.* Gonet *diſp. 1. art. 5.* aliique Theologi magis communiter; & amplectendo hanc communiorem ſententiam ab intermediis ad finem ſecundùm quid ultimum habetur validiſſimum argumentum à fortiori pro noſtrò intento; ſi nimirum fini intermedio ut tali conceditur vera & propria ratio finis, à fortiori hæc concedenda eſt fini ſecundùm quid ultimo.

Secunda in finem ultimum ſimpliciter, & in finem ultimum ſecundùm quid.

Tertia ſit in finem ultimū formaliter, ſeu in communi, & in finem ultimum materialiter, ſeu in ſingulari. Primus eſt ultimus finis non expreſſiore modo conceptus, quàm ſub cōmuni conceptu ultimi finis, quatenùs licèt non dubitetur finem ultimū eſſe aliquid ſingulare & determinatū, nondum tamen conſtet quidnam ſit illud ſingulare & determinatum, in quo conſiſtit finis ultimus. Secundus eſt ultimus finis expreſsè omninò, & determinatè conceptus; quatenùs quis in re aliqua determinata & ſingulari, puta in Deo deprehendit & concipit rationē ultimi finis. 11.

Tertia in finem ultimū formaliter, & in finem ultimum materialiter.

Quarta ſit in finem ultimum operis, & in finem ultimum operantis. Finis ultimus operis eſt id, ad quod operatio ſecundùm ſe ultimò ordinatur; & quod ſolum ſecundùm ſe reſpicit; ſic ſanitas reſpectu ſumptionis medicinæ, aut ſciſſionis venæ, eſt finis ultimus operis, quatenùs ſumptio medicinæ, aut ſciſſio venæ, ſecundùm ſe, ſicuti ad ſolam ſanitatem conducunt, ità ad ipſam ſolam ordinantur. Finis ultimus operantis eſt id, quod operans ultimò intendit tanquā ſuum maximum bonum, quodque ex vi talis intentionis præfertur aliis omnibus bonis, cujuſmodi non eſt ſanitas, quæ non ſolet ab ægroto intendi tanquam bonum maximum aliiſque omnibus præferendum, & abſque eo quod deſinat eſſe finis ultimus operis & ſumptionis 12.

Quarta in finem ultimū operis & in finem ultimū operantis.

nis medicinæ, poteſt ex intentione operantis & ſumentis medicinâ ordinari ad Deum, & poſtponi alicui bono ſpirituali.

13. *Quænã diviſiones finis ultimi conveniant beatitudini.* Mitto alias finis diviſiones, quæ aut non ſunt ad rem in præſenti, aut patent ex terminis; aut cum dividitur finis in naturalem & ſupernaturalem, in verum & apparentem: & citeà quatuor diviſiones præallatas adverto primam eo modo, quo explicata eſt, eſſe potiùs diviſionem totius in partes, quàm generis in ſpecies; reliquæ verò ſi non perveniunt ad totum rigorem, ſaltem magis accedunt ad veram rationem diviſionis generis in ſpecies. Adverto inſuper enumeratas finis ultimi diviſiones (quarta excepta) convenire etiam beatitudini; nam hæc pariter dividitur in objectivam & formalem: in ultimam ſimpliciter, & ultimam ſecundùm quid ſeu perfectam & imperfectam: in beatitudinem in communi, & beatitudinem in ſingulari: in naturalem, & ſupernaturalem: in veram, & apparentem. Et hinc maximè corroboratur doctrina *ſuperioris*, §. de convenientia beatitudinis objectivæ cum fine ultimo, ſubintellige objectivo, in quo principaliùs relucet bonitas, cauſalitas, & vera ratio finis.

---

§. III.

Utrùm ſit unus & idem finis ultimus rerum omnium, & in quo conſiſtat?

14. *Evidens eſt dari unum finem ultimum rerũ omnium.* **A**SSERT. I. Neceſſe eſt & evidens dari unum finem ultimum rerum omnium. Ità communiſſimè non ſolùm Theologi, & Catholici; verùm etiam Philoſophi & Gentiles, qui erraverunt quidem in finis ultimi conſtitutione, at non in ejuſdem unitate; & omnes unum finem ultimum admiſerunt, licèt hunc varij in variis rebus conſtituerint.

Probatur primò. Neceſſe eſt & evidens dari unum primum principium efficiens rerum omnium; ergo ſimiliter dari unum eundem ultimum finem: Antecedens ſupponitur *ex tract. 1. lib. 1. c. 1. n. 15. &* 19. ubi cum D. Thoma aliiſque Theologis exiſtentia unius primi efficientis aſſumitur, tanquam principium evidens & evidenter illativum exiſtentiæ Dei: conſequentia probatur; neceſſitas & evidentia unius primi efficientis rerum omnium infertur maximè ex repugnantia proceſſus infiniti in efficientibus per ſe ordinatis; ſed eadem eſt repugnantia proceſſus infiniti in finibus per ſe ordinatis, quæ in efficientibus per ſe ordinatis, ut patere poteſt *ex loco citato n.* 21. *&* 22: ergo eadem ratione, quâ infertur neceſſitas & evidentia unius primi rerum omnium principij, infertur proportionaliter neceſſitas & evidentia unius ultimi rerum omnium finis.

Dices hoc argumentum ſupponere ordinem per ſe in finibus æquè ac in efficientibus; ille tamen probari potiùs deberet, quàm ſupponi; cùm præſertim in cauſis liberis non ſit in ipſarum libertate dependere ab hoc vel illo principio efficiente; benè tamen ſibi conſtituere hunc vel illum finem: ordo igitur inter fines non eſt per ſe talis, ſicuti in efficientibus, ſed arbitrarius & per accidens. Sed contrà: ex ipſo ordine per ſe in efficientibus facilè probatur ordo per ſe in finibus, imò ut habet D. Thomas 3. contra Gentes, cap. 58. *Ad ordinem agentium ſequitur ordo in finibus, nam ſicut ſupremum agens movet omnia ſecunda agentia; ità ad finem ſupremi agentis oportet, quòd ordinentur omnes fines ſecundorum agentium: quidquid enim agit ſupremum agens, agit propter finem ſuum, agit autem ſupremum agens actiones omnium inferiorum agentium movendo omnes ad ſuas actiones, & per conſequens ad ſuos fines: undè ſequitur quòd omnes ſecundorum agentium actiones ordinentur à primo agente in finem ſuum proprium.* Confirmatur ordo per ſe in finibus ex eo quòd, ſicuti in cauſis efficientibus dantur aliquæ ſuperiores, aliquæ inferiores; aliquæ magis, aliquæ minùs univerſales; ità etiam in finibus; ergo ſicuti ex illa diverſitate efficientium colligitur ſubordinatio, & ordo per ſe in efficientibus; ità ex pari diverſitate finium colligenda eſt ſubordinatio & ordo per ſe in finibus. 15. *Datur ordo per ſe in finibus, æquè ac in agentibus.* Ad rationem in oppoſitum dico ordinem finium affectivum, ſeu interpretativum poſſe eſſe arbitrarium, ordinem verò finium verum & realem eſſe neceſſarium, & per ſe, non minùs, quàm ordinem efficientium: & affectivè ſolùm ſeu interpretativè creatura libertate utens poteſt ſibi conſtituere hunc vel illum finem; & ſi contingat opus aliquod ad unum finem à Deo, ad alterum diverſum à creatura ordinari; hic ſecundus erit finis affectivè tantùm, & ex intentione operantis, primus verò ſolus erit verus, & realis finis operis. *Verus finis operis eſt is, quem habet à Deo, non quem à creatura.*

Probatur ſecundò: Si non datur unus finis ultimus rerum omnium, neceſſe eſt vel quòd res aliqua non reſpiciat ullum ultimum finem, vel quòd ultimus finis poſſit eſſe multiplex: ſed neutrum ex his dici poteſt: ergo. Minor probatur ex proportione primi efficientis, & ultimi finis; ſicuti enim impoſſibile eſt vel quòd res aliqua non reſpiciat ullum primum efficiens, vel quòd primum efficiens poſſit eſſe multiplex; ità ſimiliter, &c. probatur eadem minor quoad primam partem ſpecialiter: quidquid reſpicit aliquem finem reſpicit ultimum finem: ſed implicat, res quæ non reſpiciat aliquem finem, alioqui talis res eſſet caſu ac fortuitò producta, & non à Deo, qui non operatur niſi propter finem: ergo. Major probatur quidquid reſpicit aliquem finem reſpicit etiam id, ad quod ordinatur talis finis: ſed cum non detur proceſſus infinitus in finibus, quilibet finis non ultimus ordinatur ad ultimum: ergo quidquid reſpicit aliquem finem reſpicit etiam ultimum: Eadem prima minor quoad ſecundam partem probabitur ſpecialiter *cap. ſeq.* §. 6. 16.

Aſſert. 2. Res, in quâ conſiſtit finis ultimus 17.

mus

Res, in quâ conſiſtit finis ultimus, eſt Deus.

mus rerum omnium, eſt Deus. Eſt veritas fidei tradita ab omnibus Theologis cum D. Thoma *hic q.1. art.8. in c. & 3. cont. Gent. cap.17. & 18.*

Probatur primò ex Scriptura: Proverb. 16. *Vniverſa propter ſe ipſum operatus eſt Dominus.* Apocal. 1. *Ego ſum Alpha & Omega; principium & finis.* Hebr. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia.* Confirmatur auctoritatibus tribuentibus Deo univerſale rerum omnium dominium ut Eſther 13. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita.* Pſalm. 118. *Omnia ſerviunt tibi.* Act. 17. *Deus qui fecit mundum & omnia, qua in eo ſunt, hic Cœli & Terræ cum ſit Dominus.* 1. ad Tim. 6. *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Confirmatur, inquam, hiſce & ſimilibus auctoritatibus quia ratio univerſalis, & ſupremi dominij, maximè infertur ex ratione ultimi finis, quatenùs ſicuti homo eſt inferiorum creaturarum ut pecuniæ, frugum, pecorum Dominus, quia eſt earum finis & illæ propter ipſum ſeu ipſius gratiâ factæ ſunt; ità Deus eſt rerum omnium ſu-

18. Ex ratione finis infertur à priori ratio dominij.

premus & univerſalis Dominus, quia eſt earundem ultimus, & univerſalis finis. Ratio à priori eſt, quia dominium conſiſtit formaliter in facultate utendi re aliqua pro libito, uti autem eſt maximè proprium eorum, quæ ſunt ad finem; fine quippe fruimur, mediis utimur, & bonitas utilis eſt bonitas mediorum propriiſſima: ergo ratio ultimi finis, utpotè quæ maximè infert uſum cæterarum rerum in ordine ad ſe ipſum, maximè etiam infert univerſale & ſupremum earundem rerum dominium; nec immeritò Leſſius *de perfect. div. lib.* 10. *c.* 5. advertit jus dominij, quod Deo competit titulo ultimi finis, eſſe omninò maximum, & tale ut majus nequeat ullatenùs excogitari.

Dices hanc doctrinam malè cohærere ſupradictis *tract.1.lib.1.c.16.n.*48. *&* 50. ubi docebamus nihil eſſe Deo utile, cum quo non quadrat, quod traditur in præſenti, dum ex ratione ultimi finis in Deo infertur uſus

19. Res creatæ eſſe poſſũt utiles Deo ſolùm extrinſecè.

& utilitas rerum omniũ in ordine ad Deum. Sed contrà: Primo loco docebatur nihil eſſe poſſe Deo utile intrinſecè, ſeu in ordine ad bona ipſi intrinſeca, nihil ſcilicet poſſe conducere ad augendam ipſius intrinſecam perfectionem, ipſius intrinſecã felicitatem aut gloriam; cum quo ſtat res creatas poſſe eſſe Deo utiles extrinſecè, & conducere ad ipſius extrinſecam gloriam, quod ſufficit ad intentum doctrinæ mox poſitæ ut explicabitur infrà *n.*27.

Probatur ſecundò ratione: In ea re conſiſtit finis ultimus rerum omnium, in quâ conſiſtit primum ens; ſed Deus eſt res, in quâ conſiſtit primum ens; ergo eſt res, in quâ conſiſtit finis ultimus rerum omnium: Minor ſupponitur; major probatur, ratio cauſæ omni primæ, & quæ non ſolùm habet prioritatem reſpectu omniũ effectuum, ſed etiam primatum quendam reſpectu omnium cauſarum, conſiſtit in ea re, quæ eſt primum ens; enti enim non primo nequit convenire primatus ad res alias: At finis ultimus eſt cauſa omnium prima, & quæ non ſolùm habet prioritatem, &c. quod ſic 20.
oſtenditur: Finis non ſolùm eſt id, propter quod effectus producitur; ſed etiam eſt id, propter quod cauſa effectum producit, & ut loquitur D. Thomas 3. *contrà Gentes*; *cap.* 17. *num.* 5. *à fine omnes alia cauſa habent, quòd ſint cauſa in actu, agens enim non agit niſi propter finem, ex agente autem materia in actum forma reducitur, undè materia fit actu huius res materia, & ſimiliter forma huius rei forma per actionem agentis, & per conſequens per finem:* ergo finis habet non ſolùm prioritatem reſpectu effectus, ſed etiam primatum reſpectu aliarum cauſarum, adeoque finis ultimus eſt cauſa omnium prima, & quæ non ſolùm habet prioritatem, &c.

Cauſa finalis eſt prima omniũ cauſarum.

Dices prioritatem & primatum finis eſſe ſolùm in movendo ſecundùm quod eſt in intentione; in eſſendo autem, & ſecundùm quod exiſtit à parte rei, finem eſſe poſteriorem non ſolùm aliis cauſis, ſed etiam ſuiſmet effectibus: at Deus eſt primum ens maximè in eſſendo: ergo prioritas & primatus conveniens fini ultimo impertinenter ſe habet ad rationem primi entis repertam in Deo, nec benè infertur in Deo ratio finis ultimi ex ratione primi entis. Sed contrà: Alius eſt finis ef- 21.
fectus, alius finis obtentus; ille agentis operatione fit, iſte agentis operatione obtinetur; ille dicitur etiam finis conſequens, iſte finis antecedens; ille habet prioritatem & primatum ſolùm in movendo & ſecundùm quod eſt in intentione, iſte etiam in eſſendo & ſecundùm quod eſt à parte rei; illo, non iſto modo Deus eſt rerum omnium finis ultimus, obtinetur enim à creaturis Deus non efficitur, ideò corruit inſtantia.

Finis alius effectus, alius obtentus.

Vrgebis: Finis obtentus, ſeu obtinendus appellat finem *qui*, & finem *quo*; ſeu rem finalizantem, & ipſius conſecutionem; ſed non eſt unus & idem finis *qui* rerum omnium dicente D. Thoma *hic q.1. artic.8. in corp. Si autem loquamur de ultimo fine hominis quantum ad conſecutionem finis: ſic in hoc fine hominis non communicant creatura rationales*: ergo admittimus contradictionem in terminis aſſerendo ex una parte eſſe unum eundemque finem ultimum rerum omnium, & addendo ex alia hunc eſſe finem obtentum. Contrà tamen: conſultò in ſecundo aſſerto poſitum eſt rem, in quâ conſiſtit finis ultimus, eſſe Deum, ut exprimeretur ſermonem eſſe de re finalizante, & fine *qui*, non de ipſius conſecutione, & fine *quo*: dum deindè mox additum eſt Deum eſſe rerum omnium finem obtentum, ly *obtentum* ponitur ſpecificativè, & ſolùm ad excludendum finem effectum, non reduplicativè, quatenùs finis ultimus etiam ut obtentus & finis *quo* ſit unus & idem rerum omnium.

Quomodò in fine ultimo diſtinguatur finis *qui, cui, quo.*

Pro quorum majore intelligentia adverto primò in fine ultimo rerum omnium diſtinguendum eſſe finem *qui*, finem *cui*, finem *quo*: Finis *qui* & finis *cui* eſt ipſemet Deus, diverſimodè tamen conſideratus, eſt ſcilicet finis *qui* conſideratus ſecundùm gloriam ſuam tùm internam, tùm externam; hanc quippè Deus intendit in operibus ad extrà, propter hanc intelligendus eſt operari, dum dicitur operari propter ſe ipſum: eſt verò finis *cui* conſideratus ſecundum ſubſtantiam & entitatem ſuam, vult enim ſuam gloriam ſibi, unde ipſemet ait Iſa. 48. *Gloriam meam alteri non dabo.* Finis *quo* eſt manifeſtatio gloriæ internæ & augmentum gloriæ externæ: hæc manifeſtatio, hoc augmentum aliter Deo præſtatur à creaturis intellectualibus, aliter à non intellectualibus; ideò dicuntur illæ cum iſtis non convenire in eodem ultimo fine *quo*: Magis explico ſingula in particulari. Ideò

24. Gloria quid.

Adverto ſecundò gloriam in univerſum nihil aliud eſſe, quàm excellentiam aliquam ſivè internam ſive externam, ratione cujus quis dignus eſt cognoſci, exiſtimari, laudari: excellentia ipſa dici ſolet gloria objectiva; notitia, exiſtimatio & laus conſequens gloria formalis, & hæc ſecundū magis proprium, & magis uſitatum loquendi modum, ſignificatur nomine gloriæ abſoluiè prolatæ, quæ propterea definitur vel ex Cicerone *in Rhetor.* Frequens de aliquo famæ cùm laude, vel ex D. Ambroſio *ſuper epiſt. ad Rom.* Clara cum laude notitia.

25. Gloria reſpectu Dei quotuplex.

Adverto tertiò conſiderari poſſe reſpectu Dei gloriam tùm internam, tum externam; & utramque tùm objectivam tùm formalem. Gloria interna objectiva Dei eſt excellentia, & ſplendor divinarum perfectionum tùm eſſentialium tùm perſonalium ad intrà exiſtentium: Gloria interna formalis Dei eſt cognitio, exiſtimatio, amor, & gaudium Dei de ſuis perfectionibus. Gloria externa objectiva eſt excellentia ac ſplendor rerum creatarum, & operum ad extrà, in quibus Dei potentia, ſapientia, & bonitas eximiè relucent. Gloria externa formalis Dei conſiſtit vel in manifeſtatione & repræſentatione, vel in cognitione, exiſtimatione, & amore illius excellentiæ, in quâ gloria objectiva Dei aut interna aut externa reſplendet.

26. Quænam poſſit acquiri & augeri, quænam non.

Adverto quartò gloriã internam Dei nec poſſe deperdi, nec minui, nec acquiri, nec augeri; patet hoc ex omnimoda invariabilitate Dei ad intrà; ſecùs eſt de gloria Dei externa, quæ ſicuti conſiſtit in rebus mutationi obnoxiis, ità & ipſa mutabilis, amiſſibilis, acquiſibilis eſt: Deus propterea diverſimodè ad extrà operatur propter ſuam gloriam; operando enim propter gloriã internam operatur ſolùm propter ipſam manifeſtandam, operando propter gloriam externam operatur propter ipſam etiam aut acquirendam, aut augendam.

27. Quomodò ad Dei gloriam diverſimodè cōducant diverſæ creaturæ.

Adverto quintò duplici potiſſimùm modo creaturam intellectualem conducere aut ad manifeſtandam gloriam internam, aut ad augendam gloriam externam Dei: Primò objectivè, quatenùs eſt quædam imago divinitatis & ſpeculum divinarum perfectionum excitans in ſe, & in aliis creaturis intellectualibus, notitiam, amorem, & laudem excellentiæ divinæ, tùm ad intrà, tùm ad extrà relucentis. Secundò vitaliter, quatenùs eandem excellentiam poteſt propriis actibus cognoſcere, amare, & laudare. Primus modus cōmunis eſt creaturis etiam non intellectualibus & non viventibus, quæ etiam ipſæ, licèt minùs perfectè, & tanquam veſtigia potiùs, quàm tanquam imagines ingerunt notitiam & excitant encomia ſui Conditoris, hac ratione *Cæli enarrant gloriam Dei* Pſalm. 18. quatenùs excitant hominem ad cognoſcendam objectivam Dei gloriam, tùm internam relucentem in excellentia divinæ virtutis Cœlos producentes, tùm externam relucentem in excellentia operis producti; eadem ratione omnes creaturæ dicũtur laudare & benedicere Creatorem, quatenùs omnes ad id excitant naturam intellectualem. Secundus modus utpotè vitalis, & conſiſtens in actibus intellectus ac voluntatis, propriùs eſt creaturarum intellectualium. Et ecce breviter explicata ea ſingula quæ *ſuperiore, n.* 23. explicanda indicavimus, quæque amplè & eleganter proſequitur Leſſius *lib.* 14. *de perfect. divinis.*

Ex his habes ſermonem eſſe de gloria Dei externa, quando monemur operari ad majorem Dei gloriam; gloria enim Dei, quæ capax augmenti ſit, & major fieri poſſit, eſt ſola gloria externa, quam quidem noſtris operibus majorem reddimus & ampliamus, quoties vel in Dei contemplatione, laude, & amore verſamur; vel noſtris bonis operibus, piiſvè cohortationibus cæteros ad id urgemus. De gloria etiam Dei externa à nonnullis intelligitur quod canit Eccleſia *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam,* adeò ut ly *propter magnam gloriam tuam* idẽ ſit ac propter tua magna beneficia, quatenùs tùm ſub ratione communi operum divinorum ad extrà, tùm ſub ea ſpeciali ratione, quâ ſunt beneficentiæ & liberalitatis increatæ monumenta, dici poſſunt gloria externa objectiva Dei. 28.

---

§. IV.

Utrùm Deus ſit finis ultimus etiam ſui ipſius.

29. Deus non eſt finis ſui ipſius quoad eſſe.

ASSERT. 1. Deus non eſt finis ultimus ſui ipſius quoad eſſe. Hoc aſſertũ, quamvis in terminis terminantibus non legerim apud Theologos, eſt tamen quoad rẽ de fide, & ſupponitur à D. Thoma *in* 2. *diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 4. dum ait *actio divina eſt eſſentia eius, & ex hac parte non quæritur finis eius.*

Probatur Deus habet eſſe in omni genere incauſatum; ſed, ſi eſſet finis ſui ipſius quoad eſſe, non haberet eſſe in omni genere incauſatum, ergo Deus non eſt, &c. major ſupponitur, minor probatur, ſi Deus eſſet finis

ſui

ſui ipſius quoad eſſe; baberet eſſe cauſatum in genere cauſæ finalia; agimus enim hic de fine, ut ſignificat cauſam finalem, adeoque ut eſt cauſa finalis ejus, cujus eſt finis: ergo.

Dicees cauſalitatem finalem eſſe cauſalitatem metaphoricam, & ſufficere Deo, quod babeat eſſe incauſatum cauſalitate reali, cæterùm ſicuti quod haber eſſe gratia alterius & propter aliud, haber hoc aliud pro fine ſui eſſe, ità cum Deus ſit gratiâ ſui & propter ſe ipſum, deber habere ſe ipſum
30. pro fine ſui eſſe. Sed contrà vel cauſalitas finia nullatenùs dicenda eſt metaphorica, vel ſolùm dicenda eſt metaphorica in eo ſenſu, quo dicitur metaphorica ipſius motio, quæ talis dicitur, non quia non moveat realiter, ſed quia movet alliciendo, non aliquid per ſe ipſam efficiendo. Ad illud quod additur, nego paritatem, alioqui etiam, ſicuti illud, quod eſt ab alio, habet hoc aliud pro principio effectivo ſui, ità Deus qui habet eſſe à ſe, haberet ſe ipſum pro principio effectivo ſui eſſe; dicitur igitur Deus eſſe gratiâ ſui & proptes ſe ipſum, quia non eſt gratiâ alterius & propter aliud, non quia exerceat ullam cauſalitatē finalem in ſe ipſum, quemadmodum dicitur eſſe à ſe, quia non eſt ab alio, non quia cauſalitatem ullam efficientem in ſe ipſum exerceat. Et hic obiter ex eo, quòd Deus non ſit ſui eſſe cauſa efficiens, confirmatur aſſertum & oſtenditur, quòd non ſit ſui eſſe cauſa finalis; cauſa enim finalis alicujus quoad eſſe non eſt niſi ea, quæ movet principium efficiens ad producendum tale eſſe, ut patere poteſt inducenti; nequit igitur Deus eſſe finis, ſi nequit eſſe principium ſui eſſe.

Quomodò cum hoc ſtet, quod habeat eſſe gratiâ ſui & propter ſe.

31. Aſſert. 2. Deus non eſt finis ultimus ſui ipſius quoad operari immanenter, ſeu non habet ſe ipſum pro fine ſuarum operationum immanentium. Colligitur hoc aſſertum ex D.Thoma 1. *p.q.*19.*art.*5. & *ex* 2. *diſt.* 1. *q.*2 *art.*1.*ad* 4. Traditur ab Amico *hic diſp.*1. *ſect.*5. Goner *diſput.*2. *art.*4. §.2. Gabriele à S.Vincentio *diſp.*1. *dub.*8. aliiſque communiter contrà Soncinatem 5. *metaph. q* 2.

32. Probatur primò actiones, ſeu potiùs operationes immanentes Dei ſunt in omni genere incauſatæ; ſed ſi Deus eſſet finis ipſarum, non eſſent in omni genere incauſatæ; ergo Deus non eſt finis ultimus, &c. minor patet ex dictis pro primo aſſerto: major probatur, operationes immanentes Dei, ſivè ſumantur ſecundùm ſe ipſas, ſive ſumantur ſecundùm terminos, quos operantur ſunt intrà Deum & in Deo; ergo propter regulam generalem, quâ quidquid eſt in Deo eſt Deus, ſunt Deus ipſe, & per conſequens ſunt in omni genere incauſatæ æquè ac ipſum eſſe Dei.

Deus non eſt finis ſuarū operationum immanentium.

Dices: in divinis ad intrà licèt non detur effectiva cauſalitas, datur tamen vera productio, ſeu verum eſſe ab alio: Perſonæ quippè filij & Spiritus ſancti verè producuntur, verè ſunt ab alio, quamvis nullatenùs effectivè cauſentur, ergo ſimiliter, licèt non detur finalis cauſalitas, dari poteſt finalizatio, & Perſonæ quæ ſine cauſalitate effectiva ſunt ab alio, ſine cauſalitate finali erunt gratiâ alterius, quod videtur ſufficere ad aſtruendam in divinia ad intrà rationem finis. Sed contrà: Extrà controverſiam eſt 33.
neceſſitas ponendi in divinis ad intrà productionem, quamvis poni non poſſit cauſalitas effectiva; at non apparet eodem modo neceſſitas ponendi in divinis finalizationem, dum poni non poteſt cauſalitas finalis; ideò finalizatio ponenda non eſt, quamvis ponatur productio, nec Perſonæ divinæ productæ dicēdæ ſunt eſſe gratiâ alterius, quamvis ſint ab alio, cum præſertim in explicandis iis, quæ conveniunt Deo ad intrà, novus etiam loquendi modus poſſit eſſe periculoſus. Contrà inſuper, ſicuti in creatis cauſalitas finalis præcedit cauſalitatem effectivam, ità in divinis ad intrà finalizatio, ſi daretur, deberet aliquo modo præcedere productionem: at hoc eſt falſum, quia productiones divinarum Perſonarum ſunt voluntariæ *ex tr.* 2 *lib.* 3. *c.*1. §.6. voluntare ſubſequente, aut ad ſummum comitante, nullatenùs antecedente; nec Pater æternus ullatenùs vult producere filium, antequam producat.

Non datur in divinis ad intrà finalizatio; quamvis detur productio.

Probatur ſecundò: ſi Deus exerceret rationem aliquam finis in ordine ad ſuas operationes immanentes, illam maxime exerceret ſecundùm ſuam intrinſecam bonitatem: ſed hoc non, ergo Deus non exercet rationem aliquam finis in ordine, &c. major patet, neque enim Deus immanentes intra ſe operans poteſt reſpicere & intendere aut gloriam ſuam extrinſecam, aut bonitatem aliquam creatam: Minor probatur, id, quod exercet veram rationem finis ſeu cauſæ finalis, debet diſtingui realiter ab eo, in ordine ad quod talem rationem exercet; cum finis ſit vera cauſa realis: ſed ſecundùm ſuam bonitatem intrinſecâ Deus non diſtinguitur realiter à ſuis operationibus immanentibus; ergo non poteſt exercere rationem aliquam, &c. Et hinc obiter corroboratur impugnatio ſuperioris inſtantiæ, ut enim in divinis ſicuti admittitur productio ſine cauſalitate effectiva, ità admitti poſſet finalizatio ſine cauſalitate finali, deberet ſaltem reperiri realis diſtinctio inter finalizans & finalizatum, ſicuti reperitur inter producens & productum, inter Patrem v.g. & filium; ſed illa non reperitur quia bonitas Dei, quæ ſola eſſe poſſet ad intrà principium finalizans, identificatur cum omni eo, quod eſt intrà Deum. 34.

35. Dices: negari non poteſt quin Deus amet ſe propter ſe ſeù propter ſuam bonitatem, ergo negari non poteſt in Deo, ſeù in intrinſecâ ipſius bonitate, aliqua ratio finis in ordine ad amorem ſui ipſius, qui tamen eſt operatio immanens. Sed contrà: dico vel ly *propter* importare rationem objecti motivi, non rationem finis; nec aliud ſignificari, quàm quod divina bonitas ſit objectum, terminativum & etiam motivum divini amoris; vel ly *propter ſe*, ſeù propter ſuam bonitatem ſumendum eſſe negativè, proot idem ſonat ac non propter aliud; ſeù non propter bonitatem alienam.

Quomodò Deus amet ſe propter ſe.

Aſſert. 3. Deus eſt finis ultimus ſui ipſius quoad operari transeunter ſecundùm illud, quod operatio divina tranſiens dicit ex parte termini, quamvis non ſecundùm illud, quod dicit ex parte principij. Ità quò ad rem Auctores relati pro ſuperiore aſſerto, quamvis quò ad modum loquendi non omninò conveniant.

36. *Quomodò ſit finis ſuarum actionum tranſeuntium.*

Probatur & explicatur: operatio divina tranſiens nihil eſt aliud, quàm complexum Dei ſeù divinæ omnipotentiæ operantis; & termini ad extrà in fieri exiſtentis; adeoque ex parte termini dicit entitatẽ ipſam effectus creati ut terminantis divinam activitatem, ex parte principij dicit Deum ipſum, ſeù divinam omnipotentiam ut exiſtentem in exercitio ſuæ activitatis: eſt igitur operatio divina tranſiens creatura, ſeù quid creatum ex parte termini; Deus, ſeù quid divinum ex parte principij; ſed Deus ex hucuſque dictis eſt finis ultimus cujuſcumque rei creatæ, non verò eſt finis ultimus ſui ipſius, aut alicuius divini; ergo Deus eſt finis ultimus ſui ipſius quoad operari tranſeunter ſecundum illud, &c. Confirmatur expreſſis verbis D. Thomæ *in 2. diſtinct. 1. q. 2. artic. 1. ad 4. Actio divina eſt eſſentia eius, & ex hâc parte non quæritur finis eius, ſed ex parte illâ, qua effectum creatura communicat.*

Dices: Dum in Scripturâ *Proverb. 16.* ſimpliciter, & abſolutè, dicitur Deum univerſa propter ſeipſum operari, ſatis exprimitur ipſum ad extrà operari ſimpliciter & propriè propter finem; at hoc non ſalvatur juxtà probationem, & explicationem mox poſitam; Enimverò agens operari ſimpliciter ac propriè propter finem eſt aliquid ampliùs; quàm ipſius effectum eſſe propter finem, at juxtà mox dicta ſolùm ſalvatur; quòd effectus Dei fiat propter finem, & nihil ampliùs; quia ſolùm ſalvatur quòd Deus ſit finis ſuorum effectuum, & non alicujus alterius ex parte actionis, ut contrà diſtinctæ ab effectu; ergo: Maior probatur primò, quia etiã effectus brutorum aliarumque rerum propter finem non operantium, propter finem ſunt; ſecundò quia operari propter finem eſt agens ipſum moveri,

37. & allici à fine ad operandum. Sed contrà: admitto libenter Deum ad extrà operari ſimpliciter & propriè propter finem, & ad hoc requiri aliquid ampliùs, quàm præcisè effectum eſſe propter finem, requiri ſcilicet quòd ſit propter finem ex vi operationis divinæ, ex quo capite bruta non operãtur propter finem, quia licèt ipſorum effectus ſint propter finem, non habent tamen eſſe propter finem ex vi operationis brutorum; cum à brutis in finem non dirigantur, ſicuti omnes effectus Dei in finem ultimum diriguntur à Deo.

Vrgebis effectum eſſe propter finem vi operationis, quâ fit, eſt operationem vi ſuâ tribuere effectui eſſe propter finem; at hoc importat actionem eſſe propter finem, quia vis iſta in actione non poteſt eſſe, niſi à fine afficiente actionem; ergo tandem Deum operari propter finem eſt tùm ipſius effectũ, tùm ipſius actionem eſſe propter finem; ſeù Deum eſſe finem, tùm ſui effectus, tùm ſuæ actionis, ut contrà diſtinctæ ab effectu.

Contrà tamen: dico operationem vi ſuâ tri- 38.
buere effectui eſſe propter finem provenire à ſpeciali connexione actionis cum fine, & hanc connexionem conſiſtere vel in eo, quòd actio afficiatur & cauſetur à fine, vel in eo, quòd non diſtinguatur ab ipſo fine; connexio primo modo importat actionem eſſe propter finem, & convenit agentibus creatis propter finem operantibus; connexio ſecundo modo non importat actionem eſſe propter finem, & convenit Deo propter finem operanti: Non importat, inquam, actionem eſſe propter finem, niſi ad ſummum intranſitivè, quatenùs ſicuti juxtà Thomiſtas accidens agit in virtute ſubſtantiæ intranſitivè eo, quòd eſt in ſe virtus ſubſtantiæ; ità divina actio activè ſumpta dicatur eſſe propter finem Intranſitivè præcisè, quatenùs in ſe eſt finis.

Actio divina tranſiens activè ſumpta non eſt propter finem, niſi intrãſitivè.

Dubitatur hic. Vtrùm actio divina tranſiens ſecundùm illud, quod dicit ex parte principij, ſit propter finem ſaltem virtualiter, & tanquàm propter rationem finalem. Ratio dubitandi eſt, quia ex una parte id ſuadet auctoritas D. Thomæ *q. 23. de verit. art. 4. in c.* dicentis de Deo *quòd ipſa ſua bonitas eſt ei quaſi finis voluntatis ſuæ*, ubi ly *quaſi finis* congruè ſumi poteſt pro fine ut ratione finali, ſeu ut causâ virtuali tantùm, non reali, & hoc ſaltem videtur indicare idem S. Doctor *1. contrà Gent. cap. 87.* dicens *Sua bonitas eſt Deo cauſa volendi*: Ex aliâ parte in divinis ad intrà ſicuti admittitur cauſa virtualis efficiens, ità non apparet cur nequeat admitti cauſa virtualis finalis? adeò ut ſicuti divina attributa ſunt ex emanatione quâdam, & efficientiâ virtuali divinæ eſſentiæ, ità divinæ volitiones circà creaturas, ſeù actiones Dei tranſeuntes ſecundùm illud, quod dicunt ad intrà, ſint ex motione quâdam, & finalizatione virtuali divinæ bonitatis.

39. *Eſt tamen propter rationem finalem.*

Reſpondeo propter allatam rationem dubitandi me libenter in Deo admittere rationem finalem, ſeu motionem & finalizationem virtualem divinæ bonitatis reſpectu volitionũ divinarum circà creaturas & decretorum liberorum Dei; Vtrùm verò id ſufficiat ad hoc, ut tales volitiones & talia decreta dicantur eſſe propter finem exiſtimo eſſe controverſiam de nomine dependentem à magis vel minùs ſtricta acceptione illius termini *propter finem.* In quo diſplicet Gonet *hic diſput. 1. art. 4. §. 2. n. 89.* Vtens motione ſeù cauſalitate virtuali divinæ bonitatis ad ſalvandum Deum operari propriè propter finem; diſplicet, inquam, quia multo certius eſt Deum operari propriè propter finem, quam certum ſit eſſe propriè propter finem operationem ſeu volitionem provenientem ex ſola ratione finali, ſoláque motione virtualis finis. Si quæras, vtrùm ratio finalis & virtualis motio divinæ bonitatis admitti poſſit etiam in ordine ad operationes divinas immanentes?

Dicerem

Dicerem affirmandum in ſententia aſſerente operationes etiam neceſſarias, & habentes principium ab intrinſeco determinatum ad unum, poſſe in creatis eſſe propter finem, negandum in ſententia id negante; cum enim operationes divinæ immanentes ſint neceſſariæ, ſentiendum eſt de ipſis in ordine ad motionem virtualem divinæ bonitatis, rationemque finalem, idem quod de operationibus neceſſariis agentis creati in ordine ad motionem realem, & veram cauſalitatem finis.

CAPUT II.

De Vltimo fine hominis.

1. CREATVRÆ irrationales, & non agentes propter finem, tendunt in finem ſolùm ex intentione & ordinatione Dei ipſarum Auctoris; nec alium habere poſſunt finem ultimum, niſi eum, ad quem à Deo ordinantur: Creaturæ autem rationales, & intellectivæ, propter finem operantes tendunt in finem etiam ex intentione & ordinatione propriâ; & ultrà finem ultimum communem omnibus creaturis, quem reſpiciunt ex ordinatione divinâ, poſſunt ſibi conſtituere alium finem ultimum, quem reſpiciant ex intentione & ordinatione propriâ. Homo igitur, utpotè creatura rationalis & intellectiva, conſiderari poteſt vel in ordine ad finem ultimum intentum à Deo, vel in ordine ad finem ultimum intentum à ſe ipſo: Quoad finem ultimum hominis primo modo, cum in ipſo homo conveniat cum aliis omnibus rebus, ſufficiunt ea, quæ in præcedenti capite dicta ſunt de fine ultimo rerum omnium, & ſolum finis ultimus hominis ſecundo modo hujuſce capitis materies eſt, pro cujus expeditiore diſcuſſione nonnulla faciliora præmitto.

Vltimus finis hominis alius ipſi proprius, alius communis ipſi & rebus omnibus.

2. Præmitto primò, quòd in homine ſicuti datur tùm eſſe quoddam commune cum brutis & creaturis irrationalibus, tùm eſſe proprium & differentiale ipſius; ità cum operari ſequatur ad eſſe, dantur in homine quædam operationes ipſi communes cum brutis & creaturis irrationalibus, quædam ipſius propriæ, ipſique convenientes in quantum homo eſt. Rursùs ſicuti homo, in quantum homo & in quantum importat eſſe proprium ac differentiale, conſiderari poteſt vel quoad ſubſtantiam, quatenùs ſcilicet importat eſſe ſpirituale & intellectivum, ac volitivum; vel quoad modum, quatenùs importat eſſe intellectivum & volitivum cum diſcurſu, cum advertentiâ, cum indifferentiâ, cum deliberatione; ità operationes hominis propriæ, quædam ſunt ipſius propriæ quoad ſubſtantiam, quædam quoad modum: & quia ex D. Thoma *hic q. 1. art. 1. in c.* aliiſque Theologis communiter actionum, quæ ab homine aguntur, illæ ſolæ propriæ dicuntur humanæ, quæ ſunt propriæ hominis, in quantū eſt homo; ſit actionū, quæ ab homine aguntur, quatuor genera aſſignari poſſe: Primum actionum hominis, non humanarum, provenientium ab homine non in quantum homo eſt, ſed in quantum cum brutis convenit, & modo brutali potiùs, quàm humano, hujuſmodi ſunt omnes actiones corporeæ, procedentes ab homine ſine deliberatione rationis: Secundum actionum humanarum quoad ſubſtantiam tantùm, provenientem ſcilicet ab homine in quantum homo eſt quoad ſubſtantiam tantùm hujuſmodi ſunt omnes actus intellectus & voluntatis eliciti ab homine ſine indifferentiâ & deliberatione, aut etiam ſine advertentiâ: Tertium actionum humanarum quoad modum tantùm, provenientium ſcilicet ab homine in quantum homo eſt tantùm quoad modum; hujuſmodi ſunt actiones corporeæ comedendi, ridendi, aliæve ſimiles ab homine factæ ex imperio & deliberatione rationis: Quartum actionum humanarum quoad ſubſtantiam & modum, provenientium ſcilicet ab homine in quantum quoad ſubſtantiam & modum homo eſt; hujuſmodi ſunt omnes actus intellectus & voluntatis eliciti ab homine liberè.

Actionum, quæ ab homine aguntur, quadruplex genus.

3. Præmitto ſecundò carentiam formalis libertatis in actu provenire poſſe, vel ex imperfectione & deficientia, vel ex perfectione & eminentia; primo modo res ſe habet, quando provenit vel ex imbecillitate uſus rationis, vel ex ſubreptione præpediente advertentiam, ſic carent libertate formali ſaltem perfectâ tùm actus ebriorum, amentium & parvulorum, tùm ſubiti ſeu primò primi motus intellectus & voluntatis: Secundò modo res ſe habet, quando provenit ex objecto adæquante totam univerſalitatem & indifferentiam voluntatis, & habetur cum cognitione perfecta, advertentiaque pleniſſima, ſic carent libertate formali actus beatifici, Dei ſcilicet viſio & amor in patriâ: Hos & ſimiles actus Io. à S. Thoma *hic diſp. 1. art. 1. num. 45. & diſp. 3. art. 2. num. 32.* ſicuti etiam Eſparza *lib. 3. quaſt. 1. art. 5.* vocat eminenter liberos. Vtrùm deindè hæc eminens libertas ſufficiat, ut iidem actus dici poſſint humani etiam quoad modum; reſponderem non ſufficere quidem, ut dicantur humani quoad modum in Theologiâ morali, in quâ homo conſideratur ut morale agens, cujus proprius operandi modus attenditur in ordine ad meritum & demeritum, adeoque requirit libertatem formalem; ſufficere tamen, ut dicantur humani quoad modum in re ipſa, quia in re non ſolùm modus operandi liberè libertate formali, verùm etiam modus operandi neceſſarius cum libertate eminenti, eſt proprius hominis in quantum homo, nec convenit ratione carentibus, quæ ex remotione, non ex adæquatione indifferentiæ; ex coarctatione, non ex univerſalitate cognitionis & objecti, habent modum operandi neceſſariū. Nec obſtant verba D. Thomæ *hic q. 1. art. 1. in c.* dicentis *differt homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quod eſt*

Liberum aliud tale formaliter, aliud tale eminenter.

Actus beatifici in re ſunt humani, etiam quoad modum.

ſuorum actuum Dominum, dominium autem importat libertatem formalem, & per conſequens ex mente *D. Thomæ* modus operandi cum libertate formali eſt proprius hominis, hominemque diverſificans ab irrationalibus creaturis, non modus operandi cum ſola libertate eminenti. Non obſtant, inquam quia D. Thomas *loco citato* ſicuti agit de actibus humanis in eſſe moris & in ordine ad moralitatem, ità conſiderat hominem, non ut homo eſt præcisè, ſed ut eſt agens morale, & in ratione hominis moraliter operantis vult ipſum differre à brutis in eo, quòd ſit ſuorum actuum Dominus, & habeat libertatem formalem in operando.

4. Ordinatio humanarũ actionum ad finem ultimum quadruplex.

Præmitto tertiò actionem aliquam poſſe quadrupliciter in finem ultimum referri, nimirum actualiter, virtualiter, habitualiter, interpretativè. Actualiter quãdo operãs actu cogitat de ultimo fine, & formali ac expreſſà volitione in ipſum tendit, ſeu ipſum intendit. Virtualiter, quando præceſſit actualis cognitio & volitio finis, & nullà adveniente retractatione perſeverat in aliquo effectu, ut cum quis ex actuali volitione ultimi finis equos conducit Romam iturus, tunc enim illà actuali volitione ceſſante itineris proſecutio, & ad Romam perventio, eſt virtualiter propter ultimum finem. Habitualiter, quando datur in operante habitus ſeu habitualis ordinatio ad finem ultimum, qui tamen habitus conſideretur ut merè exiſtens in ſubjecto, & ut habens putam concomitantiam, nullam influentiam in actum; ſi enim habitus reſpiciens finem ultimũ actu, vel virtute, in operationem influat; talis operatio actualiter, vel virtualiter, non ampliùs merè habitualiter in finem ultimum referetur. Interpretativè, quando nec exiſtit, nec extitit ultimi finis intentio, præſumitur tamen extitura, ſi finis ultimus proponeretur; idque vel ex diſpoſitione ſubjecti operantis, quod in aliis non diſſimilibus circumſtantiis ſoleat finem ultimum intendere, vel ex conditione objecti operationem terminantis, quod ex natura ſua finem ultimum reſpiciat; ſic quia quodlibet opus honeſtum ex natura ſua habet pro ultimo fine Deum, dans eleemoſynam v. g. propter honeſtatem miſericordiæ operatur interpretativè propter Deũ, tanquam propter ultimum finem. Ordinatio actualis ad finem ultimum dicitur etiam ordinatio explicita; ordinatio verò tùm virtualis, tùm habitualis, tùm interpretativa dicitur etiam ordinatio implicita.

Eadem ordinatio reduci poteſt ad duo membra.

5. Præmitto quartò finem ultimum, de quo in præſenti, eſſe ſolùm finem ultimum ſimpliciter, non finem ultimum ſecundùm quid; & ea omnia, quæ mox de ultimo fine hominis tractanda ſunt, ſi de fine ultimo ſecundùm quid procederent, forent extrà inſtitutum hujuſce tractatus de Beatitudine, quæ cum fine ſimpliciter ultimo coincidit: Plura etiam forent extrà controverſiam, neque enim controvertitur utrùm homo, aut in ſuis humanis actionibus intendat aliquem finem ultimum ſecundùm quid, aut in iiſdem poſſit plures, fines ſecundùm quid ultimos ſibi conſtituere; quod tamen utrumque non levem habet circà finem ſimpliciter ultimum difficultatem, & ſuppeditat potiſſimam præſentis capitis materiem. His præmiſſis & ſuppoſita *ex capite ſuperiori num.* 11. diviſione ultimi finis in finem ultimum formaliter ſeu in communi, & in finem ultimum materialiter, ſeu in ſingulari, ſit

---

§. I.

Vtrum homo ordinet quamlibet ſuam humanam actionem ad finem ultimum formaliter, & in communi.

Assert. 1. Homo non ordinat actualiter quamlibet ſuam humanam actionem ad finem ultimum formaliter & in communi. Dixi *humanam actionem*, nam actiones non humanæ, quas habet homo communes cum brutis, nullum prorsùs reſpiciunt finem ex humana ordinatione, ut ſuprà *num.* 1. præmiſſum eſt. In hoc aſſerto conveniunt Thomiſtæ, Scotiſtæ aliique omnes communiſſimè. 6. Homo non ordinat actualiter omnia ad finem ultimum in communi.

Probatur: Homo in omni ſua humana actione non cogitat actu de ultimo fine formaliter & in communi, ſed hoc eſſet neceſſarium ut ordinaret actualiter omnem ſuam actionem, &c. ergo homo non ordinat actualiter, &c. Minor habetur ex ſupradictis; major patet experientia, quà unuſquiſque, ſi ad proprium operandi modum reflectat, advertere poteſt ſe aliquando liberè operari abſque eo, quòd ullateuùs cogitet de ultimo fine etiam in communi.

Aſſert. 2. Homo ordinat ſaltem interpretativè quamlibet ſuam humanam actionem ad finem ultimum formaliter & in communi. Hoc etiam aſſertum eſt communiſſimum, & licèt Scotus *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 10. §. *ex his ſequitur* doceat hominem poſſe velle aliquid, non volendo ipſum propter beatitudinem; imò poſſe etiam contrariè velle, ſeu velle aliquid contrarium beatitudini, loquitur tamen *Scotus* de beatitudine materialiter, & in particulari acceptà, quæ cum fine ultimo in ſingulari, non cum fine ultimo in communi coincidit: potiùs noſtro aſſerto aliqualiter adverſatur Scotus *in* 1. *diſt.* 1. *q.* 4. §. *ad tertium dicitur*, ubi indeciſum & ambiguum relinquit, utrùm voluntas poſſit illud velle, in quo non invenitur aliqua ratio boni? ut expreſsè docuerunt nonnulli Nominales ſentientes voluntatem velle poſſe malum ſub ratione mali, quod certè aſſerto noſtro omnino adverſatur; finis enim ultimus in communi importat rationem boni, ad quam malum ſub ratione mali nulla prorsùs ratione eſt ordinabile. 7. Ordinat tamen ſaltem interpretativè.

Probatur primò: Quilibet homo eſt ità diſpoſitus, ut ſi ei proponatur finis ultimus formaliter & in communi, ſaltem regulariter loquendo ipſum intendat; ergo homo ordinat ſaltem interpretativè quamlibet ſuam

humanam

humanam actionem, &c. conſequentia patet, quia ordinatio interpretativa, *ut n.* 4. præmiſſum eſt, nihil eſt aliud, quàm ordinatio præſumpta extitura, ſi finis proponeretur; rationabiliter autem præſumitur talis ordinatio extitura, quando ſubjectum eſt ità diſpoſitum, ut regulariter in ipſam erumpat, quoties finis proponitur; antecedens probatur, quilibet homo eſt ità diſpoſitus, ut regulariter intendat benè eſſe & beatè vivere, in quocumque id conſiſtat, ſi id ei proponatur; ſed finis ultimus formaliter & in communi, ut potè qui cum beatitudine coincidit, importat benè eſſe & beatè vivere, in quocumque id conſiſtat, ergo: Major probatur ex D. Auguſtino pluribus in locis, lib. 1. de moribus Eccleſ. cap. 3. *Beati omnes eſſe volumus, nec ullus datur qui nolit eſſe beatus* lib. 13. de Trinit. cap. 3. *Quidquid enim aliud quiſque latenter vult, ab hac voluntate* (ſubintellige beatitudinis) *quæ omnibus hominibus nota eſt, non recedit*, lib. 10. Confeſſ. cap. 20. *Neque enim* (ſermo eſt de beatitudine) *amaremus, niſi neſciremus, audimus nomen hoc, & rem ipſam nos omnes appetere fatemur* (& nonnullis interpoſitis) *nota eſt igitur omnibus, qui una voce ſi interrogari poſſent, utrùm beati eſſe vellent? ſine ulla dubitatione, velle reſponderent.* Tract. de Epicureis & Stoicis cap. 4. *Qui bonus eſt ideò bonus eſt, ut beatus ſit, & qui malus eſt, malus non eſſet, niſi indè ſe beatum eſſe poſſe ſperaret.*

8. Probatur ſecundò: Homo ordinat quamlibet ſuam humanam actionem ad aliquod bonum particulare; ſed quodlibet bonum particulare ex naturâ ſuâ reſpicit finem ultimum formaliter & in communi; ergo homo ordinat ſaltem interpretativè quamlibet ſuam humanam actionem, &c. major ſupponitur ex eo, quòd nemo intendens ad malum operetur, ut eſt communiſſima ſententia contrà nonnullos Nominales, quorum in aſſerto meminimus. Minor probatur: Illud benè eſſe, & beatè vivere, quod venit nomine finis ultimi formaliter, & in communi, vel ſumitur cum Vaſquio *hic diſp.* 6. *c.* 2. & Oviedo *controv.* 1. *punct.* 2. *num.* 10. pro collectione omnium bonorum adeò ut qui appetit ſimpliciter benè eſſe, appetat poſſeſſionem cujuſcumque boni, & carentiam cujuſcumque mali; vel cum Pallavicino *diſp.* 2. *q.* 1. *art.* 4. *num.* 6. & Eſparza *lib.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 5. *& art.* 1. *ad* 6. ſumitur pro univerſali & communi ratione boni, adeò ut qui appetit ſimpliciter benè eſſe, appetat bonum ſine ullâ reſtrictione, & ſine ullâ mixtione mali, quod quidem maximè relucet in univerſali, & communi ratione boni; ſed utroque modo quodlibet bonum particulare ex natura ſua reſpicit finem ultimum formaliter & in communi, primò quidem modo tanquam pars integralis ſuum totum, ſecundo modo tanquam differentia ſuum genus, ut patere poteſt conſideranti ergo quodlibet bonum particulare, &c.

Quodlibet particulare bonum reſpicit ex naturâ ſuâ finem ultimum in communi.

9. Aſſert. 3. Regulariter loquendo homo ordinat etiam virtualiter omnem ſuam humanam actionem ad finem ultimum formaliter & in communi, id tamen præſtat liberè, non neceſſariò. Prima pars eſt communis. Secunda pars eſt Scoti *in* 1. *diſt.* 1. *q.* 4. *§. contrà primum argumentum* & *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 10. *§. ex his ſequitur.* Laureæ *in* 4. *tom.* 4. *diſp.* 15. *art.* 3. §. 1. Hetincx *hic diſp.* 1. *quæſt.* 3. *n* 16. Arriagæ *diſp.* 46. *ſect.* 6. *num.* 46. & aliorum plurium præſertim ex Recentioribus contrà Henricum *quodlib.* 5 *q.* 17. *& quodlib.* 4. *q.* 11. Cajetanum 1. *p. q.* 82. *art.* 2. *dub.* 2. Ioannem à S. Thoma *hic q.* 1. *diſp.* 1. *art.* 6. *num.* 20. Gonet *diſp.* 1. *art.* 7. *num.* 155. alioſque Thomiſtas, quos ex Recentioribus ſequitur Pallavicinus *hic diſp.* 2. *q.* 1. *art.* 4. *&* 5.

Probatur & explicatur prima pars. Regulariter loquendo nequit homo habens uſum rationis diù carere cognitione, & amore ſeu intentione finis ultimi formaliter & in communi; regulariter item loquendo nequit talis intentio non influere in aliquem effectũ, quod eſt ipſam virtualiter perſeverare; ergo regulariter loquendo homo operatur ex intentione virtuali finis ultimi formaliter & in communi, & ad hunc per conſequens virtualiter ordinat omnem ſuam humanã actionem; antecedens probatur, habere uſum rationis eſt habere notitiam eorum, quæ rationi conveniunt, præſertim ſi facilè menti occurrant, ſicuti tùm propter innatum appetitum boni proprij, propriæque felicitatis, tùm propter ſocialem hominum vitam, in quâ de re nullâ quiſquam frequentiùs agit, quàm de promovenda propria felicitate, facilè menti occurrit beatitudo & finis ultimus, ſaltem formaliter & in communi; ſuppoſito autem quod menti occurrat ratio aliqua communis & magni boni, quia regulariter appetitum innatum ſequitur appetitus elicitus, talem rationem, quam quiſque naturaliter appetit, actu elicito intendet; & ipſam intendens plura ſucceſſivè operabitur intentione illâ ad ſingula concurrente, vel immediatè per ſe ipſam, vel per aliquem ſuum effectum, quod eſt ad ſingula concurrere vel actualiter vel virtualiter, quod etiam docuit D. Thomas *in* 4. *diſt.* 49 *q.* 1. *art* 3. *quæſtiunc.* 4. *ad* 6. dicens *deſiderium beatitudinis eſt virtute in omnibus aliis deſideriis, ſicut cauſa in effectu*: quæ verba debent intelligi regulariter, & gratis ac immeritò afferuntur ab Adverſariis contrà ſecundam partem aſſerti mox probandam.

Quomodò homo ordinet virtualiter omnia ad finem ultimum in communi.

Probatur & explicatur ſecunda pars. Ordinatio virtualis cujuſcumq; humanæ actionis ad finem ultimum formaliter, & in communi, ſupponit præceſſiſſe in quolibet homine volitionem formalem & actualem ejuſdem finis ultimi, & per conſequens ordinatio illa virtualis non poteſt eſſe neceſſaria, niſi ſit neceſſaria in quolibet homine formalis & actualis volitio finis ultimi formaliter & in communi; atqui hæc volitio in quolibet homine libera eſt, non neceſſaria; ergo pariter libera eſt, non neceſſaria in quolibet homine ordinatio virtualis cujuſcumque humanæ actionis ad finem ultimum formaliter & in communi, ac per conſequens, 10.

dum

dum regulariter loquendo homo ordinat virtualiter omnem ſuam humanam actionē, &c. id præſtat liberè, non neceſſariò: Major admittitur ab adverſariis, & continet compendium doctrinæ, quam ipſi contrà nos urgent, ut ferè in terminis videre eſt apud *Gonet* inter Recentiores & politiores Thomiſtas nulli ſecundum: Minor probatur, ut antecedenter ad omnem humanam actionem neceſſaria ſit, non libera, formalis & actualis volitio finis ultimi formaliter & in communi duo potiſſimum requiruntur. Primum eſt, quod homo perveniens ad uſū rationis prius cogitet de fine ultimo in communi, ſcillicet de ſuo benè eſſe & feliciter vivere, quam de aliqua alia re particulari: Secundum eſt, quod quoties intellectus cogitat de ultimo fine in communi ipſumque voluntati proponit, hæc babeat omnimodam neceſſitatem etiam exercitij ad illum volendum & amplectendum; at neutrum ex his ſubſiſtit: Non ſubſiſtit primum, quia cum homo intelligat dependenter à ſenſibus, & bona particularia ſint magis ſenſibilia, quàm finis ultimus in communi, facilè homo poteſt præſertim in primordio ſui uſus rationis ab aliquo bono particulari excitari ad cogitandum de ipſo, priuſquam cogitet de fine ultimo in communi. Non ſubſiſtit ſecundum, quia circà bonum propoſitum ſub purà ratione boni licèt voluntas non habeat libertatem ſpecificationis, quâ poſſit ipſum poſitivè nolle aut odio habere, habet tamen libertatem exercitij, quâ poteſt circà ipſum ſe habere negativè & omnem actum ſuſpendere; quod ſic probatur primò, libertas exercitij eſt minor libertate ſpecificationis, ergo poteſt dari circà aliquod objectum, circà quod dari non poſſit libertas ſpecificationis; at hoc non verificaretur, ſi requireret in objecto rationem boni & mali, nec poſſet exerceri circà puram rationem boni: Secundò, quod Deus nequeat ſuſpendere amorem circà bonum à ſe cognitum, provenit ex infinitate ſeu infinita amativitate ipſius *ex tract* 1. *l.* 4. *cap.* 3. *n.* 2. *&* 9. ergo id non debet extendi ad creatam voluntatem, quæ habet finitam & limitatam virtutem amandi; imò ſicuti ibi ex infinitate arguitur non poſſe haberi, ità è contrà hic ex finitate arguendum eſt poſſe haberi ſuſpenſionem amoris circà bonum cognitum ut purè tale: Tertiò, ex duplici capite oritur in voluntate creatâ neceſſitas exercitij, vel ſcilicet ex imperfectione, quatenùs operatur modo communi brutis, & hoc non facit ad rem in præſenti, quia intentio finis eſt actus proprius hominis ut homo eſt, non communis brutis; vel ex perfectione, quatenùs operatur circà objectum adæquans totam ipſius univerſalitatem ac indifferentiam & tale non eſt objectum de quo in præſenti, aliud enim eſt dicere bonum propoſitum ſub pura ratione boni, aliud eſt dicere ſummum bonum clarè viſum; ergo ex neutro capite oritur in voluntate creatâ neceſſitas exercitij circà finem ultimum in communi: Quartò, eſt in poteſtate voluntatis ſuſpendere aſſenſum intellectus circà verum propoſitum ut verum; ergo etiam ſuſpendere proprium amorem circà bonum cognitum ut bonum, ſeu ſub ratione boni; probatur conſequentia, quia ex una parte intellectus eodem modo ſe babet ad verum, quo voluntas ad bonum, & hæc ex alia parte non habet minorem poteſtatem, aut minus exercitium libertatis circà proprios actus, quàm circa illos aliarum potentiarum: Quintò, humana voluntas eſt potentia ex genere ſuo libera, ergo nullus ipſius actus debet poni neceſſarius, niſi cogat ratio omninò convincens, at nulla convincens ratio cogit ad ponēdum neceſſarium actum, quo intenditur finis ultimus formaliter & in communi; ergo.

11. Non eſt neceſſe, quod primum cognitum reſpectu hominis ſit beatitudo in communi.

12. Cognitâ beatitudine in communi homo ipſam liberè vult libertate exercitij.

Duplex radix neceſſitatis exercitij.

13. Dices non deſiderari aliquam hujuſmodi rationem, imò præſto eſſe multiplicem; Prima ſit: nulla cauſa efficiens ſecunda operari poteſt ſine præcedente influxu primi efficiētis, ergo etiam nullus finis proximus finalizare poteſt ſine præcedente motione finis ultimi; at hæc motio haberi nequit ſine ipſius finis ultimi cognitione & volitione; ergo ſi antè omnem humanam actionem propter aliquem finem proximum factam, neceſſaria eſt finis ultimi motio, neceſſaria eſt etiam ejuſdem cognitio & volitio. Secunda ſit: Omnis actus liber reſolvitur in aliquem actum neceſſarium; ſed nullus eſt actus neceſſarius in quem omnis actus liber reſolvi poſſit meliùs, quàm in actum intentivum finis ultimi in communi; ergo verè actus intentivus finis ultimi in communi eſt neceſſarius; major probatur, omne liberum fundatur in aliquo naturali, omne contingens oritur ex aliquo neceſſariò, omne varium & mobile reducitur in aliquod fixum & immobile, ut ex profeſſo conatur oſtendere Pallavicinus *hic diſp.* 2. *q.* 1. *art.* 3. ergo omnis actus liber, &c. Tertia ſit, voluntas id tantùm poteſt non velle, in quo apparet aliquis defectus boni, ſed in bono propoſito ſub pura ratione boni nullus apparet defectus boni, ergo voluntas non poteſt ipſum non velle, & per conſequens omninò neceſſitatur ad ipſius volitionem. Quarta ſit, ità ſe habet voluntas ad ultimum finem ſicut intellectus ad prima principia; ſed intellectus non poteſt non aſſentiri primis principiis, & dependenter ab iſtis aſſentitur aliis omnibus; ergo voluntas non poteſt non velle ultimum finem, & dependenter ab hoc vult alia omnia. Quinta ſit: Omnis potentia habet aliquod objectum, quod neceſſariò reſpicit, habet quippè aliquod objectum ſpecificativum, in ordine autem ad proprium ſpecificativum non datur indeterminatio & indifferentia; ſed nullum eſt objectum, quod voluntas poſſit neceſſariò reſpicere, niſi bonum ſub ratione boni; ergo verè hoc voluntas neceſſariò reſpicit, neceſſariò vult. Sed contra:

Rationes pro neceſſitate intendendi finē ultimum antè omnē humanam actionem.

14. Ad primum concedo antecedens, nego abſolutè conſequentiam, ut jacet: Primo quia in ipſa nomine finis ultimi, vel venit finis ultimus verus & in ſingulari; & de hoc nec eſt ſermo in præſenti, nec ipſi Adverſarij contendunt ipſum ab homine neceſſariò intendi

Solvuntur prima ratio.

tendi antè quamlibet humanam actionem; vel venit finis ultimus formaliter ac in communi, & ad hunc malè arguitur à cauſa prima efficiente, quæ eſt verè & in particulari primum efficiens, adeoque deberet comparari ad finem ultimum verum & in particulari ut ſervaretur proportio & vis aliqua paritatis: Secundò quia, licèt in multis primum agens & finis ultimus æquiparentur, in aliquibus diſparia ſunt, & in propoſito diſparitas eſt, quia influxus primi efficientis profluit ab ipſo ut realiter exiſtente, & ſicuti in realiter exiſtendo non pendet à cauſa ſecunda, ità nec in influendo, hæc propterea nequit talem influxum aut impedire aut reſpuere: at motio finis ultimi præſtatur ab ipſo ut exiſtente intentionaliter & in apprehenſione, & quia hæc exiſtentia pendet à creatura, pendet etiam à creatura in movendo, nec mirum quod poſſit creatura ipſius motionem abjicere.

15. Solvitur ſecunda ratio. Ad ſecundum nego abſolutè majorem, & dico ſufficere actui libero, quod reſolvatur in aliquod neceſſarium ex parte actus primi, non requiri reſolutionem ipſius in aliquod neceſſarium, quod ſit actus ſecundus; ſolùm etiam in naturale, in immobile, in fixum per modum actus primi quæ libera, quæ mobilia, quæ varia ſunt, debent reduci; neque liberi riſus v. gr. in aliquem riſum naturalem, aut ſucceſſivæ calefactiones in aliquam calefactionem immobilem reducuntur; ſed illi in actum primum riſibilitatis quæ eſt naturalis proprietas hominis, iſtæ in actum primum virtutis calefactivæ, quæ immobiliter convenit igni; ità & in propoſito actus liberi intentivi alicujus boni in homine reſolvuntur, tanquam in aliquod neceſſarium per modum actus primi, in appetitum innatum ad benè eſſe & beatè vivere.

16. Solvitur tertia ratio. Ad tertium dico voluntatem poſſe tantùm non velle poſitivè ſeu odio habere id, in quo apparet aliquis defectus boni; negativè verò, & per puram ſuſpenſionem actus, poſſe etiam non velle puram aliquam rationem boni, & ad hanc neceſſitari quidem quoad ſpecificationem, quatenùs circà ipſam nequit exire niſi in unam ſpeciem actus; at non neceſſitari quoad exercitium, quatenùs nequeat non exire in exercitium actus. Neque dicas, ut voluntas ſuſpendat actum volitionis circà objectum propoſitum, debet ei occurrere aliquod motivum, hoc nequit eſſe aliud, quàm defectus alicujus boni in objecto; ergo ubi nullus eſt talis defectus, nulla eſſe poteſt in voluntate ſuſpenſio: Contrà enim 1 experimentum propriæ libertatis eſſe poteſt voluntati ſufficiens motivum ſuſpendendi actum.

17. Solvitur quarta ratio. Ad quartum dico proportionem inter voluntatem comparatam ad ultimum finem, & intellectum comparatum ad prima principia, eſſe ſolùm quoad ordinem cauſandi, quatenus, ſicuti prima principia poſſunt eſſe intellectui cauſa aſſentiendi cæteris, ità ultimus finis poteſt eſſe voluntati cauſa intendendi cætera; non quoad modum cauſandi, quatenùs ſicuti prima principia neceſſitant intellectum, ità ultimus finis neceſſitet voluntatem; illa enim neceſſitant intellectum, quia inveniunt ipſum eſſe potentiam naturalem & determinatam ad unum, qualis non eſt voluntas; undè etiam, quia intellectus, ut ſubeſt voluntati, habet modum operandi liberum, ex imperio voluntatis poteſt ſuſpendere aſſenſum ad prima principia; ſicque in hoc paritas nobis favet; ſicuti etiam favet in eo, quod poſſumus aſſentiri aliquibus aliis principiis abſque eo, quod antecedenter præſtiterimus actualem & expreſſum aſſenſum primis principiis univerſaliſſimis; poſſumus igitur quoque intendere aliquos fines proximos abſque prævia intentione actuali & expreſſa finis ſimpliciter ultimi.

Ad quintum, omnis potentia neceſſariò reſpicit aliquod objectum neceſſitate ſpecificationis, non neceſſitate exercitij, niſi ſit potentia naturalis & intrinſecè ad unum determinata, qualis non eſt voluntas; quæ 18. Solvitur quinta ratio. propterea eſt quidem neceſſitata ad bonum quoad ſpecificationem amoris, ad malum quoad ſpecificationem odij, ad neutrum verò quoad exercitium aut amoris aut odij.

---

§. II.

Utrum homo ordinet quamlibet ſuam humanam actionem ad verum finem ultimum in ſingulari, ſcilicet ad Deum?

19. Homo etiam juſtus non ordinat omnia actualiter ad Deum. ASSERT. 1. Homo etiam juſtus non ordinat actualiter quamlibet ſuam humanam actionem ad verum finem ultimum in ſingulari, ſcilicet ad Deum. Dixi *homo juſtus*, quia de homine peccatore, utpotè qui ex infrà dicendis, non habet Deum pro fine ultimo, faciliùs conſtat quod ad Deum actu omnia non ordinet. Eſt aſſertum communiſſimum.

Probatur: Homo etiam juſtus, nec in omni ſua actione actu cogitat de Deo, nec in omni Deum intendit volitione formali & expreſſa; ergo homo etiam juſtus non ordinat actualiter, &c. conſequentia patet, antecedens probatur tùm ex praxi, quam quilibet juſtus, qui præſertim eximiæ & heroicæ ſanctitatis non ſit, poteſt in ſeipſo experiri; tùm ratione, quia homo etiam juſtus nec habet neceſſitatem phyſicam, nec neceſſitatem præcepti cogitandi de Deo, Deumque intendendi in omni ſua actione; non habet neceſſitatem phyſicam, quia ſecùs in ordinatione propriarum actionum ad Deum homo etiam juſtus nullatenùs mereretur; non habet neceſſitatem præcepti, quia ſapientiores etiam ſanctioreſque viri non agnoſcunt impoſitum eſſe tale præceptum, imò propter moralem impotentiam ipſum adimplendi neque etiam imponi rationabiliter poteſt; undè conſilium continent, non præceptum

verba illa 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*, & Coloſſenſ. 3. *Omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti* ſi ly *in* utrobique ſumatur ad ſignificandam ordinationem actualem quâ de re egregiè loquitur D. Thomas *in* 2. *diſt*.40. *quaſt*. 1. *art*.5. *ad* 7. Confirmatur aſſetum: Peccatot ſibi conſtituens pro ultimo fine creaturam, non ordinat actualites quamlibet ſuam humanam actionem ad creaturam, ergo neque juſtus habens pro ultimo fine Deum osdinat ad ipſum omnem ſuam actionem; conſequentia psocedit à pari, antecedens probatus, ſi peccator osdinaret actu omnem ſuam actionem ad creaturam in omni ſua actione peccaret, quod falſum eſt, & contrà mentem trium ſummorum Pontificum damnantium propoſitionem illam Michaëlis Baij, *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia.*

20. Bene tamen habitualiter & interpretativè.

Aſſert. 2. Homo juſtus, ut talis, ordinat tùm habitualiter tùm interpræiativè quamlibet ſuam humanam actionem ad verum finem ultimum, &c. Dixi, *ut talis*, ſcilicet ut juſtè operans, ſeu ut ſervans juſtitiam in opesando, nam de homine juſto malè operante & amittente juſtitiam in operando aliter eſſe ſentiendum conſtat ea ipſamet aſſerti probatione & eaplicatione, quàm ſubjicio, ſicque

Probatur, & explicatus aſſertum: Homo juſtus per habitus virtutum infuſarum, ſpei præſertim & charitatis Deum reſpicit tanquam finem ultimo aſſequibilem, & ſuper omnia diligibilem, ut talis deindè, ſeu ut juſtè operans, non erumpit niſi in actus virtutum & opesationes honeſtas, quæ ex natura ſua habent maximam sefetibilitatem in Deum; ergo homo juſtus, ut talis, ratione habituum exiſtentium in ſubjecto habet ordinem habitualem, ratione honeſtatis selucentis in opere habet ordinem interpretativum ad Deum, tanquam ad verum finem ultimum, & pes conſequens homo juſtus, ut talis, osdinat tùm habitualiter, tùm interpsetativè omnem ſuam humanam actionem ad verum finem ultimum, &c. ſecùs ſe res habet in homine juſto malè operante & amittente juſtiſiam; hic enim, quatenùs juſtitiam amittit, amittit habitualem ordinem ad Deum, amittit quippè habitum charitatis, & licèt, dum non deſperat, retineat habitum ſpei, retinet tamen ipſum informem, & cum ordinatione ad Deum valdè semota ac impsopria; quatenùs malè operatus erumpit in opus ad Deum irreferibile, ſicque nec habitualiter nec interpretativè ſuam actionem ad Deum ordinat.

21. Et ut plurimùm etiam virtualiter.

Aſſert. 3. Homo juſtus, ut talis segulariter, & ut plurimùm, ordinat etiam virtualiter quamlibet ſuam humanam actionem ad verum finem ultimum, &c. ad id tamen nec tenetur neceſſitate phyſicâ, nec neceſſitate præcepti. Hoc aſſertum ſub his expreſſis & propriis terminis via agitatur, in re tamen eoſdem habet & propugnatores & oppugnatores, quos aſſertum ſuprapoſitum, *num.* 9. Pro cujus utriuſque clarioce ſe notitia adveſto ly *virtualiter* ab aliquibus latiùs ſumi pro ut ſub ſe continet illud, quod nos dicimus interpretativè, ſic Salas *hic diſput*.8. *ſect*. 5. *num*.57. poſt aſſignatos tres modos intendendi finem actualites, habitualites, virtualiter, ait, *alij addunt quartum modum ſcilicet interpretativè hic tamen modus ſub tertio comprehenditur*, in eadem ferè latitudine eaplicant ly *virtualiter* Sylvius *quaſtio*. 1. *artic*. 6. §. *Poſterior eſt*, Valentia *diſput*. 1. *quaſt*. 1. *punct*. 5. Ioan. à S. Thoma *quaſt*. 1. *diſp*. 1. *artic*.6. *num*.33. aliique nonnulli; qui proptereà à nobis diſſentiunt potiùs in modo explicandi ly *virtualiter*, quàm in re ipſa, dum ſimplicites affirmant ordinationem virtualem omnium humanarum actionum ad finem ultimum, aut in communi, aut etiam in ſingulari, quam nos negamus. Evitabimus quæſtionem de nomine ſi diaerimus ly *virtualiter* à nobis ſumi ſtrictè prout contra diſtinguitus ab interpretativè modo ſuprà eaplicato *num*.4.

Ly *virtualiter* a diverſis diverſimodè ſumitur.

Probatur prima pars: Regulariter nequit homo in uſu rationis conſtitutus invincibiliter diù carere notitia Dei ſub conceptu aliquo communi, & conſuio bonitatis beatitudinis, ultimi finis, ex ſupradictis *tract*. 1. *lib*. 1. *cap*. 1. *num*. 35. & 36. Regularises item loquendo nequit homo præſertim juſtus, adeoque gratiæ roboratus auxiliis, & virtutum inſtructus habitibus, frequenter non elicere actus aliquos amoris & ſpei, quibus ſe & ſua in Deum tanquam in verum ultimum finem dirigat, & deindè operetus vi talis disectionis, vel pes ſe ipſam, vel per aliquem ſuum effectum in quo ipſa virtualiter perſeveret, influentis.

Probatus ſecunda pars: Homo juſtus nec habet neceſſitatem phyſicam, nec neceſſitatem præcepti eliciendi actum, quo formalites Deum intendat, tanquam ſuum finem ultimum, aut initio uſus rationis, aut ſæpiùs in vitæ decursu; ſed talis actus omninò sequisitur, ut homo regulasiter, & ut plurimum ordinet virtualiter quamlibet ſuâ actionem ad Deum; ergo in osdine ad hanc osdinationem homo juſtus nec habet neceſſitatem phyſicam, nec neceſſitatem præcepti; minor patet ex intelligentia ordinationis virtualis, de quâ in præſenti, ſumptæ ſtrictè, & ut contradiſtinctæ ab ordinatione interpretativa: Majot quoad neceſſitatem 22.
phyſicam patet, quia cum actu, quo formaliter Deus intenditus ut ultimus finis, nequit conjungi lethale peccatum, quo ultimus finis in creatura conſtituitur, adeoque quatenùs homo haberet neceſſitatem phyſicam eliciendi talem actum, haberet neceſſitatem phyſicam non peccandi, & careret libertate requiſita ad demerendum, vel mesendum: Major eadem quoad neceſſitatem præcepti ptobatur vel ſermo eſt de præcepto ſpeciali; & de hoc non conſtat, cum nulla fiat ipſius mentio inter alia præcepta, vel ſermo eſt de præcepto indiſtincto à præcepto charitatis, quatenùs ſicut in actu charitatis continetur ordinatio ad Deū,

Non datur præceptum ordinandi virtualiter omnia in Deum.

ità

ità cenſeatur neceſſarius neceſſitate præcepti actus ordinationis ad Deum tanquam ad verum finem ultimum, quoties eſt eadem neceſſitate neceſſarius actus charitatis juxtà doctrinam D. Thomæ *in 2. diſt 40. q. 1. art. 5. ad 6.* dicentis *Si quæratur, quando oportet actum referri in finem ultimum: hoc nihil aliud eſt, quàm quærere, quando oportet habitum charitatis exire in actum; quia quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, & per conſequens omnium eorum, quæ in ipſum ordinantur.* Et hoc neque eſt præceptum directum ordinationis ad Deum, nec fortè per ſe & vi ſua obligat initio uſus rationis, & ſæpiùs in vitæ decurſu, de quo infrà circà finem tractatus de fide, ſpe, & charitate.

Dices: ſi homo juſtus, ut talis, non teneretur ordinare quamlibet ſuam humanam actionem, ſaltem virtualiter ad Deum, tanquam ad verum ultimum finem, poſſet homo juſtus, ut talis, frui creatura; atqui hoc eſt omninò falſum; ergo minor probatur, quia juxtà doctrinam Auguſtini *lib. 1. de doctrina chriſtiana cap. 4. & 21.* creaturis utendum eſt, ſolo Deo fruendum, & juxtà eumdem *lib. 83. quæſtionum quæſt. 30.* dicentem *Omnis humana perverſio, quod etiam vitium vocatur, eſt fruendis uti velle, atque utendis frui*, colligitur quòd frui creaturis ſit pravitas & perverſio, quæ utique non poteſt cadere in juſtum ut talem: ſequela etiam majoris probatur, frui re aliqua eſt tendere in ipſam propter ſe & abſque ordinatione ipſius ad aliud, at juſtus ut talis per eam actionem, quam neque virtualiter ad Deum ordinaret, tenderet in creaturam propter ſe & abſque ordinatione ejus ad aliud; ergo ſi homo juſtus ut talis non teneretur, &c.

23. Sed contrà dupliciter poſſumus frui re aliquâ vel excluſivè ſeu negativè, ità tendendo in ipſam propter ſe, ut poſitivè excludamus, ſeu negemus quamcumque ordinationem ipſius ad aliud, vel præciſivè & permiſſivè tendendo in rem aliquam propter ſe, ità ut nec ordinemus ipſam ad aliud, nec talem ordinem excludamus, quin potiùs in ipſa relinquamus ordinationem aliquam implicitam: Primo modo fruendum eſt ſolo Deo & frui creatura eſſet perverſio, quam juſtus ut talis nequit admittere: Secundo modo non eſt neceſſe frui ſolo Deo, & ipſemet Auguſtinus *quæſt. 30 præcit.* ait *fruendum eſt honeſto*, quolibet igitur honeſto frui poſſumus præciſivè, poſſumus ſcilicet abſque ulla culpa exercere opus aliquod virtutis moralis, neque actualiter neque virtualiter, referendo ipſum ad Deum, relinquendo tamen relationem implicitam ſeu interpretativam, quam ad Deum habet ex natura ſua, & hanc relinquimus, quoties opus illud exercemus ex motivo honeſto, aut etiam ex motivo indifferenti in ſententia admittente dari poſſe actus in genere moris indifferentes.

In quo ſenſu liceat juſto frui creatura.

24. Dubitatur hic: Vtrùm modo mox explicato etiam peccator frui poſſit creatura abſque culpa? Reſpondetur affirmativè; ratio eſt quia etiam peccator, imò etiam infidelis operari poteſt ex motivo honeſtatis aliquid, quod ad Deum nec actu nec virtute referat, nulluſque hâc in re videtur remanſiſſe ambigendi locus, poſtquam definitum eſt *non omnia infidelium opera eſſe peccata*, & immeritò Ianſenius Iprenſis *lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ, cap. 27.* contendit ejuſdem cum Michaele Baio mentis, in propoſitione illa reprobata, fuiſſe D. Auguſtinum, dum dixit lib. 4. contrà Iulianum cap. 3. *Abſit ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus; abſit autem, ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide*: Enimverò hoc in loco Auguſtinus agit contrà Pelagianos ponentes poſſe hominem ex viribus naturæ exercere opera bona, non quomodocumque, ſed meritoria gloriæ, & ut oportet ad ſalutem; de vera virtute requiſita ad hujuſmodi opera intelligenda ſunt verba illa *Abſit, ut ſit in aliquo vera virtus, &c.* cæterùm quod juxtà Auguſtini mentem non omnia infidelium opera vitioſa & peccaminoſa ſint manifeſtè colligitur *ex lib. de ſpir. & litt. cap. 27.*

Quomodò id liceat etiam peccatori.

In quo ſenſu Auguſtinus negaverit omnem veram virtutem in infidelibus.

25. Ex dictis habetur Io. à S. Thoma *hic q. 1. diſput. 1. art. 6. num. 40.* nimis latè & minùs propriè exponere intentionem virtualem finis, dum vult ipſam ſemel factam durare, & influere, quamdiù non interrumpitur ſeu corrumpitur per contrariam intentionem, ſeu aſſecutionem finis, eo quòd ex actuali intentione ſemper relinquatur quædam determinatio, quæ dicatur intentio virtualis, nec corrumpatur, niſi eo modo, quo corrumpuntur habitus; non per puram ſcilicet ceſſationem ab actu, ſed per contrarium facilè conſurgens poſt ceſſationem actus. Hæc doctrina meo videri omninò confundit intentionem virtualem cum habituali; illud enim, quod ex actu relinquitur, ipſoque actu ceſſante perſeverat, niſi à contrario oppugnetur, & non eſt actus elicitus, non poteſt eſſe aliud quàm habitus; aut ſaltem non differt ab eo, quod communiter vocatur habitus, licèt *Io. à S. Thoma* uti velit nomine determinationis, non nomine habitus. Neque dicas determinationem illam in opus influere, non ſic intentionem habitualem ut talem præcisè. Contrà enim: determinatio illa non influit præcisè ex eo, quod non fuerit revocata, ſed ex eo, quod vel facilitet potentiam ad novum actum ordinationis in finem, & ſic habetur intentio actualis finis, vel ſimul cum ipſa perſeveraverit ſucceſſivè connexa ſeries operationum ex vi primæ intentionis inchoata, & tunc ordinatio virtualis in finem habetur ex vi operationum ſibi cum connexione ſuccedentium, non præcisè ex vi determinationis non retractatæ.

Ordinatio virtualis in finem ab aliquibus confunditur cum habituali.

26. Habetur inſuper hominem exiſtentem in lethali peccato, in iis etiam, quæ operatur ex motivo honeſtatis; non habere tantam ordinationem ad Deum, ut verum finem ultimum, quantam habet juſtus. Iuſtus enim ex dictis omnem ſuam actionem habitualiter, & ferè omnem virtualiter in

Opus honeſtum nō eodem mo-

do ordinatur in Deũ à peccatore. ac à juſto.

Deum ordinat; Peccator cum careat habitu charitatis & vel nullam habuerit, vel per peccatum retractaverit tendentiam in Deum tanquam in finem ultimum, etiam quando operatur ex motivo honeſtatis operatur & ſine habituali, & ſine virtuali ordinatione in Deum: Iuſto igitur & peccatori ex motivo honeſtatis operanti communis ſolùm eſt ordinatio ad Deum interpretativa; quæ tamen etiam ipſa minor eſt in peccatore, quàm in juſto; quia in peccatore ſe tenet tantùm ex parte operis, injuſto etiam ex parte operantis; in illo oritur ex ſolâ naturâ operis; in iſto tùm ex naturâ operis, tùm ex diſpoſitione & affectu operantis, ut luculentiùs conſtabit ex ſequentibus.

---

§. III.

An, & quomodò peccans lethaliter habeat pro fine ultimo creaturam.

27. Peccans lethaliter nõ habet pro fine ultimo Deum, ſed aliquo modo creaturam.

ASSERT. I. Certum eſt peccantem lethaliter non habere pro ultimo fine Deum, ſed aliquo modo creaturam. Ità D. Thomas *1. p. quæſt. 89. art. 1. ad 3. q. 18. de verit. art. 2. ad 10. q. 7. de malo art. 1. ad 20. lect. 2. in cap. 2. ad Rom. & alibi.* Scotus *in 1. diſt. 1. quæſt. 5. §. ex his* D. Bonaventura *in 2. diſt. 42. art. 2. q. 1.* Albertus *ead. diſt. art. 3.* Vaſquez *hic diſp. 5. cap. 1.* Valentia *diſp. 1. q. 1. punct. 6.* Oviedus *tract. 1. controv. 1. punct. 4.* Sylvius *q. 1. punct. 5. §. Quæritur* Io. à S. Thoma *q. 1. diſp. 1. art. 7.* Madernus *tract. 4. q. 1. art. 4.* Salas *tract. 1. diſp. 8. ſect. 3.* aliique omnes Theologi & Sancti Patres communiſſimè, undè Adrianus, qui *quodlib. 7. q. 3.* oppoſitum ſenſiſſe refertur, ab aliquibus cenſuram ſubit temeritatis, ut notat Ioannes à S. Thoma *art. præcit. num. 3* à nonnullis aliis tamen mitiùs excipitur, eumque Salas *ſect. præcit. num. 40.* conciliat cum Auctoribus communis & veræ ſententiæ, à quâ vult ipſum non in re ipſa, ſed tantum in modo loquendi receſſiſſe. Dixi *Certum eſt*, &c. quia poſitum aſſertum, ut jacet, & præſcindendo à modo, quo peccator finem ultimum in

Idque eſt de fide.

creaturâ conſtituat, eſt de fide, ut tradit Salas *ſect. eam. 39.* aut ſaltem eſt de fide quoad primam partem, penè de fide quoad ſecundam ut tradit Valentia *punct. præcit.*

Probatur: Peccans lethaliter avertit ſe à Deo, & convertit ſe ad creaturam; ergo quatenùs avertit ſe à Deo deſinit habere pro ultimo fine Deum, quatenùs convertit ſe ad creaturam incipit habere pro ultimo fine creaturam; antecedens probatur pluribus Scripturæ locis, in quibus peccatores dicuntur Deum deſerere Iſa. 1. *Væ genti peccatrici* &c. *dereliquerunt Dominum*: item cap. 30. *Væ filij deſertores.* Ierem. 16. *Dereliquerunt me Patres veſtri.* 2. Paralip. 7. *Si autem averſi fueritis.* Aliis in locis innuitur converſio ad creaturam ad Philip. 3. *quorum Deus venter eſt.* Io. 8. *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*; quia ſcilicet peccatum in ejus animo dominium obtinet & principatum, tanquam ultimus finis; eadem de cauſa Epheſ. 5. avaritia dicitur *idolorum ſervitus.* Aliis denique in locis averſio à Deo, & converſio ad creaturam ſimul oſtenditur Ierem. 2. *Duo mala fecit populus meus, & dereliquerunt me fontem aquæ vivæ*, Ecce averſionem à Deo, *& foderunt ſibi ciſternas diſſipatas*, ecce converſionem ad creaturam Io. 12. *dilexerunt gloriam hominis*, Ecce converſionem ad creaturam, *magis quam gloriam Dei*, Ecce averſionem à Deo. Hanc eamdem averſionem & converſionem ſimul confirmant ea loca, quibus Deus peccatores, quos ad reſipiſcentiam vocat, hortatur ut denuò ad ipſum convertantur, ſupponitque per conſequens ab ipſo averſos & converſos ad aliquid aliud; ſic habetur Eccleſ. 5. *Non tardes converti ad Dominum.* Iſa. 45. *convertimini ad me, & ſalvi eritis.* Ierem. 4 *ait Dominus ad me convertere.* Mitto plures Sanctorum Patrum auctoritates ſummoperè concordes relatis auctoritatibus Scripturæ, & has corroborationc, quæ etiam eſſe poteſt probatio primæ conſequentiæ ſuprà poſitæ, ſicque aſſertum

Probatur ſecundò: Peccans lethaliter magis amat in ratione finis creaturam, quàm Deum, illamque huic præfert; ergo peccans lethaliter non habet pro ultimo fine Deum, ſed aliquo modo creaturam. Antecedens probatur pecans lethaliter anteponit amicitiæ Dei amorem creaturæ, amat enim creaturam amore incompoſſibili cum amicitia Dei, & cum jactura amicitiæ Dei, qui autem ex duobus incompoſſibilibus unum vult cum jactura alterius, utique unum magis amat quam alterum, unum alteri præfert; ſed anteponendo amicitiæ Dei amorem creaturæ magis amat in ratione finis creaturam quàm Deum, illamque huic præfert, quia amor amicitiæ fertur in rem tanquam in finem, ideſt gratia ſui, adeoque magis amare amore amicitiæ eſt magis amare in ratione finis; ergo peccans lethaliter magis amat in ratione finis, &c. Conſequentia etiam primi argumenti probatur, habere aliquid pro fine eſt illud amare ſeu intendere in ratione finis; ergo ex duobus quodammodo contendentibus pro prærogativa ultimi finis illud habetur pro ultimo fine, quod magis quàm alterum in ratione finis amatur alterique præfertur; ergo ſi peccans lethaliter magis amat in ratione finis creaturam, &c. non habet pro ultimo fine Deum, ſed &c. 28.

Amare in ratione finis eſt amare amore amicitiæ.

Dices: ſaltem in aliquibus caſibus contingere poteſt, quòd peccans lethaliter non magis amet creaturam, quàm Deum; ergo nec probatio mox allata, nec aſſertum univerſaliter poſita ſubſiſtunt; antecedens probatur referendo aliquos hujuſmodi caſus: Primus ſit in eo, qui peccaret ex intentione placendi Deo puta mentiretur ad promovendum Dei cultum, vel malum aliquod perpetraret exiſtimans ſe obſequium præſtare Deo juxtà illud Io. 16. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Secundus in eo, qui peccaret ex

Caſus, in quibus peccator videtur non magis diligere creaturam, quã Deum.

quàdam

quâdam ſpe & fiducia veniæ, hic enim retinet aliquem affectum ad Deum, nec vult ab ipſo ſimpliciter recedere. Tertius in eo, qui peccaret propter proximum, puta pejareret propter Amicum, quem tamen non magis diligeret, quàm ſe ipſum; hic enim Amicum, propter quem peccat, ſicuti poteſt non magis diligere quàm ſe ipſum, ità & poſſet non magis diligere quàm Deum. Quartus in eo, qui habens pravum affectum ad mulierculam non eſſet tamen paratus pro ipſa mori, eſſet autem paratus mori pro Deo; hic enim præferret amorem propriæ vitæ amori objecti peccaminoſi, & amorem Dei amori propriæ vitæ; ergo etiam amorem Dei amori objecti peccaminoſi. Quintus in eo, qui peccaret & una ſimul haberet actum, quo vellet ſe & alia omnia perire potiùs quàm Deum, hic enim quamvis peccans, ſicuti præferret exiſtentiam Dei exiſtentiæ rerum omnium, ità & amorem Dei amori

29. *Peccans poteſt amare Deum ſub aliqua particulari ratione.*

rerum omnium. Sed contrà: dico peccatorem in relatis caſibus magis amare Deum, quàm creaturam, aut affectu inefficaci, aut ſolùm ſecundùm aliquam particularẽ & determinatam rationem; non verò affectu efficaci & vero amore amicitiæ, qui debet eſſe univerſalis & includere propoſitum placẽdi Deo in omnibus, ipſumque omnibus quoad omnia præferendi, qui tamen amor requiritur ut Deus intendatur ameturve in ratione finis, & quem certè amorem non habet peccans lethaliter, utpotè qui lethaliter peccando

Solvuntur ſuperiores inſtantiæ.

diſſolvit & amittit Dei amicitiam: Sic v.g. ad primam inſtantiam dico mentientem ad promovendum divinum cultum magis amare Deum, quàm creaturam, in ratione cultus: at non in omni ratione: ad ſecundam dico peccantem ex ſpe & fiducia veniæ habere ſolùm, aut velleitatem non diſplicendi Deo, aut voluntatem non diſplicendi pro ſemper, quod non ſufficit ad veram amicitiam. Ad alias inſtantias, quòd ſolùm in ratione vitæ & mortis præferretur Deus creaturis, aut in aliqua alia particulari ratione, non univerſaliter.

Inſtabis: qui in ratione vitæ & mortis præfert Deum creaturis eſt paratus mori pro Deo; ſed qui eſt paratus mori pro Deo non poteſt non habere erga Deum perfectam amicitiam & maximam charitatem juxtà teſtimonium Chriſti dicentis Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro Amicis ſuis*: ergo ſi peccans lethaliter poteſt eſſe paratus mori pro Deo, poteſt præferre Deum creaturis univerſaliter & in ratione amicitiæ. Sed con-

30. *In quo ſenſu ſit dilectio maxima animã pro alio ponere?*

trà: Qui paratus eſt mori pro Deo ex motivo charitatis verè habet ergà Deum perfectam amicitiam & maximam charitatem, nec ullus habet majorẽ dilectionem ea, quâ quis ex motivo charitatis animam ſuam ponit pro Amicis ſuis; cæterùm eſſe paratum ex motivo aliquo particulari diverſo à charitate, quâ ſolùm ratione poteſt eſſe paratus mori pro Deo qui peccat, non arguit perfectam amicitiam, nec prodeſt apud Deum teſtante Apoſtolo 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ità ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

Aſſert. 2. Peccans lethaliter habet creaturam pro ultimo fine non negativè tantùm, ſed poſitivè. *Peccans lethaliter habet creaturam pro fine poſitivè ultimo.* Ità Valentia *hic diſput.* 1. *q.* 1. *punct.* 6. *aſſert.* 2. Salas *diſp.* 8. *ſect.* 3. *n.* 40. Oviedus *controv.* 1. *punct.* 4. *n.* 37. Ioannes à S. Thoma *diſput.* 1. *art.* 7. *n.* 3. & 7. aliique magis communiter contrà nonnullos relatos à Zumel 1. 2. *q.* 71. *art.* 6. *diſp.* 11. ad quos valde accedunt Azorius *lib.* 1. *inſtit. moral. c.* 2. *q.* 5. & 7. Vaſquez *hic diſp.* 5. *c.* 1. & 3. Madernus *q.* 1. *art.* 4. *n.* 5.

Probatur & explicatur. Finis ultimus negativè, qui etiam ab aliquibus dicitur finis ultimus operis, eſt quando opus ipſum ad aliud non refertur, imò eſt irreferibile ad aliud ex natura ſua; non tamen cætera omnia referuntur ad ipſum, nec operans ſe ſuaque omnia ad illum ordinat: Finis ultimus poſitivè, qui etiam dicitur finis ultimus operantis, eſt quando non ſolùm opus ità in eo terminatur ut ulteriùs non tendat, ſed etiam operans ità in eo quieſcit ut ad ipſum referat ſe & alia omnia, atqui peccans lethaliter habet creaturam pro ultimo fine hoc ſecundo modo; ergo non negativè tantùm, ſed poſitivè; major continet explicationẽ utriuſque finis, in quâ conveniunt etiam Adverſarij. Minor probatur: Peccans lethaliter antepo- 31. *Finis negativè & finis poſitivè ultimus quid?* nit in ratione finis creaturam Deo, & deſerendo amicitiam Dei propter amorem creaturæ conſtituit in creatura illum ultimum finem, quem ſervando veram ad Deum amicitiam in Deo conſtitueret: atqui Deus eſt finis ultimus poſitivè, in quem omnia referuntur, & operans ex vera ad Deum amicitia non ſolùm opus ſuum, verùm etiam ſe & ſua omnia in Deum refert; ergo peccans lethaliter habet creaturam pro fine ultimo poſitivè, & operans ex amore creaturæ prælatæ amicitiæ Dei refert in creaturã ea omnia, quæ referret in Deum operans ex amicitia Dei. Confirmatur: Peccans lethaliter ordinat in ratione finis Deum ad creaturam, quia in ratione finis poſtponit Deum creaturæ: ergo in ratione finis ordinat ad creaturam etiam ea omnia, quæ in ratione finis ex natura ſua ordinantur ad Deum; quod enim eſt cauſa cauſantis eſt aliquo modo cauſa cauſati, & quod eſt finis finalizantis eſt aliquo modo finis cujuſcumque finalizati; ergo cum ad Deum ex natura ſua omnia ordinentur, ordinans per peccatum lethale ad creaturam Deum, ſimul aliquo modo ordinat ad creaturam omnia, eamque aliquo modo habet pro fine poſitivè ultimo.

Dices hanc doctrinam repugnare experientiæ, quia conſtat peccantem ſaltem regulariter loquendo nullum habere actum, quo omnia ad creaturam ordinet, imò aliquando talis actus repugnat; qui enim furatur ad mœchandum v. g. vult furtum propter mæchiam, ordinatque furtum ad mæchiam, repugnat igitur quòd ordinet ad furtũ omnia, alioqui per mutuam ordinationem, mutuamque cauſalitatẽ finalem, ordinaret ad furtum mæchiam, ad quam ordinavit furtum. Sed 32.

contrà: utraque inſtantiæ pars nimis probat; prima ſcilicet probat, quòd peccans neque Deum ad creaturam ordinet, cum neque de hac ordinatione habeat regulariter expreſſum actum; ſecunda probat, quòd peccans neque negativè conſtituat in creaturâ finem ultimum, quia ordinari ad aliud, ſicuti ordinatur furtum ad mœchiam, eſt contrà rationem finis ultimi etiam negativè. Pro ſolutione deindè, prima inſtantiæ pars poſtulat explicari, quinam ſit modus, quo peccans omnia ad creaturam ordinat? Secunda, quænam ſit creatura, ad quam peccans omnia ordinat? quod utrumque mox præſto; in ſequenti aſſerto alterum, alterum in ſequenti paragrapho.

33. Peccans lethaliter ſolùm interpretativè habet creaturam pro fine ultimo.

Aſſert. 3. Peccans lethaliter habet creaturam pro fine poſitivè ultimo, non intentione formali, abſoluta, & explicita; ſed intentione ſolùm interpretativa, præſumptiva, imputativa. Ità omnes Theologi communiſſimè.

Probatur prima pars: tùm quia experientia ipſa, ut in inſtantia mox allata dicebatur, conſtat peccantem non habere regulariter loquendo actum illum elicitum formalis, abſolutæ, & explicitæ intentionis; tùm quia ſecùs quilibet peccans lethaliter judicaret & crederet ſuum ultimum finem, ſuum ſummum bonum eſſe in creatura, non in Deo; adeoque in quolibet peccato involveretur infidelitas, imò idololatria.

34. Probatur ſecunda pars: tùm quia non ſupereſt peccanti alius modus habendi creaturam pro ultimo fine, & tamen ex aſſertis præcedentibus aliquis modus, quo eam pro ultimo fine habeat admittẽdus eſt: tùm quia ratio ultimi finis maximè relucet in eo, quod ipſi præſtetur ſumma adhæſio, & prælatio ad cætera omnia, peccator igitur, qui mavult adhærere creaturæ, quàm Deo, eamque præfert vero ultimo fini, rationabiliter præſumitur ſibi conſtituere in creatura ultimum finem: Rurſus qui præfert aliquid bono ſupremo & ſummo, quantũ prudenter conjici poteſt, cenſetur prælaturus illud cuilibet inferiori & minori bono, quod eſt ſe circà illud gerere tanquam circà finem ultimum; ſed peccàns præfert creaturam Deo, ſupremo & ſummo bono; ergo quantùm prudenter conjici poteſt cenſetur prælaturus creaturã, &c. Tandem per actum lethaliter peccaminoſum homo redditur indignus Deo ut fine, ſeu poſſeſſione & fruitione Dei, & remanet diſpoſitus ſolùm ad poſſeſſionem & fruitionem boni creati, aut ad ſummum Dei per ſpecies creaturarum & conceptus communes creaturis, æquè ac ſi formaliter & explicitè in bono creato ultimum finem collocaret: ergo peccans lethaliter habet æquivalenter, & per conſequens intentione interpretativa pro fine ultimo creaturam.

Varii modi explicandi finem ultimum interpretativè talem.

Dices iſta non ſufficere, ut peccans lethaliter dicatur habere creaturam pro fine ultimo propriè & in rigore; cum tamen communis ſententia, qualis eſt hæc de fine ultimo in creatura conſtituto à peccante lethaliter, non debeat detorqueri ad improprium & minùs rigoroſum loquendi modum. Sed contra: Creatura reſpectu lethaliter peccantis poteſt ſuſtineri finis ultimus propriè & rigorosè, quia eſt finis ultimus poſitivè: Vtrùm deinde intendi præſumptivè ſolùm & interpretativè ſit intendi propriè & rigoroſè? multum habet quæſtionis de nomine, in quâ poteſt unuſquiſque ad libitum loqui abſque ſcrupulo, imò Salas *hic diſp. 8. ſect. 3. n.* 40. abſolutè vult eſſe locutionem impropriam & metaphoricam. 35.

Ex dictis habetur Apoſtolum *Epheſ.* 5. appellantem avaritiam idolorum ſervitutem; *Philip.* 3. dicentem ventrem eſſe Deum guloſorum; Ioannem item *c.* 8. facientem peccatorem ſervum peccati, debere intelligi in eo ſenſu, in quo creatura eſt ultimus finis lethaliter peccantis; præſumptivè ſcilicet, & interpretativè.

---

§. IV.

Quamnam creaturam peccans lethaliter habeat pro fine ultimo?

ASSERT. Creatura, quam peccans lethaliter habet pro fine ultimo (ſubintellige de fine ultimo *cuius gratia*, de hoc enim ſolo ſermo eſt in præſenti, & in univerſum ſolus finis cujus gratia venit nomine finis abſolutè prolati) eſt objectum actus peccaminoſi, ipſe verò peccator regulariter loquendo eſt ſolùm finis ultimus *cui*, nullatenùs finis ultimus *cuius gratia*. Ità Salas *diſp.* 8. *ſect.* 3. *num.* 42. Oviedus *controv.* 1. *punct.* 4. *num.* 42. Vaſquez *diſp.* 5. *c.* 3. aliique nonnulli contrà Cajetanum *hic q.* 1 *art.* 5. *& infrà q.* 87. *art.* 4. §. *ad hoc dicitur.* Valentiam *q.* 1. *punct.* 6. *aſſert.* 3. Ioannem à S. Thoma *diſp.* 1. *art.* 7. *num.* 9. Gonet *diſp.* 1. *art.* 6. §. 5. aliosque plures præſertim ex Thomiſtis, qui licet differant in modo explicandi conveniunt tamen in aſſignando ipſomet peccatore pro fine ultimo tùm *cui* tùm etiam *cuius gratia*. 36.

Objectum, non ſubjectum peccati, eſt finis ultimus lethaliter peccantis regulariter loquendo.

Probatur prima pars: Creatura, quam peccans lethaliter habet pro ultimo fine, eſt illa quam præfert Deo & propter quam deſerit amicitiam Dei; ſed hujuſmodi eſt objectum actus peccaminoſi: ergo creatura quam, &c. eſt objectum actus peccaminoſi; major patet, quia ex ſupradictis creatura à peccante conſtituitur finis ultimus per hoc, quòd Deo præferatur, & propter ipſam amicitia Dei deſeratur: minor probatur, creatura quam peccans præfert Deo eſt illa ad quam inordinatè convertitur, & cui adhæret per actum peccaminoſum; ſed actus peccaminoſus, ſicuti in proprium objectum tendit, ità in ipſum convertit & ei quodammodò affigit peccantem: ergo, &c. Confirmatur ex ſupradictis, dum in Scriptura venter appellatur Deus guloſorum, & peccator appellatur ſervus peccati, idem eſt ac ſi dicatur ventrem, ſeu ventris delicias, eſſe ultimũ finem guloſorum,

guloſorum, & peccatum eſſe ultimum finem peccatoris; ſed venter ſeu ventris deliciæ ſunt objectum actus peccaminoſi, & peccatum poteſt quidem ſumi pro objecto actus peccaminoſi, at non pro Perſona peccantis, ergo ex modo loquendi Scripturarum colligitur objectum actus peccaminoſi eſſe creaturam, quam habet pro ultimo fine peccans lethaliter, idque corroborari poteſt auctoritate D. Chryſoſtomi *homil. 15. ad Philip.* dicentis *Vides quantum malum ſunt divitiæ, aliis quidem pecunia, aliis venter Deus eſt.*

37. Quandonã peccans habeat ſe pro fine ultimo etiam cujus gratia.

Probatur ſecunda pars, in quâ dixi *regulariter loquendo*, quia in aliquibus peccatis, in iis ſcilicet quæ habent pro objecto ipſam perſonam peccantis, ut cum quis de propriæ Perſonæ excellentiâ lethaliter ſuperbit, non negaverim ipſum peccatorem eſſe finem ultimum, etiam *cuius gratiâ*; regulariter verò & utplurimum, id eſt in omnibus aliis peccatis non habentibus pro objecto ipſam Perſonam peccantem, probatur ſecunda aſſerti pars ſic: Quod ſe habet ſolùm ut ſubjectum cui aliquid appetitur, non ut res quæ appetitur, ſe habet ſolùm ut finis ultimus *cui* non ut finis ultimus *cuius gratia*, ſed peccator regulariter loquendo, id eſt in omnibus peccatis non habentibus, &c. ſe habet ſolùm ut ſubjectum, cui aliquid appetitur, non ut res quæ appetitur; ergo: major non habet difficultatem, ſuppoſita notitia terminorum; minor probatur inductione, avarus appetit divitias ſibi, non ſe ipſum; fornicarius carnis delectationes ſibi, non ſe ipſum; & ſic de cæteris.

38. Fundaméta Adverſariorum contrà noſtrã doctrinam.

Aſſerunt Thomiſtæ huic probationi duplicem reſponſionem: Prima eſt peccatorem ſumi poſſe vel materialiter & ſecundùm ſe; vel formaliter & ſecundùm quod terminat actum peccaminoſum, ſeu ſecundùm quòd afficitur bono per actum peccaminoſum intento; ſub hac ratione, quamvis non ſub prima, peccatorem habere ſe ipſum pro fine ultimo *cuius gratia*, & avarum appetere ſe ipſum ut divitem, quamvis non ſecundùm ſe, fornicarium appetere ſe ipſum ut percipientem delectationes carnis, quamvis non ſecundùm ſe: Secunda reſponſio eſt peccatorem ſumi poſſe vel directè & abſolutè; vel indirectè ſeu in obliquo & connotative; id eſt vel quatenùs eſt res in ſe directè volita, vel quatenùs eſt principium determinans & menſurans quamlibet bonitatẽ peccaminosè volitam, eo quòd peccator in quolibet actu peccaminoſo habeat pro ultimo fine proprium bonũ ut appetibile juxtà modum proprij arbitrij, & determinationem propriæ voluntatis, non juxtà directionem luminis naturæ & ordinationem legis divinæ: primo modo peccatorem non habere ſe ipſum pro fine ultimo *cuius gratia*, bene tamen ſecundo modo.

39. Fundaméti primi impugnatio.

Impugnatur prima reſponſio quia confundit finem *cuius gratia* cum fine *cui*; & juxtà talem doctrinam de omni fine *cui* conſideratum ut terminat perfectionem per aliquod opus intentam dici poſſet intendi ut finem *cuius gratia*; ſic qui vult ſanitatẽ Amico, Deo gloriam, ſibi beatitudinem dici poſſet habere pro fine *cuius gratia* Amicum ut ſanum; Deum ut glorificatum: ſe ut beatum. Accedit quod finis *cuius gratia* ſolet conſiderari ut forma abſtracta, quemadmodum conſtare poteſt inductione; in propoſito autem eſſet indiviſibiliter ſubjectum affectum formâ, adeoque non poſſet ſumi niſi in concreto.

40. Fundaméti ſecundi impugnatio.

Impugnatur ſecunda reſponſio, quia malè ſupponit peccatorem in quolibet actu peccaminoſo habere pro fine ultimo proprium bonum ut appetibile juxtà modum proprij arbitrij, &c. vel ut alij loquuntur proprium bonum ſub ratione proprij boni inordinati. Malè id ſupponit primò, quia non facit ad rem præſentem, cum hic ſermo ſit de fine ultimo in particulari, proprium autem bonum ſub illa latitudine eſt potius finis ultimus in communi, quem juxtà ſupradicta §. 1. quilibet homo intendit in qualibet humana actione, quàm finis particularis intentus à peccatore, & licet ly *ut appetibile juxtà modum proprij arbitrij* videatur contrahere finem in communi ad finem in particulari: nihilominùs quia peccator non intendit regulariter objectum peccaminoſum ſub ratione formali inordinati & appetibilis juxtà modum proprij arbitrij, talis reſtrictio materialiter & impertinenter ſe habet. Malè id ſupponit ſecundò, quia peccator ſicuti quolibet actu peccaminoſo Deum finem ultimũ totalẽ poſtponit creaturæ, ità quolibet actu peccaminoſo ſibi interpretativè conſtituit unum finem ultimum totalem in creaturâ, quod non verificatur in data reſponſione, juxtà quam plura peccata confluunt ad integrandam unam eandemque rationem boni proprij, & unum finem ultimũ totalem, nec ſunt in ſe niſi fines ultimi partiales. Deinde quando admitteretur ſuppoſitum, in bono proprio ut appetibili juxtà placitum proprij arbitrij adeò indirectè & obliquè relucet ipſe peccator, ut multò meliùs ſupponere poſſit pro objecto peccati, quàm pro perſona peccante; unde quando daretur tale bonum eſſe in peccato lethali finem ultimum *cuius gratia*, adhuc finis ultimus *cuius gratia* conſiſteret in objecto peccati, non in ipſo peccatore.

Per quodlibet peccatũ conſtituitur in creatura finis ultimus totalis.

41. Finis cui & finis cujus gratia ſunt regulariter duæ res realiter diſtinctæ.

Probatur inſuper utraque ſimul aſſerti pars: Finis *cui* & finis *cuius gratia*, licèt aliquandò poſſint eſſe res realiter una & eadem cum ſola formali diſtinctione ut ſuprà *num.* 37. indicavimus, & exemplificari etiam poteſt in eo, qui vult Deo ſua bona intrinſeca, infinitatem v. g. omnipotentiam, omniſcientiam, &c. tamen regulariter loquendo ſunt duæ res realiter diſtinctæ, ut facilè oſtendit inductio; ſed non eſt ſine ſpeciali neceſſitate recedendum ab eo, quod regulariter & utplurimùm evenit: ergo finis *cui* & finis *cuius gratia* debent poni duæ res realiter diſtinctæ, quoties ad oppoſitum non cogit ſpecialis neceſſitas; atqui ponendo reſpectu actus peccaminoſi finem ultimum *cuius gratia* in objecto peccati, non in perſona peccante, ponuntur duæ res diſtinctæ

pro

pro fine ultimo *cujus gratia* & fine ultimo *cui*, nec ulla neceſſitas cogit ad oppoſitum, ad ponendum ſcilicet finem ultimum *cujus gratia* in ipſa perſona peccante, quæ eſt etiam finis ultimus *cui*, ergo.

42. Argumẽta pro fine ultimo *cujus gratia* ponendo in peccatore.

Dices ad oppoſitum cogere tùm auctoritatem, tùm rationem: Cogit auctoritas ſanctorũ Patrum, Auguſtini præſertim & Thomæ: Auguſtini quidem *lib. 3. de libero arbitrio, cap. 14.* dicentis de averſione peccatoris à Deo, *Unde hæc averſio? niſi dum ille, cui bonum eſt Deus, ſibi ipſi vult eſſe bonum ſuum, ſicuti ſibi eſt Deus:* & *lib. 14. de Civit. c. 28.* dicentis *Amor ſui uſque ad contemptum Dei ædificat terrenam civitatem Babylonis; Amor verò Dei uſque ad contemptum ſui ædificat cæleſtem Civitatem Hieruſalem:* Thomæ autem 1. 2. q. 84. art. 2. in c. *Finis in omnibus bonis temporalibus acquirendis eſt, ut homo per illa quandam perfectionem ſingularem, & excellentiam habeat*; & in 2. diſt. 42. q. 2. art. 1. in c. *Finis ultimus in amore commutabilium bonorum eſt ipſe homo, propter quem omnia alia quærit: & ideò, ſi radix peccati accipiatur ex parte ipſius peccantis, erit una; ſi autem ſumatur ex parte eorum, quæ propter ſe ipſum peccans quærit, erunt plures.* Cogit ratio quia non poteſt quis ſimul habere plures fines ultimos totales ex infrà dicendis §. 6. at ſi peccans lethaliter haberet pro fine ultimo objectum actus peccaminoſi, poſſet quis ſimul habere plures fines ultimos totales, qui enim plura peccata lethalia præſertim diſparata ſimul committeret, in quolibet objecto peccati lethalis finem ultimum conſtitueret & ſicuti ſimul tenderet in plura objecta peccaminoſa, ità ſimul intenderet plures ultimos fines totales. Sed contrà.

43. Eluditur argumentũ petitum ab auctoritate.

Ad auctoritates dico in primis ex una parte eſſe doctrinam ſanctis Auguſtino & Thomæ familiarem, quòd peccans malè fruatur utendis, & male ac lethaliter frui juxtà eoſdem ſanctos Patres alioſque Theologos nihil eſt aliud, quàm ponere in creatura rationẽ ultimi finis ponendam in Deo: ex alia parte nec S. Auguſtinus nec S. Thomas unquam docuit peccatorẽ in omni peccato ſolùm ſe ipſo malè frui, imò potiùs uterque ſatis indicavit peccatorẽ malè frui diverſis creaturis, prout circà diverſa objecta peccat; conſequens propterea eſt hos ſanctos Doctores verè ſenſiſſe creaturam, quam habet peccator pro fine ultimo, eſſe objectum peccati, non ſe ipſum; ubi igitur viſi ſunt oppoſitum tradere benignè ſunt intelligendi: Hinc ad primam auctoritatem D. Auguſtini adverto ibi ſermonem eſſe de peccato ſuperbiæ, non inficior autem eum, qui de ſe ipſo ſuperbit, eſſe ſibi ipſi finem ultimum, eſſe, ut Auguſtinus loquitur, ſibi ipſi Deum: Ad ſecundam dico in verbis relatis amorem ſui ſupponere pro peccato ſuperbiæ, nec aliud ibi ſignificari, quàm ſuperbiam eſſe radicem & initium omnium peccatorum, quod quâ ratione verificetur, non eſt hujus loci explicare. Ad primam auctoritatem D. Thomæ dico ibi loqui S. Doctorẽ de homine comparato ad peccata, non ſecundùm proprias rationes formales, ſed ſecundùm quod continent generalem quandam, & tranſcendentem rationem ſuperbiæ: Ad ſecundam vel utor interpretatione mox allata, quam certè non eſſe abs re colligi etiam poteſt ex textu; vel dico ibi D. Thomam nomine finis ultimi intelligere finem ultimum *cui*, non finem ultimum *cujus gratia*; & altero ex his modis facilè explicari poteſt alia quælibet auctoritas nobis objicibilis.

Ad rationẽ dico repugnare quidem, quòd quis ſimul habeat plures fines ultimos totales, ſi tales fines ſint ultimi formaliter: at non ſi ſint ultimi ſolùm interpretativè, quo ſolùm modo ſimul haberet plures fines ultimos, qui ſimul committeret plura peccata lethalia, & ratio diſparitatis affertur infrà §. 6. *num.* 65. 44.

Eluditur argumentũ petitum à ratione.

Supereſſet hic pro completa Aſſerti elucidatione probandum quòd peccator habeat ſe ipſum regulariter pro fine ultimo *cui*: verùm res eſt faciliot ac clarior, quàm ut indigeat probatione, & ſatis conſtat peccatorem non converti per peccatum ad creaturam, niſi ut ex tali creatura aliquod bonum utile vel delectabile ſibi cõparet; nec quando quis peccat procurando divitias Amico deſinit habere ſe ipſum pro fine *cui* ultimato, enimverò ut habet etiã D. Thomas 1. 2. *q. 77. art. 4. ad 4.* Amicus eſt quaſi alter ipſe, & ideò quod Amico procuratur quaſi procuratur ſibi ipſi, accedit quòd qui procurat divitias Amico vult ſibi aut bonum ſtrictionis amicitiæ, aut emolumentum aliquod, quod ex Amico ſperat: Non item deſinit ſe ipſum habere pro fine *cui* qui ex peccato deſperationis ſibi ipſi mortem infert; enimverò deſperanti mors ipſa apparet bona, quatenùs ſecum affert privationem malorum, ob quæ quis deſperat. Idcircò jure dictum eſt peccatorem habere ſe ipſum regulariter pro ultimo fine *cui*; regulariter, inquam, quia non deeſt aliquod peccatum, in quo peccator habeat pro fine *cui* aliam creaturam à ſe diſtinctam, idque contingit in idololatria, quâ quis habet aliam creaturam pro Deo, ſicque in ea conſtituit finem ultimum etiam *cui* eo modo, quo nos conſtituimus in vero Deo. 45.

Peccator regulariter habet ſe ipſum pro fine *cui*.

Excipiẽdus tamen eſt idololatra.

§. V.

An & quomodò peccans venialiter habeat pro fine ultimo creaturam?

ASSERT. 1. Certum eſt peccantem venialiter non habere creaturam pro fine ultimo eo modo, quo habet peccans lethaliter. Ità Theologi omnes communiſſimè 46.

Probatur: Certum eſt peccantem venialiter non diſſolvere amicitiam Dei, nec deſinere habere Deum pro fine poſitivè & ſimpliciter ultimo; at peccans lethaliter habet creaturam pro fine ultimo & eo quod diſſolvat amicitiam Dei & deſinat habere

Per peccatum veniale non conſtituitur in creatura ultimus finis eo modo, quo per lethale.

Deũ pro fine ſimpliciter ultimo;ergo certum eſt peccantẽ venialiter non habere, &c. minor patet ex doctrina præcedẽtis, §.5. major ſupponitur ex diſcrimine peccati venialis à mortali;licèt enim Theologi diſſideant in aſſignãda primaria & formaliſſima ratione diverſitatis unius ab alio, nullus tamẽ negat inter cætera diſcrimina hoc intercedere, quòd mortale diſſolvat Dei amicitiã, & avertat à Deo ultimo fine; veniale verò relinquat amicitiam & converſionem, ſeu ordinationem ad Deũ. Hinc conſequenter illi etiã, qui contrà majorem Thomiſtarũ partem conſentiunt in ponenda creatura pro ultimo fine peccantis non ſolũ lethaliter, verũ etiã venialiter, aſſignant tamen modũ diverſum, quatenùs vel docent creaturã reſpectu peccantis lethaliter eſſe finem ultimũ poſitivè, reſpectu peccantis venialiter finem ultimum negativè, vel ſi etiam in peccato lethali ſtatuunt creaturam pro fine ultimo ſolùm negativè, docent deinda in hoc eſſe finẽ operis & operantis negativè ultimũ, in peccato veniali eſſe finẽ negativè ultimũ operis tantùm, non operantis, id eſt non contrarium vero ultimo fini operantis; hoc loquendi modo utuntur Vaſquez *hic diſput.5.cap.2. §. Reſtat igitur* Madernus *q.1.art.5.n.5.* aliique nonnulli.

47. Aſſert.2. Certũ eſt ex una parte peccantẽ venialiter, nec actualiter, nec virtualiter ordinare peccatũ veniale ad alium ultimũ finẽ aut creatum, aut increatũ: Certum eſt ex alia parte peccantẽ venialiter retinere in ſe ordinationẽ habitualem ad ultimũ finem increatum, ſcilicet ad Deũ: Utrùm deinde peccans venialiter ex primo capite dicendus ſit conſtituere finẽ negativè ultimũ in objecto venialiter peccaminoſo; an potiùs ex ſecundo capite dicendus ſit ordinare ad Deũ habitualiter objectum venialiter peccaminoſum, & conſtituere in iſto ſolum finem proximum, nullatenùs verò finem ultimũ, neque etiam negativè: multùm habet quæſtionis de nomine, quia ut notat Madernus *art. præcit.n.2.* videtur eſſe diverſitas ſolùm in modo explicandi. Hoc aſſerto aliqualiter conciliantur Thomiſtæ cum reliquis Theologis, & inter ſe; illi enim ſicuti à cæteris Theologis diſſident in modo explicandi finem negativè ultimũ, ità inter ſe non minùs diſſident in modo explicandi ordinationẽ habitualem peccati venialis ad Deum, ſicque primum diſſidium eſt de eo, quod ſignificatur nomine finis negativè ultimi; ſecundum de eo, quod ſignificatur nomine ordinationis habitualis; utrumque igitur accedit ad quæſtionem de nomine, & in re quoad utrumque habetur diſſidentium conciliatio.

Utrũ peccatum veniale ſit finis negativè ultimus, an ordinetur habitualiter ad Deũ multũ habet quæſtionis de nomine.

48. Probatur prima pars aſſerti, quòd ſcilicet peccans venialiter, nec actualiter, nec virtualiter ordinet peccatum veniale ad alium ultimum finem, aut creatum, aut increatũ; & quidem quòd non ad creatũ probatur ex eo, quòd datur ſæpè peccatũ veniale abſque eo quòd præceſſerit ulla intentio finis ultimi creati, cum hæc intentio ſit peccaminoſa lethaliter & peccatum veniale ſæpè detur in juſto, quando verò hæc intentio præceſſit, & in habente lethale peccatum virtualiter perſeverat, ſi ex vi ipſius committatur peccatum ex objecto veniale, evadet hoc lethale ex circonſtantia finis, ſic eſt lethale verbũ otioſum prolatũ ex intẽtione adulterij, vel mendacium ex intentione homicidij. Quòd item non ad increatum, ſeu ad Deum, probatur: 49.

Peccatum veniale nec actu nec virtute ordinatur ad alium finẽ ultimum creatum.

Nec actu, nec virtute, poteſt intendi peccatum veniale propter Deum, ergo peccans venialiter, nec actualiter, nec virtualiter poteſt ordinare peccatũ veniale ad ultimum finem increatum, ſeu ad Deum: probatur antecedens & quidem cùm intendi virtute ſit intendi ex vi intentionis actualis præcedentis, & permanentis in aliquo ſuo effectu, adeóque non detur intentio virtualis, niſi in ordine ad id, in ordine ad quod aliquando datur intentio actualis, remanebit probatũ non poſſe peccatum veniale intendi virtute propter Deum, ſi probetur non poſſe propter Deum intendi actu, quod facilè oſtenditur; enimverò non poteſt propter Deum actu intendi, quod cognoſcitur ut Deo diſplicens, & Dei offenſa, quia quod intẽditur propter aliquẽ finem intenditur ut conveniens & conducens ad talem finem, Deo autem non convenit, ad Deum non conducit, quod Deo diſplicet, quod Deũ offendit, ut præſtat peccatum veniale. Deinde ſi peccatum veniale poſſet actu ad Deũ referri, poſſet actu Deus movere ad ipſum committendum, finis enim movet ad ea, quæ ſunt ad finem; id autem abſurdiſſimum eſt non minùs, quàm abſurdiſſimum ſit Deum poſitiva efficientia in veniale peccatum influere.

Nec item increatum.

Probatur ſecunda aſſerti pars, quòd ſcilicet peccans venialiter retineat in ſe ordinationem habitualem ad ultimũ finem increatum, ſeu Deũ: Peccans venialiter (quẽ aliundè ſuppono in ſtatu gratiæ, & nullius lethalis peccati reum) retinet in ſe habitũ charitatis, ſed habitus charitatis importat habitualem, ſicuti charitatis actus actualem ad Deum ordinationẽ; ergo peccans venialiter retinet, &c. Major negari non poteſt, niſi confundendo peccatum veniale cum lethali dicatur etiam veniale inducere privationem gratiæ, averſionem à Deo; & converſionẽ ad creaturã, tanquam ad finẽ ultimũ poſitivè & abſolutè, & licèt hoc poſtremum ſenſerint, ut refert Gonet 1.2. *diſp.9.art.4.n.75.* nonnulli ſtatuentes deindè inter peccantẽ mortaliter, & venialiter hoc diſcrimen, quòd creatura, quæ eſt finis abſolutè & poſitivè ultimus peccati lethalis ſit res gravis, apta diſſolvere amicitiam & inducere averſionẽ a Deo; creatura verò, quæ eſt finis abſolutè & poſitivè ultimus peccati venialis ſit res levis, ideoque impar ad inducendã inimicitiã, & averſionem à Deo; nihilominùs talẽ dicendi modum omninò improbo, nec exiſtimo ſuſtineri poſſe ſine cenſura; enimverò converſio ad creaturam, tanquã ad finem abſolutè & poſitivè ultimum, non poteſt eſſe ſine averſione à Deo, cum præſertim talis converſio ſit ſolùm interpretativa ac præſũptiva, & fundamentũ ipſam interpretandi ac præſumendi deſumatur maximè ex eo, quòd peccator

50. Relinquit in ſubjecto habitualẽ ordinationem ad Deum.

51. Non poteſt ſine cenſura concedi, quod habeat creaturam pro fine poſitivè ultimo.

evadat Dei inimicus, & à Deo averſus juxtà ſupradicta §.3. Nec poterit amplius explicari, cur neceſſariò ſic evadat inimicus & averſus peccans lethaliter, ſi poteſt haberi cum amicitia & converſione ad Deum converſio ad creaturam, tanquam ad finem poſitivè & abſolutè ultimũ. Illud, quod dicitur de re levi in objecto peccati venialis, & creaturâ, quæ eſt finis ultimus, leviſſimi momẽti eſt, nec ullatenùs ſuffragatur, quia Deum rei levi poſtponere aggravat potiùs, quã minuat offenſã & conſequenter impedit potiùs magis, quàm relinquat amicitiã & converſionẽ ad Deum.

51\. *Meliùs dicitur, quòd habeat creaturam pro fine ultimo negativè, quã quòd ordinetur ad Deum habitualiter.*

Aſſert. 3. Simpliciter & abſolutè loquendo, præciſaque quæſtione de nomine, meliùs dicitur peccantem venialiter habere creaturam pro fine negativè ultimo, quàm ordinare habitualiter ad Deum ipſummet peccatum veniale. Stant pro hoc aſſerto Vaſquez *hic diſput.* 5. *cap.* 1. Salas *diſput.* 8. *ſect.* 3. *n.* 48. Maderus *q.* 1. *art.* 5. *num.* 5. aliique recentiores communiter contrà Cajetanum 2. 2. *q.* 14 *artic.* 10. Salmanticenſes *hic diſput.* 4. *dub.* 4. §. 2. Ioannem à S. Thoma *diſput.* 1. *art.* 7. *num.* 41. ubi tamen cum aliqua limitatione loquitur & ex parte nobis favet, Gonet *diſp.* 9. *art.* 3. *n.* 70. Gabrielem à S. Vincentio *diſp.* 1. *dub.* 17. & cæteros Thomiſtas.

Probatur primò: Ex eo, quòd juſtus venialiter peccãs retineat ratione habitus charitatis ordinationem habitualem ad Deum, nullo modo poteſt ſufficienter explicari ordinatio habitualis ad Deum in ipſomet peccato veniali; ergo meliùs dicitur peccantem venialiter habere creaturam, &c. conſequentia patet ex dictis, cum enim explicatum ſit peccantem venialiter nec habere creaturam pro fine poſitivè ultimo, nec aut actualiter, aut virtualiter ordinare ipſummet peccatum veniale in Deum, ſi modò excludatur ejuſdem peccati ordinatio in Deum etiam habitualis, nihil aliud dicendum ſupererit, niſi quod in peccato veniali creatura neque ſit finis poſitivè ultimus, neque ſit finis aliquo utcumque modo ordinatus ad alium finem, quod eſt eſſe finem ultimum negativè: Antecedens probatur diſcurrendo per præcipuos modos, quibus Thomiſtæ ordinationem illam explicant, & cujuſlibet explicationis inſufficientiã ſingillatim oſtendendo.

52\. Primus modus eſt Cajetani *art.* 10. *præcit.* §. *Ad hoc dicitur*, docentis peccatum veniale ratione habitus charitatis in juſto venialiter peccante exiſtentis referri in Deum habitualiter, quia talis habitus ex natura & efficacia ſua referre poteſt omnia in Deum, ipſum etiam peccatum veniale, ſi eſſet in Deum referibile, quodque hoc in Deũ non referatur non eſt ex defectu habitus charitatis, ſed ratione propriæ irreferibilitatis.

Cajetanus laudatus à Vaſquio.

Laudat hanc doctrinam Vaſquius *c.* 2. *præcit.* adeò, ut fateatur nihil melius dici poſſe; ſed rectè addit per hoc non explicari, quòd peccatum veniale ullo modo referatur in Deum, enimverò ſi conceditur irreferibile, ad quid ipſi prodeſt in ordine ad relationem efficacia habitus; poſſet eodem modo dici in habente habitum charitatis referri habitualiter in Deum actiones non humanas, imò etiam actiones lethaliter peccaminoſas, ſi conſervetur, ut conſervari divinitùs poteſt in peccante lethaliter habitus charitatis: poſſet item proportionaliter dici infidelem idololatram, qui idolum ut Deũ ſuper omnia habitualiter diligeret, omnia ſua opera etiam alioqui moraliter bona in idolũ, ut in ultimũ finẽ, habitualiter referre, ſicque omnia talis infidelis opera eſſent peccata, quod dãnatũ eſt ut ſupra indicavimus *n.* 19.

Improbatur primus modus explicãdi ordinationem habitualem peccati venialis ad Deum.

Secundus modus eſt Medinæ *hic q.* 1. *art.* 5. dicentis peccatum veniale referri in ipſum hominẽ peccantẽ, ſeu in bonum ipſius: Perſona autem venialiter peccans, & propriũ ipſius bonum, per habitũ charitatis refertur habitualiter in Deum, ſicque habitualiter mediatè refertur in Deum etiam peccatum veniale relatum ad ipſius Perſonam relatam ad Deum. Diſplicet hæc explicatio primò, quia ſupponit finem proximum *cuius gratia* reſpectu peccati venialis eſſe ipſam Perſonã, cum tamen hæc ſit ſolùm finis *cui*, ut colligitur à paritate ex ſupradictis §.4. Secundò, quia deberet priùs probari peccatum veniale eſſe aliquo modo in Deum referibile, ut poſſet deindè procedi ad relationem mediatam. Tertiò, quia eodẽ loquendi modo dicendum eſſet peccatũ veniale commiſſũ ab exiſtente in peccato lethali referri habitualiter mediatè, tanquam ad finem poſitivè ultimum, ad illam creaturam, ad quam eſt habitualiter converſus exiſtens in lethali habituali. 53.

Improbatur ſecundus modus.

Tertius modus eſt Salmanticenſium *hic diſp.* 4 *dub.* 4. §. 2. volentium peccatum veniale ex eo præcisè, quod non tollat habitũ charitatis, per talem habitum referri ad Deũ, non quidem poſitivè & directè, bene tamen permiſſivè & indirectè; quatenùs peccans venialiter vult objectum venialiter peccaminoſũ cum conditione non offendendi graviter Deum, nec amittendi gratiam & charitatẽ, idem objectũ noliturus ſi charitatem auferret: Charitas igitur tale peccatũ impediret ſi eſſet cum ipſa incompoſſibile, & hoc, quod eſt ipſum non impedire, quia eſt cum ipſa cõpoſſibile, eſt aliquis indirectus & permiſſivus influxus charitatis in veniale, vi cujus influxus veniale indirectè & permiſſivè refertur ad Deũ, non tanquã ad finem vi ſua poſitum, & abſolutè intentum; ſed tanquã ad finẽ non ablatum, & ſub ratione non ablati volitum. Hic dicendi modus, quãvis cæteris plauſibilior, & *Ioanni à S. Thoma Gabrieli à S. Vincentio* aliiſque recentioribus Thomiſtis acceptior, adhuc tamen valdè difficilis eſt & improbãdus primò, quia quod dicitur in præſẽti permiſſivus & indirectus charitatis influxus, cũ nullũ dicat charitatis imperiũ aut circà peccatũ veniale in ſe aut circa aliquid cũ ipſo connexũ, eſt pura charitatis cõcomitantia, quod additur hanc concomitantiam non eſſe puram eo quòd ſit volita à peccante venialiter, utpotè qui peccat cum conditione non amittendi charitatem, ſatis voluntariè dicitur, quia peccans venialiter de hoc non cogitat, imò cum peccatũ veniale diſponendo ad mortale diſponat ad amittendam charitatem, 54.

Improbatur tertius modus.

ritatem, qui venialiter peccat magis eſt ſecũdùm ſe diſpoſitus ad velle amittere, quàm
55. ad velle conſervare charitatem. Secundò Deus in genere efficientis permiſſivè influit in peccatũ non ſolùm veniale, verùm etiam mortale; ergo ſi hic permiſſivus influxus extenditur etiam ad genus cauſæ finalis, etiam peccatũ mortale ſicuti eſt permiſſivè à Deo ut à cauſa efficiente, ità erit permiſſivè ad Deum ut ad cauſam finalem; adeoque etiam peccatum mortale habebit indirectam & permiſſivam ordinationem ad Deum.

56. Probatur aſſertum ſecundò: Finis negativè ultimus eſt, qui ad ulteriorem finem non ordinatur, licèt ad ipſum non alia omnia ordinentur; ſed peccãs venialiter, licèt ad peccatum veniale non omnia ordinet, ut patet ex eo quòd remaneat ipſemet ad Deum, non ad peccatum veniale ordinatus, ipſum tamen peccatũ veniale non refert ad ulteriorem finem, ut hucuſque probatum eſt, & confirmatur doctrina & ſimilitudine D. Thomæ *in 2. diſt. 42. q. 1. art. 3. ad 5.* & *in 1. diſt. 1. q. 3. ad 4.* dicentis peccantem lethaliter aſſimilari ei, qui recedit à via; peccantem venialiter ei, qui moratur in via; ex quo ſic arguo qui moratur, ſeu quieſcit in via, ad nullum prorsùs accedit terminum, nec ulteriùs ullo modo progreditur; ergo etiam peccans venialiter ità quodammodò moratur, & quieſcit in ipſo peccato veniali, ut nec progrediatur ulteriùs, nec ulteriorem finem reſpiciat ex vi peccati venialis.

Peccans lethaliter eſt ſimilis recedenti à via, Peccans venialiter eſt ſimilis moranti in via.

Dices: eo ipſo, quòd peccans venialiter habet Deũ pro fine ſimpliciter ultimo, nequit habere ipſum peccatum veniale, ſeu creaturam pro fine negativè ultimo; Inſuper repugnat quod aliquid ſit finis ultimus negativè, & non ſit ſimul finis ultimus poſitivè; ergo doctrinam ponimus ſibi ipſi malè cohærentem conſtituendo reſpectu peccantis venialiter Deũ pro fine poſitivè ultimo, creaturam pro fine ultimo purè negativè; probatur antecedens quoad primã partem, habere Deum pro fine ſimpliciter ultimo eſt ad Deum omnia prorsùs referre, habere creaturã pro fine negativè ultimo eſt ad Deũ aliquid non referre; ſed eo ipſo, quòd quis ad Deum omnia prorsùs refert nequit ad Deum aliquid non referre; ergo eo ipſo quòd peccans venialiter habet Deum, &c. probatur idem antecedens quoad ſecundam partem: Finis qui non ordinatur ad aliud neceſſariò eſt finis, ad quẽ ordinãtur omnia alia, ſicuti efficiens, quod non eſt ab alio, neceſſariò eſt efficiens, à quo ſunt omnia alia, ergo repugnat quod aliquid ſit finis, &c. Deinde finis, ad quẽ non ordinantur alia omnia, eſt finis particularis, imperfectus, & inferior; ſed repugnat aliquod particulare, imperfectũ, & inferius non ſubordinatũ alicui univerſali, perfecto, & ſuperiori; ergo repugnat non ſubordinari alteri id, ad quod non ordinantur alia omnia, ſeu eſſe finem ultimũ negativè id, quod non eſt finis
57. ultimus poſitivè. Sed cõtrà: Falſum ſimpliciter eſt antecedẽs; ad probationẽ primæ partis dico habere Deũ pro fine ſimpliciter ultimo eſſe ad Deum referre non omnia prorsùs, ſed omnia ad ipsũ referibilia ut infrà explicabitur *n. 73.* peccatũ autẽ veniale nõ eſt ad Deũ referibile. Neque urgeas idcircò malè dici, quòd peccatũ veniale non ſit in Deũ referibile, & ſimul in ipſo relinquat rationẽ finis ſimpliciter ultimi. Contrà enim: non poteſt malè dici, quod dicendũ eſſe evincitur rationibus efficaciſſimis ſuprà allatis. Ad probationẽ ſecũdæ partis, quatenùs cõtinet paritatem finis & efficiẽtis, dico petendã eſſe ſolutionẽ ex ſupradictis §. 1. *n.* 14. Quatenùs addit quodlibet particulare, imperfectũ, & inferius ſubordinari alicui univerſali, perfecto, & ſuperiori, dico id verũ eſſe de ſubordinatione in genere efficiẽtis, non de ſubordinatione in genere finis; ratio eſt quia illa eſt invariabilis & deſumitur ex natura rerũ ut ſunt in ſe; iſta eſt variabilis, & deſumitur ex determinatione & libera intentione voluntatis, quæ ſicuti poteſt particulari & imperfecto ſobordinare quod univerſale & perfectius eſt, habendo illud pro fine poſitivè ultimo; ità poteſt in particulari & imperfecto præcisè ſiſtere abſque ulla ſubordinatione, aut aliorum omniũ ad ipſum, aut ipſius ad aliquid aliud, habendo ipſum pro fine negativè ultimo.

Subordinatio in genere efficientis eſt fixa & invariabilis, nõ ſic ſubordinatio in genere finis.

Poſſet hic quæri: Quamnã creaturã peccãs venialiter habeat pro fine negativè ultimo. Sed facilè habetur reſponſio ex ſupradictis §. 4. ſicuti enim ibi aſſerebamus peccantem lethaliter habere pro fine poſitivè ultimo creaturã, quæ eſt objectũ peccati lethalis; ità hic aſſerendũ peccantẽ venialiter habere pro fine negativè ultimo creaturã, quæ eſt objectũ peccati venialis; excepta enim ratione finis poſitivè & negativè ultimi, cætera reſpectu utriuſque peccantis proportionaliter paria ſunt; undè etiã adverto obiter ſolũ interpretativè & præsũptivè, venialiter peccantẽ habere creaturã pro fine negativè ultimo; nam quẽadmodũ lethaliter peccãs non habet intentionẽ formalem & abſolutã, quã Deũ & cætera omnia ad creaturã ordinet, id tamen interpretativè præſtat, quatenùs creaturã Deo præfert; ità peccans venialiter non habet intentionẽ formalẽ & abſolutam, quã creaturã ad alium finẽ non ordinet, id tamen interpretativè præſtat, quatenùs tendit in aliquid ad Deum irreferibile, & creaturæ adhæret nullatenùs ultrà progrediendo. 58.

Creatura, quæ eſt objectũ peccati venialis, eſt finis negativè ultimus venialiter peccantis.

Idque Interpretativè ſolùm. & præſumptive.

Poſſet hic inſuper quæri: Vtrùm peccans venialiter utatur an fruatur creatura? Sed cum ex una parte frui in rigore Theologico (habet hoc verbum, ut benè notat Eſtius *in 1. diſt. 1. §. 1.* extrà Scholaſticorum atria ampliorem ſignificationem) ſit in rem aliquam tendere propter ſe & tanquam in ultimum finem, ex alia verò parte peccans venialiter creaturam velit propter ſe abſque ulla ordinatione ad finem ulteriorem, conſequens eſt venialiter peccantem frui potiùs, quàm uti creatura, & favet huic loquendi modo Auguſtinus *lib. 83. quæſtionum q. 30.* dicens *omnis humana perverſio* (cujus nomine etiam veniale peccatum rectè intelligitur) *eſt fruendis uti velle, atque utendis frui*, idemque ferè repetit *lib. 10. de Trinit. c. 10.* *Vita vitioſa & culpabilis eſt malè utens, vel* 59.

Peccans venialiter eſt potius fruens creatura, quàm utens.

malè fruens. Nihilominùs ſi quis velit ly *frui* Theologicè adhuc eſſe ſtrictiùs uſurpandum, prout appellat tendere in aliquid, tanquam in finem ultimum non quomodocumque, ſed poſitivè, non multùm contendam, quia multùm odi contentiones de nomine, & juxtà hanc ſtrictiſſimam ſignificationem peccans venialiter erit utens, non fruens creatura, aut neque erit utens, neque fruens, ſed abutens, ut loquitur D. Bonaventura *in 2. diſt.41. q.2. art.2.* In hiſce diverſis dicendi modis non eſt operæpretium altercari, quia juxtà diverſam terminorum intelligentiam poſſunt idem in re ſignificare, & dummodò de re ſignificata conveniamus, tolerari facilè poteſt diſſidium in vocibus.

Poteſt tamē in aliquo ſenſu dici etiam utēs, vel abutēs.

60. Ex dictis habetur D.Thomam, dum 1.2. *q.88. artic. 1. ad 3. & q.7. de malo, artic.1. ad 4.* ait peccantem venialiter uti, non frui creatura, ſumere ly *frui* ſtrictiſſimè modo mox explicato; dum 1.2. *q.89. art.1. ad 3. & in 1. diſt.1. q 3. art. unico ad 4.* ait peccantem venialiter non ponere in creatura finem ultimum, intelligendum eſſe de fine ultimo poſitivè, non de fine ultimo negativè: Dum tandem iiſdem, aliiſque in locis, ait peccatum veniale referri in Deum habitu licèt non actu, nihil aliud velle ſignificare, quàm vel concomitantiam habitus charitatis, vel relationem habitualem ſubjecti venialiter peccantis, non ipſius objecti venialiter peccaminoſi.

D.Thomas. ubi videtur nobis adverſari, quomodò intelligendus.

---

§. VI.

An & quomodò unus homo poſſit ſibi conſtituere plures ultimos fines?

61. ASSERT.1. Poteſt unus homo ſibi ſimul conſtituere plures fines ultimos, aut ſecundùm quid, aut partiales, aut ſolùm negativè tales. Prima, & ſecunda pars traditur à Theologis communiſſimè: Tertia pars eſt de ſubjecto non ſupponente apud Thomiſtas non agnoſcentes finem ultimum ſolùm negativè talem, nec diſtinguentes finem ultimum negativè à fine ultimo poſitivè.

Probatur prima pars experientiâ, quâ idem jejunium v. g. volumus ſimul & propter temperantiam, & propter obedientiam, tanquam propter fines ſibi non ſubordinatos adeoque ſecundùm quid ultimos: Ratio eſt, quia ex hujuſmodi finibus nullus ſe ſolo explet appetitum voluntatis, nullus excludit conſortium alterius. Neque dicas: duo fines inter ſe non ſubordinati, quamvis ſolùm ſecundùm quid ultimi ſe habent tùm ut duæ cauſæ totales in ſuo genere, tùm ut duo diverſi termini ad quos ſit motus; ſed non poteſt tùm idē effectus produci à duabus cauſis efficientibus in ſuo genere totalibus, tùm unus motus fieri ad diverſa loca, ergo similiter non poteſt unus homo ſimul operari & moveri propter duos fines, etiam ſolùm ſecundùm quid ultimos. Contrà enim falſum in primis eſt eundem effectum non poſſe ſimul produci à duabus cauſis efficientibus in ſuo genere totalibus hoc tamen dato diſparitas eſt, quia effectus non producitur à cauſis efficientibus ex propria libertate & arbitrio, ſicuti homo ex propria libertate & arbitrio movetur à finibus, ideò ille produci poteſt ſolū à cauſa neceſſariò & naturaliter requiſita, cujuſmodi eſt unica cauſa totalis, iſte verò moveri poteſt ab unico, vel pluribus finibus, prout libuerit: Facilior eſt diſparitas ad illud, quod additur; plures enim fines ſecundùm quid ultimi ſunt termini compoſſibiles, non ſic plura loca, illi ſicut poſſunt ſimul eſſe, ità poſſunt terminare eundem motum potentiæ volitivæ, iſta ſicut non poſſunt ſimul eſſe, ità nec terminare eundem motum potentiæ locomotivæ.

Poteſt homo ſimul habere plures fines ultimos ſecundùm quid.

Probatur ſecunda pars; ſibi conſtituere unum finem ultimum integratum & conflatum ex pluribus rebus eſt ſibi cōſtituere plurea fines ultimos partiales; quælibet enim ex hujuſmodi pluribus rebus eſt pars finis ultimi, ſeu eſt finis ultimus partialis; ſed poteſt unus homo ſibi conſtituere finem ultimū integratum, &c. ergo, &c. Minor probatur, de facto ut refert Auguſtinus 19. *de Civit. c.3.* Marcus Varro ultimum finem & ſummā felicitatem in pluribus rebus conſtituens dicebat ſummum hominis bonū, quo fit beatus, utriuſque rei bonis cōſtare, animæ ſcilicet & corporis; Ariſtoteles item licèt ultimū finē, & ultimam felicitatē principaliter collocet in operatione virtutis, ſimul tamen ſtatuit tanquam partem ultimi finis, ſummæque felicitatis bona externa corporis & fortunæ; aitque 1. *Ethic.c.8. Non enim felicitatis admodum compos eſt ille, qui vel ſpecie prorſus deformis, vel genere ignobilis eſt.* 62.

Item plures fines ultimos partiales.

Probatur tertia pars ex eo, quòd ſententia oppoſita falſo nititur fundamento, falſoque contendit dari non poſſe finem negativè ultimum, qui etiam talis poſitivè non ſit, pro quo repetenda ſunt quæ dicebantur §. *ſuperiore num.57.* 63.

Item plures fines ultimos negativè.

Aſſert. 2. Poteſt unus homo ſibi ſimul conſtituere plures fines ultimos totales, & poſitivè tales, ſolùm tamen præſumptivè, ſeu interpretativè intētos, & de facto tales fines ſibi cōſtituit qui plura peccata diverſa ac diſparata ſimul committit. Ità nonnulli, quos ſuppreſſo nomine refert & ſequitur Salas *hic diſp.8. ſect.3.n 41.* contrà majorē, tùm Thomiſtarum, tùm recentiorū partem; illi enim, ne cogātur admittere in habente ſimul plura lethalia plures ultimos fines ſtatuūt pro omnibus lethalibus unum eundemque ultimum finem in perſona peccantis conſtitutum, ut retulimus & explicuimus *ſuperiore §.4.* Iſti volunt vel peccantem lethaliter conſtituere in creatura ſolùm finem negativè ultimum, vel committentem ſimul plura peccata lethalia ſibi conſtituere ſimul plures fines ultimos ſolùm partiales; adeò ut ex omnibus materiis ſeu objectis peccatorum, quæ ſimul committuntur, unicus finis ultimus totalis conſurgat.

Probatur:

64\. Probatur: Qui plura peccata lethalia diverſa & diſparata ſucceſſivè committit ſibi ſucceſſivè conſtituit plures fines ultimos totales poſitivè tales ſolùm præſumptivè ſeu interpretativè intentos; ergo qui plura peccata lethalia diverſa & diſparata ſimul committit ſibi ſimul conſtituit plures fines ultimos, &c. antecedens ſupponitur ex ſupradictis §. 3. & 4. & admittitur magis communiter à Recentioribus; conſequentia probatur, peccans lethaliter æquè poſtponit Deum cuilibet objecto peccaminoſo, quando committit plura peccata ſimul, ac quando committit plura ſucceſſivè, neque enim dici poteſt committentem plura peccata ſimul poſtponere Deum omnibus illis objectis peccaminoſis collectivè ſumptis, non ſingulis ſecundum ſe, quia hoc modo committeretur unicum peccatum, non plura contrà ſuppoſitionem; ſed per hoc præcisè, quod peccans lethaliter poſtponat Deum objecto peccaminoſo, in hoc ſibi interpretativè conſtituit finem ultimum totalem & poſitivè talem; ergo æquè ſimul ſibi conſtituit plures fines ultimos totales poſitivè tales qui plura lethalia ſimul committit, ac ſucceſſivè ſibi conſtituat plures fines, &c. qui plura lethalia

Plures etiã ultimos totales & poſitivè tales, volitos tamen ſolùm præſumptivè.

65\. committit ſucceſſivè. Confirmatur aſſertum negativè, oſtendendo ſcilicet nullam eſſe in hoc repugnantiam, nec militare eamdem rationem contrà plures fines ultimos poſitivos & totales, ſolùm tamen præſumptivè ſeu interpretativè intentos, quæ contrà eoſdem intentos formaliter & abſolutè: Enim verò qui habet rem aliquam pro fine ultimo formaliter & abſolutè intentu ponit in ipsâ formaliter & abſolutè rationem boni totaliter ſatiativi, & ad ipſam alias omnes res formaliter & abſolutè, ideſt quocumque modo acceptas ordinat: Qui verò habet rem aliquam pro fine ultimo ſolùm præſumptivè non ponit in ipſa rationem boni totaliter ſatiativi, niſi quatenùs ipſam præfert Deo, in quo eſt ratio boni apta totaliter ſatiare, & ad eamdem ordinat alias omnes res non quocumque modo, ſed ſolùm ut contentas in Deo aut formaliter aut eminenter. Porrò non repugnant plura, quæ ſimul præferantur Deo ut bono apto totaliter ſatiare, quamvis repugnent plura bona in ſe ipſis totaliter ſatiativa; in iſtis enim ſingulis eſſet diverſa ratio ſatiativi, in illis eſſet una & eadem, quia ſatiando interpretativè omnia ſatiarent ratione ejuſdem prælationis ad Deum aptum formaliter ſatiare, non ratione propriæ diverſæque bonitatis intrinſecæ. Non item repugnant plura, ad quæ omnes aliæ res ordinentur ut contentæ in Deo, quamvis repugnent plura, ad quæ ordinentur omnes aliæ res quocumque modo, etiam ſecundùm ſe; qui enim conſtituendo duos fines interpretativè ultimos in divitiis & voluptatibus res omnes, tùm ad divitias, tùm ad voluptates interpretativè ordinaret, ordinaret quidem etiam ad divitias voluptates, & ad voluptates divitias, ſed ſub diverſa ratione acceptas; ad divitias ſcilicet ſecundùm ſe acceptas ordinaret voluptates ut contentas in Deo, &

Diſcrimen inter fines ultimos interpretativè & inter fines ultimos formaliter.

66\.

ad voluptates ſecundùm ſe acceptas ordinaret divitias ut contentas in Deo, in quo nulla eſt repugnantia; ſicuti tamen eſſet reſpectu ſibi conſtituentis formaliter & abſolutè duos fines ultimos in divitiis & voluptatibus, hic enim ad divitias ſecundùm ſe acceptas ordinaret voluptates ſecundùm ſe acceptas, & pariter ad voluptates ſecundùm ſe acceptas ordinaret divitias ſecundùm ſe acceptas, ſicque divitiæ & voluptates ſub una eademque ratione terminarent activam & paſſivam ordinationem, quod implicat; ſicut implicat duo ſub eadem ratione mutuò exercere activam, & paſſivam efficientiam.

Aſſert. 3. Poteſt homo ſibi ſucceſſivè & pro diverſo tempore conſtituere plures fines ultimos totales & poſitivè tales; intendendo illos abſolutè & efficaciter. Eſt aſſertum apud omnes Theologos communiſſimum. 67.

Plures fines ſimpliciter ultimi poſſunt abſolutè intendi ſucceſſivè.

Probatur: Licèt finis ultimus verus, & ex natura rei rebus omnibus conſtitutus, unicus ſit & ſemper idem; ut ex profeſſo tradebamus *cap. præcedenti* §. 3. finis tamen ultimus apparens, quem homo poteſt ſibi ipſi ex propria opinione falſaque exiſtimatione conſtituere; multiplex eſt, ut ſatis ſuperque colligitur ex eo quod apud antiquos ducentæ octoginta recenſeantur de ſummo bono, ſeu de ultimo fine, ſententiæ, quemadmodum ex Marco Varrone refert Auguſtinus *lib* 19. *de civit. cap.* 1. In tanta igitur ultimorum finium varietate facilè poterit intellectus propriæ imbecillitati relictus modo unam, modò alteram rem, tanquam ultimum finem ſucceſſivè proponere, & voluntas ad inconſtantiam proclivis modò uni, modò alteri rei, tanquam ultimo fini ſucceſſivè adhærere.

Aſſert. 4. Non poteſt unus homo ſibi ſimul conſtituere plures fines ſimpliciter ultimos totales & poſitivè tales, intendendo illos abſolutè & efficaciter. Ità cum D. Thoma *hic quæſt.* 1. *art.* 5. Theologi omnes adeò unanimiter, ut nullus oppoſitum doceat, imò nec ullus, quem viderim, referat aliquem etiam ex Ethnicis, qui aſſertæ veritati expreſsè adverſetur; & licèt de iis, qui plures admiſerunt Deos ſuſpicari poſſimus, quod ſibi ſimul conſtituerint plures ultimos fines ſimpliciter, &c. Nihilominùs hæc ſuſpicio nec gravis eſt nec admodùm urgens, ſi cum Gonet *hic diſp.* 1. *art.* 6. *num.* 131. advertas; quòd Gentiles qui plures Deos confingebãt (ſunt citati Auctoris ipſiſſima verba) rationem primæ cauſæ & ultimi finis inter eos dividebant; & unum pro uno bono largiendo, alium pro alio colebant, v. g. Martem pro re militari, Apollinem pro ſcientia, Venerem pro generatione, Cererem pro terræ fœcunditate, &c. unumquemque ex illis Diis pro arbitratu ſuo alteri ſubjiciebant, & ſubordinabant. Hinc Tertullianus *c.* 5. *Apolog.* Romanorum ſuperſtitionem in eligendis Diis deridens belliſſimè ait: *Apud vos* (Romanos alloquitur) *de humano arbitratu divinitas penſitatur: niſi homini Deus placuerit, Deus non erit; homo jam Deo propitius eſſe debebit.* Notat etiam D. Auguſtinus eoſ- 69.

68\.

At non ſimul, & eodem tempore.

dem Romanos omnium Gentium Deos coluiſſe, præter Deum Judæorum, cui nullam aram erexerunt; quia ſciebant ipſum non poſſe alterius Dei conſortium pati, ſed velle ſe unum & ſolum coli: Quod argumentum evidens eſt finem ultimum ſimpliciter non poſſe eſſe; nec apprehendi, niſi unum; licèt fingi poſſint plures falſi Dij, & plura bona commutabilia, in quibus homo partialiter conſtituat rationem ultimi finis. Eſt igitur aſſertum iſtud naturaliter evidens, ab aliquibus etiam exiſtimatur fide divina certum, ſed cum Oviedo *hic controv.* 1. *punct.* 3. *num.* 24. crediderim ſacris teſtimoniis ſolùm conſtare, quod homo habens pro fine ſimpliciter ultimo Deum nequeat ſimul habere pro fine ſimpliciter ultimo creaturam, at non quòd nequeat ſimul habere unam creaturam pro uno, aliam pro alio fine ſimpliciter ultimo: Scripturæ igitur teſtimoniis præferendæ ſunt in præſenti rationes, quibus aſſertum ſic

Et hoc eſt potiùs naturaliter evidens, quam certũ de fide.

70. Probatur: Si homo ſibi conſtitueret ſimul plures fines ſimpliciter ultimos totales, &c. tales fines eſſẽt & nõ eſſent ſimpliciter ultimi totales, &c. At nõ poteſt homo ſibi ſimul cõſtituere plures fines, qui ſint, & non ſint ſimpliciter ultimi totales, &c. ergo non poteſt homo ſibi ſimul conſtituere plures fines ſimpliciter ultimos totales, &c. Minor patet; Major quoad primam partem, quod ſcilicet tales fines eſſent ſimpliciter ultimi, &c. ſupponitur; quoad ſecundam, quòd ſcilicet non eſſent, probatur; finis ſimpliciter ultimus totalis, &c. eſt is, qui ſe ſolo appetitum perfectè ſatiat, qui cæteris omnibus præfertur, & ad quem alia omnia ordinantur; ſed fines, qui eſſent plures ſimul, non eſſent hujuſmodi; nullus enim ſe ſolo appetitum ſatiaret perfectè, quia quilibet in eodem appetitu conſortium alterius admitteret; nullus cæteris omnibus præferretur; quia quilibet aut poſtponeretur cæteris finibus ultimis ſimul exiſtentibus, aut ſaltem cum ipſis ex æquo ſolùm, non prælativè ſe haberet, ad nullum alia omnia ordinarentur, quia dum ſupponuntur plures fines ultimi, ſupponuntur plura ad nullum finem ulteriorem ordinata, propter prælationem, quam habere debet quilibet ultimus finis ad alia omnia.

Tres potiſſimè conditiones finis ſimpliciter ultimi.

Dices: Non eſt de ratione finis ultimi ſimpliciter, totalis, &c. quod det ſe ſolo appetitui quidquid poteſt appetere, alioqui non poſſemus illæsâ in Deo prærogativâ finis ultimi aliquid extrà Deum appetere, ergo non eſt de ratione finis ultimi quod appetitum perfectè ſatiet. Sufficit fini ultimo cæteris omnibus præferri, ſaltem negativè, ut patet in divinis Perſonis, quarum quælibet eſt finis ultimus, & tamen una aliis poſitivè nõ præfertur, ſed negativè tantùm; quatenùs aliis non poſtponitur. Sufficit inſuper fini ultimo, quòd ad ipſum ordinentur omnia ordinabilia ex ſupradictis *num.* 57. ergo cum fines ultimi ſint ad aliud inordinabiles, per hoc quod ad unum finem ultimum alij fines ultimi non ordinarentur, non tolleretur ab illo ratio finis ultimi; ergo allata probatio quoad omnes ſui partes infirma eſt & inefficax. Sed contrà.

Tres inſtãtiæ contrà tres aſſignatas conditiones.

Ad primam inſtantiam dico finem ſimpliciter ultimum debere ſe ſolo appetitum perfectè ſatiare non quocumque modo, ſed terminativè; adeò ut finis ultimus ſit non ſe ſolo omnia, ſed ſe ſolo terminans & ſibi ſubordinans omnia, quibus appetitus ſatiatur; ſicque poſſumus illæsâ in Deo prærogativâ finis ultimi aliquid extrà Deum appetere, dummodò id appetamus ut terminandum in Deo, ſeu ut ſubordinatum Deo; quia verò quod appetitur per modum finis ultimi nequit in alio terminari, ſeu alij ſubordinari, nequit ſalva prærogativa unius finis ultimi appeti aliquid aliud pariter ut finis ultimus. Adde quòd in eo ſenſu, in quo *cap. ſequenti* §. 5. dicetur beatitudinem objectivam debere eſſentialiter eſſe ſummum bonum comparativè, non abſolutè, dici in præſenti poſſet ultimum finem debere perfectè ſatiare appetitum comparativè ſolùm, non abſolutè. 71.

Solvitur prima inſtantia.

Ad ſecundam dico fini negativè ultimo ſufficere prælationem negativam, ſecùs fini ultimo poſitivè; hic enim cæteris omnibus præfertur ex vi amoris appretiativi, quo ſuper omnia amatur, prælatio autem, quâ aliquid ſuprà cætera amatur, poſitiva eſt, non negativa. Quoad divinas Perſonas verum eſt unam aliis duabus poſitivè non præferri, at cum hoc ſtat quamlibet divinam Perſonam poſitivè præferri cuilibet alij diſtincto ab ultimo fine, quia tres divinæ Perſonæ in ratione ultimi finis non diſtinguuntur & ſunt unus ultimus finis, unum ſummum bonum; ſicuti ſunt unus Deus; quamvis ſint tres habentes rationem ultimi finis, tres habentes ſummam bonitatem, ſicuti ſunt tres habentes Deitatem: idque propriiſſimum eſt Myſterij Trinitatis, quod cum nequeat ad creaturas transferri, non ſolùm nequeunt dari in creatis plures ultimi fines totales ſed nec plures habentes rationem totalem ultimi finis. 72.

Solvitur ſecunda.

Ad tertiam dico aliquid eſſe inordinabile ad aliud vel titulo perfectionis, vel titulo imperfectionis; finis ultimus admittit quidem aliquid ad ſe inordinabile, quod ſit tale titulo imperfectionis, non quod ſit tale titulo perfectionis; ratio eſt quia quod ad finem ultimum omnia ordinentur ſeu quòd finis ultimus omnia terminet, provenit ex maxima ipſius perfectione, cui obeſſet non terminare ordinem alicujus dicentis perfectionem, ſeu ſe à tali ordine ſubtrahentis titulo perfectionis; non ſic prodeſt, quin potiùs obeſt terminare ordinem alicujus dicentis intrinſecam imperfectionem. Porrò peccatum veniale eſt ad Deum inordinabile titulo imperfectionis, ut per ſe patet, plures ultimi fines eſſent ad aliud inordinabiles titulo perfectionis, quia titulo ultimi finis, ideò, &c. Hinc propoſitio illa ſufficit fini ultimo, quod ad ipſum ordinentur omnia ordinabilia intelligenda eſt cum conditione ſeu ex ſuppoſitione, quòd nihil ſit ad talem finem inordinabile titulo perfectionis. 73.

Solvitur tertia.

Hujuſce

Hujuſce triplicis inſtantiæ ſolutiones robur addunt non mediocre noſtro ſuperiori argumento, quo, ut validiùs urgeret, tres rationes in unum collegimus; ex eo autem non ſolùm efficaciter oſtenditur evidentia aſſertæ veritatis, ſed inſuper infertur primò non ſolùm non poſſe humanam voluntatem ſimul intendere, ſed nec etiam poſſe humanam mentem ſimul apprehendere ut non repugnantes duos vel plures fines ſimpliciter

74. ultimos totales, &c. Ratio eſt quia ultimus finis in apprehenſione habet eadem prædicata eſſentialia & metaphyſica, quæ habet in re, & intellectus apprehenderet rationem aliquam diverſam à ratione ultimi finis quoties non apprehenderet prædicata eſſentialia & metaphyſica ultimi finis: cum igitur repugnantia ſimultatis duorum, vel plurium ultimorum finium, oriatur ex prædicatis eſſentialibus & metaphyſicis, neceſſe eſt, quod militet reſpectu ultimorum finium etiam in apprehenſione. Vndè poſſumus quidem apprehendere duos ultimos fines aut ut incompoſſibiles aut errando circà prædicata eſſentialia ac metaphyſica ultimi finis; at non poſſumus concipiendo ipſos ſecundùm propria prædicata, eoſdem apprehendere ut compoſſibiles, & ſimul per modum ultimorum finium appetibiles.

Simultas ultimorum finium repugnat etiã in apprehenſione.

75. Infertur ſecundo neque etiam diſiunctivè poſſe hominem ſibi conſtituere duos vel plures fines ſimpliciter ultimos, &c. Additur hæc extenſio à Sylvio *hic q. 1. art. 5. §. ad tertium reſp.* Ioanne à S. Thoma *eod. art. n. 23.* Gonet *diſp. 1. art. 6. num. 130.* Gabriele *à S. Vincentio diſp. 1. dub. 14. n. 207.* aliiſque Thomiſtis communiter, licèt D. Thomas de eâ in terminis nihil expreſſerit, cum Thomiſtis ſentit major pars Recentiorum contrà Salas *hic diſp. 8. ſect. 4.* Granados *controv. 1. tract. 1. diſp. 3.* alioſque nonnullos, contrà quos illatio noſtra probatur, duos ultimos fines ſubdiſiunctò ſibi conſtituens, licèt alterutrum ſolùm, non utrumque ſimul deberet efficaciter velle, deberet tamen utrumque ſimul voluntati proponere & judicare utrique ſimul ineſſe rationem ultimi finis adeoque in intellectu & in apprehenſione deberent ſe compati duo ultimi fines, quod repugnare inferebamus *num. præcedente.* Neque dicas poteſt intellectus ſimul apprehendere duos ultimos fines, ut appetendos ſucceſſivè unum poſt alterum, ergo etiam ut appetendos diſiunctivè, unum vel alterum. Contrà enim: falſum eſt antecedens & non niſi ſucceſſivè poteſt intellectus duos ultimos fines apprehendere, ſicuti voluntas non niſi ſucceſſivè poteſt eoſdem appetere; ratio eſt quia tendendo in duos fines ſucceſſivè, tùm intellectus, tùm voluntas, per actus quibus tendunt in ſecundum retractant aut formaliter aut virtualiter actus, quibus tendebant in primum; quæ retractatio ex parte intellectus haberi non poteſt in apprehenſione ſimultanea finium ſucceſſivè obtinendorum. Si quæras: Vtrùm ſaltem ſuppoſito errore intellectus ſimul apprehendentis duos ultimos fines ſubdiſiunctò poſſit voluntas

Extendenda eſt tam repugnantia ad fines etiam ſubdiſiunctò.

Fines ultimi ſucceſſivè obtinendi non poſſunt ſimul apprehendi.

ipſos intendere? Dico in hoc eamdem eſſe 76.
rationem, quæ de duobus ultimis finibus collectivè ſuppoſito errore intellectus ipſos apprehendentis, & proponentis voluntati, ut non repugnantes: In re crediderim poſſe quidem voluntatem errore intellectus ſuppoſito duos fines ſubdiſiunctò intendere, at non intenderet fines ultimos, quia illi fines eſſent ultimi nomine tenus, quoad rem verò neque ut ſunt in apprehenſione eſſent ultimi, error enim intellectus conſiſteret in eo, quod conciperentur ſine prædicatis eſſentialiter debitis fini ultimo; pro quo adverto dupliciter poſſe ex errore intellectus apprehendi duos fines ultimos; Primò tribuendo duabus diverſis ac diſtinctis rebus vera & eſſentialia prædicata ultimi finis, & hoc modo non poteſt intellectus, quamvis per errorem, apprehendere duos ultimos fines, niſi ſucceſſivè: Secundò judicando ultimum finem habere prædicata diverſa ab iis, quæ re verà habet, nec concipiendo tanquam prædicata ultimo fini eſſentialia, appetitum perfectè ſe ſolo ſatiare, omnibus præferri, omnia ſibi ſubordinare, deindè conformiter ad hoc erroneum judicium apprehendere duos ultimos fines; hoc ſolùm modo poſſunt ex errore intellectus, vel collectim, vel diſiunctim apprehendi ſimul duo ultimi fines, quos dico ultimos nomine tenùs, quia error intellectus eſt in judicio, quod profert de fine ultimo; non in judicio, quod conſequenter profert de fine multiplici.

Dupliciter poteſt errare intellectus apprehendendo plures fines ultimos.

Infertur tertiò neque etiam habitualiter 77.
poſſe hominem ſibi ſimul conſtituere plures fines ſimpliciter ultimos, &c. Ità Thomiſtæ communiter, idque fusè præ cæteris tradit Gabriel à S. Vincentio *hic diſput. 1. dub. 15.* referens pro ſententia contraria illos omnes, qui putant eumdem hominem poſſe ſimul eſſe in gratiâ & in peccato lethali, in hoc tamen ei non aſſentior, quia juſtus lethaliter peccans, etiamſi ſupponatur retinere habitum gratiæ & charitatis; tamen peccando retractat ordinationem ad Deum, ordinatio autem, ut habitualiter perſeveret perſeverante habitu, neceſſe eſt ut non ſit retractata; undè exiſtimo eum, qui perſeverando divinitùs in gratiâ lethaliter peccat non remanere habitualiter converſum ad Deum & creaturam, tanquam ad duos fines ultimos; ſed ſolùm ad creaturam. In univerſum verò non poſſe hominem ordinari habitualiter in plures fines ſimpliciter ultimos infertur ex eo, quod omnibus præferri, omniaque ſibi ſubordinare importat neque etiam habitualiter alicui poſtponi, & quemcumque alterius cujuſcumque ordinem etiam ſolùm habitualem terminare. Deindè converſio ſeu ordinatio habitualis in finem ultimum ſupponit præceſſiſſe ordinationem actualem, neque enim homo merè paſſivè ſe habens per puram infuſionem habitus charitatis diceretur habitualiter converſus ad Deum converſione & ordinatione, de quâ loquimur in præſenti, quâ ſcilicet homo tendit in finem à ſe intentum, non præcisè ſibi à Deo conſtitutum; ſed eo ipſo, quòd præceſſit ordi-

Neque etiã habitualiter poteſt homo ſimul haberé duos fines ſimpliciter ultimos.

natio

natio actualis ad unum finem ultimum, præceſſit retractario cuiuſcumque ordinationis ad alium finem ultimum; ergo nunquàm poni poteſt ordinatio habitualis ad unum ultimum finem, quia antecedenter ſublata fuerit alia quæcumque ordinatio habitualis ad alium finem; ergo nunquàm poſſunt eſſe ſimul duæ ordinationes habituales ad duos ultimos fines: A fortiori non poteſt idem homo ſimul ordinari ad unum ultimum finem habitualiter, ad alium actualiter, vel virtualiter, ut patet conſideranti.

78. Plures fines ſimpliciter ultimi poſſunt ſimul appeti inefficaciter.

Infertur quartò non ſupereſſe alium modum ſibi ſimul conſtituendi plures fines ſimpliciter ultimos inter ſe formaliter diſtinctos, quàm vel intendendo illos interpretativè iuxtà doctrinam ſecundi aſſerti, vel intendendo illos inefficaciter iuxtà communem doctrinam, ſecundùm quam creata voluntas poteſt actu inefficaci appetere bonum impoſſibile etiam cognitum ut tale; cum enim aliundè extrà controverſiam ſit poſſe intellectum duos, vel plures fines ſimpliciter ultimos, ut repugnantes & inter ſe incompoſſibiles ſimul apprehendere, non eſt negandum voluntati poſſe eoſdem appetere ea ratione, qua poteſt appetere res impoſſibiles, velleitate ſcilicet & actu inefficaci. Di-

79. Aut etiam efficaciter, dummodò non ſint diſtincti formaliter in ratione finis.

xi *inter ſe formaliter diſtinctos*, nam ſi detur diſtinctio non ex parte bonitatis finalizantis, ſed ſolùm ex parte ſubſtracti habentis talem bonitatem, quomodò ſe habent tres divinæ Perſonæ iuxtà ſupradicta *n.* 71. aut talis diſtinctio ſit præcisè materialis & in ratione entis, nullatenùs formalis & in ratione finis, quomodo reſpectu conſtituentis ultimum finem in cumulo pecuniatum materialiter & in ratione entis, non formaliter & in ratione finis, diſtinguantur duo pecuniarum cumuli æqualis omninò valoris & pretij, quomodo etiam de facto reſpectu Beatorum materialiter ſolùm, & in ratione entis, differunt duæ Dei viſiones. Si, inquam, inter fines ultimos detur diſtinctio altero tantùm ex his modis, ſicuti cum hac ſola diſtinctione non repugnat ſimul dari plures fines ultimos (qui tamen impropriiſſimè plures fines dicuntur, cum habeant pluralitatem ſolùm in alia ratione, non in ratione finis) ità non repugnat plures fines ultimos cum eadem ſolùm diſtinctione, aut ſimul collectim, aut ſimul diſiunctim intendi; ſic intendimus collectim tres divinas Perſonas, & diſiunctim hanc vel illam numero viſionem Dei.

CAPUT III.

De Beatitudine objectivâ Hominis.

1. CVM ex ſupradictis *cap.* 2. §. 1. Beatitudo objectiva & ultimus finis unum & idem ſint, poſt explicatum ultimum hominis finem vix videtur ſupereſſe aliquid explicandum de Beatitudine hominis objectivâ; & re verâ, ſicuti huc uſque tradidimus, ultimum finem hominis eſſe unicum, & in Deo ſolo conſiſtere, ita certum eſt eſſe unicam, & in ſolo Deo ſitam veram hominis Beatitudinem objectivam; ut tamen res ſub propriis terminis magis eluceat; & beatitudo objectiva quoad connotata & munera, in quibus differt à fine ultimo, ſpecialiùs innoteſcat, neceſſe eſt de ipsâ ſingillatim diſſerere, & primo loco ſtatuere, quid ſignificetur nomine objectivæ beatitudinis ſecundùm communem vulgaremque acceptionem, ſecundùm quam eſt non ſolùm Theologis, verùm etiam tùm Ethnicis Philoſophis, tùm rudibus, plebeiſque viris non ignota, in hoc ſenſu ſit

§. I.

Quid ſignificetur nomine Beatitudinis objectivæ.

Beatitudinis objectivæ vera definitio.

ASSERTVM. Nomine Beatitudinis objectivæ ſecundùm communem, vulgaremque acceptionem ſignificatur bonū perfectè ſatians & quietans appetitum. Colligitur ex D.Tho. *hic q.* 2. *ar.* 8. *in c.* & *alibi pluribus in locis*, ex Scot. *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. §. *De Secundo*, & ex pluribus Recentioribus ſpecialiter ex Arriag. *hic diſp* 47 *ſec.* 1 Oviedo *controv.* 1. *punct.* 1. Gonet *diſp.* 2. *in principio*, qui etiam alias, quæ de Beatitudine tradi ſolent definitiones, minùs approbant.

Probatur: Eſſe bonum perfectè ſatians & quietans appetitum verè beatitudini objectivæ convenit, & ex alia parte continet id, quod magis formaliter, & magis iuxtà omnium opinionem in beatitudine objectiva relucet; ergo verè nomine beatitudinis objectivæ ſecundùm communem vulgatémque acceptionem, &c. antecedens quoad primam partem probatur ex eo quod in quocumque objecto quis conſtituat beatitudinem, in tantantùm tali objecto beatur, in quantum ex vi talis objecti remanet ipſius appetitus ſatiatus & quietus, nec habet ampliùs aut deſiderium aut tendentiam ad aliquid aliud; & cum appetitus nihil aliud ſit, quàm quædam capacitas & quaſi vacuitas, tunc certè optimo modo ſe habet & beatur quando repletur, repletur autem per bonum perfectè ſatians & quietans. Idem antecedens quoad ſecundam partem probatur comparando noſtram definitionem cum reliquis, quarum præcipuę ſunt illa Boëtij 3. *de conſol. proſâ* 2. ubi dicitur *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*; illa Auguſtini 5. *de civit. c.* 5. ubi dicitur *rerum optandarum cumulata plenitudo*; illa Ciceronis 3. *Tuſcul. quaſt.* ubi dicitur *bonorum omnium, ſecretis omnibus malis, cumulata complexio*, quæ quidem omnes definitiones continent materiam, non rationem formalem beatitudinis, & ex verbis noſtræ definitionis tanquàm ex propria ratione formali inferuntur; illarum enim Auctores ex eo quòd deprehenderint hominem nec perfectè 2.

Aliæ eiuſdē beatitudinis definitiones.

fectè ſatiari, nec perfectè quieſcere, quòuſque bono aliquo caret, intulerunt Beatitudinem debere eſſe omnium bonorum collectionem. Eædem definitiones non ſunt conformes cómuni opinioni & conceptui, quem homines de Beatitudine formãt; neque enim tot forent ſententiæ Antiquorum collocantium Beatitudinem in diverſis particularibus bonis, ſi omnes communiter nomine beatitudinis intellexiſſent bonorum omnium collectionem; cum noſtra autem definitione optimè cohæret illa ſententiarum varietas, quia rationem boni perfectè ſatiantis & quietantis facilè potuerunt per errorem conſtituere alij in divitiis, alij in honore, alij in ſcientiis, alij in voluptatibus; &c.

3. Alio etiam vitio laborant prædictæ definitiones, à quo noſtra immunis eſt, interclùdunt ſcilicet aditum diſtinguendi beatitudinem eſſentialem ab accidentali, cum noſtra definitio propriè conveniat ſoli beatitudini eſſentiali, quæ ſola etiam ſine accidẽtali perfectè ſatiat & quietat, non ſic accidentalis ſine eſſentiali; noſtra igitur definitio contra diſtinguit beatitudinem eſſentialem ab accidentali, illæ nequaquam.

Tandem juxtà prædictas definitiones minùs benè coincidit beatitudo objectiva cum fine ultimo, & ægrè explicatur cumulum omnium bonorum eſſe id, propter quod appetuntur cætera, cæteris præferri, cætera ſibi ſubordinare, ly enim *cæter.* utique importat cætera bona, at extrà cumulum bonorum omnium non ſuperſunt alia bona, nequeunt igitur cætera bona propter talem cumulum appeti & ad ipſum ordinari: Si dicas ordinari cætera bona ad cumulum omnium bonorum tanquàm partes ad totum;

4. *Quod ordinatur ad finem debet ordinari ut medium nõ ut pars.*

contrà eſt, quia quod ordinatur ut ad finem, debet ordinari ut medium, non ut pars; ut cauſa extrinſeca & efficiens, non ut cauſa intrinſeca & conſtituens: Porrò juxtà aſſertam definitionem egregiè coincidit cum ultimo fine objectiva beatitudo, cum & ſatis ſuperque ſupradictum ſit eſſe prærogativam finis ultimi appetitum perfectè ſatiare, & facile concipiatur bonum perfectè ſatians & quietans eſſe id, propter quod appetuntur cætera bona, quod cæteris bonis præfertur, &c.

5. *Radix diſſidij Catholicos inter, & Ethnicos, circà beatitudinẽ objectivã hominis.*

Antequàm ulteriùs progrediar inquirendo, in quonam conſiſtat vera & perfecta beatitudo objectiva, adverto toto cœlo diſtantes & oppoſitas ſententias Catholicorum & Ethnicorum in aſſignando objecto humanæ felicitatis oriri potiſſimùm ex eo, quòd Ethnici beatitudinem ſupernaturalem, & ut plurimùm etiam beatitudinem æternam non agnoſcentes, voluerint hominem beari ſolis naturalibus, & ut plurimùm etiam ſolis vitæ præſentis bonis: Catholici verò agnoſcentes hominem ordinatum ad æternam, & ſupernaturalem alterius vitæ felicitatem, eidem aut nullam aut valdè imperfectam beatitudinem naturalem concedunt præſertim antè mortem, & negant conſequenter poſſe ipſum beari naturalibus bonis, præſertim hujus vitæ; crediderim propterea rectum doctrinæ ordinem poſtulare, ut primò explicetur dabilis ne ſit reſpectu hominis beatitudo objectiva naturalis, & in hac vita? hinc enim facilior patebit aditus explicandi, utrùm perfecta & ſumma hominis beatitudo objectiva in Deo ſolo ſita ſit? cæterùm illo neglecto hoc illicò inquirere, ut major Theologorum pars præſtat in præſenti, eſt obſcurè procedere; & contrà Ethnicos conſtituentes pro objecto beatitudinis aut naturalis, aut hujus vitæ, bona creata, inſurgere argumentis militãtibus pro beatitudine aut ſupernaturali, aut alterius vitæ, eſt parùm accommodatè, ac parùm efficaciter ipſos impugnare; cum enim neceſſe non ſit eſſe eaſdem utriuſque beatitudinis conditiones, neceſſe etiam non eſt eſſe idem utriuſque objectum; nec ex eo quòd bona creata non ſint noſtra objectiva beatitudo ſupernaturalis & alterius vitæ, ſatis probatur quod neque ſint noſtra objectiva beatitudo naturalis & in præſenti vita, de qua ſola Ethnici loquebantur. Ideò ſit

---

§. II.

Utrùm ſit dabilis reſpectu hominis vera beatitudo objectiva in ordine naturæ: Ubi nonnulla de ſtatu Naturæ puræ?

ASSERT. Simpliciter & abſolutè dabilis eſt reſpectu hominis vera beatitudo objectiva in ordine naturæ; & talis beatitudo eſſet omninò admittenda reſpectu hominis; qui à Deo produceretur in ſtatu puræ Naturæ. Hujus aſſerti materies obſcura eſt, & à paucis pertractata, eo quòd ex una parte elevatio hominis ad ſtatum ſupernaturalem, eiuſdémque ad ſupernaturalem beatitudinem ordinatio; minuerit in ipſo & quodãmodò oppreſſerit notitiam & conſiderationem beatitudinis naturalis; ex alia parte ſtatus puræ naturæ, ex quo potiſſimùm haberi poteſt aliqua notitia naturalis beatitudinis, nobis parùm innoteſcit, quia numquàm, in re fuit, imò ſecundùm aliquos neque etiam diviniùs eſſe poteſt: Ideò ut ſternamus viam ad efficaciùs probandum aſſertum, & aliqualiter occurramus obſcuritati materiæ, operæpretium eſt nonnulla prædvertere circà ſtatum puræ Naturæ, ſicque

6. *Dabilis eſt in ordine Naturæ vera beatitudo objectiva.*

Adverto primò ſtatum puræ Naturæ eſſe ſtatum, in quo natura & habeat omnia ſibi debita, & careat omni ſibi indebito; ſivè hoc ſpectet ad perfectionem & elevet naturam ſuprà ſe ipſam, ut dona ſupernaturalia; ſivè ſpectet ad imperfectionem & naturam quodammodò deprimat inſrà propriam conditionem, ut peccatum originale; ſicque ſtatus Naturæ puræ dicit duo & Naturam & puritatem; dicendo naturam includit omnia ea, quæ ab intrinſeco naturæ conveniunt; dicendo puritatem excludit omnia ea,

7. *Status puræ naturæ quid?*

Nunquam fuit de facto poſitus. quæ ab extrinſeco naturæ adveniunt. In hoc ſtatu nulla hucuſque creatura rationalis producta fuit, quia Angeli & primi Parentes fuerunt producti in gratia, primorum verò Parentum poſteri omnes naſcuntur in originali peccato.

8. *Fuit tamen ponibilis de potentia Dei ordinaria.* Adverto ſecundò ſtatum puræ naturæ, quamvis nunquam de facto poſitum, fuiſſe tamen ponibilem & quidem de potentia ordinaria, Deo ſcilicet operante juxtà naturalem rerum creatarum exigentiam, adeò ut ſi Deus primum Parentem condidiſſet ſine gratia gratum faciente, & ſine ordinatione ad beatitudinem ſupernaturalem, condidiſſet ipſum modo ei debito & connaturali, non extraordinario & indebito, quidquid in oppoſitum ſentiant Janſenius, Bajus, aliique nonnulli contendentes gratiam ſanctificantem, & originalem juſtitiam, fuiſſe homini in prima ſui conſtitutione connaturalem & debitam, nec de potentia ordinaria fuiſſe hominem ſine illa creabilem; contrà quos præſertim quoad gratiam ſanctificantem ſtant D. Thomas *queſt.4. de malo art.1. ad 14.* Scotus *in 2. diſt.28. §. ad queſtionem*, aliique Theologi communiter, quibus plurimùm favet reprobatio quorumdam articulorum Baij facta auctoritate ſedis Apoſtolicæ unde propter communem Theologorum ſenſum Apoſtolicæ ſedis auctoritate ſuffultũ oppoſita opinio non videtur eſſe poſſe à cen-

9. *Cenſura ſententiæ oppoſitæ.* ſura temeritatis immunis; videatur Eſtius *in 2. diſt.25. §.3.* Gonet *1.p.tract.8.diſp 6.§.2.* Dixi *præſertim quoad gratiam ſanctificantem*, nam quoad juſtitiam originalem, ut à gratia ſanctificante diſtinctam, & ſitam in perfecta ſubjectione & ſubordinatione partis ſuperioris ad Deum, & partis inferioris ad ſuperiorem, opinio docens ipſam eſſe homini connaturalem ſub eamdem cenſuram non cadit, & approbatur ab Eſtio *diſt. præcit. §.6.*

10. *Excludit gratiam ſãctificantẽ, item quamvis non tanta certitudine integritatem.* Adverto tertiò, quòd licèt non eadem certitudine, quâ conſtat ſtatum puræ naturæ excludere puritate ſua gratiam ſanctificantem, conſtet pariter ipſum excludere originalem juſtitiam, ſeu integritatem; eſt tamen hoc etiam valdè probabilius ut oſtendit Gonet *diſp.6. præcit. art.1. §.3.* & ſentiendum potuiſſe Deum connaturali modo operantem hominem primò condere etiam cum rebellione & pugna partis inferioris adverſus ſuperiorem, concupiſcentiæ adverſus rationem; oritur enim hæc pugna & rebellio ex principiis conſtitutivis ipſius hominis, ſcilicet ex eo quod conſtet anima & corpore, appetitu rationali & ſenſitivo; quorum alter tendit in bonum honeſtum, alter in delectabile honeſto ſæpè contrarium; eſt igitur ab intrinſeco homini debita pugna & contrarietas utriuſque appetitus, eſt defectus connaturalis; cujus remedium ſitum in originali juſtitia, ſeu dono integritatis, nequit non eſſe indebitum & innaturale, alioqui poſſet eſſe alicui ſubjecto connaturalis & debita tùm forma, tùm carentia formæ.

11. *Homo in tali ſtatu* Adverto quartò hominem in ſtatu puræ naturæ conditum, ideſt juxtà mox dicta deſtitutum gratia ſanctificante ejuſque auxilis, & carentem integritate, ſe habiturum in ordine ad Deum, ut finem naturalem, eo proportionaliter modo, quo in ordine ad Deum, ut finem ſupernaturalem, ſe habet homo in præſenti ſtatu naturæ elevatæ; *quomodo ſe habuiſſet in ordine ad Deum.* in ordine ſcilicet ad Deum finem naturalem aliquando benè, aliquando malè operaretur; imò ceſſante tunc invidia & impugnatione dæmonis, paucioribus impeteretur tentationibus, & veriſimiliter eliceret pauciores actus malos, quàm nunc eliciat. Vix etiam ulla eſſet diverſitas in ordine ad vitam & mortem corporalem, vel morbos vitam comitantes, & cauſas phyſicas mortem inferentes; poſt hanc anima immortalis æternitate tota perſeveraret corpori nunquam reunienda, quamvis, ut refert Gonet *diſput. præcit. num.35.* non deſint *Quomodò poſt mortem.* qui exiſtiment futuram etiam in pura natura aliquam corporum reſurrectionem; verùm cum hæc nec ab ulla cauſa naturali, nec à Deo ut Auctore naturæ fieri poſſit, incongruè conceditur ſtatui naturæ puræ, eadem ratione mihi videtur incongruum, quod nonnulli docent tunc homines juſtos debitum virtutis ſtatum aſſecutos à Deo in corpore & anima rapiendos, & vivos perpetuò in aliquo determinato loco conſervandos: In quem determinatũ locum deſtinarentur animæ juſtorum? in quem animæ improborum? quibus iſtæ punirentur ſuppliciis? & alia hujuſmodi, prorsùs occulta nobis ſunt; & de ſtatu qui nec eſt, nec umquam fuit, temerè ſolùm & divinando poſſunt leviora quæque inveſtigari.

Hæc de ſtatu puræ naturæ, quantum ad præſens inſtitutum attinet, attigiſſe ſufficiat, ad tractatum de gratiâ, iis quæ hic deſiderantur reſervatis: probabuntur ibi, quæ hic ſupponimus; explicabuntur, quæ hic indicamus; ſolventur contraria argumenta, quæ hic diſſimulamus. Interim his animadverſis

Probatur aſſertum: Repugnat ſtatus homini ab intrinſeco debitus & connaturalis, 12.
in quo homo non ſit capax veræ beatitudinis; ſed ſi non eſſet dabilis vera beatitudo (præſcindo ut argumentum clarius procedat à beatitudine objectiva, & formali, quia una neceſſariò alteram infert, & dum probatur indefinitè reſpectu hominis vera beatitudo probatur beatitudo & objectiva & formalis) in ordine naturæ eſſet dabilis ſtatus homini ab intrinſeco debitus & connaturalis, in quo homo non eſſet capax veræ beatitudinis, & talis eſſet ſtatus puræ naturæ; ergo dabilis eſt reſpectu hominis vera beatitudo in ordine naturæ, & talis beatitudo eſſet omninò admittenda, &c. Hoc argumentum efficaciſſimum eſt, dummodò utraque ipſius præmiſſa efficacem obtineat probationem, ideò

Probatur major primò: Repugnat ſtatus 13.
Homo in quolibet ſtatu connaturali eſt magis ca- homini ab intrinſeco debitus & connaturalis, in quo homo non ſit capax majoris fælicitatis quàm miſeriæ; ſed in ſtatu, in quo homo non eſſet capax veræ beatitudinis, non eſſet capax majoris felicitatis, quàm miſeriæ; ergo

par felicitatis quàm miſeriæ.

ergo talis ſtatus repugnat ; major patet, quia in tali ſtatu homo potiùs malè quàm benè ſimpliciter loquendo ſe haberet, eique expetibilius eſſet non exiſtere quàm exiſtere, hoc autem non poteſt convenire ab intrinſeco ; ſatis enim per ſe conſtat nihil ab intrinſeco ſibi appetere, aut malè eſſe, aut non eſſe : Minor probatur ; felicitas, quæ ſit major maxima æternaque miſeria, certè debet eſſe maxima & æterna felicitas, adeoq; debet eſſe vera beatitudo ; atqui ut homo ſit capax majoris felicitatis quam miſeriæ, neceſſe eſt, quod ſit capax felicitatis quæ ſit major maxima æternaque miſeria ; quod ſic probo, cum non ſit dabilis homo ab intrinſecu impeccabilis, neceſſe eſt quòd in quolibet ſtatu ſibi conveniente ab intrinſeco peccabilis ſit, & per conſequens, quòd ſit capax illius miſeriæ, quâ puniri poteſt grave peccatum, at grave peccatum juſtè puniri poteſt gravi, æternaque miſeria, ergo in quolibet ſtatu ſibi conveniente ab intrinſeco homo eſt capax maximæ æternæque miſeriæ, adeoque ut ſit capax majoris felicitatis, quàm miſeriæ neceſſe eſt, quòd ſit capax felicitatis, quæ ſit major maxima æternaque miſeria.

14. Homo in quolibet ſtatu connaturali eſt capax conſequendi ultimum finem ſibi conſtitutum à Deo.

14. Probatur eadem prima major ſecundò: Repugnat ſtatus homini ab intrinſeco debitus & connaturalis, in quo homo non ſit capax conſequendi ultimum finem ſibi à Deo conſtitutum, ergo repugnat ſtatus, &c. in quo homo non ſit capax veræ beatitudinis ; conſequentia patet, quia finis ultimus cum beatitudine coincidit, & finis conſtitutus à Deo coincidit cum beatitudine vera, Deus enim ſicuti nequit habere pro fine niſi id, quod eſt verè bonum, ità non poteſt habere pro fine ultimo alicujus ſtatus, niſi id quod eſt verè bonum ſummum, & per conſequens vera beatitudo talis ſtatus : Antecedens probatur ; repugnat ſtatus homini ab intrinſeco debitus, in quo homo habeat neceſſitatem deferendi ultimum finem ſibi à Deo conſtitutũ, alioqui homini ab intrinſeco deberetur eſſe in peccato ; item in quo habeat minorẽ proportionem ad talem finem, quàm cæteræ omnes creaturæ, alioqui homini ab intrinſeco deberetur eſſe in ordine ad ultimum finem deterioris conditionis, quàm cæteræ omnes creaturæ ; ſed ſi homo in aliquo ſtatu ſibi connaturali non eſſet capax, &c. hoc utrumque ſequeretur ; ergo repugnat talis ſtatus.

15. Homo in purâ naturâ eſt ſolũ capax beatitudinis naturalis.

15. Probatur minor primi argumenti: Status puræ naturæ eſt ſtatus dabilis, & homini ab intrinſeco debitus ac connaturalis ; ſed in hoc ſtatu homo non eſt capax beatitudinis, niſi in ordine naturæ ; ergo ſi non eſſet dabilis vera beatitudo in ordine naturæ eſſet dabilis ſtatus, &c. Major ſupponitur ex ſupradictis, ex quibus etiam facile probatur minor, ex eo enim quòd juxtà ſupradicta puritas importata per ſtatum puræ naturæ excludat omne ſupernaturale, conſequens eſt hominem in tali ſtatu non eſſe capacem beatitudinis niſi in ordine naturæ ; nec poſſe ſervata talis ſtatus puritate habere capacitatem & proportionem ad beatitudinem in ordine ſupernaturali, ſicuti nec ad gratiam ſanctificantem, aut aliquam aliam ſupernaturalis ordinis perfectionem.

Dices : Homo in ſtatu puræ naturæ ſine ſupernaturalibus auxiliis gratiæ non poſſet ullam prorsùs veram beatitudinem conſequi ; ergo non poteſt ſimul ſuſtineri quòd homo in ſtatu naturæ puræ ſit capax veræ beatitudinis, & quòd puritas illius ſtatus nihil admittat ordinis ſupernaturalis ; vel ergo homo in tali ſtatu ; ſicuti non eſt capax beatitudinis, niſi dependenter ab auxiliis ſupernaturalibus, ità non eſt capax beatitudinis niſi ſupernaturalis ; utraque conſequentia eſt directè contrà doctrinam præcedentis probationis : Antecedens probatur, cum peccatum inferat miſeriam cum vera beatitudine incompoſſibilem, homo in quocumque ſtatu ſit, eo ſolùm modo poteſt veram beatitudinem conſequi, quo poteſt omnia gravia peccata vitare ; atqui in ſtatu puræ naturæ ſine ſupernaturalibus auxiliis non poteſt omnia gravia peccata vitare, alioqui poſſet homo puris naturæ viribus diligere ſuper omnia Deum ut Auctorem naturæ, & obſervare omnia præcepta legis naturalis, cujus oppoſitum tradunt Theologi communiter *in limine tractatus de Gratia*. Sed contrà : nego abſolutè antecedens, ad cujus probationem conceſſa majore nego minorem, & dico hominem puris naturæ viribus, prout excludentibus præcisè auxilia ſupernaturalia, poſſe in ſtatu puræ naturæ diligere Deum ſuper omnia ut naturæ auctorem, & obſervare omnia præcepta legis naturalis, & Theologi oppoſitum docentes loquuntur de homine in ſtatu naturæ lapſæ ad finem ſupernaturalem ordinato, non de eodem in ſtatu naturæ puræ reſpiciente præcisè ſuum ultimum finem naturalem, idque propter diverſam utriuſque ſtatus conditionem proprio loco *in tractatu de Gratia* enucleandam : Interim dixi puris naturæ viribus, prout excludentibus præcisè auxilia ſupernaturalia, nam ad amorem naturalem Dei ſuper omnia, & ad totius legis naturalis obſervantiam, requirerentur etiam in purâ naturâ quædam ſpecialia auxilia, intrà ordinem tamen naturæ ; & quædam actuales gratiæ, provenientis tamen à Deo ut naturali, non ut ſupernaturali auctore, de quibus aliquid attingit Gonet *1. p. tr. 8. diſp. 6. n. 47.* & latiùs agit Pallavicinus *1. 2. diſp. 2. q. 2. art. 2. n. 5.* 16.

Poſſet diligere Deum ſuper omnia ſine auxiliis ſupernaturalibus.

Non ſic ſine auxiliis ſpecialibus intra ordinem naturæ.

Urgebis: ad naturalem Dei amorem ſuper omnia, & obſervantiam totius legis naturalis, requiritur quòd pars ſuperior ſemper prævaleat inferiori, & ratio ſemper cum victoria reſiſtat inclinationi ſenſus & rebellioni concupiſcentiæ, at hoc eſt moraliter impoſſibile, quia in pugna duorum appetituum, quorum unus non eſt ſubjectus alteri, nequit moraliter fieri, quòd abſque ulla viciſſitudine eventus, unus & idem ſemper vincat, alter ſemper vincatur ; ergo. Contrà tamen : eludunt hanc inſtantiam ſpecialia auxilia, gratiæque actuales intrà ordinem naturæ, de quibus *num. præcedenti* ; & in duorum appetituum conflictu neceſſe

 eſt

eſt moraliter modò pro uno, modò pro altero ſtare victoriam, ſolùm quando unus adverſus alterum ſpecialibus auxiliis, gratiiſque actualibus non adiuvatur.

Vrgebis adhuc: per hæc ſpecialia auxilia pars ſuperior inferiorem, ratio concupiſcentiam ſibi ſubjiceret; at in ſubjectione partis inferioris ad ſuperiorem, concupiſcentiæ ad rationem conſiſtit naturæ integritas; ergo confunditur ſtatus naturæ integræ cum ſtatu naturæ puræ, ſi in iſto ſpecialia auxilia admittuntur. Contrà tamen: ſubjectio partis inferioris ſpectans ad naturæ integritatem conveniret omnibus hominibus, daretur permanenter, & ex vi doni habitualis; ſubjectio, quæ reperiretur in purâ natura conveniret tantùm aliquibus hominibus, eſſet per modum tranſeuntis, & ex vi donorum actualium; ideò ſuppeteret ſufficiens ratio non confundendi naturam integram cum naturâ purâ: Nec latiùs rem hanc proſequor, ne videar extrà chorum ſaltare.

Subjectio partis inferioris ad ſuperiorem duplex eſſe poteſt.

Eſſet hic examinandum in quibuſnam bonis determinatè conſiſtat naturalis beatitudo, cujus poſſibilitas hucuſque probata, imò meo videri evidenter demonſtrata eſt, dummodo ſupponatur immortalitas animæ, ſed majori facilitate & brevitate poterit id expediri poſt diſcuſſam controverſiam de beatitudine hujus vitæ. Ideò ſit

---

§. III.

Vtrùm ſit dabilis reſpectu hominis vera beatitudo objectiva in hac vita mortali?

18. ASSERT. I. Simpliciter & abſolutè non eſt dabilis reſpectu hominis vera beatitudo objectiva in hâc vitâ mortali. Ità *cum D. Thoma 3. contrà Gent. cap.* 48. Omnes Catholici contrà majorem partem Ethnicorum, qui alterius vitæ aut non conſcij, aut non ſollicìti, totam ſuam felicitatem in præſenti quæritabant, frequenter, libenterque repetentes ſtolidum illud, *Poſt mortem nulla voluptas.* Dixi majorem partem Ethnicorum, nam nec inter ipſos defuerunt qui ſenſerint veram beatitudinem eſſe propriam alterius vitæ prærogativam, unde eſt celebre illud dictum Solonis *Nemo beatus antè mortem,* & egregium Ovidij carmen

Errores Ethnicorũ circa beatitudinem.

Vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Antè obitum nemo, ſupremaque funera debet.

quamvis deindè hi etiam turpiter erraverint in eo, quòd non agnoſcentes alia bona quam quæ mortalibus oculis ſubjiciuntur, alterius vitæ beatitudinem in bonis præteritis collocaverint, erroremque errore fulcientes adjecerint bona præterita certa eſſe & immutabilia, quo etiam ex capite ea non dubitarit Seneca bonis præſentibus anteferre. Contrà hos errores aſſerta Catholicorum veritas.

19. Probatur primò: Status vitæ mortalis non eſt capax veræ beatitudinis ſimpliciter & abſolutè talis, ergo ſimpliciter & abſolutè non eſt dabilis, &c. conſequentia patet; antecedens probatur, ſtatus eſſentialiter tranſiens & temporaneus non eſt capax alicujus eſſentialiter permanentis & perpetui, capacitas enim eſt ſemper ad aliquid conveniens, nec eſſe poteſt ad aliquid contrarium & oppoſitum, ſicuti opponitur permanens tranſeunti, perpetuum temporaneo; ſed ſtatus vitæ mortalis eſt eſſentialiter tranſiens & temporaneus; in tranſitu enim eſt, ſolumque ad tempus durat quidquid habet neceſſitatem moriendi; vera beatitudo ſimpliciter & abſolutè talis debet eſſe permanens & perpetua. neque enim appetitus poteſt perfectè quieſcere in eo, quod tranſit, aut perfectè ſatiari eo, quod deſinit; ergo. Confirmatur: non eſt capax veræ beatitudinis ſimpliciter & abſolutè talis ſtatus obnoxius ingentibus miſeriis, neque enim res aliqua eſt ſimpliciter & abſolutè talis dum patitur ingentem mixturam ſui contrarij; ſed ſtatus vitæ mortalis eſt ex genere ſuo obnoxius morti, corruptioni, fami, ſiti, morbis, doloribus, laboribus, aliiſque innumeris oneribus corporis animam aggravantis; ergo. Mirum hic eſt Stoicos tantùm ſimulaſſe amorem, tantamque exiſtimationẽ virtutis, ut ex hujus conſortio crediderint omnes enumeratas miſerias quaſi dulceſcere, dixerintque hominem virtute præditum vel in equuleo fore felicem, ad quod ſi impulſiſſet Stoicos verus amor virtutis, excuſari poſſent tanquam locuti de ſola felicitate morali; at cum non admiſerint beatitudinem ullam poſt mortem, erravunt potiùs ex amore hujus vitæ, quàm ex amore virtutis; ideò exprobratione indigent, non excuſatione.

Status vitæ mortalis non eſt capax veræ beatitudinis.

Stoicorum deriſus.

Probatur ſecundò: Bona propria vitæ mortalis non poſſunt eſſe objectum veræ beatitudinis ſimpliciter & abſolutè talis; ergo ſimpliciter & abſolutè non eſt dabilis reſpectu hominis vera beatitudo objectiva, &c. conſequentia patet, antecedens probatur; Bona propria vitæ mortalis in tota ſua latitudine, ideſt prout non ſolùm in Ethnicis, verùm etiam in Catholicis & juſtis hominibus reperiuntur, quædam naturalis, quædam ſupernaturalis ordinis ſunt, utraque imitantur conditionem ſtatus, cui dantur; utraque ſcilicet ſecum admittunt talis ſtatus miſerias, utraque amiſſibilia tranſeuntia & temporanea ſunt; ergo ex hoc capite, ſicuti vita mortalis nequit eſſe beata, ità bona ejuſdem vitæ propria nequeunt eſſe beantia, ut requiritur ad objectum veræ beatitudinis ſimpliciter & abſolutè talis. Deindè bona ordinis ſupernaturalis in hac vita mortali ordinantur ad aliud, nimirum ad viſionem Dei; bona ordinis naturalis, præter quod ordinantur etiam ipſa ad aliud, nimirum ſaltem ad beatitudinem naturalem alterius vitæ, habent plures ſpeciales conditiones beatitudini objectivæ repugnantes, ſunt enim ferè omnia communia hominibus bonis & malis; plura ſpectant ad partem hominis minùs perfectam & minùs capacem beatitudinis, ut bona 20.

Bona propria vitæ mortalis nequeunt eſſe objectum veræ beatitudinis.

bona corporis & fortunæ; quædam ſunt homini extrinſeca, ut bona honoris & famæ; quædam etiam in brutis imò in ipſis perfectiori modo, quàm in hominibus reperiuntur, ut perſpicaciores ſenſus, robuſtiores vires, valetudo firmior, vita diuturnior; quæ omnia ſingillatim ampla eximiaque doctrina proſequitur D.Thomas 1. 2. *tota q.2. & 3. contrà Gentes à c.26. ad 37.*

Status vitæ mortalis eſt capax beatitudinis imperfectæ & impropriæ.

21. Aſſert. 2. Secundùm quid, ſeu imperfectè & impropriè, dabilis eſt reſpectu hominis beatitudo objectiva, tùm naturalis, tùm ſupernaturalis, in hac vita mortali. Ità Theologi communiter, quamvis non omnes utantur iiſdem terminis, & aliqui vocent beatitudinem relatam, aliqui beatitudinem meritoriam id, quod nos dicimus beatitudinem imperfectam & impropriam.

In quo cõſiſtit ſtatus viæ & ſtatus termini.

Probatur & explicatur: Cum homo nec habeat identitatem, nec neceſſariam connexionem cum ſuo ultimo fine, aut naturali, aut ſupernaturali, neceſſariò in ordine ad utrumque finem exigit duplicem ſtatum; alterum viæ ſeu tendentiæ & motus in ipſum, alterum termini ſeu quietis in ipſo; & ſicuti hoc nobis ſatis conſtat pro ſtatu præſenti in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem, ità id eſſet proportionaliter concipiendum pro ſtatu puræ naturæ in ordine ad beatitudinẽ naturalem adeò, ut tunc æquè ac nunc totus curſus vitæ mortalis eſſet ſtatus viæ, à morte verò ſeu termino vitæ mortalis inciperet ſtatus termini. Porrò ſicuti media proportionata fini participãt quodammodò bonitatem perfectionemque finis, & media quæ magis proximè ad finem ultimum accedunt dicuntur fines intermedij, ità propter proportionẽ imò indiſtinctionem, quæ eſt inter ultimum finem, & beatitudinem, illa quæ ad beatitudinem conducunt participant aliqualiter rationem beatitudinis, & quæ magis proximè magiſque infallibiliter id præſtant, dici poſſunt beatitudo inchoata ſeu impropria & imperfecta; ſed certum eſt quòd in hac vita mortali homo lapſus habet aliqua infallibiliter & proximè conducentia ad veram beatitudinem ſupernaturalem, & homo conditus in pura natura haberet pariter aliqua infallibiliter & proximè conducentia ad verã beatitudinem naturalem; ergo ſecundùm quid, ſeu imperfectè & impropriè dabilis eſt, &c. Confirmatur: Status viæ & vitæ mortalis eſt reſpectu hominis ſtatus valdè imperfectus, in quo per conſequens nequit habere beatitudinem niſi ſtatui proportionatam & valdè imperfectam; ex alia parte qui in via eſt, ſicuti nihil magis deſiderat quàm terminum, ità in nullo invenit majorem quaſi quietem, & ſatietatem quàm in eo, quo magis proximè accedit ad terminum; ergo in hoc rectè ponitur beatitudo imperfecta, & rectè admittitur in hac vita mortali.

Dices: ſuprà § 1. dictum eſt beatitudinem objectivam eſſe bonum perfectè ſatians & quietans appetitum, at beatitudo imperfecta non poteſt perfectè ſatiare, ergo beatitudo
22. imperfecta non eſt beatitudo. Sed contrà: *hy perfectè* vel ſumitur abſolutè, & ſic definitio illa convenit ſolùm beatitudini ſimpliciter tali; vel ſumitur comparativè ad ſtatum imperfectum, & ſic perfectè ſatiat, quidquid affert eam totam ſatietatem, quam admittit imperfectio ſtatus, hac ratione perfectè ſatiat etiam id, quod à nobis dicitur beatitudo imperfecta & impropria, quæ proptereà etiam ipſa poteſt in aliquo ſenſu comprehendi ſub præallata definitione.

Beatitudo imperfecta in aliquo ſenſu perfectè ſatiat.

---

§. IV.

In quo conſiſtat reſpectu hominis tùm vera beatitudo objectiva naturalis, tùm imperfecta beatitudo objectiva vita mortalis, tùm beatitudo objectiva ſumma, & perfectiſſima.

Beatitudo objectiva naturalis id quo conſiſtat?

ASSERT. 1. Vera beatitudo objectiva naturalis potiſſimùm conſiſtit in Deo, ut naturaliter cognoſcibili ab anima ſeparata per ſuaviſſimam quandam contemplationem, & cognitionem abſtractivam. Ità Goner 1. *p. tract. 8. diſp 6. n. 34.* Arriaga *hic diſp. 47. n. 31.* 23.

Probatur, quia ex una parte Deus eſt bonum æternum, invariabile, & ſummum, quæ ſunt potiſſimæ cõditiones objecti verè beantis, eſt item in pura natura cum delectatione & ſuavitate cognoſcibilis ab anima ſeparata, necnon à corporis carcere ſenſuumque vinculis abſoluta: Ex alia parte bona omnia Deo inferiora, cum ex ſupradictis *num.* 20. nequeant eſſe objectum beans animam mortali corpori unitã, à fortiori nequeunt beare eandem ſeparatam, reſpectu cujus multo magis viloſcerent, & via ullum poſſent afferre commodum; Nec ut præterita melioris eſſent conditionis, quàm fuerint, dum eſſent præſentia, quin potiùs ſicuti nihil magis in bono diſplicet, quàm quòd prætereat, ità nihil in ipſo deterius eſt quàm præteriiſſe. Illud quod Stoïci dicebant de bonorum præteritorum certitudine & immutabilitate facilè eluditur: Enimverò bonum præteritum, vel dicitur certum & immutabile ut affixum illi differentiæ temporis, in quã fuit; & quoad hoc eadem eſt ratio de bono præſenti ut affixo illi differentiæ temporis, in quã eſt; & illud quod eſt, tunc quando eſt, neceſſe eſt eſſe, æquè ac illud quod fuit, tunc quando fuit, neceſſe ſit fuiſſe; vel dicitur certum & immutabile in ordine ad perſeverantiam in eſſe, & cum præterire ſit non perſeverare, præteriiſſe ſit non perſeveraſſe, ridiculum eſt tribuere bono præterito ut præterito aliquam perſeverantiam, ratione cujus dicatur ſpecialiter immutabile.

Bona præterita nec meliora ſunt, nec certiora præſentibus.

Aſſert. 2. Imperfecta & impropria beatitudo objectiva tùm naturalis tùm ſupernaturalis quæ haberi poteſt in hac vita mortali conſiſtit potiſſimùm in Deo, ut cognoſcibili & amabili per actus, tùm naturales, tùm ſupernaturales viæ. 24.

Beatitudo objectiva viæ in quo conſiſtat?

Probatur: ex una parte, ut jam inſinuatum

eſt magiſque in ſequenti aſſerto explicabitur, Deus habet ſecundùm ſe omnes conditiones objecti beantis, ex alia parte ut cognoſcibilis & amabilis per actus viæ maximè conducit ad acquiſitionem veræ perfectæque beatitudinis; ſed in hoc *ex præcedente* §. conſiſtit beatitudo imperfecta hujus vitæ mortalis: ergo imperfecta & impropria beatitudo objectiva, tùm naturalis, tùm ſupernaturalis, &c.

Dubitari hic poſſet pro utriuſque aſſerti intelligentia, cur vera beatitudo naturalis collocetur in Deo ſolùm ut cognoſcibili? beatitudo verò vitæ mortalis in Deo ut cognoſcibili ſimul & amabili: Item an & quomodò ad utramque beatitudinem requiratur, & in utraque reperiatur miſeriarum carentia? ſed hæc ægrè poſſunt explicari non explicata beatitudine formali, ideò in finem ſequentis libri rejiciuntur, ibique attingentur *c.4.n.4.14. & 21.*

25. Aſſert. 3. Beatitudo objectiva ſumma & perfectiſſima non conſiſtit in aliquo bono creato, ſed in ſolo Deo ut Auctore & fine ſupernaturali à nobis cognoſcibili per cognitionem intuitivâ ſupernaturalem. Ità Magiſter *in 4. diſt.*49. Scotus *ead. diſt.* D.Thomas *ead.diſt.* & 1. 2. *q.* 2. *art.*8. quos Theologiæ anteſignanos tota ſequitur cæterorum Theologorum Reſpublica; & tota etiam Catholicorum univerſitas in eàdem convenit veritate, utpotè quæ de fide eſt. Ideò

Beatitudo objectiva ſumma & perfectiſſima in ſolo Deo conſiſtit.

Probatur primò ex Scripturâ Iſa. 55. *Quare appenditis argentum non in panibus & laborem veſtrum non in ſaturitate*, quo loquendi modo exprimitur res creatas & caducas appetitum non ſatiare; de iiſdem rebus loquens Eccleſiaſtes ait cap. 1. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas* nonnulliſque interpoſitis addit *Cuncta res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone: Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.* Clariores ſunt & frequentiores Scripturæ auctoritates pro beatitudine in Deo collocanda, quàm mox relatæ pro eadem in creaturis neganda. Pſalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Pſalm. 72. *Pars mea Deus in æternum*, quibus in locis nomine partis ſignificatur pars hæreditaria ſeu tota hæreditas. Pſalm. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Pſal. 32. *Beata gens cujus eſt Dominus Deus ejus.* Tobiæ 9. *Omnia ſimul in te uno habentes.* Gen. 15. *Ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis*, quâ ſcilicet non datur ulla major. Teſtimoniis ſanctorum Patrum eandem veritatem confirmantibus nihil aut familiarius aut elegantius: ſufficiat pro nunc Auguſtinus 4. *Confeſſ. cap.* 5. ubi de bonis creatis & de Deo ità loquitur. *Infelix homo, qui ſcit illa, Te autem neſcit: beatus autem, qui te ſcit, etiamſi illa neſciat: qui verò Te & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter Te ſolum beatus.*

26. Probatur ſecundò ratione: Beatitudo objectiva ſumma & perfectiſſima conſiſtit in bono ſummè & perfectiſſimè ſatiativo, ſeu quietativo humani appetitus; ſed ſolus Deus ut Auctor ſupernaturalis, & cognoſcibilis per cognitionem intuitivam ſupernaturalem hujuſmodi eſt; ergo beatitudo objectiva ſumma ac perfectiſſima, &c. major patet, minor probatur, appetitus humanus non poteſt ſummè & perfectiſſimè ſatiari, niſi ſummo, imò omni bono; objectum enim voluntatis quæ eſt humanus appetitus eſt univerſale & omne bonum, ſicuti objectum intellectus eſt univerſale & omne verum; ſed ſolus Deus eſt ſummum imò omne bonum, ut ipſe teſtatur Moyſem alloquens Exodi 33. *Ego oſtendam omne bonum tibi*, & hanc omnis ſummique boni rationem nobis ſummè perfectiſſiméque non manifeſtat, niſi quando attingitur ut eſt in ſe, adeoque tùm ut Auctor naturæ tùm ut Auctor ſupernaturalis per cognitionem intuitivam; ergo ſolus Deus ut Auctor ſupernaturalis, &c.

Deus eſt omne bonum.

Dices primò univerſale & omne bonum, quod eſt objectum humani appetitus, eſſe bonum univerſale in prædicando & omne bonum præciſivè, quâ ratione Deus neque eſt univerſale bonum, neque omne bonum, quamvis ſit univerſale & omne bonum tùm in eſſendo, tùm in cauſando. Sed contrà: 27.
Deus ex eo quòd ſit omne bonum, tùm in eſſendo, tùm in cauſando, æquivalet omni bono in prædicando, & eſt quodammodò æquivalenter omne bonum in prædicando, unde ex eo quod humanus appetitus ſummè perfectéque ſatietur univerſali & omni bono in prædicando, rectè infertur quòd ſummè perfectéque ſatietur univerſali & omni bono æquivalenti ſeu eminenti, quale eſt univerſale & omne bonum tùm in eſſendo, tùm in cauſando.

In eſſendo, in cauſando, & æquivalenter etiam in prædicádo.

Dices ſecundò: Appetitus humanus eſt appetitus finitus, ergo ſufficit ad ipſius ſummam perfectiſſimamque ſatietatem bonum ſummum inter bona finita, nec requiritur bonum ſummum infinitum, cujuſmodi eſt Deus; alioqui appetitus infinitus non poſſet ad ſui ſatietatem aliquid ampliùs expoſcere, quàm appetitus finitus; neque enim ille poteſt expoſcere aliquid ampliùs, ſeu melius Deo. Sed contrà: Appetitus humanus finitus eſt entitativè, non terminativè, ſeu quoad modum attingendi, non quoad objectum attingibile; cum enim non in tot quin in plura feratur, in nullo finito terminatur, & ſolùm infinitum reſpicit pro objecto attingibili ſibi adæquato. Ad illud, quod additur de appetitu infinito dico quod iſte diverſificaretur ab appetitu finito quoad modum attingendi, quamvis non quoad objectum attingibile; & ille ad ſui ſatietatem expoſcit aliquid ampliùs, quàm iſte, ex parte modi attingendi, quamvis non ex parte objecti attingibilis; expoſcit ſcilicet attingere modo infinito illud idem objectum, quod appetitus finitus attingit modo finito. Sicque idé Deus ut attingibilis modo infinito eſt objectum adæquatum appetitus infiniti, ut attingibilis modo finito eſt objectum adæquatum appetitus finiti, ut attingibilis modo ſupernaturali ſicut eſt in ſe, eſt objectum adæquatum appetitus ſupernaturalis, ut attingibilis modo naturali, ſicut relucet in rebus 28.

Appetitus humanus eſt terminativè infinitus.

naturali

naturalibus, eſt objectum adæquatum appetitus naturalis.

Dices tertiò: Appetitus finitus, ſicuti poteſt attingere plura & plura objecta in infinitum, ita poteſt quodlibet ſuum objectum attingere perfectiore & perfectiore modo in infinitum, ſaltem loquendo de appetitu finito conſiderato obedientialiter: ergo ſicuti ex primo capite non ſatiatur niſi attingendo objectum infinitum, ità ex ſecundo capite non ſatiabitur niſi attingẽdo objectum modo infinito, & conſequenter ſi allata doctrina ſubſiſtit, appetitus humanus erit infinitus non ſolùm quoad objectum attingibile,
29. verùm etiam quoad modum attingendi. Sed contrà: Inclinatio attingendi plura & plura objecta eſt eſſentialis appetitui, utpotè orta ex univerſalitate objecti ſpecificativi appetitûs; Inclinatio attingendi perfectiore & perfectiore modo eſt accidentalis, utpotè ſpectans ad perfectionem quaſi intenſivam & gradualem appetitus: beatitudini autem objectivæ eſſentiali de quâ in præſenti ſufficit quòd ſatiet & quietet appetitum eſſentialiter, nec eſt neceſſe quod ſatiet & quietet etiam accidentaliter.

Error Ethnicorũ magis fuit circa beatitudinem in abſtracto, quam circà beatitudinem in concreto.

Ex dictis habetur Ethnicos in aliquo bono creato objectivam hominis beatitudinem collocantes graviùs erraſſe in concipienda beatitudine, ſeu circa beatitudinem formalem & in abſtracto, quàm in aſſignãdo eo, in quo conſiſteret beatitudo quam concipiebant, ſeu circà beatitudinem materialem & in concreto: Enimverò ſuppoſito conceptu, quem ipſi de beatitudine formabant, quod eſſet bonũ naturaliter etiam in hac vita aſſequibile, non ſunt deinde adeò gravis erroris exprobrandi propter talem beatitudinem in bono aliquo creato, in virtutibus præſertim conſtitutam: At non propterea Ethnici excuſabiles ſunt, quia erroris graviſſimi culpabiles evadunt in eo, quòd vilem adeò beatitudinis humanæ conceptum efforment, nec ad elevatioris longéque ſublimioris beatitatis inveſtigationem aſſurgant, quem quidem errorem graviſſimum eſſe oſtenditur.

30. Primò ex eo quòd talis error provenit potiſſimùm ex ignorantia alicujus veritatis naturæ lumine evidentis, nimirum aut exiſtentiæ Dei, cujus naturalem evidentiam ſuppono ex dictis *tract.* 1. *lib.* 1. *c.* 1. §. 2. aut immortalitatis animæ, cujus naturalis demonſtrabilitas magis communiter admittitur contrà Scotum *in* 4. *diſt.* 43 *q.* 2. §. *Poteſt dici*, Lauræam *in* 4. *tom.* 4. *diſp.* 14. *art.* 2.

Impugnatur talis error.

Secundò, quia ſuppoſita poſſibilitate viſionis Dei ſtolidum eſt ponere beatitudinem objectivam in aliquo bono creato potiùs, quàm in Deo viſo; atqui poſſibilitas viſionis Dei ex ſupradictis *tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 1. §. 3. licèt nequeat naturaliter demonſtrari, pluribus tamen & vehementibus congruentiis naturaliter ſuadetur adeò, ut nequeat probabiliter negari; & ſiſtendo in puro naturæ lumine probabilius appareat viſionem Dei eſſe poſſibilem, quàm vilem illum conceptum de beatitudine ab Ethnicis formatum exprimere ſummam & perfectiſſimam hominis felicitatem.

Tertiò quia naturali ratione, quamvis non omninò demonſtrativâ valdè tamen efficaci ſuadetur ſummam felicitatem homini poſſibilem debere ipſi convenire non ex propriis naturalibus, ſed ex favore Dei extrinſeco, hoc enim congruum eſt tùm hominis tùm Dei dignitati. Congruum eſt dignitati hominis quia ex Philoſopho 2. *de Cœlo text.* 50. Nobilioris conditionis eſt natura, quæ poteſt conſequi bonum perfectum cum auxilio extrinſeco, quàm illa quæ poteſt ſolùm conſequi bonum imperfectum, licèt id aſſequatur propriis viribus & ſine auxilio extrinſeco; ergo naturæ humanæ ratione propriæ nobilitatis congruum eſt, ut ultrà beatitudinem imperfectam, quam poteſt conſequi propriis viribus, detur alia perfectior & major, quam poſſit ſolùm conſequi ex auxilio Dei extrinſeco. Congruum id eſt etiam dignitati Dei, quem maximè decet ultrà felicitatem homini debitã naturaliter & quodammodò ex juſtitia, eſſe dabilem alteram homini indebitam, & quam ipſi poſſit ex gratia & liberalitate largiri; alioqui ſicuti eſſet maxima paupertas Principis poſſe ſolùm ſolvere, non donare; ità maximè eſſet contrà divitias divinæ bonitatis, ſi poſſet ſolùm impertiri creaturis, quæ ipſis debet ex naturali ipſarum exigentia, non aliquid indebitum in ipſas effundere ad oſtendendam quodammodò proprij ærarij abundantiam, & opulentiam. 31.

Summam hominis felicitatem non poſſe ipſi convenire ab intrinſeco probatur ratione naturali.

---

§. V.

Vtrùm Deus ſit ſumma & perfectiſſima beatitudo objectiva ſecundùm omnia, quæ habet in ſe ipſo formaliter?

ASSERT. I. Deus de facto eſt ſumma & perfectiſſima beatitudo objectiva ſecundùm omnia, quæ habet in ſe ipſo formaliter. Hoc aſſertum eſt adeò communiter receptum, ut ferè ab omnibus Theologis ſupponatur; & ſolùm quoad de poſſibili, non quoad de facto, poni ſoleat in controverſia præſentis tituli materies; ideò facilè 32.

Secundùm quæ Deus de facto ſit noſtra beatitudo.

Probatur: Deus ſecundùm omnia, quæ habet in ſe ipſo formaliter, poteſt eſſe beatitudo objectiva; ſed de facto videtur à Beatis ſecundùm omnia, quæ habet in ſe ipſo formaliter; ergo de facto eſt beatitudo objectiva ſecundùm omnia, &c. minor ſupponitur *ex tract.* 1. *lib.* 1. *c.* 4. §. 1. Major probatur tùm quia omnia, quæ ſunt in Deo formaliter, ſpectant ad Deum cognoſcibilem ut eſt in ſe, Deus autem cognoſcibilis ut eſt in ſe eſt noſtra beatitudo objectiva *ex* §. *præced. aſſert.* 3. tùm quia omnia, quæ ſunt in Deo formaliter ſaltem realiter & identicè ſumpta ſunt una eademque ratio ſummi boni; cum ſint Deus ipſe: conſequentia etiàm probatur, quia ut Deus ſit beatitudo objectiva

ctiva de facto & in actu ſecundo, nihil aliud requiritur quàm quòd videatur, ergo ut ſit de facto beatitudo ſecundùm omnia, &c. nihil aliud requiritur, quàm quòd ſecundùm omnia videatur.

Dices: etiam creaturæ ut continentur in Deo, ſunt ipſe Deus, cum ſint ipſa creatrix eſſentia Dei; item etiam ipſæ attinguntur eodem actu viſionis, quo ea quæ ſunt in Deo formaliter, ergo ſi allata probatio aliquid concludit, concludit etiam creaturas ſpectare ad noſtram ſummam & perfectiſſimam beatitudinem objectivam.

33. Deus & creaturæ non ſunt major beatitudo objectiva, quàm Deus ſolus.

Sed contrà: ſi creaturæ ſumantur præc ſè, ut ſunt creatrix eſſentia Dei, nullum eſt dubium, quin ſint noſtra beatitudo objectiva, ſi verò ſumantur, ut ſecundùm ſe relucent in creatrice eſſentià, & in hac ex vi viſionis attinguntur tanquam objectum ab ipſa diverſum, nullatenùs ſunt ſumma beatitudo objectiva, quia non habent ſecundùm ſe bonitatem, niſi limitatam, diminutam, & valdè imperfectam; quod adeò verum eſt, ut Deus & creaturæ ſimul non ſint major beatitudo objectiva in ratione ſummæ & perfectiſſimæ beatitudinis, quàm Deus ſolus, quia non ſunt majus bonum, quàm Deus ſolus ex ſupradictis *tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. §. 6. & favet huic veritati auctoritas D. Auguſtini in verbis ſuprà relatis *n.* 25.

34. Deus etiā ſolùm ut unus poteſt eſſe noſtra perfectiſſima beatitudo.

Aſſert. 2. Deus de potentia abſoluta poteſt eſſe ſumma & perfectiſſima beatitudo objectiva etiam ſecundùm eſſentiam præciſam à perſonis, ſeu etiamſi videretur ſolùm ut Unus non ut Trinus. Ità Scotus *in* 1. *diſt.* 1. *q.* 2. §. *Quantum ad iſtum articulum*, Rada *contron.* 6 *conc.* 4. Lauræa *in* 4. *tom.* 4. *diſp.* 19. *art.* 3. Herincx *tract.* 1. *diſp.* 5. *n.* 59. aliique Scotiſtæ communiter, ad quos accedunt ex recentioribus Arriaga 1. *p. diſp.* 50. *ſect.* 1. Molina 1. *p. q.* 12. *art.* 8. §. *Quid verò.* Averſa *hic.* Madernus *tract.* 4. *diſp.* 2. *art.* 8. Contrà Thomiſtas communiter, qui tamen hanc difficultatem in terminis parùm agitant eo, quòd ſecundùm ipſos procedat ex ſuppoſitione impoſſibili: eſt inſuper contrà Vaſquium *hic diſp.* 13. *c.* 2. Oviedum *contron.* 2. *n.* 32. Amicum *diſp.* 2. *ſect.* 7. *n.* 129 qui tamen *num. ſequenti* aliqualiter etiam nobis favet; Salas *tract.* 4. *diſp.* 2. *ſect.* 3 *n.* 32. ubi tamen etiam ſententiam à nobis aſſertam fatetur probabilem: Pallavicinū *diſp.* 2. *q.* 2. *art.* 9. *num.* 2. loquitur tamen in ſententia negante divinæ eſſentiæ ſubſiſtentiam abſolutam; additque oppoſitum rectè doceri in ſententia oppoſita, unde nobis, qui *tr.* 2. *lib.* 2. *c.* 2. *n.* 61. ſubſiſtentiam abſolutam, quâ eſſentia divina ut præciſa à perſonis ſit hic Deus, ſtabilivimus, non adverſatur.

Probatur primò: Deus ſecundùm eſſentiam ut præciſam à perſonis eſt ſummum bonum, ſecundùm eandem ut præciſam à perſonis eſt viſibilis de potentia abſoluta; ergo Deus de potentia abſoluta poteſt eſſe ſumma & perfectiſſima, &c. conſequentia patet, quia Deus eſt noſtra perfectiſſima beatitudo objectiva quatenus eſt à nobis viſibilis ſub ratione ſummi boni; antecedens quoad ſecundam partem probatum eſt *tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 4. §. 4. & quando non eſſet probatum, deberet pro aſſertæ veritatis diſcuſſione ſupponi ſaltem tanquam datum per impoſſibile, ut rectè præſtat Gonet *hic diſp.* 2. *art.* 2. quamvis deinde non videam, quomodò cohærenter procedat, dum data in limine articuli tali ſuppoſitione, in ejuſdem articuli corpore *n.* 45. ad probandum divinam eſſentiam, ut præciſam à perſonis, non eſſe ſufficiens objectū beatificū, aſſumit principium deſtruens ſuppoſitionem, contendendo cognitionem intuitivam non poſſe terminari ad Deum ut eſt in ſe, niſi terminetur ad ipſum ut Unum & Trinum, quod eſt directè contrà ſuppoſitionem.

35. Summum bonū aliud tale phyſicè aliud tale formaliſſimè.

Verùm quidquid ſit de hoc, ſupereſt nobis probandum antecedens quoad primam partem, pro quâ adverto ſummum bonum ſumi poſſe dupliciter vel materialiter & identicè, vel formaliſſimè & ſtrictiſſimè: Primo modo dicitur ſummum bonum quidquid ingreditur phyſicam & materialem ſummi boni conſtitutionem, quidquid cum ſummo bono identificatur, quidquid realiter Deus eſt: Secundo modo dicitur ſummum bonum illud, quod conſiderando omnia bona in Deo virtualiter diſtincta, ipſaque formaliſſimè accepta inter ſe comparando, cæteris omnibus majus atque perfectius eſt; unde etiam bonum ſummum hoc ſecundo modo ab aliquibus dicitur bonum ſummum comparativè, bonum ſummum primo modo bonum ſummum abſolutè:

Dei eſſentia ut præciſa à perſonis eſt ſummum bonū formaliſſimè.

Porrò divina eſſentia, ut præciſa à perſonis vel etiam ab attributis, quamvis non ſit bonum ſummum phyſicè, materialiter, & abſolutè, eſt tamen bonum ſummum formaliſſimè, & comparativè; quia ipſa formaliſſimè accepta eſt quid majus atque perfectius attributis ac perſonis formaliſſimè acceptis, quia eſt attributorum & perſonalitatum radix, ad illa ut ad proprietates, ad iſtas ut ad modos ſe habet; omnis autem radix ſuo germine, omnis natura ſuâ proprietate, omnis res ſuo modo major & perfectior eſt, præſertim quando modus nullam ſuperaddit propriam ſpecialemque perfectionem rei, cujus eſt modus ut contingit in divinis relationibus ſecundùm Thomiſtas negantes ipſis ut ab eſſentia contrà diſtinctis omnem bonitatem, omnemque perfectionem; nec non etiam ſecundùm Scotiſtas ponentes ipſas in ſuo formali conceptu præſcindentes à perfectione, & imperfectione.

Dices beatitudinem objectivam, de quâ in præſenti, non ſufficienter ſalvari in bono ſummo ſolùm formaliſſimè & comparativè, primò quia ſermo eſt in præſenti de beatitudine ſummâ & perfectiſſimâ, beatitudo autem quæ importaret bonum ſummum ſolùm comparativè non eſſet talis, eſſet enim dabilis alia major & perfectior, ea ſcilicet quæ importaret bonum ſummum abſolutè: Secundò quia ratio boni ſummi ſolùm formaliſſimè & comparativè ſalvatur in divina eſſentia, ut præciſa etiam à ſubſiſtentia abſoluta, ſub quâ tamen præciſione divina

eſſentia

eſſentia non eſt ſufficiens beatitudo objectiva.

36. Sed contrà: Ad primam inſtantiæ probationem dico beatitudinẽ importantem bonum ſummũ abſolutè fore majorem ea, quæ importaret bonum ſummum comparativè, in eadem tamen, non in diverſa ſpecie, ſeu linea beatitudinis; quatenùs illud, quod bonum abſolutè ſummũ adderet ſupra bonum ſummum comparativè, eſſet in ratione objecti beatifici patùm notabile, nec eſſet ſimpliciter nova bonitas, ſed eadem radicaliter & implicitè exiſtens in bono comparativè ſummo, formaliter verò & explicitè relucens in bono ſummo abſolute; beatitudo igitur importans ſolùm bonum comparativè ſummum adhuc eſſet in linea beatitudinis ſummæ & perfectiſſimæ, quamvis non in

Bonũ ſummum abſolutè, & ſũmum comparativè, nõ conſtituunt beatitudinẽ diverſæ lineæ.

37. ſupremo gradu talis lineæ. Ad ſecundam inſtantiæ probationem dico in divina eſſentia præciſa à ſubſiſtentia, etiam abſoluta, ſalvari quidem rationem bonitatis ſummæ comparativè, at nullatenùs rationem boni ſummi, quamvis hæc ſalvetur in eſſentia præciſa à perſonis, non à ſubſiſtentia abſoluta, cum quâ divina eſſentia, ſicuti remanet hic Deus in concreto, & hoc individuum ſubſiſtens, ita remanet hoc ſummum bonum. Verùm deinde re ipſa beatitudo objectiva ſalvari nequeat in ſumma bonitate, ſed ſolùm in ſummo bono, quæſtiuncula eſt, quam apud Auctores via reperio, & illam in terminis quamvis adhuc ſobriè attingit ſolus, quem viderim, Pallavicinus *num. 2. præcitato* cum quo crediderim meliùs dici ſummam bonitatem ad beatitudinem objectivam non ſufficere; primò quia beatitudo objectiva cum ultimo fine coincidit, hic verò in ſummo bono, non in ſumma bonitate conſiſtit: Secundò quia *ex capite præcedenti*, *num.* 28, ultimus finis, & per conſequens ſumma objectiva beatitudo debet eſſe ſummè amabilis amore amicitiæ, quo amore non eſt amabilis ſumma bonitas in abſtracto, utpotè quæ nec poteſt reclamare nec amari propter ſe ipſam, ſed ſolùm propter id, cujus eſt bonitas: Tertiò quia de bonitate in abſtracto non cognoſcitur cujus ſit, niſi indeterminatè & in vago, qui modus cognoſcendi non ſatiat appetitum, quin potiùs excitat deſiderium tendendi ulteriùs & perveniendi ad ſubjectum determinatè & in particulari ſe proferens.

In ſumma bonitate, & in Dei eſſentia præciſa à ſubſiſtentia etiam abſoluta, non ſalvatur beatitudo objectiva.

38. Hinc habes obiter minùs cohærenter loqui Henricum, Arriagam, aliosque nonnullos, qui ex una parte negant in divinis ſubſiſtentiam abſolutam, & ex alia admittunt divinam eſſentiam ut præciſam à perſonis eſſe ſufficiens objectum beatificum. Habes inſuper quòd, ſi per impoſſibile daretur unica perſona in divinis, divina eſſentia à tali unica perſonalitate præciſa non foret ſufficiens beatitudo objectiva, quia ſicuti taliter præciſa nullatenùs eſſet ſubſiſtens, ita nullatenùs eſſet ſummum bonum in concreto; cum nunc, etiam ut præciſa à tribus perſonalitatibus, remaneat ſubſiſtens, ſummum bonum in concreto, & idcircò ſufficiens beatitudo objectiva. Ex quo incidimus in prædictam ſuppoſitionem impoſſibilem placet ipſam aſſumere ad corroborandum aſſertum, quod propterea.

Probatur ſecundò. Si daretur in divinis unica perſona, non perſonarum Trinitas, talis unica perſona eſſet ſumma & perfectiſſima beatitudo objectiva: ergo nunc divina eſſentia, ut præciſa à tribus perſonis, ſubſiſtens tamen ſubſiſtentiâ abſolutâ, eſt ſumma ac perfectiſſima, &c. antecedens non videtur poſſe negari, quia tunc illa unica perſona eſſet ſummum, infinitum, & omne bonum, eſſet item ſufficiens beatitudo increata reſpectu ipſius Dei, qui quamvis in unica perſona exiſtens eſſet in ſe ipſo & per ſe ipſum beatus; multo magis igitur eſſet ſufficiens, imò ſuperabundans beatitudo reſpectu creaturæ: conſequentia probatur, quia inter hypotheſim illam impoſſibilem, & hypotheſim noſtram, totum diſcrimen conſiſteret in incommunicabilitate, quatenùs tunc divina eſſentia in unica perſona ſubſiſteret incõmunicabiliter, nunc verò eadem eſſentia à tribus perſonis præciſa remaneret ſubſiſtens ſubſiſtentia communicabili; atqui incommunicabilitas non confert ad rationem ſummi boni, cum bonum ex genere ſuo ſit communicabile potiùs, quàm incommunicabile; ergo quoad rationem ſummi boni & objecti beatifici eodem modo ſe haberet divina eſſentia in utraque hypotheſi: Deindè ſaltem ex illo primo antecedente probaretur de facto divinam eſſentiam conſideratam in ſola perſona Patris v. g. eſſe objectum beatificum, quia in perſona Patris ſubſiſtit incommunicabiliter; & tamen Adverſarij quod in præſenti negant de eſſentia præciſa à tribus, negant de eadem præciſa à duabus perſonis. 39.

Si daretur in divinis unica perſona dare-tur adhuc perfectiſſima beatitudo.

Dices dupliciter probationẽ deficere, primò ex eo, quòd ſi daretur unica perſona in divinis, viſa tali unica perſona videretur clarè & diſtinctè divina eſſentia, modò verò dũ videtur ut præciſa à tribus perſonis, videtur obſcurè & confusè, quia cognitio alicujus cõmunis ad plura obſcura eſt & cõfuſa, quoties terminatur ad illud cõmune, non ad plura, quibus eſt cõmune: Secũdò quia, tunc videns illã unicã perſonã cognoſceret non poſſe videri in Deo alias perſonas, ſicque perfectè quieſceret nec ſolicitaretur deſiderio vidẽdi aliquid aliud, ſicuti tamen nunc videns eſſentiã à perſonis præciſam, utpotè qui non ignoraret dari in divinis tres perſonas, ipſarũ videndarũ deſiderio ſolicitaretur, nec perfectè in eſſentia viſa quieſceret; unde etiam Amicus licèt *loco præcit.* abſolutè doceat hominẽ videntẽ ſolam eſſentiã non fore beatũ, addit tamen beatũ fore ſi videns eſſentiã nullo modo ſciret eſſe in Deo tres reales hypoſtaſes. Sed contrà: Ad primã partẽ inſtantiæ nego abſolute antecedens, ad cujus probationẽ dico primò, quod eſt cõmune ad plura ad ſummũ, quando eſt diviſũ & multiplicatum in pluribus, obſcurè & confusè videri, ſi illa plura non attingãtur; eo quod ratio cõmunis in multiplicatione conſiſtens non poſſit, niſi 40.

Videns eſſentiã divinã, & non perſonas, nõ videret illam confusè.

in multis clarè cognoſci; at verò quod eſt cõmune ad plura ita, ut ſit unũ & idẽ in pluribus, ſicuti eſt divina eſſentia, æquè clarè cognoſcitur in ſe præciſè ac in pluribus, cũ in ſe præciſè habeat totũ illud eſſe, quod habet in pluribus: dico ſecundò quod eſt commune ad plura, ſi ſumatur ut ad ipſa contractum obſcurè & confusè cognoſci illis pluribus non cognitis, ſecùs ſi ſumatur ut à pluribus abſtractum; nos autẽ hic ſumimus divinam eſſentiã ut abſtractã & præciſam à tribus perſonis, quibus eſt communis, ideò &c.

41\. Nec ſolicitaretur deſiderio videndi perſonas.

Ad ſecundã partẽ inſtantiæ dico videntẽ eſſentiã & non perſonas, etiamſi non ignoret dari in Deo etiã perſonas, non magis ſolicitari deſiderio ipſas videndi, quã de facto remiſsè videns divinã eſſentiã & ſciens poſſe intenſiùs videri, ſolicitetur deſiderio ipſã intenſiùs videndi, de quo infrà *lib. ſeq. cap. 3. n. 10.* ratio eſt quia, ut ſuprà attigimus *n. 36.* ſunt in eadẽ linea ſummæ perfectiſſimæque beatitudinis eſſentia viſa cum perſonis, eſſentia viſa ſine perſonis; non minùs quã eſſentia viſa intenſiùs, eſſentia viſa remiſſiùs. Amicus in eo, quod addit, nobis favet, quia in re concedit divinã eſſentiã eſſe ex ſe ſufficiens objectũ beatificũ, malè deinde id limitat ad ſuppoſitionẽ, quòd ignorentur tres hypoſtaſes, quia ex tali ſuppoſitione nihil bonitatis accreſcit eſſentiæ, quæ propterea vel eſt ſimpliciter ſummum bonum & objectiva beatitudo ſine illa ſuppoſitione vel neque talis eſt cum illa.

42\. Doctrina quã Scotus utitur in præſenti materia.

Afferri hic poſſet pro ulteriori aſſerti probatione argumentum, quo unicè utitur loco præcitato Scotus ad præſens intentũ ſub his ferè terminis. Pater priùs origine, quàm generet filium, eſt perfectè beatus, priùs enim origine, quàm generet, eſt Pater & perſona perfecta, adeoque perſona beata; ergo in illo priori habet objectũ perfectè beatificans; atqui in illo priori non habet ut objectum eſſentiã cõmunicatã tribus perſonis, ſed ut eſſentiam abſolutè, vel ut eſſentiã exiſtentem in una perſona præciſè: ergo divina eſſentia vel ut eſſentia abſolutè, vel ut eſſẽtia in una perſona præciſè exiſtẽs, eſt objectũ perfectè beatificans, & ſumma beatitudo objectiva. Confirmat deinde hoc argumentum Doctor ſubtilis & impugnat reſpondentes Patrẽ habere pro objecto eſſentiã ut in tribus perſonis, dũ addit, quælibet perſona intelligit formaliter intellectu ut eſt in ipſa, non ut eſt in alia perſona, nec ut eſt in tribus, ergo etiam quælibet perſona intelligit eſſentiã, ut eſt in ſe ipſa formaliter, non ut eſt in alia perſona, nec ut eſt in tribus; ad intellectionem enim non minùs requiritur intelligibile, quàm intellectus; ergo in perfecto intelligente ex ſe non minùs requiritur, quòd habeat in ſe objectũ ut formaliter intelligibile, quàm quòd habeat in ſe intellectũ ut quo intelligat; alioqui ſequerentur duo abſurda, primum quòd Pater non haberet à ſe omnẽ perfectionem, haberet enim viſionẽ beatificã ab objecto ut exiſtente in tribus perſonis; ſecundum quòd contrà vulgarẽ illã propoſitionem *eſſentialia ſunt priora notionalibus* aliqua perfectio eſſentialis nimirũ viſio beatifica eſſet quaſi poſterior perſonis, utpotè quæ eſſet ab objecto ut in tribus. Toti huic doctrinæ plurimũ fidunt Scotiſtæ, at ab ipſa amplectenda nos removet quod dicebamus *tr. 1. lib. 2. c. 3. §. 10.* docentes Verbũ procedere ex cognitione intuitiva ſui ipſius & Spiritus ſancti, ex quo fit Patrẽ in eo priori, quo filiũ generat, cognoſcere ipſum & Spiritũ ſanctũ intuitive & ut exiſtẽtes, adeoque eſſentiã ut ipſis cõmunicatam, unde falſum ſimpliciter eſt Patrẽ ſecundùm quod beatus eſt in eo priori, quo generat, nõ habere ut objectũ eſſentiã communicatã tribus perſonis. Ad Scoticam confirmationem concedo antecedẽs, nego conſequentiam; & licèt ad intellectionẽ requiratur tùm intellectus, tùm intelligibile; non tamen requiritur utrumque eodẽ modo, ſed intellectus ſemper requiritur ut intellectionis principiũ, unde ſi intellectio Patris eſſet ab intellectu ut in filio, Pater haberet à filio, non à ſe principiũ intellectionis; intelligibile non requiritur ſemper ut principiũ, ſed aliquando ſolùm ut terminus intellectionis, ideò intellectio Patris habere poteſt pro objecto (ſubintellige terminativo) intelligibile ut in filio, & adhuc convenire Patri omninò à ſe.

43\. Non eſt conformis doctrinæ à nobis alibi poſitæ, ideò rejicitur.

Dices: quamvis intelligibile, ut eſt objectum terminativũ, non debeat eſſe principiũ intellectionis, debet tamen eſſe tale ut objectum motivũ; atqui ex doctrina à nobis tradita *tr. 1. lib. 3. c. 2. §. 2.* eſſentia etiam ut in filio, imò filiatio ipſa, eſt objectũ motivũ cognitionis divinæ; ergo cognitio divina, quâ Pater eſt beatus, ſi formaliter tenderet in eſſentiã ut in filio, & in filiationem, haberet utramque pro objecto etiam motivo; conſequenter cognitio divina, quâ Pater eſt beatus, conveniret ipſi ſaltem partialiter a filio, non ſimpliciter à ſe. Sed contrà: nego abſolutè filiationẽ, aut eſſentiã ut in filio (eadem eſt ratio de paſſiva ſpiratione, aut eſſentia ut in Spiritu ſancto) exercere munus objecti motivi reſpectu cognitionis, quâ Pater eſt beatus, eſſentia enim ut in Patre eſt ſufficiens objectũ motivũ non ſolũ pro ſe ipſa ut exiſtente in Patre, verùm etiã ut exiſtente in filio & pro filiatione, quemadmodum expreſsè docuimus *§. 2. præcit. n. 10.* Nec refert quod *ibidem* tribuebamus reſpectu divinæ cognitionis rationẽ objecti motivi omnibus divinis prædicatis, etiã relationibus: Non refert, inquam, quia id procedit, quãdo nihil aliũdè obſtat, ſicuti tamen filiationi in ordine ad cognitionem, quâ Pater eſt beatus obſtat poſterioritas originis; poteſt igitur divina relatio ad intrà eſſe objectum motivum propriæ cognitionis, dummodò non comparetur ad cognitionem reſpectu cujus ipſa relatio cognita ſit origine poſterior.

44\. Quodnam ſit objectũ motivũ cognitionis, quâ Pater eſt beatus.

Hinc facilè eluditur primũ abſurdũ, quo doctrina Scoti concludebatur, ut enim Pater diceretur habere viſionẽ beatificam ab alio, deberet habere illã ab objecto ut exiſtente in tribus perſonis ſub ratione objecti motivi; non ab objecto ut exiſtente in tribus perſonis ſub pura ratione objecti terminativi. Facilè etiã eluditur ſecundũ abſurdum, quia viſio

45\. Eluduntur abſurda, quibus Scotus corroborat ſuam doctrinam.

viſio beatifica exiſtens tanquã perfectio eſſentialis in Patre, ut eſſet quaſi poſterior tribus perſonis, deberet eſſe ab objecto ut exiſtente in tribus ſub ratione objecti motivi. Accedit quòd *eſſentialia eſſe priora notionalibus* verificatur ſolùm cum aliquibus limitationibus inter quas ex ſupradictis *tract.* 2. *lib.* 3. *c.* 1. *n.* 41. una eſt, quòd hujuſmodi eſſẽtialia non habeant pro objecto notionalia, ſicuti tamen haberet pro objecto notionalia perfectio eſſentialis, de quâ in præſenti.

---

§. VI.

Explicantur nonnulla dubia tanquam corollaria §. præcedentis.

Dubitatur primò: utrùm Deus poſſit eſſe ſufficiens beatitudo objectiva ſecundũ eſſentiã etiam præciſam ab attributis? videtur quoad hoc eſſe major ratio dubitandi, quàm quoad eſſentiam præciſam à perſonis, quia attributa in omniũ ſentẽtia dicunt perfectionẽ majorẽ, quàm perſonalitates; & inſuper ipſorũ perfectio eſt in eodem genere, in quo eſt perfectio eſſentiæ, ſcilicet in genere abſoluto; cum perfectio perſonalitatum ſit in genere diverſo, ſcilicet in genere relativo; propterea videtur difficilius ſine attributis, quàm ſine perſonis, ſalvari in eſſentia ratio ſummi & perfectiſſimi boni requiſiti ad ſummam & perfectiſſimam beatitudinem, de quâ hic

46\. Reſpondetur affirmativè: Ratio eſt, quia ut conſtat recolenti ſupradicta *n.* 35. eſſentia divina etiã ut præciſa ab attributis eſt ſummũ bonũ formaliſſimè & comparativè, quod ſufficit ad hoc, ut ſit beatitudo objectiva etiam in linea beatitudinis perfectiſſimæ ex ibidẽ dictis *n.* 36. Id quod afferebatur pro ratione dubitandi, ſicuti non probat divinã eſſentiã ſine attributis non eſſe bonum comparativè ſummũ, ita non improbat noſtrã reſponſionẽ: ex quâ deinde patet à fortiori ſalvari perfectiſſimã beatitudinẽ in divina eſſentia viſa aut cum aliquibus tantũ, non cum omnibus attributis, aut cum una tantùm, non cum aliis duabus perſonis, nec viſio unius perſonæ ad aliam relativæ excitaret anxietatẽ videndi perſonam correlativam, idque propter rationem ſuprà indicatam *num.* 41. & magis infrà explicandam *lib. ſeq. c.* 3. §. 2.

Deus etiã præciſive ab attributis poteſt eſſe noſtra perfectiſſima beatitudo.

Dubitatur ſecundò; Utrùm Deus poſſit eſſe ſufficiens beatitudo objectiva ſecundùm perſonalitates, aut ſecundùm attributa præciſivè ab eſſentia?

47\. Reſpondetur negativè: Ratio eſt, quia neque relationes, neque attributa præciſivè ab eſſentia, habent ullo modo rationem boni ſummi & ultimi finis, ut ſatis colligitur ex ſupradictis *n.* 35. & 37. habent quidẽ bonitatẽ infinitã, at talis bonitas præciſivè ab eſſentia, neque eſt in concreto, neque eſt in linea bonitatis ſummæ & perfectiſſimæ; quia ſicuti ſola eſſentia eſt prima, ſumma, & perfectiſſima in linea entis, ità ipſa ſola eſt prima, ſumma, & perfectiſſima in linea boni.

Non ſecundùm attributa, aut relationes, præciſivè ab eſſentia.

Dubitatur tertiò: Utrũ viſio eſſentiæ ſine perſonis, & attributis, eſſet ejuſdem ſpeciei cum viſione, quæ de facto datur, ſimul attingente eſſentiam, perſonas, & attributa?

Reſpondetur fore diverſæ ſpeciei in ratione actus Theologici, ejuſdẽ verò ſpeciei in ratione actus beatifici. Ratio primæ partis eſt, quia eſſentia & perſonæ, eſſentia & attributa, quaſi ſpecie differunt in ratione objecti divini, at ratio objecti divini eſt ratio ſpecificativa actus ut Theologici, ergo viſio eſſentiæ ſine perſonis, viſio eſſentiæ cum perſonis; viſio eſſentiæ ſine attributis, viſio eſſentiæ cũ attributis, ſpecie differũt in ratione actus Theologici, hocque jam tradidimus *tract.* 1. *lib* 2. *c.* 6. *n.* 10. Ratio ſecundæ partis eſt, quia objectũ ut beatificũ eſt objectũ ſub ratione ſummi boni; atqui ſub ratione ſummi boni perſonalitates & attributa ab eſſentia non differunt; nec præciſivè ab eſſentia habẽt rationẽ objecti ſummè boni, quãvis præciſivè ab eſſentia habeant rationem objecti divini; ergo viſio eſſentiæ ſine perſonis, viſio eſſentiæ cum perſonis, &c. ſpecie non differunt in ratione actus beatifici. 48.

Eſſentia cũ perſonis & eſſẽtia ſine perſonis nõ ſunt beatitudo objectiva diverſæ ſpeciei.

Dices: hinc ſequeretur perſonas & attributa non eſſe objectũ primariũ & conſtitutivũ viſionis beatificæ, quæ de facto datur; nec ſpectare ad beatitudinẽ eſſentialem, ſed ad accidentalem tantùm, ad quam ſpectant etiã creaturæ. Sed contrà: rigoroſè, ſtrictèque loquendo, perſonæ & attributa non ſunt objectũ primariũ & conſtitutivũ viſionis beatificæ, ut beatificæ; non ſunt tamen abſolutè dicenda objectũ ſecundariũ, quia comparativè ad creaturas, quibus propriè cõvenit eſſe objectũ ſecundariũ, habent aliquã rationem objecti primarij, tùm quatenùs participãt de objecto primario reſpectu viſionis beatificæ ut actus Theologicus eſt, non ſic creaturæ; tùm quia ſpectant ad inæqualitatẽ intenſivam, licèt non eſſentialẽ, beatitudinis eſſentialis; cum creaturæ quando attinguntur actibus à viſione diverſis, ſpectent ſolum ad beatitudinẽ accidentalẽ, quando verò attinguntur eodem actu viſionis, ſpectent quidem ad beatitudinem eſſentialẽ, ſed modo valdè inferiori & multo magis ſecũdariò, conducendo ſcilicet ad inæqualitatem ipſius ſolùm extenſivam; propterea inſtantia falſa eſt abſolutè quoad ſecundam partem, quamvis ſit in rigore vera quoad primam. 49.

Perſonæ & attributa ſunt objectum ſecũdarium viſionis ut beatificæ.

Spectant tamen ad beatitudinẽ eſſentialẽ.

Urgebis: ex alibi dictis *tr.* 1. *lib.* 3. *c.* 2. §. 2. Perſonalitates & attributa ſunt objectũ primarium cognitionis divinæ increatæ, ergo multo magis viſionis beatæ creatæ. Contrà tamen: ibi ſermo erat de cognitione divinã præciſè, ut divina & Theologica, non ut beatifica; ideò cum ibidem dictis optimè ſtat etiam reſpectu cognitionis divinæ, ut beatifica eſt, perſonalitates, & attributa non eſſe objectum in rigore primarium: Quando deinde hoc concederetur eſſet adhuc diverſa ratio de viſione beata creata, quia reſpectu cognitionis creatæ *ex eod. tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 2. *n.* 35. perſonalitates & attributa non ſunt objectum motivum, nec præſtant objecti-

 vum

vum concurſum; bene tamen reſpectu cognitionis divinæ *ex §. 2. præcitato.*

Dubitatur quartò: Vtrùm divina eſſentia, ut præciſa à perſonis, & attributis, poſſet dici beatitudo objectiva adæquata an dicenda eſſet inadæquata?

51. *Eſſentia ut præciſa eſt beatitudo objectiva adæquata.*

Reſpondetur fore dicendam beatitudinem objectivam adæquatam: Ratio eſt, quia beatitudo objectiva abſolutè prolata ſupponit pro objecto beatifico primario, atqui *ex præcedente n. 49.* in eſſentia divina ut præciſa, &c. ſalvatur tota ratio objecti beatifici primarij, & perſonæ ac attributa ſunt objectum beatificum ſecundarium, & partes integrales quodammodò, ſeu ſubſtantiales, non eſſentiales, objectivæ beatitudinis: ergo. Nec refert, quòd viſio eſſentiæ ſic præciſæ eſſet viſio Dei inadæquata, eſſet enim inadæquata in ratione actus Theologici, vel notitiæ intuitivæ, & in ordine ad Deum ut ens divinum, vel objectum viſibile; ſecùs in ratione actus beatifici, & in ordine ad Deum ut objectum ſimpliciter beatificum, & ſummum bonum formaliſſimè tale.

Dubitatur quintò: Vtrùm divina eſſentia ut præciſa, &c. poſſit dici beatitudo objectiva etiam reſpectu ipſiuſmet Dei?

52. *Etiam reſpectu Dei.*

Reſpondetur affirmativè, imò juxtà doctrinam Scoti ſuprà relatam *num. 42.* eſſentia ut præciſa à Perſonis Filij & Spiritus Sancti eſt de facto ſumma beatitudo objectiva, tùm Patris, tùm Dei ut Deus eſt, & quoad de facto Trinitas eſt beatitudo objectiva creaturæ, non Dei. Nihilominùs, quia doctrinam illam non recepimus, aliter probatur reſponſio, ſcilicet tùm ex eo quòd ſi Deus eſſet unus, non Trinus adhuc eſſet in ſe beatus *ex præced. num. 39.* tùm quia licèt beatitudo formalis Dei ſit diverſa & longè perfectior, quàm beatitudo formalis hominis, beatitudo tamen objectiva eadem eſt; ſi igitur eſſentia ut præciſa à Perſonis, & attributis, remanet ſufficiens pro beatitudine objectiva hominis, remanebit etiam ſufficiens pro beatitudine objectiva Dei. Vndè ſi juxtà prædicta *tract. 1. lib. 3. cap. 2. n. 29.* conſideremus in Deo cognitiones ſuo modo præciſivas, & ſicuti diſtinguimus virtualiter eſſentiam à perſonalitatibus & attributis, ità diſtinguamus virtualiter in divino intellecto cognitionẽ eſſentiæ à cognitione perſonalitatum & attributorum; illa cognitio ut virtualiter ab iſtâ diſtincta & conſequenter ut ſuo modo præciſiva eſſentiæ à perſonalitatibus & attributis, ſufficienter attinget objectum beatificum, ſufficienter Deum beabit.

Ex dictis habetur viſionem Dei, tùm ut cognitio intuitiva, tùm ut cognitio beatifica eſt, eſſe poſſe præciſivam; ſecundum ſatis ſuperque mox explicuimus; primum non minùs abundè diſcuſſimus *tract. 1. lib. 2. cap. 4. §. 5. & ſequentibus*, quo ex loco in promptu eſt ſolutio argumentorum, quæ ex naturâ cognitionis intuitivæ Thomiſtæ contrà nos formant, etiam in præſenti, contendentes cognitionem præciſivam eſſentiæ à Perſonis, vel ab attributis non poſſe eſſe beatificam eo quòd eſſe non poſſit intuitiva, nec feratur in Deum ut eſt in ſe, ſeu ut exiſtit à parte rei; pro his eludendis recolantur quæ diximus *loco præcitato num.* præſertim *15. & 16.* licèt non ſit id nobis omninò neceſſarium ad præſens intentum, ad quod ſufficit nobis ſuſtinere eſſentiam divinam ut præciſam, &c. eſſe beatitudinem objectivam ex ſuppoſitione, quòd poſſit taliter præciſa videri ſeu intuitivè cognoſci, quidquid deindè ſit de non repugnantia, vel repugnantia ſuppoſitionis.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

DE BEATITVDINE formali hominis.

LICET olim portentoſâ, ut ità dicam, ſententiarum varietate à vera beatitudine Ethnicorum ſectæ aberraverint, & nunc etiam infelix peccantium turba tot habeat falſæ beatitatis ſimulacra, tot idola, tot Deos, quot vitia; adeò ut rectè ille cecinerit

Lurconi venter Deus eſt, & nummus avaro:
Et cui ſunt Veneris gaudia prima, Venus.
Huic honor, & vero Deus eſt pro numine fama,
Quem fama extimulat non ſatianda fames.
Cui nimio Chriſtus ſtudij viteſcit amore,
An non is ſtudium Numinis inſtar habet?

Nobis tamen in præſenti nec cum Ethnicis in tenui naturalium rerum patrimonio, nec cum improbis in turpi vitiorum oblectamento perquirenda felicitas eſt: Iam ſatis ſuperque didicimus ad puriora, ad ſublimiora, ad ſpecioſiora bona humanum animum inhiare, ad ipſum ſcilicet Deum ſuo nos lumine illuſtrantem, ſuâ nos eſſentiâ replentem; ſuas in nos delicias, ſuas divitias effundentem; infuſis, increatis, infinitis nos donis cumulantem, & mentes hauriendis ex gratiæ fontibus aquis aſſuetas æternæ voluptatis torrente ſuaviſſimè abſorbentem. Hæc ſunt noſtræ veræ felicitatis lineamenta, noſtræ ſummæ beatitatis veſtigia, quibus in non fallacem ducimur metam, in non falſum dirigimur finem; nec aliquid deſiderandum ſupererit, ſi tantæ metæ attingendæ, tantique finis obtinendi modus innoteſcat; id hujuſce libri materies eſt, qui de beatitudine formali inſcribitur, ideſt de conſecutione beatitudinis objectivæ, quam hucuſque ſolùm in ſummo & increato bono, ſolùm in uno & Trino Numine, ſitam eſſe demonſtravimus.

CAPUT I.

De variis modis explicandi beatitudinem formalem ſupernaturalem hominis.

1. Ordo doctrinæ. PRÆMISIMUS ſuperiore libro beatitudinem objectivam naturalem beatitudini objectivæ ſupernaturali, & ut à facilioribus ad difficiliora progrederemur non fuimus ſoliciti de ordine dignitatis, qui ſervari non poterat, niſi à difficilioribus incipiendo: Variamus hic vices & beatitudini formali ſupernaturali primum locum tribuimus, quia nihil cogit invertere ordinem dignitatis, nec quidquam prodeſſet explicationi beatitudinis formalis ſupernaturalis ei præponi explicationem beatitudinis formalis naturalis, huic verò proderit valdè prævia illius explicatio, & poſt illam nullo negotio expedietur. Porrò non eſt hic circà beatitudinem formalem inquirendum *An ſit*, nullus enim remanet locus ambigendi de exiſtentia beatitudinis formalis ſuppoſitâ exiſtentiâ beatitudinis objectivæ; illicò igitur enucleandum quid ſit, ſeu in quo conſiſtat, idque præſtabimus afferendo in primis varios modos explicandi beatitudinis formalis eſſentiam, quam aliqui collocant in quodam Dei illapſu, aliqui in ipſamet viſione divina increata, nonnulli in aliquo habitu, rejectis hiſce dicendi modis expeditiores perveniemus ad communiorem, verioremque ſententiam, ſecundùm quam beatitudo formalis ſupernaturalis conſiſtat in aliqua operatione ſupernaturali creaturæ, quæ beatut.

Primò igitur loco diſſerendum de illapſu, in quo beatitudinem collocavit Henricus Gandavenſis, quamvis de legitimo ipſius 2. Theologorum diſſidium circà

opinionem Henrici.

ſenſu Theologi diverſimodè ſentiant, nam Vaſquez *hic diſp.8. cap.1.* vult Henricum ſolam beatitudinem objectivam poſuiſſe in illapſu Deitatis in animas beatorum, Medina 1.2. *q.3. art.5.* exiſtimat Henricum poſuiſſe in tali illapſu ſimpliciter & abſolutè beatitudinem formalem adeò, ut etiam excluſerit à ratione formalis beatitudinis operationes intellectus & voluntatis, nec veretur Henrico temeritatis notam inurere propter definitionem Benedicti XII. afferendam infrà *num.26.* Ioannes à S. Thoma *q.5. diſp.5. art.2. num.5.* cenſet Henricum poſuiſſe in operatione intellectus, aut voluntatis, beatitudinem formalem inchoatam & imperfectam; perfectam deindè & conſummatam in illapſu, additque quòd Henrici opinionem non ità directe premit definitio Benedicti, ſed valdè conentit. Arriaga *diſp. 48. ſect.2. num. 11.* ait Henricum obſcurè locutum eſſe, & ferè allegoricè; nec vult hærere in inveſtiganda ejus mente; ejuſdem videtur eſſe animi Oviedus *controv.2. n.34.* dicens Henrici opinionem quacumque tentata via difficilem habere exitum, nec multùm diſcrepant qui Henricum in hoc puncto præterennt, tanquam concionatoriè, non ſcholaſticè locutum. Iſtud Theologorum de Henrici ſenſu diſſidium me impulit ad accuratiùs indagandam Solemnis Doctoris mentem tùm ex ipſius ſumma & quodlibetis, tùm ex manuſcriptis doctiſſimi, & in ſuo Solemni Doctore verſatiſſimi viri Patris Georgij Soggiæ in Collegio Romano Henrici apud S. Marcellum ſtudiorum Regentis, & inter cæteras Henrici ſententias hanc de beatitudine ſita in illapſu publicis diſputationibus ſæpiùs egregiè propugnantis.

---

§. I.

Quomodo ab aliquibus conſtituatur, & an verè ſit conſtituenda beatitudo formalis ſupernaturalis in illapſu Dei in animam?

3. ASSERT. 1. Modus quo probabiliùs, & magis juxtà mentem Henrici conſtitui poteſt beatitudo formalis ſupernaturalis in illapſu Dei in ſubſtantiam ſeu eſſentiam animæ, eſt, dicendo in tali illapſu ſitam eſſe beatitudinem formalem acceptam radicaliter, & in actu primo proximo; eamdemque deindè ſumptam actualiter ſeu in actu ſecundo ſitam eſſe in operatione creata, ut egregiè explicat Soggia ſuprà memoratus.

Vera mens Henrici circà beatitudinem ſitam in illapſu

Probatur primò afferendo verba Henrici, quibus beatitudinem explicat partim per illapſum in ſubſtantiam animæ, partim per illapſum in ipſius potentias: *Sic quodlib.6 q.6. §. Alios actus,* de Deo beatificante habetur, *habet eſſe in eis quia illabitur primo potentiis,* (ecce illapſum in potentias animæ,) *concomitativè tamen neceſſariò ſimul illabitur ſubſtantiæ* (ecce illapſum in ſubſtantiam animæ) *beatificando non ſolum beatum in ejus potentiis, ſed & in ipſa eſſentia natura intellectualis in ipſo. Quodlib.13. quaſt.15. §. ut autem* habetur de beato, *ut autem ſe extat, & incipiat eſſe quod amat, fieri non poteſt, niſi per circuminſeſſionem non animæ illabentis in divinitatem, ſed potiùs è converſo divinitatis illabentis in animam, &c.* (ecce illapſum in ſubſtantiam animæ) *& deindè per derivationem etiam ipſa divinitas illabitur potentiis animæ,* (ecce illapſum in potentias) *In ſumma art.49. q.4. num. 5. Illabi autem beatificans natura (cuiuſmodi non eſt niſi ſolus Deus) poteſt creaturæ per ſuam eſſentiam dupliciter: Vno modo, ut naturam conſervans in eſſe: alio modo, ut perficiens ipſam in benè eſſe* (ecce illapſum in naturam ſeu ſubſtantiam animæ) *ead. quaſt. num 6.* dicitur dé Deo, *ut ſic in quantum beatificans illabatur principaliter intellectui naturæ intellectualis notitiam ſuam in ipſum cauſando,* (ecce illapſum in potentiam intellectivam) ex his loquendi modis ſatis 4.
conſtat Henricum explicare beatitudinem partim per illapſum in ſubſtantiam, partim per illapſum in potentias animæ; at hoc non poteſt meliùs intelligi, quàm dicendo Henricum quodammodo diſtinxiſſe duplicẽ beatitudinem formalem, alteram radicalem correſpondentem illapſui in ſubſtantiam, alteram actualem correſpondentem illapſui in potentias; ergo aſſertus modus conſtituendi beatitudinem formalem in illapſu verè eſt juxtà mentem Henrici, quem certè ut patet conſideranti relata ipſius verba, nec Medina, nec Ioannes à S. Thoma legerunt, dum ille credidit Henricum excluſiſſe à ratione formalis beatitudinis omnem operationem, iſte cenſuit eumdem poſuiſſe in operatione beatitudinem inchoatam, in illapſu ſeu deificatione beatitudinem conſummatam, cum potiùs res oppoſito prorsùs modo ſe habeat.

Probatur ſecundò: Aſſertus modus ex- 5.
plicandi beatitudinem ſitam in illapſu duo dicit: Primum eſt Deum ſpecialiter illabi, tùm in animam, tùm in potentias beatorum, quod nõ eſt omninò improbabile ſuppoſito præſertim ex una parte, quòd Deus ſpecialiter illabatur in juſtos per dona gratiæ, & ex alia quòd potentiæ animæ non diſtinguantur ab ipſa animæ ſubſtantia, quod quidem utrumque docet Henricus. Secundum eſt illapſum in potentias dici debere beatitudinẽ in actu ſecundo, in quo non eſt difficultas, quia hic illapſus fit per actus ipſos viſionis & amoris, ſeu fruitionis, in quibus vel in ipſorũ altero cõmuniter collocatur beatitudo 6.
formalis: & inſuper illapſum in animam dici debere beatitudinem in actu primo, ex quo non facilè apparet, quid inferatur abſurdi, aut quodnam magnum inconveniens ſit appellare beatitudinem in actu primo illum illapſum, ex quo conſurgit principium proximum operationis, in qua conſiſtit perfecta & conſummata beatitudo. Quæ quidem omnia meliùs conſtabunt ex dicendis *in ſequenti aſſerto*, in quo licèt impugnanda ſit Henrici opinio, quia tamen argumenta quibus impugnabitur, non erunt omninò inſolubilia,

ſubilia, poterit jure inferri opinionem, de quâ agitur, non eſſe omninò improbabilem.

6\. Aſſert. 2. Non datur ullus ſpecialis Dei illapſus in animas beatorum, & quando aliquis hujuſmodi illapſus admitteretur, non eſſet in ipſo collocanda beatitudo formalis, neque etiam radicaliter & in actu primo accepta. Afferri poſſunt pro hoc aſſerto illi omnes, qui ſimpliciter & abſolutè negant beatitudinem formalem in illapſu conſiſtere, & in primis D. Thomas *hic q.3. art.2.* Magiſter *in 4. diſt.49.* Scotus *ead. diſt. q.2. §. Contrà iſtam opinionem*, Ioannes à S. Thoma *hic q.2. diſp.2. art.2.* Gonet *diſp.3. art.1. §.3.* Gabriel à S. Vincentio *diſp.2. dub.1.* Oviedus *controv.2. punct.4.* Salas *tract.1. diſp.2. ſect.2.* Pallavicinus *diſp.2. q.2. art.6.* Madernus *q.2. art.3.* Lauræa *in 4. tom. 4. diſp. 16. art. 1.* Herincx *diſp.2. q.2.* aliique Theologi communiſſimè contra Henricum *locis ſupra citatis n.3.* Burgum *paradoxo 1 a.* alioſque nonnullos Henrici ſectatores, præſertim ex ordine Servorum B. M. V.

Deus non illabitur ſpecialiter in animas Beatorum. Probatur prima pars, quòd ſcilicet non detur ullus ſpecialis Dei illapſus in animas beatorum, loquendo de illapſu, qui ſit proprius ſtatus beatifici, & conveniat omnibus ac ſolis beatis; neque enim negari ipſis poteſt illapſus per dona gratiæ, ſpecialis quidem hominibus juſtis, ac communis etiam viatoribus.

7\. Illapſus Dei quid? Probatur, inquam, prima pars. Illapſus, ſecundum quod à Theologis ſumitur in præſenti, nihil eſt aliud, quàm intima præſentia unius in alio cum ſuperioritate & operatione in ipſum; adeoque ſpecialis illapſus requirit ſpecialem titulum intimæ præſentiæ; atqui nullus eſt ſpecialis titulus intimæ præſentiæ Dei in animas Beatorum; ergo non datur ullus ſpecialis illapſus Dei, &c. Minor probatur, talis titulus deberet eſſe aliquid de novo productum in anima beata; ſed in anima beata præciſè ex eo quòd ſit beata nihil de novo producitur, ergo.

Reſpondebis primò negando majorem, & dicendo talem titulum haberi abſque nova productione per ſolam unionem divinæ eſſentiæ per modum objecti intelligibilis & beatificantis, quæ quidem unio admittenda eſt ab omnibus iis, qui docent Deum videri à beatis abſq; ullâ ſpecie impreſsâ creata. Sed impugnatur reſponſio primò, quia illa nova unio haberi non poteſt ſine nova productione, & controvertitur quidem utrùm pro nova unione debeat de novo produci aliquid ſimplex, an aliquid completum? at non utrùm debeat aliquid produci?

8\. Deus uniendo ſe per modũ objecti intelligibilis non illabitur in ſubſtantiam animæ. Secundò, (& eſt impugnatio validior, magiſque ad rem) quia unio divinæ eſſentiæ per modum objecti fit cum potentia intellectiva, non cum ſubſtantia animæ, ut ſuppono ex *tract. 1. lib. 2. cap. 2. num.4.* & inferri etiam poteſt à pari ex *ſequenti num.9.* adeoque ſi talis unio arguit aliquem illapſum, arguit ipſum ſolùm in intellectiva potentia, non in animæ ſubſtantia. Neque dicas ex vi talis unionis ipſam animæ ſubſtantiam deificari, & acquirere perfectiones quaſi divinas quemadmodum (& eſt exemplum Henrici *quodlib. 13. q. 1 a. §. ut autem*) ferrum immiſſum igni candeſcit, & quaſi ignis fit ardens & lucens igne ſe profundante in ferrum, & interiora ejus penetrante. Contrà enim animæ beatæ ſubſtantia verè quidem deificata eſt, & perfectionibus quaſi divinis induta, at id habet ex habitu gratiæ, illapſuque divino talem habitum comitante, non ex unione ad divinam eſſentiam tanquam ad objectum beatificans & intelligibile: Exemplum de ferro candente valdè allegoricum eſt, & ut foret ad rem, deberet aliundè probari divinam eſſentiam ex eo, quòd uniatur intellectui per modum objecti, ſe profundare in ſubſtantiam animæ, ejuſque interiora penetrare.

Reſpondebis ſecundò datâ majore negando minorem, & dicendo in animâ beatâ ex eo, quòd ſit beata ſemper produci aliquid de novo, nimirum tùm augmentum gratiæ, tùm lumen gloriæ, quod utrumque, cum ſit ſpeciale donum ordinis ſupernaturalis, eſt ſufficiens titulus ſpecialis illapſus in ſubſtantiam animæ. Sed impugnatur reſponſio primò quoad augmentum gratiæ, quia licèt aliquando detur in Patria aliquod augmentum gratiæ, quod non præceſſit in viâ, ut contingit in gratia correſpondente martyrio, aut actui meritorio elicito, ſacramentorè ſuſcepto in ultimo vitæ inſtanti; eſt tamen improbabile, & valdè incertum gratiam ſemper in alia vita augeri, nec aſſentior nonnullis contendentibus id probare ex eo, quòd Deus in alia vita præmiet juſtorum merita ultrà condignum; ſpecialis igitur illapſus, qui fit per augmentum gratiæ, non convenit omnibus beatis, & quando etiam omnibus conveniret, quia non convenit ipſis ſolis, non eſſet illapſus beatificus; non convenit, inquam, ipſis ſolis, quia augmentum gratiæ, quod fieret in alia vita, eſſet ejuſdem rationis cum augmento, quod fit in juſtis viatoribus; ergo argueret illapſum communem viatoribus, non convenientem ſolis beatis. In aliquibus, non in omnibus beatis augetur gratia. Tale augmentum non eſt illapſus beatificus. Impugnatur reſponſio ſecùndò quoad lumen gloriæ, hoc enim utpotè principium operativum ſeu elevativum intellectus in ordine ad operandum, imò ut loquitur D. Thomas *1. p. q. 12. art. 5. in c.* virtus intelligendi intellectui ſuper accreſcens, ſe tenet ex parte potentiæ intellectivæ, in ipſa recipitur, ipſique ſoli tribuit effectum formalem elevationis & illuminationis; ergo ex vi luminis gloriæ Deus illabitur ſolùm in potentiam intellectivam, non in ſubſtantiam animæ. 9. Per lumen gloriæ Deus illabitur ſolùm in intellectum.

Dices lumen gloriæ ſumi poſſe vel ut habitum & principium operativum, vel ut qualitatem & formam ſupernaturalem præciſè; primo modo dicere ordinem ad potentiam intellectivam ut probat argumentum, ſecundo modo dicere ordinem ad ſubſtantiam animæ; ex primo capite arguere illapſum in potentiam intellectivam, ex ſecundo in ſubſtantiam animæ. Accedit quòd in ſententia identificante potentias cum anima, nec lumen poteſt recipi in potentia animæ, quin

recipiatur

recipiatur etiam in animæ ſubſtantia, nec fieri poteſt illapſus in illam, quin fiat etiã in iſtam. Sed contrà: licèt rectè diſtinguatur in lumine ratio principij operativi, & ratio qualitatis ſupernaturalis; ratio tamen iſta qualitatis ſupernaturalis in lumine reperta eſt in ordine ad operandum, non in ordine ad eſſendum ſupernaturaliter, qualitas autem ſupernaturalis dicens ordinem ad ſubſtantiam animæ debet eſſe in ordine ad ſupernaturaliter eſſendum, ut ſuo loco *in tract. de Gratia & in tract. de virtutibus theologicis*, ubi explicabitur, cur & quomodo habitus gratiæ ſanctificantis recipiatur in ſola animæ ſubſtantia, habitus virtutum infuſarum in ſolis animæ potentiis, non obſtante etiam indiſtinctione reali potentiarũ ab anima, quàpropter indè quoque habebitur ſolutio eius quod in inſtantia additur: Interim lumen gloriæ neque etiam ut qualitatem ſupernaturalem dicere ordinem ad animæ ſubſtantiam ſuadetur ex eo, quod ipſam non ſupernaturalizat, imò exigit invenire ipſam ſupernaturalizatam mediante habitu gratiæ.

10\. Etiam conſiderando ipſum ſub præciſa ratione qualitatis.

11\. Probatur ſecunda Aſſerti pars, quòd ſcilicet quando etiam admitteretur aliquis ſpecialis illapſus in animas beatorum (in animas, inquam, id eſt in animarum ſubſtantias, nam de illapſu in animarum potentias ſingillatim agetur in ſequenti aſſerto) non eſſet in ipſo collocanda beatitudo formalis, neque etiam, &c. quod quidem ſic oſtendo: Dato ſpeciali illapſu Dei in ſubſtantiam animæ beatæ ex vi talis illapſus anima non redderetur beata beatitudine formali neque etiam radicaliter & in actu primo accepta; ergo dato tali illapſu adhuc non eſſet in ipſo collocanda beatitudo formalis, neque etiam, &c.

Dato illapſu Dei in animâ non poteſt in ipſo conſiſtere beatitudo formalis.

Antecedens probatur primò ex eo, quòd beatitudo formalis non poteſt accipi radicaliter & in actu primo, cum conceptus proprius beatitudinis formalis importet ex infra dicendis §. 3. *& cap. 2. §. 4.* operationem & actum ſecundum, idemque propterea ſit dividere beatitudinem formalem in radicalem & actualem; in beatitudinem in actu primo, & beatitudinem in actu ſecundo, ac dividere purum actum ſecundum in actum primum & ſecundum, quod apparet repugnans ex terminis.

Dices; imò repugnat actus ſecundus, qui non ſupponat actum primum; & ex alia parte, cum eſſentiæ rerum conſiſtant in aliquo actu primo potiùs, quàm in aliquo actu ſecundo, conceptus proprius beatitudinis formalis aut importare debet ſolum actum primum, aut certè principaliùs pro actu primo ſupponere, quàm pro actu ſecundo: Porrò eſſentiam conſiſtere in aliquo actu primo evincitur inductione; nam eſſentia hominis in rationalitate, non in ratiocinatione; eſſentia quantitatis in impenetrabilitate, non in impenetratione conſiſtit, & ſic de cæteris; rursùs hominem eſſe juſtum habetur ab habitu, non ab actu charitatis; eſſe ſapientem habetur ab habitu, non ab actu ſapientiæ; ergo ſimiliter beatitudo debet conſiſtere in aliquo actu primo, & eſſe beatum haberi debet ab habitu aliquo, non ab actu.

12\. Sed contrà: Repugnat quidem actus ſecundus, qui non ſupponat actum primum vel univocum vel æquivocum, quod eſt idem ac dicere, qui non ſupponat ſuum principium; at non repugnat actus ſecundus, qui non ſupponat actum primum univocum & ejuſdem rationis, quod eſt idem ac dicere, qui in ſuo principio formaliter non contineatur; ut tamen eſſet neceſſarium ad præſens intentum Adverſariorum probantiũ dari beatitudinem formalem in actu primo ex eo, quod detur beatitudo formalis in actu ſecundo. Ad illud, quod additur eſſentias rerum conſiſtere in aliquo actu primo, dico id non verificari univerſaliter; numquid enim eſſentia diſcurſus, eſſentia motus, eſſentia ubicationis conſiſtunt in aliquo actu primo? numquid eſſe volentem, eſſe amantem, eſſe intelligentem habetur formaliter ab aliquo actu primo: Neque dicas iſta ſaltem aliquem actum primum ſupponere, ſcilicet eſſe intellectivum, eſſe amativum, &c. Contrà enim iſti actus primi ſunt actus primi æquivoci, neque enim eſſe amativum v. g. habetur per formalem actum amoris, qui eſt ratio formaliter conſtitutiva amantis. Concedant igitur Adverſarij eſſe beatum haberi per actum ſecundum formalis beatitudinis, & quærant pro actu primo non formalem beatitudinem, ſed aliquid æquivocum, ideſt potentiam deificatam, ſeu elevatam à lumine gloriæ.

Quomodo omnis actus ſecundus ſupponat actum primum.

Quomodo verificetur eſſentias rerum conſiſtere in aliquo actu primo.

13\. Antecedens ejuſdem argumenti probatur ſecundò: Si eſt dabilis beatitudo radicalis & in actu primo, debet talis beatitudo conſiſtere in aliquo, quod ſit actus primus vitæ & radix viva ſeu vitalis, atqui admiſſo ſpeciali illapſu Dei in ſubſtantiam animæ beatæ ex vi talis illapſus anima non redderetur actus primus vitæ & radix viva; ergo admiſſo ſpeciali illapſu, &c. ex vi ipſius non redderetur anima beata beatitudine formali, neque etiam radicaliter & in actu primo, major non videtur poſſe negari, beatitudo enim in actu primo, ſi eſt dabilis, debet ſervare proportionẽ cum beatitudine in actu ſecundo, debet ſcilicet illa dicere in actu primo, quod dicit iſta in actu ſecundo, cum igitur beatitudo in actu ſecundo ſit actus ſecundus vitæ, ut concedunt Adverſarij cum ſuo Doctore Henrico *in ſum. art. 49. quæſt. 6. num. 26. & quodlib 10. q. 14. §. dicunt aliqui* conſequens eſt beatitudinem in actu primo ſeu radicalem eſſe actum primum vitæ, ſeu radicem vivam ac vitalem. Minor probatur, ut anima reddatur actus primus vitæ & radix viva ex vi divini illapſus, deberet ex Deo illabente & anima conſtitui unum principium vivens, actus enim primus vitæ nihil eſt aliud quàm principium vivens, & per conſequens ex vi divini illapſus ſeu ex Deo illabente animam reddi actum primum vitæ, eſt ex ipſa & Deo conſtitui unum principiũ vivens; at hoc repugnat, quia principium vivens non poteſt conſtitui niſi ex extremis, quorum unum alteri phyſicè uniatur ad conſtituendum

Deus animæ illabẽs nequit cum ipſâ conſtituere unũ principium vivens.

ſtituendum unum per ſe, ut patet ex eo, quod Angelus aſſumens corpus defectu talis phyſicæ unionis non conſtituit cum corpore unum principium vivens: deberet inſuper Deus ſimul cum anima concurrere vitaliter ad actum vitalem beatificum, ſi ſimul cum ipſa conſtitueret actum primum vitæ beatæ; ſed repugnat Deum aut conſtituere cum anima beata unum per ſe aut cum eadem ad aliquem actum vitaliter concurrere ergo.

Reſpondebis ex vi divini illapſus animam reddi actum primum vitæ, non ut vita eſt, ſed ut eſt vita ſupernaturalis & beata; adeò ut anima, quæ ſecundùm ſe eſt principium vivens, ex vi divini illapſus reddatur in actu primo beata, dum ex vi illius redditur principium vivens ſupernaturalē; ad quod non requiritur, quod Deus illabens aut cum animâ conſtituat unum per ſe, aut cum eâdem vitaliter operetur. Sed impugnatur reſponſio, quia ratio formaliſſima beatitudinis in actu ſecundo eſt ratio vitæ, non ratio ſupernaturalitatis; undè vita naturalis poteſt eſſe ſuo modo beatitudo in actu ſecundo, talis verò eſſe nullo modo poteſt actus ſupernaturalis, qui non ſit vita; ergo etiam ratio propria formaliſſima beatitudinis in actu primo, ſi daretur, deberet eſſe ratio vitæ ſeù principij vitalis, & ut ex vi divini illapſus anima haberet beatitudinem in actu primo, deberet ex vi illius habere rationem principij viventis ut viventis, non rationē principij viventis præciſe ut ſupernaturalis.

14. Beatitudo formaliùs importat vitā quàm ſupernaturalitatem.

Antecedens eiuſdem argumenti probatur tertiò afferendo nonnulla abſurda, quæ ſequerentur ex eo, quòd anima redderetur beata formali beatitudine per illapſum Deitatis in propriam ſubſtantiam: Sequeretur primò non diſtingui beatitudinem formalem à beatitudine objectivâ, illapſus enim, quo Deitas per modum objecti intelligibilis unitur animæ, eſt aliquid ſe tenens ex parte objecti, eſt actus ſecundus Beatitudinis objectivæ; dum igitur in eodem illapſu ponitur beatitudo formalis, una ab alterâ non diſtinguitur: Sequeretur ſecundò Deum etiam eſſe formaliter beatum per propriam eſſentiam, cur enim Deus non habebit per eſſentiam ſibi identificatam illud, quod habet creatura per eamdem eſſentiam ſibi illabentem; & tamen tenentur ſequelam negare Adverſarij, ſicuti eam negat ipſorum Anteſignanus Henricus *in ſumma art. 49. quæſt. 5. n. 16.* Sequeretur tertiò haberi beatitudinem formalem præciſè ex vi unionis hypoſtaticæ, talis enim unio ea ſe præciſè eſt illapſus major & perfectior, quàm ſit ille in quo Adverſarij beatitudinem conſtituunt: Si autem ea unione hypoſtaticâ præciſè haberetur beatitudo, natura etiam irrationalis poſſet beari, ſicut poteſt hypoſtaticè aſſumi. Sequeretur quartò hominem eſſe beatū per beatitudinem increatam ſibi unitam, Deus enim ſeù divina eſſentia illabens, ſeque uniens animæ, eſt beatitudo increata; Ex quo ſequitur ulteriùs ob paritatem rationis hominem eſſe iuſtum, & ſanctum, per juſtitiam, & ſanctitatem increatam ſibi unitam contrà Trident. *ſeſſ. 6. cap. 7.* ubi aſſignandò cauſas juſtificationis de cauſa formali ità habetur, *Unica formalis cauſa eſt iuſtitia Dei; non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit*, in quibus verbis per ly *unica formalis cauſa* excluditur reſponſio nonnullorum dicentium Concilij definitionē procedere contrà negantes ſimpliciter habitum gratiæ & charitatis, & volentes hominem ſanctificari ſolâ increatâ divinaque juſtitiâ, non contrà admittentes hominem juſtificari, tùm juſtitiâ divinâ, ſeu quâ Deus juſtus eſt, tùm gratia inhærente, quod ſufficeret Adverſariis. Nec meliùs reſpondetur dicendo Concilium loqui de juſtificatione in actu ſecundo, cum quo ſtat iuſtificationem in actu primo haberi per iuſtitiam increatam illabentem; enimverò juſtificatio in actu ſecundo collocanda eſſet in actu, non in habitu; Concilium autem, ut patet ex contextu illius capitis, loquitur de juſtificatione conſtituente in habitu, non in actu. Idcircò non video quomodò poſſit ſufficienter huic auctoritati ab Adverſariis reſponderi, faciliùs crediderim poſſe ipſos ſe aliqualiter expedire ab aliis abſurdis diſtinguendo beatitudinem in actu primo, & beatitudinem in actu ſecundo, & dicendo ad primum abſque confuſione beatitudinis formalis & objectivæ concedi poſſe beatitudinem objectivam in actu ſecundo, eſſe beatitudinem formalem in actu primo: Ad ſecundum, Deum non eſſe per propriam eſſentiam formaliter beatum in actu ſecundo, benè tamen in actu primo: Ad tertium ex vi unionis hypoſtaticæ præciſe haberi beatitudinem formalem in actu primo, quamvis non in actu ſecundo; nec proptereà creaturā etiam irrationalis poſſe in actu primo beari, quia dici poſſet creaturam irrationalem non eſſe aſſumptibilem unione eiuſdem ſpeciei cum eâ, quâ aſſumitur, & in actu primo beatur, creatura rationalis.

Absurda ſententiæ oppoſitæ.

15. Abſurdum primum.

Abſurdum ſecundum.

Abſurdum tertium.

Abſurdum quartum.

Auctoritas Tridentini Adverſarios premens.

16. Adverſariorum reſponſiones.

17. Aſſert. 3. Quamvis reſpectu Beatorum rectè admittatur aliquis ſpecialis illapſus Dei in potentiam intellectivam; non eſt tamen in ipſo collocanda beatitudo formalis, neque etiam radicaliter & in actu primo accepta. Eſt aſſertum communiſſimum contrà nonnullos Henrici Sectatores volentes illapſum beatificum fieri quidem principaliùs in animæ ſubſtantiam, at quaſi ſecundariò, deinde fieri etiam in potentias, quem certè dicendi modum eſſe iuxtà mentem ſolemnis Doctoris apertè colligitur *ex quodlibet. 13. q. 52. §. Ut autem, & ſeq.*

Dixi *in potentiam intellectivam*, quia licèt Adverſarij admittant reſpectu beatorum etiam ſpecialem Dei illapſum in potentiam volitivam ex vi habitus charitatis, tamen ex eo quod iſte habitus ſit communis viatoribus, & idem perſeveret in Patriâ, qui præceſſit in viâ, ſentiendum eſt ratione ipſius nullum fieri in voluntatem animæ beatæ ſpecialem illapſum, ſicuti ex ſuprà dictis *num. 5.* ratione habitus gratiæ nullus fit ſpecialis illapſus in animæ beatæ ſubſtantiam.

Deus non illabitur in voluntatem beatam.

Oo Probatur

Probatur & explicatur aſſertum : Cum Deus in patriâ duo ſpecialiter præſtet reſpectu potentiæ intellectivæ beatorum, ei ſcilicet infundat habitum luminis gloriæ eique ſe uniat per modum objecti intelligibilis, cumque hæc duo præſertim ex eo, quòd importent perfectionem quamdam majorem eâ, quam important habitus gratiæ & charitatis, exigant novum modum exiſtendi Dei afferantque ſpecialem titulum intimæ præ-

18. ſentiæ divinæ in beato intellectu; rectè infertur admittendum eſſe reſpectu beatorum ſpecialem illapſum Dei in potentiam intellectivam; in hoc tamen illapſu collocanda non eſt beatitudo formalis, neque etiam radicaliter & in actu primo accepta, propter rationes ſuprà allatas *à num.* 11. *ad* 16. quæ omnes transferri proportionaliter poſſunt ad probandum præſens intentum ut patere poteſt conſideranti.

Benè tamē in intellectum, at neque hic illapſus eſt beatitudo formalis.

Ex dictis habetur in nullo prorsùs illapſu beatitudinem formalem, quomodocumque accipiatur, conſiſtere; & licet huculque actum ſolùm fuerit de beatitudine formali radicali & in actu primo, nihilominùs ea præſertim, quæ dicta ſunt *num.* 13. *&* 15. militant à fortiori contrà beatitudinem formalem acceptam actualiter & in actu ſecundò, quam etiam non conſiſtere in illapſu, qui habetur ex vi luminis gloriæ ſpecialiter probabitur §. 3. dum oſtendetur beatitudinem formalem actualem non conſiſtere in aliquo habitu, adeoque non in lumine gloriæ, qui eſt habitus : Eamdem non conſiſtere in ullo alio illapſu ſuadent ea omnia, quæ *cap. ſequenti* afferentur pro ſtabilienda formali beatitudine in actu viſionis. Neque dicas ex vi ipſiuſmet viſionis fieri ſpecialem Dei illapſum, ſaltem in potentiam intellectivam, cum nequeat haberi Dei viſio ſine ſpeciali Dei præſentia. Contrà enim ſpecialis Dei præſentia, quam Dei viſio requirit, conſiſtit in eo, quod Deus ſit præſens in ratione principij & objecti, ſit autem Deus hoc modo præſens infundendo lumen gloriæ & uniendo ſe intentionaliter, ideò viſio non requirit ſpecialem illapſum diverſum ab eo, qui habetur ex vi luminis gloriæ & unionis Dei ſub ratione objecti; undè ex hoc capite ſequitur quidem, quod formalis beatitudo illapſum aliquem ſupponat, at non quod in illapſu aliquo conſiſtat.

Viſio Dei non conſiſtit in illapſu.

Habetur inſuper, quid reſpondendum ſit quærenti, utrùm verè detur illapſus aliquis

19. beatificus? Reſpondendum ſcilicet nomine illapſus beatifici vel intelligi illapſum, in quo conſiſtat formalis beatitudo; vel intelligi illapſum proprium ſtatus beatifici, & ſine quo non habeatur formalis beatitudo: primo modo negandum, ſecundo modo affirmandum eſt verè dari illapſum beatificum, & utraque reſponſionis pars abundè conſtat ex dictis.

Illapſus beatificus in quo ſenſu negādus ſit, & in quo concedendus.

§. II.

Utrùm beatitudo formalis ſupernaturalis conſiſtat in viſione increata Dei, aut ſaltem in operatione producta à ſolo Deo?

ASSERT. 1. Noſtra beatitudo formalis ſupernaturalis non conſiſtit in viſione increata Dei nobis communicata. Eſt aſſertum inter Theologos receptiſſimum contra Ioannem de Ripa apud Capreolum *in* 3. *diſt.* 14. *q.* 1. *a.* 2. nonnulloſque Doctores Pariſienſes apud Gregorium *in* 2. *diſt.* 7. *q.* 2. *a.* 1. & quoad beatitudinem animæ Chriſti contrà Hugonem à S. Victore *tom.* 3 *opuſc. de anima Chriſti & eius ſcientia.* Horum Auctorum opinio non ſolùm à cæteris Theologis improbatur, verùm etiam communiter notatur gravi cenſura, licèt non ab omnibus eadem; Medina *hic q.* 3. *art.* 1. ait eſſe ferè hæreticam; Ioan. à S. Thoma *q.* 2. *diſp.* 2. *art.* 2. *n.* 23. exiſtimat eſſe vel erroneam vel errori propinquiſſimam; Arriaga *diſp.* 48. *ſect.* 1. *n.* . non dubitat eſſe erroneam; Ægidius à præſentatione *lib.* 4. *de beatitud. q.* 1. *art.* 2. & Curiel *tract. de eſſentia beatitud. q.* 4. §. 5. dicunt eſſe temerariam. Neque neceſſe eſt has cenſuras temperare ob auctoritatem Auguſtini, qui 1. *de Trinit. cap. ult.* ait *Secundum illam viſionem Deus bonus eſt, ſecundum quam viſionem Deus apparet mundis corde*, & paulò infrà de eadem viſione habet, *ſola eſt ſummum bonum noſtrum.* Neceſſe inquam id non eſt, quia Auguſtinus vel loquitur de noſtra viſione & beatitudine objectiva, quæ eſt ipſa divina eſſentia, de quâ optimè verificatur quòd eâ Deus ſit bonus, & quod ſit noſtrum ſummum bonum; vel ſi intelligendus ſit de beatitudine formali & viſione ſumpta ex parte actus, ſenſus eſt viſionem, quâ beamur, eſſe eam, quâ Deus eſt bonus non formaliter in ſe ipſo, ſed cauſativè & nobis; item eſſe ſummum bonum noſtrum, non ſimpliciter ſed inter bona creata. Non favet igitur Auguſtinus adverſariis, nec ipſis poteſt omnis cenſura condonari, ut tamen argumentis potiùs, quàm cenſuris agamus. 20.

Noſtra beatitudo formalis non eſt viſio increata Dei.

Cenſura opinionis oppoſitæ.

21. Mens D. Auguſtini.

Adverto ità quoad rem convenire in aſſerta veritate Doctores, ut maximè diſſideant quoad modum ipſam probandi; ſive loquamur de argumentis ab auctoritate, ſivè de argumentis à ratione deſumptis; ideò ut in ſolis validioribus vim faciamus placet invalida & inefficacia præmittere, eorumque inefficaciam oſtendere.

Inefficax eſt primò argumentum deſumptum ex Concilio Viennenſi, in quo damnatur error dicentium *quòd anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum.* Inefficax, inquam, eſt, quia etiam ad Deum videndum viſione increatâ dici poteſt quòd anima indigeat lumine gloriæ ipſam elevante, non quidem ad eliciendam, benè tamen ad recipiendam viſionem; cum præſertim juxtà ſupradicta *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. 22.

Anima vidēs viſione increata adhuc poſſet indigere lumine.

cap. 3. *num.* 15. etiam de facto lumen gloriæ præſtet munus diſpoſitionis materialis & ſubjectivæ in ordine ad receptionem viſionis, & ad unionem cum divina eſſentia.

Inefficax eſt ſecundò argumentum deſumptum ex VI. Synodo Generali, & ex Concilio Toletano XV. in quibus damnantur Monothelitæ dicentes in Chriſto voluntatem & operationem divinam eſſe loco voluntatis & operationis humanæ, nec dari in ipſo duplicem voluntatem duplicemque operationem, divinam alteram, alteram humanam.
23. Inefficax, inquam, eſt primò, quia optimè ſtare poteſt dari in Chriſto operationes humanas contrà Monotheltas, & tamen eidem communicari aliquam operationem divinam, viſionem ſcilicet increatam Dei: Secundò quia fortè error Monothelitarum non fuit in eo, quòd poſuerint in Chriſto voluntatem & operationem divinam loco humanæ, ſed in eo, quòd admiſſis humanis operationibus tùm voluntatis tùm aliarum potentiarum, exiſtimaverint velle, ex cujus nutu & imperio operationes illæ pendebant eſſe ſolùm velle divinum, non velle humanum; pro quo conſulatur Vaſquez *hic diſp.* 7. *c.* 2. & 3. *p. q.* 19. *art.* 1.

Error Monothelitarum.

Inefficax eſt tertiò argumentum, quo utuntur Valentia *hic diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 1. Salas *tract.* 2. *diſp.* 2. *ſect.* 1. Arriaga *diſp.* 48. *ſect.* 1. *num.* 7. deſumptum ex eo, quòd ſi beatitudo conſiſteret in viſione increata, omnes beati viderent Deum eadem viſione, & per conſequens viderent Deum æqualiter, imò quia viderent ea viſione, quâ videt ſe ipſum Deus, viderent comprehenſivè & æquè perfectè ac Deus ipſe. Inefficax, inquam, eſt, quia ut
24. rectè habet Madernus *hic q.* 2. *art.* 2. *num.* 3. dici poſſet viſionem increatam creato intellectui uniri ad modum ſpeculi voluntarij reddendo ipſum intenſiùs vel remiſſiùs videntem prout invenit in ipſo intenſius vel remiſſius lumen gloriæ, non ſecùs ac ex ſupradictis *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 29. divina eſſentia eidem creato intellectui unitur ut magis vel minùs repræſentativa juxtà menſuram majoris, vel minoris luminis. Nec refert quod addit Arriaga *num.* 7. *præcit.* eſſe imperceptibile quod forma unita ſubjecto non tribuat ei totum effectum formalem, cujus eſt capax: Contrà enim facilè dici poſſet intellectum creatum non eſſe capacem effectus formalis viſionis increatæ, niſi juxtà menſuram luminis; ideò viſione increata tribuente totum effectum formalem, cujus ſubjectum eſt capax, adhuc beati viderent Deum inæqualiter, & infinitè minùs, quàm ſe videat Deus ipſe, quia haberent lumen inæquale & infinitè minùs lumine increato Ipſius Dei.

Videre Deum viſione increata non neceſſariò viderent æqualiter.

Inefficax eſt quartò argumentum deſumptum ex naturâ actus vitalis, cui eſſentiale eſt poſſe recipi in eo ſolo principio, à quo producitur, nec poſſe tribuere ſuum effectum formalem ſubjecto extraneo; cum igitur viſio increata Dei ſit actus vitalis à ſolo
25. Deo productus, conſequens eſt, &c. Inefficax, inquam, eſt, aut ſaltem non habet tantam efficaciam, quanta deſideratur in præſenti, quia certius eſt beatos non videre Deum viſione increata, quàm certum ſit actum vitalem poſſe dumtaxat recipi in ſuo principio, nec tribuere poſſe ſuum effectum formalem ſubjecto extraneo, licèt apud me hoc ſit veriſſimum ut ſatis indicavi *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 51. & 53. item *tract.* 3. *l.* 1. *cap.* 4. *num.* 35. Hiſce argumentis miſſis efficaciora & validiora ſubjicio quibus, tùm auctoritate, tùm ratione.

Probatur aſſertum primò ex epiſtola Agathonis Papæ relecta in VI. Synodo *Act.* 4. 26
ubi ſumendo voluntatem non pro facultate, ſed pro actu ſeu operatione volendi, ità habetur. *Neque enim poterit angelica natura divinam habere voluntatem, aut humanam: neque humana voluntatem Dei, vel Angeli, ſicut nec alterius, quàm eſt, quiſquam naturalem habere poterit motum niſi qui eſt naturaliter aut creatus eſt.* Quibus Agathonis verbis omninò conſonant verba Leonis I. in confeſſione fidei habita in ead. VI. Synodo *Act.* 17. *Neque enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ, ut neque quòd creatum eſt in divinam educamus eſſentiam, neque quod eximium eſt divinæ naturæ ad competentem creaturis locum dejiciamus.* Dicet fortè aliquis hos Pontifices loqui naturaliter & ſecundùm potentiam ordinariam: Nihilominùs ipſos eſſe intelligendos abſolutè, & in ordine ad potentiam etiam ſupernaturalem, evincitur ex eo quòd ipſorum doctrina nullam haberet vim contrà hæreticos, quos impugnabant, qui ut notat Ioannes à S. Thomâ *hic quæſt.* 2. *diſput.* 2. *art.* 2. *num.* 28. non dicebant Chriſtum habere tantùm operationem divinam naturaliter ſed ſupernaturaliter. Clarior eſt & hujuſce loci magis propria auctoritas Benedicti XII. (quia eſt XI. dictus XII. ab aliquibus nuncupatur XI.) in extrav. *Benedictus Deus* ubi de viſione & fruitione beatifica habetur, *Quodque poſtquam inchoata fuerit, vel erit talis facialis & intuitiva viſio vel fruitio in eiſdem eiuſdem viſio & fruitio ſine aliqua intermiſſione, ſeu evacuatione prædicta viſionis & fruitionis, continuata exiſtet, & continuabitur uſque ad finale iudicium, ex tunc uſque ad ſempiternum;* qui modus loquendi eſſet nimis improprius & abuſivus ſi de viſione increata procederet.

Noſtram beatitudinē non eſſe viſionem increatam oſtenditur auctoritate Agathonis, & Leonis I.

Item Benedicti XII.

Probatur aſſertum ſecundò ratione: Viſio increata Dei non poteſt reddere hominem formaliter beatum, ergo noſtra beatitudo formalis ſupernaturalis non conſiſtit, &c. conſequentia patet, antecedens probatur, viſio increata Dei non poteſt reddere hominem formaliter beatum, niſi reddendo ipſum videntem; debet enim ut reddat formaliter beatū præſtare effectum aliquem formalem, nec apparet, quem alium effectū formalē in homine præſtare poſſit, ſi nequeat ipſum reddere formaliter videntem; atqui viſio increata nequit reddere hominem videntem quod ſic probo: Viſio increata nequit uniri homini, ſeu humano intellectui, per 27

Viſio increata ne-

Nequit reddere hominẽ videntem.

modum formæ verè & propriè informantis; ſed ut redderet hominem videntem, neceſſe eſſet quòd ei uniretur per modum formæ verè & propriè informantis; ergo viſio increata nequit reddere hominem videntem; major conſtat ex eo, quòd viſio increata ſit quid divinum, ſubſtantiale, imò ſit ipſemet Deus, cui certum eſt repugnare rationem formæ verè & propriè informantis ut nos attigimus *tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. § 9. & in confeſſo eſt apud omnes Theologos: Minor probatur primò, ut homo reddatur videns neceſſe eſt, quòd viſio, quà videns redditur, ſit ei aliquo modo intrinſeca, videre enim eſt vivere, vivere autem non poteſt haberi purè ab extrinſeco, alioqui res viveret quodammodo extrà ſe ipſam, quod imperceptibile eſt;

Nequit eſſe homini intrinſeca.

atqui viſio increata non poteſt eſſe homini intrinſeca per identitatem, ut per ſe patet; nec per intrinſecam terminationem, quia terminatio intrinſeca eſt propria ſubſiſtentiæ; ergo cum alius modus non ſuperſit, quo eſſe poſſit homini intrinſeca, deberet eſſe talis ex eo, quòd ei uniretur per modum partis intrinſecæ ſeu per modum

28. formæ verè & propriè informantis. Minor eadem probatur ſecundò: Viſio non poteſt reddere hominem videntem, niſi dicat ad ipſum habitudinem aut effectus aut cauſæ formalis, reddere enim hominem videntem eſt reddere ipſum operantem;

Omnis operatio eſt aut effectus aut cauſa formalis operantis.

inductione autem conſtat nihil reddi operantem per aliquid à ſe diſtinctum, niſi interveniente habitudine aliqua aut effectus aut cauſæ formalis; atqui viſio increata non poteſt ad hominem dicere habitudinem effectus, deſineret enim eſſe increata, ſi evaderet effectus creaturæ; ergo ut viſio increata redderet hominem videntem neceſſe prorsùs eſſet, quòd diceret ad ipſum habitudinem cauſæ formalis, eique uniretur per modum formæ verè & propriè informantis. Minor eadem probatur tertiò: Viſio increata non poteſt reddere hominem videntem, ſaltem quantum requiritur ad formalem beatitudinem, niſi uniatur ei vitaliter, alioqui homo etiam dormiens, etiam ſe habens ut inſtrumentum inanime reddi poſſet viſione increata videns & beatus; atqui non poteſt uniri vitaliter, niſi uniatur per modum formæ

29. verè & propriè informantis, nam forma vivificans, ſeu ſe vitaliter uniens in actu primo, debet eſſe verè & propriè informans, ut patet ex eo, quod anima rationalis, non Angelus poteſt vivificare corpus, quia illa, non Angelus uniri poteſt corpori ut forma verè & propriè informans; ergo à fortiori debet eſſe verè & propriè informans forma in actu ſecundo vivificans, ſeu ſe uniens vitaliter ut vita in actu ſecundo, ſicuti unitetur viſio increata reddens hominem videntem & beatum, quæ propterea nequit ità uniri, niſi hominem ejuſque intellectum verè & propriè informet.

Forma vivificans nõ poteſt non informare.

Ex his habetur, cur divina eſſentia poſſit creato intellectui uniri intentionaliter reddendo ipſum proximè potentem intelligere, divina ſubſiſtentia poſſit uniri creatæ naturæ ſubſtantialiter reddendo ipſam ſubſiſtentem; increata autem viſio non poſſit creato intellectui uniri vitaliter reddendo ipſum beatum & videntem? Ratio ſcilicet diſparitatis eſt, quia ut hucuſque probavimus, hæc tertia unio neceſſariò importat rationem formæ informantis, non ſic duæ priores; in primæ enim unione divina eſſentia ſe habet ut forma repræſentativa, in ſecunda divina ſubſiſtentia ſe habet ut forma terminativa; repræſentare autem intentionaliter, & ſubſtantialiter terminare, optimè habetur abſque informatione, ſicut in propriis locis explicatur; at vivificare & reddere videntem, quando provenit à forma diſtincta (quod dixerim ad innuendam rationem, cur viſio increata abſque informatione reddat videntem Deum, & nequeat abſque informatione reddere videntem creaturam?) impoſſibile eſt quod habeatur abſque informatione ex doctrina ſuperiore; quæ propterea efficax eſt non ſolùm ad probandum aſſertum, sed etiam ad ſolvenda argumenta, quibus Adverſarij probant poſſe uniri creato intellectui increatam viſionem potiſſimùm ex eo, quòd poſſit creaturæ uniri increata eſſentia, increata ſubſiſtentia; adverto tamen non deeſſe pro hàc alias diſparitates, quas in tractatu de Incarnatione non diſſimulabimus, pro nunc contenti ſumus allata tanquam ſufficientiſſima, & hujus loci propriiſſima. 30.

Eluduntur argumenta contraria.

Aſſert. 2. Noſtra beatitudo formalis ſupernaturalis non conſiſtit in operatione aliqua producta à ſolo Deo. Ità D. Thomas *hic quæſt.* 3. *art.* 2. *in c.* Scotus *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. §. *ad quæſtionem ergo.* Vaſquez *hic diſput.* 9. *cap.* 3. Amicus *diſp.* 5. *ſect.* 5. *num.* 69. Oviedus *controv.* 2. *punct.* 6. *num.* 68. Salas *diſp.* 1. *ſect.* 4. *num.* 25. Arriaga *diſp.* 48. *ſect.* 2. Madernus *quæſt.* 2. *art.* 5. Gonet *diſp.* 3. §. 7. Herincx *diſp.* 5. *quæſt.* 3. Lauræa *in* 4. *tom.* 4. *diſp.* 16. *art.* 2. aliique Theologi communiter contrà Ochamum *in* 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *conc.* 2. Gabrielem *ead. quæſt. art.* 2. *conc.* 4. Marſilium *in* 3. *quæſt.* 10. *art.* 2. *conc.* 4. alioſque nonnullos Nominales, quorum opinionem errorem appellat Gonet *loco cit.* ob auctoritatem Concilij Tridentini *ſeſſ.* 6. *can.* 4. anathematizantis eos, qui dixerint liberum hominis arbitrium in ordine ad juſtificationem (eadem autem videtur eſſe ratio de glorificatione) *velut inanime quoddam nihil omninò agere mereque paſſivè ſe habere*; eamdem opinionem putant ſuſpectam in fide, & hæreſim ſapere Medina, Ovandus, Cajetanus, & Ferrarienſis apud Salas *ſect* 4. *præcit. num.* 26. ob auctoritatem Concilij Vienneniſis in verbis ſuprà relatis *num.* 22. Nihilominùs alij Doctores communiter ab omni abſtinent cenſura; & meritò, quia auctoritas Concilij Viennenſis non urget ob rationem ſuprà allatam *eod n.* 22. Auctoritas verò Concilij Tridentini, ſicuti quoad gratiã probat ſolùm ipſam eſſe à nobis diſpoſitivè, ità ad ſummum idem probat quoad gloriam, in ordine ad quam, ut homo in ſenſu per 31.

Noſtra beatitudo formalis non eſt operatio à Deo ſolo producta.

Rejicitur cenſura opinionis oppoſitæ.

Concilium

Concilium damnato non ſe habeat merè paſſivè, ſufficit quòd ad ipſam per actus meritorios ſe diſponat; & hinc patet obiter mox allata Tridentini verba exiguam etiam, aut nullam habere efficaciam contrà opinionem oppoſitam aſſerto præcedenti, cujus proptereà cenſuram ex Tridentino non probavimus.

Probatur aſſertum: Operatio, in quâ conſiſtit noſtra beatitudo formalis ſupernaturalis, eſt operatio, cui non repugnat à nobis produci; ergo de facto eſt operatio a nobis producta, non producta à ſolo Deo; antecedens probatione vix indiget, tùm quia talis operatio, ut deducitur ex doctrina præcedentis aſſerti, debet eſſe operatio creata, operationi autem creatæ repugnare non poteſt produci à creaturâ; tùm quia talis operatio vel eſt viſio Dei, vel fruitio; ſi ſit viſio patet ex ſupradictis *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. non repugnare ipſam à nobis produci; ſi ſit fruitio, cum ſit operatio ad viſionē conſequens & ejuſdem ordinis cum viſione, eadem erit ratio de ipſa ac de viſione. Conſequentia probatur ex una parte cōnaturalius eſt Deo operari ad extrà mediis cauſis ſecundis, quā per ſe ipſum immediatè; ex alia parte ſuavius eſt & deſiderabilius homini beari per operationem ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco productam, cum præſertim operatio, quâ beatur ſit vitalis, cui ſi minùs eſſentiale, ſaltem valdè congruum eſt non advenire ab extrinſeco, ergo cum de facto res eveniant ſecundùm modum Deo connaturaliorem & homini convenientiorem, ſentiendum eſt operationem, in quâ noſtra formalis beatitudo conſiſtit, de facto à nobis produci, ſi id ei non repugnat, neque aliunde conſtet produci à ſolo Deo.

Dices ſatis id aliunde conſtare, nimirùm ex verbis illis Pſalm. 85. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, ubi certè nomine gloriæ intelligitur noſtra formalis beatitudo, quam ſi Deus nobis dat eo modo, quo dat gratiam, utique dat, ipſam ſe ſolo producendo; ſicuti ſe ſolo producit gratiam, quam nobis infundit: Deinde bearemur aliquo bono creato, imò bearemur per nos ipſos, ſi bearemur beatitudine à nobis producta: ergo. Tandem beatitudo, prout de facto nobis conceditur, eſt præmium, atqui præmiū ſemper ab alio confertur & extrinſecùs advenit: ergo. Sed

32. Quomodò Deus det gloriam.

contrà: ad verba Pſalmi dico nihil cogere ad intelligendam nomine gloriæ beatitudinem formalem potiùs, quàm objectivam, quam rectè Deus dicitur nobis dare, dum ſe nobis in Patria per modum objecti intelligibiliter unit; permiſſo tamen, quod nomine gloriæ veniat beatitudo formalis, quamvis hanc Deus nobis non det eo modo, quo gratiam, utramque ſe ſolo producendo, dat tamen verè & propriè, quia dat nobis principia quibus illam producimus, eandemque nobiſcum producit nobis ſolum minùs principaliter comproducentibus. Ad illud, quod additur, dico aliquo bono creato non poſſe nos beari objectivè, bene tamen formaliter, per nos ipſos non poſſe nos beari ſimpliciter, totaliter ſcilicet producendo id quo beamur, bene tamen ſecundùm quid, illud quo beamur minùs principaliter comproducendo; in quo ſenſu poteſt ſine difficultate concedi quod homo beatificet ſe ipſum, ſicuti in eodem ferè ſenſu dici poteſt quod ſe ipſum ſanctificet juxtà illud 1. Ioan. 3. *Qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe.* Ad ultimum dico minorem veram eſſe de præmio ſumpto objectivè, falſam de præmio ſumpto formaliter pro ipſa præmij conſecutione, beatitudo autem noſtra formalis eſt præmium ſumptum formaliter, ideò &c.

Quomodò homo beatificet ſe ipſum.

Quomodò præmiū debeat eſſe ab extrinſeco.

Aſſert. 3. Beatitudo noſtra formalis ſupernaturalis neque etiam de potentia abſoluta poteſt conſiſtere, aut in viſione increata Dei nobis communicata; aut in operatione aliqua in nobis à ſolo Deo producta. 33.

Prima aſſerti pars eſt communiſſima, nec ſpeciali indiget probatione, cum ipſam & ſuadeant à fortiori argumenta afferenda in probationem ſecundæ partis, & omninò evincant argumenta jam allata pro primo aſſerto.

Repugnat ſimpliciter nos beari viſione increata.

Secunda aſſerti pars eſt D. Thomæ locis infrà afferendis Goneti *hic diſp.* 3. §. 7. *n.* 40. Vaſquij *diſp.* 9. *cap.* 5. Maderni *q.* 2. *art.* 5. *n.* 5. Amici *diſp.* 2. *ſect.* 5. *n.* 81. & aliorum plurium contrà Scotum *in* 3. *diſt.* 13. *q.* 4. §. *Ad tertiam quaſtionem* & *quodlib.* 15. §. *Sed hic ſunt* Herincx *hic diſp.* 2. *q.* 3. *num.* 14. Salas *tract.* 2. *diſput.* 2. *ſect.* 4. *num.* 27. Arriagam *diſp.* 48. *ſect.* 2 *num.* 13. Vegam *lib.* 6. *in Trident. c.* 8. Soncinatem 9. *metaph. q.* 10. *ad* 4. quibus aliqui addunt Capreolum *in* 2. *diſtinct.* 37. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 1. Cajetanum 1. *p. q.* 26. *art.* 3. & 1. 2. *q.* 29. *art.* 1. Ferrarienſem 3. *contrà Gentes, cap.* 54. §. *ad primum in ſolut.* 4. Molinam 1. *p. q.* 12. *art.* 2 *diſp.* 1. *conc.* 3. Verùm hi Auctores concedunt quidem Deum poſſe ſe ſolo producere viſionem & alios actus vitales, at dumtaxat in ratione qualitatis ſeu entitatis mortuæ, non in ratione actionis vitalis, ſub quâ tamen ſola ratione viſio aut fruitio Dei ſunt noſtra formalis beatitudo, unde quoad punctum beatitudinis formalis à ſolo Deo producibilis pro nobis non contrà nos ſtant; potiùs crediderim poſſe inter ſtantes contrà nos recenſeri Richardum *in* 4. *diſt.* 49. *art.* 3. *q.* 1. Paludanum *ibid. q.* 1. *art.* 3. Alliacenſem *in* 1. *q.* 2. *art.* 1. qui probabilem cenſent opinionem ſuprà relatam pro beatitudine formali de facto in nobis à ſolo Deo producta, adeoque ſatis indicant ſe non exiſtimare id repugnans. 34.

Probatur ſecunda aſſerti pars primò ex D. Thoma q. 4. de veritate, art. 2. ad 5. *In nobis dicere non ſolum ſignificat intelligere, ſed intelligere cum hoc quod eſt exprimere aliquam conceptionem, nec aliter poſſumus intelligere niſi hujuſmodi conceptionem exprimendo.* 2. 2. q. 23. art. 2. in c. *Non enim motus charitatis ità procedit à Spiritu ſancto movente humanam mentem, quod humana mens ſit mota tantùm, & nullo modo principium movens*, & de hoc nonnullis interpoſitis ait *quod implicat contradictionem.* 3. p. q. 9. art. 1. 35.

ad 1. *Dei intelligere eſt ſua ſubſtantia, unde hic actus non potuit eſſe anima humana Chriſti, cum ſit alterius naturæ*: ex quibus locis apertè colligitur juxtà mentem S. Doctoris operationes vitales, de quarum numero eſt operatio, in quâ noſtra formalis beatitodo conſiſtit, nullatenùs poſſe à ſolo Deo produci.

36. Probatur eadem ſecunda psrs ſecundò ratione: Operatio, in qui noſtra formalis beatitudo conſiſtit, debet eſſe vitalis formaliter & in actu ſecundo, adeò ut ſit exercitium vitæ, & per ipſam beatus in actu ſecundo vivat; atqui operatio hoc modò vitalis neque etiam de potentia abſoluta poteſt in nobis produci à ſolo Deo; ergo noſtra beatitudo formalis, neque etiam de potentia abſoluta, poteſt conſiſtere in operatione, &c. Major jam ſupponitur aliqualiter probata ex ſupradictis *n.* 29. & magis patebit ex infrà dicendis: Minor probatur, formale exercitium vitæ non poteſt eſſe purè ab extrinſeco, & quoties non eſſet eſſentiale viventi habere actum ſecundum vitæ non ſolùm in ſe, verùm etiam à ſe; non ſolùm intrinſecum, verùm etiam ab intrinſeco, nullus ſupereſſet legitimus modus diſtinguendi viventia à non viventibus, operationes formaliter vitales à non formaliter vitalibus: ergo.

Dices: Intelligere eſt exercitium vitæ, & intelligens in actu ſecundo vivit, & tamen intelligere non importat oriri ſeu activè eſſe ab intelligente, cum D. Thomas 1 *part. q.* 34. *art.* 1. *ad* 3. ità habeat *intelligere importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in quâ null ratio originis importatur*; & Ariſtoteles 3. *de animâ* abſolutè
37. doceat *quòd intelligere eſt quoddam pati*. Sed contrà: Intelligere duplicem importat habitudinem alteram ad rem intellectam, alteram ad intelligentem; ſecundùm illam, intelligere nullam importat rationẽ originis, nec aliud probant relata verba; ſecundùm iſtam, importat rationem originis omninò eſſentialiter, & id evincunt ejuſdem S. Doctoris auctoritates ſuprà adductæ *num.* 25. Neque dicas hanc habitudinem ad intelligentem malè cohærere cum ills particula exclusivs *ſolam habitudinem ad rem intellectam*: Contrà enim illa particula excluſiva *ſolam* ponitur ad excludendam habitodinem ad verbum, ſeu ad terminum productum, non sd excludendam habitudinem ad intelligentem, ſeu ad principium producens, ut facilè conjici poteſt ex contextu verborum præcedentium & ſubſequentium. Ad Ariſtotelem dico ipſum loqui de intelligere non formaliter, ſed præſuppoſitivè ſumpto, quâ ratione dicitur quoddam pati, quia ſupponit receptionem ſpeciei in intellectu, & ipſius ab objecto actuationem in eſſe intelligibili.

Quomodò intelligere ſit quoddã pati.

38. Probari hic ulteriùs poſſet eadem ſecunda pars argumento deſumpto ex doctrina Complexiſtarum, juxtà quos viſio formaliter conſiſtit in complexo principij videntis & objecti viſi; repugnat autem complexum hominis videntis eſſe complexum hominis merè paſſivè ſe habentis, in ò eſſe complexũ ex Deo viſionem producente. Evidentiùs hinc probatur non poſſe beatum videre Deum viſione increata, quia complexum Dei videntis & Dei viſi non diſtingueretur à complexo hominis videntis & Dei viſi, quod æquè impoſſibile eſt, ac ſit impoſſibile non diſtingui hominem à Deo. Diſplicet tamen uti hoc argumento, quia principium, quo nititur, eſt minùs certum, & minùs communiter admiſſum, quàm id quod infertur.

Argumentũ Complexiſtarum in præſenti nõ arridet.

Probari inſuper poſſet argumentis deſumptis ab univerſali, & communi ratione actus vitalis, cui eſſentiale prorsùs ſit eſſe affixum uni determinato tùm principio tùm ſubjecto adeò, ut ſimpliciter repugnet ipſum produci aut à principio extraneo in ſubjecto etiam ſibi connaturali, aut à principio etiam ſibi connaturali in ſubjecto extraneo, quomodocumque ſumatur vitalis actus aut ſcilicet in ratione actionis aut in ratione qualitatis; quæ quidem duæ rationes, aut malè ſupponuntur in actu vitali, aut ſaltem ſunt omninò inſeparabiles, nec minùs contradictionem implicat actus vitalis qui non ſit exercitium vitæ ſeu quo quis exercitè non vivat, quàm relatio quæ non ſit exercitium referendi, unio quæ non ſit exercitium uniendi, motus qui non ſit exercitium movendi. Hæc omnia mihi veriſſima ſunt, ut ſpecialiter attigi *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 26. & aliis in locis inſinuatis ſuperiùs *num.* 25. diſplicet tamen ea in præſenti proferre, quia nec id neceſſarium eſt, cum aliunde fuerit ſufficientiſſimè probatum aſſertum, nec noſtro inſtituto accommodatum, cum philoſophica ſint & Theologo extranea, licèt hic luculenter tractentur ab Amico *diſp.* 5. *sect.* 5. *per totam*. 39.

Propria ratio & eſſentia actus vitalis.

Porrò, ſicuti ne Philoſophica huc transferam mitto argumenta, quæ pro nobis formari poſſent ea communi ratione actus vitalis, ità eodem jure prætereo ea, quæ poſſent contrà nos urgeri ex eadem communi ratione actus vitalis, cui contendunt Adverſarij non repugnare produci ſaltem in ratione qualitatis à ſolo Deo, eo quòd præſertim vitales actus Deus contineat non minùs, quàm cæteros quoſcumque effectus creatos: Verùm ea hac continentia nequis inferri, quòd ſint à Deo producibiles aliter, quàm petant ex eſſentia ſua produci. Non eſt tamen negandum dari operationes quaſdam materialiter, & ſecundùm quid ſimiles operationibus vitalibus producibiles modo non vitali etiam à ſolo Deo, ſicuti eaſdem modo non vitali ab Angelis producibiles aſſeruimus *tract.* 3. *c.* 4. §. 4. *n.* 39. at nihil inde contrà nos infertur, quia *ex eodemmet* §. 4. *n.* 35. conſtat diverſam eſſe rationem de actibus eſſentialiter ac formaliter vitalibus, cujuſmodi eſt is, in quo conſiſtit noſtra beatitudo formalis. 40.

Indicatur ſolutio ad argumenta contraria.

Ex dictis habetur neque Deum ſe ſolo poſſe formaliter beare creaturam creatura ipſa non operante, neque creaturam ſe ſola 41.

poſſe

Beatitudo formalis creaturæ neceſſariò pendet à creatura & à Deo.

poſſe formaliter beare ſe ipſam Deo non concurrente, imò per modum cauſæ principalioris non ſe habente: Ex primo capite Auguſtino dicenti *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*, addi poſſet, *Nec beabit te ſine te*: ex ſecundo capite verificatur quod habet idem Auguſtinus 12. *de Civit. c.* 1. dicens *Quamvis non omnis creatura poſſit eſſe beata, ea tamen, quæ poteſt, non ex ſe ipſa poteſt, ſed ex illo à quo creata eſt*: Auguſtino conſonat Ambroſius 2. *offic. cap* 1. dicens, *Vitam æternam præſtare non poteſt, niſi Auctor æternitatis*.

§. III.

Vtrùm beatitudo formalis ſupernaturalis conſiſtat in aliquo habitu, aut in aliqua alia perfectione quæ operatio non ſit: Vbi de unione hypoſtatica.

42\. Beatitudo formalis non conſiſtit in aliquo habitu.

ASSERT. 1. Beatitudo formalis ſupernaturalis non conſiſtit in aliquo habitu. Ita omnes Auctores infrà afferendi pro beatitudine in actu intellectus, aut voluntatis, collocanda, & præſertim (hi enim Auctores ſub propriis terminis rem definiunt) Salas *hic tract. diſp.* 2. *ſect.* 3. Gonet *diſp.* 3. *art.* 1. §. 5 Gabriel à S. Vincentio *diſput.* 2. *dub.* 2. Herincx *diſp* 2. *q* 2. *num.* 10. aliique communiter contrà Bonaventuram *in* 4. *diſtinct* 49. *q.* 1. *ad* 5. ubi vult beatitudinem conſiſtere in habitu principaliùs, quàm in actu: item contrà Henricum locis ſupracitatis §. 1. docentem illapſum, in quo ipſe formalem beatitudinem conſtituit, fieri potiſſimùm mediis habitibus ſupernaturalibus & infuſis.

Probatur primò: Beatitudo formalis non poteſt conſiſtere in aliquo, quod non ſit vita; atqui non datur aliquis habitus, qui ſit vita; ergo beatitudo formalis non poteſt conſiſtere in aliquo habitu: Minor patet, quia habitus ſunt qualitates ab extrinſeco advenientes, aut ſaltem quibus non repugnat ab extrinſeco advenire, & quæ non ſolùm non tribuunt vivere in actu ſecundo, ſed nec habent rationem principij vitalis, ſeu vitæ in actu primo, cum ad actus ſuos modo vitali non concurrant. Major probatur tùm aucto-

43\. Quod ſit vita oſtenditur auctoritate.

ritate Scripturæ in quâ ſæpiſſimè noſtra beatitudo vitæ & vitæ æternæ nomine exprimitur ut Matth. 19. *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam: Si vis in vitam ingredi ſerva mandata*: Luc. 18. *& in ſæculo futuro vitam æternam*: Ioan. 3. *Qui credit in filium habet vitam æternam*, nec operæpretium eſt plures ſimiles textus referre, cum facilè obvij eſſe poſſint cuicumque leviter etiam

Et ratione.

evolventi paginas novi Teſtamenti: Tùm ratione, eſt enim maximè contrà ipſum naturæ lumen dicere beatum & felicem hominem otiantem prorsùs & dormientem; cum ſomnus & otium ſit calamitas potiùs quàm felicitas, unde Ariſtoteles *lib.* 12. *metaph. c.* 6. ſcripſit: *Dicimus felicitatem habitum non eſſe, ineſſet enim dormienti, & in calamitatibus maximè conſtituto.* Deinde ex ſæpiùs dictis beatitudo formalis nihil eſt aliud, quàm adeptio beatitudinis objectivæ, quàm conſecutio ultimi finis & ſummi boni, adeptio autem hujuſmodi & conſecutio eſt operatio & actio ab intrinſeco proveniens, reſpectu creaturæ rationalis, cui proprium eſt ſe ipſam in finem agere, non in finem agi; cum igitur operatio, ſeu actio proveniens ab intrinſeco vita ſit, neceſſe eſt beatitudinem formalem non poſſe conſiſtere in aliquo, quod non ſit vita.

Dices eludi totum argumentum, ſi dicatur auctoritates & rationes adductas aut procedere de beatitudine formali in actu ſecundo, non de beatitudine formali in actu primo; aut ipſas probare quidem beatitudinem formalem non conſiſtere in ſolo habitu, at non convincere quòd non conſiſtat in habitu ſimul & actu, ſeu in habitu ut habente adjunctum actum. Sed contrà: pri- 44.
mum effugium huc revocat doctrinam jam ſuprà improbatam §. 1. *num.* 13. *&* 14. hic verò ſpecialiter impugnatur ex eo, quòd cũ Scriptura & ſancti Patres nunquam meminerint beatitudinis in actu primo gratis inducitur talis beatitudo, ipſamque afferre pro ſolutione argumenti probantis beatitudinem ſitam eſſe in ſolo actu ſecundo eſt ſupponere & afferre pro ſolutione id, quod eſt in quæſtione. Secundũ effugium impugnatur, quia habitus, in quantum habet adjunctũ actum, non poteſt dici beatitudo niſi quatenùs eſt cauſa actus, quo acquiritur beatitudo objectiva, at hac ratione potiori jure collocaretur beatitudo formalis in potentia, quàm in habitu: Deinde non eſt hic ſermo de ſtatu beatifico, qui poteſt in plurium perfectionum collectione conſiſtere, ſed de forma beatificante, quæ meliùs ſtatuitur in aliquo uno & ſimplici, quàm in pluribus ut patebit *ex cap. ſequenti*, §. 1. ubi probabitur formalem beatitudinem non conflari ex pluribus actibus.

Beatitudo formalis non conſiſtit in habitu ſimul & actu.

Probatur ſecundò. Si beatitudo formalis conſiſteret in aliquo habitu, maximè in habitu luminis gloriæ, utpotè qui ſolus in nullo viatore reperitur, propriuſque eſt ſtatus beatifici; ſed non conſiſtit in habitu luminis gloriæ ergo: Minor probatur, tùm quia habitus luminis *ex tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 3. *num.* 15. eſt diſpoſitio ad formam ulteriorem, diſpoſitio autem ex genere ſuo relinquit ſubjectum in ſtatu imperfecto, ipſumque non ultimò complet, non ultimò ſatiat; tum quia qui haberet viſionem ſine lumine gloriæ Deum poſſideret & eſſet beatus, non ſic qui haberet lumen gloriæ ſine viſione: ergo. 45.

Non conſiſtit in habitu luminis gloriæ.

Dices: *ex eod. c.* 3. *num.* 45. lumen gloriæ eſt quid perfectius viſione, ergo magis ſatiat, magis complet appetitum quàm viſio, & potiùs dicendus foret beatus qui haberet lumen ſine viſione, quàm qui viſionem ſine lumine. Sed contrà: Scio quidem majo- 46.
rem perfectionem luminis ſuprà viſionem

aſſe

eſſe potiſſimum Adverſariorum fundamentum, & eos, qui in præſenti nobiſcum ſentiunt, utplurimùm aſtruere viſionem perfectiorem lumine, ut expreſſis terminis docet Salas *ſect.* in aſſerto *præcitatâ num.* 20. Gonet §. pariter *præcit. num.* 29. & §. *ſeq. num* 36. Gabriel à S. Vincentio *dub. præcit. num.* 28. Nihilominùs admitto abſolutè, in ratione ſcilicet entis ſeu qualitatis lumen gloriæ eſſe perfectius viſione; at non propterea eſt viſioni præferendum in ratione beatificativi, quia eſſe beatificativum & ſatiativum appetitus attenditur non penes perfectionem in linea qualitatis ſeu entis, ſed penes perfectionem in linea aſſecutionis ſummi boni, & vitalis attingentiæ ultimi finis, in quâ linea à viſione lumen exceditur.

Lumen gloriæ eſt perfectius viſione entitativè, nõ beatificativè.

47. Aſſert. 2. Beatitudo formalis ſupernaturalis non conſiſtit in unione hypoſtatica: Hoc aſſertum quatenùs procedit univerſaliter de beatitudine aliorum à Chriſto extrà controverſiam omnem eſt, ſicuti extrà controverſiam eſt, quod alij à Chriſto nec in via, nec in patria aſſumantur ad unionem hypoſtaticam; quatenùs verò ſpecialiter procedere poteſt de beatitudine Chriſti Domini eſt contrà nonnullos memoratos ab Oviedo *hic controv.* 2. *punct.* 5. *n.* 47. contrà quos aſſertam veritatem tradunt Theologi communiſſimè *in tract. de Incarnat.* eandemque hic attingunt Oviedus *punct. cit.* Vaſquez *diſp.* 8 *n.* 14. Amicus *diſput* 2. *num.* 48. Salas *diſp.* 2. *n.* 23.

Beatitudo formalis non conſiſtit in unione hypoſtatica.

Probatur primò ratione ſuprà indicata *n.* 13 ex eo quod nimirum beatitudo formalis, ſi conſiſteret in unione hypoſtatica, convenire poſſet naturæ etiam irrationali. Improbat hoc argumentum Oviedus *punct. præcit. n.* 51. dicens unionem hypoſtaticam cum natura non rationali fore ſpeciei diverſæ ex vi cujus ſicuti natura irrationalis moraliter non ſanctificaretur ità nil mirum quod etiam non bearetur. Nihilominùs adhuc argumentum habet vim, ſaltem ad probandum unionem hypoſtaticam ex genere ſuo, & ut eſt unio hypoſtatica præciſe, non eſſe formalem beatitudinem: Deinde quod dicitur unionem hypoſtaticam cum naturâ non rationali fore diverſæ ſpeciei, impugnatur primò ex eo quòd ſequeretur fore etiam diverſæ ſpeciei duas uniones hypoſtaticas, quarum una fieret cum humanâ, altera cum Angelicâ naturâ; adeoque natura humana & Angelica hypoſtaticè aſſumptæ beatitudinem ſpecie diverſam ſortirentur: Secundò quia, cum ex diverſitate ſpecifica intellectuum non diverſificentur ipſorum actus ſupernaturales ut colligitur *ex tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 6. *num.* 9. à pari ex diverſitate ſpecifica naturæ ſecundùm ſua naturalia acceptæ non videtur haberi poſſe diverſitas ſpecifica hypoſtaticæ unionis.

48. Vniones hypoſtaticæ cum naturis ſpecie diverſis non differunt ſpecie.

Probatur ſecundò: Vnio hypoſtatica non eſt vita in actu ſecundo, neque vitalis conſecutio ſummi boni; atqui ut mox probabatur *n.* 43. beatitudo formalis debet eſſe vita in actu ſecundo, & vitalis conſecutio ſummi boni: ergo.

Dices: per unionem hypoſtaticam poſſidetur natura divina, & ſummum bonum, perfectiùs, quàm poſſideri poſſit per ullam creatam operationem: ergo ſi per creatam operationem, quatenùs poſſeſſivam ſummi boni, habetur formalis beatitudo, habebitur hæc multo magis per unionem hypoſtaticam. Sed contrà: Poſſeſſio divinæ naturæ per identitatem eſt adhuc perfectior, quàm poſſeſſio ejuſdem per unionem hypoſtaticam, & tamen per illam Deus non eſt formaliter beatus; ergo nec per iſtam creatura. Poſſeſſio igitur ſummi boni quæ beatitudinem formalem conſtituit, debet eſſe perfectiſſima, non in genere unionis, ſed in genere vitæ, in quo genere operatio unioni hypoſtaticæ præcellit.

49. Solvitur potiſſimum Adverſariorũ fundamentum.

Probatur tertiò: Beatitudo formalis eſt perfectio ſuppoſiti potiùs, quàm naturæ; aut ſaltem debet poſſe convenire ſuppoſito, non ſoli naturæ; ſed unio hypoſtatica eſt perfectio naturæ, non ſuppoſiti, & ſoli creatæ naturæ, nulli creato ſuppoſito formaliter convenire poteſt: ergo in ipſa non conſiſtit, &c.

Aſſert. 3. In nulla prorsùs perfectione, quæ operatio non ſit, conſiſtere poteſt beatitudo formalis. Eſt aſſertum conſequens ad aſſerta hucuſque poſita, &

50. Beatitudo formalis non poteſt conſiſtere in aliquo, quod non ſit operatio.

Probatur, imò colligitur ex hucuſque dictis; nimirùm ex eo quòd beatitudo formalis eſſentialiter ſit vita in actu ſecundo, hæc autem in perfectione, quæ operatio non ſit, non ſalvatur: item ex eo quòd non habeatur formalis beatitudo per unionem hypoſtaticam, quæ tamen eſt procul dubio maxima perfectio creaturæ communicabilis in genere perfectionũ, quæ operatio non ſunt. Et certè hinc habetur validiſſimum argumentum contrà habitum gratiæ in particulari, ſi enim gratia unionis quæ tribuit ſanctificationem infinitam & conjunctionem ſubſtantialem cum divina natura, adhuc formaliter non beat; quonam modo beabit gratia habitualis tribuens ſolùm finitam ſanctificationem, & accidentalem cum divina natura conjunctionem?

Ex dictis in totius hujuſce capitis progreſſu efficaciter remanet probatum, & manifeſtè oſtenſum, formalem creaturæ beatitudinem eſſentialiter eſſe operationem vitalẽ immanẽter & vitaliter à creatura productam: Vlteriùs jam procedendo examinandum eſt, quænam ſit talis operatio; & quidem ne in iis, quæ faciliima ſunt inutiliter hæreamus, certum eſt talem operationem non eſſe operationem partis ſenſitivæ, utpotè quæ non poteſt Deum attingere ſeu circà Deum verſari, qui tamen ſolus eſt noſtra vera beatitudo objectiva: Accedit quòd nomine beatitudinis venit ſumma & perfectiſſima hominis felicitas; quis autem dicat hanc ei convenire ſecundùm inferiorem, ignobiliorem, infelicioremque ipſius partem, & ſecundùm operationem brutis communem? Stet igitur operationem, in quâ eſſentialiter formalis beatitudo conſiſtit, eſſe operationem ſolius partis ſuperioris intel-

51. Neque in operatione partis ſenſitivæ.

lectum & voluntatem complectentis, & ut definiatur ad intellectum ne, an ad voluntatem pertineat? ſit

CAPUT II.

In quanam operatione intellectus, aut voluntatis beatitudo formalis ſupernaturalis conſiſtat?

1\. NOTARUNT optimè *Gabriel, Ocham*, & *Major*; & poſt ipſos Suarez *hic diſput.6. ſect.3. n.5.* Valquez *diſp.10. c.2. n.8.* Salas *tract. 2. diſp.2. num.35.* Oviedus *controv. 2. punct.7. n.80.* Arriaga *diſp.49. n 1.* plures Theologos ſub hoc titulo de nomine potiùs, quam de re diſſidere, eo quòd re ipſa omnes conveniant ad beatitudinem tùm intellectum, tùm voluntatem concurrere, & beatum quemlibet habere circà Deum actum viſionis, actũ amoris, actum fruitionis & gaudij; nec poſſit de hoc dubitari, cum perſpicuũ ſit debere animam ex vi beatitudinis quoad omnes ſuas potentias perfici & compleri: Vnde quod aliqui deinde beatitudinem in ſola operatione intellectus, aliqui in ſola operatione voluntatis, aliqui in utraque collocent, provenit vel ex diverſo modo ſumendi beatitudinem, vel ex diverſitate explicandi modum operandi intellectus & modum operandi voluntatis in ordine ad finis conſecutionem & poſſeſſionem, in quibus irrepere facilè poteſt aliquid quæſtionis de nomine; ut huic incõmodo aditũ præcludamus, præmittemus explicationem eorum, quæ ut mox attigimus eſſe poſſunt occaſio altercationis vocalis; ſicque remanebit ſolùm locus difficultati formali, metaphyſicæ, & Theologo dignæ, apparebitque ex diſputantium vitio, non ex conditione materiæ, quæ diſputatur, graviſſimam, & magnis Theologorum conatibus agitatam controverſiam declinare aliquando in levem quæſtionem de nomine.

Hæc quæſtio ex diſputantium, non ex materiæ diſputatæ vitio evadere poteſt de nomine.

2\. Præmitto igitur primò beatitudinis nomen ſignificare poſſe tùm ſtatũ, tùm eſſentiam beatitudinis; ſtatus beatitudinis dici etiã poteſt beatitudo ſumpta integraliter, eſſentia beatitudinis beatitudo ſumpta eſſentialiter. Beatitudo ſumpta integraliter continet quidquid ſpectat ad beatitudinis perfectionem & complementum, quidquid in ſtatu beatifico, animæ imò etiam corporis, aut ſubſtantiam aut etiam potentias, complet & perficit; hac ratione negari non poteſt, quin ex actibus intellectus & voluntatis, imò etiam potentiarum materialiũ beatitudo conſurgat. Beatitudo ſumpta eſſentialiter eſt ratio illa formaliſſima, ad quam tanquam ad radicẽ conſequuntur omnes aliæ perfectiones beatificæ, & quà formalis beatitudo in ſe primò conſtituitur & diſtinguitur a perfectionibus non ſolùm non beatificis, verùm etiam ab iis, quæ inter beatificas ſecundariæ ſunt, & ſe habent ut proprietates, paſſiones, vel effectus, non ut ratio ſimpliciter prima & formaliſſima beatitudinis. Porrò in præſenti ſermo eſt de beatitudine hoc ſecundo modo acceptâ, quo modo in indiviſibili conſiſtit, ſicuti alterius cujuſlibet rei eſſentia, nec duplex eſſe poteſt; unde diſplicent qui in hac quæſtione duplicem formalem beatitudinem diſtinguentes unã uno, aliam alio actu conſtituunt, ſic diſplicet primò Scotus *in 4. diſt. 49. q. 3. §. ad quæſtionem* dicens poſſe diſtingui de beatitudine naturæ, & de beatitudine potentiæ, illam conſiſtere in operatione unicâ, iſtã in pluribus operationibus, in tot ſcilicet quot ſunt potẽtiæ beatificabiles. Diſplicet ſecundò Paludanus *in 4. diſt. 49. q. 3. art. 2.* diſtinguens beatitudinem in contemplativam & activam; illamque collocans in actu intellectus Deum contemplantis, iſtam in actu voluntatis Deum diligentis.

Status beatitudinis, ſeu beatitudo ſũpta integraliter quid?

Eſſentia beatitudinis, ſeu beatitudo ſũpta eſſentialiter quid?

Præmitto ſecundò non eodẽ modo poſſideri rem ſpiritualẽ & rẽ corporeã: tunc enim dicitur quis rem aliquam poſſidere, quando ità acquiſivit & ità in poteſtate ſua habet, ut ex ea poſſit ſibi ſumere omne commodum, omne emolumentum, omne oblectamentum, quod poteſt ex tali re convenienter haberi; licèt autem res corporea actione etiã corporea ità acquiratur, ut poſſit quis congruã ex ea tùm utilitatem tùm jucunditatẽ percipere, res tamen ſpiritualis ſolùm actione ſpirituali poteſt ità acquiri & poſſideri, ut quis eam quodãmodò habeat in ſua poteſtate in ordine ad gaudendũ de ipſa, eadẽque ſruendum in ſe ipſa; nõ enim hic loquimur de poſſeſſione quodammodò phyſicâ, quæ haberi poteſt per identitatẽ aut per phyſicam unionem; ſed de poſſeſſione quodammodò morali & vitali; quæ certè haberi ſolùm poteſt per actionem aliquã & quidem vitalem, actione verò vitali corporeâ attingi non poſſe rem ſpiritualẽ oſtenſũ eſt *tr. 1. lib. 2. c. 8. §. 4. & 5.* Hinc conſequens eſt ſola aut intellectus aut volũtatis operatione ſpirituali poſſe acquiri & poſſideri, cuinã deinde ſingillatim debeat hæc prærogativa concedi mox ſubjicio explicando, quantùm res hæc poſtulat, modum operandi utriuſque potentiæ. 3.

Res ſpirituales, & res corporeæ diverſimodè poſſidentur.

Intellectus eſt potẽtia apprehenſiva, quæ attingendo objectũ trahit ipſum ad ſe & ponit ipſũ in ſe, imò accõmodat ipſũ ſibi juxtà D. Thomam *1. p. q. 12. art. 4. in c.* dicentem *cognitũ eſt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis*: quæ omnia exprimunt attingentiã acquiſitivam & poſſeſſivã, ſicuti enim rem corporaliter apprehẽdere, ad ſe trahere, in ſe ponere, imò etiam ſibi, id eſt propriæ capacitati proprioque operandi modo, accõmodare, eſſet ipſam corporaliter poſſidere, ità illa eadem præſtare ſpiritualiter, ſicuti ſpiritualiter præſtantur ab intellectu circà ſuum objectũ, erit utique ſpiritualiter rem, circà quam, tanquam circa objectum, iſta ſpiritualiter præſtantur, poſſidere 4.

Modus operandi intellectus.

Voluntas, quemadmodũ etiam attigimus 5.

Modus operandi voluntatis.

tr.2.lib.1.c.4.§.8. eſt potentia appetitiva quæ attingendo objectũ producit impulſum, quo ſe in objectũ movet & ab objecto trahitur potiùs, quàm objectũ trahat; ſe quodãmodò in objecto ponit, quia anima magis eſt ubi amat, quàm ubi animat, ſe objecto accõmodat, quia voluntas per amorẽ transformatur in rem amatã juxtà D. Dionyſiũ *c.4. de div. nom.* dicentẽ *Dimovet etiam de ſtatu divinus amor, nec ſuos eſſe amantes patitur, ſed eorum etiam, quæ amantur.* Accedit quod voluntas attingit objectũ ſuũ ſub ratione finis, cujus propriũ eſt quod ad ipſum cætera moveantur, ad ipſum cætera ordinentur, non ipſe ad cætera: Quæ omnia evincunt voluntatem attingere objectũ ſuum non acquirendo ipſum & poſſidẽdo; ſed potiùs itant ipſa ab objecto ſuo acquiratur & poſſideatur. Facit hic etiã ad rem illud quod *§. præcit.* attulimus ex Ariſtotele dicente verum eſſe in mente, bonum in rebus; objectum ſcilicet intellectus recipi in intellectu, objectum voluntatis recipere potiùs in ſe voluntatem.

Præmitti hic inſuper poſſet quid ſentiendum de perfectione intellectus ſuprà voluntatem, vel voluntatis ſuprà intellectũ, & conſequenter de operatione ſimpliciter perfectiſſimâ, intellectus ne ſit, an voluntatis? Sed

6. quia res hæc nec Theologica eſt, nec ad præſens inſtitutũ neceſſaria, in ea non immoror: Non eſt inquam ad præſens inſtitutũ neceſſaria, quia cum non ſit de conceptu beatitudinis eſſe ſummam beati perfectionẽ, ut evincitur in Chriſto Domino, cujus certè ſumma perfectio eſt unio hypoſtatica, in quâ tamen beatitudo non conſiſtit; parùm refert ſcire, quænam ſit operatio ſimpliciter perfectiſſima? in ordine ad definiendum, quænam operatio ſit beatitudo formalis, & aliunde, quàm ex puro abſolutæ perfectionis exceſſu uni operationi præ alterâ cõcedenda eſt prærogativa beatitudinis formalis. Hæc igitur præmiſiſſe ſufficiat pro apparatu requiſito ad dirimendam præſentem controverſiam, & ad ſtatuendum, utrùm beatitudo formalis eſſentialiter ſumpta conſiſtat in unica an in pluribus operationibus; & ſi in unica, in quanam determinatè? Ideò ſit

Beatitudo formalis poteſt non eſſe ſumma perfectio beati.

---

§. I.

Utrùm beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta conſiſtat in unica operatione; an in pluribus?

7. ASSERT. Beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta conſiſtit in unica operatione: Ità Auctores referendi *in tribus ſequentibus §. §.* pro beatitudine vel in ſolo actu amoris, vel in ſolo actu gaudij, vel in ſolo actu viſionis collocanda cõtrà Bonaventuram *in 4. diſt. 49. art.1. q.4. & 5.* ubi non ſolùm docet beatitudinẽ cõſiſtere principaliùs in habitu, quàm in actu, ut ſuprà retulimus *c.1.§.3.* ſed etiam quatenùs conſiſtit in actu requirit actum utriuſque potentiæ intellectus ſcilicet & volũtatis: Item contrà Hugonem à S. Victore *in 7. cap. Dionyſij* docentem beatitudinẽ conſiſtere in lumine per quod Dei viſionem, & in dulcedine, per quam Dei amorem, intelligit: Inſuper contrà Alenſem *3. p. q.23. memb.1. ad 1.* aliosque plures ex antiquis; ex recẽtioribus verò contrà Suarez *hic diſp.7. ſect.1. conc.3.* Valentiam *q.3. punct.4. §. Mihi.* Salas *tract.2. diſp.1. ſect.5. n.47.* Amicum *diſp.2. ſect.6. n.116.* Averſam *q.3. ſect.3.* Majoremque partem eorum, qui nec Thomiſticæ, nec Scotiſticæ ſcholæ addicti sũt, imò favet prædictis Auctoribus etiam Scotus, dum juxtà ſupradicta *n.2.* beatitudinem potentiarum, quamvis non naturæ, in pluribus actibus collocat, unde etiã Lauræa ſequens ſui Doctoris veſtigia exiſtimat principaliùs quidem, at non totaliter in unico actu poſſe beatitudinẽ collocari, additque (verba ſunt Lauræa *in 4. tom.4. diſp.16. art.4. n.70.*) quod licèt ante Benedictum XII. & tempore Scoti, qui per annos circà triginta eum præceſſit, hoc dubium proponeretur ſic; an beatitudo conſiſtat eſſentialiter in actu intellectus vel voluntatis? poſtquã tamen præfatus Pontifex definivit, quòd *ex viſione & fruitione Dei animæ ſunt verè beatæ*, & conſequenter, quòd ad veram beatitudinẽ utraque hæc operatio ſit neceſſaria, non poteſt ampliùs de hoc dubitari; ſed ſolùm reſtat dubitandum ac diſcutiendum, in quonam illorum actuum principaliùs conſiſtat? idque ante Lauræam tradiderant etiam Argentinas, Corduba, Vega, aliique apud Amicum *præcit. n.116.*

Beatitudo formalis ſumpta eſſentialiter conſiſtit in unica operatione.

Verùm hi Auctores nimium pro ſe præſidium, nimium contrà nos præjudicium ex prædicta Benedicti XII. definitione arripiunt; ſicuti etiam nimis ſibi blandiuntur ex eo quòd in Catechiſmo Romano circà illa ſymboli verba, *Credo vitam æternam* ità ſcriptum ſit: *Solida beatitudo, quam eſſentialem communi nomine licet vocare, in eo ſita eſt, ut eum videamus eiuſque pulcritudine fruamur, qui eſt omnis bonitatis ac perfectionis finis & principium.* Enimverò mens Benedicti ſolùm fuit definire, quòd animæ juſtorũ ante diem judicij beatitudinem conſequantur, & verè beatæ ſint Dei viſione & fruitione, nullatenùs deinde decidendo, utrũ uterque actus ſpectet ad formaliſſimam beatitudinis eſſentiam, an unicus, adeò ut alter ſit ſolùm aut diſpoſitio, aut proprietas, aut integrale complementum: mens etiam Pij V. in Catechiſmo fuit ſolùm ſtatuere, quòd beatitudo eſſentialis utrumque actum requirat ac includat, non determinando deinde quid includat per modum formaliſſimæ eſſentiæ, quid per modum complementi aut proprietatis, idque jure optimò, quia quæſtiones purè metaphyſicas, qualis iſta eſt, ſolent ſummi Pontifices relinquere Theologis diſputandas, cum rerum quidditates perſcrutari ad ſcholaſtica ratiocinia pertineat, non ad fidei dogmata. Libenter hæc attigi, ut ante aſſerti probationem omnem ab ipſo removerem cenſuræ etiam leviſſimæ ſuſpicionem, ſimulque innuerẽ in tota hac controverſia, ut

Removetur ab aſſerto omnis cenſuræ ſuſpicio.

potè

potè metaphyſicâ prorsùs, non dogmaticâ, eſſe rationibus magis, quàm auctoritatibus procedentium; ideò aſſertum

9. Probatur primò ratione: Beatitudo formalis eſt aſſecutio & poſſeſſio beatitudinis objectivæ; ſed perfecta aſſecutio & poſſeſſio beatitudinis objectivæ ſupernaturalis conſiſtit in unica operatione, ergo etiam in unica operatione cōſiſtit beatitudo formalis ſupernaturalis; major patet quia beatitudo formalis ad beatitudinem objectivam ſe habet ut finis *quo* ad finem *qui*, finis autem *quo* nihil eſt aliud quàm aſſecutio & adeptio finis *qui*. Minor probatur, neque ratione rei poſſeſſæ, neque ratione modi poſſidendi requiritur ad perfectā aſſecutionem & poſſeſſionem beatitudinis objectivæ plus, quàm unica operatio: Non ratione rei poſſeſſæ, quia hæc ſimpliciſſima eſt, indiviſibilis, & tota ſimul; eſt enim Deus ipſe, poteſt igitur acquiri unica operatione, nec plures requirit, ut ſecundùm unam partem unâ, ſecundùm aliam partem aliâ operatione acquiratur: Non ratione modi poſſidendi, quia perfectus modus poſſidendi convenit ſolùm uni operationi, nimirum operationi intellectus, non operationi voluntatis; ut *n.* 4. præmiſimus, & *ſequentibus* §. 5. magis explicabimus, ſolventes etiam ea, quæ nonnulli afferunt ad ſuadendum voluntatem æquè ac intellectum, aut fortè etiam perfectius, propria operatione objectum aſſequi & poſſidere.

Dices: Beatitudo objectiva, licèt ſit res unica in ratione entis, eſt tamen quodammodò duplex in ratione attingibilis; habet ſcilicet duplicem attingibilitatē, alteram ſub ratione veri, alteram ſub ratione boni; ergo beatitudo objectiva, quāvis in ſe entitativè unica, exigit tamen acquiri duplici potiùs,

10. quàm unica operatione. Sed contrà: ex unitate ac ſimplicitate beatitudinis objectivæ nos inferebamus ipſam non debere acquiri per partes, nec ex hoc capite plures operationes ad ſui acquiſitionem requirere, & contrà hoc nil probat inſtantia, quod deinde eadem beatitudo habeat duplicē attingibilitatē à nobis non negatur, at inde male inferunt Adverſarij ipſam eſſe acquiſibilem per duplicem operationem: Enimverò vel hæc duplex operatio eſſet ejuſdem rationis & pertinens ad eandē potentiā, vel non: Primum dici non poteſt, tùm quia poſita acquiſitione per unam operationē ſuperfluit alia acquiſitio ejuſdē rationis per aliam ejuſdem rationis operationē; tùm quia attingibilitas ſub ratione veri, & attingibilitas ſub ratione boni, ſunt ſpecificativa illa intellectus, iſta voluntatis; illi igitur correſpondere poſſunt ſoli actus intellectus, iſti ſoli actus voluntatis; nec poteſt utrique deberi duplex operatio ejuſdem rationis, ejuſdemque potentiæ. Neque poteſt dici ſecundum, quia operatio acquiſitiva eſt ſola operatio intellectus, illa igitur duplex attingibilitas poteſt quidem reddere objectum attingibile, at non poteſt reddere ipſum acquiſibile per duplicem operationem non ejuſdem rationis, & non pertinentem ad eandem potentiam.

Beatitudo objectiva non eſt acquiſibilis per duplicē operationē.

11. Probatur ſecundò: Beatitudini formali debet concedi omnis major perfectio, quæ ipſi concedi poſſit; atqui conſiſtere in unica operatione eſt perfectio major, quàm conſiſtere in pluribus, & eſt perfectio quæ beatitudini formali concedi poteſt, ergo verò dicendum eſt, quòd beatitudo formalis in unica operatione conſiſtat: Major patet quia beatitudo formalis, licèt fortè non ſit ſemper ſumma hominis perfectio, eſt tamen perfectio completa, adeoque cui nihil deeſt, & cui nihil, quod cōcedi poſſit, negandū eſt: Minor quoad primā partē probatur ex eo, quòd ſimplicitas eſt perfectio major quā compoſitio, & quæ ſuperiora ſunt ac perfectiora ſolent etiā eſſe ſimpliciora; quoad ſecundā conſtabit ex infrà dicendis §. 4. dum oſtendetur beatitudinem formalem conſiſtere in ſola viſione, & præſcindēdo ab operatione, in quâ conſiſtat, certè cōcedi poſſe beatitudini patriæ, de quâ in præſenti, quod cōſiſtat in operatione unica, colligitur ex D. Thoma *hic q. 3. art. 2. ad 4.* ubi ait, *In præſenti vitâ quantum deficimus ab unitate, & continuitate operationis, tantùm deficimus à beatitudinis perfectione.*

12. Præterea hic argumentū deſumptum ab operatione perfectiſſima, quæ debet eſſe unica; prætereo autē, quia mihi non eſt valde efficax; nec ſatis mihi conſtat beatitudinē debere eſſe ſimpliciter perfectiſſimā operationē. Prætereo inſuper, tanquā opportuniùs *in ſequentibus* .§. afferenda argumēta ſuadentia beatitudinē, aut non conſiſtere in ullo actu voluntatis, aut cōſiſtere in ſolo actu viſionis, quæ quidem utraque ſaltē indirectè probant beatitudinē conſiſtere in unica operatione.

Ex dictis habetur quomodò intelligendæ ſint auctoritates Scripturæ & Patrum, dum beatitudinem interdū per plures actus ſimul; interdū indifferenter modò per unum, modò per aliū actū explicant, intelligendæ ſcilicet ſunt de beatitudine formali ſecundùm ea, quæ includit etiam integraliter & phyſicè; non ſecundùm id præciſè, in quo conſiſtit formaliſſimè & metaphyſicè, idque propter rationem ſuprà allatam *n.* 8.

Reſpondetur auctoritatibus Scripturæ & Patrum.

---

§. II.

Vtrùm beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta conſiſtat in operatione voluntatis, quæ eſt amor?

ASSERT. 1. Beatitudo formalis ſupernaturalis non conſiſtit in amore concupiſcentiæ. Hoc aſſertum adeò commune eſt ut ex una parte nullum habeat, quem viderim, Adverſarium, & Salas *hic tr. 2. diſp. 2. ſect. 5. n. 21.* expreſsè teſtetur neminem dicere beatitudinem ſitam eſſe in ſolo amore concupiſcentiæ, quo quis ſibi Deum vel aliud bonum concupiſcit; ex alia parte pauciores Scholaſtici ſub propriis terminis ipſum tradant; præſtant id tamen Amicus *hic diſp. 2. ſect. 6. num. 119.* Oviedus *controv. 2. punct. 7. n. 81.* Laurea *in 4. tom. 4. diſput. 16. 13.*

Beatitudo formalis non conſiſtit in amore concupiſcentiæ.

art.5. num.97. cum Scoto *in 4. diſt.49. q.5. §. Secundo non conſiſtit.*

Probatur aſſertum, & quidem in ſenſu formali, oſtendendo ſcilicet, quòd quamvis in actu voluntatis, aut in aliquo Dei amore collocari poſſet formalis beatitudo, adhuc tamen non eſſet collocanda in amore concupiſcentiæ ſic: Amor quo beati Deum concupiſcunt id eſt ut ſibi bonum amant ſuppoſito pro nunc quòd in ipſis diſtinguatur ab amore amicitiæ eſt poſterior & imperfectior amore amicitiæ, quo amant Deum ut bonum in ſe, ergo quando etiam in aliquo amore collocari poſſet beatitudo, collocanda non eſſet in amore concupiſcentiæ; conſequentia patet quia inter operationes ejuſdem potentiæ, & quæ ſunt ſub eodem operandi modo, nulla poteſt eſſe ratio tribuendi prærogativam beatitudinis poſteriori & imperfectiori potiùs, quam priori & perfectiori.

14. Amor concupiſcentiæ eſt poſterior amore amicitiæ.

Antecedens quoad primam partem probatur. Si beatus amaret Deum amore concupiſcentiæ non ſupponente amorem amicitiæ, non amaret Deũ in ratione finis ultimi cum ex ſupradictis *lib.1. c.2. n.28.* amor alicujus in ratione finis ſit amor amicitiæ; imò non amaret Deum amore ſimpliciter bono, quia amor concupiſcentiæ erga Deũ ſumptus ſecundũ ſe præciſe, & ut non ſupponens amorem amicitiæ, poteſt eſſe immoderatus & inordinatus, & de facto nonnulli volunt Angelum peccaſſe primò immoderatè cõcupiſcendo ſibi objectũ beatificũ; atqui beati amant Deum in ratione finis, & amore ſimpliciter bono; ergo amant Deum amore, qui amorem amicitiæ ſupponit, ipſoque poſterior eſt: Idque confirmatur ex eo, quòd beati priùs cognoſcunt Deum ut bonum in ſe, quàm ut bonum ſibi; ergo etiam priùs amant Deum ut bonum in ſe, quàm, &c.

15. Eſt eodem imperfectior.

Antecedens quoad ſecundam partẽ pariter probatur: Amor concupiſcentiæ fertur in Deum ſub minori ratione boni, quàm amor amicitiæ; Deus enim eſt magis bonus in ſe, quàm ſit bonus nobis: convenit voluntati ſecundùm affectionẽ ad commodũ, cum amor amicitiæ eidẽ conveniat ſecundùm affectionem ad honeſtũ, eſt enim maximè proprium boni honeſti amari propter ſe: magis accedit ad uſum quàm ad fruitionẽ, quia aliquo modo ordinat ad aliud, nimirũ ad ſubjectum id, in quod fertur; ſecùs amor amicitiæ: non eſt ex conceptu ſuo indefectibiliter rectus & ordinatus ſicuti eſt amor amicitiæ: atqui hæc omnia ſunt argumenta minoris perfectionis in amore concupiſcentiæ, quam in amore amicitiæ: ergo verè ille iſto imperfectior eſt.

Dices: Quamvis amor concupiſcentiæ ſit imperfectior in ordine ad objectum idque probent rationes mox allatæ: eſt tamen perfectior in ordine ad ſubjectũ quia attingẽdo Deum ut relatũ ad ſubjectũ ut bonum ſubjecto magis ſubjectum perficit quàm amor amicitiæ qui Deum attingit ſecundũ ſe abſque ullo ordine ad ſubjectũ; atqui beatitudo formalis utpotè quæ ſatiat & complet ſubjectum, debet attendi ſecundũ id, quod eſt perfectius in ordine ad ſubjectũ, non ſecundũ id quod eſt perfectius ſub aliqua alia ratione. Sed contra: rationes ſuprà allatæ, præſertim ſi primã excipias, omninò probant amorẽ concupiſcentiæ eſſe imperfectiorem etiã in ordine ad ſubjectũ. Ad inſtantiam nego abſolutè actum attingentẽ Deum ut relatũ ad ſubjectum magis ſubjectũ perficere quàm, &c. ratio negationis eſt quia actus perficit ſubjectum cõmunicando ei ſe ipſum ſuãque perfectionem; actus igitur qui in ſe ſimpliciter perfectior eſt etiam magis ſubjectũ perficit, quia communicando ſubjecto ſe ipſum neceſſariò communicat aliquid perfectius; quod eſt magis perficere.

16. Etiam in ordine ad ſubjectum.

17. Beatitudo formalis nõ conſiſtit in amore amicitiæ.

Aſſert. 2. Beatitudo formalis ſupernaturalis non conſiſtit in amore amicitiæ. Ità Auctores citandi pro aſſertis mox ponendis §.3. *& 4.* contra Scotum *in 4. diſt 49 q. . & 5.* Henricum *quodlib.10.q.14.5. dicens aliqui & in ſumma, art 49.q.6.* Bacconem *in 1. diſt.1. q.1. art.5.* quos tres Auctores ſuæ ſcholæ ſequuntur, Scotum præſertim Scotiſtæ omnes; ad eoſdem aliqualiter accedit ex recentioribus Amicus *hic diſp.1. ſect.6. n.122.* & multo magis Pallavicinus *diſp.2. q.2. art.7.* Scias tamen, velim, hos Auctores in præſenti controverſia cum aliqua varietate loqui, & ferè indifferenter adhibere nomen fruitionis & amoris; & quidẽ ſi fruitio ſumatur, prout cõtradiſtinguitur ab uſu adeoque prout eſt actus tendens in bonum propter ſe, ſicuti uſus eſt actus tendens in bonũ propter aliud, nullam habeo difficultatẽ in eo, quòd pro eodẽ accipiantur fruitio & amor amicitiæ: Si autẽ fruitio, ut etiã à nonnullis ſolet uſurpari, ſumatur pro delectatione ſeu gaudio, tũ oportet confundere fruitionẽ cum amore in *hoc* §. in quo conſideramus amorem ut contradiſtinctũ à delectatione ſeu gaudio, & in ipſo ſub propria ratione formali conſiderato probare intendimus ſitam non eſſe metaphyſicam eſſentiam formalis beatitudinis. Sic præventa obſcuritate, quam poſſet diverſitas terminorum ingerere,

In quo ſenſu fruitio idem ſit cũ amore.

Probatur aſſertum primò: Amor amicitiæ non attingit objectũ aſſequẽdo & poſſidendo ipſum; ergo in amore amicitiæ ergà Deũ non cõſiſtit beatitudo formalis ſupernaturalis; conſequentia patet, quia ut ſemel & iterũ dictũ eſt, beatitudo formalis debet eſſe aſſecutio & poſſeſſio ſui objecti, id eſt beatitudinis objectivæ: Antecedens probatur, amor amicitiæ non habet aſſequi & poſſidere objectum ex ratione generica actus voluntatis, imò ex hac potiùs habet oppoſitum, ut ſuprà explicabatur *n.5.* non itẽ id habet ex propria ratione, aut amoris, aut amoris amicitiæ; quia omnis amor ex ſe præſcindit à præſentia objecti, & quamvis hanc non reſpuat, non exigit tamen, unde etiam per hoc, quòd non reſpuat, à deſiderio, per hoc, quòd non exigat, à gaudio contradiſtinguitur, ut aliqualiter attigimus *tract.1. lib 4. cap.2. §.2.* atqui aſſecutio & poſſeſſio alicujus rei nequit haberi ſine ipſius præſentia: ergo amor amicitiæ, ex propria ratione, aut amoris, aut 18.

Amor amicitiæ non eſt aſſecutio ſui objecti.

amoris

amoris amicitiæ, non attingit objectum aſſequendo, & poſſidendo ipſum.

Afferunt hic contrariæ opinionis Auctores tùm varias reſponſiones, tùm varias inſtantias, quibus conantur non ſolùm probationis efficaciam infringere, verùm etiam aſſertum noſtrum impugnare, & oſtendendo quòd etiam voluntas præſertim per amorem amicitiæ objectum ſuum aſſequatur, atque poſſideat, inferre quòd etiam voluntatis operationi, præſertim amori amicitiæ conveniat formalem beatitudinem in beatitudinis objectivæ aſſecutione & poſſeſſione conſiſtentem conſtituere. Libenter Adverſariorum doctrinam referam & refellam, ut & allatæ probationis efficaciam ſuſtineam, & validiora, quæ contrà aſſertam veritatem urgeri poſſunt, argumenta diſſolvam.

Afferunt primò auctoritatem D. Thomæ *hic quæſt.* 4. *art.* 3. *ad* 2. dicentis, *ad voluntatem pertinet comprehenſio & q.* 11. *art.* 3. *ad* 3. ubi habetur *Deus eſt ultimus finis, ſicut res, quæ ultimo quæritur, fruitio autem, ſicut adeptio huius ultimi finis*, quibus auctoritatibus vix videtur aliquid clariùs dici poſſe ad ſignificandum quòd etiam voluntas attingat objectum aſſequendo & poſſidendo

19\. Comprehenſio & adeptio objecti in quo ſenſu conveniat etiam voluntati.

ipſum. Nihilominùs reſpondetur comprehenſionem & adeptionem ultimi finis ſumi poſſe dupliciter, vel elicitivè & eſſentialiter, prout dicit actum ipſum, quo res aliqua tenetur & acquiritur; vel conſecutivè & completivè, prout dicit complementum aliquod & perfectionem conſequentem ad talem actum; hoc ſolùm ſecundo modo, non primo, intelligendus eſt S. Doctor dicens comprehenſionem pertinere ad voluntatem, & fruitionem eſſe adeptionem ultimi finis; cum præſertim ipſemet S. Doctor *eod. art.* 3. *quæſtionis* 4. expreſsè habeat *quòd comprehenſio non eſt aliqua operatio præter viſionem, ſed quædam habitudo ad finem iam habitum.*

Afferunt ſecundò propriam conditionem amoris amicitiæ, cui ex natura ſua maximè convenit unire amanti objectum amatum, undè de amore D. Dionyſius *c.* 4. *de divin. nom.* ait, *vim habet faciendi unum & colligandi, præſtantique modo res inter ſe miſcendi*; de eodem D. Auguſtinus 8. *de Trinit. c.* 10. ait *quòd eſt iunctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens*; & D. Thomas 1. 2. *q.* 28. *art.* 1. *ad* 3. utitur terminis magis adhuc faventibus præſenti intento dū ait *Cognitio perficitur per hoc, quod cognitum unitur cognoſcenti ſecundum ſuam ſimilitudinem, ſed amor facit, quod ipſa res, quæ amatur, amanti uniatur; undè amor eſt magis unitivus, quàm cognitio*: Ex quibus ſic formatur argumentum: operatio intellectus dicitur adeptio & poſſeſſio objecti, quia unit rem intellectam intelligenti; ſed etiam amor præſertim amicabilis unit, imò magis unit, quàm operatio intellectus rem amatam amāti; ergo etiam amor eſt adeptio & poſſeſſio ſui objecti, imò eſt adeptio & poſſeſſio major, quàm operatio intellectus; item ergo etiam amor requirit ſui objecti præſentiam neque enim unio fit ad rem abſentem; ſicque corruit omninò doctrina, quâ aſſertum probabatur. Nihilominùs adverto cum ipſomet 20.

Amor tripliciter ſe habet ad unionem.

S. Doctore *art. præcit. ad* 2. unionem tripliciter ſe habere ad amorem: Quædam ſe habet ut amoris cauſa; & eſt unio ſeu potiùs unitas ſubſtantialis quantùm ad amorem, quo quis amat ſe ipſum; unio verò ſimilitudinis quantum ad amorem, quo quis amat alia à ſe: Quædam ſe habet ut amoris eſſentia, ſeu ut id in quo formaliter amor conſiſtit; & eſt unio affectiva, quâ amicabiliter amans ità afficitur erga Perſonam amatam ut vellet fieri ipſamet Perſona amata quia ut ex Ariſtophane tradit Philoſophus lib. 2. Polit. cap. 2. *Amantes deſiderarent ex ambobus fieri unum*: Quædam ſe habet ut amoris effectus, & hæc eſt unio realis quanta eſt poſſibilis & decens per mutuam ſcilicet realem præſentiam, per collocutionem per aſſociationem, per communicationem ſecretorum cordis, aliorumque bonorum communicabilium. Ex hâc triplici unione ſolùm ſecunda ſpectat ad noſtram controverſiam, quæ utpotè metaphyſica agitanda eſt in ſenſu formali, adeoque procedit de amore ſumpto formaliter, non de eodem ſumpto aut cauſaliter aut effectivè; proptereà Adverſariorum argumento in forma ſic reſpondeo: Operatio intellectus dicitur adeptio & poſſeſſio objecti, quia ſumpta formaliter unit rem intellectam intelligenti, 21.

Amor etiā amicabilis formaliter ſumptus non unit magis, quā viſio.

concedo; quia quomodocumque ſumpta unit rem intellectam intelligenti, nego majorem; ſed etiam amor præſertim amicabilis quomodocumque ideſt cauſaliter aut effectivè ſumptus, unit imò magis unit, &c. concedo; ſumptus formaliter unit imò magis unit, nego minorem; ergo etiam amor eſt adeptio & poſſeſſio ſui objecti nego conſequentiam: Enimverò amor ſumptus formaliter unit ſolùm affectivè, operatio intellectus ſumpta formaliter unit realiter, ideò ſumendo, tùm amorem, tùm operationem intellectus, formaliter, iſta magis quàm ille unit; licèt deindè ſumendo utrumque aut cauſaliter aut effectivè, magis uniat amor, quàm operatio intellectus, juxtà auctoritates ſuprà allatas, quas de amore effectivè accepto procedere colligitur ex terminis illis *Amor vim habet faciendi, amor facit*, &c.

Inſtant Adverſarij dicendo, operatio intellectus, & loquendo in ſubjecta materiâ viſio Dei formaliter ſumpta unit intentionaliter; amor formaliter ſumptus unit affectivè, neutra verò operatio in ſenſu formali unit realiter; ergo in ſenſu etiam formali non magis unit una operatio; quàm altera; & ſicuti viſio quamvis intentionaliter ſolùm non realiter uniat, dicitur adeptio, & poſſeſſio objecti, ità dici etiam debet objecti adeptio & poſſeſſio amor, licèt uniat affective ſolùm, non realiter; neque enim eſt 22.

Unio intentionalis eſt realis, non ſic unio affectiva.

major ratio de uno, quàm de alio. Sed contrà: unio affectiva verè non eſt realis, quia non ſolùm non eſt unio phyſica, verùm etiā ex vi ſua non petit eſſe cum re realiter præſente; unio autem intentionalis, quæ habetur ex vi viſionis, quamvis non ſit realis pro ut unio realis idem eſt ac unio phyſica, eſt

tamen unio realis prout unio realis idem eſt ac unio facta cum re realiter præſente; quod ſufficit ut dicatur realis poſſeſſio & adeptio objecti, quâ de re dicetur aliquid ampliùs infrà §.4. *num.*41.

Aſſertur tertiò communem rationem potentiæ vitalis, cui ex genere ſuo convenit habere ſibi unitum & præſens objectum, circà quod operatur, ut ex ipſo ſimul & potentia oriri poſſit actus vitalis, qui cum debeat in potentia recipi & ab objecto ſimul cum potentia produci, utique ne producatur ab objecto diſtante, requirit objectum præſens & unitum potentiæ: cum igitur amor & quilibet actus voluntatis ſit vitalis, etiam ipſe infert ſui objecti præſentiam, & conſequenter aſſecutionem ac poſſeſſionem.

23. Nihilominùs reſpondetur ex vi hujus doctrinæ ſolùm probari præſentiam objecti nô vitalem, & in actu primo; non verò præſentiam in actu ſecundo, & quæ non ſit cauſa ſed eſſentia ipſius actus vitalis; ideò quod aſſeritur verum eſt at non probat intentum quoad aſſecutionem & poſſeſſionem, quæ certè non infertur ex quacumque objecti præſentiâ.

Ex vi amoris amicabilis amans poſſidetur ab amato.

Probatur idem ſecundum aſſertum ſecundò: Ex vi amoris amicitiæ potiùs amans poſſidetur à re amata, quàm res amata poſſideatur ab amante; ergo amor amicitiæ non eſt aſſecutio ſeu poſſeſſio ſui objecti, & conſequenter beatitudo formalis, ideſt aſſecutio ſeu poſſeſſio Dei non eſt collocanda in amore amicitiæ erga Deum: antecedens probatur ex vi amoris amicitiæ amans trahitur à re amatâ, ad ipſam movetur, in ipſam transformatur, in ipsâ eſt, ut ſuprà attigimus

Egregia D. Dionyſij verba.

*num.*5. & verbis ibi ex Dionyſio relatis addi poſſunt alia quibus docet *Verum amatorem degere non ſuam vitam ſed amantis, & Deum ipſum amore ductum extrà ſe fieri, atque ex ſtatu quo ſuperat omnia & ab omnibus ſecretus eſt, ad eum quo in omnibus eſt demitti ea vi, qua eſſentiam ſuperat, & omnia extrà ſe rapit*: addi etiam poſſunt verba illa 1. Io.4. *Qui manet in charitate, in Deo manet*, & modus, quo loquitur D. Auguſtinus *lib.*13. *confeſſ.cap.*9. dicens amorem eſſe pondus, quo amans fertur in rem amatam eo ferè modo, quo gravia ponderibus ſuis feruntur in centrum; tandem id ſuadet familiaris apud omnes conſuetudo, quâ dum quis Amicum valdè carum & valdè dilectũ alloquitur, ſolet ſui magnitudinem amoris exprimere his aut ſimilibus terminis, *Cor meum & animam poſſides: me totum in tua poteſtate conſtituo*, &c. Quæ omnia, licèt aliqualiter metaphorica ſint, & concionatoriè potiùs, quàm ſcholaſtice dicta, quia tamen metaphoræ, tritæ præſertim & uſitatiores, fundantur in ipſa rerum natura, rectè inferunt ex natura amoris amicabilis amantem ab amato acquiri, & poſſideri potiùs, quàm è contrà.

Dices: amor amicitiæ eſt amor mutuus, & conſequenter amor amicitiæ Beati erga Deum eſt amor quo Beatus ſimul eſt amans Deum & amatus à Deo; ergo beatus ex vi amoris amicitiæ, ſi non ut amans Deum, ſaltem ut amatus à Deo Deum poſſidet. Sed 24.

Qui amatus à Deo, Deum poſſidet, at nô vitaliter.

contrà: verè beatus, ut amatus à Deo, Deum poſſidet, at talis poſſeſſio non poteſt conſtituere beatitudinem formalem, quia non eſt poſſeſſio vitalis ipſi beato, & conſiſtens in actu vitali ipſius; item quia talis poſſeſſio habetur ex amore increato Dei ergà beatum, noſtram autem beatitudinem conſiſtere non poſſe in aliquâ operatione increata oſtenſum eſt ſuprà *cap.*1.§.2.

Ex dictis habetur amantem magis extrà ſe ipſum quodammodò ferri & ab alio trahi per amorem amicitiæ quàm per amorem cõcupiſcentiæ; quia per illum amans fertur in rem amatam propter ſeipſam adeò ut in ipsâ ſiſtat; per iſtum (loquor de amore concupiſcentiæ, quo quis concupiſcit aliquid ſibi) amans fertur in rem amatam propter ſe ipſum, & ità movetur ad rem amatam, ut ſe ipſum habeat pro termino ſui motus, imò trahat quodammodò rem amatam ad ſe, tanquam accidens ſuum; undè unio, quam amans habet ad rem amatam amicabiliter, eſt tanquam ad ſuum finem, ad rem amatam concupiſcentialiter eſt tanquam ad ſuum accidẽs.

Diſcrimen amoris amicitiæ & concupiſcentiæ.

Hinc fit, quoad titulum aſſequendi & poſſidendi objectum magis recedere à conſtitutivo beatitudinis formalis amorem amicitiæ, quàm amorem concupiſcentiæ; quamvis deindè iſte ab eodem conſtitutivo magis recedat quoad alios plures titulos ob imperfectiones ſuprà relatas *num.*15. quibus addi poteſt purum amorem concupiſcentiæ reſpectu naturæ intellectualis eſſe probroſum amato, & provocativum iræ apud legitimum rerum æſtimatorem, nec prodigum vilipenſorem ſui, ut loquitur Eſparza *lib.*7. *quæſt.*7. *ad* 4. *&* q 9. *art.*3. 25.

---

§. III.

Vtrùm beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta conſiſtat in operatione voluntatis, quæ eſt gaudium?

Aſſert. Beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta non conſiſtit in gaudio ſeu delectatione. Ità omnes Theologi communiſſimè, quatenùs omnes collocant formalem beatitudinem, vel in amore, vel in viſione, vel in utroque actu, gaudium verò ut ab amore contradiſtinctum, aut prætereunt, aut poſitivè excludunt à formalis beatitudinis eſſentia; Aureolus ipſe, cui plures tribuunt opinionem noſtro aſſerto oppoſitam, (ut non negabit quiſquis ipſum legerit *in* 4. *diſt.*49. *art.*5. §. *ſecunda propoſitio eſt*) nomine delectationis ſeu complacentiæ, in quâ magis, quàm in viſione vult beatitudinem conſiſtere, intelligit amorem amicitiæ, amicitiæ inquam, & errant inexcuſabiliter qui Aureolum referunt tanquam collocantem beatitudinem in actu voluntatis, qui ſit amor concupiſcentiæ, cum ipſe 26.

Beatitudo formalis non conſiſtit in gaudio.

Opinio Aureoli malè refertur.

diſt.

diſt. cit. in fine articuli tertij expreſſis verbis tradat oppoſitum dicens *Vltima propoſitio eſt reſpondendo ad quæſtionem, quod delectatio concupiſcentiæ, quæ eſt de ipſa viſione, non pertinet ad eſſentiam beatitudinis.* In re igitur Aureolus nobis adverſatur quoad ſecundum aſſertum §. præcedentis, non quoad hoc aſſertum, in quo loquimur de delectatione ſeu gaudio in ſenſu formali & ut eſt actus ab amore contradiſtinctus; nec fortè hic alios Adverſarios habemus præter nonnullos antiquos Philoſophos apud Salas *hic tract. 2. diſp. 2. ſect. 5. §. 1.* qui ſicuti beatitudinem naturalem poſuerunt in voluptate, ità veriſimile eſt quod in eadem proportionaliter poſuiſſent beatitudinem ſupernaturalem, ſi eam agnoviſſent.

27. Delectatio & gaudium quomodò differant? Adverte pro notitiâ terminorum gaudium eſſe ſpeciem delectationis, nec differre niſi in eo quod illud eſt proprium creaturarum rationalium, iſta communis eſt irrationalibus dicente D. Thomâ 1.2. q.31. art.3. in c. *Nomen gaudij non habet locum niſi in delectatione, quæ conſequitur rationem: undè gaudium non attribuimus brutis animalibus, ſed ſolùm nomen delectationis* (& nonnullis interpoſitis) *de omnibus, de quibus eſt delectatio, poteſt eſſe gaudium in habentibus rationem*, ſicque abſolutè dici poteſt gaudium à delectatione non diſtingui in naturâ intellectuali, & nihil aliud eſſe quàm ſpiritualem delectationem.

28. Delectatio quid. Adverte inſuper, quod delectatio dicitur quaſi dulcis lactatio, nomenque derivat ex ſimilitudine puerorum lactentium; quoad rem autem eſt ſuavis animæ motus, ſeu ſuavitas quædam conſurgens ex conjunctione objecti convenientis, quæ conjunctio quia fieri poteſt in qualibet potentia vitali, ideò etiam in qualibet potentia vitali reperiri poteſt delectatio; ſic experientia ipſa conſtat viſum ex mediis variiſve coloribus, auditum ex muſico ſono, olfactum ex odore fragrante, aliaſque ſimiliter ſenſitivas potentias ex conjunctione objecti ſibi maximè convenientis, & ad quod ex natura ſua magis inclinant percipere neſcio quam ſuavitatem ſibi propriam & diverſam ab ea, quæ reperitur in appetitu aut ſenſitivo aut rationali adeò, ut etiam illa ſine iſta eſſe poſſit; quemadmodum evenit in eo, qui invitus muſicæ valdè armonicæ intereſt, hic enim delectationem, ut vocant, naturalem habet, non voluntariam; percipit ſcilicet ſuavitatem voluptatemque in auditu, non in voluntate ſeu rationali appetitu. (Reperitur etiam in ſenſibus.)

29. Gaudium reperitur etiam in intellectu. Loquendo jam proportionaliter de gaudio, quod eſt delectatio ſpiritualis, poteſt illud reperiri in qualibet ſpirituali potentia, ideſt non ſolùm in voluntate, verùm etiam in intellectu, qui ſicuti maximè ſolicitus eſt attingendæ veritatis, ità dum ad veritatem aliquam præſertim ſublimiorem, nobilioremque perfectè cognoſcendam pervenit, ex talis veritatis tanquam ex objecti ſibi convenientis apprehenſione & conjunctione in ſe ipſo ſpiritualiter recreatur, delectatur, & gaudet. Ex his infero gaudium propriè dictum nimis latè ſumi ab Arriaga *hic diſp. 49. ſect. 4. n. 26.* ubi videtur illud extendere etiam ad voluptatem, quæ percipitur à ſenſu, nimis ſtrictè verò ab aliis pluribus, qui illud reſtringunt ad ſolam complacentiam voluntatis & exiſtimant in ſola voluntate reperiri; quamvis in re ſolùm de gaudio in voluntate reperto & in voluntatis complacentia ſito procedat noſtrum aſſertum; nam gaudium, quod in ſe ipſo percipit intellectus ex viſione Dei, tanquam ex conjunctione objecti ſibi maximè convenientis, ſicuti non ſpectat ad voluntatem, ità non continetur ſub hoc §. qui ſolùm eſt de gaudio ſpectante ad voluntatem, cum inſcribatur de operatione voluntatis. de illo alio gaudio aliquid attingetur *lib. ſeq. cap. 2. n. 49.*

30. Gaudium voluntatis aliud eſt amicitiæ aliud concupiſcentiæ. Adverte tandem gaudium, quod in voluntate recipitur, propriumque voluntatis eſt, maximè ſequi ad amorem, ſolemus enim magis aut minùs gaudere de bono, quod poſſidemus, prout tale bonum magis aut minùs amamus; propterea gaudium æquè ac amor, aliud amicitiæ, aliud concupiſcentiæ eſt; illud ad amicitiæ, iſtud ad concupiſcentiæ amorem ſequitur; illud conſurgit, quando poſſidemus objectum amatum amicabiliter; iſtud, quando poſſidemus objectum amatum concupiſcentialiter. De utroque gaudio procedit aſſertum, quod his animadverſis & ſuppoſita doctrina §. præcedentis facilè

Probatur: Nullum gaudium, ſivè concupiſcentiæ ſit, ſivè amicitiæ, eſt adeptio & poſſeſſio ſui objecti; ſed beatitudo formalis eſſentialiter ſumpta conſiſtit in adeptione & poſſeſſione beatitudinis objectivæ; ergo nullum gaudium eſt id, in quo conſiſtit beatitudo formalis eſſentialiter ſumpta; minor ſupponitur ex dictis: Major probatur, nullum gaudium eſt id, quod eſſentialiter ad ipſum ſupponitur, nihil enim poteſt ſupponi ad ſe ipſū; atqui adeptio & poſſeſſio ſui objecti ad omne gaudium ſupponitur, quia propria ratio gaudij, ut contradiſtincti ab amore & deſiderio, eſt quod ſit de objecto ut poſſeſſo; ergo nullum gaudium eſt adeptio & poſſeſſio ſui objecti.

Dices adeptionem & poſſeſſionem objecti, quam gaudium ſupponit, eſſe ſolùm inchoatam; adeptionem verò & poſſeſſionem perfectam haberi à gaudio; quia operatio omnis à gaudio perficitur, delectatio enim ut habetur *10. Ethic.* eſt perfectio operis; atqui beatitudo formalis ſupernaturalis, quæ eſt noſtra ſumma beatitudo debet conſiſtere in adeptione & poſſeſſione perfectâ, ergo.

31. Sed contrà: gaudium imperfectum poteſt eſſe contentum inchoata objecti poſſeſſione, at gaudium perfectum, cujuſmodi eſt beatificum, neceſſariò ſupponit poſſeſſionem perfectam: Ad verba Ariſtotelis dico cum S. Thoma *hic quæſt. 4. art. 2. ad 1.* delectationem perficere opus, ut quid conſequens, non ut quid conſtituens ipſum, qua ratione poteſt etiam concedi, quòd perficiat poſſeſſionem & adeptionem ſui objecti, at indè nihil infertur contrà nos. (Delectatio perficit opus tanquam quid conſequēs.)

Probatur

Probatur inſuper in particulari quoad gaudium concupiſcentiæ ex eo, quod tale gaudium ſecundùm ſe & ut ſejunctum à gaudio amicitiæ involvit eaſdem imperfectiones, quas purus concupiſcentiæ amor, ut facilè conſtare poteſt recolenti hujuſmodi imperfectiones ſuprà relatas *n.* 15. *&* 25.

Probant hic aliqui excludendum eſſe ab eſſentia beatitudinis gaudium eò, quod non ſit operatio perfectiſſima, imò paſſio ſit, non operatio, hæc tamen probatio, licèt Scotiſtis arrideat tamquàm efficax, mihi eſt quoad utramque partem inefficax; quoad primam quidem propter rationem ſuprà allatam
32. *n.* 12. quoad ſecundam verò, quia gaudium ſaltem reflexum (quod ſcilicet habet voluntas non de operatione propria, quæ certè eſt aliquod bonum, & utpotè voluntati immaneus poteſt dici immediatè poſſeſſa à voluntate, & per ſe ipſam afficiens ſuavitate quadam ac delectatione voluntatem, ſed de operatione alterius potentiæ, aut de objecto conveniente per talem operationem acquiſito) probabilius exiſtimo conſiſtere in operatione voluntatis & actu elicito, non in affectione & pura paſſione; non enim ſatis percipio, quomodò voluntas poſſit gaudere nihil prorsùs operando, & merè paſſivè ſe habendo, pro quo videantur Vaſq. 1. 2. *diſputat.* 14. *cap.* 2. & Salas *tract.* 2. *diſput.* 7. *ſect.* 4.

33. Ex hucuſque dictis habetur primò, quomodò intelligendæ ſint auctoritates Scripturæ & Patrum, quæ & non in exiguo numero afferri poſſunt ad probandum beatitudinem formalem ſupernaturalem conſiſtere in gaudio, intelligendæ ſcilicet ſunt vel de beatitudine non eſſentialiter, formaliſſimè, & metaphyſicè, ſed de eadem ſubſtantialiter ad ſummum, integraliter, & phyſicè; vel etiam quantùm attinet ad præſens intentum de gaudio intellectus, non de gaudio voluntatis.

Quomodò intelligẽdæ ſint auctoritates.

Habetur inſuper in nullo prorsùs voluntatis actu beatitudinem formalem ſupernaturalem eſſentialiter conſiſtere; actus enim deſiderij, de quo ſolo hucuſque non meminimus, cum non poſſit verſari circà Deum poſſeſſum & præſentem, non ſolùm non eſt ipſa beatitudo, ſed nec reperitur in beato, ut magis conſtabit ex eo, quòd ſuo loco excludetur actus ſpei à ſtatu beatifico.

Non datur deſiderium in Patriâ.

§. IV.

Vtrùm beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta conſiſtat in operatione intellectus, quæ eſt Viſio?

34. ASSERT. Beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta vnicè conſiſtit in Viſione. Ita D. Thomas *hic q.* 3. *art.* 8. *& quæſt.* 4 *art.* 2. 1 *p. quæſt.* 26. *art.* 2 *in c.* 3. *contrà Gent. c.* 25. 26. *&* 27. *in* 4 *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 3. *ad ſecundam quæſtionem, quodlib.* 8. *art.* 19. & alibi. D. Thomam ſequuntur Thomiſtæ omnes, quos ſuperfluum eſt nominatim referre: Extrà Scholam Thomiſticam ſtant pro noſtro aſſerto Eſtius *in* 4. *diſt.* 49. §. 1. Sylvius 1. 2 *q.* 3. *art.* 4. Vaſq. *diſp.* 11. *c.* 3. *&* 7. Ovied. *controver.* 2. *punct.* 7. Eſparza *lib.* 3. *q.* 3. *art.* 7. Madernus *q.* 2. *art.* 6. aliique plurimi: Citantur etiam pro hoc aſſerto Molina 1. *p. q.* 12. *art.* 1 *diſp.* 2. §. *ut veri*, & Arriaga *hic diſp.* 49. *ſect.* 6. at hi Auctores quamvis velint beatitudinem principaliùs in viſione conſiſtere, ab ipſius tamen eſſentia non ſimpliciter excludunt amorem ut patere poteſt legenti Molinam *cit. diſp.* 2. §. *Septima concluſio*, & Arriagam pariter *cit. diſputat.* 49. *num.* 39. ubi etiam ipſemet fatetur ſe acquieſcere Auctoribus, quos retulerat *ſect.* 5. pro ſententia ponente beatitudinem in viſione & amore amicitiæ. Molina igitur & Arriaga potiùs mihi videntur recenſendi inter Adverſarios, quos quidem habemus in præſenti & multos & graves; eos ſcilicet omnes, quos citavimus In Aſſertis præcedentibus pro formali beatitudine collocanda, aut in aliquo actu voluntatis, aut in actibus intellectus & voluntatis ſimul, aut etiam in aliquo habitu, &c.

Beatitudo formalis conſiſtit unicè in viſione Dei.

Prima huiuſce aſſerti probatio haberi cõmuniter ſolet ex auctoritatibus Scripturæ & Patrum, quas omnes licèt nec paucas, nec leves, nec obſcuras, libenter in præſenti prætereo, tanquam parùm efficaces, tùm quia ex dictis *num.* 8. controverſia hæc metaphyſica eſt, non dogmatica, & rationibus, non auctoritatibus definienda; tum quia ſicuti habent etiam Adverſarij pro ſua ſinguli opinione plures auctoritates, ità eodem modo, quo debere iſtas intelligi *num.* præſertim 12. *&* 33. indicavimus, eludent & intelligent ipſi eas, quæ pro noſtrâ militant opinione; ideò nullo ab auctoritatibus requiſito ſubſidio ſolis rationibus nitimur, quibus Aſſertum 35.

Argumentũ ab auctoritate eſt in præſenti inefficax.

Probatur primò: Beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta unicè conſiſtit in perfecta poſſeſſione beatitudinis objectivæ ſupernaturalis, ſcilicet Dei; ſed hæc perfecta poſſeſſio vnicè conſiſtit in viſione, ergo beatitudo formalis ſupernaturalis, &c. Major ſupponitur, minor probatur primò negativè quia ex ſupradictis talis perfecta poſſeſſio nullatenùs poteſt conſiſtere in aliqua operatione, aut partis ſenſitivæ, aut voluntatis; neceſſe eſt igitur quòd vnicè conſiſtat in operatione intellectus, & non in alia, quàm in viſione; quia ſicuti ſola viſio eſt perfectior operatio, quâ intellectus poſſit circà Deum verſari, ità eſt perfectior poſſeſſio, quæ poſſit de Deo haberi. Minor eadem probatur ſecundò poſitivè, quia viſio ex ratione communi cognitionis eſt poſſeſſio objecti juxtà ſupradicta *num.* 4. & alibi paſſim; ex ſpeciali deindè ratione cognitionis intuitivæ eſt poſſeſſio perfecta, quatenùs ex tali ratione petit, quòd objectum ſit in intelligente ut phyſicè exiſtens & ut eſt in ſe, quod autem poſſidetur, ut phyſicè exiſtens & ut eſt in ſe, perfectè poſſidetur.

36\. *Adverſariorum inſtantiæ cōtrà aſſertam veritatem.* Dices viſionem nec eſſe poſſeſſionem unicam, nec eſſe poſſeſſionem perfectam, nec eſſe poſſeſſionem Dei ſub ratione beatitudinis objectivæ, adeoque ex nullo capite verificari & ſuaderi poſſe quod in viſione unicè conſiſtat beatitudo formalis, &c.

Prima pars inſtantiæ, quod ſcilicet viſio non ſit poſſeſſio Dei unica probatur primò ex eo, quòd ad viſionem ſupponitur jam objectum factum intellectui præſens & intimum, ergo viſio ſupponit objectum jam poſſeſſum, & non ſolùm non eſt unica, ſed nec eſt prima poſſeſſio: Secundò quia trahere rem ad ſe ipſum, eamque ſibi aſſimilare, non eſt modus unicus rei poſſidendæ, cum etiam accedendo ad res ipſas poſſimus ipſarum poſſeſſionem acquirere; licèt igitur operationi intellectus unicè conveniat objectum ad ſe trahere, ipſum ſibi aſſimilare, non idcircò ipſi unicè convenit ratio poſſeſſionis, quæ, cum haberi poſſit etiam per acceſſum ad rem poſſidendam, non eſt neganda operationi voluntatis, quæ operando ab objecto trahitur, ad objectum accedit, in objectum fertur.

37\. Secunda pars inſtantiæ, quòd ſcilicet viſio non ſit poſſeſſio Dei perfecta, probatur primò ex eo, quòd viſio eſt poſſeſſio intentionalis, quæ ex genere ſuo imperfecta eſt, quomodocumq; enim quis divitias perfectè cognoſcat, ipſas perfectè non poſſidet, quia cognoſcendo poſſidet ſolùm intentionaliter: Secundò, quia non eſt perfecta Dei poſſeſſio illa, quæ non diſponit ad perfectum & amicabile gaudium de Deo; atqui poſſeſſio, quæ habetur ex viſione præcisè abſque amore amicabili, diſponit ſolùm ad imperfectum & concupiſcentiale, non ad perfectum & amicabile gaudium de Deo; ergo perfecta non eſt poſſeſſio, quæ habetur ex viſione præcisè non ex amore amicabili; Minor probatur, poſſeſſio Dei, quæ habetur ex Dei viſione præcisè, diſponit ſolùm ad gaudium de Deo quatenùs viſo, non autem de Deo quatenùs in ſe bono, ſub quâ ratione Deus non attingitur niſi per amorem amicabilem, ſed gaudium de Deo quatenùs viſo, eſt de Deo quatenùs nobis bono, adeoque eſt gaudium concupiſcentiæ, & ſolum gaudium de Deo quatenùs in ſe bono eſt gaudium amicitiæ, ergo: Tertiò, quia poſſeſſio Dei quæ habetur per amorem amicitiæ eſt perfectior eâ, quæ habetur per viſionem; ergo hæc non eſt ſimpliciter perfecta; antecedens probatur, poſſeſſio per identitatem perfectior eſt, quâ poſſeſſio per aſſimilationem; atqui poſſeſſio, quæ habetur vi viſionis, eſt per aſſimilationem, poſſeſſio quæ habetur vi amoris amicitiæ eſt per quamdam identitatem, quatenùs amor facit eadem quodammodò eſſe atque communia omnia amicorum bona, & unus amicus vellet, quantum eſt de ſe, eſſe unum & idem cum altero; ergo.

38\. Tertia pars inſtantiæ, quòd ſcilicet viſio non ſit poſſeſſio Dei ſub ratione beatitudinis objectivæ. probatur Deus eſt beatitudo objectiva ſub ratione ultimi finis & ſummi boni; ſed ſub hâc ratione viſio non eſt Dei poſſeſſio, quia viſio eſt poſſeſſio Dei ſolùm ſub eâ ratione, ſub quâ intellectus in Deum tendit, intellectus autem in Deum tendit ſolùm ſub ratione veri, non ſub ratione aut finis aut boni; ergo. Quòd deindè poſſeſſio, in quâ conſiſtit beatitudo formalis, debeat eſſe poſſeſſio Dei ſub ratione beatitudinis objectivæ, ideſt ſub ratione finis & boni ſuadetur, tùm quia ex vi beatititudinis poſſidendus eſt Deus in Patriâ ſub eâ ratione, ſub quâ maximè in viâ deſideratur, in via autem maximè deſideratur ſub ratione finis & boni, tùm quia beatitudo formalis debet eſſe poſſeſſio boni ſummi quoad ſubſtantiam & modum; ratio autem boni eſt modus aliquis ſummi boni, debet igitur batitudo eſſe poſſeſſio ſummi boni ſub ratione boni; tùm denique quia ſublata à Deo præcisè ratione boni, quidquid aliud in Deo poſſideretur non ſufficeret ad formalem beatitudinem; ergo quia debet poſſideri ſub ratione boni. Sed contrà;

39\. *Solvitur primum Adverſariorum argumentum.* Solvitur prima pars inſtantiæ, & ad primam ipſius probationem reſpondetur viſionem ſupponere objectum factum intellectui præſens, & intimum in actu primo & modo non vitali, at non in actu ſecundo, & modo vitali, ſeu ex vi operationis vitalis; quemadmodum ſequiritur ad poſſeſſionem conſtitutivam beatitudinis formalis, quæ eſt vita in actu ſecundo, pro quo recolantur ſupradicta *cap. præcedenti num.* 43. *&* *hoc eod. cap. num.* 23.

40\. *Solvitur ſecundum.* Ad ſecundam probationem deſumptam ex Arriaga *hic diſput.* 49. *num.* 40. reſpondetur accedendo ad res ipſas poſſe ipſarum poſſeſſionem acquiri, quando acceſſus fit ex beneplacito accedentis, qui ſi velit, poſſit etiam abſque acceſſo rem acquirere; non verò quando acceſſus provenit ex ipsâ rerum natura, & ex eo, quod accedens trahatur à re, ad quam accedit; hoc enim indicat accedentem potiùs eſſe in poteſtate rei ad quam accedit, quàm habere talem rem in poteſtate ſua, & poſſideri potiùs, quàm poſſidere; porrò voluntas ut patet ex ſupradictis *num.* 5. *&* 23. hoc ſecundo modo ad ſuum objectum accedit, ideò non poteſt ipſum poſſidere.

41\. *Solvitur tertium.* Solvitur ſecunda pars inſtantiæ, & ad primam ipſius probationem reſpondetur poſſeſſionem intentionalem, quæ per cognitionem habetur eſſe imperfectam ad ſummum reſpectu rerum corporalium, quæ ſicuti maximè inſerviunt ad emolumenta & oblectamenta corporea; ità etiam operationibus, mediiſvè corporeis potiſſimùm poſſidentur: Aliter verò loquendum eſt reſpectu rerum ſpiritualium, quæ poſſidentur ſolùm ſpiritualiter, ſolùm poſſeſſione intentionali, quæ perfecta eſt, quando habetur per cognitionem perfectam; cum autem nequeat creatura elicere cognitionem Dei perfectiorem viſione, conſequens eſt, quod nequeat acquirere poſſeſſionem Dei perfectiorem eâ, quæ habetur per viſionem, pro quo recolantur ſupradicta *num.* 3. *&* 22.

42\. *Solvitur quartum.* Ad ſecundam probationem deſumptam ex Pallavicino *hic diſput.* 3. *quæſt.* 2. *art.* 7. *num.* 5. negò

abſolutè minorem, nam viſio ſecundùm ſe præcisè, ſicuti diſponit ad amicabilem amorem, ità etiam ſecundùm ſe diſponit ad amicabile gaudium, & ex vi viſionis ſicuti poteſt quis amare Deum non ſolùm ut viſum & ſibi bonum, verùm etiam ut bonum in ſe, ità non eſt cur nequeat eodem proportionaliter modo ex vi viſionis gaudere de Deo non ſolùm ut viſo & bono ſibi, verùm etiam ut bono in ſe; ratio à priori eſt, quia viſio fertur in Deum ut eſt in ſe, adeoque ut in ſe bonum, ipſum igitur ut in ſe bonum voluntati repræſentat, voluntatemque diſponit imò neceſſitat ad gaudendum de Deo, etiam ut in ſe bono. Neque dicas gaudium ex conceptu ſuo ſupponere amorem, & per conſequens viſionem ſine amore nullatenùs poſſe ad gaudium diſponere. Contrà enim primò, hæc ratio nimis probat, probat ſcilicet viſionē neq; etiam poſſe diſponere ad gaudiū concupiſcentiæ de Deo viſo: Contra ſecundò ex eo, quod gaudium beatificum amorem amicabilem ſupponat, probatur ad ſummum talem amorem eſſe proprietatem beatitudinis eſſentialis magis immediatam, at non eſſe ipſius partiale con-

43\. Solvitur quintum. ſtitutivum. Ad tertiam probationem dico ipſam eſſe de ſubjecto non ſupponente, & malè ſupponere, quod detur poſſeſſio, quæ habeatur per amorem amicitiæ. Illud, quod additur de identitate, non probat poſſeſſionem, quia licèt poſſeſſio per identitatem ſit perfectiſſima poſſeſſio, non tamen omnis identitas eſt poſſeſſio idest non quidquid cū alio identificatur aliud poſſidet, ſed quandoq; ab alio poſſidetur, ſic riſibilitas non hominem poſſidet, ſed ab homine poſſidetur; identitas igitur, quæ quodammodò ſequitur ex amore amicitiæ, probat ad ſummum perfectiorem cum re amatâ conjunctionem, non perfectiorem rei amatæ poſſeſſionem, verum in rigore neque majorem conjunctionem probat, ut explicatum eſt ſuprà *num.* 21. *&* 22.

44\. Solvitur ſextum. Solvitur tertia pars inſtantiæ negando abſolutè beatitudinem formalem debere eſſe poſſeſſionem ſub ratione beatitudinis objectivæ; debet quidem beatitudo formalis eſſe aſſecutio & poſſeſſio Dei, qui eſt beatitudo objectiva, vel etiam ut eſt beatitudo objectiva ſi ly *ut* reduplicet rationem *qua*; at non aliter: Imò eſſet chimærica beatitudo, quâ Deus poſſideretur ſub ratione beatitudinis objectivæ vel ut eſt beatitudo objectiva ſi ly *ut* redoplicet rationem *ſub qua*, chimæricum quippè eſt & repugnans, quod potentia vitalis vitaliter operetur ſub ratione formali aliena & extranea, ſicuti eſt extranea intellectui ratio beatitudinis objectivæ ſeu ratio boni; cum igitur Deus poſſideri ſolùm poſſit per operationem vitalem intellectus, chymericum eſt & repugnans quòd Deus poſſideatur ſub ratione beatitudinis objectivæ, & per conſequens chymærica eſſet beatitudo, quâ, &c. Ad primam probationem in oppoſitum, nego Deum eſſe poſſidendum in Patriâ ſub ea ratione, ſub quâ in via deſideratur, imò ſicuti in Patriâ, poſſidetur à diverſa potentia, ità neceſſe eſt etiam quod poſſideatur ſub diverſa ratione; & ſicuti deſideratur in viâ à voluntate, poſſidetur in Patriâ ab intellectu, ità neceſſe eſt, quòd deſideretur in via ſub ratione boni, poſſideatur in Patriâ ſub ratione veri;

Bonum regulariter non poſſidetur ſub eâ ratione ſub quâ deſideratur. Nec adverſariorum argumentum poteſt aliquid probare niſi nimium probet, niſi ſcilicet probet etiam in hâc vitâ bonum quodlibet ſenſibile ſolo actu appetitus aut ſenſitivi aut rationalis poſſideri, non verò contactu v. g. manuumvè apprehenſione; quia quidquid deſideratur, deſideratur ſub ratione boni, & ſoli actus appetitus bonum attingunt ſub ratione boni.

45\. Ad ſecundam probationem dico beatitudinem formalem debere eſſe poſſeſſionem boni ſummi quoad ſubſtātiam & modum ſe tenentem ex parte objecti, non quoad modum ſe tenentem ex parte potentiæ; ratio autem *ſub quâ* ſe tenet ex parte potētiæ & diverſa ratio *ſub qua* eſt eadē attingibilitas relata ad diverſam potentiam:

Beatitudo nō eſt poſſeſſio boni quoad omnem modum. Deindè negari ſimpliciter poteſt beatitudinē formalē debere eſſe poſſeſſionem boni ſummi etiam quoad omnem modum ſe tenentem ex parte objecti; alioqui beatitudo formalis deberet eſſe poſſeſſio comprehenſiva Dei.

46\. Ad tertiam probationem dico ſublata præcisè à Deo ratione boni *qua*, ejus poſſeſſionem non fore beatitudinem, quia eſſet ſublata à Deo ratio ſummi boni, imò omnis boni; ſublatâ verò præcisè ratione boni *ſub quâ* adhuc Dei poſſeſſio foret vera beatitudo, quia eſſet ſolùm ſublata habitudo boni ad voluntatem, non verò perfectio aliqua abſoluta boni, undè adhuc remaneret in Deo ſummum & omne bonum, nec aliud quidquam ad beatitudinem formalem requiri ſuadent obiter verba illa *Exodi* 33. quibus Moyſi petenti oſtēſionem gloriæ & beatitudinis reſpondit Dominus *Ego oſtendam omne bonum tibi*, nec addidit ſob ratione boni, aut aliquid exprimens habitudinē ad voluntatē & rationē *ſub quâ*.

47\. Probatur aſſertum ſecundò: Beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta unicè conſiſtit in eo, quod eſt ratio primò diſtinctiva beati à non beato, & quod eſt prima radix cujuſcumque alterius perfectionis debitæ beato; ſed hujuſmodi eſt viſio Dei; ergo in hâc unicè conſiſtit beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta: Major patet, quia res quælibet eſſentialiter ſumpta, ſeu eſſentia metaphyſica cujuſlibet rei unicè conſiſtit in eo, quod eſt ratio primò diſtinctiva talis rei ab aliâ qualibet, & radix cujuſcumque alterius prædicati tali rei convenientis, ut patere poteſt inductione:

Viſio primò diſtinguit beatum à non beato. Minor quoad primam partem probatur, tùm ex eo quod ratio primò diſtinctiva beati debet eſſe operatio ut ſupponitur ex dictis, inter operationes autem proprias ſtatus beatifici viſio eſt omnium prima; tùm quia ex eo præcisè, quòd quis Deum videat eſt extrà ſtatum viæ, & tanquam comprehenſor à viatore ſecernitur; tùm quia denique ratio primò diſtinctiva damnati à non damnato eſt pœna damni, ut colligitur ex ipsâ correſpondentiâ nominis inter damna-

tum & pœnam damni; hæc autem conſiſtit in privatione viſionis, undè pueri in limbo exiſtentes ex eo præciſe, quòd Dei viſione priventur, ſuſtinent pœnam damni; ergo cum beatus maximè opponatur damnato, ratio primò diſtinctiva beati erit forma oppoſita illi privationi, quæ eſt ratio primò

48. diſtinctiva damnati ſicque erit viſio. Minor eadem probatur quoad ſecundam partem: Perfectiones maximè debitæ beato ſunt potiſſimùm actus beatifici amoris & gaudij; perfecta quies & plena ſatietas, appetitus, ſecuritas, perpetuitas felicitatis; impeccabilitas & immunitas ab omni imperfectione morali; dotes glorioſæ tùm animi tùm corporis, quæ omnia deindè inferunt carentiam cujuſcumque miſeriæ, & cujuſcumque mali excluſionem; atqui omnes enumeratæ perfectiones ſunt vel immediatè vel mediatè à viſione tanquam à prima radice, & tanquam beatitudinis proprietates à beatitudinis eſſentiâ; ut quoad actus amoris & gaudij inferri poteſt partim ex toto hujuſce capitis progreſſu, partim ex initio libri ſequentis, in quo etiam agetur de quibuſdam perfectionibus viſionem conſequentibus ex parte intellectus, item de dotibus glorioſis; quoad ſatietatem verò, perpetuitatem, impeccabilitatem mox oſtendam toto capite tertio, ex quo etiam habebitur ſolutio plurium argumentorum, quæ formari ſolent contrà beatitudinem eſſentialem in viſione conſtitutam, dum contendunt Adverſarij probare, quòd per viſionem ſatietur & quietetur intellectus ſolùm non voluntas; quod viſio ex ſe præcisè non excludat omnem miſeriam, imò non excludat miſeriam ſummam, quæ eſt peccatum, & alia hujuſmodi; ideò tùm propter iſta infrà diſcutienda, tùm propter jam dicta ſolvendo inſtantias factas contrà primam probationem vix aliquid ſupereſt afferendum pro majori elucidatione aſſertæ veritatis, ſubjicio tamen nonnulla, quæ ad infirmandam hanc ſecundam probationem objici poſſunt pro amore contrà viſionem.

Eſt prima radix cujuſcumque alterius perfectionis debitæ beato.

Indicantur quædam Adverſariorum argumenta infrà ſolvenda.

Dices igitur primò: Licèt amor beatificus ſit poſterior viſione in executione, eſt tamen prior & potior eâdem in intentione, ſeu in genere finis; ergo cum in ordine ad beatitudinem, utpotè quæ eſt in genere finis, attendenda maximè ſit operatio ſecundùm ea, quæ ipſi in genere finis conveniunt, debet in præſenti amor dici prior & potior viſione, non è contrà; antecedens probatur primo ex Anſelmo *lib. 2. cur Deus homo cap. 1.* dicente *Rectus ordo eſt cognoſcere ut diligamus; perverſus autem diligere ut cognoſcamus*, ergo amor eſt finis cognitionis, non cognitio amoris: Secundò ex communi ratione finis, quæ ab ordinatè volente tribuitur rei perfectiori potiùs, quàm minùs perfectæ; atqui amor ex genere ſuo eſt perfectior cognitione, ſicuti voluntas eſt perfectior intellectu, & per conſequens ſupremus actus amoris, qualis eſt amor beatificus, eſt perfectior ſupremo actu cognitionis, qualis eſt beatifica viſio; ergo in intentione ſeu in genere finis amor prior eſt & potior viſione. Sed contrà: dico etiam in 49.
intentione & in genere finis viſionem eſſe priorem & potiorem amore beatifico, quia ſermo eſt in præſenti de fine *Quo* non de fine *Qui*, hic quippè non eſt aliqua operatio creaturæ, ſed Deus ipſe; finis verò *Quo* conſiſtens in aſſecutione finis *Qui*, utique magis convenit viſioni, quàm amori; cum viſio, non amor, ſit operatio aſſecutiva & poſſeſſiva: Ad primam antecedentis probationem Lezana *hic quæſt. 3. art. 8. diſput. 11. num. 54.* notat verba ex Anſelmo relata apud Anſelmum non reperiri, & equidem licèt ſemel ac iterum Anſelmum in fonte quoad citatum caput, imò etiam quoad alia nonnulla capita ſequentia perlegerim, verba illa nec quoad eoſdem terminos, nec etiam quoad eumdem propriè ſenſum inveni; duo enim ibi docet Anſelmus: Primum eſt naturam rationalem eſſe à Deo factam juſtam, ut ſummo bono fruendo eſſet beata: Secundum eſt eſſe factam rationalem, ut inter bonum & malum, nec non inter majus & minus bonum diſcernendo, malum odiſſet, bonum diligeret, & bonum majus diligeret magis; quæ duo meo videri non continent propriè ſenſum ſuperioribus verbis expreſſum: Data tamen illa ſententia, tanquam ex Anſelmo deſumpta, dicendum eſſet ipſam procedere de amore & cognitione, non patriæ, ſed viæ, in quâ verè debemus cognitionem ordinare ad amorem, tanquam magis conducentem ad meritum, quod eſt maxima viæ perfectio, maximéque nos diſponit ad æternam beatitudinem Patriæ. Ad ſecundam probationem 50.
dico ad ſummum rationem finis *Qui* ab ordinatè volente tribui rei perfectiori, quamvis neque hoc ſit innegabile; rationem verò finis *Quo* utpotè in aſſecutione conſiſtentis tribuendam eſſe rei magis aſſecutivæ, non magis perfectæ; aut ſolùm magis perfectæ in lineâ aſſecutionis, non magis perfectæ ſimpliciter; in lineâ autem aſſecutionis ſatis probatum eſt perfectiorem eſſe viſionem amore, actum intellectus actu voluntatis; quidquid ſit deindè de majori perfectione ſimpliciter, quam propter rationem allatam *num. 6.* nolo in præſenti definire, ipſam tamen contrà Scotiſtas ſuſtinent Thomiſtæ communiter, & plures etiam Recentiores ut videre eſt apud Ioan. à S. Thoma *hic quæſt. 2. diſput. 2. art. 4. num. 27.* Vaſquium *diſp. 11. art. 8. c. 8.* Arriagam *diſp. 49. ſect. 1. n. 5.*

Verba Anſelmi ab adverſariis infideliter relata.

Finis *qui*, non *quo*, debet poni in eo, quod perfectius eſt.

Dices ſecundò: Quidquid ſit de auctoritate Anſelmi, & de majori perfectione amoris beatifici ſuprà viſionem, certè negari non poteſt, quin viſio ordinetur ad amorem beatificum, cum & ſit prior in executione amore beatifico, & ad hunc obtinendum conducat; atqui hæc probant amorem eſſe finem viſionis, proprium enim finis eſt, quod ad ipſum alia ordinentur tanquam ad aliquid in executione poſterius, & per ipſa obtinendum; ergo ſemper ſubſiſtit amorem beatifi-

cum in intentione, & in genere finis, eſſe priorem & potiorem viſione, quemadmodum in prima inſtantia objiciebatur. Sed

51. *Viſio quomodo ordinetur ad amorem beatificum?*

contrà: dico viſionem ordinari ad amorem beatificum, ſicut eſſentia ordinatur ad proprietatem & paſſionem, non ſicut medium ordinatur ad finem; item ad modum eſſentiæ, non ad modum medij viſionem eſſe in executione priorem amore, & ad hunc obtinendum conducere; undè quidquid in hac inſtantia urgeatur, retorqueri poteſt in rationalitate ad riſibilitatem vel in formâ ignis ad calorem comparata.

Dices tertiò: Viſio non eſt finis amoris beatifici, cum nec amor beatificos conducat ad obtinendam viſionem, nec ut amicabilis referatur ad ipſam, reſpicit quippè ut amicabilis, Deum quatenùs in ſe bonum, non quatenùs viſum; ergo cum ex alia parte viſio & amor beatificus non ſe habeant ut duo diſparata, dicendum eſt, quòd amor ſit finis viſionis.

52. *Eſt reſpectu talis amoris finis perficiendus.*

Sed contrà: Viſio dici poteſt finis amoris, non quidem obtinendus, benè tamen perficiendus per amorem beatificum, qui etiam ut amicabilis ad viſionem ut perficiendam referri poteſt, licèt enim ut objectum reſpiciat ſolum Deum ut in ſe bonum, ut radicem tamen, à quâ pullulet & quam perficiat, optimè poteſt viſionem reſpicere. Deindè ex eo quod viſio & amor beatificus non ſint duo diſparata, non ſequitur quod unum ſit finis alterius, habitudo enim medij & finis non eſt unica ratio connexionis unius cum alio, præſertim quando connexio eſt neceſſaria. Poteſt, tum inſtantia retorqueri, tùm reſponſio confirmari, paritate cujuſlibet naturæ ad ſuam proprietatem comparatæ.

Dices quartò: Ex D. Thoma *hic quaeſt. 3. art. 2. in c. Beatitudo eſt ultima hominis perfectio*; atqui comparando viſionem cum amore, perfectio ultima eſt amor non viſio; ergo in amore potiùs, quàm in viſione collocanda eſt beatitudo eſſentialiter ſumpta.

53. Sed contrà: ſi aliquid inſtantia probaret, in delectatione, quæ eſt amore poſterior, collocanda eſſet beatitudo potiùs, quàm in amore: eſt igitur intelligendus D. Thomas non de perfectione ultima quomodocumque, ſed comparativè ad actum primum; quâ ratione omnis actus ſecundus ſeu omnis operatio eſt perfectio ultima; unde S. Doctor ibidem addit *Manifeſtum eſt autem, quòd operatio eſt ultimus actus operantis*, atqui viſio verè eſt operatio, ergo eſt perfectio ultima in eo ſenſu, in quo S. Doctor tradit beatitudinem eſſe perfectionem ultimam.

Quomodo beatitudo ſit perfectio ultima.

Præſcindendo ab hoc textu & ſenſu D. Thomæ, beatitudo dici poteſt perfectio ultima, quatenùs eſt aſſecutio finis ultimi, quâ ratione prærogativa perfectionis ultimæ viſioni non ſolùm convenit, verum etiam unicè convenit.

Dices quintò: In via meritum ſpectat ad voluntatem magis, quàm ad intellectum; ergo in patria præmium tribui debet voluntati principaliùs, quàm intellectui, debet igitur conſiſtere in voluntatis actu potiùs, quàm in actu intellectus. Rurſus beatitudo imperfecta viæ conſiſtit in cognitione ſimul & amore; ergo à fortiori debet conſiſtere in cognitione ſimul & amore beatitudo perfecta patriæ.

54. *Meritum & præmium quomodo debeât eſſe reſpectu ejuſdem.*

Sed contrà: Sicuti miles, qui manu pugnat, optimè præmiatur per coronam capiti impoſitam; ità homo, qui voluntate meretur, optimè præmiatur viſione in intellectu receptâ; ratio univerſalis eſt, quia meritum & præmium exigunt idem principium, idemvè ſubjectum *quod* non *quo*; ratio inſuper ſpecialis in præſenti eſſe poteſt, quia præmiari in patriâ eſt ſatiari & beari, dici igitur poteſt voluntatem viſione præmiari eâ ratione, quâ mox §. 1. explicabitur voluntatem viſione ſatiari & beari. Ad illud quod additur de beatitudine imperfecta viæ opportuniùs occurretur poſtquam fuerit definitum, in quonam eſſentialiter talis beatitudo conſiſtat? idque infrà præſtabitur *cap. 4.* interim pro plenâ elucidatione perfectæ beatitudinis eſſentialiter ſumptæ ſit

CAPUT III.

Qualis ſit viſio, in qua beatitudo formalis ſupernaturalis eſſentialiter ſumpta conſiſtit?

1. SVa hoc titolo quæri primo loco poſſet, utrùm viſio quatenùs eſt beatitudo formalis neceſſariò feratur in omnia, quæ ſunt in Deo formaliter, an ſalvo beatitudinis conceptu poſſit attingere divinam eſſentiam præciſis Perſonis & attributis? verum, quia quid ſit in hoc ſentiendum habetur ſufficientiſſimè ex dictis *lib. ſuperiore cap. 3. §. 5. & 6.* remanent potiſſimùm ſub hoc capite proponenda illa tria, quorum ſuprà meminimus *num.* 48. Primò ſcilicet quomodo perfectè ſatiet & expleat appetitum? Secundò quomodo petat perpetuitatem? Tertiò quomodo vi ſua reddat beatom impeccabilem? Quæ quidem tria beatitudini eſſentialiter ſumptæ neceſſariò deberi apud omnes compertom certumque eſt, quomodo autem in viſione reperiantur dubium & controverſom adeò, ut primum & tertium nonnulli abſolutè negent convenire viſioni ſecundùm ſe præciſè, & ut ſejunctæ ab amoris conſortio, hincque inferant in viſione taliter accepta beatitudinis eſſentiam non ſalvari; his diſcuſſis caput concludetur expediendo alia quædam ad propoſitum titulom pertinentia, minoris tamen momenti, & facilioris ſolutionis.

§. I.

§. I.

Quomodò Viſio, quæ eſt formalis beatitudo, perfectè ſatiet & expleat appetitum?

2. *Viſio Dei omnem appetitum ſatiat.*

Assert. Viſio quæ eſt formalis beatitudo perfectè ſatiat & explet omnem appetitum per modum perfectæ aſſecutionis ſummi boni. Hoc aſſertum in re eoſdem habet Propugnatores, eoſdemque Adverſarios, quos aſſertum ſtabilitũ *c. ſuperiore*, §. 4.

Probatur & explicatur: Viſio verè eſt perfecta, imò etiam vnica, aſſecutio ſummi boni; ſed perfecta aſſecutio ſummi boni perfectè ſatiat & explet omnem appetitum; ergo Viſio ut eſt aſſecutio ſeù per modum perfectæ aſſecutionis ſummi boni perfectè ſatiat & explet, &c. Major ſupponitur *ex cap. præcedente* ferè per totum. Minor probatur;

Appetitus ſummi boni eſt in aliquo ſenſu omnis appetitus.

id, quod perfectè ſatiat & explet appetitum ſummi boni, perfectè ſatiat & explet omnem appetitum, Nomine enim omnis appetitus in præſenti venit appetitus, qui omnem alium appetitum quodammodò eminẽter continet, quatenùs omni alij appetitui præeminet & præfertur, talis eſt autem appetitus ſummi boni; qui etiam dici poteſt omnis appetitus ex alio capite, ſcilicet ex eo, quòd ſummum bonum rectè dicatur omne bonum; atqui perfecta aſſecutio ſummi boni perfectè ſatiat & explet appetitum ſummi boni, quia cujuſlibet rei appetitus eſt in ordine ad talem rem aſſequendam ac poſſidendam, non verò in ordine ad amandum ipſam aut gaudendum de ipſa; illud enim,

3. *Appetitur aſſecutio boni magis quàm amor aut gaudiũ.*

primum eſt valdè æſtimabilius atque appetibilius hoc ſecundo, pluris ſcilicet quis æſtimatur, quia habet bona, undè inde delectatur & gaudet, quàm quia talibus bonis delectetur & gaudeat, laudatur miles, quia victoriam obtinet magis, quàm quia victoriam amet vel de victoriâ gaudeat; ſapientes etiam vel divites, v. g. in hominum exiſtimatione ſunt propter Sapientiæ vel divitiarum, non amorem & complacentiam, ſed poſſeſſionem; inductione igitur conſtat appetitum ex genere ſuo in rei aſſecutionem tendere primariò & eſſentialiter; in rei aſſecutione primariò & eſſentialiter ſatiari & quietari.

Dices: Potentia quælibet magis ſatiatur actu proprio, quàm alieno; ſatiari enim eſt compleri & perfici, bonum autem intrinſecum, cuiuſmodi eſt actus proprius complet & perficit magis, quàm bonum extrinſecum, cuiuſmodi eſt actus alienus; atqui amor reſpectu voluntatis eſt actus proprius viſio eſt actus alienus; ergo volũtas magis ſatiatur amore, quàm viſione; & per conſequens viſio non ſatiat perfectè voluntatem, in quâ tamen reſidet univerſalis & præcipuus ap-

4. *In genere finis magis perficit bonũ extrinſecũ quàm intrinſecũ.*

petitus. Sed contrà: Satiari eſt compleri & perfici in genere finis, non alio quocumque modo; in genere autem finis nihil magis complet, nihil magis quamcumque potentiam perficit, quàm ipſa finis aſſecutio, ſivè hæc actu proprio, ſivè alieno habeatur: Porrò bonũ intrinſecum magis perficit in genere cauſæ formalis, quàm bonum extrinſecum, at non in genere finis; & voluntas ut ſubjectum in ordine ad formam magis completur amore quàm viſione, ſed ut agens in ordine ad finem magis completur viſione quàm amore: Beatitudo autem formalis eſt in genere finis, ad ipſam voluntas comparatur ut agens in ordine ad finem, ideò beatitudo formalis etiam reſpectu voluntatis debet in viſione conſiſtere.

Vrgebis: beatitudo formalis reddit voluntatem formaliter beatam, & quamvis ſit in genere finis, eſt tamen finis intrinſecus, non extrinſecus; atqui viſio nec poteſt eſſe finis intrinſecus voluntatis, cum ſit voluntati extrinſeca; nec poteſt reddere voluntatem formaliter beatam, quia utpotè forma non recepta in voluntate non poteſt tribuere ullum effectum formalem voluntati; ergo beatitudo formalis reſpectu voluntatis non poteſt conſiſtere in viſione. Contrà tamen: 5.

Beatitudo formalis nõ dicitur talis, quia ſit in genere cauſæ formalis.

beatitudo formalis nõ dicitur talis, quia beet in genere cauſæ formalis; & formalis denominatur ad differentiã beatitudinis objectivæ, non ad differentiam cauſæ finalis, imò quòd intrà genus cauſæ finalis ſeu finis remaneat evincitur ex eo, quòd appellatur etiã finis formalis: Beatitudo igitur formalis reddit voluntatem formaliter beatam, quatenùs reddit ipſam beatam beatitudine contradiſtincta à beatitudine objectivâ; non quatenùs reddat ipſam beatam in genere cauſæ formalis. Eadem beatitudo dicitur finis intrinſecus quatenùs cõtradiſtinguitur à fine objectivo; qui eſt ſecundùm ſe extrinſecus ſimpliciter, ab hoc autem ſufficienter contradiſtinguitur per hoc, quod ſit quid intrinſecum Perſonæ; quæ beatur; quamvis non ſit quid intrinſecum cuilibet ipſius potentiæ.

Vrgebis adhùc: dum voluntas redditur formaliter beata redditur vivens vitâ beatâ; ſed vita voluntatis non poteſt eſſe niſi quid intrinſecum voluntati, & actus proprius ipſius, nec viſio poteſt eſſe voluntatis vita; ergo ſolùm actus proprius voluntatis, nullatenùs viſio, poteſt eſſe formalis beatitudo voluntatis; major probatur, tùm quia beatitudo formalis ex conceptu ſuo eſt vita, ergo formalis beatitudo voluntatis eſt vita voluntatis; tum quia ſi voluntas non viveret vita beata, eſſet imperfectè & minùs perfectè beata quàm intellectus, qui ità eſt beatus ut vivat vita beata. Contrà tamen: diſtinguo 6.

Vita beatã voluntatis eſt beatitudo ſolùm phyſica.

majorem, dum voluntas redditur formaliter beata beatitudine formali ſubſtantialiter & phyſicè ſumpta redditur vivens vita beata, concedo majorem; dum redditur formaliter beata beatitudine formali eſſentialiter & metaphyſicè ſũpta redditur vivens vita beata, nego majorem, & conceſſa abſolutè minori; cõcedo etiã cõſequentiã de beatitudine formali ſumpta ſubſtantialiter & phyſicè, nego de eadem ſumpta eſſentialiter & metaphyſicè: Ad probationem majoris, ſi procedat de beatitudine eſſentialiter & metaphyſicè ſũptâ, concedo antecedẽs nego conſequentiam

quia vita voluntatis non eſt vita aſſecutiva, beatitudo autem formalis metaphyſicè ſumpta eſt ex conceptu ſuo vita non quomodocumque, ſed aſſecutiva: Ad illud, quod additur, dico voluntatem etiam non viventem vita beata non fore beatam imperfectè, quia adhuc haberet omnem beatitudinem ſatietatemque ſibi debitã & cujus eſt capax, quòd beatitudine eſſentialiter & metaphyſicè acceptâ foret minùs perfectè beata, quàm intellectus concedi poteſt, quia hoc nihil eſt aliud, quàm voluntatem non poſſe per actum proprium aſſequi beatitudinem, ſicuti poteſt intellectus.

7. Voluntas poteſt eſſe beata abſque eo, quod in ſe beatè vivat.

Hinc habes loquendo de beatitudine formali eſſentialiter ſumpta non idem eſſe reſpectu voluntatis (quãvis idem ſint reſpectu intellectus) beatitudinem formalem & vitam beatam, imò illam ſine iſta dari poſſe; vita enim beata volũtatis eſt beatitudo ſubſtantialis & phyſica ſita in actibus amoris & gaudij, qui actus etiam poſita viſione ſunt de potentia abſoluta impedibiles, quod eſt beatitudinem formalem metaphyſicam voluntatis dari & poni poſſe ſine vita beata ipſius.

Dices: voluntas nihil magis appetit quàm beatè vivere, ergo implicat quod voluntas habeat appetitum ſatiatum, & ſit in ſe formaliter beata abſque eo, quòd beatè vivat: Rurſùs, poſita viſione & impeditis actibus amoris & gaudij videns Deum deſideraret elicere tales actus, & ex hujus deſiderij adimplendi impedimento pateretur moleſtiã & anxietatem, quæ ſtare non poteſt cum ſatietate perfecta; ergo nec viſio ex ſe præcisè affert perfectam ſatietatem, nec ſubſiſtit doctrina, quæ mox inferebatur.

8. Sed contrà: Voluntas nihil magis appetit quàm beatè vivere, ſi beatè vivere ſumatur pro vita aſſecutiva beatitudinis, ſecùs ſi aliquo alio modo: Neque urgeas voluntas magis appetit beatam vitam propriã, quàm beatam vitam intellectus: Contrà verificatur hoc de voluntate ad ſummum ut eſt ſubjectum in ordine ad formam, non ut eſt agens in ordine ad finem juxtà ſupradicta *n.* 4. & ratio à priori eſt, quia ut ſubjectum in ordine ad formam reſpicit ſolum bonum particulare ſui ipſius, ut agens in ordine ad finem principaliùs reſpicit bonum univerſale ſuæ naturæ ſuique ſuppoſiti, reſpectu cujus longè majus bonũ eſt vita beata intellectus, quàm vita beata voluntatis; quia per illam, non per iſtam natura & ſuppoſitum acquirit poſſidetque beatitudinem objectivam.

Non omne deſiderium affert moleſtiam.

Ad illud, quod additur, dico non quodcumque deſiderium afferre moleſtiam & anxietatem, ſed illud ſolum, quo quis deſiderat efficaciter & abſolutè rem qua indiget, & quâ invitus caret; videns autem Deum, utpotè habens voluntatem maximè conformem divinæ, non careret invitus & cõtrà propriam voluntatem actibus amoris & gaudij, quos divina ipſa voluntas impediret; non etiam illis actibus indigeret; quia omnis indigentia eſt in ordine ad aſſecutionem ſummi boni, in quâ aſſecutione jam eſſet videns Deum, qui propterea circà actus amoris & gaudij, quibus careret, habere quidem poſſet deſiderium aliquod, at non deſiderium afferens moleſtiam & anxietatem, quod ſolùm opponitur ſatietati perfectæ.

Non modicam afferet huic doctrinæ confirmationem ſolutio alterius rationis dubitandi, quæ in præſenti contrà viſionem ut beatitudo formalis eſt militat, deſumpta ex inæqualitate ipſius viſionis in diverſis beatis, cum enim ratione talis inæqualitatis in aliquibus pauciores, in aliis plures ſint beatitudinis gradus, iis qui pauciores gradus habent videtur ſupereſſe aliquid deſiderandum, æqualitas ſcilicet cum habentibus plures viſionis, ſeu beatitudinis gradus, quod quidem deſiderium obſtabit perfectæ quieti, & ſatietati appetitus, moleſtiamque afferet & anxietatem. Hæc ratio dubitandi communis nobis eſt cum Auctoribus collocãtibus beatitudinem, aut in aliquo actu voluntatis, aut in actibus intellectus & voluntatis ſimul; eadem enim inæqualitas quæ reperitur in viſione reperitur proportionaliter in aliis actibus beatificis; propterea urgeri contrà nos ſolet ab iis dumtaxat, qui beatitudinem formalem collocant in viſione Dei increata eadem & æquali in omnibus beatis: Horum opinionem ex profeſſo rejecimus *c.* 1. §. 2. ſatisfaciamus jam prædictæ rationi dubitandi, quæ hic opportunè occurrit. Ideò ſit 9.

---

§. II.

Utrum viſio Dei ſecundùm quemcumque ſui gradum perfectè ſatiet & expleat appetitum?

10. Viſio Dei etiam minima perfectè ſatiat appetitum.

ASSERT. Viſio Dei ſecundùm quẽcumque ſui gradũ perfectè ſatiat, & explet appetitum. Ità Eſtius *in* 4. *diſt.* 49. §. 5. Molina 1. *p.* *q.* 12. *art.* 6. *diſput.* 4. Lauræa *in* 4. *tom* 4. *diſp.* 17. *art.* 9. & quoad rem, quamvis ipſam ſub propriis terminis ſupponãt potiùs quàm examinent, alij omnes Theologi communiſſimè quatenùs ex una parte acceptiſſima veritas eſt beatitudinem formalem in quocumque conſiſtat, eſſe inæqualẽ; ex alia parte, dum Auctores omnes docendo formalem beatitudinem patriæ perfectè ſatiare & explere appetitum loquuntur de beatitudine indefinitè, ſufficienter exprimunt ſe loqui de qualibet minima etiam beatitudine, & in quocumque gradu ſit; loquitur in terminis de minima beatitudine, quamvis non de minima viſione Scotus *in* 3. *diſt.* 13. *q.* 4. §. *ad argumenta alterius* & *in* 4. *diſt.* 50. *q.* 6. §. *Sic eſt etiam in propoſito.*

Probatur primò: Viſio Dei ſecundùm quemcumque ſui gradum eſt perfecta aſſecutio ſũmi boni; ſed perfecta aſſecutio ſummi boni, perfectè ſatiat, & explet appetitum; ergo viſio Dei ſecundũ quemcumq; ſui gradum, &c. Minor ſupponitur ex ſuperioribus; Major probatur, viſio habet, quod ſit aſſecutio perfecta ſummi boni, partim à ratione

communi

communi cognitionis, partim à ratione ſpecialı cognitionis intuitivæ *ex cap. præcedenti num.* 35. atqui in quocumque gradu habet tàm rationem communem cognitionis, tùm rationem ſpecialẽ cognitionis intuitivæ, hæ enim rationes ſunt rationes viſioni eſſentiales, quæ non ſunt alligatæ majori vel minori

11. perfectioni graduali. Confirmatur: ſi viſio

Si minima viſio non ſatiaret, nulla ſatiaret.

in quocumque gradu accepta perfectè non ſatiat appetitum adeò, ut de facto Beati habentes viſiones minores reliquis perfectè nõ ſatientur, ſequeretur quòd in nullo gradu poſſet appetitum ſatiare, cum enim viſione quomodocumque majore & perfectiore ſint dabiles aliæ in infinitum majores & perfectiores, argumentum quod nunc probaret non perfectè ſatiare viſionem minorem eo, quod exiſtant ſuprà ipſas aliæ viſiones perfectiores, probaret pariter non ſatiare viſionem quamcumque aſſignabilem, quia ſuprà viſionem quamcumque aſſignabilem eſſent poſſibiles aliæ perfectiores, quæ poſſent ſui appetitum & deſiderium excitare æquè ac viſiones exiſtentes.

12. Probatur ſecundò: Appetitus hominis alius eſt elicitus, alius innatus; elicitus deindè alius eſt naturalis, alius ſupernaturalis; ſed viſio Dei ſecundùm quemcumque ſui gradum perfectè ſatiat appetitum tùm innatum, tùm elicitum; & elicitum tùm naturalem, tùm ſupernaturalem; ergo.

Minor probatur primò quoad primã partem de appetitu innato. Totus appetitus innatus creaturæ rationalis eſt ad aliquid inferius & minus viſione Dei, quodque eminentiſſimo modo in Dei viſione continetur, & non ſolùm ad ſummã & perfectiſſimam, ſed nec ad minimam viſionem pertingit; ergo totus appetitus innatus creaturæ rationalis perfectè ſatiatur quolibet viſionis gradu, qualibet minima viſione; patet conſequentia quia appetitus perfectè ſatiatur, quando acquirit totum id quod appetit, multo magis igitur quando aliquid perfectius & eminentius, ut exemplificari poteſt in natura humanã, quæ per ſubſiſtentiam Verbi perfectiorem quacumque ſubſiſtẽtia creata perfectiſſimè completur quoad appetitum innatum

Appetitus innatus creaturæ rationalis ad quid tendat?

ſubſiſtendi: Antecedens probatur, Totus appetitus innatus creaturæ rationalis eſt ad cognoſcendam totam latitudinem veri quã naturaliter poteſt cognoſcere, & præcipuè ad habendam totam illam cognitionem, quæ de Deo ut Auctore naturæ naturaliter haberi poteſt; deindè ad volendam proportionaliter totam latitudinem boni, maximè verò ad amandum Deum quantum naturaliter amari poteſt; atqui hoc totum minus eſt viſione Dei, cujus minimus quilibet gradus eminentiſſimè continet cognitionum omniũ naturalium perfectionem, ſicque perfectè ſatiare poteſt omnem appetitum talium cognitionum, ſatiare item poteſt omnẽ appetitum naturalium volitionum, quia omnes iſtæ volitiones eminenter continentur in quolibet gradu amoris beatifici, quo tamen juxtà ſupradicta *n.* 7. Viſio non indiget, ut ſatiet appetitum voluntatis, multo minùs igitur indigebit conſortio alicujus volitionis naturalis ad afferendam eandem ſatietatem.

Dices: Appetitus innatus nihil eſt aliud, quàm capacitas & inclinatio merè paſſiva hominis ad quamlibet perfectionẽ poſſibilem ſibi ineſſe, ergo nec ſufficienter fuit explicatum objectũ appetitus innati, nec rectè dictum ipſum ne ad minimam quidem viſionem pertingere, imò ſicuti admittitur in homine capacitas ad viſionem ſummã & perfectiſſimam ſibi poſſibilem, ità debet in homine ad hanc eandem viſionem admitti appetitus innatus, dicendo quacumque viſione ſatiari quidem in beato appetitum deliberativum & elicitum, at non naturalem & innatum; quamvis deinde ratione primæ ſatietatis beatus remaneat quietiſſimus & abſque ulla anxietate aut ſolicitudine. Sed contrà: Inſtantia continet doctrinam Scoti locis in aſſerto citatis, & aliis relatis à Lauræa *in 4. tom. 4. diſp.* 15. *art.* 7. *& diſp.* 17. *art.* 9. qui cum aliis Scotiſtis ſuum Doctorẽ 13.

ſequitur docendo beatum qualibet viſione non ſatiari quoad appetitum innatũ, quamvis aliunde ob ſatietatem appetitus eliciti dicendus ſit abſolutè ſatur & quietus: Nihilominùs hæc doctrina falſo nititur ſuppoſito, ſupponit enim quod alibi docet Scotus nihil eſſe ſupernaturale reſpectu potentiæ paſſivæ, & hanc naturaliter reſpicere omnem perfectionem ſibi poſſibilem etiam ſupernaturalem; ſuppoſitum hoc nos improbavimus *tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 51. & cohærenter ad ibi poſita dico appetitum innatũ eſſe capacitatem ad perfectionem, quæ ſimpliciter & abſolutè naturæ viribus haberi poſſit, nõ verò ad quamlibet perfectionem quomodocumque poſſibilem, propterea ad viſionem Dei etiam minimam nullus datur in creatura rationali appetitus innatus, ut ex profeſſo aſſerebamus *cap. præcit. n.* 50.

Minor eadem probatur ſecundò quoad ſecundam partem de appetitu elicito naturali: 14.

Appetitus elicitus naturalis correſpondet innato.

Hic appetitus propriè acceptus, quatenùs ſcilicet purè naturalis & efficax eſt, non extenditur ultrà ſphæram & objectum appetitus innati; ergo de ipſo militat eadem ratio, quæ mox afferebatur ad probandum viſionem ſatiare & explere appetitum innatum: Remanebit id etiam à fortiori probatum ex iis, quæ mox ſubjicio pro ſatietate appetitus eliciti ſupernaturalis; quo certè inferior & minor eſt, necnon faciliùs explebilis, appetitus elicitus naturalis.

Minor eadem probatur tertiò quoad tertiam partem de appetitu elicito ſupernaturali: Viſio Dei ſecundùm quemcumque ſui gradum eſt perfecta aſſecutio ſummi boni, non quomodocumque, ſed in ordine ſupernaturali; eſt enim perfecta aſſecutio Dei ut eſt in ſe, Deus autem ut eſt in ſe eſt ſummum bonum in ordine ſupernaturali; ergo viſio Dei ſecundùm quemcumque ſui gradum perfectè ſatiat appetitum etiam ſupernaturalem. Confirmatur: ſicuti appetitus eli- 15.

Appetitus elicitus ſupernatura-

citus naturalis ſequitur ad capacitatẽ, quam quis habet à naturâ; ità appetitus elicitus ſupernaturalis ſequitur ad capacitatem, quam

quiſ

lis correſpondet gratiæ.

quis habet à gratiâ; ergo beati ſicuti ſunt inæquales in gratia juxtà inæqualitatē meritorum, ità ſunt inæquales in appetitu elicito gloriæ ſeu viſionis, & in quocumque gradu hæc ſit, dummodò ſit juxtà menſuram gratiæ adæquat & ſatiat appetitum ſupernaturalem elicitum beatorum. Confirmatur inſuper: appetitus elicitus ſupernaturalis in beatis non inclinat ipſos ad viſionem ſummam & perfectiſſimam; ergo perfectè ſatiatur viſione aliqua infrà ſummã, & per conſequens etiam viſione qualibet, ſemel enim admiſſo quod viſio infrà ſummam perfectè ſatiet, non eſt major ratio, cur ſatiet in hoc, quàm in illo determinato gradu, non in quocumque? Antecedens probatur, quia appetitus elicitus ſupernaturalis non inclinat quemlibet beatum ad viſionem æqualem ei, quam habet Chriſtus Dominus, aut Virgo Deipara; eſſet enim talis appetitus irrationabiliter & imprudentiſſimè elicitus, quod repugnat perfectioni ſtatus beatifici: ergo.

16\. Ex dictis habetur primò quomodò occurrendum ſit rationi dubitandi poſitæ in calce *ſuperioris* §. & quomodò in terminis reſpondendum quærenti utrùm habens beatitudinem viſionemve minorem deſideret majorem, qualem agnoſcit in aliis pluribus beatis; & ſuppoſito quòd deſideret, cur tale deſiderium non afferat moleſtiam & ſolicitudinem? Ad primam ſcilicet partem reſpondendum deſiderare id ad ſummum deſiderio inefficaci & conditionato, nullatenùs efficaci & abſoluto, ex quo ſtatim in promptu eſt reſponſio ad ſecundam partem, deſiderium enim inefficax, quamvis non impleatur, ex genere ſuo non cauſat anxietatem, nec impedit perfectam quietem, plenamque ſatietatem, cum dentur etiam in Deo aliqua hujuſmodi deſideria nunquam implenda. Ratio deinde, cur beatus efficaci & abſoluto deſiderio ferri nequeat in beatitudinē majorem? duplex potiſſimùm ex dictis aſſignari poteſt:

Habens pauciores gradus viſionis ſolũ inefficaciter poteſt deſiderare plures.

17\. Prima ſit à priori, quia beatus quilibet habet perfectam poſſeſſionē ſummi boni, quæ tollendo omnem indigentiam, & explendo omnem appetitum, nullum relinquit locum deſiderio efficaci alterius boni: Secunda ſit à poſteriori, quia beati elicere non poſſunt deſiderium irrationabile, imprudens, & diſforme tùm divinæ voluntati, tùm propriæ morali capacitati, tale autem eſſet in habente pauciores viſionis gradus deſiderium efficax habendi plures. Addi poteſt tertia & quarta ratio: Tertia ſit perfectum amicitiæ vinculum, vi cujus omnia ſunt quodammodò inter beatos communia, & unuſquiſque ſibi complacet de bonis alterius, tanquam de propriis; ex quo ſicuti ſit neminem poſſe alteri invidere, ità etiam ſit neminem poſſe ſibi alterius bona efficaciter & cum ſolicitudine deſiderare:

Prima ratio.

Secũda ratio.

Tertia ratio.

18\. Quarta ſit gaudium, quod beati habent de inæqualitate inter ipſos exiſtente, utpotè in quâ eximiè relucet tùm pulcritudo & ordo beatæ Reipublicæ, tùm ſplendor juſtitiæ remunerativæ Dei & ſupernaturalis providentiæ; cum tali gaudio malè cohæreret deſiderium efficax æqualitatis, cui deſiderio æquivaleret illud, quo quilibet beatus habens pauciores viſionis gradus expeteret efficaciter habere plures.

Quarta ratio.

Habetur ſecundò Scotum & Scotiſtas admittentes in beatis appetitum innatum non expletum difficiliùs explicare, cur nequeant beati efficaciter deſiderare plures gradus beatitudinis uſque ad ſatietatem appetitus innati? difficile enim explicatur, quomodò deſiderium efficax cõforme appetitui innato poſſit eſſe aut irrationabile, aut imprudens, aut dicere aliquam aliam imperfectionem, quam non dicat appetitus innatus. Nihilo- 19.
minùs doctrina Scoti, niſi ex ſupradictis *n.*13. falsò inniteretur ſuppoſito, quantùm ad præſentem difficultatem non omninò diſpliceret, quia ex una parte plura alia naturaliter appetimus, quæ in aliquo particulari caſu non poſſumus efficaciter appetere deſiderio rationabili & prudenti; deſideriũ igitur efficax, quamvis ſit conforme appetitui innato, adhuc poteſt eſſe irrationabile & imprudens; ex alia parte doctrina illa Scotiſtica inſervire nobis poteſt ad explicandũ, cur videns Deum, & non amans, non haberet deſiderium efficax amoris? Licèt ad talem amorem haberet ex vi viſionis & habitus charitatis ſpecialem capacitatem; ex quo capite poteſt contrà nos ſpecialiter probari, quod videns Deum & non amans deberet efficaciter deſiderare amorem, quamvis videns remiſſiùs non deſideret efficaciter videre intenſiùs, quia ille habet ſpecialem capacitatem & diſpoſitionem ad amorem, non ſic iſte ad viſionem intenſiorem: Huic argumento eludendo valdè quadrat doctrina illa Scotiſtica; ſi enim juxtà ſubtilem Doctorem ex poſſeſſione ſummi boni, & conformitate ad divinam voluntatem, beatus ità quietatur, ut nequeat efficaciter deſiderare id, ad quod retinet capacitatem naturalem & innatam, multo magis ſtante eadem poſſeſſione, &c. non poterit efficaciter deſiderare, id ad quod habet capacitatem ſupernaturalem & elevatam.

Occurritur Adverſariorum inſtantiæ ex Scoti doctrina.

Habetur tertiò Beatum quemlibet in pri- 20.
mo ſuæ beatitudinis inſtanti perfectè ſatiari, quietari, & expleri; neque cum moleſtia & inquietudine deſiderare aut beatitudinem corporum habendam poſt univerſalem reſurrectionem, aut perfectionem aliquam accidentalis beatitudinis ſucceſſivo decurſu temporis acquirendam; quia horum omnium deſiderium, aut ſimpliciter inefficax eſt, aut ſolum eſt efficax ut relatum ad tempus ex divina ordinatione præſcriptum.

Quomodò animæ deſiderent in patria beatitudinem corporum.

Habetur quartò jure optimo exprimi in Pſalmis Beatorũ ſatietatem & repletionem: Pſal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua:* 64. *Replebimur in bonis domus tuæ:* 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Eandem luculentiùs explicãt ſancti Patres, inter quos unum ſeligo Auguſtinum *in lib. de ſpiritu & litterâ, cap.* 33. dicentem, *illâ cognitione, illâ viſione, illâ contemplatione ſatiabitur in bonis animæ deſiderium. Hoc enim ſolum ſat eſt, ultrà non habet quod appetat, quod inhiet, quod requirat: nam deſiderio hujus ſatietatis*

ardebat qui Domino Chriſto dicebat, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.

---

§. III.

An & quomodò Viſio, quæ eſt formalis beatitudo, ſit perpetua.

21\. De fide eſt veram beatitudinem eſſe perpetuam.

ASSERT. 1. Certum eſt beatitudinem formalem ſupernaturalem, de qua in præſenti, eſſe perpetuam, ſeu numquam deſituram. Tradunt hanc veritatem ut fidei dogma D. Thom. 1. 2. *q.* 5. *art.* 4. *in c. & contrà Gent. cap.* 63. Scotus *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 6. §. *Hic duo ſunt* aliique omnes Theologi contrà errorem nonnullorum Platonicorum, qui, ut refert Auguſt. *lib.* 10. *de Civit. cap.* 30. docuerunt animarum circuitum, & conſequenter negarunt ſtatum earum perpetuum, poſueruntque è contrà viciſſitudinem quandam felicitatis & miſeriæ: hunc eumdem errorem imputant quampiures Origeni, aut potius quibuſdam Origenis diſcipulis, nam Origenem ipſum non deſunt, qui excuſent, ut videre eſt apud Salas *hic tract.* 2. *diſp.* 11. *ſect.* 1. *n.* 1. Referunt etiam nonnulli contrà hoc aſſertum errorẽ millenariorũ, qui ex verbis Apoc 20. *& regnabunt cum illo mille annis* concluſerunt beatitudinem mille poſt vniuerſalem reſurrectionem annorum ſpatio eſſe complendã; ſed tùm pro millenariorum errore, tùm pro legitimo ſenſu illorum verborum Apocalypſis conſulatur Lauræa *in* 4. *tom.* 4. *diſput.* 14. *art.* 9. *num.* 235. *&* 236.

Incerta eſt Origenis mens.

22\. Probatur primò ex Scriptura: Sap. 5. *Iuſti in perpetuum vivent.* Eccleſ. 31. *Qui probatus eſt in illo & perfectus eſt, erit illi gloria æterna* Matth. 6. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* 2. Cor. 4. *Momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Apoc. 22. *Dominus Deus illuminabit illos & regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Confirmatur ex omnibus Conciliis Generalibus & pluribus Provincialibus, præſertim Toletanis, quibus familiare eſt in confeſſione fidei exprimere æternitatem perpetuitatemque beatitudinis, quam etiam tanquam articulum fidei tùm in ſymbolo Athanaſij per verba illa *& qui bona egerunt ibunt in vitam æternam*, tùm in ſymbolo Apoſtolorum per poſtrema illa verba *credo carnis reſurrectionem, vitam æternam*, quotidie profitemur. Quæ omnia adeò perſpicua ſunt ut SS. PP. confirmatione non egeant.

Probatur ſecundò ex conceptu formali, definitionéque ipſâ formalis beatitudinis, quæ prout ſumitur in præſenti, nihil eſt aliud, quàm perfecta aſſecutio, ac poſſeſſio boni ſummi, ſeu perfecta expletio & quietatio appetitus; atqui ad hoc utrumque neceſſaria eſt perpetuitas; ad perfectam quidem poſſeſſionem, quia hæc niſi præbeat ſtabilem ac interminatam utendi fruendique poteſtatem impropria eſt & ſecundùm quid; neque enim jure verè dominativo perfectéque poſſeſſorio poſſidet, qui poſſidet tantùm ad menſem, ad annum, vel ad aliquod aliud tempus determinatum. Neceſſaria eſt etiam perpetuitas ad perfectam appetitus quietationem, quia res quælibet ex natura ſua, ſicuti appetit ſemper eſſe, ità appetit ſemper bene eſſe, adeoque non perfectè quieſcit niſi in ea bene eſſendi poſſeſſione, quæ perpetua eſt & ſemper duratura. Confirmatur: Bonum non perpetuum non poteſt eſſe perfecta beatitudo objectiva, ergo etiam poſſeſſio boni non perpetua non poteſt eſſe, perfecta beatitudo formalis, & per conſequens beatitudo formalis, de quâ in præſenti, debet eſſe perpetua; antecedens patet, quia bonum non perpetuum nequit eſſe bonum ſummum, & una ex rationibus negandi bonis creatis prærogativam perfectæ beatitudinis objectivæ eſt talium bonorum defectibilitas, ſeu non perpetuitas: conſequentia probatur tùm ea correſpondentia & proportione, quæ reperiri debet inter beatitudinem formalem & objectivam, tùm quia cum beatitudo objectiva non beet niſi media beatitudine formali, eſſet ſuperflua in ordine ad beandum perpetuitas in beatitudine objectiva, quoties non daretur perpetuitas in beatitudine formali. 23.

Perpetuitas beatitudinis objectivæ infert perpetuitatem formalis.

Mitto alias plures rationes, quibus poteſt validiſſimè corroborari formalis beatitudinis perpetuitas, tùm quia res hæc utpotè dogmatica auctoritatibus meliùs quàm rationibus ſuadetur, tùm quia eſt communi adeò omnium conſenſu recepta, ut vix videatur indigere probationibus; propterea abſque ulteriore morâ procedo ad inveſtigandum modum, quo convenit beatitudini & viſioni perpetuitas; qui quidem modus ad dogma non pertinet, & apud diverſos diverſus eſt: Præcipua verò diverſitas conſiſtit in eo, quòd aliqui volunt beatitudinem eſſe perpetuam ſolùm ab extrinſeco, ex vi ſcilicet decreti extrinſeci Dei, ità Scotus *in* 4. *diſtinct.* 49. *quæſt.* 6. §. *Dico ergo*, quem ſequitur ſua Schola, & ex recentioribus Vaſquez *hic diſput.* 21. *cap.* 1. Alij tribuunt beatitudini perpetuitatem ab intrinſeco adeò, ut ſit ex natura ſua indeſtruibilis ea ratione, *quâ ſuperiore tract. lib.* 1. *cap.* 2. §. 7. aſſeruimus contrà eundem Scotum ex natura ſua indeſtruibiles Angelos. Tradit aut ſaltem indicat hanc ſententiam S. Doctor 1. *part. q.* 10. *artic.* 5. *ad* 1. 1. 2. *q.* 5. *art.* 4. 3. *contrà Gentes*, *cap.* 62. quem præter omnes Thomiſtas ſequuntur Valentia *hic diſp.* 1. *quæſt.* 5. *punct.* 6. Amicus *diſp.* 2. *ſect.* 8. Oviedus *controverſ.* 3. *punct* 1. Salas *tract.* 2. *diſput.* 11. *ſect.* 1 Eſparza *lib.* 3. *q.* 3. *art.* 9. Pallavicinus *diſput.* 2. *q.* 2. *art.* 9. Madernus *q.* 3. *art.* 1. aliique recentiores magis communiter. 24.

Aſſert. 2. Beatitudo formalis ſupernaturalis, & viſio Dei ſaltem ut eſt formalis beatitudo, eſt perpetua non per aliquid extrinſecum, à productione & naturali cõſervatione 25.

Quomodò vera bea-

litudo ſit perpetua.

diſtinctum; ſed ab intrinſeco & ex natura ſua, ea ratione, quâ ex dictis ſuo loco ſunt ab intrinſeco & ex natura ſua perpetui ac indeſtruibiles Angeli. Quorum & contrà quos ſit hoc aſſertum habetur *ex n.24.*

Dixi, *ſaltem ut eſt formalis beatitudo*; quia viſionem, ut viſio eſt, negant perpetuitatem ab intrinſeco aliqui etiam ex iis, qui eandem concedunt beatitudini ſic Curiel *1. 2. q.5. art.4.* diſtinguit in beatitudine rationẽ beatitudinis, & rationem operationis; illamque ſub priore ſolùm, non ſub poſteriore ratione aſtruit ex natura ſua perpetuam.

Dixi, *non per aliquid extrinſecum, à productione & naturali conſervatione diſtinctum*; ut excluderem non ſolùm opinionem relatam ex Scoto, verùm etiam alios nonnullos docentes beatitudinem eſſentialem eſſe perpetuam tantummodò aut ratione ſtatus beatifici, in quo eſt, aut ratione luminis gloriæ, à quo producitur.

Dixi *ea ratione qua*, &c. ut innuerem me non aſtruere in beatitudine creata perpetuitatem eſſentialem, ratione cujus ei repugnet à Deo deſtrui etiam de potentia abſoluta, quod malè cohæreret iis, quæ dicebamus *tractat. 1. lib.1. cap.7. §. 2. & cap.9. §.3.* negantes poſſibilitatem creaturæ, cui ſimpliciter repugnet tranſitus ab eſſe ad non eſſe, aut cui eſſentialiter conveniat æternitas à parte poſt. Aſſertum ſic intellectum

16. Probatur primò: Beatitudo formalis ſupernaturalis, & viſio Dei ſaltem ut eſt formalis beatitudo, non per aliquid extrinſecum, ſed ab intrinſeco & ex natura ſua eſt perfecta aſſecutio ſummi boni; atqui per hoc præciſè quod ſit perfecta aſſecutio ſummi boni eſt perpetua; ergo eſt perpetua non per aliquid extrinſecum, ſed ab intrinſeco & ex natura ſua: Major patet, quia certè definitio ſuo definito convenit maximè ab intrinſeco & ex natura ſua, eſſe autem perfectam aſſecutionem ſummi boni eſt definitio ipſa formalis beatitudinis: Minor probatur, in cõceptu ipſo perfectæ aſſecutionis, quâ perfecta eſt, involvitur perpetuitas & ex eo præciſè, quòd ſit aſſecutio ſeu poſſeſſio ad tempus, deſinit eſſe poſſeſſio perfecta, ut conſtat *ex ſecunda probatione primi aſſerti*, ergo beatitudo formalis eſt perpetua per hoc præciſè, quod ſit perfecta aſſecutio ſummi boni, id eſt quidquid aliud ab ipſa auferatur, ſive hoc ſit decretum extrinſecum, ſive lumen gloriæ, ſive aliud quidpiam, dummodò ſupponatur remanere perfecta aſſecutio ſummi boni remanet perpetua.

Dices hoc argumentum nimis probare, probat enim beatitudini convenire perpetuitatem eo modo, quo eidem convenit eſſe perfectam poſſeſſionem ſummi boni; atqui hoc ipſi convenit eſſentialiter omninò, adeò ut neque de potentia abſoluta poſſibilis ſit beatitudo, quæ non ſit ſummi boni perfecta poſſeſſio; ergo etiam beatitudini eſſentialiter conveniret perpetuitas, ſicque beatitudo ſemel poſita neque etiam de potentia Dei abſoluta eſſet deſtruibilis, quod eſt præter, imò contrà noſtrum aſſertum.

Sed contrà: Perpetuitas ſumi poteſt, vel in actu ſecundo prout dicit actum ſecundum & exercitium durationis ſeu exiſtentiæ perpetuæ, vel in actu primo prout dicit potentiam intrinſecam, ſeu exigentiam talis durationis, ſeu exiſtentiæ: & hæc rurſùs exigentia ſumitur, vel phyſicè prout excludit in ordine ad non exiſtere potentiam phyſicam conſiſtentem in principio phyſico & connaturali corruptionis, vel Logicè prout excludit in ordine ad non exiſtere etiam potentiam Logicam conſiſtentem in non repugnantiâ ad deſtructionem comparativè ad abſolutam Dei potentiam. Perpetuitas ſumpta hoc tertio modo non convenit beatitudini, imò tùm ipſi, tùm cuilibet rei creatæ repugnat. Perpetuitas ſumpta ſecundo modo verè convenit beatitudini eſſentialiter; at hinc malè inferunt Adverſarij indeſtruibilitatem beatitudinis etiam de potentia Dei abſolutâ, hæc enim indeſtruibilitas ſolùm ſequitur ex perpetuitate Logicâ, & ſumpta tertio modo; non ex perpetuitate phyſicâ, & ſumpta ſecundo modo. Perpetuitas ſumpta primo modo non eſt eſſentialis, eſt tamen connaturalis beatitudini, & quia convenire ab intrinſeco dicitur etiam de eo, quod connaturale eſt, quamvis non eſſentiale, etiam perpetuitas primo modo ſumpta ab intrinſeco beatitudini convenit. Porrò argumentum à nobis formatum directè probat potiùs ſecundam, quàm hanc primam perpetuitatem; quia tamen hæc prima ex ſecunda infertur; indirectè ſaltem & illativè probat & hanc primam, de quâ maximè intelligi debet ſecundum aſſertum, ut aſſerto primo correſpondeat, & utrumque aſſertum de eadem perpetuitate procedat. 27.

Perpetuitas ſumi poteſt tripliciter.

Probatur ſecundò. Eſt connaturaliter debitus beatitudini formali concurſus Dei perpetuò conſervativus; ergo beatitudo formalis non per aliquid extrinſecum ſed ab intrinſeco & ex natura ſua perpetua eſt, ſeu perpetuò conſervatur; conſequentia patet, quia ex una parte illud, quod eſt connaturale, non convenit per aliquid extrinſecum, ſed ſupponit exigentiam intrinſecam; ex alia parte concurſus conſervativus nihil eſt aliud, quàm conſervatio activa, cujus certè perpetuitas non poteſt eſſe connaturalis alicui rei, niſi à fortiori ſit eidem rei connaturalis & ab intrinſeco conveniens perpetuitas conſervationis paſſivæ, quæ eſt ipſa permanentia rei in eſſe; quoties igitur eſt alicui connaturaliter debitus concurſus Dei perpetuò conſervativus, conſequens eſt, quòd eidem ſit connaturaliter debita & ab intrinſeco cõveniens perpetua permanentia in eſſe: Antecedens probatur, tunc concurſus aliquis Dei eſt cõnaturaliter debitus, quando eſt juxtà exigentiã ejus, cui datur, & non cõtrà exigẽtiã cõtrarij fortioris, ut oſtẽdi poteſt inductione; ſed concurſus Dei perpetuò conſervativus eſt juxtà exigentiã beatitudinis, quia quælibet res, quando præſertim valdè perfecta & ſublimis eſt, exigit ſemper conſervari, 28.

Concurſus Dei perpetuò conſervativus eſt connaturaliter debitus beatitudini.

ſervari, non eſt contrà exigentiam contrarij fortioris, quia nihil datur, quod ſit phyſicè contrarium beatitudini, ſeu actui viſionis, in quo beatitudo conſiſtit; & peccatum, quod poſſet aſſignari pro contrario morali, cum ex infrà dicendis nequeat in beato recipi, nequit exigere expulſionem beatitudinis, quia contraria non ſunt formaliter talia, nec ſe expellunt, niſi à ſubjecto communi & capaci amborum.

Maderus *hic q. 3. art. 1. n. 4.* inefficacem exiſtimat hanc probationem, nam inquit, quæ implicantia? Si dicamus viſionem beatam exigere ex natura ſua durare tantum
29. Implicat aliquid quod ex ſe petat deficere.
tempus, & non ampliùs. Nihilominùs præter implicantiam ſuprà aſſignatam deſumptam ex naturâ viſionis ut beatæ & per conſequens ut poſſeſſionis perfectæ Dei, univerſaliorem, & argumenti mox formati magis propriam implicãtiam nobis ſuppeditant ea, quæ dicebamus *tract. ſuperiore, lib. 1. c. 2. à n. 62. ad 70.* oſtendentes repugnare entitatem aliquam, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem, quæ petat ex natura ſua deficere, ſicuti peteret ex natura ſua deficere viſio, quæ exigeret ex natura ſua durare tantũ tempus, & non ampliùs. Conſule ibi dicta, & ea inſuper, quæ habentur *eod. cap. à n. 51. ad 58.* de immortalitate & perpetuitate convenien te Angelis ab intrinſeco, quæ omnia maximè faciunt ad rem in præſenti pro perpetuitate ab intrinſeco reſpectu beatitudinis, pro cujus etiam uberiore intelligentiâ ſubjicio ſingillatim nonnulla dubia hujuſce loci propria, quorum ſolutio continebit etiam reſponſionem ad præcipuas difficultates contrà talem perpetuitatem militantes.

Dubitatur primò: Vtrùm viſio Dei non ſolùm, ut formalis beatitudo, verùm etiam ut viſio eſt, ſit perpetua ab intrinſeco & ex natura ſua?

30. Viſio Dei, etiã ut viſio eſt, eſt ab intrinſeco perpetua.
Reſpondetur affirmativè & probatur reſponſio primò argumento ſuprà facto *n. 28.* quod, ut patere poteſt conſideranti, æquè procedit de viſione ſecundùm ſe, ac de formali beatitudine. Secundò: Viſio Dei non poteſt ex natura ſua deſinere aut ratione ſui præcisè, aut ratione ſubjecti, aut ratione objecti, aut ratione alicujus principij connaturaliter ſubtrahentis concurſum, à quo viſio dependet; ergo viſio Dei nullatenùs poteſt deſinere ab intrinſeco & ex natura ſua, & per conſequens eſt ex natura ſua & ab intrinſeco perpetua: conſequentia patet ex ſufficienti partiũ enumeratione, antecedens patet diſcurrendo per ſingula: Viſio non poteſt deſinere ratione ſui præcisè, quia ut præmiſſum eſt implicat res aliqua, quæ ratione ſui præcisè petat non eſſe. Non ratione ſubjecti, quia ſubjectum nec poteſt amittere ſuum eſſe cum ſit incorruptibile & immortale, nec permanẽdo in eſſe poteſt ex ſe ceſſare à viſione, cum poſito lumine gloriæ & objecto intelligibiliter præſente, neceſſariò videat, non liberè, ut admittunt ipſimet Scotiſtæ, qui licèt ſuſtineant in patriâ actus voluntatis eſſe liberos, idem tamen non ſen-
31.
tiunt de actu viſionis. Non ratione objecti, quod, cum ſit Deus ipſe, eſt quid maximè neceſſarium & maximè indefectibile, & licèt non habeat omnimodam neceſſitatẽ ponendi, aut conſervandi ſuam præſentiam intelligibilem in intellectu creato, ſuppoſita tamen exiſtentia & perſeverantia luminis in eodem intellectu non poteſt connaturaliter loquendo ipſi ſuam præſentiã intelligibilem, aut negare, aut auferre. Non ratione alicujus principij connaturaliter, &c. quia tale principium eſt præcipuè triplex ſcilicet intellectus creatus, lumen gloriæ & Deus concurrens tùm per modum objecti tùm per modum cauſæ primæ univerſalis: Intellectus & lumen non poſſunt connaturaliter ſubtrahere ſuum concurſum, quia ſunt cauſæ neceſſariæ reſpectu viſionis: Non item poteſt Deus quia, licèt ſit cauſa ſimpliciter libera, ſuppoſito tamen lumine, quod eſt cauſa neceſſaria cõnaturaliter loquendo non magis poteſt ſubtrahere ſuum concurſum ad viſionem, quàm poſſit ſubtrahere ſuum concurſum ad calorem ſuppoſito igne, aut ad lucem ſuppoſito ſole.

Dices primò: Viſio Dei de facto D. Paulo in hac vita communicata fuit ad tempus; ergo viſio Dei non eſt ab intrinſeco & ex natura ſua perpetua, neque enim viſio communicata D. Paulo carendo perpetuitate caruit aliquo prædicato intrinſeco, alioqui fuiſſet viſio diverſæ ſpeciei ab ea, quæ datur in Patriâ. Sed contrà: licèt aliqui velint viſio- 32.
nem communicatam D. Paolo fuiſſe ſpecie Viſio D. Pauli in raptu fuit ejuſdem ſpeciei cũ viſione Patriæ.
diverſam præſertim ex eo, quòd elicita fuerit mediante actuali auxilio, non mediante habitu luminis; nihilominùs nec auxilium actuale poſitum loco habitus ſufficeret ad ſpecificam diverſitatem actus, nec ulla eſt neceſſitas ponendi actuale auxilium potiùs, quàm habitum luminis tranſeunter conceſſum, admitto igitur viſionem illam eſſe ejuſdem ſpeciei cum viſione patriæ, & ad in- Fuit miraculoſa.
ſtantiam diſtinguo antecedens, viſio Dei per productionem factam modo ſibi indebito, & non connaturali, communicata fuit ad tempus, concedo antecedens, per productionem factam modo ſibi debito & connaturali communicata fuit ad tempus, nego antecedens & conſequentiam; & dico viſionem illam adhuc fuiſſe ab intrinſeco & ex natura ſua perpetuam in actu primo, nec caruiſſe ullo prædicato eſſentiali, quamvis deinde exercitio perpetuitatis in actu ſecundo caruerit, ſicuti quantitas non caret aliquo eſſentiali ex eo, quod careat exercitio impenetrabilitatis. Neque dicas; ergo in viſione communicata D. Paulo fuit duplex miraculum, alterum quo data fuit viatori, alterũ quo impeditũ fuit viſioni exercitium durationis perpetuæ; ex quo inſuper ſequitur viſionis ſubtractionẽ, quæ fieret alicui beato, non fore magis miraculoſam, quã ſubtractionẽ viſionis factã D. Pau-
lo. Contrà enim: Viſio communicata viatori, 33.
quamvis ſecundùm ſe præcisè exigat perpetuam durationem, tamen eo ipſo, quòd communicatur viatori contrahit ratione modi indebiti, quo producitur, & ex decreto Dei extrinſeco, impedimentum perpetuæ

Miraculũ reſpiciens productionem magis, quàm definitionem ipſius.

durationis: Non contigit igitur duplex miraculum in viſione communicata D. Paulo, quia exercitium durationis fuit impeditum ex vi prioris miraculi, quo viſio fuit cõmunicata Paulo manenti viatori, adeoque ut ad breve tempus duratura, durare deinde brevi tempore eſt quidem miraculum, at non diverſum ab eo, quo fuit producta modo indebito, & ut duratura ad breve tẽpus. Hinc ſequitur fore magis miraculosã ſubſtractionem viſionis, quæ fieret alicui beato, quia hæc eſſet miraculoſa in ſe & ratione ſui, nec ullum miraculum antecedens ſupponeret; cum ſubſtractio viſionis facta Paulo ſit miraculoſa remotè quodãmodò, quatenùs ſupponit miraculum in ſui productione; non verò in ſe immediatè, & miraculo diverſo à miraculo productionis.

Dices ſecundò: Principium proximum viſionis eſt complexũ ex intellectu & lumine gloriæ, ſed hoc complexũ non eſt ab intrinſeco & ex natura ſua perpetuũ; ergo principium proximũ viſionis non eſt ab intrinſeco & ex natura ſua perpetuũ, & per conſequẽs nec ipſa viſio: Minor probatur, accidẽs quod non eſt debitũ alicui ſubjecto non petit perpetuò conſervari in tali ſubjecto, ſicuti enim non petit in tali ſubjecto eſſe, ità à fortiori non petit in tali ſubjecto ſemper eſſe, atqui lumen gloriæ non eſt accidens debitũ intellectui, cum ſit ſupernaturale reſpectu ipſius: ergo. Sed contrà: nego abſolutè minorem:

34. Aliquod accidens indebitum ſubjecto petit perpetuò in ipſo conſervari.

Ad probationẽ diſtinguo majorem, accidens, quod non eſt debitũ eo, quod ſit contrà exigentiam ſubjecti, non petit, &c. concedo majorem; accidens, quod non eſt debitum eo, quòd ſit ſuprà exigentiã ſubjecti, non petit perpetuò conſervari, nego majorẽ; ratio eſt, quia primum, non ſecundum accidens invenit in ſubjecto contrariũ, à quo deſtruatur; porrò lumen gloriæ eſt indebitum ſecundo, non primo modo, ideò &c. Diſtinguo etiam aliter eandem majorem: Accidens, quod non eſt debitũ ſubjecto, non petit perpetuò conſervari in tali ſubjecto ex exigentia ſubjecti concedo, ex exigentia propria nego majorẽ; vel non petit perpetuò cõſervari ſimpliciter & abſolutè, quatenùs non petit produci, concedo; ſuppoſito quod ſemel in tali ſubjecto ſit, nego majorem; nec mirũ eſt quod aliquid non petens in tali ſubjecto eſſe ſuppoſito, quod in ipſo ſit, petat in ipſo ſemper eſſe; ſicuti ſubſtãtia non petit exiſtere, ſuppoſito tamen quod exiſtat, petit exiſtere per ſe, quod eſt aliquid magis, quàm præcisè exiſtere.

Dubitatur ſecundò: Vtrùm beatitudo formalis ſupernaturalis ſit perpetua formaliter, quatenùs eadem numero viſio Dei perpetuò perſeveret, an ſolùm ſit perpetua æquivalenter, quatenùs ſemper una viſio alteri, poſterior priori omninò ſimilis, & æqualis, abſque interruptione ſuccedat?

35. Beatitudo non eſt perpetua æquivalenter, ſed formaliter

Reſpondetur eſſe perpetuam formaliter, infertur reſponſio ex dictis, licèt enim ad ſalvandam perpetuitatem beatitudinis ſufficeret illa continuatio viſionis æquivalens, cum beatus ſatietur per hoc, quod Deum ſemper eodem modo videat, ſive deinde videat eadem ſive diverſa numero viſione; ad ſalvandum tamen, quod ſit perpetua viſio non ſolùm ut beatitudo, ſed etiam ut viſio talis perpetuitas æquivalẽs non ſufficit, quia ſalvaret perpetuam viſionẽ in ſpecie tantùm, non in individuo: Deinde cum principia viſionis ſint perpetua non æquivalenter tantùm, ſed formaliter, debet etiam poni formaliter perpetua tùm viſio tùm beatitudo. Neque audiendus hic ullo modo eſt recentior quidam memoratus ab Arriaga 1. *part. diſput.* 6. *ſect.* 2. docens viſionem, imò etiam operationem quãlibet vitalem ſingulis momentis mutari eo, quod non diſtinguatur ab actione, quâ producitur, actio verò ſit idem cum duratione viſionis, duratio denique ſit ſucceſſiva, adeoque & viſio. Audiendus inquam non eſt, quia ex falſis principiis, qualia ſunt actionem eſſe idem cum duratione viſionis, durationem viſionis eſſe ſucceſſivam, deducit rem falſiſſimam, & ex terminis incredibilem, quis enim ſibi perſuadeat ſe ſingulis momentis mutare omnes actus vitales, quos exercet; & in eodem actu ne per duo quidem inſtantia perſeverare.

36. Recentioris cujuſdam opinio ſingularis.

Dubitatur tertiò: Vtrùm beatitudo formalis ſupernaturalis poſſit dici perpetua per eſſentiam perpetuitate radicali & in actu primo?

Reſpondetur negativè quia eſſe tale per eſſentiam importat eſſe tale à ſe, & non per participationem; certum eſt autem nec perpetuitatem radicalem, nec ullum aliud prædicatum poſſe convenire à ſe, & non per participationem alicui rei creatæ, cujuſmodi eſt noſtra beatitudo formalis ſupernaturalis. Nec refert quòd ſuprà *num.* 17. diximus talem perpetuitatem convenire beatitudini eſſentialiter, hoc enim ſolùm importat connexionem neceſſariam in primo modo dicendi per ſe inter beatitudinem & perpetuitatem, at non quod beatitudo habeat à ſe, & non per participationem, perpetuitatem; unde habere prædicata eſſentialia, ſeu convenientia eſſentialiter, commune eſt cuilibet creaturæ, habere prædicata convenientia per eſſentiam proprium eſt Dei.

37. Beatitudo non eſt perpetua per eſſentiam.

---

§. IV.

An & quomodo requiratur ad beatitudinem formalem ſecuritas perpetuitatis?

ASSERT. 1. Certum eſt de fide beatos eſſe ſecuros de perpetuitate beatitudinis.

38. Certum eſt beatos eſſe ſecuros de perpetuitate beatitudinis.

Probatur ex ſcripturâ: Zachar. 14. *& habitabunt in ea, & anathema non erit amplius, & ſedebit Jeruſalem ſecura.* Iſa. 32. *& erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium & ſecuritas uſque in ſempiternum.* Hanc eandem veritatem probant illa omnia ſcripturæ loca, quæ tribuunt beatis pacem ſummam, & quietem perfectiſſimam; ſecuritas enim

juxtà

juxtà D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 129. *art.* 7. *in c.* importat quamdam perfectam quietem animi à timore, quæ quidem perfecta quies juxtà eumdem Sanctum Doctorem 1.2. *q.*5. *art.*4. *in c.* nititur ex certitudine retinendi ſeu non amittendi bonum, quod poſſidetur, undè etiam ſecuritas ab aliquibus definitur judicium firmum ſine formidine de aliqua veritate; & licèt in rigore hoc judicium præſupponatur quidem ad ſecuritatem, at non ſit formaliter ipſa ſecuritas, hæcque formaliter accepta in voluntate ſit, non in intellectu, ut infertur ex D. Thomâ *locis citatis* & expreſsè tradit Scotus *in* 4. *diſt.*49. *q.*6. §. *de ſecundo principali*, explicando tamen in præſenti ſecuritatem Beatorum potiùs eam ſumemus ſecundùm id, quod dicit ex parte intellectus, quam ſecundùm id, quod dicit ex parte voluntatis; ſicque in ſequentibus aſſertis præcipuè definiemus, quomodo in beatis reperiatur, & quomodò ſit ipſis neceſſaria cognitio certa de perpetuitate beatæ

39. Rè habere certam cognitionem talis perpetuitatis.

viſionis: quam utique cognitionem non deeſſe beatis evincitur ex eo, quod habemus in Patriâ vi viſionis certitudinem claram eorum omnium, quorum habemus per fidem in via certitudinem obſcuram, atqui habemus per fidem in via certitudinem obſcuram de æternitate noſtræ beatitudinis, ut oſtenſum eſt ſuperiùs *num.* 22. ergo. Confirmatur hoc ex SS.PP. ſingillatim verò ex Auguſtino lib. 10. de Civit. cap. 30. *Vita illa beatiſſima eſſe non poterit, niſi de ſua fuerit æternitate certiſſima* & lib. 11. cap. 32. *Angelos ſanctos in ſublimibus Cœli ſedibus de ſua ſuperna & vera felicitate ſecuros, & certos eſſe nemo ambigat.*

Aſſert. 2. Securitas, ſeu cognitio certa, quam de facto habent beati de perpetuitate beatitudinis, eſt non ſolùm de perpetuitate in actu primo, & quoad exigentiam æternæ durationis; ſed etiam de perpetuitate in actu ſecundo, & quoad exercitium.

40. Talis cognitio eſt perpetuitatis etiam in actu ſecundo.

Probatur: Beati habent de facto cognitionem certam ejus perpetuitatis, quæ de facto beatitudini convenit; ſed perpetuitas, quæ de facto beatitudini convenit, eſt talis non ſolùm in actu primo & quoad exigentiam, verùm etiam in actu ſecundo, & quoad exercitium æternæ durationis; ergo ſecuritas ſeu cognitio certa, quam de facto, &c. Minor ſupponitur *ex* §. *præcedente*. Major probatur, tùm quia beati de facto perfectè cognoſcunt propriam viſionem beatam talem, qualis de facto eſt, adeoque cum eâ perpetuitate, quæ ei de facto convenit; tùm quia nos hìc in viâ credimus noſtram beatitudinem fore perpetuam etiam in actu ſecundo, & quoad exercitium; ergo ipſam eodem modo perpetuam certo cognoſcent beati in Patriâ.

Dices: Viſio, quæ de facto in beatis eſt, non eſt in actu ſecundo perpetua, ergo beati cognoſcendo viſionem talem, qualis de facto eſt, non cognoſcunt ipſam cum perpetuitate in actu ſecundo; antecedens probatur, viſionem eſſe in actu ſecundo perpetuam eſt viſionem actu perpetuò durare, at actu perpetuò durare eſt actu ſimul habere omnes durationes futuras per totam æternitatem à parte poſt, quod nec viſioni nec ulli alij rei creatæ convenire unquam poteſt, ergo viſio, quæ de facto in beatis eſt, &c. Sed contrà: Madernus *hic quæſt.* 5. *art.* 2. *num.* 9. 41.

Duratio alia intrinſeca, alia extrinſeca.

impugnatis duabus Modaliſtarum reſponſionibus reſpondet ex principiis Complexiſtarum quòd cum duratio non ſit niſi complexum ex re durante & tempore extrinſeco, res durans dicitur duratio intrinſeca, tempus fluens duratio extrinſeca, & addit viſionem licèt nunquã actu perpetuò duret quoad durationem extrinſecam, durare tamen perpetò quoad durationem intrinſecam; & beatum ſufficienter habere viſionem perpetuam per hoc, quod habeat totam illam entitatem, quæ debet correſpondere toti tempori futuro, quamvis non habeat actu totum ipſum tempus futurum: Reſponſionem tanquam Complexiſtarum ſectator amplector, exiſtimo tamen in ipſa aliquid deſiderari, ſupereſſe ſcilicet aſſignandum, per quid differret entitas viſionis, quæ deberet correſpondere tantùm alicui brevi tempori, ab eâ, quæ nunc debet correſpondere toti tempori futuro? Si enim dicatur differre per denominationem extrinſecam à tempore futuro, ſequitur viſionem perpetuam differre ſolùm extrinſecè à non perpetua, & beatitudinem conſtitui per denominationem extrinſecam, quod Madernus abſurdum reputat, & ut abſurdum Arriagæ opponit: Si dicatur 42.

Viſio perpetuò duratura, & viſio non perpetuò duratura differunt per aliquid intrinſecũ.

differre per aliquid intrinſecum, remanebit aſſignandum, quid ſit hoc intrinſecum; & ego quidem aſſignarem diverſam habitudinem intrinſecam ad diverſa tempora, ſeu ad diverſas durationes extrinſecas, quæ quidem habitudines intrinſecæ ad terminos extrinſecos in cauſa ad effectus poſſibiles, in materia ad formas abſẽtes, & in aliis pluribus rebus familiares ſunt: Neque ex eo, quod viſio perpetuò duratura differat per aliquid intrinſecũ a viſione non perpetuò duratura, ſequitur quòd illa ab iſta differat ſpecie & eſſentialiter contrà ſupradicta *num.* 32. Non inquam id ſequitur quia non omne intrinſecum eſt eſſentiale, & inducens diverſitatẽ ſuâ ſpecificam, eſſentialemque diverſitatem; certè in propoſito diverſa illa habitudo cum

At non per aliquid eſſentiale.

ſpectet ad perpetuitatem in actu ſecundo, quamvis ſit intrinſeca, non eſt eſſentialis, quia per nos *ex ſuperiore num.* 27. perpetuitas ipſa in actu ſecundo viſioni, aut beatitudini eſſentialis non eſt, fortè non leviter premetur hâc ſequelâ Madernus ponens actualem perpetuitatem eſſe de eſſentia beatitudinis.

Aſſert. 3. Securitas & certitudo, quam de facto habent beati de beatitudinis perpetuitate in actu ſecundo & quoad exercitium, eſt phyſica ſolùm, non metaphyſica.

Probatur & explicatur: Securitas & certitudo eſt de re, quæ nequit aliter eſſe, & quando res non poteſt phyſicè aliter eſſe, eſt certitudo phyſica; quando non poteſt etiam metaphyſicè aliter eſſe, eſt certitudo metaphyſica; atqui quòd beatitudo ſit perpetua 43.

Beati ſunt phyſicè ſolùm, non metaphyſicè, certi de perpetuitate.

tate in actu ſecundo.

in actu ſecundo, & quoad exercitium, non poteſt quidem aliter eſſe phyſicè, poteſt tamen aliter eſſe metaphyſicè; ergo ſecuritas & certitudo, quam de facto, &c. eſt phyſica ſolùm, non metaphyſica: Major patet, minor probatur, quia ex una parte quod non poteſt aliter eſſe per ullam cauſam ſecundam, nec per Deum, ut modo ordinario operantem ad exigentiam cauſarum ſecundarum, non poteſt aliter eſſe phyſicè; ex alia parte quod poteſt aliter eſſe per abſolutam Dei potentiam & eſſentialiter tale non eſt, poteſt aliter eſſe metaphyſicè; atqui hoc utroque modo ſe habet beatitudo in ordine ad eſſe perpetuum in actu ſecundo, & quoad exercitium, ergo.

Dices hanc certitudinem ſolummodo phyſicam non ſufficere ad veram beatitudinem, quia non ſufficit ad tollendam omnem ſuſpicionem beatitudinis amittendæ, omnemque anxietatem ex tali ſuſpicione conſequentem; cur enim non poteſt beatus ſuſpicari, quòd Deus ſit uſurus ſua potentia abſoluta, eique adempturus beatitudinem.

44. Talis certitudo phyſica excludit omnem ſuſpicioné beatitudinis amittendæ.

Sed contrà: certitudo phyſica unius rei ſufficientiſſima eſt ad tollendam omnem ſuſpicionem prudentem & rationabilem oppoſiti, quamvis non omnem temerariam & irrationabilem; cum igitur hanc nequeat beatus habere, ſequitur quòd ſtante certitudine phyſica beatitudinis in actu ſecundo perpetuæ nequeat ullam prorsùs habere ſuſpicionem beatitudinis amittendæ, nullamque indè anxietatem. Cæterùm, ſi inſtantia aliquid probaret, probaret etiam in beato ſuſpicionem & anxietatem de propria entitate & exiſtentia amittenda, non enim habet de perpetuitate propriæ entitatis & exiſtentiæ certitudinem plùs quàm phyſicam; ſicuti etiam nos ipſi non habemus certitudinem plùs quàm phyſicam de anima futura in actu ſecundo immortali; & tamen nullam experimur rationabilem ſuſpicionem de eadem de facto per miraculum deſtruenda; ratio univerſalis eſt, quia nunquam rationabiliter præſumitur futurum miraculum, niſi adſit aut ſumma neceſſitas, aut ſpecialis revelatio.

Aſſert. 4. Securitas & certitudo, quam de facto habent beati, &c. non ſpectat ad formale conſtitutivum beatitudinis eſſentialis; ſeu eſt pars integralis, non eſſentialis beatitudinis. Ità Vaſquez *diſp. 21. cap. 3. num. 14.* Oviedus *controv. 3. punct. 1. n. 10.* Ioannes à S. Thoma *quæſt. 2. diſp. 2. art. 6. num. 60.* Scotus *in 4. diſt. 49. quæſt. 6. § de ſecundo principali.* Lauræa *in 4. tom. 4. diſp. 14. art. 11. num. 288.* Hetinex *hic diſp. 2. quæſt. 8. num. 47.* aliique magis communiter præſertim ex Scholà Scholaſticà contrà Salas *hic diſp. 11. ſect. 3. n. 17.* Amicum *diſp. 2. ſect. 9. num. 128.* Arriagam *diſp. 48. ſect. 5. num. 32.* Madernum *q. 3. art. 3.* & quoſdam alios.

45. Nititur de eſſentia formalis beatitudinis.

Probatur primò: Beatitudo formalis eſſentialiter ſumpta, unicè conſiſtit in viſione quatenùs eſt perfecta aſſecutio & poſſeſſio Dei; ſed viſio quatenùs eſt perfecta aſſecutio & poſſeſſio Dei non conſtituitur formaliter per ſecuritatem, & certitudinem, quam de facto habent beati, &c. ergo ſecuritas & certitudo, quam &c. non ſpectat ad formale conſtitutivum beatitudinis eſſentialis: Major patet ex ſupradictis *cap. 2. § 4;* Minor probatur viſio eſt perfecta aſſecutio & poſſeſſio Dei ex propria ratione operationis intellectualis, & ut eſt cognitio intuitiva attingens Deum ut eſt in ſe, ſed in propria ratione operationis intellectualis, & ut eſt cognitio intuitiva, non conſtituitur formaliter per ſecuritatem & certitudinem, quam &c. ergo.

Dices: Viſio ut cognitio intuitiva, imò ut cognitio eſt, neceſſariò cognoſcit ſe ipſam, quia ut nos ipſi docuimus *tract. 1. lib. 2. cap. 5. num. 63.* quælibet cognitio eſt per ſe ipſam ſupra ſe ipſam reflexiva; atqui viſio Dei cognoſcendo ſe ipſam cognoſcit etiam ſuam perpetuitatem; ergo noſtra beatitudo formalis, ſicuti eſſentialiter conſtituitur per rationem cognitionis, ità eſſentialiter conſtituitur per id, quod eſt de eſſentia cujuſcumque cognitionis, & per conſequens per hoc, quod ſit reflexiva ſuprà ſeipſam, & ſupra propriam perpetuitatem. Sed contrà: 46.

Quæritur hic conſtitutivum viſionis non ſub communi ratione cognitionis, ſed ſub propria ratione beatitudinis; ideò id, quod probatur convenire viſioni ex communi ratione cognitionis, non ex propria ratione beatitudinis, ut eſt quod afferunt Adverſarij de reflexione viſionis ſuprà ſe ipſam, non facit ad rem in præſenti; unde etiam Theologi, dum examinant, utrùm certitudo perpetuitatis ſit de eſſentia beatitudinis? Si perpendatur modus, quo difficultatem agitant, ſatis conjicitur ipſos ſumere certitudinem illam pro actu à viſione diſtincto.

Debet ſumi pro actu diſtincto à viſione.

Deindè poſſumus impugnare directè inſtantiam probando, quòd viſio etiamſi per impoſſibile ſuprà ſeipſam non reflecteret, adhuc verè eſſet beatitudo formalis, quia adhuc eſſet perfecta aſſecutio & poſſeſſio Dei, quamvis igitur ſuprà ſeipſam reflectere de facto in viſione neceſſariò reperiatur, non reperitur tamen in ipſa ut beata, neque ingreditur formalem conſtitutionem beatitudinis.

Probatur ſecundò: Si ſecuritas & certitudo de perpetuitate beatitudinis, ingrediatur eſſentiam & formale conſtitutivum beatitudinis, maximè quia ſine tali certitudine beatus poſſet habere formidiné beatitudinis amittendæ; formido enim unius non excluditur niſi per certitudinem oppoſiti; cum formidine autem beatitudinis amittendæ appetitum non eſſe perfectè quietum & expletum, ut requiritur ad ſalvandam in appetitu veram beatitudinem eſſentialem, videtur ferè per ſe notum; atqui totus hic diſcurſus non ſubſiſtit, falſumque eſt ex eo quòd in beato non ſit certitudo de perpetuitate, poſſe eſſe formidinem de amiſſione beatitudinis; ergo falſum pariter eſt, quòd ſecuritas & certitudo ingrediatur eſſentiã, &c. Major cótinet potiſſimum Adverſariorum fundamentum; Minor probatur quia certitudo & formido contradictoria non ſunt, inter quæ ſolet argui ab excluſione unius ad poſitionem alterius; 47.

Impugnatur potiſſimum Adverſariorũ fundamentum.

alterius; ſunt autem dumtaxat contraria, ſicuti amor & odium, cum conſiſtant certitudo & formido in actibus poſitivis, non minùs quàm amor & odium; inter contraria autem non tufertur ſufficienter poſitio unius ex alterius excluſione; & ſiſtendo in inſinuata paritate ſicuti beatus, qui ex ſuſpenſione divini concurſus, aut ex alio impedimento careret amore, non propterea poſſet Deum odio habere, quia nullam cognoſceret in Deo rationem mali, quâ moveretur ad odium; ità qui careret certitudine perpetuitatis non propterea poſſet habere de tali perpetuitate formidinem, quia in propriâ beatitudine non cognoſceret principium aliquod corruptionis, quod poſſet inſervire pro motivo rationabili ſuſpicandi de amiſſione, & formidandi de perpetuitate ipſius, imò apparerent ei motiva validiſſima oppoſiti, ut patet ex ſupradictis *num.* 28. 29. 30. 31.

48. Error de beatitudine amittenda beatitudiné impediret. Hinc habetur nos ità convenire cum Vaſquio in eo, quòd certitudo perpetuitatis non ſit de eſſentia beatitudinis, ut tamen ab eo diſſentiamus in eo, quòd eodem loco præcitato concedit eum, qui reverà haberet perpetuam beatitudinem, fore beatum, etiamſi errore deceptus crederet illam ſolùm ad tempus duraturam, & ex eodem errore conciperet anxietudinem de beatitudinis amiſſione. Nec refert, quod ait Vaſquez, talem beatitudinem adhuc fore ſecundùm ſe ſufficientem ſatiare appetitum, licèt ex accidenti non ſatiaret: Non refert, inquam, quia eſſentia beatitudinis formalis eſt ſatiare in actu ſecundo; eſſe verò ſatiativum ſpectat ad beatitudinem objectivam potius, quàm ad beatitudinem formalem; ideò quomodocumque impediatur ſivè per ſe, ſivè per accidens, ſatietas in actu ſecundo, tollitur eſſentia beatitudinis formalis.

49. Formido non excludit per ſolam certitudinem. Habetur inſuper, quod ſuprà cum Adverſariis dicebatur, formidinem unius non excludi niſi per certitudinem oppoſiti, verùm eſſe de excluſione formali ſecùs de excluſione illativâ; infertur enim optimè excluſio formidinis etiam ex carentia motivi apti ad excitandam formidinem; & ex hoc capite repugnat in beato formido de beatitudinis perpetuitate, de quâ etiam non habeat certitudinem.

Probatur tertiò: Perpetuitas in actu ſecundo, & quoad exercitium, non eſt de eſſentia beatitudinis formalis; ſed certitudo, quam de facto habent beati, de perpetuitate etiam in actu ſecundo & quoad exercitium *ut aſſerto ſecundo* oſtenſum eſt; ergo certitudo, quam de facto habent beati, non eſt de eſſentia formalis beatitudinis, ſeu non ſpectat ad formale conſtitutivum ipſius: Minor & conſequentia non indigent probatione; Major, quàm jam attigimus ſuperiùs

50. Perpetuitas in actu ſecundo non eſt de eſſen. tia beatitudinis. *num.* 27. probatur ex communi ratione entis creati, cui ex noſtris principiis repugnat indeſtructibilitas, ſeu, quod idem eſt, perpetuitas eſſentialis, ratione cujus ex eo præcisè, quod ſit exiſtens nequeat ampliùs ullâ prorsùs virtute deſtrui; cùm igitur noſtra beatitudo formalis ſit in linea entis creati, & in operatione creata ex ſupradictis conſiſtat; conſequens eſt, &c. Nec militat contrà nos inſtantia, quam affert Arriaga *diſp.* 48. *n.* 12. de duratione ipſa perpetua creata, quæ creatura eſt, & tamen de ipſius eſſentia eſt perpetuitas, eſſet enim, inquit, in terminis repugnans dicere perpetuitatem non eſſe de eſſentia durationis perpetuæ. Non militat, inquam, contrà nos, quia in noſtris principiis duratio perpetua non eſt modus aliquis, qui totus ſimul producatur, ſed adæquatè ſumpta eſt complexum ſucceſſivæ coëxiſtentiæ ad tempus extrinſecum futurum, quod complexum adæquatè ſumptum nunquam eſt totum ſimul, & deſtruitur vel potiùs non ſit adæquatè exiſtens, quoties deſtruitur extremum illud, quod ulteriori tempori deberet coëxiſtere. 51. Imò nec eſt de eſſentiâ durationis perpetuæ. Dum addit repugnare in terminis quod perpetuitas non ſit de eſſentia durationis perpetuæ, verum ad ſummum idest, reduplicative, quâ ratione etiam albedo eſt de eſſentia parietis albi ut albi; at dum quæritur, utrùm perpetuitas poſſit eſſe de eſſentia alicujus creaturæ? quæſtio procedit in ſenſu ſpecificativo, utrùm ſcilicet poſſit eſſe de eſſentia alicujus creaturæ ſecundùm ſe, non verò creaturæ ut perpetuæ. Deindè allata inſtantia non eſt propria hujus loci, nec probat in particulari perpetuitatem eſſe de eſſentia beatitudinis ex proprio conceptu ipſius beatitudinis. Ideò

Dices directè contrà majorem propoſitionem hujuſce tertiæ probationis: Ablatâ præcisè perpetuitate, & manentibus omnibus aliis aufertur beatitudo formalis; ergo verè perpetuitas eſt de eſſentia beatitudinis formalis; conſequentia patet, quia eſt proprium ejus, quod eſt de eſſentia ut ipſo præcisè ablato auferatur res, quemadmodum oſtendi poteſt inductione; antecedens probatur, Viſio Dei, quæ quando eſt perpetua, eſt beatitudo, ex eo præcisè quod non ſit perpetua deſinit eſſe beatitudo, ut apparet in viſione communicata ad tempus D. Paulo, aliiſque nonnullis inſignioribus Sanctis in via. 52. Ablatâ perpetuitate in actu ſecundo, non in actu primo remanet beatitudo. Sed contrà: ablata præcisè perpetuitate in actu primo, ſeu exigentia durationis perpetuæ, aufertur beatitudo formalis concedo; ablata præcisè perpetuitate in actu ſecundo, ſeu duratione ipſa perpetua, aufertur beatitudo formalis nego antecedens & conſequentiam; utpotè quæ procedit de perpetuitate in actu ſecundo, de qua ſola ſit quæſtio.

Urgebis: Viſio Dei communicata D. Paulo retinuit perpetuitatem in actu primo, & ſolùm caruit perpetuitate in actu ſecundo; & tamen non fuit vera beatitudo formalis; ergo ablata etiam præcisè perpetuitate in actu ſecundo aufertur vera beatitudo formalis: Rursùs cum perpetuitate viſionis in actu primo ſtare poteſt revelatio de viſione deſtruenda; at cum hac revelatione viſio non eſſet ampliùs vera beatitudo formalis; ergo quia ſtante etiam perpetuitate in actu primo per hoc præcisè, quod auferatur perpetuitas in actu ſecundo; aufertur beatitudo formalis. 53. Contrà tamen dico viſionem in via communicatam

Viſio communicata D. Paulo in via non fuit ſimpliciter perpetua in actu primo.

municatam D.Paulo habuiſſe perpetuitatem in actu primo quoad ſubſtantiam, quatenùs erat quoad ſubſtantiã eiuſdem rationis cum alia qualibet Dei viſione; at non quoad modum, quia ex modo ſuæ productionis, & ex conditione luminis, à quo pendebat erat tranſiens & exigens durare ſolùm ad tempus, vndè etiam ſupradicta *num.* 32. non fuit miraculoſa ipſius deſitio: Vbicumque igitur reperitur viſio in actu primò perpetua ſimpliciter etiã ex modo productionis, quamvis deindè auferatur perpetuitas in actu ſecundo, non aufertur vera beatitudo; vndè ad illud quod additur dico revelationem de viſione deſtruenda eſſe poſſe, vel de viſione deſtruenda modo connaturali, & non miraculoſo, qualis fuiſſet revelatio, quam potuiſſet Deus facere D.Paulo vidente in via; vel de viſione deſtruenda modo miraculoſo; qualis foret revelatio, quam poſſet Deus facere cuilibet videnti ipſum in patria, cujus viſionem decerneret per exercitium ſuæ potentiæ abſolutæ deſtruere: Cum revelatione de viſione deſtruenda primo modo non ſalvaretur beatitudo formalis, at nec ſalvaretur viſio in actu primo ſimpliciter perpetua; cum revelatione de viſione deſtruenda ſecundo modo ſalvaretur tùm perpetuitas viſionis in actu primo, tùm vera beatitudo formalis.

Vrgebis adhuc: *ex ſuperiore, num.* 48. qui ex errore crederet ſuam victoriam fore ſolùm ad tempus duraturam non eſſet beatus; ergo à fortiori non eſſet beatus qui id ſciret ex divina revelatione, ſicuti ex divina revelatione id ſciret is, cui eſſet revelatũ propriam viſionem eſſe deſtruendam. Contrà

54. Deſtruibilitas viſionis miraculoſa non impedit beatitudinem.

tamen, quod dictum eſt de eo, qui ea errore crederet, &c. procedit de errore quo quis crederet propriam viſionem eſſe ſolùm ad tempus duraturam iuxtà propriam exigentiam & ex modo ſibi connaturali; ſecùs ſi habens viſionem re verà perpetuam crederet ipſam, modo tamen extraordinario & miraculoſo eſſe duraturam ſolùm ad tempus: ratio eſt quia ſciens ex revelatione, aut putans ea errore viſionem eſſe modo non miraculoſo, ſed connaturali deſtruendam, cognoſceret eſſe poſſibilem viſionem magis indeſtruibilem, deſtruibilem ſcilicet ſolùm modo miraculoſo, ideò hanc quantùm eſt de ſe appeteret, & in illâ alia viſione, tamquam in imperfecta ſummi boni poſſeſſione non quieſceret; ſciens verò viſionẽ eſſe deſtruendam, modo tamen miraculoſo, quia cognoſceret eſſe impoſſibilem viſionem modo miraculoſo, quantùm eſt de ſe, non deſtruibilem, non haberet perfectiorem viſionem quam appeteret, & ea qua rationabilẽ cauſam anxietatis apprehenderet, ideò facilè & ſine moleſtia ſe conformaret divinæ voluntati in eo, quod poſſet divina voluntas præſtare reſpectu alterius cuiuſlibet beati.

Dubitatur hîc pro perpetuitatis agitatæ complemento: Vtrùm eſſet revera beatus is, qui habens viſionem conceſſam tranſeuntem & ad tempus, ea errore putaret ſe habere viſionem verè in actu primo perpetuam, & ſimpliciter exigitivam perpetuæ durationis. Reſpondetur negativè; ratio eſt quia error circà ea, quæ ſunt de eſſentia beatitudinis, non poteſt ſimul ſtare cum beatitudine, alioqui dicendus eſſet beatus ille etiam, qui non videndo Deum ex errore crederet ſe Deum videre. Qui igitur talem errorem haberet eſſet beatus putativè ſolùm & apparenter, non verè & realiter, ſicuti haberet ſolùm putativè & apparenter, non verè & realiter fidem divinam, qui crederet ex revelatione putata per errorem divina, non verò realiter divina in ſe. 55.

Error circà ſubſtantiam beatitudinis non poteſt ſtare cum ipsâ.

---

§. V.

An & quomodò Viſio, quæ eſt formalis beatitudo, reddat Beatos impeccabiles?

56. De fide eſt beatos eſſe impeccabiles.

ASSERT. I. Formalis beatitudo ſeu viſio Dei quæ eſt formalis beatitudo verè reddit beatos impeccabiles. Eſt dogma fidei, in quo Theologi tùm Catholici omnes conveniunt contrà errorem Origenis ponẽtis beatos Angelos eſſe peccabiles, imò aliquandò peccare, quamvis fortè non taliter vt ſint beatitudinem amiſſuri, vndè error contrà perpetuitatem beatitudinis eſt diverſus ab errore contrà impeccabilitatem beatorum; & quamvis forte Origenes, ut attigimus *num.* 21. ſit excuſabilis a primo, non videtur excuſabilis à ſecundo in quo clariùs mentem ſuam expreſſit *homil.* 20. *in Numer.* & *homil.* 23. *in Lucam*: Idem error ut refert Io. à S. Thoma *hic quæſt.* 2. *diſput.* 2. *art.* 5. *num.* 4. ab aliquibus tribuitur etiam Calvino & Fabro Stapulenſi *lib. de tribus Magdalenis*, cui Fabro dicit Bartholomæus Medina *hic quæſt.* 4. *art.* 4. potuiſſe meritò illud objici. *Tractent Fabrilia Fabri*: Verùm quiquid ſit de talis erroris Auctoribus, contrà ipſum

Error oppoſitus quorũ fuerit.

57. Probatur aſſertum primò ex Scripturâ: Apocal. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium*: de eadem cœleſti patriâ habetur Apocal. 21. *& omne maledictum non erit ampliùs*, *Epheſ.* 5. de Eccleſia triumphante dicitur, *ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam neque rugam.* 1. Pet. 1. *Regeneravit nos in ſpem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarceſcibilem.* In quibus & aliis pluribus hujuſmodi ſacris Textibus modus loquendi adeò abſolutus & univerſalis excludit à beatis omnia prorsùs peccata, venialia etiam & leviſſima: Neque relatis adverſantur quædam alia Scripturæ verba ut Iob. cap. 4. *ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem* & cap. 15. *Cœli non ſunt mundi in conſpectu eius*: Non, inquam, adverſantur, quia primus Textus procedit de Angelis in viâ, non de Angelis beatis; ſecundus Textus vel intelligendus eſt de Cœlis materialibus, vel ſi ad Angelos transferatur; hi dicuntur non eſſe mundi, non quatenùs abſolutè habeant aliquam

immundi

immunditiem & imperfectionem moralem; ſed comparativè, quatenùs ipſorum munditiem & juſtitia adeò diſtat à juſtitia Dei, ut ad iſtam comparata, quaſi injuſtitia videatur. Alias nonnullas tùm ſcripturæ, tùm SS. PP. auctoritates rectè explicat Ioannes à S. Thoma *art. præcis. num.* 5. *&* 6. Inter plurimas verò Sanctorum Patrum ſententias, quæ pro noſtra orthodoxa veritate afferri poſſent, ſufficiant præclara illa verba Auguſtini in Enchir. cap. 105. *Sic oportebat hominem fieri, ut & benè velle poſſet & malè; poſteà ſic erit, ut malè velle non poſſit.*

58. *Beatus nec amittendo, nec retinẽdo beatitudinem.*
Probatur ſecundò ratione: Si beatus poſſet peccare vel poſſet peccare amittendo beatitudinem, vel conjungendo peccatum cum beatitudine; non primum quia beatitudo formalis & viſio ex ſupradictis ab intrinſeco perpetua eſt & inamiſſibilis, non ſecundum, quia viſio Dei ex dicendis eſſentialiter excludit conſortium cujuſcumq; peccati etiam ſolùm habitualis nedum actualis; & certè cum peccatum ſit ſumma miſeria, videtur apparere ex terminis abſurdiſſimum, quod viſio, ſaltem ut perfectiſſima beatitudo eſt, poſſit cum peccato conjungi: Deindè ſi beatus retinendo beatitudinem poſſet peccare, etiam peccator retinendo peccatum poſſet beatificari & videre Deum, & tamen de fide eſt hominem ut gloriam obtineat debere eſſe ſanctificatum & in gratiâ juxtà illud Hebr. 12. *Pacem ſequimini, & ſanctimoniam, ſine quâ nemo videbit Deum*, imò debere eſſe immunem non tantùm ab omni maculâ culpæ, verùm etiam ab omni reatu pœnæ, pro quo ſolvendo agnoſ-
59. *Item nec irremiſſibili peccare peccare poteſt.*
cunt Catholici Purgatorium. Confirmatur: Beatus nec peccato remiſſibili, nec peccato irremiſſibili peccare poteſt; non peccato remiſſibili, quia deberet de illo beatus pœnitere & dolere contrà illud Apocalyp. 21. *Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà*, non peccato irremiſſibili, quia deberet in æternum puniri & contrà jus beatæ perpetuitatis ſubire perpetuam infelicitatem: Deindè primo modo fieret tranſitus à culpâ ad gratiam, à gratiâ ad culpam; in ſecundo fieret tranſitus à termino gloriæ ad terminum damnationis; quem utrumque tranſitum excludit beatitudo, per quam beatus ponitur extrà viam & in termino.

60. Præmiſſo & extrà controverſiam poſito *An ſit* impeccabilitatis beatorum, ſuccedit explicanda cauſa talis impeccabilitatis ſeu impotentiæ peccandi, quam quidem aliqui volunt eſſe viſioni purè extrinſecam ſi-
Sententiarum diverſitas.
tam in decreto extrinſeco Dei nolentis concurrere cum beato ad actionem peccaminoſam, & ex viſione non provenientem, alij ſuſtinent eſſe viſioni intrinſecam, & ſitam in eſſentiali aliquo prædicato viſionis, aut conſideratæ ſecundùm ſe præcisè, aut ſaltem ut cauſantis & neceſſariò ſecum trahentis ſummum Dei amorem: In quâ controverſia quid ſentiendum ſit ſtatim definio, ideò ſit

61. Aſſert. 2. Beati ſunt impeccabiles ab intrinſeco, & ex ipſamet natura viſionis; non verò ex decreto extrinſeco & ſpeciali aſſiſtentiâ ac protectione Dei. Ità D. Thomas 1. *p. quæſt.* 62. *art.* 8. 1. 2. *quæſt.* 4. *art.* 4. *de verit. quæſt.* 24. *art.* 9. *& lib.* 4. *contra Gent. cap.* 92. Divum Thomam ſequuntur ultrà Auctores Scholæ Thomiſticæ Recentiores ferè omnes Valentia *hic diſp.* 1. *q.* 4. *punct.* 1. *in fine* Vaſquez *diſp.* 18. *c.* 2. Amicus *diſp.* 2. *ſect.* 12. Oviedus *contr.* 3. *punct.* 4. Arriaga *diſp.* 53. *ſect.* 2. Madernus *quæſt.* 3. *art.* 7. & c. contrà Nominales *in* 1. *diſt.* 1. *& in* 2. *diſt.* 7. Scotum *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 6. §. *reſpondeo* aliis in locis, nimirum *in* 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 4. *& in* 4. *diſt.* 43. *q.* 9. *&* 10 in quibus nonnulli Scotum pro eadem opinione citant, hâc de re non agitur, ex Recentioribus ad Nominales & Scotiſtas aliqualiter in hoc puncto accedit Salas *hic diſp.* 7. *ſect.* 8. *num.* 75. docens dabilem eſſe viſionem tam tenuem & imperfectam, ut in bono voluntatem non confirmet. *Beati ſunt impeccabiles ab intrinſeco.*

Probatur primò. Viſio reddit beatos impeccabiles eâ ratione; quâ eſt perpetua; ſed ut ſuprà aſſerebatur *num.* 25. eſt perpetua ab intrinſeco & ex naturâ ſuâ, non ex decreto extrinſeco, &c. ergo reddit beatos impeccabiles ab intrinſeco & ex natura ſua, non ex decreto extrinſeco, &c. Major probatur, quia beati non ſunt peccabiles niſi, ut loquuntur ipſimet Adverſarij, in ſenſu diviſionis; ergo eo modo quo viſio reddit beatos incapaces diviſionis à beatitudine, reddit eoſdem impeccabiles, atqui viſio reddit beatos incapaces diviſionis à beatitudine ea ratione, qua ipſa eſt perpetua, ergo.

Dices: Sancti Patres communiter probant omnem ſubſtantiã intellectualem creatam eſſe ab intrinſeco peccabilem, quia eſt ex nihilo, & quia ipſius voluntas non eſt regula proprij actus, atqui datâ viſione etiam ab intrinſeco perpetuâ adhuc beatus eſt ex nihilo, adhuc beati voluntas non eſt regula proprij actus; ergo datâ viſione etiam ab intrinſeco perpetuâ adhuc beatus eſt ab intrinſeco peccabilis; eſſent igitur beati ſimul ab intrinſeco peccabiles & ab intrinſeco impeccabiles, ſi allata probatio rectè concluderet. Sed contrà: allatæ Sanctorum Pa- 62.
Beati in aliquo ſenſu non ſunt ex nihilo.
trum auctoritates debent intelligi de eo, quod eſt ex nihilo non ſolùm ratione ſui, verùm etiam ratione alterius cujuſcumque ſibi neceſſariò conjuncti, alioqui etiam humanitas hypoſtaticè aſſũpta remaneret peccabilis: Cum igitur beatus intimè conjungatur Deo, qui maximè diſtat à nihilo, & qui eſt regula cujuſcumque actus, & conjungatur neceſſariâ, ac inamiſſibili conjunctione, participat ſpeciali modo & habet ſibi intrinſecum id, quod non eſt ex nihilo, & quod eſt regula cujuſcumque actus adeoque non eſt ex nihilo, nec caret regulâ intrinſecâ proprij actus in eo ſenſu, in quo SS. PP. probant peccabilitatem ab intrinſeco eſſe ex nihilo, & ex carentia voluntatis quæ ſit regula proprij actus.

Probatur ſecundò: Beati ab intrinſeco, & ex naturâ ipſâ viſionis, neceſſitantur ad 63.

 amorem

amorem Dei ſuper omnia ; ergo ab intrinſeco & ea natura ipſa viſionis redduntur impeccabiles ; antecedens tradetur *lib. ſequenti, cap.* 2. §. 1. conſequentia probatur, beati redduntur impeccabiles eo modo, quo redduntur carentes libertate ad peccandum ; ſed eo modo carent libertate ad peccandum, quo habent neceſſitatem ad amorem Dei ſuper omnia ; ergo redduntur impeccabiles eo modo, quo habent neceſſitatem ad amorem Dei ſuper omnia, & per conſequens, ſi hanc habent ab intrinſeco, redduntur impeccabiles ab intrinſeco ; major patet, quia confunderentur beati cum damnatis, ſi admitteretur in illis peccatum aliquod neceſſarium, tacitè igitur excluditur à beatis omnis potentia ad peccandum per hoc, quod excludatur ab ipſis omnis ad peccandum libertas ; Minor probatur neceſſitas ad unum extremum ex oppoſitis eſſentialiter importat carentiam indifferentiæ ad utrumque oppoſitorum, in quâ indifferentiâ libertas conſiſtit ; ſed amor Dei ſuper omnia opponitur cuilibet peccato, quia per quodlibet peccatum auferτur ; ergo neceſſitas ad amorem Dei ſuper omnia eſſentialiter importat carentiam indifferentiæ ad utrumque oppoſitorum, ſcilicet tùm ad amorem ipſum, tùm ad quodlibet peccatum, & per conſequens beati quo modo habent neceſſitatem ad Deum ſuper omnia amandum, eo modo carent libertate ad peccandum.

Amor Dei ſuper omnia opponitur cuilibet peccato.

Dices : Beati ſunt capaces præceptorum & legum, præcepta autem & leges non dantur niſi habentibus libertatem ad obſervantiam & tranſgreſſionem ; fruſtrà enim præciperetur non tranſgredi habenti impotentiam tranſgrediendi ; atqui libertas ad tranſgreſſionem præcepti eſt libertas ad peccandum, ergo beati ſicuti cum neceſſitate ad Dei amorem retinent capacitatem ad ſuſcipienda præcepta, ità cum eadem retinent
64. libertatem ad committenda peccata. Sed contrà : eſſentialis ratio præcepti & legis eſt dirigere ſubditum ad bonum, obligare deindè in conſcientia, & invenire in ſubjecto potentiá tranſgrediédi requiritur ad ſummũ, quando præceptum datur in ordine ad meritum, at hac ratione beati ſunt incapaces præcepti ſuſcipiendi, ſicuti ſunt incapaces merendi. Cæterùm eo modo, quo in tractatu de Incarnatione ſalvatur reſpectu Chriſti capacitas præcepti cum impeccabilitate ſimul & merito, ſalvari à fortiori poterit eadem capacitas reſpectu beati cum ſola impeccabilitate abſque merito.

Beati quo modo ſint capaces præceptorum.

65. Aſſert. 3. Beati ſunt impeccabiles ab intrinſeco ex ipſamet natura viſionis etiam conſideratæ ſecundùm ſe præcisè ; adeò ut ſi beati viderent Deum, & ipſum non amarent, adhuc remanerent ab intrinſeco impeccabiles. Stant pro hoc aſſerto Auctores relati pro aſſerto præcedente & habemus Adverſarios non ſolùm Nominales & Scotiſtas ſed ſpecialiter Sotum *in* 4. *diſtinct* 49. *quæſt*. 1. *art*. 4 Ægidium à Præſentatione *tom*. 2. *de beatitud. lib*. 11. *quæſt*. 6. *art*. 4. §. 2. *& art*. 5. §. 3. alioſque nonnullos volentes viſionem Dei reddere beatos impeccabiles ratione amoris, quem neceſſario cauſat, non ratione ſui præcisè.

Impeccabilitas habetur à viſione Dei etiam ut præciſâ ab amore.

Probatur primò. Viſio ſecundùm ſe præcisè proponit clarè Deum ſub ratione ſummi boni ; ſed beati ex eo præcisè quòd habeant Deum clarè propoſitum ſub ratione ſummi boni ſunt impeccabiles ; ergo ſunt impeccabiles ex ipſamet natura viſionis etiã conſideratæ ſecundum ſe præcisè ; minor probatur ; beati ex eo præcisè, quòd habeant, &c. neceſſitantur ad non offendendum ſeu ad non contemnendum Deum, quod eſt idem ac dicere ad non peccandum ; bonitas enim quæ eſt ſufficiens ut ametur, multo magis eſt cæteris paribus ſufficiens ut non contemnatur etiam præciſo amore, ergo bonitas quæ neceſſitat ut ametur, ſicuti neceſſitat bonitas Dei clarè viſa, multo magis cæteris paribus neceſſitat, ut non con-
temnatur : Ratio à priori eſt, quia per amorem accedimus ad Deum, eique unimur, 66.
per peccatum recedimus à Deo, & ab ipſo ſeparamur, minus autem eſt impedire receſſum, quàm cauſare acceſſum ; impedire ne res moveatur ad terminum oppoſitum, quàm ipſam ad ſe trahere ſibique unire ; ſic ferrum eadem vi, quâ à magnete tractum accedit, ut magneti ſe uniat, impeditur ne ſeparetur aut elongetur à magnete, & lapis eadem virtute, quâ à centro diſtans neceſſitatur ad motum in centrum, in centro poſitum neceſſitatur ad non receſſum à centro. Confirmatur : voluntas beati etiam impedito amore eſt in actu primo neceſſitata ea vi viſionis & determinata ad amorem, impedimentum enim actus ſecundi non tollit actum primum, & ſol v. g. non amittit neceſſitatem illuminandi per hoc, quod impediatur ab illuminatione ; ſed etiam impedito Dei amore voluntas in actu primo ad talem amorem neceſſitata non habet libertatem ad peccandum ; libertas enim magis attenditur penes actum primum, quàm penes actum ſecundum, & magis tollitur per neceſſariam determinationem ad actum oppoſitum, quàm per ipſammet poſitionem actus oppoſiti ; ergo.

Dices : Viſio ſecundùm ſe præcisè, & impedito amore, nihil ponit in voluntate ; ergo ſecundùm ſe præcisè non neceſſitat vo-
luntatem. Sed contrà : Viſio ſecundùm ſe præ- 67.
cisè nihil ponit in voluntate formaliter & per modum actus ſecundi verum eſt, radicaliter & ea parte actus primi falſum eſt, libertas enim voluntatis in actu primo requirit objectum ſub indifferentia propoſitum, imò eſt radicaliter in ipſomet intellectu ; ideò viſio proponens objectum ſub pura ratione boni & abſque indifferentia, licèt recipiatur in ſolo intellectu ponit ea parte actus primi, & radicaliter in voluntate, aliquid, quo ſecundùm ſe præcisè, etiam impedito amore, ipſam neceſſitat.

Probatur ſecundò : Beatus ea vi viſionis 68.
præcisè habet ſibi immobiliter conjunctam regulam indefectibilem cujuſcumque operationis, nec tollitur talis conjunctio per hoc, quod amor impediatur ; ergo ex vi viſionis

Beatus ex vi viſionis immobiliter adhæret

regulæ omnis operationis. viſionis præciſè redditur impeccabilis ; antecedens probatur, quia ex vi viſionis præciſè habet perfectam, immobilem, & inamiſſibilem poſſeſſionem divinæ bonitatis ut eſt in ſe, quæ certè conſiderata, ut eſt in ſe, non poteſt non eſſe indefectibilis & infallibilis regula cujuſcumque operationis; conſequentia etiam probatur, quia poſſe peccare nihil eſt aliud, quàm poſſe deficere à legitimâ regulâ operandi ; ex alia parte implicat poſſe aliquem deficere à regula, ſeu deſerere regulam, cum quâ immobiliter & inſeparabiliter conjungitur ; & ſicuti Deus ex identitate, & Chriſtus ex unione ſubſtantiali indiſſolubili cum tali regula redduntur ab intrinſeco impeccabiles, ità pariter debet reddi ab intrinſeco impeccabilis beatus ex conjunctione vitali inamiſſibili cum eadem.

Dices aliud eſſe conjunctionem regulæ cum operante, aliud eſſe applicationem regulæ ad operationem, illud haberi ex vi viſionis, non iſtud ; illud verò ſine iſto non ſufficere ad impeccabilitatem. Sed contrà : applicari regulam ad operationem nihil eſt aliud, quàm operantem perfectè regulam cognoſcere & ad ipſam in operatione attendere ; atqui viſio neceſſitat beatum ad perfectam cognitionem divinæ bonitatis, nec ſinit ipſum à tali cognitione divertere, ergo ex vi viſionis præciſè regula divinæ bonitatis in beato non ſolùm conjungitur operanti, ſed etiam applicatur operationi.

69. Eâdem ut regulâ applicat omni ſuæ operationi.

Urgebis : applicatio regulæ ad regulabile dicit cognitionem etiam ipſius regulabilis ; atqui beatus ex vi viſionis, licèt neceſſariò cognoſcat divinam bonitatem tanquam regulam ; non ſic ex vi ejuſdem neceſſariò cognoſcit objecta creata regulabilia ; imò poteſt iſta cognoſcere extrà verbum cognitione etiam purè naturali ; ergo ſaltem taliter cognoſcendo objecta creata non erit ipſis ex vi viſionis applicata regula divinæ bonitatis, & conſequenter haberi poterit circà ipſa dictamen defectuoſum & difforme regulæ divinæ bonitatis ac inducens voluntatem ad operationem aliquam peccaminoſam. Contrà tamen etiamſi objecta creata poſſit beatus cognoſcere extrà verbum actibus à viſione diſtinctis, non poteſt tamen ea cognoſcere actibus non ſubordinatis viſioni, & qui non ſubſint regulæ in viſione relucenti, ad quam ſicuti beatus non poteſt non attendere, ità non poteſt ab eadem actum ullum ſubtrahere, huic doctrinæ innititur, quod Thomiſtæ communiter docent, non poſſe beatum aut pati levem aliquam inconſiderationem in viſione, aut habere ſimul cum viſione dictamen aliquod defectuoſum, ex vi etiam alicujus cognitionis naturalis. Cæterùm ſi inſtantia aliquid probaret tam probaret reſpectu amoris, quàm reſpectu viſionis ; quia ſicuti beatus videns Deum poteſt aliqua objecta creata actibus à Dei viſione diſtinctis, ità pariter beatus amans ſuper omnia Deum poteſt ſimul amare aliqua objecta creata actibus diſtinctis à Dei amore.

70. Eidem regulæ ſubeſt in beato omnis cognitio etiā naturalis.

71. Beati ſunt impeccabiles etiam venialiter.

Ex dictis habetur beatos reddi ab intrinſeco impeccabiles etiam venialiter, cùm verò quatenùs viſio neceſſitat ipſos ad amorem, non neceſſitat ad qualemcumque amorem, ſed ad amorem perfectiſſimum, & in toto illo fervore, in quem poſſunt erumpere, neceſſitas autem amoris perfectiſſimi & fervidi excludit libertatem ad peccatum etiam veniale, quod licèt non opponatur ſimpliciter charitati, opponitur tamen fervori charitatis. Quatenùs deindè viſio conſideratur ſecundùm ſe præciſè, & ut ſejuncta ab amore, adhuc ex parte actus primi reddit voluntatem æquè neceſſitatam & determinatam ad non peccandum, ac redderet amore non impedito, adhuc igitur reddit neceſſitatam ad non peccandum etiam venialiter. Rursùs conjunctio immobilis ad regulam divinæ bonitatis ut eſt in ſe, & ſubordinatio ac ſubjectio cujuſcumque ſivè cognitionis, ſivè dictaminis, ad viſionem repugnat cum peccato etiam veniali, quod non eſt conforme divinæ bonitati, nec ordinatur ad ſummum bonum per viſionem propoſitum, quamvis ab ipſo non avertat.

Mitto hic alia plura, quæ afferri poſſent ad probandam, aut ſuſtinendam impeccabilitatem ex naturâ ipsâ viſionis quocumque extrinſeco auxilio, imò amore ipſo beatifico circumſcripto provenientem, & à fortiori procedendo oſtendendo *in ſequenti §.* viſionem Dei non ſolùm impedire peccatum, ne de novo fiat, ſed etiam expellere peccatum, ſi ipſum in ſubjecto reperiat adeò, ut ſi exiſtens in peccato elevetur ad Dei viſionem per hoc præciſè, quòd Deum videat, deſinat eſſe in peccato. Sit igitur

§. VI.

An & quomodo viſioni repugnet conjungi cum quolibet peccato, ſivè actuali, ſivè etiam habituali?

ASSERT. I. Viſioni Dei omninò repugnat conjungi cum peccato actuali, id ſcilicet ei repugnat etiam ratione ſui præciſè, nec non etiam de potentiâ abſolutâ. Hoc aſſertum debet ſumi, prout dicit aliquid amplius, quàm puram impeccabilitatem ex vi viſionis provenientem, alioqui eſſet ſynonimum cum aſſertu tertio *præcedentis §.* ſumitur igitur, prout non ſolùm negat videntem Deum poſſe fieri actu peccantem, ſed inſuper negat actu peccantem poſſe fieri videntem, in quo ſenſu eſt ſpecialiter contrà Oviedum *hic controv. 3. punct. 4. num. 47.* Salas *diſp. 7. ſect. 9. n. 88.* alioſque nonnullos. 72.

Actu peccans nec de potentiâ abſolutâ poteſt fieri videns Deum.

Probatur : Viſioni Dei omninò repugnat conjungi cum libertate ad peccandum; ſed peccatum actuale, ut potè, quod eſt actus liber includit eſſentialiter libertatem ad peccandum, imò eſt formale exerci-

tium talis libertatis, ergo viſioni Dei omninò repugnat conjungi cum peccato actuali, etiam in eo ſenſu, in quo procedit aſſertum, & loquendo de peccato cui viſio ſupervenitat: Minor patet: Major probatur, viſioni Dei omninò repugnat non neceſſitare voluntatem in actu primo ad amorem, cum taliter neceſſitet præcisè proponendo ſummum bonum ut eſt in ſe, quod eſt maximè eſſentiale viſioni; atqui voluntati ità neceſſitatæ omninò repugnat conjungi cum libertate ad peccandum, ſpecialiùs verò cum exercitio talis libertatis, imperceptibile quippè eſt ex principio neceſſitato & omnimodè determinato ad unum actum prodire exercitium liberum actus oppoſiti; ergo viſioni Dei omninò repugnat, &c.

73. Dices ex Oviedo *loco præcit.* Viſionem determinare ac neceſſitare voluntatem ad amorem & ad non peccandum; quoties invenit ipſam capacem talis determinationis ac talis neceſſitatis, voluntas autem actu peccans non eſt capax talis determinationis ac neceſſitatis; ideò nil mirum, quòd viſio ſuperveniens, actuali peccato, voluntatem non determinet, nec neceſſitet, &c. Viſio igitur inveniens voluntatem determinabilem ad non peccandum ipſam ad non peccandum determinat, atque neceſſitat; nec poteſt ampliùs conjungi cum peccato; inveniens verò voluntatem indeterminabilem ad non peccandum poteſt cum peccato conjungi; quod eſt viſionem poſſe divinitùs cõjungi cum peccato actuali priore, non poſteriore ſe ipsâ, & peccantem poſſe fieri videntem, videntem non poſſe fieri peccan-

74. tem. Sed contrà: meo videri ſupponit Oviedus id, quod maximè deberet probare; ſupponit ſcilicet viſionem non habere pro effectu omninò inſeparabili neceſſitatem & determinationem voluntatis, quam nos contendimus & explicabimus magis in ſequenti aſſerto. Quod igitur ait Oviedus in eo, qui actu peccat voluntatem non eſſe capacem neceſſitatis ac determinationis ad amandum Deum, & ad non peccandum, probat in eo, qui actu peccat, repugnare pro inſtanti actualis peccati viſionem, non verò poni poſſe viſionem abſque eo quòd voluntatem neceſſitet ac determinet; ſicuti quòd lapis ſit incapax intelligendi probat repugnare in lapide intellectionem, non verò poni poſſe intellectionem in lapide abſque eo quod faciat intelligentem, ſuppoſito quod aliundè conſtet reddere intelligentem eſſe effectum ab intellectione prorsùs inſeparabilem.

75. Aſſert. 2. Viſioni Dei omninò repugnat conjungi cum peccato habituali. Ità Ioan. à S. Thoma *hic quæſt. 2. diſp. 2. art. 5. num. 33.* Gonet *diſp. 4. art. 5. §. 2.* Vaſquez *diſp. 15. cap. 10. num. 64.* Madernus *quæſt. 3. art. 9.* & alij plures, præſertim ex Thomiſtis, contrà illos omnes, qui docent viſionem non afferre ex natura ſua impeccabilitatem, & inſuper contrà Oviedum *hic controv. 3. punct. 5.* Salas *diſp. 7. ſect. 9. n. 90.* Gregorium Martinez *quæſt. 4. artic. 4. dub. 5.* Arriagam *diſputat. 53. ſect. 5. num. 27.* alioſque nonnullos.

Viſioni Dei repugnat conjungi cum peccato habituali.

Probatur primò: Viſioni omninò repugnat conjungi, aut cum negatione retractationis culpæ ex parte peccatoris, aut cum negatione condonationis, ſeu remiſſionis offenſæ ex parte Dei; ergo viſioni repugnat conjungi cum peccato habituali; conſequentia patet, quia peccatum habituale nihil eſt aliud, quàm peccatum actuale moraliter perſeverans; hæc autem moralis perſeverantia extrà ſcholam Thomiſticam collocantem habituale peccatum in privatione gratiæ explicari ſolet per hoc, quòd peccatum commiſſum nec retractetur à creatura, nec condonetur à Deo; & licèt poſſit eſſe retractatio creaturæ ſine condonatione Dei, aut condonatio Dei ſine retractatione creaturæ, & per unam ex iis duabus ſine alia, præſertim per retractationem ſine condonatione, poſſit peccatum non deleri; poſita tamen utraque ſentiendum omninò eſt ex alibi dicendis habituale non permanere; ſi igitur probetur viſionem cum eâ utraque neceſſariò conjungi, erit probatum ipſam conjungi non poſſe cum permanentia habitualis: Ideò. 76.

Peccatum habituale quid.

Probatur antecedens quoad primam partem, quòd ſcilicet viſioni omninò repugnet conjungi cum negatione retractationis culpæ ex parte peccatoris, ſeu quod idem eſt, quod neceſſariò omninò conjungatur cum tali retractatione; converſio actualis ad Deum tanquam ad ultimum finem includit neceſſariò retractationem cujuſcumque converſionis ad creaturam tanquam ad ultimum finem; atqui viſio eſt actualis converſio ad Deum tanquam ad ultimum finem, & retractatiu converſionis ad creaturam tanquã ad ultimum finem eſt retractatio culpæ; ergo viſio neceſſariò omninò conjungitur cum retractatione culpæ; major patet ex eo quòd juxtà ſupradicta *lib. 1. cap. 2. num. 68. & 77.* omninò repugnat hominem ſimul eſſe converſum ad duos fines ſimpliciter, aut converti actualiter ad unum, quin retractet omnem converſionem etiam habitualem ad quemcumque alium: Minor quoad ſecundam partem habetur ex eo, quòd juxtà doctrinam traditam *eod. cap. 2. §. 3.* peccans ex vi culpæ convertitur, quantùm eſt de ſe, ad creaturam tanquam ad ultimum finem, retractat igitur, quantùm eſt de ſe, culpam, quoties retractat talem converſionem; eadem minor quoad primam partem probatur; Viſio eſt actualis adeptio & poſſeſſio Dei tanquam ultimi finis, & videns Deo tanquam ultimo fine conjungitur vitali modo, propriaque operatione; ergo viſio eſt actualis imò etiam perfectiſſima, & ſumma converſio ad Deum, tanquam ad ultimum finem. 77.

Viſio Dei eſſentialiter importat retractationem peccati.

Dices: converſio ad finem, & conſequenter etiam retractatio ipſius (retractare enim aliquem actum proprie ſpectat ad potentiam, ad quam ſpectat talem actum elicere) eſt actus voluntatis, converſio enim ad finem eſt intentio finis, intendere autem ad voluntatem pertinet; atqui viſio conſiderata ſecun-

dùm

dùm ſe præciſè, quemadmodum conſideratur in præſenti, neque eſt actus voluntatis, neque actui voluntatis conjungitur; ergo neque eſt in ſe converſio ad Deum, neque conjungitur cum retractatione converſionis ad creaturam: Deinde converſio ad Deum, tanquam ad ultimum finem ſaltem non repugnat cum ea converſione, quam dicit ad creaturam culpa venialis, ergo ex eo quòd viſio ſit converſio ad Deum ſaltem non probatur quòd inferat retractationẽ culpæ venialis, adeoque ex inde non probatur repugnantia viſionis cum peccato habituali veniali.

78. *Converſio ad Deum ut ad finẽ alia eſt formalis, alia eſt æquivalens.* Sed contrà: converſio ad finem alia eſt formalis, alia eſt æquivalens & eminens; converſio actualis formalis eſt actus voluntatis, eodemque modo retractatio actualis formalis propriè habetur per ſolum actum voluntatis; converſio verò actualis æquivalens & eminens haberi poteſt per actum æquivalentem actui voluntatis, ſicuti æquivalet viſio, quæ per ſe ipſam neceſſitat voluntatem ad operandum in ordine ad Deum tanquam ultimum finem non minùs, quàm neceſſitaret actus perfectiſſimi amoris, per quem voluntas formaliter ad Deum converteretur, eumque ut ultimum finem formaliter intenderet: Ideò eſt æquivalenti, eminentique modo converſio ad Deum, & retractatio converſionis ad creaturam, quam quidem retractationem fieri æquivalenter poſſe ſine ullo actu voluntatis tenentur concedere nonnulli etiam ex Adverſariis, qui dum aſſerunt peccatum poſſe a Deo remitti, aut per ſolam infuſionem gratiæ, aut etiam per puram condonationem extrinſecam abſque ullo actu peccatoris, docent conſequenter in infuſione gratiæ aut in condonatione extrinſeca contineri æquivalenter retractationem peccatoris; quis autem non videat meliùs explicari talem æquivalentem continentiam reſpectu viſionis, quàm reſpectu gratiæ, aut condonationis extrinſecæ? Ad illud, quod addunt, dico converſionem habitualem ad Deum, tanquam ad ultimum finem non repugnare, &c. ſecùs loquendo de converſione actuali præſertim perfectiſſima, qualis eſt, quæ habetur vi viſionis.

79. Probatur antecedens quoad ſecundam partem, quòd ſcilicet viſioni Dei omninò repugnet conjungi cum negatione condonationis, ſeu remiſſionis offenſæ ex parte Dei, ſeu quod idem eſt, quòd neceſſariò omninò conjungatur cum condonatione & remiſ-

Viſio Dei eſſentialiter importat condonationem offenſæ. ſione offenſæ: Viſio neceſſariò conjungitur cum amore amicitiæ ex parte Dei; ſed amor amicitiæ, ubi ſupponitur offenſa, neceſſariò conjungitur cum condonatione & remiſſione offenſæ; ergo viſio neceſſariò conjungitur cum condonatione & remiſſione offenſæ: Minor patet quia amor amicitiæ eſt amor ſimpliciter, & licèt amore ſecundùm quid, id eſt communicatione aliqua bonorum, ſive naturalium, ſive etiam ſupernaturalium, poſſit Deus amare peccatorem abſque eo quod ei condonet, & remittat offenſam; non ſic tamen amore ſimpliciter, alioqui poſſet Deus amare peccatorem quocumque ſummo amore eo etiam, quo confertur gratia unionis hypoſtaticæ, abſque condonatione & remiſſione offenſæ. Majo probatur: Amor amicitiæ eſt amor mutuus; ſed viſio neceſſariò conjungitur cum amore mutuo inter videntem & Deum, neceſſariò ſcilicet importat tùm actum videntis amantis Deum, tùm actum Dei amantis videntem, importat primum actum, quia viſio verè neceſſitat beatum ad Dei amorem, & licèt amoris exercitium poſſit divinitùs impediri, non poteſt tamen impediri, quin voluntas remaneat diſpoſita, imò proxime determinata ad amorem; non poteſt item impediri amor radicalis & eminens, qui continetur in ipſamet viſione, ex eo quòd iſta habeat vim neceſſitandi voluntatem ad amorem formalem, & præſtandi in ipſa in ordine ad cæteras operationes illud, quod præſtaret amor formalis, quoties iſta divinitùs impediatur. Importat etiam ſecundum actum, amorem ſcilicet Dei erga videntem, & quidem amorem maximum ſupernaturalem; quia amare eſt velle bonum, Deus autem vult, imò etiam confert maximum ſupernaturale bonum videnti, quia viſio ipſa eſt bonum maximum, cum ſit gratiæ conſummatio & ipſamet gloria.

80. *Item amorem ſaltem radicalem videntis erga Deũ.*

Et amorem formalem Dei erga videntem.

Dices totam hanc argumentationẽ transferri poſſe ad actum dilectionis Dei ſuper omnia in via, probando ex tali actu amorem mutuum & amicitiam Dei, nam etiam Deus conferendo homini talem actum confert ei bonum magnum ſupernaturale, & conſequenter juxta ſuperiorem argumentationem amat hominẽ amantem, ſicque amat amore mutuo & amicitiæ; Atqui ex alia parte dilectio Dei ſuper omnia in via poteſt ſimul eſſe cum peccato habituali, & de facto in communiori ſententia peccatum habituale expellit diſpoſitivè ſolùm, non formaliter; ergo vel malè probata eſt neceſſaria conjunctio viſionis cum amicitiâ Dei, vel cum tali amicitia poteſt in homine Deum vidente conjungi habituale peccatũ. Sed con-

81. *Amicitia non poteſt eſſe ſolùm ad tempus determinatum.* trà: Velle & conferre bonum, etiam excellens, non ſemper importat amorem amicabilem, ſed tunc ſolùm, quando tale bonum, quantùm eſt ex parte amantis, confertur ut permanens & perpetuum, amicitia enim ex genere ſuo eſt amor permanens & perpetuus, nec eſſet verus Amicus, qui vellet talis eſſe ſolùm ad tempus determinatum; ratio à priori eſſe poteſt, quia amans alterum amicabiliter vult, quantùm eſt de ſe illum eſſe felicem, ſicuti vult ipſemet eſſe felix, vera autem felicitas eſt ex natura ſua perpetua, ea præſertim, quæ à Deo ut Auctore ſupernaturali haberi poteſt; nequit igitur Deus, præſertim ut Auctor ſupernaturalis, amare amicabiliter niſi conferat bonum permanens & ſaltem quantùm eſt ex parte ipſius Dei perpetuum. Porrò viſio, quam Deus dat in patria utpotè ſimpliciter perpetua optimè infert amorem amicabilem, non ſic dilectio ſuper omnia, quâ exiſtens in peccato poteſt Deum in via amare, quia talis dilectio utpotè proveniẽs ab auxiliis actualibus tranſeunter conceſſis ex ipſomet modo, quo à

Peccatum cur repugnet cum viſione in patria, non cum amore in via.

Deo confertur, tranſiens eſt & non perpetua, ideò &c.

Vrgebis; ergo etiam viſio, quæ tranſeunter & ad tempus concederetur, poſſet eſſe ſine amore amicabili ex parte Dei & poſſet ſecum compati peccatum habituale: Quod ſi concedatur concedendum pariter erit eandem viſionem poſſe ſecum compati potentiam peccandi, quia major ſanctitas requiritur ad excludendam potentiam peccandi, quàm ad excludendam maculam peccati habitualis, ut patet ex eo quòd ſanctitas gratiæ de lege ſaltem ordinaria tollit maculam peccati, non potentiam peccandi; ſi igitur viſio tranſeunter conceſſa non eſt ſanctitas eſſentialiter excludens maculã peccati, multò minùs eſſentialiter excludet potentiam peccandi; & tamen ex alia parte hoc poſtremum non videtur dici poſſe, quia viſio etiã tranſiens proponit clarè Deum ſub ratione ſummi boni, voluntatemque ſaltem in actu primo determinat ac neceſſitat ad amorem, ex quo capite ſuprà *n. 66.* probabamus viſionem in beatis excludere potentiam peccandi.

82\. Viſio tranſiens non excludit eſſentialiter peccatum habituale.

Contrà tamen: libenter admitto viſionem ſolùm ad tempus conceſſam non neceſſariò conjungi cum amore amicabili Dei, & poſſe ſecum compati peccatum habituale, non quidem ſecundùm quod dicit negationem retractationis ex parte creaturæ, benè tamen ſecundùm quod dicit negationem remiſſionis ex parte Dei, quâ ſolùm ratione etiam poteſt ſecum compati peccatum habituale dilectio Dei in via tranſeunter conceſſa.

83\. Ad illud, quod additur, dico in primis rationem, quæ affertur non probare intentum, quia, quando excluſio fit in ratione formæ ſanctificantis, quâ ratione excluditur peccatum habituale à gratia, verum quidem eſt eam ſanctitatem, quæ non excludit maculam peccati, multò minùs excludere potentiam peccandi; at non eſt id verum quando excluſio fit ſub alia ratione à ratione formæ ſanctificantis, ut evenit in viſione, quæ excludit potentiam peccãdi in ratione principij auferentis libertatẽ, quæ libertas quia eſſentialiter requiritur ad retinendã potentiam peccandi, non ad retinendam maculam peccati, poſſet ex hoc capite viſio repugnare cum potentia peccandi magis, quàm cum macula peccati; nec ex compoſſibilitate viſionis tranſeuntis cum macula peccati ſufficienter ab Adverſariis infertur compoſſibilitas ejuſdem cum potentia peccandi:

84\. Non item excludit potentiam peccandi.

Aliunde tamen propendeo ad concedendum ſimpliciter & abſolutè quòd viſio tranſiens potentiam peccandi non excludat: Ratio eſt, quia neceſſitas ad tempus non tollit ſimpliciter libertatem, libertas enim ſeu potentia libera eſt quid permanens, & ut talis poteſt quidem per aliquid tranſiens impediri quoad actum ſecundum, at non auferri quoad actum primum; ideò viſio tranſiens, quamvis proponat clarè Deum ſub ratione ſummi boni, quia tamen proponit ipſum ad tempus, neceſſitat ſecundùm quid, non ſimpliciter, imò in rigore non neceſſitat ad amorẽ amicabilem, quia Deus communicando viſionem tranſeuntem non vult hominem eſſe felicem & beatum, ideò communicando præcisè talem viſionem non amat amicabiliter ex doctrina ſuprà tradita *num.* 81. id autem quod non eſt radix amoris amicabilis ergà Deum non videtur eſſe poſſe radix impotentiæ offendendi ipſum.

Probatur aſſertum ſecundò. Eſt poſſibilis viſio Dei cui omninò repugnet conjungi cum peccato habituali; ergo talis eſt viſio Dei quæ de facto datur in beatis: Antecedens concedunt nonnulli etiam ex Adverſariis & ſpecialiter Arriaga *hic diſp.* 53. *n.* 28. & certè difficillimum eſt aſſignare repugnantiam talis viſionis; conſequentia probatur, quælibet perfectio peccati excluſiva aſſignabilis in illa viſione poſſibili poteſt ſuſtineri in viſione, quæ de facto datur; perfectio enim in illa aſſignabilis non videtur eſſe poſſe, niſi aut ratio eſſentialis beatitudinis, aut ratio formæ ſanctificantis; atqui hæc utraque ſuſtineri poteſt in viſione, quæ de facto datur, ut quoad primam *præcedenti cap.* probatum eſt, quoad ſecundam ſuadetur ex eo, quòd ratio formæ ſanctificantis maximè relucet in habitibus gratiæ & charitatis, viſio autem præſtat eminentiori modo aliqua eorum, quæ præſtant gratia & charitas, eſt enim formalis conſecutio illius gloriæ, ad quam gratia ex ſe ſolùm dat jus; neceſſitat verò & determinat ad amorem, ad quem habitus charitatis ſecundùm ſe ſolùm elevat. 85.

Dices: habitus ipſi gratiæ & charitatis in quacumque ſui perfectione poſſunt divinitùs conjungi cum peccato habituali: ergo multò magis viſio, quæ licèt fortè perfectior prædictis habitibus, non opponitur tamen peccato habituali adeò directè ut opponuntur prædicti habitus. Sed contrà: tranſeat antecedens, nego conſequentiam, & licèt in ratione formæ ſanctificãtis poſſit concedi, quod gratia & charitas magis directè opponantur peccato habituali, quàm viſio; ſimpliciter tamen & abſolutè iſta magis opponitur: pro quo adverto viſionem poſſe conſiderari tripliciter, vel ut eſt forma ſanctificans, vel ut eſt principium voluntatem neceſſitans, vel ut eſt actualis converſio hominis ad Deum & effectus amoris amicabilis Dei ad hominem: Primo modo viſio repugnat cum peccato habituali de potentia ordinaria: Secundo modo repugnat cum potentia peccandi: Tertio modo repugnat cum peccato habituali etiam de potentia abſolutâ. 86.

Triplex repugnantia viſionis cũ peccato.

Habetur ex dictis minùs repugnare cum peccato lumen gloriæ, quam viſionem; illud enim repugnat ſolùm in ratione formæ ſanctificantis, non verò etiam in ratione actualis converſionis ad Deum & actualis retractationis cujuſcumque cõverſionis ad creaturam, ſicuti viſio ex dictis *num.* 77. & 86. unde etiam crediderim lumen gloriæ habere incompoſſibilitatem cum peccato ſolùm de potentia ordinaria, non verò de potentia abſoluta, ſicuti habet viſio. Neque dicas: lumen gloriæ eſt radix & principiũ viſionis, 87.

Lumen gloriæ cũ eodem repugnat ſolũ de potẽtia ordinaria.

ergo

ergo radicaliter & æquivalenter (imò etiam eminenter in noſtris principiis, ſecundùm quæ *tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 45. lumen eſt quid perfectius & eminens reſpectu viſionis) habet cum peccato eandem repugnantiã, quam

88. viſio. Contrà enim: lumen eſt radix & principium viſionis, ut eſt forma ſupernaturalis, non ut eſt forma vitalis ab intrinſeco proveniens; ex alia parte viſio habet à ratione ſupernaturalitatis eſſe formam ſanctificantem, quia ſanctificatio ex genere ſuo ſpectat ad ordinem ſupernaturalem; habet à ratione vitalitatis eſſe converſionem ad Deum & retractationem converſionis ad creaturam, quia hoc ſpectat ad voluntarietatem, quæ non poteſt eſſe niſi vitalis; lumen igitur etiam radicaliter & æquivalenter habet cum peccato eam ſolam repugnantiam, quam habet viſio in ratione formæ ſanctificantis, non verò eam, quam habet in ratione actualis converſionis, &c.

§. VII.

Explicantur alia nonnulla de viſione, quatenùs eſt beatitudo formalis.

Dubitatur primò: Vtrùm ſi per impoſſibile Deo non exiſtente permaneret in beatis eadem viſio, quæ nunc in ipſis eſt; talis viſio dicenda adhuc foret vera beatitudo formalis. Affirmat Arriaga *hic diſp.* 48. *ſect.* 6. Negat Oviedus *controverſ.* 2. *punct.* 3. *n.* 31. & ait eſſe communem Doctorum ſententiam, cum quâ

89. Reſpondetur negativè: Ratio eſt, quia viſio eſt beatitudo formalis, quatenùs eſt poſſeſſio & adeptio ſummi boni; ſed Deo non exiſtente viſio non eſſet ampliùs poſſeſſio & adeptio ſummi boni; neque enim poteſt aut poſſideri ſummum bonum non exiſtens, aut exiſtere ſummum bonum non exiſtente Deo; ergo non exiſtente Deo viſio Dei, ſi permaneret, non eſſet ampliùs vera beatitudo formalis.

Viſio Dei non exiſtẽte Deo nõ eſſet beatitudo.

Dices ex Arriaga *ſect. præcit. n.* 37. Qui conſpectu alicujus objecti, horti v. g. amœniſſimi ac jucundiſſimi, delectatur, ſi Deus deſtructo objecto ſpeciem ipſius in oculo viſionemque conſervet, delectatur eodem modo, quo delectabatur objecto exiſtente, ergo ſimiliter qui beatur viſione Dei, ſi Deo non exiſtente ſupponatur Dei ſpeciem in intellectu viſionemque conſervari, beabitur eodem modo, quo beabatur Deo exiſtẽte, ergo viſio, quæ permaneret non exiſtente Deo, adhuc dicenda eſſet vera beatitudo formalis. Sed contrà: tranſeat antecedens, nego conſequentiam, diſparitas eſt, quia viſio corporea objecti delectat non ſolum ut quo, verùm etiam ut quod, & objectum pulchrum delectat præcisè quia videtur, non quia poſſidetur, at viſio Dei beat præcisè ut quo, Deus verò ipſe beat ut quod, nec beat præcisè, quia quomodocumque videtur, ſed quia vi viſionis poſſidetur.

Vrgebis: eo ipſo, quòd ſupponitur permanere in beatis viſio, quæ nunc in ipſis eſt, ſupponitur permanere talis viſio ut eſt poſſeſſio Dei, adeoque ut vera beatitudo formalis. Contrà tamen: ſi non exiſtente Deo 90. ſupponatur, quod perſeveret viſio etiam, ut eſt vera Dei poſſeſſio, fit ſuppoſitio quòd non exiſtente Deo habeatur poſſeſſio Dei exiſtentis, adeoque fit ſuppoſitio de impoſſibili involvente contradictoria ex terminis, ex quo genere ſuppoſitionis ſequitur quodlibet & nihil utiliter infertur ut explicabatur *tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 9. Supponendum igitur eſt præcisè, quòd permaneat viſio Dei non exiſtente Deo, unde etiam in rigore ſupponi non debet, quòd permaneat quoad omnia eadem viſio, quæ nunc in beatis eſt; ſed ſolùm quoad prædicata maximè generica viſionis veræ vel apparentis.

Aliquæ ſuppoſitiones impoſſibiles ſunt prorſùs inutiles.

Dices adhuc: ergo exiſtentia Dei eſſet de 91. conceptu beatitudinis formalis, ſi illa præcisè ſublata viſio Dei deſineret eſſe beatitudo formalis. Sed contrà: approbo quod infertur, nec propterea beatitudo formalis conſiſteret partialiter ſaltem in aliquo alio à viſione, quia Dei exiſtentia, ſeu Deus exiſtens præſertim juxtà Complexiſtas non eſt aliquid aliud à Dei viſione, ſed ingreditur conſtitutionem ipſius, utpotè quæ conſiſtit in complexo intellectus videntis, & objecti viſi.

Dubitatur ſecundò: Vtrùm viſio, quatenùs eſt formalis beatitudo, ſpeculativa dicenda ſit, an practica. Docent ipſam eſſe ſpeculativam D. Thomas *hic q.* 3. *art.* 5. Sylvius *eod. art.* Vaſquez *diſp.* 12. *c.* 1. *n.* 2. Madernus *q.* 2. *art.* 7. *&c.* Docent eſſe practicam Scotus *in prol. ſent. q.* 4. *&* 5. §. *ad quæſtionem igitur &* §. *ad argumenta principalia.* Lauræa *in* 4. *tom* 4. *diſp.* 17. *art.* 4. Arriaga *hic diſp.* 5n. *ſect.* 3. &c. Docent eſſe partim ſpeculativam, partim practicam Cajetanus *hic q.* 3. *art.* 5. Ioan. à S. Thoma *diſput.* 1. *art.* 5. *num.* 24. Valentia *diſput* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 4. §. *Quod ad ſecundam dubitationem*, Salas *diſp.* 3. *ſect.* 5. *&c.*

Reſpondetur viſionem, quatenùs eſt for- 92. malis beatitudo, dicendam eſſe ſpeculativam; probatur facilè reſponſio in noſtris principiis, ſecundùm quæ ut attigimus *tr.* 1. *lib.* 3. *c.* 6. *n.* 13. ſola operatio libera poteſt eſſe praxis, nec omnis cognitio cauſativa eſt cognitio practica, ſed illa ſola, quæ eſt cauſa operationis liberè poſitæ; hinc enim apertè ſequitur viſionem Dei eſſe ſpeculativam non ſolùm, quatenùs præcisè fertur in Deum, ſed etiam quatenùs eſt cauſa actuum amoris & gaudij, cum iſti actus ad viſionem neceſſariò omninò ſequantur, non liberè. Nec refert dari in beatis aliquos etiam actus liberos, ad quos viſio conducit: Non refert, inquam, quia tales actus non ſpectant ad perfectionem, neque etiam ſubſtantialem, ſeu integralem formalis beatitudinis, ergo in ordine ad tales actus viſio, ſaltem ut formalis beatitudo eſt, nullatenùs debet dici practica.

Viſio Dei quatenùs beatitudo, eſt purè ſpeculativa.

Dices ex D. Thoma art. 5. præcit. *Beatitudo* 93.

Germana mens d. Th. circà dubitationem præſentem.

titudo magis conſiſtit in operatione ſpeculativi intellectus, quàm practici, ergo viſio ut formalis beatitudo eſt, eſt quidem magis ſpeculativa, quàm practica; at non totaliter ſpeculativa, nec pro viſione totaliter ſpeculativa legitimè relatus eſt S.Doctor. Sed contrà: Senſus D.Thomæ non eſt, quod beatitudo perfecta patriæ aliquo modo conſiſtat in operatione intellectus practici, ſed quod detur alia beatitudo, nimirum beatitudo imperfecta viæ in tali operatione aliqualiter conſiſtens, & hanc eſſe germanam S.Doctoris mentem evincitur tùm ex verbis quibus concludit corpus citati articuli dicens *& idèo ultima & perfecta beatitudo, quæ expectatur in futura vita, tota conſiſtit in contemplatione; beatitudo autem imperfecta*, &c. tùm ex eo, quod habet idem S. Doctor 2. 2. *q.*181.*art.*4. docens Beatorum vitam eſſe totam contemplativam.

Dices inſuper: Viſio quatenùs eſt formalis beatitudo nihil eſt aliud, quàm Theologia beata, de quâ loquendum eſt eodem proportionaliter modo, ac de Theologiâ viæ; atqui hæc à nobis *in prologomenis c.* 1. § 5. aſſerta eſt partim ſpeculativa, partim practica, ergo etiam partim ſpeculativa, partim practica aſſerenda eſt Theologia beata.

94. Sed contrà: Theologia viæ vel ſumi poteſt in ordine ad objectum principale & attributionis, quod eſt Deus, vel in ordine etiam ad objectum minùs principale & attributum, quod complectitur plures res creatas; primo modo correſpondet Theologiæ beatæ, non ſecundo, eſt autem partim ſpeculativa, partim practica ſecundo modo, non primo; ut patet ex doctrinâ à nobis tradita §.5. *præcit* ideò &c. Idem dicendum de fide, ſi ea eo, quòd iſta ſit ſaltem partialiter practica, inferatur debere etiam eſſe ſaltem partialiter practicam viſionem. Accedit quòd dato abſolutè tùm Theologiam noſtram, tùm fidem eſſe practicam, non procederet paritas ad Theologiam beatam & viſionem, quia illæ non neceſſitant ad actus, quos cauſant, ſicuti tamen neceſſitat iſta.

Dubitatur tertiò. Utrùm viſio Dei, quatenùs eſt formalis beatitudo, ſit aliquo modo appetibilis appetitu naturali.

Reſpondetur nullatenùs eſſe appetibilem appetitu innato; eſſe tamen appetibilem appetitu naturali elicito inefficaciter, & in aliquo ſenſu etiam efficaciter. Probatur & explicatur reſponſio recolendo ſuprà dicta *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. §.6. ubi res hæc tradita eſt ex profeſſo.

CAPUT IV.

De formali beatitudine Hominis, tùm ſupernaturali viæ, tùm naturali viæ, & termini.

Sco nonnullos abſolutè negare tàm beatitudinem ſupernaturalem viæ, quam beatitudinem purè naturalem, tùm viæ tùm termini; nihilominus dari poſſe utramque probandum in præſenti non eſt, ſed ſupponendum *ex lib. præcedente, cap.* 3. à §.2. *ad* 4. Etenim ea ibi dictis de beatitudine objectivâ, tam ſupernaturali viæ pro ſtatu præſenti, quàm naturali tum viæ tùm termini pro ſtatu puræ naturæ, ſufficientiſſimè conſtat idem eſſe proportionaliter ſentiendum de beatitudine formali, tàm ſupernaturali viæ, quàm naturali, tum viæ tum termini; de qua utraque proptereà examinandum non eſt *An ſit*, ſed hoc ſuppoſito definiendum *Quid ſit*, ſeù in quo eſſentialiter conſiſtat? 1.

---

§. I.

In quonam eſſentialiter conſiſtat Beatitudo formalis ſupernaturalis viæ ſeù vitæ præſentis?

ASSERT. Beatitudo formalis ſupernaturalis viæ, ſeu vitæ præſentis, eſſentialiter ſumpta conſiſtit in actibus ſupernaturalibus fidei & Charitatis. Ità Salas *hic diſput.* 2. *ſect.* 6. *n.* 62. Vaſquex *diſp.* 52. *cap.* 3. Madeinus *q.* 3. *art.* 21. cæterique Theologi magis communiter contrà Oviedum *hic contr.* 2 *punct.* 8. docentem beatitudinem ſupernaturalem hujus vitæ eſſentialiter ſitam eſſe in ſtatu ſanctitatis: item contrà Gaſparem Hurtadum *diſp.* 2. *diff.* 24. collocantem eamdem beatitudinem in iure ad gloriam proveniente ex gratia habituali, idque Arriaga *diſp.* 58. *n.* 41. extêdit ad ius ad gloriam etiam fûdatum in ſola extrinſeca Dei promiſſione. Tandem contrà alios nonnullos, qui aut fidei & charitati addunt actum ſpei, aut contenti ſunt unico actu, huncque quidam ponunt charitatis, quidam fidei ſeù contemplationis. 2.

Eſſentia beatitudinis formalis ſupernaturalis in hac vita variè aſſignatur.

Probatur aſſertum & explicatur: Quamvis beatitudo viæ, ſeù vitæ præſentis poſſit multipliciter accipi, hincque etiam cum diſſidio de voce potiùs, quàm de re, ortum duxerit multiplex modus aſſignandi ipſius eſſentiam, nihilominùs non videtur poſſe meliùs explicari, quàm per analogiam ad beatitudinem alterius vitæ, per hoc ſcilicèt, quòd ipſam, licèt imperfectè, participet, & 3.

Explicatur, in quonam verè conſiſtat.

ad

ad eamdem obtinendam conducat; ſed hoc utrumque habetur per fidem & charitatem, nam fides præſtat imperfectam quamdam & inchoatam Dei poſſeſſionem, adeoque participationem eius poſſeſſionis, quæ habetur per viſionem; charitas affert potiſſimam rationem meriti, & excludit conſortium peccati, meritum autem eſt id, quo maximè obtinetur; peccatum eſt id, quo maximè impeditur beatitudo alterius vitæ adeoque charitas maximè conducit ad beatitudinem alterius vitæ obtinendam; ergo.

4. *Ipſius diſcrimen à beatitudine ſupernaturali alterius vitæ.* Hinc patet obiter cur beatitudo alterius vitæ conſiſtat in ſolo actu intellectus; beatitudo verò huius vitæ in actu intellectus ſimul & voluntatis: ratio ſcilicet duplex eſt: Prima, quia in alia vita actus intellectus, ſcilicet viſio, excludit ut *cap. præced.* probatum eſt omnem peccati maculam & miſeriam, id autem non præſtat in hac vita fides, aut ullus alius actus intellectus, ſed ſolus actus charitatis: Secunda, quia in alia vita beatitudo eſt præmium, præmium autem non requirit libertatem ex parte eius, qui præmiatur, ſed adeptionem & poſſeſſionem, & hæc habetur per ſolum actum intellectus; In hac vita beatitudo eſt meritoria, meritum autem maximè requirit libertatem & operationem voluntatis ideò, &c.

Probatur inſuper aſſertum argumento negativo. Beatitudo formalis ſupernaturalis huius vitæ nec conſiſtit eſſentialiter in ſtatu Sanctitatis, nec in iure ad gloriam, nec in aliquo actu diverſo à fide & charitate, nec aut in ſolo actu fidei, aut in ſolo actu charitatis; ergo conſiſtit eſſentialiter in actibus ſupernaturalibus fidei & charitatis; conſequentia patet ex ſufficienti partium enumeratione; antecedens probatur diſcurrendo per ſingula.

5. *Beatitudo formalis hujus vitæ non cōſiſtit in ſtatu ſanctitatis.* Non conſiſtit in ſtatu Sanctitatis, quia iſte ſtatus etiam in dormientibus, etiam in pueris antè uſum rationis reperiri poteſt, utpote qui in habitu, non in actu & operatione conſiſtit; beatitudo autem formalis ſecundùm communiter receptam ſignificationem importat actum non habitum; undè etiam D. Thom. *in 4. diſt. 49. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 5.* loquens de ipſamet beatitudine, de qua hic agitur, ait, *Dormiens non poteſt dici beatus, quantùm ad id, quod tunc habet, ſed in quantùm ipſa operatio eſt in eo habitualiter, ſecundùm enim quod effectus ſunt in ſuis cauſis, ſic operationes ſunt in habitibus.* Nec refert quòd ſtatus Sanctitatis ſit maxima approximatio ad beatitudinem patriæ: Enimverò eſt maxima approximatio habitualis & quaſi mortua, non actualis & vitalis, qualis requiritur ad beatitudinem viæ; ſicuti ad beatitudinem Patriæ requiritur poſſeſſio actualis pariter & vitalis, nec ſufficit habitualis & quaſi mortua quæ habetur per habitum luminis. Nec refert inſuper; quòd poſitis actibus fidei & charitatis abſque ſtatu Sanctitatis poſſit permanere in homine macula peccati habitualis, quæ eſt ſumma etiam præſentis vitæ miſeria Non refert, inquam, quia vel ſermo eſt de potentiâ abſolutâ, & hâc ratione etiam cum ipſo ſtatu Sanctitatis, ſeu gratiæ ſanctificantis, poteſt conjungi macula peccati habitualis, vel ſermo eſt de potentia ordinaria, & hac ratione actus charitatis expellit peccati maculam diſpoſitivè ſaltem, & ſi non formaliter, certè taliter expellit, ut nullo alio actu in via poſſit magis expelli; & hoc ſufficit pro beatitudine viæ, quam aliunde conſtat eſſe neceſſariò in aliquo actu, non in habitu collocandam.

6. *Neque in iure ad gloriam.* Non conſiſtit in iure ad gloriam, quia pariter tale jus etiam in dormientibus, etiam in carentibus uſu rationis, reperiri poteſt: Item quia vel ſumitur quatenùs fundatur in gratia, & hac ratione eſt quid minùs ipſa gratia, nec ulla eſt ſufficiens ratio ei concedendi beatitudinis prærogativam, quæ non conceditur gratiæ; vel ſumitur quatenùs fundatur in promiſſione extrinſeca Dei, & hac ratione, homo in via redderetur beatus per denominationem extrinſecam, & non ſolum nihil operando, ſed etiam nihil recipiendo beatus. Neque dicas ex tali promiſſione hominem reddi certum de conſequenda beatitudine alterius vitæ, qua certitudine & ſecuritate nihil eſt homini in hac vita iucundius, nihil deſiderabilius nec ullus eſt qui ſibi majorem beatitudinem optaret in hac vita, quàm hanc ſecuritatem, unde etiam refert Arriaga *hic diſp. 58. num. 45.* S. Franciſcum ea die, qua ſibi revelata fuit prædeſtinatio propria, ſaltaſſe velut inſanientem ac cucurriſſe per Monaſterium præ lætitiæ magnitudine. Contrà enim primò: Securitas conſequens ex promiſſione & revelatione beatitudinis conſequendæ in alia vita vel ſumitur ſecundùm ſe præcisè, vel ſimul cum Dei amore ſi ſecundùm ſe præcisè, poteſt etiam de lege ordinaria conjungi cum peccato tùm actuali, tùm habituali, dummodò non finali, & apud perfectos viros, rerúmque ſupernaturalium cordatos æſtimatores, eſt quid minùs deſiderabile, minùſque eligibile, quàm Dei amor; nec S. Franciſcus exultaſſet adeò de revelatione propriæ prædeſtinationis, niſi habuiſſet ſecuritatem propriæ cum Deo amicitiæ, ſi ſimul cum Dei amore meliùs in tali amore, quàm in ſecuritate prædeſtinationis, collocatur beatitudinis eſſentia, quia illud, quod iſta ſuperaddit amori, eſt quid minùs deſiderabile, & minùs eligibile ipſo amore, & confert ad gaudium concupiſcentiæ potiùs, quàm amicitiæ.

7. *Neque in ſecuritate gloriæ conſequendæ.* Contrà ſecundò revelatio propriæ prædeſtinationis pauciſſimis fit; & ſpectat ad providentiam ſupernaturalem extraordinariam, & tamen beatitudo ſupernaturalis hujus vitæ ſi non omnibus prædeſtinatis ſaltem inſignioribus Sanctis concedenda eſt, nec refundenda in providentiam magis extraordinariam, quàm beatitudo ſupernaturalis alterius vitæ.

Non conſiſtit in aliquo actu diverſo à fide & charitate, quia talis actus deberet eſſe, aut ſpes, aut contemplatio ſupernaturalis proveniens ex dono ſapientiæ, ſolùm enim hi duo actus à nonnullis Theologis poni hîc ſolent in controverſiâ; atqui nec conſiſtit in

actu ſpei, nec in actu ſopernaturalis contem-

Neque in actu ſpei.

plationis. Non in actu ſpei, quia ſpes ſecundùm ſe affligit potiùs, quàm delectet, nec refert quòd ſpes tribuat quandam certitudinem ſalutis conſequendæ; nam ſicuti ex mox dictis non eſt conſtitutiva beatitudinis ſecuritas ſalutis proveniens ex divina revelatione, ità nec certitudo proveniens ea ſpe; ſicuti inſuper *ex cap. præced.* §. 4. ſecuritas & certitudo permanendi in beatitudine perfectiſſima alterius vitæ non eſt de eſſentia talis beatitudinis, ità multò minùs ſecuritas & certitudo perveniendi ad illam perfectiſſimam beatitudinē erit de eſſētia beatitudinis

9. Neque in actu ſupernaturalis cōtemplationis.

hujus vitæ. Non in actu ſupernaturalis contēplationis, quæ nequit in ordine ad conſtituendā hujus vitæ beatitudinē fidei præferri; tùm quia fides magis eſt ad ſalutem & beatitudinē alterius vitæ neceſſaria, quàm donum ſapientiæ & contēplatio ad tale donum conſequens, tùm quia cōtemplatio importat ſtatum potiùs, quàm viam, ergo beatitudo vitæ mortalis & viæ meliùs, quā in contēplatione, collocatur in fide, quæ tendentiā & viam importat juxtà illud 2. Cor. 5. *Per fidem ambulamus.* Non negamus tamen actus, tū ſpei, tùm ſupernaturalis contemplationis, ad majorem beatitudinis ſupernaturalis in via perfectionem, integritatemque conferre, ſicuti etiam ad hanc conferunt omnes alij actus meritorij æternæ gloriæ.

10. Neque in ſolo actu aut fidei, aut charitatis.

Non conſiſtit in ſolo actu fidei; quia hic ex ſe præcisè nec ſufficit ad perfectam rationem meriti, nec ad excluſionem peccati. Non in ſolo actu charitatis, quia in beatitudine viæ non ſolùm debet ſalvari conducentia & meritum in ordine ad beatitudinem patriæ, ſed hujuſce etiam inchoatio quædam & participatio, quæ quidem relucet in actu fidei, non in actu charitatis; cum fides, non charitas, ſit in linea operationis intellectualis, & poſſeſſivæ, in quā eſt beatitudo Patriæ. Hinc fit ſupernaturalem beatitudinem viæ, quamvis ſimpliciter & adæquatè ſumpta æquè primò conſiſtat in utroque actu fidei & charitatis, ſi tamen ſumatur potiùs ut eſt meritoria, quàm ut eſt participatio beatitudinis patriæ, principaliùs conſiſtere in actu charitatis, ſi è contrà ſumatur potiùs ut eſt participatio, quàm ut eſt meritoria illius, principaliùs conſiſtere in actu fidei.

11. Dubitatur hic: Vtrùm is, qui ſemel tantū in hac vita eliceret actum fidei & charitatis, & in eo ad breve tēpus perſeveraret dicendus eſſet pro tali brevi tempore beatus beatitudine viæ.

Exercitium frequens illorum actuum requiritur ad beatitudinē viæ perfectam.

Reſpōdetur in rigore fore beatum, quia pro tali brevi tempore verè haberet id, in quo conſiſtit eſſentia beatitudinis viæ, quia tamen beatitudo perfecta importat perpetuitatem, beatitudo imperfecta magis propriè accipitur, quando magis ad perpetuitatem accedit importando aliquam ſtabilitatem, adeò magis propriè beatus in via eſt ille ſolus, qui habet exercitium & frequentiam actuum fidei, & charitatis, adeò ut & ſuaviter in tales actus erumpat, & facilè lethalia vitet, indéque etiam aſſurgere poſſit in magnam probabilitatem æternæ felicitatis, cujus probabilitatis fundamentum facilè concederem requiri ad beatitudinem viæ, quamvis non ut vult Pallavicinus *hic diſput. 2. q. 2. art. 3. n. 4.* cognitionem actualem talis probabilitatis.

---

§. II.

In quonam eſſentialiter conſiſtat beatitudo formalis naturalis viæ, ſeu vitæ præſentis?

12. Beatitudo naturalis viæ eſt ſolùm dabilis in pura natura.

Assert. Beatitudo formalis naturalis viæ, ſeu vitæ præſentis, eſſentialiter conſiſtit in naturali contemplatione, & naturali amore Dei. Hoc aſſertum conforme eſt ſupradictis tùm §. *præced.* tùm *lib. 1. c. 3. §. 4.* & procedit de homine ut producibili in ſtatu puræ naturæ, nam ſecundū præſentem ſtatum naturæ elevatæ homo, ſicuti non eſt capax beatitudinis naturalis in alia, ità nec in præſenti vita, in qua nō datur beatitudo ulla abſoluta *ex cap. præcit.* §. 3. ſed ſolùm relata & conducens ad beatitudinem alterius vitæ, & per conſequens ſolū in eo genere, in quo eſt beatitudo alterius vitæ, quæ quidem beatitudo alterius vitæ ſecundùm præſentē ſtatum ſupernaturalis eſt, non naturalis, ſaltem loquendo reſpectu adultorum, in quibus dūtaxat aliqua hujus vitæ beatitudo reperiri poteſt; ſaltem, inquam, reſpectu adultorum, nam quoad parvulos decedentes in ſolo originali non deſunt, qui ipſis poſt univerſalē reſurrectionē concedant felicitatem ac beatitudinem naturalem, quam ſententiam, licèt nonnulli cenſura notent, latè defendit ex recentioribus Salas *hic diſp. 13. ſect. 4.*

13. In quonam eſſentialiter conſiſtat?

Probatur & explicatur aſſertum: in ſtatu puræ naturæ eodem modo cæteris paribus ſe haberet homo ad beatitudinem naturalem, quo modo nunc ſe habet ad beatitudinē ſupernaturalem; & ipſius beatitudo in via eſſet explicanda per analogiam ad beatitudinem alterius vitæ, per hoc ſcilicet, quòd ipſam aliquo modo participaret & ad eandem obtinendam conduceret; atqui naturalis contemplatio imperfecta viæ eſſet aliquo modo participatio contemplationis perfectionis, in quā eſſentialiter conſiſteret beatitudo naturalis alterius vitæ, & ad hanc obtinendam naturalis Dei amor maximè conduceret, utpotè qui eſſet actus maximè meritorius in ordine naturæ; & maximè impediens quamlibet offenſam Dei ut Auctoris naturæ; ergo pro ſtatu puræ naturæ beatitudo formalis naturalis viæ eſſentialiter conſiſteret in actibus naturalibus contemplationis & amoris, ſicuti nunc beatitudo ſupernaturalis in actibus ſupernaturalibus fidei & charitatis; undè etiam cæteris paribus militant hic ea ferè omnia, quæ dicebamus §. *præced.*

Dices: Tùm actus naturales contemplationis & amoris Dei, tùm actus ſupernatura-

les

les fidei & charitatis, ſecum admittunt plurima mala etiam vehementer hominem affligentia, puta diuturnos graveſque morbos, dolores acerbiſſimos, famem, ſitim &c. quod certè alia probatione non indiget, quàm experientiâ ipſa; ergo hujus vitæ beatitudo nec naturalis in actibus naturalibus contemplationis & amoris, nec ſupernaturalis in actibus ſupernaturalibus fidei & charitatis ſufficienter ſalvatur; quis enim diceret in hac vita beatum illum; qui verſaretur quidem in exercitio talium actuum, at una ſimul aſſiduè torqueretur doloribus acerbiſſimis, fame, ſiti, aliiſque graviſſimis moleſtiis; unde Arriaga *hic diſp.* 47. *n.* 24. miratur pleroſque communiter probare beatitudinem naturalem non conſiſtere in divitiis, honoribus, &c. eo quòd cum his bonis cohæreant multa alia mala; miratur, inquam, eos non advertiſſe eandem rationem applicari poſſe contrà dilectionem, & contemplationem Dei æquè, ac contrà divitias, honores,

14\. Beatitudo viæ perficitur, non impeditur, ex aliquorum malorum conſortio.

&c. Sed contrà: inſtantia ad ſummum probat non dari in hac vita beatitudinem ſimpliciter & abſolutè talem, at nil concludit contrà beatitudinem meritoriam, & relatam ad beatitudinem alterius vitæ, ad quam mala ipſa, quæ poſſunt cum Dei cõtemplatione & dilectione, aut fide & charitate conjungi, conducunt juxtà illud Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ideò in rigore beatitudinem hujus vitæ id eſt meritoriam, & relatam, perficiunt potiùs, quàm impediant: Nec eſt eadem ratio de iiſdem malis, quatenùs conjungi poſſunt cum divitiis & honoribus; cum iſtis enim conjuncta impediunt beatitudinem non ſolùm abſolutam, verùm etiam relatam, ſeu inferunt neutram beatitudinem in divitiis & honoribus reperiri, conjuncta verò cum actibus ſupradictis inferunt quidem in illis non reperiri beatitudinem ſimpliciter & abſolutè talem, quam nos in via nullatenùs reperiri ſpontè concedimus; at non excludunt ab iiſdẽ actibus beatitudinem imperfectam & relatam, quam ſolam contendimus dari poſſe in via & vita mortali; & propter hanc diverſam rationem poſſet Arriaga temperare admirationem, quam *loco præcitato* conceperat ex eo, quòd reputaret mala aliqua compoſſibilia cum naturali contemplatione, & dilectione Dei æquè, ac cum divitiis & honoribus; omnem beatitudinem naturalem ab illis æquè, ac ab iſtis excludere.

Vrgebis hoc modo ſalvari à nobis in via beatitudinem ſolùm moralem, non phyſicam; negari etenim nequit, quin ſit ſaltem phyſicè miſer, qui multis & gravibus corporalibus, phyſiciſve malis affligitur.

15\. Non eſt dabilis in via vera beatitudo phyſica.

Contrà tamen: ſuppoſita pugna & diſcordia inter partem ſuperiorem & inferiorem beatitudo phyſica in hac vita mortali eſt ſolùm abuſivè & æquivocè beatitudo, quia beatitudo phyſica eſt beatitudo partis inferioris, corporis ſcilicet & ſenſuum; ea autem, quæ in hac vita conferunt ad beatitudinem phyſicã & partis inferioris, ſæpiſſimè deſtruunt beatitudinem moralem & partis ſuperioris, quæ ſcilicet maximè ſunt conformia ſenſui ſæpiſſimè ſunt diſſona rationi; concedo igitur libenter non ſalvari à nobis in via beatitudinem phyſicam, imò dico hanc in via non eſſe dabilem ſuppoſita rebellione partis inferioris à ſuperiore.

Vrgebis adhuc: ſi non requiritur ad veram beatitudinem viæ phyſica felicitas ſita in bonis illis, quæ à parte inferiori maximè appetuntur, ipſamque maximè recreant; requiritur ſaltem carentia phyſicæ miſeriæ ſita in carentia graviorum dolorum & moleſtiarum magis affligentium; hæc enim partem ſuperiorem adeò perturbant ut non ſinant ipſam vacare contemplationi & dilectioni Dei; ergo beatitudo viæ includit eſſentialiter, ſi minùs phyſicam felicitatem, ſaltem carentiam phyſicæ miſeriæ; & ut concludit Arriaga *hic diſp.* 47. *n.* 26. conſiſtit in contemplatione & amore Dei ut in forma poſitiva, & in carentia dolorum ut in negativa.

16\. Carentia phyſicæ miſeriæ ſpectat ad integritatẽ, non ad eſſentiam beatitudinis in via.

Contrà tamen: carentia phyſicæ miſeriæ ſpectat ad perfectionem accidentalem, aut ad ſummum integralem beatitudinis in hac vita mortali; at non ad eſſentialem ipſius conſtitutionem; & illud ſolùm, non iſtud ſuadetur ex eo, quòd phyſica miſeria ſoleat mentem perturbare, quamvis etiam hanc perturbationem non facilè patiantur viri conſtantiores, & in viæ eſſentiali beatitudine firmiùs radicati; in divinæ ſcilicet contemplationis, ac dilectionis actibus exercendis frequentes & ferventes; pro quo recole ex ſupradictis *n.* 11. ad perfectam viæ beatitudinem requiri frequentiam illorum actuum, in quibus talis beatitudo conſiſtit; ex qua frequentia habetur moralis quædam continuitas talium actuum, & perſeverantia beatitudinis abſque morali interruptione.

Dubitari hic poſſet: Vtrùm moralis continuitas talium actuum interrumpatur per peccatum veniale, & per iſtud conſequenter beatitudo viæ impediatur.

17\. Probabile eſt talem beatitudinẽ non interrumpi per veniale.

Reſponderem ſolutionem dubitationis pẽdere ab eo, quod beatitudo viæ ſtrictiùs vel latiùs ſumatur, crediderim non eſſe adeò ſtrictè uſurpandam, ut per quodlibet peccatum veniale impediatur; id mihi ſuadent imperfectio beatitudinis viæ, & impotentia vitandi in via ad longum tempus quodlibet veniale; illa enim imperfectio videtur admittere aliquam levem miſeriam moralem cujuſmodi eſt venialis culpa, iſta impotentia argueret breviſſima ſemper eſſe in via beatitudinis intervalla, quod fortè beatitudini minùs congruit, quàm conſortium ipſum peccati venialis. Accedit quòd Arriaga *hic diſput.* 47. *ſect.* 5. aliique nonnulli requirentes ad beatitudinem viæ carentiam dolorum, ad eandem non requirunt carentiam culpæ venialis, ergo à fortiori poſſumus hanc ſecundam carentiam non requirere nos, qui neque requirimus illam primam.

§. III.

In quonam eſſentialiter conſiſtat beatitudo formalis naturalis alterius vitæ?

17. Beatitudo naturalis alterius vitæ in quo conſiſtat?

ASSERT. Beatitudo formalis naturalis alterius vitæ pro ſtatu puræ naturæ eſſentialiter conſiſtit in perfecta cognitione naturali, & ſuaviſſima contemplatione Dei, quam anima ſeparata haberet per propriam ſubſtantiam. Hoc aſſertum conſequens eſt ad ſupradicta *lib.* 1. *cap.* 3 *num.* 23. colligitur ex D. Thoma 1. *p. q.* 62. *art.* 1. & *q* 64. *art.* 1. *ad* 1. item 1. 2. *q* 3. *art.* 5. & 3. *cont. Gent. c.* 44. & alibi; traditur à Salas *hic diſput.* 2. *ſect.* 7. *num.* 72. & ſupponi poteſt eſſe juxtà mentem illorum omnium, qui beatitudinem ſupernaturalem alterius vitæ collocant in ſola Dei viſione, quamvis plures de beatitudine naturali, utpotè quæ non eſt dabilis ſecundùm præſentem providentiam, nihil expreſsè definiant; eadem præſumptione habemus hic Adverſarios illos omnes, qui beatitudinem ſupernaturalem non ſtatuunt in ſola viſione.

Dixi: *Pro ſtatu puræ naturæ* quia, ut jam ſemel & iterum tradidi, pro præſenti ſtatu naturæ elevatæ non eſt dabilis beatitudo naturalis alterius vitæ, daretur verò, ſi homo, ut poteſt, produceretur in ſtatu naturæ puræ.

18. In pura natura non daretur reſurrectio corporum.

Dixi: *Quam anima ſeparata* quia, ut attigi *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 11. pro ſtatu puræ naturæ nulla daretur corporum reſurrectio; & anima ſemel à corpore ſeparata perpetuò remaneret in ſtatu ſeparationis corpori nunquam reunienda.

Dixi: *Haberet per propriam ſubſtantiam* quia ex una parte certum eſt, quòd anima ſeparata in pura natura non cognoſceret Deum, aut per ſe, aut per ſpeciem propriam, alioqui videret Deum, ſicuti vident nunc beati in patria: Ex alia parte inter cognitiones quas poteſt anima habere de Deo per ſpecies alienas, & ex objectis creatis, nulla ad conſtituendam ejus beatitudinem accommodatior eſt ea, quâ in Dei contemplationem aſſurgit per propriam ſubſtantiam; hæc quippè cognitio eſt perfectiſſima, quia ut ſuppono *ex tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 3. *num.* 81. nulla creatura poteſt habere ſecundùm ſua naturalia cognitionem perfectiorem comprehenſione ſui, adeoque cognitio, quâ anima ſeparata in pura natura per comprehenſionem propriæ ſubſtantiæ in Deum aſſurgeret, eſſet cognitio perfectiſſima, quæ poſſet ei pro tali ſtatu competere.

19. Probatur ſic explicatum aſſertum. Beatitudo formalis ſupernaturalis alterius vitæ conſiſtit in perfecta cognitione ſupernaturali Dei, ergo beatitudo formalis naturalis cōſiſtit in perfecta cognitione naturali ejuſdem, ſeu in ſuaviſſima contemplatione, &c. antecedens ſupponitur ex ſupradictis de viſione, quæ nihil eſt aliud, quàm perfecta cognitio ſupernaturalis Dei; conſequentia procedit à pari & probatur ex eo, quod ſicuti viſio eſt perfecta poſſeſſio Dei ut eſt beatitudo objectiva ſupernaturalis, ità contemplatio, quam anima, &c. eſt perfecta poſſeſſio ejuſdem, ut eſt beatitudo objectiva naturalis; nec anima ſeparata ſecundùm ſua naturalia poteſt habere perfectiorem Dei poſſeſſionem, cum non poſſit aut poſſidere Deum aliter, quàm per cognitionem, aut habere ſecundum ſua naturalia cognitionem Dei perfectiorem ea contemplatione, ut explicabatur *num. præced.* Rursùs ſicuti viſio eſt radix cujuſcumque alterius perfectionis debitæ beato in termino gratiæ, ità contemplatio illa eſt aliqualiter radix cujuſcumque alterius perfectionis debitæ beato in termino puræ naturæ.

Dices: inter potiſſimas perfectiones, ſeu paſſiones veræ beatitudinis in termino, ſive gratiæ, ſive naturæ, eſt quòd ſit perpetua & radix amoris inimpedibilis ac neceſſarij; atqui cognitio naturalis, quam anima ſeparata habere poteſt de Deo per propriam ſubſtantiam non eſt ex natura ſua perpetua, cum ad illam anima ſeparata ab intrinſeco non neceſſitetur; non eſt item radix amoris inimpedibilis ac neceſſarij, cum non reddat animam in materia naturali impeccabilem, & proprium ſit viſionis inferre impeccabilitatem & neceſſitatem amandi Deum ſuper omnia. Sed contrà: Thomiſtæ exiſtimantes Angelum in puris naturalibus non poſſe ceſſare à cognitione & amore Dei ut Auctoris naturæ, non eſſe peccabilem directè & immediatè contrà legem naturalem, eſſe ex natura ſua pro ſemper beatum; eodem proportionaliter modo diſcurrunt de anima ſeparata in puris naturalibus, & ex eo præcisè, quòd pro ſtatu unionis non commiſerit peccatum ullum, in cujus pœnam privetur perfectionibus ſibi debitis, docent ipſam neceſſariò ac inimpedibiliter elicituram cognitionem & amorem Dei ut Auctoris naturalis: Nos tamen non poſſumus hanc doctrinam amplecti, cum *tract. præced. lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. & *c.* 4. §. 1. item *lib.* 3. *c.* 1. §. 1. & 5. adversùs Thomiſtas docuerimus Angelum etiam ſecundùm ſua naturalia conſideratum, nec neceſſariò cognoſcere, nec neceſſariò amare Deum; item nec eſſe ab intrinſeco beatum, nec in materia naturali impeccabilem; non poſſumus igitur animam quantumvis ſeparatam aſtruere ſecundùm ſua naturalia elicituram neceſſariò ac inimpedibiliter cognitionem & amorem Dei ut finis naturalis; ideò ſolvo aliter inſtantiam,

20. Anima ſeparata in pura natura eſſet ſecundū aliquos neceſſitata ad contemplationem & amorem Dei.

& dico cognitionem illam contemplationemque ſuaviſſimam, in quá pro ſtatu puræ naturæ formalis beatitudo conſiſteret, fore perpetuam & inimpedibilem ex ſpeciali Dei providentia, quatenùs Deus vel per auxilium actuale ſine interruptione ſuppeditatum, vel per habitum naturalem infuſum præſtantem quodammodò reſpectu cognitionis abſtractivæ naturalis illud, quod præſtat de facto habitus luminis reſpectu viſionis neceſſitares intellectum ad cognitionem 21.

illam

illam contemplationemque ſuaviſſimam; adeò ut inſuper propter proportionem, & conſonantiam voluntatis cum intellectu, ſimile donum vel actuale vel habituale tribueret voluntati ad inducendam neceſſitatem amoris; ſicque contemplatio illa naturalis eſſet, licèt non adeò rigoroſè, radix amoris neceſſarij ſibi proportionati, ſicuti viſio de facto eſt radix amoris neceſſarij ſibi proportionati, ſicuti viſio de facto eſt radix amoris neceſſarij ſupernaturalis, eademque ratione, quâ eſſet radix amoris neceſſarij, excluderet ex ſe præcisè peccati miſeriam: Non negaverim interim ex hoc capite cum aliqua majori difficultate de naturali, quàm de ſupernaturali beatitudine, ſuſtineri quòd in ſolâ cognitione, non in amore formaliter conſiſtat.

LIBER TERTIUS.

DE IIS, QVÆ FORMALEM hominis beatitudinem conſequuntur.

EGREGIE Plato mortalium fucum, faſtumque deriſit, quando elementaris mundi gemmas ſenſit eſſe Cœli quiſquilias; idque non incongruè ad rem noſtram transferret quiſquis beatitatis cœleſtis quiſquilias, appellaret gemmas ſublunaris felicitatis: An non etenim velut quiſquiliæ cœleſtis ac beati Regni ſunt? Fructus, Aureolæ, Dotes, aliaque id genus beatitudinis eſſentialis conſectaria, vel ex Dei viſione in animam, vel ex animâ in corpus redundantia; quibus tamen ſi conferas quidquid jucundius, quidquid amabilius, quidquid ſpecioſius ſublunari in orbe natura jactat;

Boëtius *de conſol. lib.* 3. *met.* 10.

Si quidquid Tagus aureis arenis
Donat, aut Hermus rutilante ripâ,
Aut Indus calido propinquus orbi
Candidis miſcens virides lapillos.

Sordeſcent hæc plùs, quàm precioſiores inter gemmas viles quiſquiliæ: Quaſi igitur gemmis Tractatum hunc coronamus, dum poſtremo hoc libro perfectiones eſſentialem beatitudinem, viſionemvè beatificam conſequentes complectimur initio facto ab iis, quæ ſe tenent ex parte intellectus, quem ut potè beatæ viſionis baſim, & ſedem, non poſſumus non primo loco ſtatuere. Ideò ſit

CAPUT I.

De iis, quæ beatitudinem eſſentialem conſequuntur ex parte intellectus.

1. Hujuſce libri ſcopus eſt ſola beatitudo ſupernaturalis Patriæ.

EGIMUS huc uſque de Beatitudine hominis, tùm ſupernaturali, tùm naturali; tùm Patriæ, tùm viæ; at poſtremas has paginas ſoli ſupernaturali beatitudini patriæ tribuimus omittentes ea, quæ aut nunc conſequuntur beatitudinem ſupernaturalem in via, aut pro ſtatu puræ naturæ conſequerentur beatitudinem naturalem, ſivè in via, ſivè in termino; hæc quippè levioris momenti ſunt, & ſpeciali diſcuſſione non indigent; ſola verò ſupernaturalis beatitudo alterius vitæ etiam in accidẽtariis, & acceſſoriis perfectionibus præbet digniſſimam theologicâ conſideratione materiem, & de eâ, ut loquitur Auguſtinus lib. 2. quæſtionum Evangelicarum cap. 39. *Tanto magis omnia dici poſſunt, quanto minùs aliquid dignè dici poteſt.* Totus igitur præſentis libri progreſſus, & in primis jam propoſitus hujuſce capitis titulus, procedit de iis, quæ conſequuntur eſſentialem beatitudinem ſupernaturalem in patriâ, quæ quidem, prout ſe tenent ex parte intellectus, alia poſitiva eſſe poſſunt, alia negativa; & illa, alia naturalis ordinis, alia ſupernaturalis, ab iſtis tanquam dignioribus incipiendo, ſit

---

§. I.

An, & qualis ſcientia ſupernaturalis eſſentialem Beatitudinem conſequatur in intellectu beato?

ASSERT. 1. Datur in intellectu beato ſcientia ſupernaturalis conſequẽs eſſentialem beatitudinem. Ità Theologi communiter contrà nonnullos, quorum meminit Salas *hic diſp.* 6. *ſect.* 5. *n.* 17. admittentes in beatis ſolùm ſcientiam beatam ſitam in viſione, & ſcientiam naturalem. 2. Datur in beatis ſciẽtia ſupernaturalis diſtincta à viſione.

Probatur: certum eſt ex unâ parte ad beatitudinem eſſentialem conſequi plures perfectiones accidentales eo modo, quo ad quãlibet naturam, ſeu eſſentiam conſequuntur plures paſſiones ſeu proprietates, etiam realiter ab eſſentia diſtinctæ: ex alia parte ſcien-

tia ſupernaturalis, quâ evidenter cognoſcantur res extrà verbum & in proprio genere eſt perfectio maximè conveniens ſtatui beatifico, & optimè eſſe poteſt quoddam accidentale complementum beatitudinis eſſentialis; ergo jure de facto admittitur talis ſciẽtia, tanquam conſequens beatitudinem eſſentialem ſeu viſionem; & diſtincta à viſione potiſſimùm in eo, quòd viſio ſit cognitio rerum in verbo, ſcientia illa ſit cognitio rerum extrà verbum, in proprio genere, & per proprias ſpecies, non per ipſammet divinam eſſentiam.

Dices pro cognitione rerum in proprio genere dari in beatis ſcientiam naturalem, ideò pro tali cognitione non eſſe ponendam ſcientiam ſpecialem ſupernaturalem, utpotè

3\. quæ eſſet otioſa & ſuperflua. Sed contrà primò: Scientia hujuſmodi naturalis conveniret beato etiam habenti ſolam beatitudinem naturalem; ergo ut concedatur aliqua ſcientia propria beatitudinis ſupernaturalis debet concedi cognitio rerum in proprio genere etiam ſupernaturalis, & pro tali cognitione ſupernaturalis ſcientia: Contrà ſecundò: ſcientia naturalis inſervire ſolùm poteſt ad cognoſcendas in proprio genere res naturales, beato autem convenit cognoſcere in proprio genere etiam myſteria gratiæ, & alia objecta ſupernaturalia, ad quæ certè neceſſaria eſt ſcientia ſupernaturalis. Contrà tertiò: cognitio appetitur non tam propter objectum præcisè, quàm propter ſe ipſam, eſt enim per ſe ipſam perfectio intelligentis, ergo poſita una cognitione non ſuperfluit circà idem objectum alia cognitio diverſa, & poſita cognitione naturali rerum naturalium in proprio genere, non ſuperfluit, imò maximè decet perfectionem ſtatus beatifici, earumdem rerum in proprio genere cognitio ſupernaturalis.

Tùm circà diverſa, tùm circà eadẽ objecta ſcientiæ naturalis.

4\. Eſt per ſe infuſa.

Aſſert. 2. Scientia ſupernaturalis conſequens eſſentialem beatitudinem in intellectu beato eſt per ſe infuſa. Ità Gabriel *in 3. diſt.* 14. *quæſt. unica art.* 1. Amicus *hic diſp.* 2. *ſect.* 15. *num.* 10. Salas *diſp.* 6. *ſect.* 5 *num.* 19. Arriaga *diſp.* 51. *ſect.* 3. *ſubſec.* 2. Aliiq; Theologi communiter contra quoſdam Recentiores, quorum meminit Arriaga *cit. ſect.* 3. *num.* 12. concedentes quidem beatis ſcientiam quamdam diſtinctam à viſione & ſciẽtia naturali; at volentes hujuſmodi ſcientiam eſſe ab ipſis beatis per diſcurſum acquiſitam, non à Deo infuſam. Contrà quod aſſertum noſtrum.

Probatur: Quando etiam daretur in beatis aliqua ſcientia per diſcurſum acquiſita eaque ſupernaturalis, talis ſcientia nec ad multas res extenderetur, nec ex modo cognoſcendi eſſet tantæ perfectionis, quantæ eſt cognitio proveniens ex ſcientia per ſe infuſa; ergo quando etiam daretur in beatis ſcientia ſupernaturalis per diſcurſum acquiſita, adhuc tanquam ſcientia univerſalior & perfectior concedenda iiſdem eſſet ſcientia ſupernaturalis per ſe infuſa: probatur antecedens quoad primam partem, quia moleſtũ eſſet beato plurimas res cognoſcere formando pro ſingulis particularea diſcurſus; quoad ſecundam, quia modus cognoſcendi res immediatè in ſeipſis & per ſpecies, proprias quidem, ſed univerſales, perfectior eſt modo cognoſcendi res mediatè, ex aliis, & per ſpecies non univerſales; atqui ex ſcientia per diſcurſum acquiſita habetur ſecundus, ex ſcientia per ſe infuſa habetur primus cognoſcendi modus; ergo.

Vtrùm deindè verè detur in beatis de facto aliquis diſcurſus; ſeu cognitio aliqua & ſcientia per diſcurſum (ſubintellige formalem, nam quoad diſcurſum virtualem minor, aut nulla eſt controverſia) deducta; affirmant abſolutè Salas *ſect.* 5. *præcit. n.* 18. Arriaga *ſect.* 3. *præcit num.* 13. aliique nonnulli contrà Suarezium *hic ſect.* 1. Crediderim beatos diſcurſu non indigere, poſſe tamen diſcurſu ex libertate uti eo proportionaliter modo, quo dicebámus ſuo loco de Angelis; cum enim beati de facto; nec cognoſcant omnia cognoſcibilia, nec excludant multiplicitatem actuum realiter diſtinctorum, non apparet quænam repugnantia, aut imperfectio, eſſe poſſit in eo, quod aut ex duabus cognitionibus naturalibus, aut ex duabus ſupernaturalibus, aut ex una naturali, altera ſupernaturali, tertiam deducant, quæ naturalis ſit, ſi medio lumine naturali; ſupernaturalis, ſi medio lumine ſupernaturali deducatur; nam unam præmiſſam, imò etiam utramque eſſe ſupernaturalem non ſufficere ad ſupernaturalitatem concluſionis, niſi diſcurſus ipſe lumine ſupernaturali elevetur, colligi poteſt ex iis; quæ dicebamus *in Theol. Prolegom. cap.* 2. *num.* 25.

5\. Datur in beatis aliquis diſcurſus formalis.

Aſſert. 3. Probabile eſt beatos habere ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſam, illarum omnium creaturarum, quas cognoſcunt ex vi viſionis in verbo ab initio ſuæ beatitudinis. 6.

6\. Quodnam ſit objectũ ſcientiæ per ſe infuſæ in beatis.

Probatur & explicatur, quia ex una parte congruum eſt beatis poſſe cognoſcere cognitione ſupernaturali extrà verbum ea omnia objecta creata quæ cognoſcunt in verbo; ex alia parte non eſt major ratio, quòd habeant ſcientiam per ſe infuſam pro aliquibus hujuſmodi objectis, quàm pro omnibus; ergo probabile eſt beatos habere ſcientiam per ſe infuſam illarum omnium creaturarum, quas &c. Quænam verò in particulari ſint hujuſmodi creaturæ ex profeſſo tradidimus *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. ubi docuimus ex vi viſionis in patriâ cognoſci myſteria gratiæ & objecta creata fidei; ſpecies omnes rerum naturalium conſtituentium hoc univerſum, & aliqua etiam individua; res item aliquas merè poſſibiles, præſertim ex habentibus connexionem cum hoc univerſo; tandem futura & ſecreta cordium ſub ipſomet beatitudinis initio ad proprium ſtatum alicujus beati pertinentia. Hæc omnia ibi probavimus cognoſci à beatis in verbo ex vi viſionis formaliter, pro iiſdem omnibus extrà verbum cognoſcendis volumus dari in iiſdem beatis ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſam ſitam in ſpeciebus ſupernaturalibus univerſalibus; 7.

7\. In quonam formaliter talis ſcientia cõſiſtat.

verſalibus, quæ quidem ſpecierum univerſalitas, ſicuti conceditur Angelis in ordine ad cognitiones naturales, ita a fortiori concedenda eſt beatis in ordine ad cognitiones ſupernaturales; & ſicuti illis juxta majorem perfectionem naturæ tribuitur major univerſalitas ſpecierum naturalium, ità iſtis juxtà majorem perfectionem beatitudinis ſupernaturalis tribui veriſimiliter poteſt major univerſalitas ſpecierum ſupernaturalium. Vtrùm deindè in hiſce ſpeciebus ſupernaturalibus præcisè ſcientia per ſe infuſa conſiſtat, an verò etiam ſequatur ſpeciale lumen ſupernaturale diverſum à lumine gloriæ, af-
Quale lumen requiratur. firmat Salas *hic diſp.* 1. *ſect.* 9. alij Theologi communiter controverſiam hanc in præſenti prætereunt, ut ipſam deindè agitent in tractatu de Incarnatione explicando ſcientiam infuſam Chriſti, quo etiam loco id nos eſſe præſtituros jam ſpopondimus *tract.* 2. *lib* 3. *cap.* 4. *num.* 65. idèò pro nunc nihil ſtatuimus.

8. Poſui In aſſerto particulas illas *ab initio ſua beatitudinis*, nam illa, quæ beatis innoteſcunt ſucceſſivo temporis & beatitudinis decurſu, ſicuti non cognoſcuntur ex vi viſionis formaliter, ità fortè non cognoſcuntur ex vi alicujus ſpeciei infuſæ, quia fortè malè congruit beatis ſucceſſiva infuſio ſpecierum; cognoſcuntur igitur in proprio quidem genere, at modo ſibi ſpeciali, mediâ ſcilicet ipsâ divinâ eſſentiâ ut ſupplente ſpecies talium rerum proprias, quemadmodum ſuprà attigimus *tract* 1. *lib.* 2 *cap.* . *num.* 18. divinando tamen ſolùm, & veriſimiliter loquendo.

§. II.

Vtrum ad Beatitudinem eſſentialem conſequatur in intellectu beato cognitio prophetica?

9. Non datur Prophetia in beatis. ASSERT. Ad beatitudinem eſſentialem non conſequitur in intellectu beato ulla cognitio prophetica, nec dantur prophetiæ in beatis. Ità D. Thomas 2. 2. *q.* 174. *art.* 5. quem ſequuntur Theologi communiter contrà Arriagam *hic diſp.* 51. *ſect.* 2. *num.* 9. ubi poſtquam reduxit rem hanc ad quæſtionem de nomine, concludit cognitiones de rebus futuris in beatis vocandas eſſe prophetias.

Propheta & Prophetia quid. Probatur aſſertum. Propheta ex D. Thoma 3 *p. q.* 7. *art.* 8 *in c.* dicitur quaſi procul fans, ſeu procul videns; & prophetia ex eodem S. Doctore *art.* 5. *præcit.* importat viſionem quamdam alicujus ſupernaturalis veritatis, ut procul exiſtentis; veritas autem aliqua poteſt eſſe procul vel ratione ſui ipſius, quatenùs cognoſcatur in ſuis effectibus, figuriſvè rerum corporalium, non in ſe ipſa; vel ratione videntis, quatenùs iſte non ſit totaliter in ultimam perfectionem adductus; atqui neutro modo veritas aliqua poteſt eſſe procul exiſtens reſpectu intellectus beati, ut facilè conſtare poteſt conſideranti; ergo non datur in intellectu beato cognitio ulla prophetica. Confirmatur: Prophetia eſt cognitio indebita, & non connaturalis ei, cui confertur; undè etiam Suarez *hic diſp.* 8. *ſect.* 1. explicat prophetiam eſſe de ſe exiſtente procul, per hoc quod ſit cognitio indebita; atqui beati quidquid cognoſcunt, cognoſcunt cognitione ſibi connaturali & proportionata ſtatui beatifico, quo fruuntur; ergo in beatis nulla cognitio eſt prophetica.

Dices ex ipſomet D. Thoma *eod. art.* 8. *præcit.* Propheta dicitur quaſi procul fans, ſeu procul videns, in quantum cognoſcit & loquitur ea, quæ ſunt procul ab hominum ſenſibus; atqui hoc convenit beatis, ergo verè convenit beatis prophetia, & allata probatio præſertim quatenùs innititur auctoritati D. Thomæ infirma eſt, infirma eſt etiam confirmatio, quia plura poteſt Deus revelare, quorum cognitio etiam beatis ſit indebita, ut ſi alicui beato revelet aliqua futura ad proprium ipſius ſtatum non pertinentia, diem judicij, aliaque hujuſmodi. Sed contrà: quomodo intelligenda ſint verba quæ in inſtantia referuntur, explicat ipſemet S. 10.
Verba S. Doctoris ab Adverſariis nimis ſobriè relata. Doctor per ea, quæ ſubdit *eod. art. in c. & ad* 2. ait enim, Prophetia eſt eorum, quæ ſunt procul à communi hominum ſenſu, cum quibus Propheta converſatur, nec poteſt dici aliquis Propheta per hoc, quod cognoſcit & annuntiat ea, quæ ſunt alijs procul, cum quibus ipſe non eſt; ſi igitur Deus, aut Angeli, vel etiam beati cognoſcunt & annuntiant ea, quæ ſunt procul à noſtra notitia; hoc non pertinet ad prophetiam. Ad illud, quod addebatur contrà confirmationem, dico poſſe Deum revelare beato aliquid, cujus cognitio non ſit ipſi ſpecialiter poſitivè debita, at non cujus cognitio ſit poſitivè indebita & excedens ſtatum ipſius, aliorumque, cum quibus ipſe eſt, exigens item lumen ſuperius eo, quod connaturaliter convenit ſtatui beatifico, quâ tamen ratione debet eſſe indebita cognitio prophetica.

Ex his habetur Chriſtum ut comprehen- 11.
Chriſtus fuit Propheta quatenùs Viator. ſorem & beatum non fuiſſe Prophetam: quia tamen ipſe antè Paſſionem fuit ſimul viator, &, ut loquitur S. Doctor *art.* 8. *præcit.* noſtrum ſtatum attingebat, nobiſcum converſabatur, propheticum in ipſo erat, quod ea quæ erant procul ab aliorum viatorum notitia & cognoſcebat & annuntiabat; & hâc ratione dicitur in eo fuiſſe prophetia; quæ in nullo alio beato eſt, ſicuti in nullo alio beato eſt ſtatus viatoris.

Occaſione explicandi perfectiones ſupernaturales intellectui beato convenientes, inquirunt hic aliqui, utrùm dentur in beatis dona intellectualia Spiritus Sancti nimirum Sapientia, Intellectus, Scientia & Conſilium; ſed ne cogamur hic ſingillatim explicare, in quonam talia dona conſiſtant? item recedamus à majori parte Theologorum de hoc agentium, dum in Tractatu de Incarnatione examinant, Quomodo reperiantur in Chriſto Domino dona Spiritus Sancti, nos id etiam in locum illum reſervamus. Inquirunt hic alij utrùm remaneat in beatis fides

ſupernatura

ſupernaturalis & divina; ſed hæc difficultas propriam ſedem habet in Tractatu de virtutibus Theologicis; ideò circà perfectiones ordinis ſupernaturalis nihil ſupereſt hujuſce loci proprium; occurrunt ſolùm ſubjicienda nonnulla circà perfectiones ordinis naturalis, & circà Theologiam noſtram, quæ eſt perfectio quaſi media naturales inter & ſupernaturales.

---

§. III.

An, & quomodò dentur in intellectu beato ſcientiæ naturales?

12. Dantur in beatis omnes ſcientiæ naturales.

ASSERT. 1. Dantur in intellectu beato omnes ſcientiæ naturales. Ita omnes Theologi communiſſimè, quamvis deindè diſſideant in explicando modo habendi tales ſcientias, de quo in ſequentibus aſſertis.

Probatur: Scientiæ naturales important ingens bonum, homini maximè proprium, eidémque valdè appetibile; ergò verè dantur in intellectu beato, qui certè in ſtatu bonorum omnium aggregatione perfecto, & cuiuſcumque deſiderij ſatietate iucundo carere non debet bono ſibi maximè proprio, maximéque appetibili. Confirmatur primò. Beatorum corpora habebunt omnem perfectionem ſibi etiam intrà naturæ ordinem convenientem, ergo etiam intellectus, alioqui pars hominis nobilior in ſtatu beatifico eſſet deterioris conditionis, quàm pars minùs nobilis; atqui ſcientiæ naturales ſunt perfectio intrà naturæ ordinem intellectui maximè conveniens, adeò ut iuxtà D. Thomam 1. 2. *quæſt.3.art.5. & 6.* ſint aliqualis beatitudo, & participent quamdam particularem beatitudinis ſimilitudinem; ergo. Confirmatur ſecundò: ex perfectionibus non habentibus ſpecialem aliquam repugnantiam cum Dei viſione non ſunt neganda homini beato ea, quæ fuerunt conceſſa Adamo innocenti, ſtatus enim beatitudinis habet maiorem, tùm naturæ, tùm gratiæ integritatem, quàm ſtatus innocentiæ; atqui Adam innocens in paradiſo habuit omnes ſcientias naturales; ergo. Neque pro re extrà controverſiam poſitâ maiori opus eſt probatione, pro modo verò ponendi in beatis naturales ſcientias.

13. Tres modi explicandi ſciẽtias naturales in beatis.

Adverto controverſiam eſſe: Vtrùm tales ſcientiæ ſint omnes omnibus beatis infuſæ, An omnes ab omnibus beatis aut in viâ aut in patriâ acquiſitæ; An verò aliquæ infuſæ, aliquæ acquiſitæ? Primus dicendi modus tribuitur Alberto *in 3. diſt. 33.* ubi docet ſcientias naturales in hac vitâ acquiſitas in alia vitâ non permanere, ſed alias ipſarum loco infundi. Secundus eſt nonnullorum, quos refert & ſequitur Salas *hic diſp. 6. ſect. 9.* volentium ſcientias naturales acquiſitas in via eaſdem perſeverare in patriâ, non acquiſitas verò in viâ, acquiri in Patriâ; adeò ut infuſis in beatitudinis ingreſſu ſpeciebus anima beata brevi tempore, facilique negotio, ſibi comparet habitus ſcientificos. Tertius eſt communior, & tradit ſcientias in viâ comparatas eaſdem in patriâ permanere; eas verò, quas in viâ non comparavimus, initio beatitudinis infundi, & hac ratione aliqui beati pauciores, aliqui plures, aliqui (ut parvuli antè uſum rationis decedentes & rudiores adulti ſcientiarum ſtudio non vacantes) omnes naturales ſcientias habent per accidens infuſas; per accidens, inquam, quia dicuntur infundi per ſe illæ ſolæ ſcientiæ, illique ſoli habitus, quibus repugnat acquiri, & aliter quàm per infuſionem fieri.

Aſſert. 2. Scientiæ naturales acquiſitæ in viâ permanent in intellectu beato. Ità D. Thomas *1. p. quæſt. 89. art. 5. in c. & 1. 2. q. 67. a. 2. in c. & ad 1.* Amicus *hic diſp. 2. ſect. 15. n. 172.* Salas *diſp. 6. ſect. 8.* Arriaga *diſput. 51. ſect. 4.* Lauræa *in 4. tom. 4. diſp. 23. art. 5.* cæterique Theologi magis communiter contrà Albert. *loco præcit.* aliosque nonnullos. 14. Scientiæ naturales acquiſitæ non deſtruuntur in Cælo.

Probatur primò auctoritate Divi Hieronymi *epiſt. 103. ad Paulinum*, dicentis, *Diſcamus in terris, quorum ſcientia nobis perſeveret in cælis.*

Dices hanc auctoritatem non habere vim, tùm quia infertur oppoſitum ex aliis verbis ipſiuſmet D. Hieronymi, qui explicans illud Iſa. 65. Oblivioni datæ ſunt anguſtiæ priores, ait, *non manere in beatis memoriam præteritorum malorum & peccatorum*, ſi autem non remanent huiuſmodi ſpecies rememorativæ, neque remanebunt aliæ ſpecies intelligibiles requiſitæ pro ſcientiis; tùm multo magis quia verbis illis Hieronymi valdè præponderant verba Apoſtoli 1. Corinth. 13. *Sivè ſcientia deſtruetur.* Sed contrà: D. Hieronymus in illud Iſaiæ negat manere in beatis memoriam malorum, non quia præterita mala ab ipſis non cognoſcantur, ſed quia ipſos non contriſtant. Ad verba Apoſtoli dicendum eſt cum D. Thoma in duobus articulis præcitatis ſcientiam eſſe deſtruendam non quoad ſpecies & habitum, ſed quoad modum quo in viâ exercetur, & quoad actum qui in viâ elicitur per converſionem ad phantaſmata: Aliter eadem verba intelligit Amicus *ſect. præcit. n. 173.* reſpondet enim Apoſtolum loqui tantùm conditionatè, ut ſenſus ſit; etiamſi ſi ſcientia deſtruenda foret, numquàm charitas ceſſatura eſt, additque conſtare hoc ex verbis præcedentibus *ſivè linguæ ceſſabunt*, cum tamen linguæ glorioſi corporis organo formatæ non ſint ceſſaturæ. 15. Explicantur contrariæ auctoritates.

Probatur ſecundò ratione: Permanent in intellectu beato ſpecies intelligibiles naturales in viâ acquiſitæ per actus ſcientificos, ergo permanent in intellectu beato ſcientiæ naturales acquiſitæ in viâ, antecedens patet, quia tales ſpecies à phantaſmatibus & organis corporeis pendent in acquiri dumtaxat, non in conſervari, neque 16.

in uſu, niſi in ſtatu conjunctionis animæ ad corpus mortale ; nulla igitur eſt ratio, cur non permaneant in intellectu beato animæ aut ſeparatæ aut unitæ corpori glorioſo & immortali ; conſequentia probatur, quia vel ſcientiæ naturales, ſeu habitus ſcientifici, ſecundùm ſententiam valdè probabilem & à nobis etiam ſuo loco traditam, non diſtinguuntur à ſpeciebus ipſis intellectualibus, vel, ſi ſunt qualitates à ſpeciebus diſtinctæ, non dicunt aut dependentiam à phantaſmatibus aut ullam aliam imperfectionem, ratione cujus debeant in intellectu beato non permanere permanentibus ſpeciebus, imò quia ſpecierum exercitium perficiunt & facilitant maximè conveniunt beato intellectui, in quo ſpecies intelligibiles, quæ permanent debent permanere in ſtatu perfecto & facilè ac ſuaviter ad exercitium reducibiles.

Dices : ſcientiæ naturales acquiſitæ in via ſunt valdè imperfectæ, cum enim ut ait Hippocrates, vita ſit brevis, ars longa, experimentum fallax ; vix unquam totaliter & completè acquiruntur, ſæpè opinionibus, ambiguitatibus, imò & erroribus replentur ; atqui ſcientiæ hoc modo imperfectæ malè congruunt ſtatui beatifico ; ergo ſcientiæ naturales acquiſitæ in via in

17. Scientiæ acquiſitæ depurantur in Cœlo ab imperfectionibus viæ.

intellectu beato non permanent. Sed contrà : Scientiæ naturales acquiſitæ in via habent per accidens, non ex natura ſua, enumeratas imperfectiones, à quibus in ingreſſu beatitudinis poſſunt facilè depurari per corruptionem ſpecierum actibus illis imperfectis deſervientium, idque non ſolùm in ſententia conſtituente habitus ſcientificos in ipſiſmet ſpeciebus, ſed etiam in ſententia conſtituente tales habitus in ſimplici qualitate diſtincta ; hæc enim ſimplex qualitas deſtructis ſpeciebus amittit rationem habitus comparativè ad actus, ad quos deſtructis ſpeciebus non poteſt ampliùs, aut concurrere, aut facilitatem ullam tribuere.

Scientiæ nō acquiſitæ in via, infunduntur beatis initio beatitudinis.

Aſſert. 3. Scientiæ naturales non acquiſitæ in via non acquiruntur à beatis ſucceſſivo beatitudinis decurſu ; ſed ipſis à Deo initio beatitudinis infunduntur. Ità omnes Auctores referendi *in tractat. de Incarnat.* pro ſcientia rerum naturalium infuſa Chriſto in inſtanti conceptionis contrà Salas *hic diſp. 6. ſect. 9.* alioſque apud ipſum.

18. Probatur : Infunduntur beatis initio beatitudinis ſpecies requiſitæ ad actus ſcientificos, quorum habitus in via non præceſſerunt ; ergo etiam eodem initio infunduntur habitus ipſi ſcientifici ; ergo ſcientiæ naturales non acquiſitæ, &c. Antecedens conceditur ab Adverſariis ſatis communiter, conſequentia probatur, quia ſpecies, quæ infunduntur initio beatitudinis, ſicuti infunduntur titulo perfectionis, ità debent infundi in eſſe perfecto ; habitus autem ſcientifici aut nihil aliud ſunt, quàm ſpecies ipſæ in eſſe intenſo & perfecto, aut ſaltem pertinent ad facilem uſum ac ſuave exercitium talium ſpecierum, quod eſt etiam aliqua ipſarum perfectio ; ergo. Confirmatur tum ex eo, quia acquiſitio ſucceſſiva ſcientiarum eſt parùm conſona permanentiæ & immutabilitati ſtatus beatifici, tùm quia non videtur huic ſtatui negandum, quod fuit conceſſum ſtatui innocentiæ, in quo tamen ſcientiarum naturalium infuſio facta eſt. Neque dicas ſcientiarum acquiſitionem, utpotè quæ fit propria virtute & ab intrinſeco eſſe majoris perfectionis, quàm infuſionem, ideò ob perfectionem majorem ſtatus beatifici, quàm ſtatus innocentiæ, debent in illo ſcientiæ naturales eſſe per acquiſitionem, quamvis in iſto ſint per infuſionem. Con- 19.

Scientiarũ infuſio quandoquè ſit melior acquiſitione.

trà enim : dato quòd cæteris paribus acquiſitio ſit melior infuſione, ſecùs in noſtro caſu, in quo cætera paria non ſunt, comparatur enim acquiſitio ſcientiarum ſucceſſiva in beatitudinis progreſſu, ad infuſionem earumdem omniũ ſimul in beatitudinis initio.

Dices : Iſta infuſio ſcientiarum omnium naturalium vel eſſet æqualis in omnibus beatis, vel inæqualis ; Non primum, quia non apparet rationabile pueros & ruſticos habere in alia vita ſcientias naturales in eadem perfectione, in quâ Philoſophi, Theologi, & viri quicumque in hac vita mortali ſapientiſſimi, & fruſtrà D. Hieronymus ſuprà relatus nos hortaretur ad diſcendum in terris ea, quorum ſcientia perſeveret in Cœlo : Non ſecundum, quia talis inæqualitas, vel proveniret ex inæqualitate intellectuum, vel ex inæqualitate meritorum ; ſi ex inæqualitate intellectuum ; contrà, quia tales ſcientiæ infunduntur intellectui ut exiſtenti in ſtatu beatifico ; debent igitur ſequi conditionem intellectus beatificam potiùs, quàm naturalem ; ſi ex inæqualitate meritorum ; contrà, quia facilè contingeret homini in hac vita rudiori infundi in alia vita ſcientias naturales perfectiores, quàm homini in hac vita ſcientiſſimo. Sed contrà : egrè poſſunt particu- 20.

Scientiæ naturales quomodo ſint in beatis inæquales.

laria dubia definiri, ubi ſolis congruentiis proceditur, nihilominùs, ut referam quod mihi veriſimilius apparet, dico infuſionem ſcientiarum naturalium in beatis, quamvis æqualem extenſivè, quia omnes omnibus infunduntur, eſſe inæqualem intenſivè, nec omnes beatos habere ſpecies rerum naturalium & habitus ſcientificos æqualiter intenſos & conducentes ad notitiam æquè claram ſuorum objectorum : Dico inſuper hanc inæqualitatem provenire ex inæqualitate meritorum, ex quâ ſicuti oritur inæqualitas viſionis, ità ſaltem regulariter loquendo oritur etiam inæqualitas eorum, quæ viſionem conſequuntur, cujuſmodi eſt inter cætera naturalium ſcientiarum infuſio : Ad illud verò, quod hinc tanquam abſurdum inferebatur, dico nulla ratione abſurdũ eſſe.

Urgebis abſurdum conſiſtere in eo, quod ſequeretur ſcientias in hâc vitâ acquiſitas nihil in alia vita prodeſſe ; ad quid enim proſunt ? dum omnes beati ſivè decedant cum ſcientiis naturalibus acquiſitis, ſivè non, in beatitudinis ingreſſu ſcientias omnes natu-

rales

tales obtinent juxtà proportionem ſuorum
21. meritorum. Contrà tamen: pluribus adhuc titulis proſunt etiam pro ſtatu beatitudinis ſcientiæ in hac vita acquiſitæ; primus ſit, quia ex ipſis remanent ſpecies reflexæ & rememorativæ actuum in hac vita elicitorum, valdè autem optabile eſt ſuprà tales ſcientias reflectere, earumque veritatem, falſitatem, perfectionem omnem, imperfectionemque diſcernere: Secundus ſit ſpeciale gaudium, quo de veritatibus, ſublimioribus præſertim & difficilioribus, antè beatitudinem cognitis ſibi quodammodo gratulantur hi, qui fuerant in hac vita ſapientes: Certè Sacri Doctores habebunt ob doctrinam quâ in militante Eccleſia floruerunt ſpeciale præmium accidentale, de quo infrà, cum de Aureolis.

Quomodò quæ fuerũt acquiſitæ in via proſint in patriâ.

Ex dictis habetur primò parvulos decedentes antè uſum rationis, & conſequenter abſque ullo merito, habere quidem in ingreſſu beatitudinis ſcientiarũ omnium infuſionem ſed in gradu remiſſo, & minore perfectione intenſivâ, quàm habeant alij beati eo proportionaliter modo quo juxtà ſupradicta *tract.3. lib.2. cap.6. num.2.* habent minimam inter alios omnes beatos Dei viſionem, & eſſentialem beatitudinem.

Quomodò infundatur parvulis.

22. Habetur ſecundò nullum eſſe beatum, cui ſcientia aliqua naturalis non infundatur, imò cui non infundatur aliquid de qualibet naturali ſcientia; ratio eſt quia, nullus eſt qui in hac vita acquirat omnes naturales ſcientias, imò qui acquirat aliquam integram prorsùs & perfectam; & tùm ob temporis brevitatem, tùm ob fallaciam experientiæ, auctoritatis, aliorumque mediorum, quibus ſcientias comparamus, facilè crediderim ſcientias à nobis in via acquiſitas adeò eſſe diminutas, & falſitatibus obſcuritatibus, ambiguitatibus mixtas, ut nec multæ nec quoad multas ſuas partes ſecundùm ſe ipſas permaneant in alia vita; quamvis omnes & ſecundùm omnes ſuas partes perſeverent quoad ſpecies rememorativas, de quibus *num. præced.*

23. Habetur tertiò hucuſque dicta maximè cohærere iis, quæ dicebamus *in Prologom. c.1. num.30.* docentes non perſeverare Theologiam noſtram in beatis; cum enim omnes ipſius actus ſint obſcuri, totus habitus ad tales actus inclinans debet deſtrui, & in ordine ad actus theologicos in via elicitos remanebunt quidem ſpecies, at præcisè ut hujuſmodi actuum rememorativæ, nullatenùs ut tribuentes facilitatem aliquam aut inclinationem ad ſimiles actus eliciendos, in quo conſiſtit formalis ratio habitus in ſententia non diſtinguente habitus intellectuales acquiſitos à ſpeciebus. Neque dicas *in iiſdem Prologom. cap. 2. §. 3.* aſſeruimus Theologiam noſtram eſſe ſcientiam naturalem & acquiſitam; ergo non cohærenter hic loquimur, dum ex una parte affirmamus remanere in beatis ſcientias naturales, acquiſitas, & ex alia negamus remanere in ipſis Theologiam noſtram: Contrà enim; loquimur hic de ſcientiis naturalibus ſecundùm communem acceptionem, idest talibus ſimpliciter & evidentibus, cujuſmodi non eſt Theologia noſtra, quæ habet inevidentiam & aliquam ſupernaturalitatem, licèt ſolùm radicalem *ex §.3. præcit.*

Theologia noſtra non remanet in beatis.

---

§. IV.

Utrùm de facto detur, vel ſaltem ſit dabilis de potentia abſoluta in intellectu beato ignorantia aut error?

ASSERT. 1. Datur de facto in intellectu beato aliqua ignorantia negativa & impropria, non ſic aliqua ignorantia privativa & propria; dabilis tamen eſt etiam iſta de potentia abſoluta. Ità omnes Theologi communiſſimè. 24.

Probatur & explicatur. Sicuti negatio eſt carentia formæ in ſubjecto inepto & cui forma non debetur; privatio verò carentia formæ in ſubjecto apto, & cui forma debetur; ità ignorantia negativa eſt carentia ſcientiæ indebitæ, quam etiam puram neſcientiam vocant, ignorantia privativa eſt carentia ſcientiæ debitæ, quę etiam ſimpliciter ignorantia dicitur; utraque hæc ignorantia aut actualis aut habitualis nuncupatur prout eſt actualis aut habitualis ſcientiæ carentia, & ignorantia actualis privativa ſolet proprio nomine appellari inconſideratio. Sic explicatis terminis diſcurro per ſingulas aſſerti partes.

Ignorantia negativa & ignorantia privativa quid?

25. Datur de facto in intellectu beato aliqua ignorantia negativa, quia cum nec beatis debeatur omnis ſcientia, nec ipſis inſit aliqua ſcientia indebita, conſequens eſt ipſos carere, tùm in actu, tùm in habitu, pluribus ſcientiis & cognitionibus indebitis quod eſt habere aliquam ignorantiam negativam, tùm actualem, tum habitualem: Quod non inſit beatis aliqua ſcientia indebita evincitur ex eo, quia in nullo ſubjecto admitti poteſt ſine ſpeciali neceſſitate forma indebita, quamvis perfectiva: Quòd iiſdem non debeatur omnis ſcientia probatur ex ſcientiis, quæ dari poſſunt circà poſſibilia nullam habentia cum hoc mundo connexionem, circa ſecreta cordium, aliaque hujuſmodi: Porrò ignorantia negativa admitti poteſt in intellectu beato non ſolùm in ordine ad creaturas, vel in proprio genere vel in verbo cognoſcibiles, verùm etiam in ordine ad Deum ipſum quatenùs v.g. carentia viſionis perfectioris exiſtentis in beato ſuperiore dici poteſt aliqualis ignorantia negativa Dei in beato inferiore.

Datur in beatis ignorantia negativa.

26. Non datur de facto in intellectu beato aliqua ignorantia privativa, neque habitualis, neque actualis: Non habitualis, quia ex mox dictis §.1. & 3. Deus infundit beatis omnes habitus ſcientificos, tùm ſupernaturales, tùm naturales debitos & convenientes, ſivè ipſorum ſtatui, ſivè ipſorum meritis; non carent igitur aliquâ ſcientiâ ſibi debita quoad habitum: Non actualis, quia

Non ſic de facto ignorantia privativa.

licèt beati non ſint ſemper in actu ſecundo cognitionis eorum, quæ cognoſcere poſſunt in proprio genere & actibus à viſione diſtinctis; nunquam tamen carent actu aliquo ſibi debito, ad quem ſcilicet eliciendum vel inclinationem habeant, vel obligationem; quia ex una parte pro tali actu nullum deeſt intrinſecum requiſitum, nullum adeſt extrinſecum impedimentum; ex alia parte ob maximam, quâ pollent, prudentiam & voluntatis rectitudinem nunquam ab actu ullo irrationabiliter abſtinent, nunquam patiuntur leviſſimæ inconſiderationis vitium; non carent igitur beati aliquâ ſcientiâ ſibi debitâ quoad actum, & per conſequens non datur in ipſis de facto ignorantia ulla privativa, neque habitualis, neque actualis.

Hæc tamẽ eſt dabilis de potentia abſoluta.

27. Dabilis eſt de potentia abſoluta in intellectu beato ignorantia privativa; quia poteſt Deus contrà exigentiam ſtatus beatifici & beatitudinis, aut non infundere, aut deſtruere habitus ſcientificos, & ſpecies intelligibiles in beatis, quod eſſet in ipſos inducere directè privativam ignorantiam habitualem, indirectè etiam actualem; aut habitibus & ſpeciebus relictis negare ſuum concurſum ad exercitium actuum, quod eſſet inducere privativam ignorantiam ſolùm actualem, quod manebit à fortiori probatum ex infrà dicendis, tùm *ſequenti aſſerto* de errore, qui eſt majus malum, quàm ignorantia privativa, undè etiam dici ſolet ignorantia poſitiva ſeu pravæ diſpoſitionis; tùm *ſequenti capite* de impedibilitate actuum amoris & gaudij, qui certè majorem ſtrictioremque habent connexionem cum viſione beata, quàm cognitiones, ſive actuales, ſivè habituales rerum in proprio genere, & extrà Verbum.

Ignorantia poſitiva ſeu pravæ diſpoſitionis coincidit cũ errore.

28. Aſſert. 2. Non datur de facto in intellectu beato aliquis error, eſt tamen dabilis de potentia abſoluta. Prima pars eſt à Theologis & Sanctis Patribus receptiſſima, contrà Robertum Holcot *in ſuis determinationibus quaſt. 9. art. 2.* Secunda pars a paucioribus ex profeſſo diſputatur, indicatur tamen à Vaſquio *hic diſp. 16. cap. 3. num. 17.* Suarezio *ſect. 3. n. 3.* Arriagâ *diſp. 51. num. 27.* Salas *diſp. 6. ſect. 10. n. 38.* aliiſque nonnullis.

Non datur de facto ullus error in beatis.

Probatur prima pars: Maxima eſt convenientia non ponendi, & nulla eſt neceſſitas ponendi de facto, ſeu de potentia ordinaria, errorem aliquem in beatis; ergo verè non datur de facto in intellectu beato aliquis error; antecedens quoad primam partem facilè ſuadetur ex eo, quia convenientiſſimum eſt non ponere in homine beato & glorioſo illud, quod ipſi inglorium eſt & exprobrabile in ſtatu etiã imperfecto & defectuoſo, cujuſmodi eſt ſtatus viæ & dependentiæ intellectus à ſenſibus; atqui error eſt

29. homini etiam in via exprobrabilis, ergo; idem antecedens quoad ſecundam partem probatur; neceſſitas ponendi de facto errorem aliquem in beatis oriri maximè poteſt ex ignorantia negativa, ratione cuius, ſicuti beati de facto plura non cognoſcunt, ità poſſunt de facto circà plura errare, & procedendo per diſcurſum à notis ad ignota deducere ex præmiſſis probabilibus concluſionem aliquam falſam, eique aſſentiri ut veræ; atqui beati nequeunt hoc modo errare de potentia ordinaria, quia prudentia maxima & rectitudo, quam habent, non ſinit ipſos ſe exponere periculo errandi, cui ſe exponerent præſtando abſolutum aſſenſum propoſitioni, cujus veritas non appareat evidenter. undè ſi diſcurſum forment & concluſionem deducant ex præmiſſis probabilibus, vel aliter utcumque eis occurrat propoſitio non evidenter vera, aſſentientur ſolùm probabilitati, nec judicabunt ſimpliciter & abſolutè propoſitionem veram eſſe, ſed ſolummodo probabile eſſe, quod vera ſit; quod judicium remotiſſimum ſemper eſt ab omni errore, & veriſſimum, etiam quando propoſitio, ſuprà quam cadit, eſſet in re falſa; Sæpè etiam circà hujuſmodi propoſitiones judicium omne beati ſuſpendent, quomodo etiam in hac vita mortali prudentiores viri ſolent nullum judicium ferre de iis, quæ ſufficienter non conſtant.

Quomodo beati aſſentiantur propoſitionibus probabilibus.

Probatur ſecunda pars, quia ex unâ parte poteſt Deus de potentia abſoluta ſpeciem aut habitum erroris infundere intellectui creato ut ſuppono *ex tract. de fide*; ex alia parte beatitudo eſſentialis non repugnat cũ aliquo malo purè phyſico, & aliqui errores ſunt mala purè phyſica; ergo poteſt Deus de potentia abſoluta infundere ſpeciem aut habitum erroris intellectui creato etiam beato; poteritque ex tali ſpecie aut habitu intellectus etiam beatus erumpere in erroris actum. 30.

Dices: Si eſt dabilis aliquis error in intellectu beato, non erit major ratio de uno, quàm de alio, adeoque erit dabilis in intellectu beato quilibet & omnis error; quis autem dicat de potentia abſoluta fore beatũ eum, cujus intellectus erroribus omnigenis repleretur, ut ità dicam, & obrueretur? Sed 31.
contrà: Sicuti ex ſupradictis beatitudo eſſentialis in Dei viſione conſiſtit, ità repugnat intellectui beato ille omnis error, qui repugnat cum Dei viſione, aut cum aliquo eſſentiali ipſius prædicato; tria autem potiſſimum viſioni eſſentialiter conveniunt *ex lib. præced. cap. 3.* nimirum quòd ſit cognitio Dei ut eſt in ſe, quòd non ſit corruptibilis ab intrinſeco, quod excludat tùm peccatum etiam habituale, tùm potentiam peccandi; ex primo capite repugnat cum viſione quicumque error oppoſitus cognitioni Dei ut eſt in ſe, puta error, quo quis Deum non ſummè bonum, non exiſtentem, non in eſſentia unũ & in Perſonis Trinum apprehenderet; ex ſecundo capite repugnat cum viſione error, quo quis judicaret ineſſe viſioni principium aliquod intrinſecum corruptionis; ex tertio capite repugnat cum viſione error quicumque moralis, ex quo ſequi poſſit dictamen rationis defectuoſum & imputabile ad culpam. Neque dicas *ex lib. 1. c. 3. § 5.* Qui videret Deum ſolum ut unum, non ut trinum, adhuc eſſet beatus; ergo error, quo quis judicet Deum eſſe unum & non trinum nec repugnat cum viſione nec

Quinã errores repugnent ſimpliciter intellectui beato.

cum

cum beatitudine. Contrà enim:concedo antecedens, nego conſequentiam, quia præſcindere unum ab alio non eſt negare unum de alio, & benè ſtare poteſt, quòd præſcindens eſſentiam à perſonis ſit beatus, negans verò eſſentiam de perſonis non ſit beatus, ille habeat viſionem veram eſſentiæ ut eſt in ſe, iſte viſionem falſam eſſentiæ aliter ac eſt in ſe.

32. Quinā non repugnent. Ea his habes errores de potentia abſoluta non repugnantes intellectui beato poſſe eſſe ſolùm circà objecta creata, & in materia non ſpectante ad bene vel male moraliter operandum; ſic non implicat beatos errare, v.g. circà ſtellarum numerum, circà compoſitionem quantitatis ex partibus, vel ea punctis, aliaque hujuſmodi, in quibus errare eſt malum leve & purè phyſicum minuens accidentale quoddam complementum, non deſtruens eſſentiam beatitudinis.

CAPUT II.

De iis, quæ beatitudinem eſſentialem conſequuntur ex parte voluntatis.

1. QVæ beatitudinem eſſentialem ex parte volūtatis conſequuntur partim poſitiva, partim negativa ſunt: Inter poſitiva potiſſimum obtinent locū actus amoris & gaudij; inter negativa carentiæ odij & triſtitiæ: Quoad odij & triſtitiæ carētias explicatis amore & gaudio via ſupererit ulla alicujus momenti difficultas: Quoad amorem ipſum & gaudium quædam ſupponenda magis, quàm examinanda ſunt; quædam verò ea profeſſo diſcutienda & comprobanda.

Supponendum primò amorē & gaudium in beatis eſſe diſtinctos actus; & licèt negent id ex recentioribus Eſparza *hic lib. 3. q. 4.* & ea antiquioribus Gregorius *in 1. diſt. 1. q. 2. art. 2. conc. 2.* aliique nonnulli volentes amorem boni præſentis & delectationem, ſeu gaudium eſſe unū eundemque ſimplicem actum, nihilominùs habemus nos ſufficiens fundamentum ſupponendi oppoſitum ea eo, quòd *tract. 1. lib. 4. c. 8. §. 2.* poſuimus in Deo erga ſe ipſum amorem, tanquam actum virtualiter à gaudio diſtinctum; hinc enim, quia familiare eſt diſtinguere in creatis realiter ea, quæ diſtinguuntur virtualiter in divinis, facilè infertur in beatis ergà Deum amorem debere eſſe actum realiter à gaudio diſtinctum, hocque eſt etiam ſecundùm magis communem opinionem, pro quā plurimos Auctores refert Salas *hic diſput. 7. ſect. 5. n. 4.*

Actus beatifici amoris & gaudij diſtinguuntur realiter.

2. Supponendum ſecundò extrà controverſiam eſſe, quòd beati ſint in perpetuo exercitio, tùm amoris, tùm gaudij ergà Deum: Actus amoris infertur optimè ex 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruitur.* Actus gaudij frequentiùs in ſcripturis exprimitur, Iſa. 65. *Gaudebitis & exultabitis uſque in ſempiternum.* Pſalm. 15. *adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua uſque in finem.* Ioan. 16. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Supponendum tertiò fruitionem & delectationem non indigere in præſenti ſpeciali ulla conſideratione ſejunctim ab amore & gaudio; fruitio enim ab aliquibus cum amore, ab aliquibus cum gaudio confunditur; delectatio in rationali, ſeu intellectuali creatura à gaudio non diſtinguitur, ut attigimus *lib. præced. c. 2. §. 3.* quo etiam ex loco recolendum eſt gaudiū aliud eſſe commune cuilibet vitali potentiæ, aliud eſſe proprium voluntatis; & hoc, de quo ſolo hic agimus, aliud eſſe amicitiæ, aliud concupiſcentiæ, & illud ad amicitiæ, iſtud ad concupiſcentiæ amorem conſequi: Recolendum eſt inſuper ex eodem loco *n. 32.* gaudium, quod habet voluntas ſaltem de objecto attacto per operationem alterius potentiæ, aut de ipſamet alterius potentiæ operatione non eſſe affectionem quandam aut puram paſſionem, ſed actum verè elicitum ab ipſa voluntate. His ſuppoſitis diſcutiendum ea profeſſo eſt, qualis ſit amor & quale ſit gaudium beatorum, quodnam item utriuſque actus objectum; quærendum igitur utrùm ſint actus neceſſarij an liberi? utrùm poſſint ſaltem divinitùs ſuſpendi? utrùm differant ſpecie ab amore & gaudio non beatificis? Vtrùm ſint de ſolo Deo, an etiam de Dei viſione? &c. Ideò ſit

---

§. I.

Vtrùm amor beatificus ſit actus neceſſarius, an liber libertate ſaltem exercitij?

ASSERT. Amor beatificus eſt omninò neceſſarius, nullamque habet neque etiam exercitij libertatem. Ità D. Thomas 1. *part. q. 60. artic. 5. ad 5. q. 62. art. 8. ad 2. q. 82. art. 2. & 1. 2. q. 4. art. 4. in c.* Ioannes à S. Thoma *hic diſput. 5. art. 7.* Gonet *diſp. 4. art. 1.* Vaſquez *diſp. 16. c. 5.* Valentia *q. 4. punct. 5.* Amicus *diſput. 2. ſect. 10. num. 143.* Arriaga *diſp. 52. ſect. 3.* Madernus *q. 3. art. 6.* & cum omnibus Thomiſtis ferè etiam omnes recentiores contrà Scotum *in 1. diſt. 1. q. 4. §. Negativa iſtius & in 4. diſt. 49. q. 6. §. Dico ergo.* Gabrielem *in 1. diſtinct. 1. q. 6.* Ochamum *in 4. quæſt. ult. art. 3.* Lauræam *in 4. tom. 4. diſp. 20. art. 11.* Lychetum, Bargium, Ovandum, alioſque omnes, tùm Scotiſtas, tùm Nominales, quibus favet ex recentioribus Salas *hic diſput. 7. ſect. 1. num. 6.* docens dabilem eſſe viſionem Dei adeò tenuem, ut amoris neceſſitatem non inferat.

3. Amor beatificus eſt actus neceſſarius.

Pro legitima intelligentia ſententiæ Scoticæ hic impugnandæ recolendum eſt ea ſuprà dictis *tract. 2. lib. 3. §. 5.* ex mente Scoti duplicem dari libertatem, eſſentialem alteram;

Legitima mens Scoti circà talis actus libertatem.

ram; alteram accidentalem, quæ etiam dicitur libertas contingentiæ, ſeu indifferentiæ ad contrariè vel contradictoriè oppoſita, de hac ſecūda libertate loquitur Scotus in præſenti, nec certè vult eſſe in amore beatifico illam ſuam libertatem, quam idemmet Doctor ſubtilis agnoſcit in quolibet omninò voluntatis actu, in ipſo etiam divino amore, quo Spiritus ſanctus procedit; unde malè hic nonnulli pro libertate amoris beatifici citant Scotum *quodlib.* 16. quo in loco ſermo ſolùm eſt de libertate eſſentiali compoſſibili juxtà Scotum cum neceſſitate ſimpliciter, & oppoſita naturalitati non indifferentiæ: Diviſionem hanc, ſeu diverſitatem Scoticam libertatis eſſentialis & accidentalis notavit etiam Lauræa *art.* 11. *præcit.* n 112. ubi inſuper *num. ſequenti* libertatem indifferentiæ diſtinguit in remotam & proximam, & illam dumtaxat, non iſtam admittit in amore beatifico. Sic explicata Scoti mente Aſſertum

4. Probatur primò: Amor beatificus nullam prorsùs ſupponit indifferentiam judicij, id eſt neque ſupponit indifferentiam contrarietatis circà bonitatem & malitiam objecti, neque indifferentiam contradictionis circà elicientiam, & non elicientiam actus; ergo amor beatificus eſt omninò neceſſarius nullamque habet neque etiam exercitij libertatem; conſequentia patet tùm à poſteriori in

Omnis actus liber præſupponit indifferentiam judicij.

noſtris motibus primo primis, qui ſecundùm ipſos Adverſarios omni carent libertate etiā exercitij, idque defectu prævij judicij indifferentis; tùm à priori ex natura libertatis, quæ ità eſt formaliter in voluntate, ut ſit radicaliter in intellectu, adeò ut non ſolum non poſſit voluntas operari niſi circà objectum ab intellectu propoſitum, ſed nec poſſit operari liberè, niſi circà objectum propoſitum ab intellectu cum aliqua indifferentiā: Antecedens quoad indifferentiam contrarietatis facilè conſtat; hæc enim non habetur, niſi quando in objecto apparet tùm ratio boni tùm ratio mali certum eſt autem ex vi viſionis apparere in Deo puram rationem boni, adeoque non poſſe cum viſione componi judiciū quo Deus proponatur tùm ut amabilis ſub ratione aliqua boni, tùm ut

5. Reſpectu amoris beatifici non datur judicium indifferens, neq; etiam indifferentiā contradictionis.

odibilis ſub ratione aliqua mali: Quoad indifferentiam contradictionis probatur, tunc dabilis eſt hæc indifferentia quando in objecto licèt non appareat aliqua ratio mali, non apparet tamen omnis ratio boni adeò ut intellectus cognoſcens in aliis objectis diverſas rationes boni proponat voluntati ſub indifferentia elicientiam hujus, vel aliorum actuum: Item quando in actu qui elicitur apparet aliqua ratio mali, puta difficultas, labor, defatigatio, tædium &c. adeò ut hinc poſſit intellectus proponere etiam ut bonam non elicientiam, aut ſuſpenſionē talis actus; atqui ex neutro capite haberi poteſt in caſu noſtro indifferentia contradictionis, non ex primo capite, quia verè in Deo apparet ex vi viſionis omnis ratio boni juxtà illud Exod. 33. *Ego oſtendam omne bonum tibi*; non ex ſecundo capite, quia in amore beatifico nulla poteſt apparere ratio mali; non difficultas quia elicitur ex divina elevatione, cui nihil eſt difficile; non labor & defatigatio, quia elicitur independenter ab organis corporeis, ex quibus ſolis oritur defatigatio & labor in actibus vitalibus; non tædium, quia amor beatificus eſt maximè recreativus, & excitat vehementem, neceſſariamque lætitiam: ergo.

Dices ex Arriaga *hic diſp.* 52. *n.* 14. Apparere poteſt in amore beatifico, tanquam ratio aliqua mali, impedimentum aliorum actuum, quos non poteſt voluntas elicere ſimul cum amore beatifico, poſſet verò ſi à tali amore ceſſaret: Nec, ſubdit Arriaga, ſufficienter reſpondetur dicendo amorē beatificum eſſe meliorem aliis actibus, adeoque quod per ipſum alij actus impediantur non eſſe rationem mali; Non ſufficienter, inquit, reſpondetur quia aliud eſt amorem eſſe majus bonum, quàm cæteros actus, aliud verò non eſſe quoddam malū, quod cæteri actus, boni per eū impediantur; eo enim ipſo quòd cæteri ſint boni, ſine dubio impedire illos eſt aliquod malum, licèt ſimul in ea re, quæ eſt impedimentū ſit magna bonitas, & major ea, quam impedit. Sed contrà: ut impedimentum boni quoddam malum ſit, debet eſſe impedimentū boni convenientis & debiti, ſicuti ut carentia perfectionis ſit aliqua imperfectio debet eſſe carentia perfectionis debitæ, tranſeat igitur eſſe aliquod malum, quòd unus actus etiā melior impediat alium, quando iſte alius actus debitus eſt & conveniens, ſic eſt extrinſeca aliqua ratio mali reſpectu ſcientiæ nobilioris, v. g. quòd nos dum ipſi vacamus, impediamur ab acquiſitione alicujus alterius ſciētiæ inferioris, quia utraque ſcientia intellectui noſtro debita eſt & conveniens; ſecùs ſe res habet, quando id, quod impeditur, non eſt aliquid debitum & conveniens, numquid enim eſt aliqua ratio mali quòd ſubſiſtentia propria v. g. impediat in natura ſubſiſtentiam alienam; quòd perfectiones ſimpliciter impediant in Deo perfectiones ſecundùm quid: In propoſito dico amorem beatificum non impedire in beato actum ullum ipſi beato debitum & convenientem, cum re vera beato non deſit bonum ullum debitum & conveniens; & qui videndo Deum ceſſaret ab amore non propterea eliceret aliquem actum, quem non poſſet elicere ſimul cum amore; undè in rigore amor beatificus non impedit ullum aliū actum, vel ſaltem non impedit actum aliquem beato debitum & convenientem; ex quo capite, ſi minùs ex eo, quòd amor beatificus ſit cæteris actibus melior, manet ſufficientiſſimè ſoluta tota Arriagæ inſtantia: Nihilominùs ex eodem *diſp. præcit. n.* 16.

6. Quandonā impedimentum boni ſit quoddam malū.

Dices ulteriùs: Eſſe finitum & limitatum eſt ratio mali ſufficiens ad hoc ut voluntas non neceſſitetur; unde ex eo præcisè, quòd bonum aliquod appareat finitum & limitatum, voluntas noſtra habet circà ipſum libertatem exercitij; atqui amor beatificus, ut potè creatura, eſt quid finitum & limitatum; ergo eſt in ipſo ſufficiens ratio mali ad hoc,

ut

ut volũtas non neceſſitetur neceſſitate exercitij. Sed contrà: eſſe finitum & limitatum ex parte objecti, quod amatur, eſt ratio mali ſufficiens, &c. concedo; eſſe finitum & limitatum ex parte actus, quo objectum amatur, eſt ratio mali ſufficiens, &c. ſubdiſtinguo ſufficiens ad hoc, ut voluntas non neceſſitetur ad actum ipſum tanquã ad id quod amatur, concedo; ut non neceſſitetur tanquam ad id quo amatur objectum infinitum & illimitatum nego: inſtantia igitur ad ſummũ probat amorem beatificum non amari neceſſariò, at non probat non eſſe in ſe amorem neceſſarium. Neque urgeas; ſaltem inſtantia probat falſum eſſe quod ſupra dicebamus in amore beatifico nullam apparere rationem mali. Contrà enim: ibi loquebamur de amore beatifico ſecundùm ſuam propriam rationem, non ſecundùm communem rationem creaturæ. Faciliùs eludi poteſt tota inſtantia negando amorem beatificum eſſe quid finitum & limitatum, quod jure negari poteſt in noſtris principiis talem amorem conſtituentibus eſſentialiter ex voluntate amante & Deo amato. Nihilominùs fidendum magis præcedenti ſolutioni, tùm quia Complexiſtarum doctrina non eſt adeò recepta, tùm quia dici poteſt Deum ut formaliter conſtitutivum talis complexi ſe habere quodammodò modo finito & limitato, & ſe accommodare virtuti, quam voluntas creata exerit ipſum attingendo, ſeu amando.

7. Quomodò voluntas neceſſitetur ad actũ finitum.

8. Probatur aſſertum ſecundò: Concedendi ſunt aliqui actus, quos voluntas creata eliciat ut natura ſeu ut potentia naturalis; ſed de nullo actu poteſt id meliùs & rationabilius concedi, quàm de amore beatifico; ergo amorem beatificum voluntas creata elicit, ut natura ſeu ut potentia naturalis, & per conſequens talis amor omninò neceſſarius eſt, nullamque habet neque etiam exercitij libertatem: Minor patet, quia nullus eſt actus, qui aut tendat in majorem bonitatem, aut ſit ex natura ſua magis permanens, aut habeat plures rationes neceſſitatis, quàm amor beatificus. Major probatur: Voluntas creata non ſolùm eſt arbitrium, ſeu potentia libera, ſed etiam eſt natura, ſeu potentia naturalis: ergo concedendi ſunt aliqui actus, &c. probatur antecedens primò paritate volũtatis divinæ, quam eſſe principium liberum ſimul & naturale, voluntatem & naturam tradidimus *tract. 2. lib. 3. c. 1. n. 27. & 32.* Secundò auctoritate D. Thomæ *q. 22. de verit. art. 5. in corp.* dicentis *Natura autem & voluntas hoc modo ordinata ſunt ut ipſa voluntas quædam natura ſit.* Tertiò ratione quia ea quæ non inſunt per ſe, reducuntur ſemper ad aliquid, quod per ſe ineſt, & in toto rerum ordine quod eſt varium & mutabile deſinit in aliquid uniforme & immutabile; cum igitur actus liberi voluntati inſint quodãmodò per accidens quatenùs poſſunt non ineſſe; cum item principiũ liberũ ſit mutabile & varium, debent in volũtate admitti actus aliqui procedentes à principio naturali, in quod etiam tanquam in quid uniforme & immutabile ſuo modo deſinat ipſa ratio principij liberi.

Voluntas creata eſt arbitrium ſimul & natura.

Dices vel non eſſe ponendam in voluntate creata rationem potentiæ naturalis, tùm quia D. Auguſtinus *in Enchir. cap. 105.* expreſsè ait *aut voluntas non eſt, aut libera dicenda eſt*, tùm quia uni principio finito & limitato concedendus eſt unicus modus operandi, adeoque voluntati creatæ ſolus modus operandi liberè: vel, etiamſi ponatur in voluntate creata ratio aliqua potentiæ naturalis, hanc in ipſa ſufficienter exerceri per ordinem ad motus primò primos, nec eſſe extendendam ad amorem beatificum, qui ſi dicatur prodire à voluntate ut à potentia naturali, erit neceſſarius neceſſitate oppoſita, non ſolùm libertati indifferentiæ & contingentiæ, verùm etiam libertati eſſentiali; & tamen, ut ſuprà advertimus *num. 3.* de illa ſolùm non de iſta libertate in præſenti cum
Scoto diſputatur. Sed contrà: Falſa eſt utra- 9.
que inſtantiæ pars; ad probationem primæ partis dico aliud eſſe quòd voluntas ſit potentia eſſentialiter libera, aliud eſſe quòd ſit libera tantùm, non etiam naturalis; illud, non iſtud probant verba Auguſtini, quem inſuper dici poteſt loqui de voluntate prout eſt in via, & in ſtatu meriti. Deindè Auguſtini verba ab Adverſariis non referuntur, ut jacent apud ipſum, citato enim cap. 105. ità habetur, *aut voluntas non eſt aut libera dicenda non eſt, quà beati eſſe volumus, ut eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poſſimus?* ubi pro eo, quod in inſtantia ex Adverſariis offertur *dicenda eſt*, ponitur *dicenda non eſt*, & meo quidem videri ſequentibus Auguſtini verbis conformior eſt negatio, quàm affirmatio libertatis: Ad aliam ejuſdem partis probationem dico principium univerſale & æquivocum, cujuſmodi eſt voluntas, non eſſe alligandum unico operandi modo; & ſicuti intellectui noſtro tribuitur modus operandi, tùm cum diſcurſu, tùm ſine diſcurſu; ità voluntati tribuendus eſt modus operandi, tùm cum libertate, tùm ſine libertate, cum præſertim velle ſine libertate proportionem aliquam habeat ad cognoſcere ſine diſcurſu juxtà D. Thomam *1. part. q. 82. art. 1. ad 2.* dicentem *Voluntas, ſecundùm quod aliquid naturaliter vult, magis reſpondet intellectui naturalium principiorum, quàm rationi, quæ ad oppoſita ſe habet.* Ad probationem ſecundæ partis dico rationem potentiæ naturalis in voluntate valdè imperfectè exerceri per ordinem ad motus primò primos, per ordinem ad quos voluntas eſt in ſtatu imperfecto & indebito, cum non reguletur perfecta & debita cognitione; ut igitur exerceat rationem potentiæ naturalis etiam in ſtatu perfecto, & quatenùs ſubeſt plenæ advertentiæ ac perfectæ cognitioni, concedendum omninò eſt voluntati, quatenùs à viſione regulatur, exercitium naturale & neceſſarium in ordine ad amorem beatificum, quem libenter concedimus neceſſarium etiam neceſſitate oppoſita libertati eſſentiali, & hanc libertatem Scotus malè ſupponit eſſe admittendam in quolibet omninò voluntatis actu.

Principio univerſali & æquivoco tribui poteſt multiplex modus operandi.

Amor beatificus eſt neceſſarius etiam neceſſitate oppoſita libertati eſſentiali.

Vrgebis: Si amor beatificus eſſet neceſ-

ſarius

ſarius neceſſitate oppoſita etiam libertati eſſentiali haberet eam totam neceſſitatem, quã *tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. §. 5. tribuebamus amori divino, quo procedit Spiritus Sanctus, quod
10. non videtur admitti poſſe. Contrà tamen: loquendo de neceſſitate præcisè, ut oppoſita libertati principij operantis, non video cur nequeat tribui tanta neceſſitas amori beatifico, quanta amori divino, quoad intrà Spiritus Sanctus procedit; cum quo ſtat, quod talis amor divinus eſſet magis neceſſarius aliis titulis, quatenùs ipſe haberet neceſſitatem independentiæ & omnimodæ indeſtruibilitatis in ſuo eſſe; non ſic amor beatificus.

11. Mitto hic tanquam minùs efficacia alia argumenta, quibus ulterius poſſet aſſertum comprobari. Mitto primò argumentum, quo utitur Gonet *hic diſp.* 4. *art.* 1. *num.* 5. deſumptum à paritate divinæ voluntatis, quæ ex viſione divinæ eſſentiæ determinatur ad amorem ipſius naturalem & neceſſarium quoad exercitium: Hoc argumentum parùm efficax eſt, quia divina voluntas neceſſariò amat neceſſitate exercitij quodcumque bonum neceſſarium etiam non ſummum, imò etiam non divinum, ex ſupradictis *tract.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. §. 2. & *cap.* 3. §. 2. allata igitur paritas voluntatis divinæ, ſi tranſlata ad voluntatem creatam aliquid probaret, nimiùm probaret.

Rejiciuntur nonnulla argumenta, quibus ſolet aſſertũ noſtrum comprobari.

Mitto ſecundò argumentum, quo utitur Amicus *hîc diſp.* 2. *ſect.* 10. *num.* 143. deſumptum ab infinitate objecti beatifici, ex quâ infert majorem eſſe in objecto beatifico vim motivam ad excitandum amorem, quàm ſit in voluntate vis reſiſtiva ad retundendam quodammodo illam motionem, ideò voluntatem neceſſariò ab illâ virtute ſuperari & in amorem erumpere. Hoc argumentum parùm efficax eſt primò, quia ex infinitate objecti arguitur ſolùm infinita vis motiva in actu primo, nõ infinita motio in actu ſecundo, quæ tamen requiritur ad intentum argumenti, alioqui etiam reſpectu amoris in viâ divina bonitas omnem voluntatis reſiſtentiam, aut potiùs indifferentiam ſuperaret; cum etiam reſpectu amoris in via ſit infinita & conſequenter habens vim motivam majorem vi reſiſtitiva voluntatis: Secundò quia vis motiva objecti, ſaltem ſub formalitate objecti, eſt tantùm in ordine ad ſpecificationem, non in ordine ad exercitium actus juxtà D. Thomam *hic quæſt.* 9. *art.* 3. *ad* 3. dicentem de voluntate, *ab intellectu quidem movetur ſecundum rationem objecti, à ſe ipſa verè quantùm ad exercitiũ actus* & *q.* 10. *art.* 2. *in c.* ubi ità habet, *voluntas movetur dupliciter: Uno modo quantùm ad exercitium actus, alio modo quantùm ad ſpecificationem actus, qua eſt ex objecto: primo ergo modo voluntas à nullo objecto ex neceſſitate movetur*: Scio hæc verba non eodem modo ab omnibus intelligi, at idcircò, ut vim haberent ad probandam meam propoſitionem, in iſta appoſui particulas illas *ſaltem ſub formalitate objecti*, pro quo videri poteſt Io. à S. Thoma *hic diſp.* 2. *art.* 7. *n.* 28.

Mitto tertiò argumentum, quo utitur Arriàga *hic diſp.* 52. *n.* 23. deſumptum ex motibus primò primis, ex quorum neceſſitate etiã ſecundùm Scotiſtas & Nominales admiſſa infert contrà eoſdem neceſſitatẽ amoris beatifici. Hoc argumentum parùm efficax eſt, quia ut attigimus *ſuperiore n.* 9. in ordine ad motus primò primos volũtas eſt in ſtatu imperfecto & ſibi indebito, in ordine ad amorem beatificum eſt in ſtatu perfecto & ſibi convenientiſſimo, neceſſitas autem juxtà Scotum eſt contrà perfectionem & naturam voluntatis, ideò nil mirum quod poſſit ei convenire in ſtatu imperfecto & indebito, non in ſtatu perfecto & convenienti. 12.

Ex dictis habetur primò voluntatem nec ab objecto, nec ab habitu charitatis, nec ab ullo alio principio extrinſeco, neceſſitari ad exercitium amoris beatifici, ſed ab intrinſeco & ex natura ſua, ſuppoſita præcisè propoſitione bonitatis abſque indifferentia judicij, tanquam conditione & applicatione; adeò ut voluntas, ſicuti per nos æquè ab intrinſeco eſt potentia naturalis ac libera, ità æquè ab intrinſeco habeat neceſſitatẽ exercitij ſuppoſita propoſitione objecti abſq; judicij indifferentia, ac ab intrinſeco habeat exercitij libertatem ſuppoſita propoſitione objecti cum judicij indifferentia; undè Scotiſtæ malè nobis objiciunt non poſſe nos ſalvare neceſſitatem exercitij in voluntate, niſi per aliquod principium extrinſecum; & Lauræa *in* 4. *ſent.* 4. *diſp.* 20. *art.* 11. *num.* 324. malè contendit voluntatem in ordine ad ceſſandum ab amore beatifico carere tantùm libertate proxima ex eo, quòd non habeat concurſum Dei paratum ad aliquem alium actum à viſione, non carere verò libertate remota, quia ſi non deeſſet ullum extrinſecum requiſitum, & haberet concurſum ad oppoſita, poſſet à viſione ceſſare & alium actum elicere. 13.

13. Voluntas ad amorem beatificum eſt neceſſitata ab intrinſeco.

Habetur ſecundò voluntatem reſpectu amoris beatifici ſe habere ut naturam, non quia ipſum cæco modo eliciat, nullaque prævia cognitione reguletur; quâ ratione operantur ut natura cauſæ illæ, quas communiter cauſas naturales vocamus; ſed quia operatur abſque indifferentia & cum omnimoda determinatione ad unum, quod ſufficit ad naturam, ſeu principium naturale, pro ut contradiſtinguitur à principio libero, quamvis ſecundùm regularem acceptionem operari ea neceſſitate aliquid ampliùs importet, importet ſcilicet non ſolùm operari abſque indifferentia, ſed etiam operari abſque cognitione. 14.

14. Operari per modũ naturæ dupliciter ſumitur.

---

§. II.

Utrùm cum viſione aliquâ Dei diverſâ ab eâ, quæ de facto datur, habere poſſit amor beatificus non neceſſarius?

ASSERT. Cum nullâ viſione, quæ remaneat beatifica, quomodocumque, deinde diverſa ſit ab ea, quæ de facto datur, 15.

haberi

hsberi poteſt amor nó neceſſarius. Ità Theologi relati pro ſuperiore aſſerto contrà nonnullos pariculares Auctores ponentes in quibuſdam particularibus ſuppoſitionbus amorem beatificum poſſe eſſe liberum, quas quidem ſuppoſitiunes ſimul cum ſuis Auctoribus ſingillatim referam & refellam *n.* 17.

Probatur & explicatur: Viſio aliqua Dei dupliciter ſuppom poteſt diverſa ab ea, quæ de facto datur, vel ita ut diverſitas tollat à viſione rationem beatitudinis eſſentialis, vel ita ut talem rationem relinquat & ſinat ipſam eſſe beatificam: Diverſitas primo modò exẽplificari poteſt in viſione, quæ terminaretur ad perſonas tantùm aut attributa, non ad eſſentiã divinam; diverſitas ſecundo modo in viſione, quæ terminaretur ad eſſentiam
16. divinam tantùm, non ad perſonas: Diverſitas primo modo ſicuti non relinqueret in viſione rationem eſſentialis beatitudinis, ità non relinqueret claram cognitionem ſummi boni, ſeu non relinqueret objectum clarè propoſitum ut ſummum bonum, quo ſolo poſito voluntss in ſtatu perfecto & debito conſtituta habet neceſſitatem exercitij in ordine ad amorem, ut enim aliunde ſuppono, & tradit inter cæteros Ioannes à S. Thoma *hic disp.* 5. *art.* 5. *n.* 14. ultrà ſummum bonum, ſeu Deum clarè viſum, non datur ullum aliud objectum, in cujus præſentia voluntas in ſtatu perfecto & debito conſtituta (has particulas addo propter motus primò primos) quoad exercitium neceſſitetur. Diverſitas ſecundo modo relinquendo in viſione rationẽ eſſentialis beatitudinis relinqueret clarã cognitionem ſummi boni, quâ præcisè poſita voluntas operatur ut natura, & cum neceſſitate exercitij: Cum viſione igitur, quæ ità eſſet diverſa ab ea, quæ de facto datur ut deſineret eſſe beatifica haberetur amor liber; at cum viſione, quæ ità eſſet diverſa, ut remaneret beatifica, haberetur amor neceſſarius æquè ac habeatur cum viſione, quæ de facto datur, & per conſequens cum nulla viſione, quæ remaneat beatifica, quomodocumque deinde diverſa, &c. Sic explicato probatoque aſſerto univerſaliter & in communi, diſcurrendum eſt ſingillatim per particulares ſuppoſitiones, in quibus poteſt eſſe major ratio dubitandi.

Circà nullum aliud objectum à ſummo bono voluntas creata habet neceſſitatem exercitij.

Cum nulla prorsùs viſione, quæ ſit beatifica, ſtat libertas amoris.

17. Prima ſuppoſitio ſit, quòd videns Deum recipiat à Deo præceptum ceſſandi ab amore, aut habeat in intellectu hunc errorem, niſi ceſſavero ab amore recidam in perpetuam miſeriam: In hac ſuppoſitione, & cum viſione hoc modo accepta liberũ eſſe exercitium amoris docent Holcot *in ſuis determinationibus*, *q.* 9. *art.* 2. & Salas *hic disp.* 7. *sect.* 1. *n.* 8. eo quòd obſervantia divini præcepti & fuga perpetuæ miſeriæ poſſint eſſe ſufficiens motivum, tùm judicij indifferẽtis, tùm ceſſationis ab amore. Nihilominùs malè ſupponunt hi Auctores cum viſione beatifica conjungi poſſe, aut prædictum præceptum, aut prædictum errorem; non poteſt conjungi prædictum præceptum, quia Deus nequit præcipere aliquid impoſſibile, impoſſibile eſt autem quòd videns Deum ex ſe ab amore ceſſet, quia impoſſibile eſt principium operans per modũ naturæ ex ſe ceſſare ab operatione, ignem v. g. ex ſe ceſſare à calefactione, lapidem ex ſe ceſſare à deſcenſu: Non poteſt conjungi prædictus error, quia ſupponit beatitudinẽ eſſe ex natura ſua amiſſibilem, eſſet enim contradictio in terminis, quòd quis exiſtimando beatitudinem eſſe inamiſſibilem crederet ſe ipſam eſſe amiſſurũ & futurũ perpetuò miſerum, niſi à Dei amore ceſſaverit, ex ſupradictis autem *cap. præced. n.* 31. non eſt dabilis in intellectu beato error de beatitudine amiſſibili ex natura ſua ſeu corruptibili ab intrinſeco. Neque dicas: ſupponatur ſaltem per impoſſibile conjongi cum Dei viſione illud præceptum, aut illum errorem; habenti per impoſſibile talem viſionem erit liberum exercitiũ amoris. Contrà tamẽ, ſuppoſitio impoſſibilis non facit ad rem in præſenti, ubi loquimur de viſione beatifica poſſibili, dum aſſerimus cum nulla viſione haberi poſſe amorẽ non neceſſariũ.

Beato non poteſt à Deo imponi præceptum ceſſandi ab amore.

Secunda ſuppoſitio ſit, quòd videns Deum 18.
ex divina revelatione cognoſcat ſe modo miraculoſo & extraordinario privandum fore viſione, iterùm in via collocandum, & ob nova peccata committenda damnandum in æternũ: In hac ſuppoſitione viſio remaneret beatifica, quia ex dictis *lib. præced. c.* 3. *n.* 54. deſtruibilitas miraculoſa viſionis non impedit beatitudinẽ, cum ipſa verò conjũgi poſſe Dei odium nedum liberum Dei amorẽ ſentiunt nonnulli apud Arriagam *hic disp.* 52. *sect.* 1. Nihilominùs ſuſtinendum eſt in tali ſuppoſitione adhuc fore neceſſarium exercitiũ amoris, ratio eſt quia in tali ſuppoſitione appareret adhuc in Deo pura & ſumma ratio boni, adeoque haberi non poſſet indifferẽtia judicij: & licèt Deus, ut viſionem auferẽs & inferẽs damnationẽ, poſſit ab æſtimatore non recto malus judicari, non ſic tamen à recto æſtimatore, cujuſmodi eſt videns Deum, qui in viſione auferenda ſupremi dominij excellentiam, in damnatione inferenda juſtiſſimi judicis prærogativã contemplans ad amorem augendum potiùs, quàm ſuſpendendum moveretur. Neque dicas, quamvis apud rectum æſtimatorem Deus etiam ut illaturus ob futura peccata damnationẽ non appareat malus in ſe, non poteſt tamẽ non apparere malus ei, qui damnandus eſt ſicuti non poteſt ei non eſſe mala damnatio. Contrà enim: ex duobus contrariis illud, quod ab altero quaſi incõparabiliter exceditur imperceptibile eſt, & ità quodãmodò ſe habet, ac ſi non eſſet, ſic aquæ guttula in accenſa fornace, vel nævus exiguus in formoſiſſimo corpore nó percipitur, nec aut illa ardorẽ minuit, aut iſte obeſt pulcritudini: Ità in Deo ex vi viſionis talis ac tanta apparet etiã extrinſece & reſpectu ipſius videntis ratio boni, ut extrinſeca illa ratio mali, quæ in Deo poteſt apprehẽdi ex eo, quòd ſit ab ipſo auferenda viſio, & inferenda damnatio, imperceptibilis quodammodò ſit, pro nihilo habeatur, nec valeat in vidẽte fundare judiciũ indifferens ad amandum, vel non amandum Deum, ut fuſiùs & elegantiùs explicat Arriaga *hic disp.* 52. *sect.* 2.

Beatus habens revelationem futuræ dãnationis adhuc amaret Deum neceſſariò.

Tertia ſuppoſitio ſit, quòd videns Deum 19.
xctu à Deo afficiatur doloribus inferni etiam

Adhuc etiã amaret, ſi afficeretur doloribus inferni,

in æternum duraturis ſimul cum viſione (in quo nullam video repugnantiam) foret in hac ſuppoſitione neceſſarium exercitium amoris, quia dolores etiam inferni ſunt leviſſimum, & nullius momenti, malum comparativè ad bonitatem in Deo ex viſione relucentem, & ad jucunditatem inde reſultantem, unde ratio mali, quæ in Deo quatenùs tales dolores infligente poſſet apprehendi, eſſet imperceptibilis, & pro nihilo haberetur: unde etiam fit dolores inferni poſſe, ut mala phyſica ſunt, abſque ulla nota crudelitatis à Deo inferri homini elevato ad ſui viſionem, quamvis fortè eoſdem etiam ut mala phyſica Deus non poſſet abſque aliqua ſpecie crudelitatis inferre homini innocenti non elevato ad beatificam viſionem; enimverò reſpectu iſtius non habentis aliunde bonum præponderans dolores inferni eſſent mala graviſſima, & Deus reſpectu talis hominis eſſet ſimpliciter maleficus, non beneficus: Econtrà eſſent mala leviſſima reſpectu habentis beatam viſionem, & Deus ſimul viſionem conferens, & dolores inferni inferens, eſſet ſimpliciter beneficus, non maleficus.

Iſtos dolores poteſt Deus inferre innocenti beato potiùs, quã innocenti non beato.

20. Quarta ſuppoſitio ſit, quòd videns Deum non judicet ipſum eſſe hic & nunc amandum eo quia v. g. Deus ipſe ſuſpendat ſuum concurſum ad talis judicij actum eliciendum: In hac ſuppoſitione Salas *hic diſp.7. ſect.1.n.3.* ait vel dilectionem eſſe non poſſe, vel ſaltem non eſſe neceſſariam: Nihilominus ſentiendum dilectionem eſſe poſſe, vel ſaltem non poſſe eſſe, niſi neceſſariam, ſuppoſito quòd eſſe poſſit aliqua dilectio: Ratio eſt quia ad amandũ aliquod objectum non requiritur formale judicium de amore eliciendo, ſed ſufficit judicium virtuale, ſeu radicale contentum in cognitione & propoſitione bonitatis; nec quando dicitur libertatem ſupponere indifferentiam judicij, ſenſus eſt, quòd actus liber ſupponat actum intellectus formaliter & expreſsè judicantis objectum eſſe, tùm amabile, tùm odibile, aut non amabile; ſed ſolùm quòd ſupponat objectum taliter cognitum, ut poſſit tale judicium haberi; econtrà quando dicitur actum neceſſarium prærequirere judicium determinatum ad unũ, non eſt ſenſus, quòd prærequirat actum intellectus formaliter & expreſsè judicantis objectum eſſe tantùm amabile v.g. ſed quòd prærequirat objectum taliter cognitum, ut non poſſit, niſi tale judicium haberi; in propoſito videns Deum, ſive habeat, ſive non habeat formale judicium de amore eliciendo, eſt tamen taliter diſpoſitus, ac ſi haberet tale judicium, & in viſione ipſa judicium illud virtualiter, ſeu radicaliter continetur; ideò eſt diſpoſitus ex vi viſionis præcisè ad amandum, vel ſaltem ad amandũ neceſſariò ſuppoſito, quòd amet; quia ſuppoſito quòd eliciat judicium aliquod formale & expreſſum, non poteſt cum viſione elicere judicium, niſi determinatum ad unum, id eſt ad amorem hic & nunc eliciendum.

Quomodò ad actum liberũ prærequiratur judicium indifferens.

Viſio Dei æquivalet judicio determinato ad unum.

21. Ex dictis habetur, quid ſit in particulari reſpõdendum ad alios hypotheſes, in quibus ſupponatur viſio diverſa ab ea, quæ de facto datur, puta quia ſit tenuiſſima, & longè remiſſior omni viſione de facto exiſtente; quia attingat eſſentiam tantùm, non Perſonas & attributa; quia attingat Perſonas tantùm & attributa, non eſſentiam, &c. Reſpondendum ſcilicet viſionem quomodocumque tenuem & remiſſam, ſicuti adhuc eſſet ſufficiens ad beatificandum, ità etiam fore ſufficientem ad neceſſitatem amoris; eademque eſt ratio de viſione, quæ attingeret ſolam eſſentiam, non attributa & perſonas: Viſio econtrà, quæ perſonas tantùm & attributa, non eſſentiam attingeret, ſicuti non bearet, ità nec ad amorem neceſſitaret; & in univerſum ad neceſſitatem amoris ſufficit & requiritur ea, tùm bonitas, tùm cognitio bonitatis, quæ ſufficit & requiritur ad perfectam ſupernaturalem beatitudinem. Vnde etiam fit viſionem beatificam, & amorem beatificum eſſe duos actus quantùm eſt de ſe neceſſariò connexos. dixi *quantùm eſt de ſe*, id eſt quantùm ad naturalem exigentiam talium actuum; nam utrùm contra exigentiam viſionis & videntis poſſit Deus amorem beatificum impedire? eſt diverſa difficultas *in ſequenti* §. differenda, ideò ſit

Viſio Dei etiam tenuiſſima, etiam attingens ſolam eſſentiam neceſſitat ad amorẽ, non ſic attingens ſolas perſonas.

---

§. III.

Vtrùm amor beatificus poſſit divinitùs in Beatis ſuſpendi?

Aſſert. Amor beatificus poteſt divinitùs in beatis ſuſpendi & licèt beatus habens omnia requiſita ad amandũ nequeat quantùm eſt de ſe ſuſpendere amorem, poteſt tamen Deus beato negare aliquod requiſitum, quo deficiente amor non poſſit non ſuſpendi. Ità Ioannes à S. Thoma *hic diſp.2.art.7. n.32.* Amicus *diſput.3. ſect.10. num.141.* Salas *diſput.7. ſect.1. num.2.* Arriaga *diſp. 52. num.1.* Madernus *q.3. art.6. conc.2.* aliique communiter contrà Henricum *quodlib.12. quæſt.5.* Ægidium *quodlib. 5. quæſt.6.* volentes viſionem beatificam & amorem beatificum eſſe actus adeò neceſſariò connexos, ut nec divinitùs poſſint ſeparari: Contrà tamen aſſertum 22.

Amor beatificus divinitùs poteſt ſuſpendi.

Probatur primò: Viſio eſt divinitùs ſeparabilis ab amore, ergo amor beatificus poteſt divinitùs in beatis ſuſpendi; conſequentia patet, quia amorem beatificum in beatis ſuſpendi nihil eſt aliud, quàm ſeparari viſionẽ ab amore, ſeu illam abſque iſto poni: Antecedẽs probatur, viſio neque eſt poſterior amore, neque relativa ad amorem; ergo eſt divinitùs ſeparabilis ab amore; probatur hæc conſequẽtia, quia licèt dentur in creatis aliquæ entitates ità connexæ, ut una poni nequeat ſine alia, ſic v.g. Pater ut relativus ad filium neque divinitùs poni poteſt ſine filio, actus vitalis ut ſæpiùs diximus neque divinitùs poni poteſt ſine principio vitali, nec modus ut multi docent ſine re cujus eſt modus; 23.

Quænam entitates creatæ habeant eſſentialem connexionem?

dus; tamen hujuſmodi omnes entitates aut ſunt relativæ aut ſunt poſteriores re, ſine quâ eſſe non poſſunt, & ab eadem dependent; ut patet conſideranti relata exempla, & diſcurrenti per reliqua, in quibus poteſt veſtigium aliquod eſſentialis connexionis deprehendi; ergo ſi viſio neque eſt poſterior amore, neque relativa ad amorem, quod quidem levi ſolùm conſideratione indiget non probatione, conſequens eſt viſionem eſſe ſeparabilem ab amore & poſſibilem ſine amore: Perperam igitur & gratis ponunt Adverſarij eſſentialem connexionem inter viſionem & amorem

Dices: Cõnexio eſſentialis nihil eſt aliud, quam connexio neceſſaria; atqui verè datur inter viſionem & amorem connexio neceſſaria, non poſſet enim viſio neceſſitare voluntatem ad amorem, ſi non neceſſariò connecteretur cum amore, & poſita viſione contingenter adeoque liberè amor poneretur, ſi iſte contingenter, non neceſſariò, cum viſione connecteretur; ergo non gratis & perperam, ſed valdè conformiter ad ſuprà aſſertam neceſſitatem amoris beatifici ponitur

24\. eſſentialis connexio ipſius cum viſione. Sed contrà: connexio eſſentialis nihil eſt aliud, quàm connexio neceſſaria neceſſitate metaphyſicâ, qualis connexio reperitur inter eſſentiam & metaphyſicam proprietatem, puta inter rationalitatem & riſibilitatem concedo; nihil eſt aliud quam connexio neceſſaria neceſſitate phyſica, qualis connexio reperitur inter naturam & proprietatem phyſicam, vel inter cauſam neceſſariam & effectum puta inter ignem & calorem nego; connexio autem inter viſionem & amorem eſt ſolùm neceſſaria hoc ſecundo modo ideò &c. Et hic occurrit optima noſtri aſſerti confirmatio, poſita enim viſione voluntas non habet majorem neceſſitatem amandi, quàm ignis habeat calefaciendi poſita approximatione, aut intellectus videndi poſito lumine gloriæ; atqui poteſt divinitùs ſuſpendi tùm caloris productio in ſubjecto approximato, ut de facto contigit in fornace babylonicâ; tùm productio viſionis in intellectu illuſtrato lumine gloriæ, ut colligitur ex dictis *tract. 1. lib. 2. c. 1. n. 41.* ergo etiam poteſt divinitùs ſuſpendi amoris productio in voluntate ſupponente viſionem.

Non omnis connexio neceſſaria eſt eſſentialis.

Neque urgeas militare ſpecialem aliquam rationem contrà ſuſpenſionem amoris, quia talis ſuſpenſio eſſet violenta, non minùs quã foret violenta ſuſpenſio caloris in igne, aut ſuſpenſio viſionis, &c. violentia autem, quamvis non repugnet igni & lumini gloriæ aut intellectui non beato, repugnat tamen ſpecialiter beatitudini & voluntati bea-

25\. tæ. Contrà enim violentia repugnat ad ſummum perfectioni & integritati, at non eſſentiæ & quiditati beatitudinis: Deinde ubi datur appetitus innatus & elicitus, non infert violentiam illud, quod eſt præcisè contrà appetitum innatum, non contrà appetitum elicitum; voluntas autem beata ob maximam ſui rectitudinem, & conformitatem cum divino beneplacito, non haberet appetitum elicitum amandi, quando ei innoteſceret Deum negare aliquod requiſitum ad amorem, imò in obſequium divini beneplaciti ſibi complaceret de amoris ſuſpenſione; ideò hæc non eſſet ipſi propriè violenta, ſicuti eſt violenta igni ſuſpenſio caloris in ſententia admittente poſſe creaturam à Deo violentiam pati, quod non eſt extrà controverſiam: Eo modo, quo ſuſtineri poteſt non violenta beato ſuſpenſio amoris, ſuſtineri proportionaliter poteſt non fore violenta beato mala phyſica, quæ ex ſupradictis *num.* 19. poſſunt divinitùs cum beatitudine conjungi.

Suſpenſio amoris non eſt propriè violenta beato.

Probatur ſecundò aſſertum aſſignando duplex requiſitum ad amorem, quod poteſt beatis à Deo negari: Primum ſe tenet ex parte actus ſecundi, & eſt ipſemet divinus concurſus, ſine quo certum eſt voluntatem etiam habentem omnia requiſita ſe tenentia ex parte actus primi non poſſe in amorem erumpere: Secundum ſe tenet ex parte actus primi, & eſt habitus charitatis, quem poteſt Deus auferre ab habente viſionem; tali autem habitu ſublato, & Deo, ut ſupponitur, ipſum per aſſiſtentiam extrinſecam non ſupplente, voluntas non remaneret elevata in ratione potentiæ ad ordinem ſupernaturalem, adeoque remaneret impotens ad amorem beatificum, qui ſupernaturalis eſt, eliciendum, idque confirmatur ex eo, quod communiter dicitur habitus per ſe infuſos, cujuſmodi eſt habitus charitatis, dari ad ſimpliciter poſſe, quod eſt idem, ac dicere ſine ipſis non haberi ſimpliciter poſſe id, ad quod dantur. Porrò poſſe Deum ſtante viſione aut negare proprium concurſum ad amorem, aut auferre habitum charitatis, probatur ex eo, quod nulla ſit aut identitas aut eſſentialis connexio inter viſionem & concurſum ad amorem, inter viſionem & habitum charitatis, nec poſſunt afferri ulla contradictoria, quæ ſequantur ex eo, quòd Deus videnti ſubtrahat proprium concurſum ad amorem, habitumve charitatis. 26.

Deus poteſt beato, aut negare concurſum ad amorē, aut auferre habitū charitatis.

Dubitatur hic: Utrùm habens Dei viſionem ſine habitu charitatis poſſet ex vi viſionis erumpere in amorem Dei naturalem, adeò ut talis amor eſſet eliciendus, etiamſi beatus nulla naturali cognitione Deum attingeret, ſed ſola viſione? Affirmant Scotus *in 1. diſt. 1. q. 4. circà finem*, Lantæa *in 4. tom. 4. diſp. 20. art. 10.* Arriaga *hic diſput. 32. ſect. 5.* Salas *diſp. 7. ſect. 1. n. 10.* aliique plures, cum quibus reſpondetur affirmativè, quia ex una parte ad amorem naturalem non requiritur habitus infuſus charitatis, ex alia parte ſupernaturalis cognitio bonitatis optimè ſufficit pro amore naturali, tùm quia præſtare poteſt perfectiore & eminentiore modo quidquid præſtat cognitio naturalis, & regula generalis eſt ea, quæ intrà eandem rationem formalem ſunt ſuperioris ordinis præſtare poſſe quidquid præſtant ea, quæ ſunt ordinis inferioris, tùm quia fides divina, quæ eſt cognitio ſupernaturalis Dei in via, optimè ſufficit ad amorem naturalem, & peccator cognoſcens Deum 27.

Beatus ſpoliatus habitu charitatis amaret Deum naturaliter.

ſolùm per fidem optimè poteſt Deum amare abſque auxilio gratiæ, adeoque amore naturali.

28\. Dubitatur inſuper: Vtrũ hujuſmodi amor naturalis terminaretur ad Deum etiam ut auctorem ſupernaturalem, an ſolùm ut Auctorem naturalem: item utrùm eſſet neceſſarius, an liber? Reſpondetur ad primũ quod amor ille terminaretur ad Deum etiam ut Auctorem ſupernaturalem; ratio eſt, quia amor ille terminaretur ad totam illam bonitatem, quæ per viſionem proponeretur, per viſionem autem proponeretur bonitas Dei etiam ut Auctoris ſupernaturalis, dummodò ly *ut* reduplicet ſolùm rationem terminativã & quæ attingitur, non rationem motivam & ſub quâ: ſupernaturalitas enim objecti, quatenùs eſt ratio motiva & ſub quâ reſpectu actus, facit objectum concurrere modo ſupernaturali ad actum, qui modus concurrendi nequit exerceri niſi reſpectu actus ſupernaturalis. Eadem verò ſupernaturalitas, quatenùs eſt ratio purè terminativa non ſupernaturalizat actum; nec actus ſupernaturalis ac naturalis tales ſunt præcisè ex objecto terminativo, ſed ex objecto motivo; & ſicuti viſio eſt ſupernaturalis etiam reſpectu objecti naturalis, quia medium & motivum, quo in naturale objectum tendit, ſupernaturale eſt; ità amor etiam circà objectum ſupernaturale poteſt eſſe naturalis, ſi tendat in ipſum ut movens concurſu & modo naturali.

Etiam ut Auctorem ſupernaturalem.

29\. Reſpondetur ad ſecundum, amorem hujuſmodi naturalem fore neceſſarium: ratio enim, cur voluntas poſita viſione neceſſitetur ad amorem ſupernaturalem, non eſt aut habitus charitatis aut motivum ſupernaturale, ſed carentia judicij indifferentia & eminentia voluntatis habentis prærogativam principij naturalis & liberi; atqui hæc duo permanent etiam ſublatis habitu charitatis & ratione motiva ſupernaturali, ergo iſtis ſublatis remanet ſufficiens ratio, cur voluntas neceſſitetur ad illum amorem, quem poteſt elicere, ſcilicet ad amorem naturalem.

Etiam ut neceſſariò.

Dubitatur tandem: Vtrùm etiam de facto ſequatur ad viſionem ſimul cum amore ſupernaturali amor Dei naturalis. Arriaga (apud quem ſolùm dubitationem hanc reperio) *hic diſp.* 52. *ſect.* 5. *num.* 23. affirmat, & probat tùm à paritate ſcientiarum naturalium, quæ conceduntur beato *ex cap. præced.* §. 3. tùm ex eo quòd in ſtatu beatitudinis homo ponitur rectus non ſolùm ſecundùm ordinem gratiæ; ſed etiam in naturalibus; rectitudo autem naturalis non videtur eſſe poſſe ſine naturali amore.

30\. Nihilominùs reſponderem non ſequi de facto ad viſionem amorem naturalem Dei ſimul cum amore ſupernaturali; ratio eſt quia ex una parte amor ſupernaturalis ſufficienter correſpondet illi toti amabilitati, quæ per viſionem in Deo relucet, & ſicuti viſio repræſentat bonitatem Dei, etiam ut Auctoris naturæ, ità eandem etiam bonitatẽ amor ſupernaturalis attingit; ex alia parte amor naturalis habet in beato cognitionem ſibi magis proportionatam, ad quam ſequatur, cognitionem ſcilicet naturalem, habebunt enim beati eam totam Theologiam naturalem, quæ de Deo haberi poteſt ex principiis naturæ, quamvis non eam, quæ à nobis in via habetur ex principiis fidei. Ad fundamentum Arriagæ dico paritatem ſcientiarum naturalium, & rectitudinem hominis naturalem, probare quidem admittendum eſſe in ſtatu beatitudinis amorem Dei naturalem, at non quod talis amor debeat immediatè ſequi ad viſionem, & habere pro objecto Deum ut viſum; imò ſicuti ex vi luminis gloriæ habetur ſolùm viſio, non cognitio aliqua naturalis, licèt hæc detur in beatis; ità ex vi viſionis habebitur ſolùm amor Dei ſupernaturalis, non amor naturalis, licèt hic pariter detur in beatis.

Datur de facto in beatis amor naturalis Dei, at non ſequens ad viſionem.

---

§. IV.

Vtrùm amor beatificus ſit ſpecie diverſus ab amore ſupernaturali viæ?

Aſsert. Amor beatificus eſt ſpecie diverſus ab amore ſupernaturali viæ. Ità Scotus *in* 3. *diſtinct.* 31. §. *Quod arguitur*, & *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 5. §. *Aliter poteſt dici.* Henricx *p.* 3. *tract.* 1. *diſput.* 11. *q.* 3. Eſparza *hic lib.* 3. *q.* 4. *art.* 7. Amicus 2. 2. *diſp.* 26. *ſect.* 4. *n.* 92. Arriaga 2. 2. *diſp.* 35. *ſect.* 4. *num.* 58. aliique plures contra Vaſquez 1. 2. *diſp.* 2. *c.* 2. & *diſp.* 195. *n.* 19. Suarium 2. 2. *tract.* 3. *diſp.* 3. *ſect.* 3. Gonetum 2. 2. *diſput.* 10 *art.* 4. *n.* 76. & alios nonnullos præſertim ex Thomiſtis, ex quibus tamen Cajetanus & Ferrarienſis pro noſtro aſſerto referuntur ab Arriaga *num. præcit.* Nec mirum eſt Thomiſtas non convenire in hoc puncto, in quo non ſatis conſtat de mente S. Doctoris, utpotè qui 1. 2. *q.* 67. *art.* 6. favet unitati & 2. 2. *q.* 24. *art.* 7. *ad* 3. favet diverſitati amoris viæ & Patriæ; unde etiam ab utriuſque partis Auctoribus in propriam ſententiã trahitur. 31.

Amor Patriæ & amor viæ differunt ſpecie.

Non conſtat de mẽte, D. Thomæ.

Adverte diverſitatem ſpecificam amoris beatifici ab amore viæ ab aliquibus probari primò ex eo, quòd amor beatificus ſit eſſentialiter gaudium ſeu ſit indiſtinctus à gaudio, non ſic amor viæ: Secundò ex eo, quòd amor beatificus habeat cauſam efficientem ſpecie diverſam ab amore viæ, ille ſcilicet habeat pro cauſa efficiente viſionẽ, iſte fidem: Tertiò ex eo, quia amor beatificus ſit neceſſarius, amor viæ ſit liber. Verùm hæ probationes ſunt ſecundùm nos invalidæ & falſis ſuffultæ principiis. Prima probatio, ut ſuprà attigi *n.* 1. malè identificat amorẽ beatificum cum gaudio: Secunda malè tribuit cognitioni efficientiã in actus voluntatis, ad quos ſuppono cognitionẽ concurrere ſolùm dirigendo potentiam, & applicando objectum: Tertia malè ſupponit liberum & neceſſarium eſſe differentias eſſentiales voluntarij, adeoque omnem actum neceſſarium differre ſpecie ab actu libero. Hiſce probationibus rejectis aliter aſſertum 32.

Rejiciuntur nonnullæ probationes.

Probatur

Bonitas quæ amatur in viâ, & in patriâ eſt eadem ſolùm materialiter.

33. Probatur primò: Amor beatificus eſt amor bonitatis divinæ clarè viſæ, amor ſupernaturalis in via eſt amor bonitatis divinæ obſcurè cognitæ; ergo amor beatificus eſt ſpecie diverſus, &c. antecedens ab omnibus Theologis conceditur conſequentia probatur: bonitas divina clarè viſa, & bonitas divina obſcurè cognita, quamvis ſint materialiter una & eadem bonitas, formalis tamen ratio, ſecundùm quam movent voluntatem eſt diverſa, & bonitas clarè viſa movet ſecundũ plures particulares rationes bonitatis, ſecundùm quas non movet bonitas obſcurè cognita; per fidem enim hic in via nobis non exprimuntur illa omnia Dei attributa illæque omnes perfectiones, quæ exprimuntur per viſionem in Patriâ, & quæ hic nobis innoteſcunt ſunt intrà determinatum numerum, quæ manifeſtabuntur in patria veriſimiliter erunt innumera, ut colligi poteſt tùm ex dictis *tract.1. lib.1. cap.3.n.6.* tum ex eo, quod teſte Arriaga *ſect.4. pracit. num.61.* refertur in vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, fuiſſe ſcilicet ei aliquando per ſpecialem revelationem manifeſtata multa divina attributa, de quibus nec ſummi Theologi tractant.

34. Hinc facilè corruit potiſſimum fundamentum Adverſariorum probantium unitatem ſpecificam amoris viæ & patriæ ex eo, quod ratio boni, quæ amatur, ſit eadem; & cognitio diverſa, utpotè quæ eſt pura conditio & applicatio objecti, non principium efficiens aut ſpecificans amorem, nequeat inferre diverſitatem amoris. Corruit, inquam, quia bonitas, quæ amatur eſt materialiter ſolùm, non formaliter eadem; & cognitio quamvis ſecundùm ſe ſit pura conditio, quãdo tamen applicat diverſam bonitatem, non ratione ſui, ſed ratione diverſæ bonitatis applicatæ poteſt reddere amorem diverſum; accedit quòd *ex ſequenti §.* conſtabit viſionem reſpectu amoris beatifici non eſſe puram conditionem.

Cognitio eſt pura conditio reſpectu amoris.

Dices: Imò è contrà bonitas, quæ amatur in via & in patria ſi eſt diverſa; talis eſt materialiter ſolùm, non formaliter; nam ratio formalis amandi eſt ratio divini & infiniti boni, reſpectu cujus materialiter ſe habet in pluribus vel paucioribus prædicatis ſeu attributis relucere; & ſicuti viſio corporea non eſt diverſa ex eo, quod videat eumdem colorem in pluribus vel in paucioribus ſubjectis; ità ſimiliter, &c. Sed contrà: attributa & prædicata divina quaſi ſpecie differunt in ratione divini & infiniti boni, ideò rationem communem divini & infinita boni trahunt ad formalem diverſitatẽ, non verò ſolùm materialiter quodammodò dividunt, ſicuti materialiter ſolùm dividitur, non quaſi ſpecie diverſificatur, albedo ex eo, quod in pluribus ſubjectis collocetur: Corroboratur hæc doctrina; quia eo modo, quo eſt eadem ratio divini & infiniti boni in omnibus divinis prædicatis, eſt pariter in ipſis eadem ratio divini & infiniti veri; atqui hoc non impedit, quin eſſent ſpecie etiam Theologica diverſæ viſiones,

35.

quarum una plura, alia pauciora prædicata divina attingeret ex dictis *tract 1. lib.2. c.6. num.10.* ergo neque illud impedit, quin ſint de facto ſpecie diverſi actus amoris in viâ, & actus amoris in patriâ; cum iſte de facto in plura, ille in pauciora divina prædicata feratur.

36. Probatur ſecundò: Amor viæ quantumvis creſcat non poteſt adæquare perfectionem amoris beatifici; ergo amor viæ differt ſpecie ab amore beatifico; ſi enim non differret ſpecie exceederetur ab amore beatifico ſolùm in pefectione intenſiva, quam ſicuti amor viæ poteſt habere majorem & majorẽ in infinitum, ità poſſet habere tantam, quantam amor beatificus, imò etiam excedere perfectionem amoris beatifici, quin de facto aliquis viator haberet perfectiorẽ Dei amorem, quàm aliquis beatus, quia licèt in eadem Perſona de facto amor patriæ ſemper ſit intenſior amore viæ, in diverſis tamen Perſonis facilè contingit amorem viæ eſſe intenſiorem amore patriæ idque eſſe ſententiã communiſſimam ait Arriaga *ſect.4. pracit. num.69.* Probatur antecedens primo ex D. Auguſtino *lib. de ſpir. & litt. cap.36*, dicente *Quis verò exiſtimare audeat, cum eo ventum fuerit quod ut ne cognoſcam ſicut & cognitus ſum, tantam Dei dilectionem fore contemplatoribus eius, quanta fidelibus nunc eſt: aut illo modo hanc illi tanquam de proximo comparandam* (& nonnullis interpoſitis) *procul dubio & ipſa dilectio non ſolum ſuprà quàm hic habemus, ſed longè ſuprà quam petimus, & ſuprà quàm intelligimus, erit*; ubi malè Auguſtinus loqueretur de amore beatifico, tanquam de amore ſuperante omnem comparationem cum amore viæ; omnem item noſtram tùm petitionem, tùm intelligentiam, ſi poſſet ab amore viæ adæquari. Probatur idem antecedens ſecundò ex D.Thomâ 2.2. *q.24.art.7.ad 3.* docente amorem viæ & patriæ comparari inter ſe, ſicut lineam & ſuperficiem, & ſicut linea, quantumcumque creſcat, non attingit quantitatem ſuperficiei; ità amorem viæ numquam attingere perfectionem amoris patriæ. Probatur idem antecedens tertiò, quia amor beatificus, licèt per nos non ſit beatitudo, eſt tamen talis beatitudinis prima proprietas & inſigne cõplementum, incongruum autem eſt viatorem in ſtatu imperfectiſſimo conſtitutum attingere poſſe perfectionem illius actus, qui prima proprietas eſt & inſigne complementum ſummæ beatitudinis.

Amor viæ poteſt eſſe intenſior amore beatifico, at nõ perfectiori aut ipſi æqualis.

Dices amorem viæ, quantumvis creſcat, nunquam evadere inamiſſibilem, & ex hoc capite ſufficienter ſalvari, quod nunquam adæquet amorem beatificum, qui inamiſſibilis eſt, licèt deindè adæquare hunc poſſit vel etiam excedere in perfectione intenſivâ, & ſit cum ipſo ejuſdem ſpeciei. Sed contrà: 37. etiam habitus gratiæ & charitatis in beatis ſunt inamiſſibiles, adeoque ex hoc capite nequeunt à viatore adæquari; & tamen Sancti Patres non docent gratiam & charitatem habitualem viæ adæquare non poſſe gratiam & charitatem habitualem patriæ; ſicuti docent

Inamiſſibilitas non diſtinguit ſufficienter amorẽ patriæ ab amore viæ.

de actu amoris; ergo perfectio, ratione cujus iſte nequit adæquari, non eſt inamiſſibilitas ipſi conveniens ratione ſtatus & ab extrinſeco, ſed eſt aliquid intrinſecum & eſſentiale diverſificans ſpecie amorem patriæ ab amore viæ.

38. Probatur tertiò: Amor beatificus licèt per nos diſtinguatur à gaudio, habet tamen maximam cum gaudio connexionem, ipſumque neceſſariò infert; amor viæ, utpote qui verſatur circà Deum & ſummum bonum ut poſſidendum, deſiderium & ſpem excitat; undè etiam de charitate viæ loquitur Apoſtolus 1. *Cor.* 13. dicens, quòd *omnia ſperat* atqui gaudium ſpecie differt à ſpe, ergo etiam amor beatificus, ad quem per ſe ſequitur gaudium, ſpecie differt ab amore viæ, ad quem per ſe ſequitur ſpes.

Amor patriæ infert gaudium, amor viæ, ſpem.

Dices: Si amor patriæ & amor viæ differrent ſpecie ex eo, quòd inferant actus ſpecie diverſos, etiam habitus charitatis in patria & habitus charitatis in via differrent ſpecie, quia per nos in patria & in via concurrunt ad actus amoris ſpecie diverſos; id autem dici non poſſe evincitur tùm ex 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*, quod cum per nos nequeat intelligi de charitatis actu, debet ſaltem verificari de charitatis habitu; tùm ex eo, quod poſita diverſitate ſpecifica in habitu charitatis, eſſet etiam ponenda in habitu gratiæ, quæ aut non diſtinguitur à charitate, aut maximè aſſimilatur

39. charitati. Sed contrà: dico habitus infuſos, cujuſmodi eſt charitas, imitari potentias, ideò ex genere ſuo concurrere poſſe ad actus ſpecie diverſos; & quidquid ſufficit ad diverſitatem ſpecificam actuum, ſicuti non ſufficit ad diverſitatem ſpecificam potentiarũ, ità nec ſufficere ad diverſitatem ſpecificam habituum infuſorum: Ideò concedo libenter eſſe ejuſdem ſpeciei habitum charitatis in via & in patria, & de charitate habituali procedere verba illa 1. *Cor.* 13. quæ tamen poſſunt etiam aliquo modo minùs proprio intelligi de charitate actuali, quatenùs hæc non evacuatur ſicuti fides, ſed tranſit in aliũ actum, qui licèt ſpecie differat, eſt tamen propriè charitas; cum fides tranſeat in viſionem, quæ nullatenùs dici poteſt actus fidei, imò fidei maximè opponitur.

Charitatis habitus in viâ & in patriâ eſt ejuſdem ſpeciei.

---

§. V.

Vtrùm Amor beatificus ſit de ſolo Deo an etiam de Dei viſione; ſeu utrùm ſit amor amicitiæ, an etiam concupiſcentiæ?

40. ASSERT. Amor beatificus eſt, tùm de Deo ut bono in ſe, tùm de Dei viſione & de Deo ut bono videnti, ſeu eſt tùm amicitiæ tùm concupiſcentiæ. Colligitur hoc aſſertum ex D. Thoma *hic q.* 11. *art.* 3. *ad* 3. & in ipſo conveniunt (licèt aliqui expreſsè ſolùm loquantur de delectatione & gaudio, non de amore; de quo tamen eadem quoad hoc, imò potior, eſt ratio, cum gaudium beatificum, prout eſt actus à voluntate elicitus, ad amorem ſequatur, & juxtà nonnullos ab amore non diſtinguatur) Vaſquez *hic diſp.* 15. *cap.* 3. Amicus *diſp.* 2. *ſect.* 13. Salas *diſp.* 7. *ſect.* 1. & 2. Oviedus *controv.* 7. *punct.* 1. Arriaga *diſp.* 52. *ſect.* 6. Eſparza *l.* 3. *q.* 4. *art.* 2. Gonet *diſp.* 4. *art.* 3. Madernus *q.* 3. *art.* 5. aliique magis communiter contra Durandum *in* 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. *& in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 5. volentem objectum proximum delectationis, & per conſequens etiam amoris in patria eſſe ſolam viſionem: Item contrà Cajetanum 2. 2. *q.* 17. *art.* 5. Paludanum *in* 4. *diſt.* 49 *q.* 4. *art* 2. Gregorium *in* 1. *diſt* 1. *q.* 3. *art.* 1. & quoſdam alios docentes objectum delectationis & amoris in Patriâ eſſe ſolùm Deum, viſionemque ſe habere præcisè ut conditionem. Contrà hanc utramque opinionem Aſſertum

Amor beatificus eſt tùm amicitiæ tùm concupiſcentiæ.

Probatur primò: Amor beatificus eſt amor finis ultimi; ſed finis ultimus conſtituitur ex Deo, & Dei viſione; ergo amor beatificus eſt tùm de Deo, tùm de Dei viſione, ſeu eſt tùm amicitiæ, tùm concupiſcentiæ; major patet, quia ex vi ipſa nominis amor beatificus eſt amor beatitudinis, beatitudo autem & finis ultimus convertuntur ex ſupradictis initio hujus Tractatus; eſt, inquam, amor beatitudinis non quomodocumque, ſed præſentis & beatificantis, cum ſit amor ſecum afferens fruitionem & gaudium de beatitudine: Minor probatur, finis ultimus ſimpliciter & abſolutè conſurgit ex fine *qui* & *fine quo*, beatitudo ſimpliciter & abſolutè ſupponit pro beatitudine objectiva & formali; Deus autem eſt finis *qui* & beatitudo objectiva, Dei viſio eſt finis *quo* & beatitudo formalis, ut ſæpiùs in hoc Tractatu dictum eſt, & terminis valdè expreſſis tradit S. Doctor dum *loco precit.* ait; *Finis dicitur dupliciter: uno modo ipſa res, alio modo adeptio rei; quæ quidem non ſunt duo fines, ſed unus finis in ſe conſideratus & alteri applicatus: Deus igitur eſt ultimus finis, ſicut res, quæ ultimo quæritur; fruitio autem ſicut adeptio hujus ultimi finis: Sicut igitur non eſt alius finis Deus & fruitio Dei; ita eadem ratio fruitionis eſt, qua fruimur Deo, & quâ fruimur divina fruitione.* 41.

Dices hanc doctrinam nimis probare, probare ſcilicet non ſolùm quòd detur in beatis amor, tùm amicitiæ, tùm concupiſcentiæ, verùm etiam quòd uterque amor ſit unus idemque actus, ſicuti enim non eſt alius finis Deus & fruitio ſeu viſio Dei, ità non debet eſſe alius actus amor de Deo & amor de fruitione ſeu viſione Dei, idque etiam ſatis exprimunt verba illa *ità eadem ratio fruitionis eſt quâ, &c.* Non rectè autem dicitur amicitiam & concupiſcentiam in beatis eſſe unum eumdemque actum, quia id eſſet negare in beatis amicitiam perfectam de cujus ratione eſt amicum diligere propter ipſum ſolùm, & ut præcisè bonum in ſe; eſſet item ponere in beatis actum, vi cujus idem ultimus finis ut objectum amoris amicitiæ præferretur amanti, ut objectum amo-

ris

ris concupiſcentiæ poſtponeretur concupiſcenti, quod repugnat. Sed contrà: novum
42. non eſt circà unum eumdemque finem ſimul haberi diſtinctos actus, nihilominùs concedo libenter amicitiam & concupiſcentiam in beatis eſſe unicum actum, quod quidem exiſtimo probari non ex eo, quòd verſentur circà unicum finem; ſed aliunde; nimirum ex eo, quòd inter creaturas velle per concupiſcentiam bona amici ut ſibi utilia eſt contrà perfectionem amicitiæ, quia cum talia bona nequeant eſſe ſimul utilia amico & amanti, qui vult ea ut utilia ſibi & propter ſe, deſinit ea velle ut utilia amato & propter amatum. Secùs ſe res habet reſpectu Dei, qui non eſt capax utilitatis paſſivæ ſicuti creatura, propterea ex eo, quod quis velit bona Dei, ut utilia ſibi, non deſinit ea velle propter Deum eo modo, quo ſunt propter ipſum volibilia; ideſt tanquam propter finem utilitatis activæ, & in hoc ipſo, quod eſt amare Deum ut per viſionem bonum ſibi, ità exercetur concupiſcentia, ut exerceri ſimul poſſit amicitia, ſi attendatur & ametur gloria ſeu utilitas activa Dei, quæ relucet & exercetur in eo, quòd Deus ſit per viſionem bonus nobis. Hinc facilè ſolvitur, quod in inſtantia afferebatur contrà unitatem actus ex amicitia & concupiſcentia in beatis conſurgentis, facilè inquã, ſolvitur, quia amor concupiſcentiæ ex mox dictis officit quidem amicitiæ ad creaturam, at non amicitiæ ad Deum, & Deus ut objectum concupiſcentiæ beatificæ non poſtponitur beato concupiſcenti, quia in hoc ipſo quod ſit objectum concupiſcentiæ beatificæ relucet ratio finis ultimi, & amor Dei ut boni in ſe. Doctrinam hanc aliqualiter attigimus *tractat. 1. lib. 3. cap. 3. num 34.* eamdemque latiùs proſequitur Eſparza *hic lib. 3. q. 4. ab art. 2. ad 6. & lib. 6. de Virt. Theol. q. 39. ad 2.*

Amicitia & concupiſcentia in beatis ſunt unicus actus.

Concupiſcentia minuit perfectionem amicitiæ ergà creaturam, auget ergà Deũ.

43. Probatur ſecundò: Beati ex vi viſionis cognoſcunt Deum tùm eſſe ſummum bonum in ſe, tùm eſſe ſummum bonum ſibi ipſis; & ità Deum vident ut cognoſcant ſe Deum videre videantque viſionem ipſam, quâ Deum vident; ergo amant Deum tùm amore amicitiæ, ut ſummum bonum in ſe, tùm amore concupiſcentiæ ut ſummum bonum ſibi ipſis, ſeu amant tùm Deum quem vident, tùm viſionem quâ Deum vident. Ubi adverte obiter, dum dicimus amorem concupiſcentiæ in beatis eſſe de viſione Dei, ſenſum non eſſe quod ſit de viſione ſola non de Deo, ſed quòd ſit de Deo ſimul & de viſione, quatenùs per viſionem Deus fit bonum noſtrum, ut in aſſerto ipſo expreſſimus, & in hoc ſpecialiter habemus adverſarium Durandum; qui contendit Deum nullo modo dici poſſe bonum noſtrum eo, quòd exiſtimet rem ſuppoſito diſtinctam nõ poſſe eſſe bonam alteri, niſi ratione operationis alteri inhærentis, adeoque Deum non poſſe eſſe bonum beatis, niſi ratione viſionis; ſicuti ſol v.g. non eſt bonus frigeſcenti, niſi ratione caloris; quem in ipſo producit. Nihilominus Durandus nimis univerſaliter loquitur, & res ſuppoſito diſtincta, quando per operationem ab altero poſſidetur, ut muſica per auditum, odor per olfactum, Deus per viſionem, eſt alteri bona, non ſolùm ratione operationis, verùm etiam ratione ſui: Exemplum de ſole non eſt ad rem, quia frigeſcens, dum à ſole calefit, calorem dumtaxat poſſidet, non ipſum ſolem.

Impugnatur fundamentum Durandi.

44. Probatur tertiò ſpecialiter quòd amor beatificus, quatenùs eſt amor concupiſcentiæ habeat pro objecto etiam viſionem, probatur, inquam, advertendo, quòd licèt cognitio finis & boni ſoleat eſſe pura conditio in ordine adipſius amorem, id tamen evenit, quia cognitio ſolet præſtare nihil aliud, quàm proponere ſeu manifeſtare objectum voluntati, ut patet in cognitione divitiarum, in cognitione ſanitatis, &c. at verò evenit aliquando; ut cognitio ultrà id; quod eſt objectum manifeſtare, ipſum etiam acquirat ac uniat cognoſcenti, & tunc cognitio emergit è ratione puræ conditionis & induit rationem finis *quo* conſtituentis cum fine *qui* integram ac totalem rationem finis; ideò Cajetanus nimis univerſaliter loquitur, dum abſolutè docet omnem cognitionem eſſe puram conditionem in ordine ad amorem objecti cogniti, & ab hâc regula univerſali excipienda eſt Dei viſio, de quâ maximè verificatur quod ſit finis, *quo* & quòd objectum ſuum non præcisè proponat, ſed ſimul acquirat ac uniat videnti.

Cognitio quando ſit pura conditio & quãdo partiale objectum amoris.

45. Hinc habetur primò, cur beatus amando Deum viſum amet non ſolùm Deum, ſed etiam viſionem? ægrotus autem v.g. amando ſanitatem cognitam, amet ſanitatem ſolùm non cognitionem.

Habetur ſecundò in ſententia collocante beatitudinem formalem in alio actu à viſione, hunc alium actum dicendum eſſe partiale objectũ amoris concupiſcentiæ in beatis, non viſionem; hic enim alius actus eſſet finis *quo*, & acquiſitio ſummi boni, adeoque haberet illos titulos amabilitatis, quos modò habet viſio, & iiſdem tunc viſio careret, propterea etiam tunc viſio eſſet pura conditio reſpectu amoris beatifici.

Habetur tertiò indiſtinctionem amoris amicitiæ ab amore concupiſcentiæ in beatis & prærogativam partialis objecti, non puræ conditionis in viſione repertam corroborare plurimùm *ſuperiori §.* aſſertam ſpecificam diverſitatem amoris beatifici ab amore ſupernaturali viæ, reſpectu cujus ſaltem regulariter loquendo actus fidei ſe habet ut pura conditio, & amor concupiſcentiæ non ſolet eſſe unus & idẽ actus cum amore amicitiæ; undè etiam amor concupiſcentiæ in viâ ſolet eſſe ab habitu ſpei, in patriâ ab habitu charitatis, quemadmodum magis explicabitur *in Tract. de virt. Theol.*

Confirmatur diverſitas ſpecifica amoris beatifici ab amore viæ.

§. VI.

§. VI.

Vtrùm de gaudio beatifico, idem proportionaliter ſentiendum ſit, quod de amore?

ASSERT. De gaudio beatifico idē proportionaliter ſentiendum eſt, quod de amore. Ità communiſſimè omnes illi Theologi, qui beatitudinem formalem collocant in ſolâ viſione; nam qui beatitudinis formalis eſſentiam, aut totaliter, aut partialiter collocant in amore, de hoc diverſimodè ſentiunt ac ſentiant de gaudio, quod non ponunt eſſe beatitudinis conſtitutivum.

Probatur aſſertum, tum ex maximâ connexione & affinitate, quæ reperitur inter amorem quando eſt de objecto præſenti, & gaudium; tum ex eo, quòd gaudium eſt inſigne complementum felicitatis, & perfectio non neganda voluntati in ſtatu perfectiſſimo beatitudinis. Confirmatur diſcurrendo in particulari per ſupradicta de amore, eáque cum proportione transferendo ad gaudium.

Gaudium in beatis eſt neceſſarium etiam quoad exercitium.

Sentiendum igitur primò gaudium beatificum eſſe omninò neceſſarium, nullamque habere neque etiam exercitij libertatē, adeò ut inſuper cum nulla viſione, quæ ſit beatifica, quantumvis deinde diverſa ab ea, quæ de facto datur, haberi poſſit gaudium beatificum non neceſſarium, ſtante enim viſione beatifica deficit indifferentia judicij reſpectu gaudij æquè ac reſpectu amoris, & voluntas eſt determinata ad operandum per modum naturæ in ordine ad gaudium æquè ac in ordine ad amorem. Hinc etiam fit repu-

47\. Nec admittit in beato præceptum ceſſandi.

gnare quòd Deus habenti viſionem beatam imponat præceptum ceſſandi à gaudio beatifico, quod eſt contrà Auctores *num.* 17. & ſpecialiùs contrà Amicum *hic diſp.* 2. *ſect.* 11. *num.* 149. docentem imponi poſſe beato præceptum ceſſandi tum ab amore concupiſcentiæ, & ab amicitiæ, tùm etiam ab omni actu voluntatis circà Deum ex eo, quòd poſito præcepto ceſſandi fiat mutatio objecti, & appareat ut majus bonū ceſſatio illius actus, cujus elicientia ut majus bonum apparebat antè præceptum: Verumtamen hic ſupponitur quod eſt in quæſtione, ſupponitur ſcilicet imponi poſſe præceptū ceſſandi ab actu aliundè neceſſario, quod nos negamus, eodémque modo dici poſſet ſuppoſito præcepto ceſſandi à viſione beatâ apparere ut majus bonum ceſſationem, & beatum ſe determinaturum ad ceſſandum, imò etiam ſuppoſito præcepto non videndi colorem propoſitum apertis oculis eſſe majus bonum talem colorem non videri, ideóque imponi poſſe præceptum, & obligationem ceſſandi à viſione coloris, in quem oculi corporei ſunt cum omnibus requiſitis defixi.

48\. Eſt tamen divinitùs impedibile.

Sentiendum ſecundò gaudium beatificum poſſe divinitùs impediri ſtante viſione imò etiam ſtante amore, ratio eſt quia gaudium beatificum per nos realiter diſtinguitur non ſolùm à viſione, verùm etiam ab amore; & non ſolùm viſio, verùm etiam amor eſt entitas neque poſterior, neque relativa ad gaudium; poteſt igitur Deus ſtante viſione & amore negare concurſum ſuum, aut aliquod aliud requiſitum ad gaudium, & gaudium impedire. Neque dicas, impedito gaudio viſio non eſſet ampliùs delectabilis videnti, aut recreativa ipſius; atqui videtur ex terminis imperceptibile, quod aliquis ſit beatus nullam delectationem, nullámque recreationem percipiendo; ergo viſio Dei ſaltem ut beatifica non poteſt ſtare impedito gaudio.

Contrà enim recolendum *ex lib. præced. c.* 2. 49.
num. 29. viſionem dici poſſe delectabilem & recreativam dupliciter, formaliter ſcilicet & cauſaliter; eſt delectabilis formaliter, quatenùs eſt per ſe ipſam perfectio intellectui convenientiſſima, & quam ſicuti abſentem intellectus maximè appetit, ità de eâdem ſibi conjunctâ maximè delectatur: eſt delectabilis cauſaliter, quatenùs ad ipſam ſequitur actus elicitus gaudij in voluntate; impedito igitur gaudio, quod in præſenti dicimus impedibile, viſio non eſſet ampliùs (ſubintellige in actu ſecundo) delectabilis & recreativa cauſaliter; eſſet tamen adhùc talis formaliter, quod ſufficeret ad hoc ut beatus diceretur delectationem recreationémque maximam percipere, & hanc delectationē, quæ habetur ex viſione formaliter libenter concedimus eſſe beatitudini eſſentialē, ac prorsùs inimpedibilem ſtante viſione.

Et ipſo impedito viſio adhuc eſſet recreativa formaliter.

Sentiendum tertiò gaudium beatificum 50.
eſſe amicitiæ ſimul & concupiſcentiæ; amicitiæ circà Deum ut bonum in ſe, concupiſcentiæ circà Deum ut bonum nobis, & quidem ut bonum nobis tùm ratione ſui, tùm ratione viſionis, eo proportionaliter modo, quo dictum eſt de amore; vndè etiam utrumque gaudiū in beatis eſt unicus actus, ſicuti eſt in iiſdem unicus actus amor amicitiæ & amor concupiſcentiæ, pro quo ſufficit hìc transferre doctrinam §. *præced.*

Eſt amicitiæ ſimul, & concupiſcentiæ.

Quoad diverſitatem ſpecificam gaudij beatifici à gaudio viæ res eſt de ſubjecto non ſupponente, quia gaudio beatifico reſpondet in viâ ſpes & deſiderium; ſi quod tamen gaudium ſupernaturale in viâ habetur circà imperfectam aliquam & inchoatam Dei poſſeſſionem, tùm ex ipſius imperfectione, tùm ex diverſitate ſpecifica amoris, facilè infertur diverſitas ſpecifica talis gaudij à gaudio patriæ.

§. VII.

Quorumnam actuum carentia ad beatitudinem eſſentialem conſequatur in voluntate?

ASSERT. 1. Ad beatitudinem eſſentia- 51.
lem in voluntate conſequitur carentia cujuſcumque odij Dei, ſivè formalis, ſivè virtualis; cujus quidem virtualis odij nomine intelligo actum quemcumque peccaminoſum.

Ad beatitudinē conſequitur carentia cujuſcumque odij Dei.

noſum. Hoc aſſertum conſequitur ad ſupradicta *lib. præced. cap 3. §. 5.* de impeccabilitate beatorum, & de fide eſt, ſicuti ibi *num.* 56. dicebamus de fide eſſe, quòd beatitudo formalis reddat beatos impeccabiles, quod eſt idem ac dicere carentes omni actu peccaminoſo, omnique odio Dei ſivè formali, ſivè virtuali.

Et quidem impedibiliter etiam de potentiâ abſolutâ.

Aſſert. 2. Neque etiam de potentia Dei abſoluta poteſt ad beatitudinem eſſentialem non conſequi carentia cujuſcumque odij, &c. & quando etiam amor impediretur adhùc conſequeretur omninò talis carentia ad viſionem beatam præcisè. Conveniunt in hoc aſſerto omnes Auctores relati *præcit. §. 5. num.* 61. pro impeccabilitate beatorum convenieute ipſis ab intrinſeco, & ex natura viſionis conſideratæ ſecundùm ſe præcisè, habemus hic pariter Adverſarios Auctores ibi relatos contrà impeccabilitatem illo modo explicatam.

Probatur aſſertum breviter. Neque etiam de potentiâ Dei abſolutâ poteſt cum eſſentiali beatitudine, ſeu cum viſione beatâ, conjungi peccatum; ergo neque etiam de potentiâ abſolutâ poteſt ad beatitudinem eſſentialẽ non conſequi carentia cujuſcumque odij Dei, ſivè formalis, ſivè virtualis, quod eſt idem ac dicere carentia cujuſcumque peccati; conſequentia patet quia non poſſe conjungi cum peccato eſt neceſſariò conjungi cum carentia peccati; antecedens ſupponitur ex dictis de impeccabilitate beatorum, & de repugnantiâ, cujuſcumque prorsùs peccati cum viſione Dei.

Dices ex Adamo apud Capreolum *in* 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 3. *art.* 1. poſſe Deum imponere beato præceptum ipſum odio habendi, quâ ratione odium Dei utpotè præceptum, bonum eſſet & non peccaminoſum, & viſio beata quamvis excludens omne peccatum

52. tale odium non excluderet. Sed contra: quoad præceptum odij Dei Adami ſententiam,

Repugnat Deũ præcipere odium ſui ipſius.

quam Amicus *hic diſput.* 2. *ſect.* 11. *num* 145. cõtentus eſt vocare omninò improbabilem, exiſtimo cenſuram multo graviorem mereri, quia apud omnes in confeſſo eſt odium Dei eſſe intrinſecè malum, & quæ talia ſunt nec poſſe ſub legitimum præceptum cadere nec ratione præcepti bona evadere. Beatis deindè ex alio etiam capite tale præceptum repugnat, nimirum ex eo quod odium Dei, etiam præſcindendo ab intrinſecâ malitiâ actus, eſt ipſis impoſſibile, impoſſibile quippè eſt odio habere objectum, in quo nulla appareat ratio mali, ſicuti verè ex vi viſionis nulla ratio mali poteſt in Deo beatis apparere. Nec refert quòd in aliquâ extraordinariâ hypotheſi poſſit Deus beatis apparere vel ut auferens viſionem, vel ut inferẽs dolores acerbiſſimos. Non refert, inquam, quia ex indè appareret beatis leviſſima ad ſummum & imperceptibilis ratio mali, quæ ſicuti ex ſupradictis *num.* 18. & 19. non ſufficeret ad inducendam ceſſationem ab amore, ità multò minùs ſufficeret ad inducendum odium.

53. Aſſert. 3. Ad beatitudinem eſſentialem in voluntate conſequitur carentia cujuſcumque triſtitiæ. Ità Salas *hic diſp.* 7. *ſect.* 7. Arriaga *diſput.* 54. *ſect.* 1. Vaſquez *diſputat.* 14. *cap.* 2. *num.* 10. & *diſputat.* 16. *cap.* 2. *num.* 13. aliique communiter

Ad beatitudinem conſequitur carẽtia cujuſcumque triſtitiæ.

Probatur primò ex Scripturâ. Iſa. 25. *Auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie.* 65. *Non audietur ultrà vox fletus, vox clamoris:* Apocal. 21. *Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà.* Quibus & ſimilibus textibus non obſtat aut quod habetur Iſa. 33. *Angeli pacis amarè flebunt*, aut quod de ſanctis Innocentibus canit Eccleſia *Adhùc ſuſtinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum veſtrorum.* Non obſtat primum, quia juxtà D. Thomam 1. *par. quæſt.* 113. *art.* 7. *ad* 1. nomine Angelorum pacis poſſunt ibi in ſenſu litterali intelligi Nuntij Ezechiæ, qui fleverunt propter verba Rapſacis, in ſenſu allegorico Apoſtoli & Prædicatores flentes pro peccatis hominum; in ſenſu anagogico erit locutio metaphorica, quâ ad exprimendum in Angelis bonis ſimplicem affectũ noſtræ ſalutis, ſive ſimplicemque diſplicentiam noſtræ damnationis, dicuntur amarè flere, eodem loquendi modo, quo de Deo dicitur Gen. 6. quòd *pœnituerit eũ*, quòd fuerit *tactus dolore cordis intrinſecùs.* Non obſtat ſecundum quia ly *ſuſtinete modicum tempus* relatũ ad illa alia verba *vindica Domine ſanguinem Sanctorum tuorum* indicat quidem deſiderium, cujus adimpletio differtur, at jam *lib præced. cap.* 3. *num.* 8. dictum eſt non omne deſiderium inexpletum cauſare triſtitiam ſeu moleſtiam, & in propoſito ſi ly *vindica Sanguinem* idem ſit ac libera; & ſignificetur deſiderium Martyrum in ordine ad reunienda ſibi propria corpora facile patet tale deſiderium nõ afferre triſtitiam, quia eſt appetitus innatus potiùs quam elicitus, & anima ſeparata, ut explicat Lauræa *in 4. tom 4 diſp* 54. *a.* 6. non appetit elicitivè reuniri corpori, niſi pro tempore a Deo conſtituto, univerſalis ſcilicet reſurrectionis, & tunc erit purgata conditio illa *Donec impleatur numerus fratrum.* 54.

Anima beata nõ triſtatur de ſeparatione à corpore.

Probatur ſecundò ratione: Ad beatitudinem eſſentialem in voluntate conſequitur perfectum gaudium; ergo conſequitur carentia cujuſcumque triſtitiæ; patet conſequentia, quia contraria ſe concutiunt, nec ullum contrarium eſt in ſtatu perfecto, quotiea admittit alterius contrarij mixturam; antecedens probatur, tum quia cum ſtatus beatitudinis ſit ſtatus perfectiſſimus, quidquid in ipſo reperitur, habet eſſe perfectum; tum quia habetur Ioan. 15. *Petite & accipietis, ut gaudiũ veſtrum ſit plenum*, & Pſal. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Confirmatur perfectio gaudij beatifici ex magnitudine, inamiſſibilitate, & perfectâ poſſeſſione boni circà quod verſatur.

Hinc exiſtimo beatos de facto omni carere triſtitia non ab extrinſeco, & ex ſpeciali providentiâ Dei triſtitiam omnem impedientis, ut vult Arriaga *hic diſputat.* 54. *num.* 6. Sed ab intrinſeco, & ex naturâ ſeù connaturali exigentia viſionis; quæ ſicuti ex 55.

Carentia triſtitiæ beatitudinẽ ab intrinſeco conſequitur.

natura ſua excitat perfectum gaudium, ità eadem ratione removet omnem triſtitiam: Nec refert occurrere poſſe beatis ſufficientiſſimas triſtitiæ cauſas, vel ex memoria alicujus gravis peccati proprij, vel ex notitia peccatorum, quæ quotidiè in mundo patrantur, vel ex damnatione amicorum, & eorum qui in vita fuerunt ipſis beatis conjunctiſſimi. Non refert, inquam, quia mala enumerata ſunt beatis prorsùs extrinſeca, nullumque ipſis nocumentum afferentia, ideo poſſunt quidem, quia mala ſunt, eſſe objectum ſimplicis diſplicentiæ, at quia non nocent, non poſſunt eſſe cauſa triſtitiæ, quæ non eſt de malo quocumque, ſed de malo noxio ei qui triſtatur; & ſicuti in Deo datur de peccatis diſplicentia abſque triſtitia, ità &c. Accedit quod gaudium vehemens, cujuſmodi eſt beatificum, facilè ex natura ſua retundit vim omnem, quam mala illa habere poſſent ad inferendam triſtitiam, contrarium enim valdè excedens facilè impedit alterius contrarij valdè debilis activitatem.

56\. Aſſert.4. De potentia abſoluta poteſt cum beatitudine eſſentiali conjungi aliqua levis triſtitia, non ſic triſtitia gravis & vehemens.

Beatus eſt capax divinitùs alicujus triſtitiæ levis.

Probatur prima pars: Poſſunt cum beatitudine eſſentiali de potentia abſoluta conjungi mala nocentia ipſis beatis, atqui hujuſmodi mala ſunt proprium objectum triſtitiæ; ergo poteſt cum beatitudine eſſentiali conjungi aliqua triſtitia, non gravis ut in ſecunda parte probabitur; ergo levis: Major habetur ex §.2. *præced. n.* 18. *&* 19. ubi dictum eſt poſſe aut beatis revelari futuram amiſſionem viſionis, aut cum viſione beata conjungi dolores inferni etiam in æternum duraturos. Neque dicas hujuſmodi mala, quamvis beatis noxia & ſecundùm ſe apta ipſos contriſtare, à gaudio beatifico impediri, ne contriſtent: Contrà enim: loquimur hic de potentia abſoluta, ſecundùm quã poteſt cohiberi gaudium beatificum, ne triſtitiæ reſiſtat, imò gaudium ipſum ſuſpendi. Neque urgeas, quamvis poſſit ſuſpendi gaudium beatificum in voluntate, non ſic tamen poteſt ſubtrahi ex ſupradictis *num.* 49. delectatio illa, quam viſio per ſe ipſam præſtat in intellectu, ergo hæc delectatio, quæ utique ſumma eſt ac vehemens, ſemper impediet, ne malum ullum contriſtet. Contrà enim: Delectatio illa, utpotè propria intellectus & intellectum dumtaxat afficiens impediet ad ſummum triſtitiam in ipſo intellectu faciendo quod ex cognitione objecti etiam diſconvenientis & noxij non contriſtetur, at non ſe extendet ad impediendam aliam omnem triſtitiam; cum præſertim exiſtimem ſuſpenſionem gaudij in ipſa voluntate conducere quidem, at non neceſſariò requiri ad hoc ut voluntas poſſit eſſe ſuſceptiva alicujus triſtitiæ.

57\. At non triſtitiæ gravis.

Probatur ſecunda pars: Beati nec de aliquo nocumento levi, nec de aliquo nocumento gravi poſſunt graviter & vehementer de potentia abſoluta triſtari; ergo triſtitia gravis & vehemens neque de potentia abſoluta poteſt cum beatitudine eſſentiali conjungi; antecedens quoad primam partem probatur ex eo, quod triſtitia gravis & vehemens de nocumento levi eſt triſtitia immoderata & inordinata, adeoque mala moraliter, repugnat autem beatis etiam de potentia abſoluta omne malum morale; quoad ſecundam partem infertur ex eo quod ſuprà *num.* 18. *&* 19. dictum eſt revelationem viſionis amittendæ, & dolores ipſos inferni in æternum duraturos eſſe reſpectu videntis Deum mala leviſſima & illativa nocumenti quaſi imperceptibilis comparativè ad emolumentum ac oblectamentum, quod ex Dei viſione percipitur; ſuppoſito autem quod futura viſionis amiſſio, & inflictio dolorum inferni ſint in beatis mala levia, leviterque nocentia, non apparet quonam alio malo poſſit ipſos Deus afficere, quod majus ſit & habere poſſit rationem mali gravis. Confirmatur: Triſtitia eſt de iis, quæ nobis nolentibus accidunt, nec poteſt eſſe gravis & vehemens niſi ſit valida, & quantum eſt de ſe efficax nolitio ejus, quod accidit nobis nolentibus; atqui beatus non poteſt actu valido, & quantùm eſt de ſe efficaci, nolle mala quæ Deus infert, id enim argueret irrectitudinem & difformitatẽ voluntatis beatorum à voluntate divina, quæ quidem difformitas non conſurgit ex nolitione inefficaci, nam in ipſa voluntate divina, quæ certè non poteſt eſſe ſibi difformis reperitur volitio efficax & nolitio inefficax ejuſdem rei; ergo beati circà mala, quibus poteſt Deus illos afficere, ſicuti nequeunt eſſe efficaciter nolentes ità nequeunt eſſe graviter triſtes, licet poſſint eſſe triſtes leviter, quemadmodum poſſunt eſſe nolentes inefficaciter.

58\. Triſtitia gravis ſupponit nolitionem efficacem objecti contriſtantis.

59\. Quinam habitus virtutum dentur in animâ beatâ.

Pro complemento eorum, quæ eſſentialem beatitudinem ex parte voluntatis comitantur, ſupereſſet explicandum, quinam virtutum habitus in voluntate beata aut de novo infundantur, aut ex iis, qui in via præceſſerunt, remaneant? at quia hoc ſupponit diſtinctam notitiam cujuſcumque virtutis in particulari, eſſet in præſenti valdè implexa, & hujus loci minùs propria talis diſſertatio: Solet id opportuniùs præſtari, aut in propriis tractatibus de virtutibus, dum agitur de ipſarum ſubjecto; aut in tractatu de Incarnatione, dum quæritur quænam virtutes fuerint in Chriſto Domino? Solùm adverto in univerſum concedendos eſſe voluntati beatæ virtutum habitus, tùm ſupernaturales, tùm etiam naturales eadem proportionaliter ratione, quâ *cap. præced.* intellectui beato aſſerimus concedendas, tùm ſupernaturales, tùm etiam naturales ſcientias.

CAPUT III.

De iis, quæ beatitudinem eſſentialem conſequuntur ex parte Animæ, nimirum de Dotibus, Aureolis, & fructibus.

SIcuti anima eſt quodammodo commune ſubjectum, atque principium intellectus & voluntatis, ità intelligimus ſe tenere ex parte animæ ea, quæ nec ad intellectum, nec ad voluntatem ſeorſim pertinent, ſed ſunt utrique communia, quatenùs utrique afferunt aliquam perfectionem, ſivè deindè recipiantur in ſubſtantiâ animæ ut ſuo modo diſtincta ab intellectu & voluntate, ſivè non; & in hoc ſenſu ex parte animæ ſe tenere dotes, Aureolas, fructus ex ſequentibus paragraphis apertè conſtabit, interim ut in tribus enumeratis prærogativis faciliùs explicetur *Quid rei* expedit prius explicare *Quid nominis.*

1. Dos ex vi nominis quid ſignificet? Præmitto propterea primò nomen hoc *Dos* ex ſua primaria & propria ſignificatione importare id, quod ad ornatum & ad ſuſtinenda onera matrimonij datur ſponſæ, hinc uſurpatione latiſſima quidquid ornat & perficit, quidquid vel naturæ vel gratiæ donum eſt, dos nuncupatur; in hoc ſenſu felix ingenium, eloquentia, prudentia, pulchritudo, robur, &c. dotes ſunt, & hominem talibus præditum bene dotatum dicimus; uſurpatione deindè minùs lata, & majorem ſervante analogiam ad primariam; & propriam ſignificationem, nomen dotis importat ſpecialia dona, quæ tribuuntur animæ tanquam ſponſæ ratione ſpiritualis matrimonij inter ipſam & Chriſtum Dominum, cujus quidem matrimonij celebrantur quodammodo in via ſponſalia, unio enim animæ cum Chriſto per fidem & charitatem deſponſatio dici poteſt juxtà illud Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in fide* & 2. Cor. 11. *Deſpondi enim vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*; ejuſdemque habetur perfectio & conſummatio in patriâ, ingreſſus enim in beatitudinem eſt traductio quædam ſponſæ in domum ſponſi, & conjunctio beatifica inter animam & Chriſtum perpetuitate ſua tribuit indiſſolubile vinculum ſpirituali connubio; undè etiam ſolùm in patriâ anima dotes recipit, quia in matrimonio carnali ſolùm quando ſponſa in domum ſponſi tranſeunte connubium perficitur dos dari conſuevit ex l. Dotis ff. de jure Dotium. Ecce igitur tres acceptiones hujus vocis. Prima dici poteſt civilis ſeu juridica: Secunda naturalis ſeu phyſica: Tertia ſupernaturalis ſeu theologica, & hæc ſola eſt hujus loci propria.

Sumitur tripliciter.

2. Aureola ex vi nominis quid? Præmitto ſecundò nomen hoc, *Aureola*, (pro quo à nonnullis, quos imperitiæ notat Salas *hic diſput.* 8. *ſect.* 3. *n.* 5 ſæpe ponitur *Laureola* quæ vox à Laurea derivatur & ſumitur pro corona triumphali) eſſe diminutivum ab *Aurea*, & idem ſonare ac Auream coronulam, ſeu parvam coronam Auream; ſicuti autem corona Aurea in Scriptura ſæpe ſignificat beatitudinem eſſentialem, undè de quolibet Martyre canit Eccleſia *corona aurea ſuper caput ejus* & de viginti quatuor ſenioribus ſupra thronos in Cœlo ſedentibus habetur Apocalyp. 4. *in capitibus ſuis corona aurea*, ita Aureola rectè uſurpatur ad ſignificandũ ſpeciale quoddam præmium accidentale tanquam diminutivum beatitudinis eſſentialis. Quod etiam clariùs indicari videtur *Exod.* 25. dum in labio menſæ propoſitionis præcipit Deus fieri *coronam interraſilem auream altam quatuor digitis, & ſuper illam alteram coronam aureolam*; ubi communiter menſa propoſitionis ſumitur pro figura æternæ beatitudinis, corona aurea pro præmio eſſentiali, corona aureola pro præmio accidentali quod quaſi eſſentiali ſuperadditur, ſicuti ibi corona aureola præcipitur ſuperimponi coronæ aureæ fit inſuper mentio coronæ aureolæ *Exodi* 30. & 37. utrobique importat ornamentum quoddam circumdans altare thymiamatis, ſicuti in patria privilegium quodlibet beatitudinis accidentalis eſt ornamentum quoddam, & complementum beatitudinis eſſentialis.

Præmitto tertiò ex verbis illis Gen. 3. *De fructu lignorum veſcimur, de fructu vero ligni quod eſt in medio Paradiſi, &c.* inferri, quòd hoc nomen *fructus* ex primæva ſua inſtitutione ſignificet ultimum quoddam arboris bonum & terminum virtutis ejus, hujuſmodi bonum fortè, quia ſuave eſſe ſolet, adeoque guſtabile & fruibile, fructus nominatur, & hinc (miſſis aliis ejuſdem nominis acceptionibus, quas videre eſt apud Lauræam *in* 4. *tom.* 4. *diſp.* 22. *art.* 4. *n* 90.) tranſlatum eſt nomen *fructus* ad ſignificandum ſpecialem quamdam fruitionem, quam habent nonnulli beati præ aliis; occaſione etiam hujuſce tranſlationis deſumpta ex parabola Chriſti Domini *Matth* 13. de ſeminibus cadentibus in terram bonam, & afferentibus fructum centeſimum, ſexageſimum, trigeſimũ: 3. Fructus ex vi nominis quid?

Undè dividi poteſt fructus in naturalem & Evangelicum; naturalis eſt fructus acceptus ſecundùm primævã vocabuli inſtitutionem, Evangelicus eſt fructus acceptus ſecundùm ſignificationem tranſlatitiã & diviſus in centeſimum, ſexageſimum, trigeſimum; & hic fructus, tanquã ſpectans ad præſens inſtitutum, in hujuſce capitis calce explicabitur. Sumitur dupliciter.

Præmitto quartò & ex jam præmiſſis infero Dotes, Aureolas, fructus non ſumi in Theologia ſecundum primævam & propriã vocabulorum ſignificationem, ideò in explicando, quid quoad rem ſignificent? poteſt facilè excitari levis momenti & vocale diſſidium; cui ut occurrant Theologi ſolent ſobriè has beatorum perfectiones percurrere & Theologorum hâc in re ſobrietati favet S. Doctor hic in quæſtionibus de beatitudine Dotes, Aureolas, fructus omninò præ- 4.

termittens, quamvis fortè ſicuti de illis egetat in fine quarti libri ſententiarum *diſt.49. q.4.& 5.* ita ea reſervaret ad finem ſummæ, quam morte præventus non perfecit, undè etiam ſupplementum tertiæ partis hæc inter cætera ſupplet agendo de dotibus & Aureolis *q.95. & 96.* His præmiſſis ſit

---

§. I.

Quid, & quot ſint Dotes Animæ beatæ?

5. Dos animæ, beatæ quid? ASSERT. I. Dos animæ beatæ eſt perpetuus ornatus animæ in æterna beatitudine jugiter perſeverans. Ità D. Thomas *in 4. diſt.49. q.4. art.1. in c.*

Probatur ex analogiâ, quam habet dos animæ beatæ ad dotem, quam ſolet ſponſa recipere in matrimonio carnali, cui quidem doti duo potiſſimùm conveniunt; primum eſt, quod perpetuò & inamiſſibiliter ad ſponſam pertinent adeò ut ad ipſam ſoluto matrimonio dos revertatur, licet durante matrimonio dotis uſus concedatur marito: Secundum eſt, quod ſponſam ornet ad hoc ut decentiùs ſponſi domum introeat & ſponſo cōjungatur; atqui hæc duo expreſsè importantur per priores illas particulas *eſt perpetuus ornatus animæ*, per particulas deindè poſteriores *in æterna beatitudine jugiter perſeverans* ſignificatur hujuſmodi ornatum non ſpectare ad matrimonium aliquod carnale, ſed omninò ſpirituale, ſicuti omninò ſpiritualis eſt æterna beatitudo; ergo allata definitio rectè explicat dotem animæ beatæ per analogiam & ſimilitudinem dotis, quæ ſolet tribui cuilibet ſponſæ carnale conjugium contrahenti.

Dices hanc analogiam eſſe valdè imperfectam, & longè plura diſconvenientiæ, quàm convenientiæ capita occurrere inter ornatum illum animæ beatæ, & dona quæ rationem habent dotis in humano conjugio; in hoc enim dos inſervit ad ſuſtinenda onera matrimonij, in æterna beatitudine nulla ſunt onera, dos datur à patre ſponſæ, vel ab iis, qui ex parte ſponſæ ſe tenent, illa quæ ornant animã beatam dantur à Chriſto ſponſo vel ab æterno Chriſti Patre; dos ſoluto matrimonio remanet ſub dominio ſponſæ, anima beata ſi à beatitudine dimitteretur ornatum ſuum amitteret; ergo malè definitur & malè explicatur dos animæ beatæ per analogiam ad dotem ſponſæ carnale matrimonium ineuntis, & magis aptè explicaretur per habitudinem ad dotem latiùs acceptam pro omni eo, quod ornat & perficit.
6. Sed contrà: quia ex unâ parte debemus quantùm poſſumus uti vocibus in câ ſignificatione, ſecundùm quam magis accedunt ad propriam ac primævam inſtitutionem, & quando dotes animæ beatæ explicarentur abſque analogia ad carnale connubium intercluderetur aditus aſſignandi ternarium talium dotium numerum potiùs, quam numerum quemcumque majorem; ex alia parte nullum ſimile eſt idem, imò quando ſimilitudo ponitur cum analogia importat ex conceptu ſuo aliquid diverſum; non impugnatur igitur analogia à nobis intenta ex eo, quod probetur aliqua diverſitas, quam tamen tantam in re non admitto, quantam objicit inſtantia; ad cujus primam partem dico dotes per ſe inſervire ad id, quod efficiunt, ſcilicet ad ſolatium matrimonij, quod quidem optimè reperitur etiam in connubio ſpirituali æternæ beatitudinis; per accidens deinde & conſequenter inſervire etiã ad ſuſtinenda onera matrimonij, ubi talia onera reperiuntur; ſicque ex hoc capite dotes ſponſæ carnalis collatæ ad dotes animæ beatæ magis conveniunt, quam diſconveniunt; quia conveniunt in eo, quod eſt per ſe; diſconveniunt in eo, quod eſt per accidens: *Solvuntur aliquæ rationes contrà explicationem Dotum.* Ad ſecundam rationem obſervat D. 7.
Thomas *in 4. diſt.49. quæſt. 4. art.1. ad 2.* dotes glorioſas dari à Patre animæ ſponſæ, non ſponſi Chriſti, quia Pater Chriſti eſt ſola prima Perſona; dotes verò, utpotè effectus ad extrà, dantur à tota Trinitate; à quà etiam indiviſibiliter tanquam à Patre anima producitur. Deindè non eſt omninò novum, quamvis ſit minùs frequens, ſponſam à ſponſo dotari, idque in humanis aliquando fit vel in pœnam, vel propter inæqualitatem conditionis, vel propter eximium affectum ſponſi; & propter has duas poſteriores rationes rectè poſſet concedi à ſponſo, ſeu à ſponſi Patre, dotari animam beatam. Ad tertiam rationem concedo differre ſponſam carnalem ab anima beata, quòd illa ſoluto matrimonio dotem retineat, iſta amittendo beatitudinem dotes amitteret; at ſicuti per accidens & miraculoſum eſt, quòd anima ſemel beata amittere poſſit beatitudinem, ità diſconvenientia hinc proveniens eſt valdè accidentalis & extrinſeca, cum præſertim illud, quod ſe habet per ſe, ſcilicet perpetua dotis poſſeſſio, meliùs reperiatur in anima beata, quàm in ſponſa carnali.

Aſſert. 2. Tres ſunt dotes animæ beatæ, 8.
ſcilicet Viſio, Comprehenſio, Fruitio; & *Dotes animæ beatæ quot & quæ?*
ex his comprehenſio nomine tenſionis, fruitio nomine delectationis ab aliquibus exprimitur. Hoc aſſertũ, quatenùs præcisè aſtruit ternarium dotium numerum, communiſſimè recipitur; non ſic quatenùs dotes ipſas enumerat & recenſet in particulari, nam Richardus loco comprehenſionis conſtituit in ternario dotium ſecuritatem; D. Bonaventura loco fruitionis dilectionem ponit; Paludanus & Altiſiodorenſis eamdem dilectionem ſtatuunt loco comprehenſionis; cōtrà quos, alioſque nonnullos aſſertum dotium numerum etiam ex parte rei numeratæ tradunt D. Thomas *1.p.quæſt.12.art.7.ad 1. hic q.4. art.1. in 4. diſt.49. q.4. art.5.* Ioannes à S.Thoma *hic diſp.2.art.8.* Gonet *diſp.5. art.1. §.1.* Salas *diſp.8. ſect.1. num.11.* Vaſquez *diſp.17. cap.2.* Madernus *q 3. art.13. n.6.* aliique plures.

Probatur aſſertum, pro quo licèt nonnulli ad ſuadendum quaſi in abſtractu, & præſcindendo à re numerata, ternarium do- *Ternarius dotiũ numerus in*

tium

abſtracto parùm efficaciter probari poteſt. tiom numerum afferant primò perfectionem numeri ternarij: Secundò ternarium divinarum perſonarum, à quibus dotes anima recipit: Tertiò ternarium naturarum, divinitatis ſcilieet, animæ & carnis in Chriſto ſponſo: Quartò ternarium virtutuin Theologicarum, quibus aliquomodò dotes correſpondent: Hæc tamen, aliaque hujuſmodi, non ſunt niſi leves congruentiæ & non poteſt meliùs ſuaderi eſſe tres nec plures nec pauciores dotes animæ beatæ, quàm oſtendendo tribus enumeratis perfectionibus, & nulli alij, prærogativam dotia convenire, quod ſie præſto: ex ſuprà aſſerta definitione dotis infertur ad hanc duo potiſſimùm requiri, nimirùm quòd ſit ornatus perpetuos & conceſſus ſolùm in Patriâ, id eſt tempore ingreſſus in domum ſponſi: item qoòd talis ornatus concedatur in ordine ad ſponſum & ot ſponſa decentiùs ſponſo conjungatur juxtà illud Apocal. 21. *paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, id eſt pro viro ſuo; atqui hæe duo optimè conveoiant viſioni, comprehenſioni, fruitioni; & non conveniunt ulli alij; ergn verè tres ſunt dotes animæ beatæ ſcilicet viſio, comprehenſio, fruitio:

9. Minor quoad primam partem ſuadetur ex eo, quòd viſio, comprehenſio, fruitio habent perpetuitatem & non dantur extrà patriam, ſeu ante ingreſſum in patriam; item verſantur circà Deom immediatè, maximéque conjungunt Chriſto ot ſponſus divinus ac cœleſtis eſt, & per conſequens conceduntur animæ beatæ in ordine ad Chriſtum ſponſum, ut illa huic decentiùs conjungatur: Seio fieri poſſe aliquam difficultarem circà viſionem vel ex eo, qoòd non diſtinguatur à comprehenſione, & ſic nequeat eſſe dos à comprehenſione diverſa; vel ex eo quòd ſit beatitudo eſſentialis, & ſic debeat potiùs dici matrimonij ſpiritualis conſummatio, quàm dos: Verùm huie difficultati ſatisfaciemus infrà *num.* 12. & 14. poſtquam traditum fuerit in quonam formaliter conſiſtant viſio & comprehenſio, prout habent rationem dotis.

10. Duplex perfectionum genus in beatis. Minor eadem quoad ſecundam partẽ probatur, quia aliæ perfectiones, qoæ poſſunt conſiderari in anima beata, quædam ſunt communes viæ & patriæ ot gratia, charitas, virtutes infuſæ, gratiæ gratis datæ, & id genus alia; quædam conceduntur ſolùm in patriâ or ſpeciales illuſtrationes & revelationes conſequentes beatitudinem eſſentialem, accidentalia quædam gaudia, aureolæ, fructus, &c. ſed neutræ ex his perfectionibus habent prærogativas dotium reſpectu animæ beatæ; non perfectiones primi generis, qoia eo ipſo, quòd ſunt cõmunes viæ & patriæ, nee ſunt ex natura ſua perpetuæ, nee dantur ſolùm in ingreſſo beatæ patriæ; non perfectiones ſecundi generis primò, quia verſantur circà aliquid creatum, adeoque non dantur immediatè in ordine ad ſponſum, & ad conjunctionem com ipſo; ſecundò quia ſubſequuntur beatitudinem eſſentialem & conſummationem ſpiritualis matrimonij, dotia autem largitio talem conſummationem præcedit, quia diſponit ad conjunctionem cum ſponſo; unde etiam in humanis ſi quid datur ſponſæ poſt conſummationem matrimonij, dicitor ſponſalitia largitas, non dos.

Superſunt à nomero dotium excludendæ ſecuritas & dilectio, quarum ſpecialiter meminimus in aſſerto. Excluditur ſecuritas, qoia hæe ſive ſumatur ex parte intellectus; quatenùs dicit firmum judicium de beatitudine non amittenda; ſive ex parte voluntatis, quatenùs dicit perfectam quietem à timore, eſt quid poſterius beatitudine eſſentiali, & conſummatione ſpiritualis matrimonij; nec dici poteſt dotem ſecuritatis conſiſtere in habitu, quo voluntas conſortetur ad eliciendum ſecuritatis actum, & qui beatitudine eſſentiali ſit prior; dicĩ, inquam, id non poteſt, quia talis habitus eſt apud Theologos innominatus, & ad actualem voluntatis ſecuritatẽ nullatenùs prærequiſitos, quia hæc ſecuritas vel eſt pura quies & ceſſatio à timore, non actus elicitus; vel ſi eſt actus elicitus, poſito firmo judicio de beatitudine non amittenda, voluntas in ordioe ad ipſum eliciendum nullam habet aut improportionem aut difficultatem, ratione cujus indigeat ab habitu confortari. Excloditur dilectio, quia hæe ſompta pro actu eſt beatitudine eſſentiali poſterior, ſumpta pro habitu eſt commonis ſtatui viæ, ut iterùm attingemus infrà *n.* 17. 11. Inter dotes nec ſecuritas recenſenda eſt. Nec dilectio.

---

§. II.

Vtrùm dotes animæ beatæ habitus ſint, an actus?

ASSERT. Dotes animæ beatæ meliùs dicuntur eſſe habitus, quàm actos. Ità D. Thomas *in ſupplem. q.* 95. *art.* 2. *in c.* & *ad* 3. Ioannes à S. Thoma *his diſp.* 2. *art.* 8. *num.* 11. Gonet *diſput.* 5. *artic.* 1. *num.* 9. Madernus *q.* 3. *artic.* 13. *num.* 9. &c. contrà Vaſquium *diſput.* 17. *cap.* 2. *num.* 12. Salas *diſput.* 8. *ſect.* 1. *num.* 5. Oviedoni *controv.* 7. *num.* 10. &c. 12. Dotes animæ beatæ ſunt habitus.

Probatur: Dicendo dotes animæ beatæ eſſe habitus meliùs explicatur, tùm diſtinctio & prioritas ipſarum comparativè ad beatitudinem eſſentialem, tùm analogia earondem comparativè ad dotes in humanis: ergo dotes animæ beatæ meliùs dicuntur, &c. Probatur antecedens quoad primam partem, viſio & comprehenſio quatenùs ſunt actus ſolùm per rationem, & penes diverſos reſpectus diſtingui poſſunt à beatitudine eſſentiali in ipſomet actu viſionis à nobis collocata; fruitio quatenùs eſt actus diſtinguitur quidem realiter à beatitudine eſſentiali, at eſt ipſa poſterior: Ex alia parte viſio, comprehenſio, & fruitio, quatenùs ſunt habitus id eſt, qoatenùs ſumuntur in actu primo & habitualiter, realiter diſtinguuntur à beatitudine eſſentiali, eandemque ſimplieiter præcedont; ergo dicendo dotes animæ beatæ eſſe habitus meliùs explicatur ipſa-

rum diſtinctio & prioritas, &c. Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, quia in humanis nunquam operatio ſponſæ in dotem computatur, & illam ſponſa per ſe ipſam elicit, hanc ab alio recipit; deinde dos ſignificat præcipuas divitias & facultates ſponſæ; ſecundùm nos autem habitus in patria ſunt perfectiores actibus, & per conſequens habitus non actus ſunt præcipuæ divitiæ & facultates animæ beatæ: ergo dicendo dotes animæ beatæ eſſe habitus meliùs explicatur ipſarum analogia, &c.

13. Dices: non datur in anima beata aliquis habitus correſpondens comprehenſioni & fruitioni, qui poſſit eſſe dos; ergo ſaltem dotes comprehenſionis & fruitionis non poſſunt conſiſtere in habitu, & ad ſummum viſio, quatenùs dos poterit collocari in habitu luminis gloriæ quod ipſi ſpecialiter correſpondet; probatur antecedens, ſi datur aliquis hujuſmodi habitus eſt maximè reſpectu comprehenſionis habitus luminis, reſpectu fruitionis habitus charitatis; atqui neutrum dici poteſt, non primum tùm quia comprehenſio ſicuti eſt dos diſtincta à viſione, ità ſuppoſito quòd in habitu collocetur, debet collocari in habitu diſtincto ab eo, in quo conſiſtit dos viſionis, non debet igitur collocari in habitu luminis; tùm quia lumen gloriæ eſt habitus ſpectans ad intellectum, comprehenſio autem eſt dos voluntatis, ut colligitur ex D. Thoma 1.2.*q.*4.*art.*3. *ad* 2. dicente *ſicut ad voluntatem pertinet ſpes & amor, ità etiam comprehenſio & delectatio*: Non poteſt etiam dici ſecundum, quia habitus charitatis non eſt dos & potiùs dici poteſt arrha ſponſalium, quæ in hac vita celebrantur, quàm dos matrimonij, quod conſummatur in alia vitâ. Sed contrà: Dico dotem comprehenſionis in habitu luminis, dotem fruitionis in habitu charitatis utroque habitu accepto ſecundùm quædam ſpecialia munera eſſe collocandam.

14. Habitus luminis eſt dos tùm viſionis, tū cōprehenſionis.

Ad primum, quod in inſtantia affertur contrà habitum luminis, non debet videri difficilius, quòd per nos viſio in actu primo, & comprehenſio in actu primo, ſint unus & idem habitus & tamen ſint duæ dotes; quàm quòd per Adverſarios collocantes dotes in actibus viſio in actu ſecundo, & comprehenſio in actu ſecundo, ſint unus & idem actus, & etiam per ipſos ſint duæ dotes; fatendum igitur non debere neceſſariò quamlibet dotem entitativè & realiter ab alia diſtingui; ſed ſufficere quòd diſtinguatur ratione per diverſos reſpectus & per ordinem ad diverſa munera; ſic idem habitus luminis, prout conducit ad Deum ut eſt in ſe cognoſcendum, denominatur dos viſionis; prout conducit ad Deum perfectè poſſidendum, dos comprehenſionis; imò ſecundùm Arriagam *hic diſput.* 55. *ſect.*5. *n.*4. denominatur etiam dos delectationis, ſeu fruitionis, prout conducit ad voluptatem & oblectationem illam, quam *ex cap. præced. num.* 49. viſio per ſe ipſam formaliter intellectui affert, quâ in re nihil aliud diſplicet, niſi quod inde fieret nullam animæ dotem recipi in voluntate, cum tamen juxtà communem Theologorum ſenſum tales dotes partim intellectui inſint, partim voluntati.

Ad ſecundum, quod affertur contrà habitum luminis, nego abſolutè comprehenſionem eſſe dotem voluntatis, & licet non ſumatur hic comprehenſio prout eſt cognitio adæquans totam objecti cognoſcibilitatem, ſed prout eſt objecti poſſeſſio & aſſecutio, tamen comprehenſionem etiam ità ſumptam ſpectare ad intellectum, non ad voluntatem, tradidimus *lib. præced. c.*2. *n.*4. 18. 19. 35. &c. ubi ſpecialiter *num.*19. explicatum eſt, quomodò intelligendus S. Doctor in textu ab Adverſariis relato ad probandum comprehenſionem pertinere ad voluntatem: Non ſolum autem comprehenſio, quæ eſt dos, ad voluntatē non ſpectat tanquam actus ipſius, ſed neque tanquam relatio quædam voluntatis ad Deum factum præſentē vi viſionis; ratio eſt, quia hujuſcemodi relatio, ſive rectè dicatur comprehenſio, ſive non, ſaltem, quidquid in contrarium cum quibuſdam etiam Thomiſtis doceat Vaſquez *hic diſput.*17. *c.*2 *n.*10. non rectè dicitur comprehenſio prout comprehenſio eſt dos, de cujus ratione eſt non ſubſequi beatitudinem eſſentialem & conſummationem ſpiritualis matrimonij, ſicuti ſubſequitur relatio illa, utpotè quæ eſt ad Deum viſum. 15.

16. Habitus charitatis eſt dos fruitionis.

Ad illud, quod in inſtantia affertur contrà habitum charitatis, dico ipſum ſub ea ratione, ſub quâ datur in via, verè dotem non eſſe & ad ſponſalia potiùs quàm ad matrimonium pertinere, quatenùs tamen dicit ſpecialem habitudinem ad actum fruitionis, & animam diſponit ad habendam in Deo vitam jugiter delectabilem eſſe propriū patriæ, & ut conjunctum cum tali habitudine obtinere rationem dotis. Si urgeas: ſuprà *n.*11. excluſimus à dotibus dilectionem, etiā ſumptam pro habitu, quia habitus charitatis eſt communis viæ, atqui cum per nos *ex cap. præced.* §. 4. dilectio patriæ differat ſpecie à dilectione viæ, dici poſſet habitū charitatis, quatenùs importat ſpecialem habitudinem ad dilectionem, ſeu amorem patriæ, eſſe proprium patriæ, ſicuti hic dicimus eundem habitum eſſe proprium patriæ, quatenùs importat ſpecialem habitudinē ad actum fruitionis: ergo vel non eſt tribuenda habitui charitatis dos fruitionis, vel addenda dotium ternario, eidemque charitatis habitui tribuenda dos dilectionis. Contrà eſt: ſi 17. aliundè probaretur dilectionem eſſe dotem, poſſet utique hoc modo in habitum charitatis refundi; at dum id aliundè non probatur, & ex alia parte habitudo ad amorem etiam ſpecie diverſum non adeò diverſificat habitum charitatis in patria ab habitu charitatis in via, ſicuti diverſificat habitudo ad fruitionem, major eſt ratio dicendi habitum charitatis cum habitudine ad amorem quamvis ſpecie diverſum eſſe communem viæ & patriæ, idéoque non eſſe dotem, quàm dicendi eſſe pariter communem, ideoque non eſſe dotem, ſumptum cum habitudine ad fruitionem.

18. Ex dictis habetur illuſtriorē & potiorem ornatum, in quo dotes animæ beatæ conſiſtunt eſſe lumen gloriæ; hoc enim præbet animæ ornatum duarū dotium, præbet item ornatum maximè proprium ſtatus beatifici, & proximè conducentem ad conjunctionē cum ſponſo, & ad conſummationem beati connubij; jure propterea dum *Apocal.* 21. cœleſtis ſponſa eximiè ornata & dotata deſcribitur fit ſingularis ac ſplendida mentio prædicti luminis verbis illis *veni & oſtendam tibi ſponſam, uxorem agni* (nonnullis interpoſitis) *habentem claritatem Dei, & lumen ejus ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi jaſpidis, ſicut chryſtallum*, quæ quidem verba non leviter aſſertum noſtrum corroborant, & valdè ſuadent potiſſimas animæ dotes eſſe in habitu luminis collocandas.

Præcedentis aſſerti confirmatio ex ſcriptura.

---

§. III.

Quid, & quot ſint Aureolæ in Beatis?

19. Aureola in beatis quid?

ASSERT. 1. Aureola in beatis eſt accidentale præmium conceſſum quibuſdam operibus habentibus rationem victoriæ excellentis. Ità D. Thomas *in 4. diſt.* 49. *q.* 5. *art.* 1. *in c. & in ſupplem. q.* 96. *art.* 1. *in c.* D. Bonaventura *in* 1. *diſt.* 4.. *p* 2. *q.* 3. aliique Theologi communiſſimè contrà nonnullos, quorum meminit S. Doctor *locis præcitatis*, docentes ipſummet præmium eſſentiale, quod eſt *Aurea*, quatenùs Virginibus, vel Martyribus, vel Doctoribus redditur, Aureolam nominari.

Probatur & explicatur: Certum eſt dari in beatis tùm præmium eſſentiale ſitum in eſſentiali formalique beatitudine, tùm præmium accidentale ſitum in ſpecialibus prærogativis ſuperadditis eſſentiali beatitudini; Porrò præmium eſſentiale corona dicitur, vel aurea, ut jam præmiſimus *num.* 2. idque quia corona eſt ſignum regiæ dignitatis, & ratione figuræ circularis ſymbolum perfectionis, de beatis autem dicitur Apocal. 5. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes*, & ſtatus beatitudinis ſtatus eſt omnigenæ perfectionis; item quia, & hæc ratio præſenti intento maximè quadrat, corona pugnæ reſpondet ac victoriæ juxtà illud 2. Tim. 2. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*, in quolibet autem merito pugna agitur & victoria aliqua reportatur, difficultas ſcilicet aliqua vincitur; hinc quodlibet accidentale præmium comparativè ad præmium eſſentiale coronula dici poteſt, & aureola; & in hoc ſenſu, ut advertit S. Doctor *in 4. diſt.* 49. *q.* 5. *art.* 1. *in c.* ipſa gloria corporis interdum aureola nominatur: quia deinde, præter communem rationem pugnæ & victoriæ in quolibet opere meritorio repertam, dantur aliqua opera habentia ex ſua propria conditione ſpecialem pugnæ arduitatem, victoriæque excellentiam, præmium accidentale hiſce operibus correſpondens, & coronæ aureæ præmij eſſentialis ſuperveniens majori ſtrictiorique jure aureolæ prærogativam ſibi vendicat; & hoc modo ſumitur hic aureola, in hoc ſenſu procedit aſſerta aureolæ definitio, quam quidem legitimam eſſe ex hac ipſa explicatione innoteſcit. Nec audiendi ſunt qui nomen aureolæ tribuunt præmio eſſentiali, hi enim aureolam ab aurea non diſtinguunt, quod malè conſonat non ſolùm communi Theologorum & ſanctorum Patrum ſenſui, verùm etiam Scripturæ, quæ malè diceret aureolam aureæ ſuperponi, ſi aureola ab aurea non diſtingueretur.

Præmium eſſentiale non poteſt dici aureola.

20. Aſſert. 2. Tres ſunt Aureolæ in beatis; datur ſcilicet Aureola pro Virginibus, Aureola pro Martyribus, aureola pro Doctoribus. Ità D. Thomas *in 4. diſt.* 49. *q.* 5. *art.* 3. aliique Theologi & ſancti Patres communiter.

Aureolæ in beatis quot & quæ?

Probatur primò ex Scriptura, in qua Aureola Virginum colligitur *ex Apocal.* 14. ubi habetur *Et cantabant quaſi canticum novum*, item, *& nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra: Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt.* Aureola martyrum ex Apocal. 7. *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & unde venerunt? Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, &c.* Aureola Doctorum ex Daniel 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quæ quidem loca, ſi minùs ex terminis, ſecundùm quos facilè poſſunt ſubeſſe diverſis explicationibus, ſaltem ex communi auctoritate, quâ aureolis applicantur, efficacia ſunt ad probandum intentum; quod etiam poteſt validè confirmari ex ſanctis Patribus, quorum inſignes pro ſingulis aureolis ſententias refert Lamæa *in 4. tom.* 4. *diſp.* 22. *art.* 2.

21. Probatur ſecundò ratione: Tria ſunt operum genera, in quibus maximè poteſt excellens victoria relucere, & talium operum genus ad Virgines alterum, alterum ad Martyres, alterum ad Doctores pertinet: ergo tres ſunt aureolæ in beatis, datur ſcilicet aureola pro Virginibus, pro Martyribus, pro Doctoribus; conſequentia patet, quia juxtà præaſſertam aureolæ definitionem tot rectè conceduntur aureolæ, quot aſſignantur genera operum victoriæ excellentis: antecedens probatur, quia ſive conſiderentur opera ex parte hoſtis, de quo victoria refertur; ſive ex parte principij & ſubjecti, à quo & in quo victoria exercetur, ad tria genera ex utroque capite reducuntur; triplex quippè eſt hoſtis, qui vincitur Caro, Mundus, diabolus; de carne triumphant Virgines ſtimulos illius & illecebras retundendo, de mundo triumphant Martyres contrà omnes mundanas poteſtates dimicando, & mortem etiam ſuſtinendo pro Chriſto; de diabolo triumphant Doctores diabolicas impugnationes & inſidias tum in ſe ipſis tùm in aliis per doctrinam, & prædicationem eludendo: Triplex pariter eſt potentia, qua victoria exer-

Explicantur tria genera operum exigentium aureolas.

cetur;

cetur; victoria quippè carnis à Virginibus obtinetur per continentiam in concupiſcibili, victoria mundi à martyribus per mortis tolerantiam in iraſcibili, victoria diaboli à Doctoribus per notitiam & notificationem veritatis in rationali.

22. Afferuntur rationes dubitandi pro majori aureolarũ numero.

Afferri hic poſſunt variæ rationes dubitandi pro multiplicando aureolarum numero; de carne enim non minùs triumphant viduæ, quàm Virgines, cum illæ quandoque vehementiores, quàm iſtæ, carnis ſtimulos & titillationes patiantur: de mundo egregiè triumphant religioſi omnia illius bona & commoda à ſe abdicantes: de dæmone triumphant Confeſſarij & Magiſtri ſpirituales humanas conſcientias contrà tartarei hoſtis aſtus inſtruentes, & piis ac ſalutaribus monitis roborantes; ſicque pro Viduis, Religioſis, Confeſſariis videntur admittendæ aureolæ; nec difficile eſt alias ſimiles congruentias adinvenire pro ſuadendis in ordine ad alia perſonarum & operum genera aliis aureolis. Quibus omnibus reſpondendum nos ſuſtinere tres aſſertas aureolas, tanquam communiter admiſſas & victoriis excellentioribus reſpondentes; nec propterea negamus dari alia opera ſecum ferentia ſpeciales victorias, & referentia ſpecialia præmia accidentalia: Vtrùm deinde hæc præmia dici debeant aureolæ, an non? quæſtio eſt de nomine, utpotè quæ pendet à modo ſtrictiùs vel latiùs uſurpandi nomen aureolæ, & quia in iis, quæ ſpectant ad modum loquendi expedit ſentire cum pluribus, crediderim non quodlibet accidentale præmium reſpiciens opera ſpecialis victoriæ dici debere aureolam, ſed illud ſolùm, quod reſpicit opera victoriæ ex genere ſuo excellentioris, quæ quidem commodè ſuſtineri poteſt eſſe ſolùm triplex, præſertim ſi conſulatur textus D. Thomæ *in 4. diſt. 49. q. 5. art. 3.* afferentis & ſolventis leviores etiã inſtantias contrà aureolarum ternarium; in hoc igitur ſiſtendo diſcurro per ſingulas aureolas, & ſubjicio magis in particulari perſonas, quibus conveniunt.

23. Quinã veniant nomine Virginũ, quibus debetur aureola.

Aureola Virginum debetur illis omnibus & ſolis, qui habent in fine vitæ virginitatem mentis & corporis, & decedunt cum hoſtis oppugnantis victoriâ; per virginitatem mentis intelligo cum D. Thoma *art. præcit. in reſp. ad 1. quæſt.* propoſitum ſervandi perpetuò virginitatem contrà nonnullos votum requirentes, ſed malè; quia ex pari voluntate poteſt ſervare virginitatem non vovens, ac vovens, per virginitatem corporis intelligo carnis integritatem, quæ per ſolam corruptionem voluntariam amittitur, non per involuntariam ſeminis effuſionem in ſomno, v. g. aut per copulam coactam. Hinc fit primò non deberi virginitatis aureolam decedentibus ante uſum rationis; in iſtis enim virginitas eſt ſine pugna, adeoque etiam ſine victoriâ; eſt corporis tantum, non mentis, naturalis, non voluntaria: Item decedentibus cum voluntate nubendi, quamvis ſervaverint corporis integritatem, & ex hoc capite frigidi etiam & Eunuchi, qui voluntatẽ habeant ducendi uxorem ſi poſſent, carent virginitatis aureolâ, quâ non carerent, quoties decederent cum propoſito ſervandæ perpetuæ incorruptionis etiamſi haberent facultatem coëundi. Fit ſecundò non amitti virginitatis aureolam per ſtuprum violentum, unde rectè Lucia Tyranno exprobabat, *ſi invitam juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*: Non item amitti, aut per animum peccandi contrà caſtitatem, aut per propoſitum nubendi retractatum tamen ante mortem; quamvis enim virginitas corporis ſemel voluntariè amiſſa non poſſit reparari, reparari poteſt virginitas mentis, & ſufficit quod in fine vitæ reperiatur, ut tradit D. Thomas *loco præcitato*.

24. Quinã veniant nomine martyrum, quibus debetur aureola.

Aureola Martyrum debetur illis omnibus & ſolis, qui, ſaltem ſi adulti ſint, & voluntate & nece aut ſecuta aut naturaliter ſecutura martyrium ſubeunt pro Chriſti fide, vel explicita vel implicita; intelligo ſubire martyrium voluntate illos qui in agone martyrij habent virtuale ſaltem, ſive habituale propoſitum moriendi pro fide Chriſti; intelligo ſubire martyrium nece ſecuta illos, qui in agone ipſo moriuntur, ſive mors unico, ut ita dicam, ictu illicò infligatur, ſive variis afflictationibus, cruciatibus, & ærumnis diu protrahatur; intelligo ſubire martyrium nece naturaliter ſecutura illos, quibus lethale vulnus infligitur, licèt deindè mors fuerit ſupernaturaliter & miraculosè impedita; intelligo tandem ſubire martyrium pro fide Chriſti implicitâ illos, qui moriuntur pro Catholica Chriſti Eccleſia ejuſve immunitate, imò pro quacumque veritate & virtute chriſtianâ, ac ſupernaturali. Ex his 25.
habetur primò non deberi martyrij aureolã martyri tantùm in voto, & licèt martyrium in voto comparativè ad præmium eſſentiale tanti ſit valoris, quanti martyrium in re; non ſic comparativè ad accidentale præmiũ aureolæ: Non debetur item adulto dormienti, in odium fidei occiſo, qui nullam antecedentem habuerit voluntatem moriendi pro Chriſto, ad martyrium enim requiritur mors aliquo modo voluntaria ſaltem in adultis, ſaltem, inquam, in adultis, quia quoad eos, qui nondum pervenerunt ad uſum rationis res eſt controverſa, & ad negandã defectu mortis voluntariæ prærogativam martyrij etiam nondum habentibus uſum rationis in odium fidei occiſis propendet D. Thomas *art. 3. præcit. in reſp. ad 2. quæſt. ad 12.* docens in innocentibus pro Chriſto occiſis, aut acceleratum fuiſſe uſum rationis, adeoque non defuiſſe voluntatem moriendi pro Chriſto, aut non reperiri aureolam martyrij, niſi ſecundùm aliquam participationem eo modo, quo admitti poteſt in decedẽtibus ante uſum rationis aureola virginitatis; præciſa hac auctoritate libentiùs cum Amico *hic diſput. 2. ſect. 15. n. 178.* Arriaga *diſp. 53. n. 21.* & aliis concederem occiſis pro Chriſto ante uſum rationis veram prærogativam martyrij, & perfectã aureolam, ſicuti enim iſtis, non verò adultis, mors pro Chriſto non voluntaria

Occiſi pro Chriſto ante uſum rationis, utrùm ſint verè Martyres?

ſufficit

ſufficit ad gratiam ex opere operato & ad præmium eſſentiale, ità nil mirum quod iiſdem, non verò adultis, ſufficiat ad martyriū & aureolam ipſius; de virginitate etiam diverſa eſt ratio, quia ex opere operato nihil præſtat, & in decedentibus ante uſum rationis, ſicuti nihil confert ad præmium eſſentiale, ità nec ad propriam aureolam: Non debetur tandem martyrij aureola militibus pugnantibus contrà Infideles, & in pugna occiſis, hi enim ſe defendunt & volunt potiùs occidere, quā occidi; eadem ferè ratione non debetur morientibus in obſequio peſte laborantiū, hi enim volunt quidem ſe exponere mortis periculo, at non volunt poſitivè mori; deinde non deſunt pro hac re rationes validiores, nimirum quia iſtis mors non infertur ab extrinſeco & in odium virtutis, undè etiam cōtrà tribuentes Martyrio per peſtem propriam rationem, & privilegia martyrij per ſanguinem, emanavit decretum Congregationis Indicis ſub die 11. Martij anni

Martyrium per peſtem non eſt verum martyrium.

26. 1647. Habetur ſecundò è contrà deberi martyrij aureolā non ſolùm pro Chriſto occiſis, verùm etiam lethaliter vulneratis, aut aliter conſtitutis in ſtatu, in quo non poſſent naturæ viribus mortē vitare, ſic Eccleſia ut martyrem veneratur D. Ioan. Evangeliſtā eo quod fuerit à Tyranno in ferventis olei dolium immiſſus, licet miraculosè illæſus evaſerit: Debetur itē illis, qui aut nullo aut levi accepto vulnere pro Chriſto moriuntur in carceribus aut in exilio, inedia, vel ærumnis confecti, ſic Eccleſia ut martyres veneratur Marcellum, Ioannē primum, Sylveriū, Pontianum, & alios nec ferro nec igne occiſos, nec aquis præſocatos, & de hujuſmodi viris intelligendi ſunt nonnulli ſancti Patres docentes eſſe ſimpliciter & abſolutè dicendos martyres illos, in quibus non voluntas martyrio, ſed voluntati martyrium defuit; utrùm verò eſſet inter Martyres aureola dignos enumerandus is, qui pro Chriſto levi accepto vulnere domi ſuæ liber moreretur vi talis vulneris propria incuria etiā venialiter culpabili neglecti, affirmare non audet Arriaga *hic diſp.* 55. *n.* 19. affirmat tamen Angelicus

27. *loco pracit. ad* 7. Debetur tandem martyrij aureola etiā occiſis pro fide & religione ante Chriſti adventū in lege veteri, cum enim fuerit in lege veteri fides implicita in Chriſtum, occiſi in tali lege pro religione rectè dicuntur mortui pro fide implicita Chriſti, quod ſufficit ad ſalvandam conditionem ex D. Thoma neceſſariò ad martyrium requiſitam, mortem ſcilicet eſſe ſuſceptam propter Chriſtum quia Martyrem non facit pœna ſed cauſa; hinc jure in Eccleſia ut Martyres coluntur Machabæi.

Ante Chriſti adventū fuerunt aliqui veri Martyres.

28. Aureola Doctorum debetur illis omnibus & ſolis, qui ex motivo virtutis actu docent res ad ſalutem & pietatem pertinentes; per motivum virtutis intelligo præcipuè motivum miſericordiæ & charitatis, prædicare enim & docere ad charitatem & ad ejus filiam miſericordiam ſpectant, unde etiam inter ſpirituales eleemoſynas computantur; per actu docere intelligo exercitium docendi, quod certè interruptionem aliquam non excludit, & etiamſi omninò ceſſet, dummodò per notabile tempus duraverit, ſufficit; per res ad ſalutem & pietatem pertinentes intelligo omnem ſacram ſpiritualem & moralem doctrinā. Hinc fit primò non deberi Doctoratus aureolam iis, qui habent quidem Doctoris aut Magiſtri gradum at actu non docent, corona enim datur certanti & vincenti actu: non item debetur docenti aut ex motivo humano puta lucri, vel vanæ gloriæ, aut res purè humanas ut Philoſophiam, Medicinam, Mathematicam, Ius civile, &c. fit ſecundò non amitti aureolam per hoc, quòd quis aut Doctoris gradū titulumve non habeat, aut non doceat ex officio, dummodò re vera doceat ſervando præallatas conditiones, ſic de Seraphico Franciſco in officio ſui ordinis canitur *meruit aureolam, dum docuit*; & tamen ipſe non fuit Doctor graduatus; ij etiam, qui nec Epiſcopatum nec curam animarum gerunt ex officio non concionantur, & tamen rectè cōcionando obtinent Doctoratus aureolam: Eandem obtinent non ſolum Scripturæ ſacræ Interpretes, Theologi ſcholaſtici, Caſuiſtæ, ſive ſcripto, ſive verbo doceant; ſed veriſimiliter etiam Confeſſarij, Magiſtri ſpirituales, & ſuperiores Religionum ſubditos ſuos rectè inſtruentes.

Quinā venerantur nomine Doctorū, quibus debetur aureola.

Ex dictis infertur plures ſanctos omni carere aureola, aliquos verò non unica aureola inſigniti: Primum, præſertim poſtquā Tyrannorum in Chriſti membra ardor deferbuit, verificatur de majori parte eorū, qui ſalvantur, & id etiam exigit natura ſpecialis & privilegiati præmij: Secundum conſtat ex eo, quòd Eccleſia agnoſcit geminatas aureolas virginitatis & martyrij in multis virginibus; martyrij & Doctoratus in omnibus Apoſtolis; Doctoratus & Virginitatis in Bernardo, Thoma Aquinate, Antonio Patavino, &c. omnes verò tres aureolas celebrat & commendat in Ioanne Evangeliſta, item in Ioanne Baptiſta, in cujus feſto propterea canit exprimendo Doctoratum, Virginitatem, martyrium ſub fructuum ternario. 29.

Quinā ſancti habeant plures aureolas.

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quoſdam,
Trina te fructu cumulata centum
Nexibus ornant.

Nec mihi præterire fas eſt mei ordinis Patronum & Anteſignanum Paulū Apoſtolum, quem in Doctoratu & martyrio excelluiſſe certo certius eſt, floruiſſe autē etiam Virginitate ex ſanctis Patribus Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Theodoreto, Theophilacto, Gregorio Nyſſeno, oſtendit noſter Sigiſmūdus Laurēti *in libro de Pauli Apoſtoli virtutibus* italicè conſcripto *tit.* 5. Multò minùs præteritem Deiparam Virginē, niſi controverſum eſſet de aureola præſertim martyrij, quam licèt Deiparæ concedat Lauræa *in* 4. *tom.* 4. *diſp.* 22. *art.* 3. *n.* 74. negant tamen Amicus *hic diſp.* 2. *ſect.* 15. *num.* 180. & Herincx *diſp.* 2. *q.* 7. *n.* 44. quia qui ipſius animā doloris gladius in filij morte pertrāſierit, nō fuit ab extrinſeco ut requiritur ad martyriū: Negāt eidē aliqui aureolā virginitatis, eo quod ob carētiā fomitis nullā ſuſtinuerit pugnā in continendo; reſpondet tamen S. Doctor *art.* 5. 30.

Paulus Apoſtolus tribus aureolis inſignitus?

De B. Virgine controvertitur.

præcit. in reſp. ad q. 1. *ad* 2. quamvis non habuerit pugnam per tentationem à carne, habuiſſe pugnam per tentationem ab hoſte, idque ſufficere ad virginitatis aureolam: De aureola etiam Doctoratus anceps eſt Amicus *num. præcit.* quia ex una parte 1. *Tim.* 2. habetur *docere mulieri non permitto ſed eſſe in ſilentio*, à quâ lege non conſtat fuiſſe exemptam B. Virginem hæc ex alia parte ab Anſelmo dicitur Magiſtra Apoſtolorum, quibus & Eccleſiæ veriſimile eſt ipſam manifeſtaſſe plures inſignes veritates à filio acceptas.

---

§. IV.

In quonam formaliter conſiſtant Aureolæ?

31. Duo præcipui modi explicandi aureolas.

ASSERT. Duo ſunt celebriores & potiores modi explicandi in quonam formaliter conſiſtant aureolæ. Primus eſt conſiſtere in ſpeciali gaudio accidẽtali, quod beati habent de operibus illis, quibus excellentes victorias in via reportarunt: Ità D Thomas *in* 4. *diſtinct.* 49. *q.* 5. *art.* 1. *in c.* Gonet *hic diſp.* 5. *art.* 3 *n.* 51. Madernus *q.* 3. *art.* 14. *n.* 3. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 3. *dub.* 5. *n.* 41. Lauræa *in* 4. *tom.* 4. *diſp.* 22. *art.* 5. *n.* 11. &c. Secundus eſt conſiſtere in ſigno quodam, ſeu charactere ſpirituali beatis impreſſo expreſſivo excellẽtis victoriæ. Ità Salas *hic diſp.* 8. *ſect.* 3. *n.* 66. Amicus *diſp.* 2. *ſect.* 15. *n.* 183. Herincx *diſp.* 2. *q.* 7. *n.* 43. Leſſius *lib.* 2. *de ſummo bono, c.* 21. &c. Vterque dicendi modus probabilis eſt, ſecundus tamen aliquantulùm probabilior.

32. Tres alij modi minùs præcipui.

Dixi *celebriores & potiores modi* ut innuerem non deeſſe alias quaſdam hac in re opiniones. Prima eſſe poteſt dicentium aureolas conſiſtere formaliter in præmio eſſentiali ſeu viſione Dei, quatenùs datur titulo virginitatis, vel martyrij, vel Doctoratus: hanc opinionem jam ſuprà rejecimus *n.* 19. Secunda dicentiũ conſiſtere in aliquo ſpeciali decore & ornamento indito toti corpori glorioſo vel alicui ſpeciali parti ipſius: Sed hæc opinio rejicitur, quia hoc modo beati carerent aureolis uſque ad univerſalẽ corporum reſurrectionem & animæ quæ tamen in reportandis victoriis corpori præcelluerunt, aureolas victoriis reſpondentes non haberent; deindè ut mox *n.* 36. tradetur ſpecialis ille corporis decor eſt quid conſequens aureolas. Tertia Suarezij, ad quem ex parte accedit Arriaga *hic diſp.* 53. *n.* 16. dicentis aureolam in Doctoribus futurã ſpecialẽ ſcientiam infuſam, in virginibus ſpecialem conjunctionem localem cum Chriſto ad laudes ejus canendas, in Martyribus ſplendorem eximium vulnerum & cicatricum: Sed hæc opinio rejicitur quoad aureolam Doctorum, quia ex ſupradictis *c.* 1. omnibus beatis omnes ſcientiæ infunduntur; quoad aureolam virginũ, quia major conjunctio localis cum Chriſto veriſimiliùs conſequitur ad majus præmium eſſentiale; quoad aureolam martyrum, quia carerent aureola uſque ad univerſalem reſurrectionem, & ſaltem in iis, qui nulla habuerunt vulnera aliquid aliud remaneret aſſignandum. Hiſce opinionibus rejectis.

Probatur & explicatur aſſertũ, & quidem quòd primus modus ſit probabilis conſtat tum ex auctoritate Doctorum, à quibus traditur, præſertim D. Thomæ, tùm ex eo, quòd non poteſt rationibus ullis valdè efficacibus impugnari, verſamur enim in re; circà quam divinando diſcurrimus, nec poſſumus quidquam certi definire; quod deinde ſecundus modus ſit aliquantulùm probabilior, oſtenditur ex multis, quæ pro ipſo militant, congruentiis: 33. Aureolæ conſiſtunt formaliter in qualitatibus characteriſticis. Prima ſit, quia ſic meliùs ſuſtinetur ternarius aureolarum numerus, & diverſitas ipſarum à multiplici ſpeciali gaudio, quod ut attigimus *n.* 22. diverſi beati habent in ordine ad alias diverſas victorias, à quo quidem diverſa ſolùm denominatione aureolæ differunt, ſi etiã ipſæ in ſpeciali dumtaxat gaudio formaliter cõſiſtunt. Secunda ſit, quia ſic meliùs explicatur, quomodò aureolæ ſint quid permanens & perpetuum, idque ægrè ſalvatur in gaudio ſpeciali, quod eſt actus liber & facile poteſt à beato ſuſpendi. Tertia ſit, quia per propria ſigna & characteres meliùs ſecernũtur inſigniores Reipublicæ cœleſtis & Eccleſiæ triumphantis proceres, & modo magis conformi, tùm Eccleſiæ militanti, in quâ tribus perſonarũ gradibus tres indelebiles characteres baptiſmi, confirmationis, ordinis tribuuntur; tùm cuilibet terrenæ Reipublicæ, in quâ ſolent ſpeciali aliquo ſtemmate cõdecorari ſpecialia habentes merita. Quarta ſit, quia ſpeciale gaudium minùs propriè habet rationem præmij privilegiati à Deo accepti, cum ſit actus elicitus à beato abſque ullo novo Dei dono, relucet autẽ optimè ratio præmij privilegiati in qualitate characteriſtica à Deo impreſſa. 34. Explicatur mens D. Thomæ. Hiſce congruentiis moveor etiã ad interpretandam S. Doctoris mentẽ, exiſtimo enim ipſum collocaſſe aureolas in ſpeciali gaudio tanquam in aliquo notiore & extrà controverſiam reperto in omnibus habentibus aureolas; nec fuiſſe ſollicitum definiendi, utrùm aureolæ conſiſterent in tali gaudio, tanquã in prædicato formali & eſſentiali, ut vult primus dicendi modus, an ſolùm tanquam in aliquo conſequenti, ut vult alter modus dicendi, cui tanquam probabiliori adhæremus.

Duo hic occurrunt dubia: Primum eſt; Vtrùm hujuſmodi characteres, in quibus formaliter conſiſtunt aureolæ, recipiantur in ſubſtantia animæ, an in ipſius potentiis? agit de hoc fusè Salas *ſect.* 3. *præcit.* in quâ transfert totam controverſiam de ſubjecto characteris ſacramentalis: Secundũ eſt, utrùm hujuſmodi characteribus ſpiritualibus reſpondeant in corpore glorioſo aliqua ſpecialia ornamenta? quæ ſint quaſi corporis aureolæ & materiales characteres.

Reſpondeo ad primum hujuſmodi characteres recipi in ſubſtantiâ animæ; 35. ſunt enim ſigna diſtinctiva, & qualitates non operativæ; ut ſigna diſtinctiva debent recipi in eo, quod

Aureolæ recipiuntur in ſubſtātia animæ.

quod eſt notius;ut qualitates non operativæ in eo, quod non eſt principium proximum operandi,adeoque ex utroque capite debent recipi in animæ ſubſtantia potiùs, quàm in aliqua animæ potentia; accedit quòd ſic meliùs explicatur aureolas rectè poni inter ea, quæ beatitudinem eſſentialem conſequũtur ex parte animæ,non inter ea, quæ ipsā conſequuntur ex parte intellectus, aut voluntatis. Poſſet de iiſdem characteribus inquiri: Vtrùm per ſpecies à ſe diffuſas, an divinitùs infuſas ab aliis beatis cognoſcantur? Vtrùm ex natura ſua an ex decreto Dei extrinſecò ſignificent opera præcellentis victoriæ? Verū hæc ſupponunt explicationem characterum ſacramentalium, cum quibus multā habent iſti alij characteres affinitatem, exceptâ tamen ratione potentiæ activæ, quæ etiamſi characteri ſacramentali concederetur, adhuc non eſſet concedenda iſtis aliis characteribus inſervientibus præciſè ad diſcernendas & ornandas animas.

36. Datur quædam quaſi aureolæ etiā in corpore.

Reſpondeo ad ſecundum affirmativè:Probatur auctoritate & ratione D.Thomæ *in 4. diſt 49 q.5. art 4. ad 3. quæſt. & in ſupplem. q. 96. art. 10. in c.* quibus in locis ità habetur, *ſicut ex gaudio eſſentialis præmij quod eſt aurea, redundat quidam decor in corpore, qui eſt gloria corporis; ita ex gaudio aureola reſultat aliquis decor in corpore, ut ſic aureola principaliter ſit in mente, ſed per quandam redundantiā refulgeat etiam in corpore, vel in carne.* In quonam deinde conſiſtat decor ille reſultans in corpore? eſt valde ambiguum;veriſimilior dicendi modus, cui etiam favent relata verba S. Doctoris, aſſignat pro tali decore variam quandam ſpecialemque claritatem, quam aliqui aſtruunt in toto corpore; aliqui in ea parte, quæ magis victoriæ inſervijt; aliqui in coronula quaſi coloribus diverſificata beatorum capitibus inſidenti adeò,ut claritas ipſa gloriæ in capitibus virginum præſeferat circulatem quendam decorem coloris albi, in capitibus Martyrum coloris purpurei, in capitibus Doctorum coloris ſubviridis: Ità probabiliter divinat Sotus *in 4. diſt.49.q.5.art.2.*

§. V.

Vtrùm dentur dotes & aureolæ in Chriſto & in Angelis?

37. ASSERT. 1. Non dantur dotes in Chriſto & Angelis,vel clariùs, ea dona,quæ dicuntur dotes in animabus, licèt dentur in Chriſto & in Angelis,nec in Chriſto nec in Angelis habent denominationem dotium. Ità D.Thomas *in 4. diſt.49. q.4.art.3. & 4. iiſdemque articulis in ſupplem. q. 95.* Vaſquez *diſput. 17. c.2. n.5.* Amicus *diſp.2. ſect. 15. n.177.* Arriaga *diſput. 55. n.2.* aliique communiter.

Dona, quæ ſunt dotes, dantur in Chriſto & Angelis.

Probatur & explicatur:Dotes ex ſupradictis ſunt viſio,cōprehēſio,& fruitio ſumptæ in actu primo prout important habitum luminis gloriæ & charitatis,quem utrũque habitum in Chriſto & Angelis non minùs,quā operationes ipſas viſionis, comprehenſionis, fruitionis reperiri ſupponendum in præſenti, non probandũ eſt;quòd deindè talia dona in iiſdem non habeant denominationē dotium probatur quoad Chriſtum, tùm quia dos eſt propria ſponſæ, Chriſtus autem ſponſus eſt, non ſpōſa, requiritur enim inter ſponſum & ſponſam perſonarum diſcretio, & in Chriſto nihil eſt perſonaliter diſtinctum à filio Dei, qui eſt ſponſus;undè quando ipſemet Chriſtus *Iſa.61.* vocat ſe *quaſi ſponſum decoratum corona & quaſi ſponſam ornatam monilibus* intelligendus eſt loqui partim in perſona propriâ, partim in perſona Eccleſiæ quā repræſentat,tùm quia dos datur ratione matrimonij, matrimoniũ autem contrahitur inter diverſas perſonas ejuſdē naturæ, & in Chriſto è cōtrà eſt una eademque perſona in diverſis naturis; nec refert, quòd natura humana ſoleat dici deſponſata à verbo, in hac enim locutione deſpōſatio ſumitur in majore latitudine & minorē analogia ad matrimonium propriè dictũ,quàm ſumatur in præſenti; in eadem ſciè majori latitudine loquuntur qui non obſtante naturarũ diverſitate B. Virginē vocant ſponſam ſpiritus ſancti.

38. At non ſub denominatione dotum.

Quòd eadem dona non habeant dotiũ denominationem in Angelis probatur pariter ex eo,quod Angeli non poſſint dici ſponſæ Chriſti, tùm propter naturæ diverſitatē inter Angelos & Chriſtũ,tùm quia Angeli maſculino, ſponſæ fœminino vocabulo ſolent nominari. Hinc fit quòd neque animabus beatis matrimoniũ ſpirituale & dotes propriè cōvenirēt,ſi nulla perſona divina fuiſſet incarnata; imò ſi Verbũ aſſumpſiſſet naturā Angelicā,non humanam, matrimoniũ ſpirituale & dotes de Angelis potiùs, quàm de animabus dicerentur.

39. Aſſert. 2. In Chriſto datur aliquid excellentius aureolis,àt non aureolæ ipſæ ſecundũ eam rationem, ſecundùm quam puris hominibus conveniunt:in Angelis verò nec dantur aureolæ,nec aliquid excellētius aureolis. Ità D.Thomas *in 4. diſt.50. art.4. in c. & in ſupplem. q. 96. art. 8. & 9.* Amicus *diſp. 2. ſect.15. n.181.* Lauræa *in 4. tom.4. diſp.22. art. 3. n.67. & 77.* aliique communiter, licèt cum aliquo vocali diſſidio; ly enim *aliquid excellentius aureolis* aliqui volunt dici poſſe excellentiores aureolas, aliqui non; pro iſtis videntur ſtare omnes ſimpliciter & abſolutè negantes aureolas in Chriſto; pro illis ſtant Lauræa *art. præcit. num.77. & 89.* Salas *hic diſp.8. n.74.* Arriaga *diſp.55. n.23.* &c.

40. Non dātur in Chriſto aureolæ communes puris hominibus.

Probatur prima pars:Chriſtus ità eſt perfectiſſimè Virgo, Martyr & Doctor, ut ſimul ſit Virginum, Martyrum, & Doctorum Princeps, nec præmia ut miles & ſubditus recipit, ſed ut Princeps & Dominus diſtribuit, nec item victor per participationem & imitationem conſtituitur, ſed ut victoriarum auctor & exemplar alios ipſe victores conſtituit; ergo in Chriſto datur aliquid excellentius aureolis, at non aureolæ ipſæ ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam puris hominibus conveniunt, ſecundùm quam

ſcilicet tribuuntur habenti victoriam per participationem & imitationem, adeoque diminutam; unde etiam hac ratione aureolæ nomen diminutivum ſunt non ſolùm comparativè ad præmium eſſentiale, ſed in ipſamet ratione præmij accidentalis; in hoc ſenſu D. Thomas *loco præcitato* nomen aureolæ ex eo, quod diminutivè dicatur, omninò à Chriſto excludit, à quo tamen non crediderim excludendum, quatenùs diminutivè dicitur præcisè in ordine ad præmium eſſentiale, & in vocali diſſidio, de quo ſuprà il-
Bene tamē excellētiores & ſpecie diverſæ. lud, quod in Chriſto aſſerimus excellentius aureolis, non renuerem appellare aureolas excellentiores & perfectiores ſubintellige perfectione eſſentiali & ſpecifica, non intenſiva & graduali; dicerem ſcilicet eſſe inſigniores charactere animæ Chriſti impreſſos à noſtrarum aureolarum characteribus ſpecie diverſos notificantes non ſolum victorias, ſed victoriarum omnium plenitudinem & Principatum.

41\. In Angelis verò nullæ prorsùs. Probatur ſecunda pars: Non dantur in Angelis opera illa victoriæ, quibus reſpondent aureolæ: ergo in Angelis nec dantur aureolæ, nec aliquid excellentius aureolis: probatur antecedens opera victoriæ ſupponunt pugnam, in Angelis autem non datur pugna carnis nec à fomite nec ab hoſte extrinſeco (ex quo ſecundo capite in B. Virgine, & Chriſto Domino pugna hæc eſſe potuit) cum ſint omninò carnis expertes & carentes materiâ, circà quam talis pugna exerceri poteſt: Non datur pugna martyrij, quia impaſſibiles ſunt & immortales: Non datur pugna doctrinæ, quia Angeli boni conſiderantur, vel prout fuerunt in via & hac ratione non conſtat ipſos exercuiſſe munus docendi, poteritque id ad ſummum divinando concedi Michaëli, qui aſſeclas ſuos illuminationibus & conſiliis roboraverit contrà Luciferum; vel prout ſunt in ſtatu beatitudinis, & hac ratione munus docendi, quo Angeli ſuperiores illuminant inferiores, & Angeli Cuſtodes inſtruunt homines, connaturale ipſis eſt, non meritorium, & illuminando inferiores diabolum, utpotè contrà ipſos immediatè non pugnantem, nō vincunt; inſtruendo homines, homini qui cum dæmone in inſtructionis ſuſceptione luctatur, tribuitur victoria, non Angelo.

---

§. VI.

Quot ſint, in quo conſiſtant, &c. quibus perſonis conveniant fructus Evangelici?

42\. Fructus Evangelici ſunt tres. ASSERT. Tres ſunt fructus Evangelici, & juxtà diverſam acceptionem conſiſtunt, vel in diverſitate præmij eſſentialis, vel in diverſitate præmij accidentalis. primo modo correſpondent variis variarum virtutum gradibus, & variis perſonarum ternariis conveniunt; ſecundo modo ſpecialiter accōmodantur gradibus virtutis continentiæ & itâ diſtribuuntur, ut fructus trigeſimus continentiæ conjugatorum, ſexageſimus continentiæ viduarum, centeſimus continentiæ virginum tribuatur. Colligitur hoc aſſertum ex D. Thoma *in 4. diſt. 49. q. 5. art. 2. & in ſupplem. q. 96. art. 2. & 4.* ex Salas *hic diſp. 8. ſect. 4.* ex Gonet *diſp. 5. art. 4.* ex Lautæa *in 4. tom. 4. diſp. 22. art. 4.* aliiſque apud ipſos, & hac ratione videntur inter ſe cōciliari illi ſancti Patres, qui apparent inter ſe diſcordes in explicando tres fructus *Mat. 13.* memoratos.

Probatur ac explicatur aſſertū, & quidem tres eſſe fructus Evangelicos non alia indiget probatione, quàm textu Evangelij *Mat. 13.* ex quo unicè originem traxit hæc fructuum Evangelicorū diſſertatio: Quòd juxtà aliquam acceptionē conſiſtant in diverſitate (ſubintellige intēſiva, non ſpecifica) præmij eſſentialis ſuadetur, tū ex Scriptura quæ aliquandò uſurpat nomen fructus ad ſignificandum præmium eſſentiale ipſiuſmet gloriæ ut Sap. 3. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* Rom. 6 *Liberati à peccato & ſervi facti Deo, habetis fructum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam*, tùm ex multis ſanctis Patribus, qui dum tres Evangelicos fructus diverſis virtutibus tribuūt, omninò indicant ſe talium fructuū nomine intelligere præmium omnibus virtutibus commune, id eſt præmiū ipſum eſſentiale habens inæqualitatem juxtà inæqualitatem meritorū, & virtutum, diverſis autem virtutibus tribuunt, nam locus ille *Matth.* à Theophilacto & Anſelmo ità exponitur ut fructus trigeſimus accommodetur profitentibus vitam activam cōmunem, ſexageſimus profitentibus eandē cum ſingulari perfectione, centeſimus profitentibus vitam contemplativam: ab Auguſtino *lib. de S. Virginitate, c. 45.* trigeſimus accommodatur connubio, ſexageſimus continentiæ, centeſimus martyrio: à D. Remigio apud D. Thomam *in catena aurea* bonæ cognitioni, bonæ locutioni, bono operi: ab Eccleſia ut retulimus *n. 29.* accōmodantur iiſdem virtutibus, quibus tribuuntur aureolæ; trigeſimus ſcilicet doctoratui, ſexageſimus virginitati, centeſimus martyrio: Sunt etiam qui hujuſmodi fructus in omnibus juſtis diſtribuant, applicando trigeſimum incipiētibus, ſexageſimū proficientibus, centeſimum perfectis; undè tandē Lyranus in Gloſſa illius textus ait, in hoc aſſignantur tres gradus, qui poſſunt ſignari in qualibet virtute; ſubintellige cauſaliter, non formaliter; quatenùs ſcilicet in qualibet virtute poſſunt diſtingui tres gradus, nō qui ſint formaliter ipſi tres fructus Evāgelici, ſed qui moraliter & meritoriè cauſent tales fructus, quo modo intelligendi etiam ſunt aliqui ſancti Patres dum videntur fructum Evangelicum ſumere pro opere meritorio. 43. Aliquando ſignificant tres gradus ejuſdē præmij eſſentialis.

Probandum ſupereſt & explicandum, quòd fructus Evangelici ſecundum aliquam aliam acceptionem rectè ponantur conſiſtere in diverſitate præmij accidentalis, & ità accepti ſpecialiter accommodentur gradibus virtutis continentiæ: Suadetur hoc primò ex eo, quod nulli alij virtuti aut à tot Sanctis Patribus, aut tam frequenter accommodantur tres fru- 44. Aliquando tria diverſa præmiā accidentalia.

ctus

ctus Evangelici, ſicut virtuti continentiæ; datur igitur aliqua ſpecialis ratio hujus accommodationis, & reſpectu graduum virtutis continentiæ fructus importat ſpeciale aliquod præmium non correſpondens gradibus aliarum virtutum, adeoque præmium accidentale, non eſſentiale: Suadetur ſecundò; fructus Evangelici rectè ſumuntur ſecundùm quod correſpondent ſemini Evangelico, de quo procedit parabola *Matth.* 13. hujuſmodi autem ſemen eſt Verbum Dei, & ſemen ſpirituale, undè quanto magis aliquis in ſpiritualitatem convertitur à carne recedens, tanto ſpecialiùs ei convenit fructus Verbi Dei; atqui homo maximè in ſpiritualitatem convertitur per continentiam, quæ à carnalibus delectationibus hominem abſtrahit ipſumque reddit Angelis ſimilem juxtà illud Matth. 22. *Neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei*, ergo fructus Evangelici rectè ſumuntur ſecundùm ſpecialem accommodationem ad gradus virtutis continentiæ, & ſecundum quod important præmium aliquod proprium talis virtutis, & per conſequens ſpeciale præmium accidentale, non eſſentiale.

45. *Fructus, ut præmium accidentale eſt, definitio.*

Hinc habetur fructum ſecondo modo acceptum ſic definiri poſſe, eſt ſpeciale præmium accidentale conceſſum gradibus continentiæ prout adducunt in quamdam ſpiritualitatem: Ex quâ definitione patet diſtingui ab Aureolis non ſolùm fructus ſumptos pro tribus gradibus præmij eſſentialis, ſed etiam ſumptos pro tribus diverſis præmiis accidentalibus; in Aureolis enim præmium correſpondet operi ut reddenti operantem victorem, in fructibus correſpondet operi ut reddenti operantem ſpiritualem; tres Aureolæ diſtinguuntur juxtà tres excellentias victoriæ in diverſis virtutibus reperientes, fructus juxtà tres gradus ſpiritualitatis repertos in eadem virtute continentiæ: In ratione tamen generica præmia accidentalia, quæ ſunt fructus cum præmiis accidétalibus, quæ ſunt Aureolæ, conveniunt; & illa non minùs, quàm iſta exiſtimo formaliter conſiſtere in ſpecialibus notis & characteribus potiùs, quàm in ſpeciali gaudio, licèt hoc etiam conſequenter importent, pro quo ſufficit recolere & ad fructus proportionaliter transferre ea quæ de Aureolis ſuprà dicebantur *num.* 33.

46. *Virginitas ut fructus & virginitas ut Aureola in quo differant,*

Habetur inſuper quomodo ſingillatim diſtinguatur virginitas ut fructus à virginitate ut Aureolâ: eſt enim virginitas fructus tùm primo, tùm ſecundo modo; ſi ſumatur ut fructus primo modo diſtinguitur à ſe ipſa ut Aureola, tanquam præmium eſſentiale à præmio accidentali; ſi ut fructus ſecundo modo diſtinguitur tanquam præmium accidentale correſpondens victoriæ à præmio accidentali correſpondente ſpiritualitati, & tanquam character ſpecie ſubalterna diverſus; undè quiſquis gaudet virginitatis prærogativa habet vi ipſius in patria duplicem characterem, alterum pro virginitate ut Aureola, alterum pro eadem ut fructu.

47. Habetur tandem fructus eumdem habere ordinem perfectionis & rei numeratæ, quem numeri numerantis; fructum ſcilicet, qui dicitur centeſimus eſſe majorem & perfectiorem cæteris; qui dicitur trigeſimus eſſe aliis duobus minorem, & minus perfectum; qui dicitur ſexageſimus eſſe medium; certum eſt enim perfectiſſimam eſſe continentiam Virginum, eſſe ipſa & viduali minùs perfectam continentiam conjugatorum, mediate continentiam vidualem: Cur deindè ad exprimendam hanc inæqualitatem graduum continentiæ tres prædicti numeri potiùs, quã alij adhibeantur, egregiè explicat S. Doctor *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 5. *art.* 2. *in reſp. ad* 3 *quæſt*: *& in ſupplem. quæſt.* 96. *art.* 4. *in c.* quæ lota aptè ſuppeditant quidquid hic patior deſiderari. *In fructibus idem eſt ordo rei numeratæ, qui numeri numerantis.*

CAPUT IV.

De iis, quæ beatitudinem eſſentialem conſequuntur ex parte corporis, nimirum de Dotibus, aliiſque ipſius perfectionibus.

ANIMA, ut beata ſit, corpus non requirit, non reſpuit tamen; imò de corporis conſortio gaudet, & ex propriæ beatitudinis in ipſum redundantiâ evadit accidentaliter, & extenſivè beatior: errant propterea æqualiter qui docent ſine corpore beatitudinem non haberi, ac qui exiſtimant à corpore beatitudinem impediri: fuerunt in primo errore Tertullianus (quem tamen aliqui benignè interpretantur) *lib* 4. *contrà Marcionem, & lib. de anima cap.* 32. Vigilantius apud Hieronymum *lib. contrà eumdem*, Lactantius *lib.* 7. *divinarum inſtitutionum cap.* 21. Armeni, Græci, Schiſmatici, Anabaptiſtæ, & alij volentes juſtorum animas ante noiverſalem reſurrectionem, & reunionem ad corpora, Dei viſione non frui, nec mirum eſt ex Antiquis aliquos etiam Catholicos in hanc abiiſſe ſententiam, quia ut notat Bellarminus *controv.* 3. *de ſummo Pontifice lib.* 4. *cap.* 14. licebat ſine periculo hæreſis ità ſentire, quando adhuc non præceſſerat Eccleſiæ definitio, quæ quidem ut attigimus etiam *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 8. Primò emanavit ex Benedicto XI. dicto XII. deindè ex Conciliis Florentino *in litteris unionis* & Tridentino *ſeſſ.* 15. *in decreto de Invocat. Sanctorum.* Fuerunt in ſecundo errore Porphyrius teſte Auguſtino *lib.* 12. *de Civit. cap.* 26. aliique nonnulli dicentes omne corpus eſſe fugiendum, ut anima ſit beata: Contrà hos errores communem noſtris temporibus Eccleſiæ ſenſum, & Theologorum doctrinam ſuppono ex Auctoribus præſertim, quos ſubjicio, idest ex Valentia *hic diſp.* 1. *quæſt.* 4. *punct.* 2. Vaſquio *diſp.* 10. Salas *diſp.* 10. *ſect.* 5. Arriaga *diſp.* 58. *ſect.* 2. Maderno *quæſt.* 3. *art.* 15. Herinex *diſput.* 2. *Errores circà modum, quo ſe habet corpus ad beatitudinem.*

*q.*10. Eſtio *in* 4. *diſt.*45. *à* §. 5. *ad* 8. Lauræâ *in* 4. *tom.*4. *diſp.*14. *art.*6. *&c.*

2. Suppoſitur veritas Catholica contrà prædictos errores. Suppoſita igitur tanquam dogmate Catholicæ veritatis, quòd corpus neque ſit ad eſſentialem animæ beatitudinem neceſſariũ, neque ſit ejuſdem impeditivum; & quòd ſecundum præſentem providentiã animæ ſanctæ antè communem reſurrectionem beentur abſque corpore, poſt reſurrectionem verò beetur & glorificetur etiam corpus futurum ſimul cum anima conſors æterni præmij, ſicuti cum eadem fuit conſors laboris & meriti: hoc, inquam, ſuppoſito explicandum remanet pro hujuſce tractatus complemento, in quonam conſiſtat corporis beatitudo? ſeu quænam ex eſſentiali beatitudine animæ conſequantur ex parte corporis? inter hæc primo loco occurrunt dotes ipſius corporis glorioſi, quas D. Thomas *in* 4. *diſt.*49. *quæſt.*4. *art.*1. *in c.* definit ſimul cum dotibus animæ dicens *Dos eſt perpetuus ornatus animæ & corporis &c.* quo loquendi modo aperte inſinuat eſſe de utriſque dotibus idem proportionaliter ſentiendum, quod ſtatim magis explico: Ideò ſit

---

§. I.

Quid ſint, quot ſint, & in quo formaliter conſiſtant dotes corporis glorioſi?

3. Dotes corporis glorioſi quid? ASSERT. 1. Dos corporis glorioſi eſt perpetuus ornatus corporis in æterna beatitudine jugiter perſeverans. Colligitur ex D. Thoma *art.* 1. *præcit.*

Probatur & explicatur: Sicuti anima per beatitudinem in domum ſponſi traducitur, & matrimonium cum Chriſto conſummat; ità corpus participando beatitudinem participat manſionem cum ſponſo & conſummationem matrimonij; ergo ſicuti ea, quæ anima recipit ratione beatitudinis, dicuntur dotes, & definiuntur *Ornatus animæ beatæ, &c.* ità ea, quæ corpus recipit per participationem beatitudinis, debent per participationem dotes denominari & definiri *ornatus corporis glorioſi, &c.* cum præſertim duo *ex cap. præced. num.*5. dotis maximè propria prædicta, eſſe ſcilicet inamiſſibiliter ſub ſponſæ dominio, & ſponſam ornare ut ſe decentiùs coram ſponſo conſtituat, optimè conveniant perfectionibus, quas in præſenti dotes corporis glorioſi nuncupamus; tales enim perfectiones ut ex dicendis conſtabit ſemel in corpore poſitæ æternitate tota ſimul cum eſſentiali beatitudine perſeverabunt, & animæ inſerviunt ut appareat ſponſo ſuo ſpecioſior, & interiùs non ſolùm, ſed etiam exterius decora, nec ſit *Omnis gloria filiæ Regis ab intùs*, ſed etiam reſplendeat *in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.*

4. Quot ſint, & quæ? Aſſert. 2. Quatuor ſunt dotes corporis glorioſi, nimirùm Impaſſibilitas, Subtilitas, Agilitas, Claritas, undè eſt illud

Clari, Subtiles, Agiles, Impaſſibileſque,
Omnes quadruplici pollebant dote beati.

Conveniunt in hoc dotiũ quaternario Theologi omnes, agunt de ipſis Scotus *in* 4. *diſt.* 49. *à quæſt.*13. *ad* 16. D. Thomas *in* 4. *q.*44. *per quatuor articulos*, *lib.* 4. *contrà Gent. cap.* 86. *& in ſupplem. à quæſt.* 82. *ad* 85. Major Theologorum Recentiorum pars de iiſdem agit in fine præſentis tractatus de Beatitudine.

Probatur primò ex Scripturâ 1. Cor. 15. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione*; ecce impaſſibilitas: *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*, ecce claritas: *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute*; ecce agilitas: *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*; ecce ſubtilitas. Rurſus impaſſibilitas exprimitur Apoc. 21. *Mors ultrà non erit neq; luctus, neque clamor, neque dolor*: Claritas Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*: Agilitas Iſa. 40. *Aſſument pennas ut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient*: Subtilitas non alio Scripturæ teſtimonio, quàm relatis Apoſtoli verbis, ſolet comprobari; Theologorum tamen & Sanctorum Patrum auctoritate non minore gaudet, quam aliæ tres dotes.

Probatur ſecundò ratione. Conditio corporis glorioſi poſtulat, ut ſit perfectum, tùm in ordine ad ſe, tùm in ordine ad animam; ſed per impaſſibilitatem & claritatem perficitur in ordine ad ſe, quatenùs maximè accedit ad proprietates ſuperiorum & cœleſtiũ corporum; per agilitatem & ſubtilitatem perficitur in ordine ad animam, quatenùs redditur ab anima facillimè mobile cum omnimoda celeritate, nullaque extrinſeci obſtaculi reſiſtentia. Alias pro quatuor glorioſi corporis dotibus congruentias refert Amicus *hic diſp.* 2. *ſect.* 17. *n.*189. 5.

Aſſert. 3. Dotes corporis glorioſi conſiſtunt formaliter in formis poſitivis, ſeu qualitatibus ſupernaturalibus, quas Deus confert ad exigentiam beatitudinis animæ. Colligitur hoc aſſertum ex D. Thoma locis *n.*4. præcitatis, ubi licèt videatur collocare dotes præcisè in dominio perfecto animæ ſuprà corpus; in re tamen nihil aliud vult, quàm ratione talis dominij derivari ab anima in corpus qualitates illas, quas dotes nominamus. Tradunt aſſertum ità explicatum Joannes à S. Thoma *hic diſp.* 2. *art.*9. Gabriel à S. Vincentio *diſp* 3. *dub.*10. Salas *diſp.*14. *ſect.*15. *& ſequentibus*, Ægidius à præſentatione *tom.* 3. *lib.* 5. *q.* 3. *art.* 3. §. 1. *&* 2. Richardus Henricus Paludanus, &c. contra Scotum *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 13. *& ſequentibus* Lauræum *in* 4. *tom.*4. *diſp.*21. *art* 3. *& ſequentibus*, & alios Scotiſtas magis communiter, qui aut dotes in qualitatibus non conſtituunt, aut ſaltem nullam dotem conſtituunt in qualitate ſupernaturali: Recentiores quoad aliquas dotes nobiſcum ſentiunt, quoad alias diſſentiunt, ut parebit *ex ſequentibus* §§. in quibus per ſingulas dotes diſcurrendo attingemus varios variarum Auctorum modos in ipſis explicandis: Interim univerſaliter, & in communi. 6. Omnes quatuor dotes ſunt formæ poſitivæ & qualitates ſupernaturales.

Probatur

Probatur aſſertum primò quoad primam partem, quòd ſcilicet dotes corporis glorioſi conſiſtant formaliter in formis poſitivis, ſeu qualitatibus ſupernaturalibus: Sic enim in primis meliùs ſalvatur perfectio corporis glorioſi, & proportio dotum ipſius ad dotes animæ, item ad Aureolas & fructus, quæ omnia poſuimus formaliter conſiſtere in formis poſitivis & qualitatibus ſupernaturalibus. Deindè meliùs ſuſtinetur eſſe quatuor, nec plures, nec pauciores, glorioſi corporis dotes; cum è contrà ponendo dotem in perfectione aliqua naturali ægrè poſſint à numero dotium excludi plures aliæ naturales ejuſdem corporis perfectiones: Quæ omnia magis conſtabunt ex ſequentibus, ex quibus etiam ſolventur rationes dubitandi, quæ fieri poſſunt contrà hujuſmodi formas poſitivas & qualitates ſupernaturales.

7. Collatæ à Deo ad exigentiam animæ glorificatæ.

Probatur aſſertum ſecundò quoad ſecundam partem, quòd ſcilicet tales qualitates Deus conferat ad exigentiam beatitudinis animæ contrà Ioannem à S. Thomâ *art. præcit. num.* 12. aliosque plures Thomiſtas volentes illas dimanare phyſicè ab anima glorioſa; at hoc ex una parte non eſt neceſſarium ad ſalvandam auctoritatem D. Thomæ *in ſupplem. quæſt.* 84. *art.* 1. *in c.* dicentis dotem eſſe aliquam perfectionem *effluentem ab anima glorificata in corpus*, ſufficienter enim dicitur perfectio aliqua effluere ab anima glorificata per hoc, quòd conferatur à Deo ad animæ glorificatæ exigentiam; nec aliquid ampliùs requiritur ad ſalvanda verba illa Auguſtini in epiſt. ad Dioſcorum *Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex ejus beatitudine redundet in corpus plenitudo ſanitatis, & incorruptionis vigor*: ex alia parte requireret phyſicam connexionem inter animam glorificatam & dotes corporis, phyſicam item iſtarum in illa continentiam, quod non caret difficultate. Confirmatur: Dotes animæ ab anima phyſicè non emanant, ergo neque dotes corporis: Deindè de communi conditione dotis eſt, quòd Sponſa eam ab alio recipiat, non per ſe ipſam efficiat; ergo dotes corporis debent conferri à Deo, non ab anima ſponſa emanare.

---

§. II.

De Dote Impaſſibilitatis.

8. Dos impaſſibilitatis quid præſtet?

ASSERT. I. Dos impaſſibilitatis non ſolùm excludit mortem & corruptionem ſed etiam omnem paſſionem læſivam & corruptivam. Ità Theologi communiter.

Probatur tùm ex eo, quòd ſi dos impaſſibilitatis excluderet præcisè mortem & corruptionem non redderet vi ſua corpora beatorum melioris conditionis, quàm ſint corpora damnatorum, quæ quidem etiam ipſa fore immortalia & incorruptibilia de fide eſt; tùm ex eo quod omnis paſſio læſiva & corruptiva eſt noxia & dolorifera; certum eſt autem glorioſa beatorum corpora fore omnis nocumenti, omniſque doloris expertia; neque hoc in aliquid aliud, tanquam in principium proximum, refundi poteſt, quàm in dotem impaſſibilitatis: Difficultas ſolummodò eſt in definiendo, undenam oriatur iſte effectus? qui impaſſibilitatis doti tribuitur, & licèt *ex §. præcedente* inferatur oriri ex natura qualitatis, in quâ per nos impaſſibilitatis dos ſita eſt, majoris tamen doctrinæ, gratiâ expedit improbare varias, quas ejuſdem effectus cauſas aſſignant qui negant impaſſibilitatis dotem eſſe ſpecialem qualitatem, & hi in plures dividuntur ſententias, quarum

9. Referuntur plures modi improbabiles explicandi prædictam dotem.

Prima eſſe poteſt dicentium glorioſa corpora reddi impaſſibilia per portionem quamdam quintæ ſubſtantiæ incorruptibilis, ideſt Cœli, quæ licèt reperiatur etiam in corpore mortali, non prævaleat tamen, prævaleat verò in corpore glorioſo, ipſique proptereà incorruptibilitatem tribuat & impaſſibilitatem. Secunda dicentium reddi impaſſibilia per hoc, quod in ipſis remaneant elementa qualitatibus ſuis vel deſtituta, vel ità ad æqualitatem reductis, ut activitas unius non ſuperet reſiſtentiam alterius. Tertia dicentium reddi impaſſibilia præcisè ex plena ipſorum ad animam ſubjectione, quâ fiet, ut materiæ potentialitas & appetitus ità maneant expleta vel ſaltem cohibita, & ligata, ut nulli alterationi & diſpoſitioni ad aliam formam locus relinquatur: Prima ſententia eſt omninò improbabilis, quia malè ſupponit in humano corpore portionem quintæ ſubſtantiæ, & non explicat cur talis portio reddat impoſſibilia corpora poſt reſurrectionem dumtaxat, non anteà? Secunda etiam falſo nititur ſuppoſito, & deindè ſalvat impaſſibilitatem corporum ad ſummum ab intrinſeco, nec excludit ipſorum paſſionem, corruptionemque violentam & ab extrinſeco. Tertia non explicat per quid anima in corpore glorioſo cohibeat & liget potentialitatem materiæ; id enim non præſtat puro voluntatis imperio, alioqui etiam Angeli poſſent voluntatis imperio ligare & cohibere virtutes activas & paſſivas rerum materialium. Hiſce improbabilioribus ſententiis breviter rejectis duæ ſuperſunt non prorsùs improbabiles: Et refelluntur.

10. Afferuntur alij modi minùs improbabiles.

Prima eſt corpora glorioſa reddi impaſſibilia per decretum extrinſecum Dei de ſubtrahendo concurſu cauſis ſecundis, ne corruptivè in illa agant; ità Scotus *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 13. §. *Dico ergo.* Lauræa *in* 4. *tom.* 4. *diſp.* 51. *art.* 3. *num.* 100. Hetinex *hic diſp.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 34. aliique Scotiſtæ ad quos ex Recentioribus accedunt Arriaga *diſp.* 56. *num.* 16. Madernus *quæſt.* 3. *art.* 16. *num.* 6. Secunda eſt reddi impaſſibilia per decretum extrinſecum Dei de potentiſſima cõſervatione omnium diſpoſitionum naturalium in corpore glorioſo, ità Leſſius *lib.* 3. *de ſummo bono cap.* 4. *num.* 26. aliique nonnulli; hæc ſententia verbis potiùs, quàm re ipſa, differt à præcedente, potentiſſimæ enim conſervationis meminit etiam Doctor ſubtilis §. *præcit. in reſp. ad* 3. dicens *quod*

magis

magis naturale eſt coagere corpori beati ad conſervationem eius contrà contrarium corrumpens, quam coagere contrario in corrumpendo, admittit igitur Scotus potentiſſimam conſervationem, & ut ipſam meliùs explicet, addit decretum Dei de non coagendo in ordine ad corruptionem: in quo exiſtimo quidem aſſignari ſufficientem cauſam impaſſibilitatis, at non convenientem beatis & habentem rationem dotis, Ideò ſit

11. Dos impaſſibilitatis non eſt aliquid extrinſecum beato. Aſſert.2. Dos impaſſibilitatis non habetur ex providentiâ extrinſecâ Dei, nec conſiſtit in decreto aut potentiſſimè conſervandi totam diſpoſitionem naturalem corporis glorioſi, aut non coagendi ad ipſius corruptionem; eſt contrà Auctores mox relatos.

Probatur: Dos impaſſibilitatis explicari poteſt per aliquid intrinſecum; ergo non debet refundi in providentiam extrinſecam; antecedens conſtabit ex ſequenti aſſerto, cõſequentia probatur ex eo, quòd beatis debet concedi impaſſibilitas eo perfectiori modo, quo poteſt, & præſertim quatenùs eſt dos debet convenire corporibus glorioſis aliter, ac conveniat incorruptibilitas corporibus damnatis; erunt igitur iſta incorruptibilia per providentiam Dei extrinſecam, illa verò impaſſibilia per aliquid intrinſecum.

Dices ſufficienter eſſe impaſſibilia per aliquod intrinſecum per hoc, quòd habeant in ſe jus quoddam ad illam providentiam extrinſecam, ex quà provenit formalis impaſ-
12. ſibilitas. Sed contrà: hujuſmodi jus debet eſſe aliquid contradiſtinctum à merito, nam non minùs mala merita damnatorum exigunt perpetuam corporum conſervationem in ordine ad æternam ipſorum punitionem, quàm bona merita beatorum exigant eamdem conſervationem in ordine ad æternam glorificationem, ſuppoſito autem, quòd ſit aliquid contradiſtinctum à merito & ex merito præciſè non relictum, ſupereſt aſſignandum in quo fundetur & quid intrinſecum phyſicum adveniat corpori glorioſo, ex quo reſultet tale jus, & quidquid intrinſecum phyſicum aſſignetur, erit dos.

13. Eſt qualitas materialis ſupernaturalis. Aſſert.3. Dos impaſſibilitatis conſiſtit formaliter in qualitate materiali ſupernaturali tribuente corpori vim ad efficaciter reſiſtendum cuicumque actioni læſivæ, & corruptivæ. Ità Auctores relati pro ſecundo aſſerto §. *præced.*

Probatur: ex una parte ſic rectè explicatur quomodo impaſſibilitas conveniat corporibus glorioſis ab intrinſeco, & ſit verè ac propriè dos ipſis à Deo tradita, ex alia parte ſicuti regulariter loquendo Deus per ſpeciales qualitates, non per extrinſecam aſſiſtentiam elevat & roborat creaturas in ordine ad operandum ſuprà proprias vires, ità dicendum eſt quòd per ſpecialem qualitatem, non per extrinſecam providentiam roboret glorioſa corpora ad reſiſtendum ſuprà proprias
Diffuſa per totũ corpus glorioſum. vires. Hujuſmodi qualitas à nobis aſſeritur materialis, quia eſt dos corporis, in corpore recepta, & veriſimiliter per totum corpus diffuſa, ut faciliùs intelligatur præſtare effectum ſuum in ſingulis partibus. Aſſeritur ſupernaturalis (ſubintellige in ſubſtantia) quia ſpectat ad ordinem ſupernaturalis beatitudinis, & à Deo ut ab Auctore ſupernaturali tribuitur. Hinc Adverſariis quærentibus: Vtrùm hujuſmodi qualitas ſit cœleſtis, elementaria, an mixta? facilè occurritur dicendo nec cœleſtem eſſe, nec elementarem, nec mixtam; quia eſt ſuprà ordinem iſtarum omnium qualitatum, undè etiam poteſt eminenti modo continere effectus, qui reſpectu talium qualitatum inferiorum opponuntur, cujuſmodi ſunt reſiſtere tùm calori, tùm frigori, & præſtare ea, quorum nullum apparet in aliquo naturali accidente veſtigium.

§. III.

De Dote Subtilitatis

ASSERT.1. Dos Subtilitatis tribuit glorioſis corporibus quamdam ſpiritualitatis participationem; reddit ſcilicèt ipſa, tùm perfectè ſubjecta animæ quatenùs forma ſpiritualis eſt, tùm penetrabilia cum corporibus non glorioſis: Prima hujus aſſerti pars gaudet communi Theologorum conſen- 14.
ſu: Secunda eſt contrà Durand *in 4. diſt. 44. quæſt. 6.* exiſtimantem repugnare quamcumque corporum penetrationem, idque probabile reputat Paludan. *eâd. diſt. q. 3. art. 3.* at cæteri Theologi in Durandum quoad hoc ferunt gravem cenſuram; quia licèt hic Auctor in aliis veritatibus fidei docentis Chriſtum prodiiſſe ex Virginis utero inviolato clauſtro, exiiſſe è ſepulchro immoto lapide, introiſſe in Cænaculum clauſis januis, habere poſſit aliquod effugium dicendo facta ea fuiſſe non per penetrationem, ſed per tranſitum ab uno loco ad alium abſque tranſitu per medium, vel per maximam proprij corporis attenuationem, aliorúmve inſenſibilem diviſionem; in Euchariſtiâ tamen non aliter poteſt negare penetrationem, quàm dicendo ibi corpus Chriſti eſſe ſine ſuâ quãtitate, ſicque in hoc Myſterio nullo effugio vitare poteſt gravem cenſuram. Eidem ſubtilitati effectum penetrabilitatis non negatâ tamen ipſius poſſibilitate) negat Eſtius *in 4. diſt. 44. §. 15.* & cum aliquâ negandi propenſione dubius hæret Arriaga *hic diſp. 56. num 21.*

Durandus negat omnẽ corporum penetrabilitatem.

Durandi cenſura.

Probatur & explicatur aſſertum in univerſum: Dos ſubtilitatis aliquandò etiam ſpiritualitas dicitur, & corpus tali dote affectum ſpirituale vocat Apoſtolus 1. *Cor.* 15. non eſt autem ſpirituale, ut fuit hæreſis quorundam apud Auguſtinum *lib. 13. de Civit. cap.* 20. ex eo, quòd mutetur in ſpiritum, quia de fide eſt nos reſurrecturos & viſuros Deum in eodem proprio corpore, quod nunc gerimus ſupereſt igitur, quòd ſpirituale ſit per quandam participationem ſpiritualitatis quoad effectus potiùs, quàm quoad eſſe; idque tùm ut ſubeſt animæ, quatenùs anima in ipſo non operetur, niſi ut forma ſpiritualis, nec exerceat operationes, niſi aliquo modo

do

do ſpirituales, tùm ſecundùm ſe quatenùs ſit propriè penetrabile ſicuti ſunt penetrabiles ſpiritus, non verò ſolùm impropriè ſicuti penetrabilia quodammodò ſunt corpora rariora, per quæ quodlibet corpus facilè tranſit, in quo erravit errore tamen non pertinaci, & antè mortem retractato Eutychius dum ſenſit corpora glorioſa ratione ſubtilitatis fore aëri ſimilia.

Error Eutychij.

16. Dos ſubtilitatis ſubjicit corpora animæ ut formæ ſpirituali.

Probatur & explicatur aſſertum in particulari quoad primam partem: Anima rectè dicitur operari ut forma ſpiritualis, quatenùs exercet operationes nullatenùs communes formis materialibus; atqui ità ſe habet anima reſpectu corporis glorioſi; ergo in corporibus glorioſis operatur ut forma ſpiritualis, & per conſequens corpora glorioſa ſunt perfectè ſubjecta animæ, quatenùs forma ſpiritualis eſt; minor probatur anima in corpore glorioſo nullas exercet operationes partis vegetativæ quæ ſolæ ſunt omninò materiales & formis materialibus maximè communes; exercet quidem operationes ſenſuum, at iſtæ (præter quod ex genere ſuo accedunt ad ſpiritualitatem, magnámque habent elevationem ſuprà materiam, ut dictum eſt *tract.* 1 *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 28) ſunt in beato omninò depuratæ à materiali craſſitie, omninò alienæ ab omni extrinſeco imperfectione, & tales ut à ſolâ formâ ſpirituali prodire poſſint; ergo verè anima in corporibus glorioſis operatur ſolùm ut forma ſpiritualis.

17. Eaque reddit penetrabilia cum corporibus non glorioſis.

Probatur & explicatur aſſertum in particulari quoad ſecundam partem, pro quâ quidē ſi pponenda eſt, tùm explicitis, tū tanquam neceſſaria ad ſalvandum Euchariſtiæ myſteriū non repugnantia penetrationis corporū contrà Durandum; hac ſuppoſita concedenda eſt corporibus glorioſis vis penetrandi corpora non glorioſa, ſaltem ut meliùs in ipſis ſuſtineatur participatio quædam ſpiritualitatis: Modus deindè quo talem vim corpora glorioſa poſſideant triplex ſolet aſſignari: Primus eſt dicentium provenire ex aſſiſtentia extrinſeca Dei, qui ad beati libitum paratus ſit ipſius corpus cum alio quocumque corpore non glorioſo penetraſe, ita Scotus *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 16. §. *Dico ergo*, Lauræa *in* 4. *tom.* 4. *diſp.* 21. *art.* 6. *n.* 288. Herincx *hic diſp* 3 *quæſt.* 6. *num.* 54. Arriaga *diſput.* 56. *num.* 19. Madernus *quæſt.* 3. *art.* 17. *num.* 6. &c. Secundus eſt Leſſij *lib.* 3. *de ſummo bono*, *cap.* 7. & Amici *hic diſp.* 2. *ſect.* 17. *n.* 200. dicentium provenire ex quodam modo exiſtentiæ ſpiritualis ſimili ei, quam habet corpus Chriſti in Euchariſtia. Tertius aſſeretur in aſſerto, cui præmitto brevem impugnationem utriuſque ſuperioris ſententiæ: Impugnatur prima recolendo quæ dicebantur *num.* 11. contrà impaſſibilitatem provenientem ex providētiâ extrinſecâ: Impugnatur ſecunda, quia talis modus exiſtentiæ ſpiritualis vel eſſet in beato permanens, & ſic corpora glorioſa ſemper carerent extēſione in ordine ad locum, ſemper haberent omnes ſuas partes compenetratas adeóque non haberent externam humani corporis figurâ & organizationem, quod abſurdū eſt, vel eſſet tranſiens & conceſſus ſolùm pro eo tempore, pro quo fieret corporis glorioſi cum alio corpore compenetratio; & ſic ſubtilitas non eſſet perfectio permanens, ut requiritur ad dotem; Deindè modus exiſtentiæ ſpiritualis in corpore dicit partium replicationem, & tamen Theologi communiter penetrationem ſolùm, non replicationem doti ſubtilitatis attribuunt.

18. Dos ſubtilitans eſt qualitas materialis ſupernaturalis.

Aſſert. 2. Dos ſubtilitatis conſiſtit formaliter in qualitate materiali ſupernaturali excludēte à corporibus glorioſis quidquid impedit perfectam ipſorum ſubjectionem ad animam ut formam ſpiritualem, & inſervientē per modum inſtrumēti quo Deus ad beatorum libitum cauſat eorumdem penetrationem cum corporibus non glorioſis. Ita Auctores relati pro ſecundo aſſerto §. 1.

Probatur & explicatur aſſertum, recolendo ſuprà dicto *num* 13. Duo ſolùm indigent ſpeciali explicatione; primum eſt, utrùm huiuſmodi qualitas inſerviat per modum inſtrumenti phyſici, an per modum inſtrumenti moralis? Secundum eſt, cur inſerviat ad penetrationem tantùm cum corporibus non glorioſis, non verò cum etiā aliis corporibus glorioſis? Reſpondetur ad primùm idem eſſe proportionaliter ſentiendum, quod de aliis qualitatibus & entitatibus, ſivè naturalibus, ſive ſupernaturalibus, quibus Deus tanquàm inſtrumentis utitur in ordine ad effectus ſupernaturales, & cum Thomiſtæ cōmuniter doceant Sacramenta eſſe inſtrumenta phyſica gratiæ, miror Ioan. à S. Thomâ *hic diſp.* 2. *art.* 9. *num.* 44. & Gonet *diſp.* 5. *art.* 2. *num* 311 velle dotem ſubtilitatis eſſe inſtrumentum ſolùm morale penetrationis; fateor tamen hoc faciliùs intelligi, quia dicendo penetrationem glorioſorum corporum cauſari immediatè à Deo in manifeſtationem & ſignum illius qualitatis, in quâ conſiſtit dos ſubtilitatis, nihil occurrit captu difficile.

19. Cur corpora glorioſa non penetrentur inter ſe.

Reſpondetur ad ſecundum duplicem aſſignari poſſe rationem, unam à priori, alteram à poſteriori. Ratio à priori eſt, quia vis penetrativa provenit à quadam ſuperioritate & quaſi dominio, ſicut illapſus, ſeu vis illapſiva, corpora autem glorioſa ſunt omnia inter ſe eiuſdem ordinis, & ſolùm habent ſuperioritatem ac dominium in ordine ad corpora non glorioſa, utpotè ordinis inferioris: Ratio à poſteriori eſt, quia ſi unum corpus glorioſum cum altero, vel una pars corporis glorioſi cum altera eiuſdem parte penetraretur, perturbaretur exterior decor & ordo talium corporum; unde penetratio mutua inter corpora damnata, quæ inordinatum, perturbatum, & confuſum ſtatum habent, admitti debet; non inter corpora glorioſa. Nec refert, quòd nulla ſit in damnatis corporibus dos ſubtilitatis, non refert, inquam, quia cum illis concedenda non ſit penetratio perfectiori modo quo poteſt, convenienter iſta habetur per ſolam providentiam Dei extrinſecam.

Penetrentur verò corpora damnata.

§. IV.

De Dote Agilitatis.

20. Dos agilitatis quid præſtet?

ASSERT. I. Dos Agilitatis reddit corpora glorioſa mobilia ab anima, non ſolùm motu organico & progreſſivo velociſſimo, verùm etiam motu inorganico, & delativo in quamcumque partem. Ità Theologi communiter contra Durandum *in 4. diſt.* 44. *quæſt.* 7. volentem agilitatem eſſe dumtaxat in ordine ad motum organicum, & progreſſivum. Pro intelligentia terminorum.

Motus organicus & inorganicus, progreſſivus & delativus, quid?

Adverte motum organicum ità dictum à corporis organis, quibus mediantibus fit, eſſe eum, quo corpus non movetur totum ſimul, ſed per partem poſt partem adeò, ut dum pars una movetur quieſcat altera; hic motus, quando corpus per ipſum totaliter locum mutat, dicitur progreſſivus, quando mutat locum ſolùm partialiter & ſecundùm aliquam partem, ut cum brachium elevatur aut genu flectitur, dicitur præcisè organicus at non progreſſivus: Motus inorganicus ità dictus, quia non exercetur mediantibus corporeis organis, is eſt, quo corpus totum & ſecundum omnes partes ſimul movetur, hic motus quando provenit à principio vivente dicitur motus delativus, & fieri poteſt ſursùm deorsùm, ad dexteram, ad ſiniſtram, & ad quamcumque aliam loci differentiam; quando provenit à corpore ipſo ſecundum naturam elementi prædominantis, ut cum humanum corpus non aliâ, quàm propriæ gravitatis vi deorſum fertur, dicitur quidem inorganicus, at non delativus; & eſt ad unam loci differentiam determinatus, ad eam ſcilicet quam reſpicit elementum, ex cujus prædominio motus cauſatur; in ordine ad iſtum motum, utpotè qui ab anima non fit, non inſervit agilitas, quæ eſt perfectio aut virtutis motivæ animæ, aut ſaltem ad talem virtutem relata, ideò in aſſerto ly *mobilia* modificatum eſt & reſtrictum per ly *ab anima.*

21. Motui provenienti à corpore præcisè agilitas non inſervit.

Probatur jam aſſertum quoad motum organicum & progreſſivum velociſſimum, quia talis motus eſt debitus & valde conveniens cuicumque corpori animato, & quò velocior eſt, eo etiam eſt perfectior: quoad motum verò inorganicum & delativum, quia hic motus præſertim ex eo, quod poſſit ex genere ſuo magis velocitati, quàm motus progreſſivus, & æquè benè versùs quamcumque loci differentiam fieri, habet aliquam ſpecialem perfectionem in motu progreſſivo non repertam, & corporibus glorioſis non negandam.

Dices: Anima, ut eſt forma corporis, non habet potentiam motivam inorganicam, ſeu ad motum inorganicum; atqui in corporibus glorioſis anima eſt ut forma, ergo in ipſis anima non habet potentiam ad motum inorganicum, & per conſequens corpora glorioſa non ſunt mobilia ab anima motu inorganico, & delativo, quamvis fortè ſint taliter mobilia à motore extrinſeco; major patet quia ſi talem potentiam haberet poſſet ipſam ſaltem aliquo modo valdè imperfecto exercere etiam in corpore mortali, in quo tamen illam exerceri non poſſe comprobat experientia. Sed contrà primò: Anima ſaltem in ſtatu ſeparationis habet potentiam motivam inorganicam, ſeu ad motum inorganicum, tùm ſui ipſius, quod non eſt negabile, niſi negetur animæ ſeparatæ omnis virtus locomotiva; tùm aliorum à ſe, quod evincitur à paritate Angelorum; atqui anima in corporibus glorioſis ità eſt ut forma, ut tamen ſimul habeat omnem perfectionem ſibi convenientem in ſtatu ſeparationis, quâ prærogativam non habet in corpore mortali; ergo. Contrà ſecundò: Etiamſi anima in nullo ſtatu haberet ex naturâ ſuâ potentiam ad motum inorganicum, jure poſſet talis potentia ei concedi in ſtatu ſupernaturali & beato, in quo gaudet pluribus aliis perfectionibus ſibi ex naturâ ſuâ non debitis. Cõtrà tertiò: Cùm Scoto *in 4. diſt.* 49. *quæſt.* 14. §. *Reſpondeo,* Lauræa *in 4. tom.* 4. *diſp.* 21. *art.* 4. § 1. aliiſque pluribus ſuſtineri ſimpliciter poteſt in anima, etiam ut forma corporis, potentia ad motum inorganicum, & aliquod hujuſce motus veſtigium, ſeu imperfectum exercitium, præſtat anima in corpore etiam mortali, dum ipſum unico impetu & per ſaltum ab uno loco ad alium diſtantem defert: Cur verò habere nequeat in corpore mortali frequens, & perfectum, talis motus exercitium, provenit ex defectu ſpirituum motui inſervientium; qui ſicuti non ſunt in toto corpore, ſed formantur in una determinata parte, à quâ in alias ſucceſſivè tranſmittuntur, ità anima non poteſt immediatè & æquè primò totum corpus movere, ſed unam partem mediante alia, prout ſpiritus, quibus utitur ad cauſandum motum in unam partem mediante aliâ tranſmittit: Diverſimodè ſe res habet in corpore glorioſo, quod *ex §. præced.* anima vivificat modo purè ſpirituali, ſeu ut forma purè ſpiritualis, nec ad ipſum movendum ulla indiget animalium ſpirituum ſucceſſiva tranſmiſſione, invenit igitur in corpore glorioſo omnes partes ad motum æquè diſpoſitas, & ipſas æquè poteſt movere omnes ſimul motu inorganico, ac unam poſt aliam motu organico.

22. Anima ſaltem ſeparata habet potentiam ad motum inorganicū.

Eandem probabiliter habet etiam ut forma unita corpori.

23. Ex his habetur Beatos in corporibus glorioſis non ſolùm poſſe celerrimè planum quodlibet organico motu percurrere, ſed adhuc celeriùs poſſe motu inorganico, aut per idem planum deferri, aut in Cœlum aſcendere & deſcendere in terras, nullatenùs mediо aëre quaſi ſcala, in cujus una parte pes unus ſiſtat, dum pes alius movetur; quem ſolùm aſcendendi per aërem & deſcendendi modum in beatis agnoſcunt qui iiſdem negant motum inorganicum; at certè aſcenſus hujuſmodi & deſcenſus gradatim faciendus, quamvis glorioſis corporibus non repugnet, eſt tamen ipſorum agilitati adeò parùm conſentaneus, ut non debeat ipſe ſolus admitti.

admitti. Neque in hoc eſt alicujus momenti controverſia, benè tamen in aſſignando, undenam formaliter corpora glorioſa habeãt tantam motus, tùm organici, tùm inorganici, celeritatem ac perfectionem? Scio facilè reſponderi per dotem agilitatis; at ſupereſt explicandum, in quonam formaliter conſiſtat talis dos? pro quo plures ſunt ſententiæ.

24. Afferuntur variæ ſententiæ circà dotem agilitatis.

Prima eſſe poteſt dicentium conſiſtere in aſſiſtentia extrinſeca Dei parati ad cauſandum omnem illum motum, quo ſe beati movere voluerint, referuntur pro hac ſententia Sotus *in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 7.* & Major *ead. diſt. quæſt. 19.* Secunda dicentium conſiſtere in virtute motiva naturali animæ ablata ex parte corporis gravitate, hanc ſententiam non omninò improbabilem exiſtimat Arriaga *hic diſput. 56. ſect. 1. ſubſec. 4.* & pro ipſa citat Scotum, immeritò tamen, quia Doctor ſubtilis *in 4. diſt. 49. quæſt. 14. §. Quarto eſt videndum* poſt factam talis opinionis, tanquam ex Ricardo deſumptæ, mentionem ait *Iſtam opinionem non intelligo, quia quod maneat corpus hominis, & dominetur in eo terra, & tamen non maneat gravitas, eſt omninò inconveniens.* Tertia dicentium conſiſtere in virtute motivâ animæ, factâ intrà ordinem naturæ perfectiore, & remotione craſſitiei ſeu gravitatis accidentalis ab extrinſeco intruſæ, ità Scotus *quæſt. præcit. §. reſpondeo ergo.*

Impugnatur prima.

Impugnatur prima ſententia, quia ponendo motum glorioſorum corporum eſſe ab extrinſeco non ſalvat ipſorum agilitatem, quæ enim ab extrinſeco moventur, etiamſi celerrimè moveantur, non dicuntur agilia, quod quidem majorem vim habet in agilitate, ut eſt dos, quæ conſequenter & conformiter ad ſupradicta, etiam ex ratione generica dotis debet collocari in aliquo intrinſeco.

25. Impugnatur ſecũda.

Impugnatur ſecunda ſententia, quia gravitas conſequens partes terreas, ſeu elementum terræ in corpore humano prædominans, eſt proprietas maximè connaturalis, & conveniens eidem corpori, quod ex eo quia fiat glorioſum, non amittit aliquam connaturalem proprietatem; & ſicuti non deſinit habere partes terreas, ità non debet exuere terream gravitatem; nec propterea erit corporibus glorioſis violentũ manere in Cœlo, & extrà centrum: Enimverò, vel gravitas inclinat ad centrum ſolùm corpora exiſtentia in mundo ſublunari & intrà lunæ concavum, vel gravitatis inclinatio nullam afferet violentiam ob majus & univerſalius bonum ſtatus beatifici, ſicuti eadem inclinatio nullam affert violentiam aquæ ex ſe aſcendenti ad impediendum vacuum ob majus bonum naturæ univerſalis: Plura hic addi poſſent ex Auguſtino *lib. 22. de Civit. cap. 4. & 11.* acriter impugnante Ciceronem & Platonicos in eo, quod aſſererent terrena hominum corpora ratione gravitatis & ponderis in Cœlo eſſe non poſſe.

26. Impugnatur tertia.

Impugnatur tertia ſententia, quia virtus motiva animæ non poteſt fieri intrà ordinem naturæ perfectior, niſi totaliter mutetur, & priori virtuti virtus totaliter nova ſuccedat; imò niſi mutetur ipſa ſubſtantia animæ, utrumque hoc infertur ex reali indiſtinctione potentiarum vitalium ab animæ ſubſtantia, & ex eo quod per conſequens potentiæ vitales non ſint capaces recipiendi majorem intenſionem: quod addit Scotus de remotione craſſitiei à corpore verum eſt, ſed id provenit à dote ſubtilitatis, debet igitur ex parte corporis aliquid aliud pro dote agilitatis aſſignari.

His ſententiis impugnatis, & prorsùs omiſſis aliis nonnullis omni probabilitatis ſpecie deſtitutis, amplectenda remanet ſententia collocantium agilitatis dotem in ſpeciali qualitate, & definiendum: Utrùm talis qualitas in anima recipiatur, quemadmodum vult Amicus *hic diſput. 2. ſect. 17. num. 207.* an in corpore? ſuppoſito deindè quòd recipiatur in corpore, utrùm activè concurrat ad motum, quemadmodum probabile cenſet Arriaga *hic diſputat. 56. num. 26.* an ſolùm diſpoſitivè? quemadmodum cum Thomiſtis ſentit Salas *hic diſput. 14. ſect. 18. num. 155.* ubi etiam talem qualitatem vult eſſe ſupernaturalem, Amicus verò eam collocando in anima, & activam, & in ſubſtantia, naturalem aſtruit.

27. Dos agilitatis eſt qualitas materialis ſupernaturalis recepta, &c.

Aſſert. 2. Dos agilitatis conſiſtit formaliter in qualitate materiali ſupernaturali recepta in corpore, & diſpoſitivè ſe habente in ordine ad motum. Colligitur hoc aſſertum ex D. Thoma *in 4. diſt. 44. quæſt. 2. art. 3. in reſp. ad 1. quæſt. & in ſupplem. quæſt. 84. art. 1. in c.* traditur in terminis à Salas *loco præcit.* & eſt contrà Auctores relatos n. 24. & 26.

Probatur & explicatur, quia ex una parte ſic rectè intelligitur, quomodo corpora glorioſa ſint agilia ab intrinſeco, & agilitas ſit in toto rigore ipſorum dos; ex alia parte anima beata, ſicuti ad movendum velociſſimè ſe ipſam in ſtatu ſeparationis, non indiget virtute aliquâ ſeu qualitate nec naturali nec ſupernaturali ſibi ex vi beatitudinis accreſcente, alioqui eadem indigeret & Angelus; ità cum reunita ad corpus glorioſum retineat perfectionem ſtatus ſeparationis, poterit & ſe ipſam & corpus eadem pernicitate movere, ſuppoſitâ præcisè ex parte corporis diſpoſitione ſuſcipiendi quemcumque motum ab anima cauſandum, & pro hac diſpoſitione ponimus ſpecialem qualitatem, quæ quia motui corporis inſervit, & in corpore recipitur, aſſeritur materialis, ſupernaturalis verò quia ad beatitudinem ſupernaturalem animæ conſequitur, ad ſupernaturalem glorificationem corporis pertinet, & à Deo ut Auctore ſupernaturali confertur.

Dices: talis qualitas meliùs poneretur ex parte animæ, quàm ex parte corporis, quia datur in ordine ad motum, qui ab anima, non à corpore producitur; non enim anima per corpus, ſed corpus per animam movetur: Meliùs diceretur naturalis, quàm ſupernaturalis, quia datur in ordine ad motum, in quo nihil ſupernaturale relucet, præci-

piè ſecundum Complexiſtas, ſecundum quos non eſt ſimplex entitas de novo producta, ſed purum ſucceſſivum complexum mobilis & ſpatij: Meliùs diceretur activa, quàm diſpoſitiva; quia primo modo facilè explicaretur quid præſtaret, idque ſecundo modo via poteſt explicari. Sed contrà: quoad primum

28. Solvuntur inſtantiæ Adverſariorum. instantia aliquid probaret, ſi talis qualitas poneretur in ordine ad motum producendũ, & ut virtus motiva activa; at à nobis ponitur in ordine ad motum ſuſcipiendum, & ut virtus motiva ſuſceptiva: quoad ſecundum dico in motu glorioſorum corporum ſæpè relucere aliquid ſupernaturale quoad modũ, ſi minùs quoad ſubſtantiam; deindè etiam in ordine ad aliquid naturale rectè admittitur qualitas ſupernaturalis, quando aliundè probatur talis qualitatis ſupernaturalitas, ut in noſtro caſu: quoad tertium non debet dici activa, quia ſic eſſet ponenda ex parte animæ, nec adeò benè diceretur dos corporis; quid deindè præſtet hujuſmodi qualitas, quatenùs eſt virtus diſpoſitiva, explicari poteſt cum proportione aliqua ad ſubtilitatem adeò ut, ſicuti iſta præbet corpori participationem quamdam ſpiritualitatis in ordine ad animã, ut forma eſt; ità agilitatis qualitas præbeat corpori participationem quamdam ſpiritualitatis in ordine ad animam ut movens eſt; impediendo præſertim magis vel minùs ponderoſitatem à terreâ gravitate provenientem, prout anima vult magis vel minùs velocem motum efficere; item inducendo in omnes corporis partes, & in omnia organa, perfectam ſubjectionem & propenſionem quaſi ſympathyeam, ad obediendum animæ beatæ, ut ſpiritualis motor eſt.

---

§. V.

De Dote Claritatis.

29. ASSERT. I. Dos claritatis reddit corpora glorioſa clara non tantùm ſecundùm ſuperficiem, verum etiam ſecundum profunditatem, ſecundum quam per conſequens diaphana ſunt & tranſparentia. Ità D. Thomas *in 4. diſt. 44. q. 2. art. 4. in reſp. ad 1. quæſt. ad 2. & in ſupplem. q. 85. art. 1. ad 2.* & præter Thomiſtas communiter Salas *hic diſp. 14. ſect. 16.* Amicus *diſp. 2. ſect. 117. num. 110.* Arriaga *diſp. 56. num. 31.* Madernus *quæſt. 3. art. 29.* aliique plures Recentiores contrà Bonaventuram *in 4. diſt. 49 p. 2. q. 2. art. 1.* Gabrielem *diſt. 44. q. 2. par. 3. conc. 5.* Durandum *ead. diſt. q. 8.* Lauræam *in 4. tom. 4. diſp. 21. art. 5. num. 215.* Scotum *in 4. diſt. 49. q. 15. §. ad primum*, Tannerum *hic dub. 6. &c.*

30. Corpora glorioſa ſunt diaphana. Probatur variis congruentiis: Prima ſit, ut tota harmonia & ſtructura corporis glorioſi pateat oculis ſingulorum: Secunda, ne unum corpus impediat conſpectum aliorum, inter quæ mediat: Tertia, quia diaphaneitas eſt ex genere ſuo perfectior quàm opacitas, undè tùm nobiliora elementa, tùm pretioſiora mixta diaphana ſunt: Quarta, quia experientia conſtat carnem noſtram etiam in mortali corpore aliquid habere diaphaneitatis, undè digiti v. g. extremitatem inter candelam & oculum poſitam videmus ferè totam luce permeare: Suppoſita glorioſorum corporum diaphaneitate, & dote claritatis, facilè conſtat ipſa eſſe etiam ſecundum profunditatem clara ſeu luce perfuſa.

Dices: Beatorum corpora ſunt colorata, colores enim reſultant ex naturali humani corporis temperamento, & ad ejuſdem perfectionem ac pulchritudinem conferunt; ſunt item lucem emittentia, undè in ſcriptura Soli & Stellis comparantur; atqui hoc utrumque cum diaphaneitate repugnat, colores enim ſunt opaci, & terminant viſum, qui ſolùm in opaco terminatur; lux item tranſmittitur quidem per corpus diaphanum, puta per aërem, at non emitti niſi à corpore opaco, ut apparet in Sole & Stellis. Sed

31. Sunt ſimul lucida ſeu illuminantia, & colorata. contrà: admitto libenter beatorum corpora eſſe tùm colorata, tùm illuminantia ſeu lucem emittentia; at falſum eſt iſta cum diaphaneitate repugnare, imò conſtat experientia in aliquibus corporibus cum diaphaneitate conjungi, ſic in vitro & topazio optimè conjungitur coloratum cum diaphano, cum utroque conjungitur lucidum in carbunculo gemma ipſis in noctibus lucente; idem evenit in cicindelis, quæ muſcarum genus ſunt, & ex eo quòd noctu luceant ab aliquibus noctilucæ dicuntur: Scio in his corporibus lucem eſſe tenuem, & non omninò perſpicuam diaphaneitatem; at præter quod quæ naturaliter conjunguntur in gradu remiſſo facilè poſſunt conjungi divinitus in gradu intenſo; quoad diaphaneitatem nihil cogit ipſam in corporibus glorioſis admittere omninò perſpicuam, imò in te arbitror colores aliquam illis opacitatem afferre, & addo mixturam hanc opaci cum diaphano, tùm corporum venuſtati, tùm intuentium voluptati deſervire; quoad lucem, cum in beatis *ex ſequenti num. 36.* ſit diverſæ ſpeciei à noſtrâ, facilè poteſt non requirere ex parte ſubjecti conditiones illas, quas noſtra requirit.

Placet hic duo breviter advertere: Primum eſt malè à quibuſdam confundi den- 32. Denſum differt ab opaco.
ſum cum opaco; quis enim in vitro, chryſtallo, & adamante, quæ corpora ſunt eximiè diaphana, magnam duritiem neget, magnamque denſitatem; hæc rectè conceditur etiam glorioſis corporibus, hæc eſt proprietas comes gravitatis & humani corporis perfectio, non ſic opacitas ſaltem intenſa: Secundum eſt diaphaneitatem non augere in beatis numerum dotium, ſed provenire à ſubtilitate, quæ ſpiritualizando corpus, excludendo ſcilicet partes magis terreas & excrementitiis, humoreſque craſſiores & groſſiores, reddit ipſum depuratum, & luci, quâ nihil purius, pervium. Diaphaneitas non eſt dos.

Aſſert. 2. Dos Claritatis conſiſtit formaliter in luce materiali intrinſeca & inhærente corpori glorioſo. Colligitur hoc aſſertum 33.
ex D. Thoma *in 4. diſt. 44. q. 2. art. 4. in reſp.*

ad

ad 1. quæſt. & in ſupplem. q. 85. art. 1. in c. eoſdem habet Patronos, quos aſſertum præcedens, & eſt contrà Durandũ *in 4. diſt. 44. q. 8.* ubi non ſolùm negat glorioſis corporibus lucem in ipſorum intima profunditate, ſed inſuper probabile reputat in extima ſuperficie eſſe tantummodò eximiam terſitudinem & polituram cum incidentia lucis extrinſecæ abſque ulla luce intrinſecùs recepta: Item contrà Scotum *in 4. diſt. 49. q. 15. §. Reſpondeo* ubi vult claritatem glorioſam ſitam eſſe in colore pulcro & ſui perfectè manifeſtativo, quãvis deinde *in fine §.* cum perplexitate propendeat ad ponendã ſimul cum colore lucem in corpore glorioſo receptam, unde etiam major Scotiſtarum pars claritatis dotem, tùm in colore, tùm in luce, id eſt in ſplendida & lucida colorum manifeſtatione conſtituit, ſic inter alios Lauræa *in 4. tom. 4. diſp. 21. art. 5.* ubi eruditè præmiſſis pluribus ſignificatis hujuſce vocis *Claritas* contendit potiore & frequentiore uſurpatione ſignificare perfectam manifeſtationem alicujus excellentis prærogativæ.

Dos claritatis eſt lux corpori glorioſo intrinſeca.

Probatur aſſertũ ex eo, quòd in Scriptura claritas beatorum ſæpè comparatur claritati Solis, Lunæ, & ſtellarum, quorum certè claritas, nec in colore ſui perfectè manifeſtativo, nec in terſitudine & politura conſiſtit: Sancti etiam Patres beatorum corpora indifferenter vocant lucida, & clara, adeoque ipſorũ claritatẽ faciunt cum luce ſynonimam, ex quo modo loquendi ſanctorum Patrum meliùs, quàm aliunde eruitur germana ſignificatio, ſecundùm quam ſumenda eſt claritas in præſenti, quidquid ſit deindè, utrũ in aliis materiis habeat aliquam aliam potiorem & uſitatiorem ſignificationem, ut oſtendere co-

34. natur Lauræa *art. 5. præcit.* Confirmatur: ſi claritas, de quâ in præſenti, conſiſteret, aut in ſola pulcritudine colorum, aut in ſola terſitudine & politurâ, non eſſet perfectio magni momẽti; & tamen de dote claritatis Scriptura & Patres magnificè loquuntur: Beatorum corpora non haberent niſi lucem ad ſe terminatam, & juxtà variam propinquitatem ad varia illuminantia haberent lucẽ inæqualem, eſſent illuminata potiùs quam lucida; & tamen ſancti Patres illa vocãt ſimpliciter lucida, nec unquam meminerunt lucis in eodẽ glorioſo corpore inæqualis: Dos claritatis non eſſet qualitas de novo impreſſa corpori glorioſo; & tamen D. Thomas *3. part. q. 45. art. 2. in c.* expreſsè ait *Ad corpus glorificatum redundat claritas ab animâ, ſicut qualitas quædam permanens, corpus afficiens*, imò

35. *4. ad. q. art. 1. ad 5.* indicat claritatem eſſe qualitatem ſpecialiore modo, quàm ſint cæteræ dotes, ait enim, *inter quatuor dotes ſola claritas eſt qualitas ipſius perſonæ in ſe ipſa*: Quibus verbis adverte obiter abuti nonnullos ad probandum cæteras dotes non eſſe qualitates: Verùm S. Doctor dicens ſolam claritatẽ eſſe qualitatẽ, loquitur de qualitate, quæ per ſe ipſam in perſona manifeſtetur, cum aliarum dotium qualitates non percipiantur, niſi in aliquo actu, vel motu, ſeu paſſione.

Eſt qualitas ſpecialiore modo quã cæteræ dotes.

Suppoſito quòd dos claritatis formaliter in luce conſiſtat, & quòd defæcatiores, pulcrioreſque glorioſi corporis colores, nec non ipſorum manifeſtatio pertineant ad dotem claritatis ſolùm tanquam quid conſequens & ſecundarium, nonnulla de hujuſmodi luce dubitantur. 36.

Dubitatur primò: Vtrùm lux corporis glorioſi ſit ejuſdem ſpeciei cum noſtra: Reſpondetur hujuſce dubij ſolutionẽ pendere à ſolutione dubij ſequentis; ſi enim lux illa ponatur naturalis in ſubſtantia, nulla apparet ſufficiens ratio ſpecificæ diverſitatis, nec excedet lucem noſtram, niſi quoad modum productionis & majorem intenſionem; quòd ſi ponatur ſupernaturalis in ſubſtantia, diverſus ordo arguet à fortiori diverſã ſpeciẽ.

Dubitatur ſecundò: Vtrùm lux corporis glorioſi ſit ſupernaturalis in ſubſtantia: Negat aut ſaltẽ negare videtur D. Thomas *in 4. diſt. 44. q. 2. art. 4. in reſp. ad 2. quæſt. & in ſupplem. q. 85. art. 2. in c.* Doctorẽ ſuum ſequuntur Thomiſtæ cõmuniter, & cum Thomiſtis ſentiunt multi recentiores. Affirmant è contrà Ægidius *tom 3. lib. 4. q. 6. art. 5.* Richardus *in 4. diſt. 49. art. 4. q. 6.* Suarez *3. p. tom. 2. diſp. 32. ſect. 1. & diſp. 48. ſect. 2.* Salas *hic diſp. 14. ſect. 16. n. 132.* &c. Ambiguè & problematicè ſentiunt Arriaga *hic diſp. 56. ſect. 2. ſubſec. 6.* Madernus *q. 3. art. 19. n. 7.*

Eſt qualitas ſupernaturalis in ſubſtantia.

Reſpõdetur ſuſtinendo eſſe ſupernaturalem in ſubſtantia, tùm ob rationes allatas pro ſupernaturalitate aliarum trium dotium, tùm etiã ob rationes aliquas particulares, quarum prima ſit, quia lux illa habet effectus valdè diverſos à qualibet luce naturali, nullũ enim producit calorem in ſubjecto etiam capaci, radios ejaculatur etiam exiſtens in corpore diaphano, lucem remiſſiorem rerum naturalium non occultat ut facit lux ſolis, quã tamen eſt major: Secunda ſit, quia ut ex ſacris paginis probat Salas *loco præcit.* lux illa ſpecialiter dicitur claritas Dei, tanquam habens ſpecialem connexionem cum aliquo prædicato Dei proprio, quod eſt vehemens argumentum ſupernaturalitatis in ſubſtãtia: Nec refert quòd alibi in ſcriptura conferatur luci ſolis, id enim non fit, quia ſit ejuſdem ſpeciei & ordinis, ſed quia ut bene notat Euthymius in illud *Matth. 13. Tunc fulgebunt juſti ſicut ſol*, utendum erat exemplo aliquo nobis noto, nec quidquam nobis notum eſt, quod ſit ſole ſplendidius: Tertia ſit, quia non eſt aſſerenda impoſſibilis lux materialis ſupernaturalis, ſuppoſito autẽ quòd poſſibilis ſit, nullâ ſufficienti ratione negari poteſt corpori glorioſo: Quarta ſit, quia pro Adverſariis vix aliquid alicujus roboris militat præter auctoritatem D. Thomæ, de qua tamen etiam Adverſarij ſibi nimis blandiũtur, fortè enim S. Doctor vult lucẽ glorioſam cum luce noſtrã eſſe ejuſdem ſpeciei ſolùm ſubalternæ, non infimæ; indicat hoc, dum *loco cit.* probat eſſe ejuſdem ſpeciei, quia ſecùs lux illa, & lux noſtra, ſe haberent æquivocè, ex quo certè non infertur utramque eſſe aut naturalem, aut ejuſdem ſpeciei infimæ, quia cognitio, v. g. naturalis & ſupernaturalis, quamvis nec ſint ejuſdem ordinis nec ejuſdem ſpeciei

37. Mens D. Thomæ in hoc pũcto non ſatis conſtat.

infimæ, non tamen ſe habent æquivocè; Favet huic meo intento quod tradit idem S. Doctor *in 3. diſt. 16. q. 2. art. 5. ad 4.* dicens *quòd claritas hujus vitæ ſcilicet naturalis non eſt proportionabilis claritati patriæ*, cum tamen ea, quæ ejuſdem ſpeciei infimæ ſunt, ſint ſaltem divinitùs proportionabilia.

38. Dubitatur tertiò: Vtrùm lux glorioſa poſſit naturaliter videri ab oculo non glorificato? Reſpondetur negativè & eſt reſponſio conſequens ad reſponſionem ſuperiorẽ, eoſdemque ferè habet, tùm oppugnatores, tùm propugnatores; Arriaga tamen etiam in hoc puncto problematicè loquitur, quia inquit ex una parte objectum in ſubſtãtia ſupernaturale poteſt per naturale medium ab intellectu attingi cognitione naturali, & ex alia parte probabilius eſt repugnare ſenſibus externis omnem actum ſupernaturalem in ſubſtantia: Verùm non repugnat ſenſibus externis actus ſupernaturalis in ſubſtantia, niſi ſimul repugnet ſupernaturalitas quoad ſubſtantiam cuilibet qualitati materiali, nec ex eo quòd intellectus poſſit actu naturali cognoſcere objectum ſupernaturale infertur id etiam de oculo; diſpar enim eſt ratio, quia intellectus poteſt cognoſcere actu abſtractivo & per ſpeciem alienã, oculus ſolùm actu intuitivo, ſicuti igitur intellectus actu naturali nequit attingere intuitivè objectũ ſupernaturale, ità oculus, qui non attingit objectum niſi intuitivè nullo prorsùs actu naturali valet attingere lucẽ ſupernaturalem: Nec probatur oppoſitum ex eo, quòd Apoſtoli in Transfiguratione, & Paulus proficiſcens Damaſcum viderint lucem corporis Christi glorioſi; enim verò id contigit miraculosè & per ſpecialem elevationẽ oculi nondum glorificati: Nec propterea multiplicamus ſine neceſſitate miracula, nam, præter quod rationes ſuprà allatæ ſatis oſtendunt neceſſitatem miraculi quod inducimus, magis miracula multiplicant Adverſarij, qui ſuſtinendo lucẽ glorioſam eſſe naturalem tenẽtur concedere miraculũ, quoties quis vidit corpus Christi glorioſum ipſius luce non viſa, ut contigit in apparitionibus poſt reſurrectionẽ factis duobus diſcipulis propè Emmaus, item undecim Apoſtolis in Ieruſalem congregatis *Luc.* 24. Magdalenæ *Ioan.* 20. Petro, Thomæ, & aliis *Ioan.* 21. omnibus adſtãtibus quando in Cœlum aſcendit *Act.* 1. quibus omnibus in caſibus nos dicimus viſam non fuiſſe dotẽ claritatis & lucẽ glorioſam non ex occultatione miraculoſa, ſed quia, utpotè ſupernaturalis in ſubſtantia, non eſt naturaliter viſibilis ab oculo non glorificato, id eſt non elevato per ipſammet lucem glorioſam, ut elevatur in quolibet beato, qui propterea connaturaliter videt lucem, tùm in proprio, tùm in aliorum beatorum corpore exiſtentem abſque alia ſpeciali elevatione.

Lux glorioſa nequit naturaliter ab oculo non glorificato videri.

39.

Oculus beati undenam ſit elevatus ad videndam lucem glorioſam?

40. Dubitatur quartò. Vtrùm beatus poſſit pro libito lucem proprij corporis aut occultare oculo glorificato alterius beati, aut manifeſtare oculo non glorificato viatoris. Reſpondetur ex natura rei neutrum poſſe; probabile tamen eſſe, quòd poſſit utrumque ex providentia Dei extrinſeca: Ratio primi eſt, quia nec unus beatus ab alio pendet in viſione objecti proportionati & indiſtantis, nec oculus viatoris poteſt ſuſcipere à beato dotem claritatis, aliamve elevationẽ: Ratio ſecundi eſt, quia probabile eſt Deum ex vi decreti extrinſeci eſſe paratum ad elevandũ oculum viatoris, quoties beatus voluerit ſuam ei lucem prodere; item ad impediendũ, ne lux ſui ſpeciem tranſmittat ad oculum glorificatum alterius beati, quoties beatus voluerit ſuam ei lucem occultare; videtur enim talis decreti extrinſeci privilegium maximè conſentaneum perfectioni ſtatus beatifici.

41. Dubitatur quintò: Vtrùm lux glorioſorũ corporum ſit futura inæqualis juxtà inæqualitatem meritorum. Reſpõdetur affirmativè, cum enim hujuſmodi lux redundet ex beatitudine eſſentiali, & hæc inæqualis ſit juxtà meritorum inæqualitatẽ, congruè juxtà eandem meritorum inæqualitatẽ aſſeritur inæqualis illa lux ut acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis, & beatitudo accidentalis menſuram beatitudinis eſſentialis: Idem proportionaliter ſentiendum de dote agilitatis: Quoad dotes impaſſibilitatis & ſubtilitatis, quia, licèt ſecundùm nos ſint poſitivæ qualitates, habent tamen effectus ferè omninò negativos, & in indiviſibili conſiſtentes, magis arbitrarium eſt ipſas æquales vel inæquales pro libito ponere; æquales quidem propter æqualitatem effectuum, quos in beatis omnibus præſtant; inæquales propter inæqualitatẽ beatitudinis eſſentialis, ad quam conſequuntur; & certè quia habere eundem etiam effectũ negativum ex vi qualitatis magis intenſæ ſpectat ad aliquam majorẽ perfectionem, & ad aliquale augmentum beatitudinis accidentalis propendeo ad aſtruendas in beatis juxtà inæqualia merita inæquales illas etiam qualitates, in quibus impaſſibilitatis & ſubtilitatis dotes conſiſtunt.

Quid de æqualitate, vel inæqualitate claritatis, & aliarum dotium in beatis?

---

§. VI.

De aliis perfectionibus corporis glorioſi, & primò de perfectione naturali ipſius in eſſendo.

42. Assert. Corpora glorioſa habebunt in eſſendo omnẽ naturalem perfectionem, omneſque ſuas partes tùm integrantes tùm etiam ornantes. Colligitur hoc aſſertum ex ſanctis Patribus ſparſim, ex Magiſtro *in 4. diſt.* 44. D. Thoma *in ſupplem. q.* 80. *&* 81. *& 4. cont. Gent. c.* 84. *& ſequentibus*, item ex aliis Theologis communiter rem hanc pertractantibus, vel circà finem tractatus de beatitudine, vel circà finem libri quarti ſententiarum.

Probatur aſſertum in univerſum ex eo, quòd talem glorioſorũ corporũ conditionem exigit dignitas Cœli Empyrei, plena ſatietas beatorum, munificentia Dei beantis, excellentia ſtatus beatifici, ipſiuſque eminentia ſuprà ſtatũ innocentiæ, in quo humana corpora

pora nullo defectu naturali laboraſſent. Cõfirmatur attingendo ſingillatim & deſcribendo quodammodò ea, quæ ſpectant ad naturalem conditionem glorioſorum corporum quoad ipſorum eſſe.

Glorioſorũ corporum temperamentum. Habebunt glorioſa corpora diverſa diverſum, ſingula tamen optimum juxtà complexionem propriam temperamentum, utpotè ab omni extranea qualitate & ab omni humore indebito depuratum. Habebunt organa interiùs & exteriùs perfectè diſpoſita; nulla in ipſis virium imbecillitas, nulla gibboſitas dorſi, nulla tortuoſitas crurum, non in oculis cæcitas, non in auribus ſurditas, &c.

43. Partes integrantes. Habebunt ultrà partes integrantes principales, etiã minùs principales & ſecundarias, ut quatuor humores, & ſpiritus tùm vitales reſidentes in arteriis, tùm animales reſidentes in nervis, non tamen ſucceſſivè de novo efformabuntur, ſed in reſurrectione ſecundùm quantitatem temperamento proportionatam per corpus effuſi erunt non minùs, quàm corpus ipſum incorruptibiles.

Partes ornantes. Habebunt ex partibus excrementitiis eas, quæ ad ornatum inſerviunt, ut pilos, capillos, & ungues; cæteras ut ſudorem, ſputum, urinã non item; nec viſcera fæculentis egeſtionibus, ſed humoribus ſuaviter olentibus replebuntur; fæces enim, urina, ſputum, &c. præter quòd res viliſſimæ ſunt & indecentes, ſunt quædam conſectaria nutritionis quæ ceſſabit in beatis; in quibus etiam quia omnis ceſſabit generatio, inter excrementa, quibus carebunt glorioſa corpora, recenſendum eſt ſemen, pro quo inſuper militat ſpecialis ratio, quia ſcilicet in corpore mortali non datur propter bonum individui, ſed propter bonum ſpeciei conſervatione indigentis.

44. Ætas. Ætas in beatis omnibus eadem erit, juvenilis ſcilicet & annorũ circiter triginta triũ, hæc enim eſt ætas plena & perfecta, quã ſolent eſſe optimè conſtitutæ corporeæ vires juxtà illud Apoſtoli Epheſ. 4. *In virum perfectum, in menſurã ætatis plenitudinis Chriſti*, ubi adverte obiter iy *virum* non poni ad diſtinguendum ſexum, ſed ad ſignificandam perfectionem virium. Et hæc ætatis annorumque conditio communis erit etiam damnatis, ut quaſi robuſtiores ſint ad pœnas, & potentes potenter tormenta patiantur; iiſdem magis communiter conceditur membrorum integritas ut in omnibus corporis partibus puniantur, ſicque eædem prærogativæ beatis ad gloriã, damnatis ad pœnam inſervient.

Statura. Statura & diſpoſitio corporis ea erit, quã unuſquiſque cum rectã vivendi ratione, & abſque ullo naturæ defectu attigiſſet in ſuprà dicta juvenili ætate, adeoque diverſa erit & varia juxtà varias uniuſcujuſque complexiones: Statura tamen vel nimis puſilla vel nimis procera, tanquam afferens deformitatem, & ex defectu naturæ proveniens, corrigetur & ad proportionatã menſurã ex divina voluntate determinandam transferetur.

45. Facies. Facies, illæ præſertim, quæ minùs formoſæ fuerunt, reformabũtur quidem in meliùs, & nec Æthiopes. v.g. nigredinem, nec abſtinentiis extenuati maciem retinebunt, erunt tamen cum varietate & diverſitate lineamentorum correſpondente diverſitati hujus vitæ mortalis adeò ut dignoſci poſſint & diſcerni; eſt enim tùm facierum varia formoſitas, tũ ſtaturarum intrà certam latitudinem diverſa inæqualitas decor; non error naturæ.

Sexus. Sexuum differentia, utpotè quæ ex natura eſt, non ex defectu (unde ipſemet naturæ Auctor in primorum parentum formatiõne Gen. 1. *Maſculum & fœminam creavit eos*) à beatis excludenda non eſt, & eſſet vitiũ carnalis hominis non ſatis percipientis ſpiritualem & puriſſimam glorioſi corporis conditionem aliquem in ipſa pudorem ex ſexuum differentia ſuſpicari; enim è contrà in illa tùm diverſa corporis integritas, tùm virtus propagativa propriæ ſpeciei in vita mortali, tũ aliqua alia perfectio relucent: Meritò proptereà erroris & hæreſis notantur non ſolùm illi, qui ſexuum differentiam negant ex eo, quod velint corpora reſurgentium non fore organica, ſed etiam qui eandem negant ex eo, quòd velint homines omnes eſſe reſurrecturos in ſexu virili; utriuſque erroris meminit Salas *hic diſp.* 14. *ſect.* 13. *conc.* 5.

Contrà ſexuum differentiam, ſicuti etiam contrà membra & organa ſpectantia, tùm ad generationem, tùm ad nutritionem & augmentationem, objici ſolet ipſorum ſuperfluitas, ex eo quòd potentiæ generativa, nutritiva, & augmentativa operationes ſuas non exerceant in corporibus glorioſis. Nihilominùs facilè occurritur dicendo prædictam ſexuum differentiam, prædictaque membra & organa admitti debere ſaltem propter integritatem glorioſorum corporum in eſſendo; quæ certè mutila eſſent & monſtroſa, ſi omnibus membris & organis ſpectantibus ad potentias generativam, nutritivam, & augmentativã deſtituerentur: Utrùm deindè talia membra & organa etiam ad operationem aliquã inſerviant, rectè advertit Eſtius in 4. *diſt.* 44. §. 14. non eſſe id temerè negandum; Sicut enim, inquit, nobis artificis alicujus officinam ingreſſis accidit, ut multorum inſtrumentorum uſum ignoremus ac ea putemus ſupervacanea & inutilia, quæ tamen omnia ſuum habent uſum artifici cognitum, Ità fortè nobis accidit quaſi per caliginem contemplantibus ſtatum illum beatæ reſurrectionis, & corporis immortalis, in quo operę quẽ uſum ſingula ſint membra habitura novit ille qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, licèt nos id pro magna parte ignoremus: Quod mirum non eſt, quoniam ne pro hac quidem animali vita omnium partium humani corporis uſus ſatis eſt medicis certò cognitus & exploratus: nam de quibuſdam adhuc dubitatur, de aliis diu dubitatum fuit quem uſum haberent.

46. Occurritur inſtantiæ Adverſariorum.

Utrùm omnia mẽbra in beatis uſum aliquem habeant?

§. VII.

§. VII.

De perfectione naturali corporis glorioſi in operando.

47. ASSERT. Naturalis perfectio corporis glorioſi in operando relucet optimè in operationibus partis ſenſitivæ, quæ in ipſo longè perfectiori modo exercentur, quàm in corporibus non glorioſis. Hoc aſſertum ità univerſaliter poſitum communiſſimè receptum & indubitatũ eſt, quamvis deinde controverſum ſit & ambiguum quoad aliquas potentias ſenſitivas in particulari, de quibus vix conſtat, quem uſum in beatis habeant, ut attingam diſcurrendo per ſingulos ſenſus.

Operationes partis vegetativæ non dantur in beatis.

Dixi *partis ſenſitivæ*, quia ad operationes partis intellectivæ corpus immediatè non concurrit; operationes verò partis vegetativæ non exercentur in patriâ, ubi homines *non eſurient neque ſitient* ex Iſa. 49. & *neque nubent neque nubentur* ex Matth. 22. quamvis ſtolido & impuriſſimo errore Machometea non erubuerit voluptates carnis in cœlis admittere; excluduntur enĩ vegetativæ partis operationes à dote tùm impaſſibilitatis, tùm ſubtilitatis, nam ratione illius nullam poteſt ſui partem deperdere, nullam læſivã alterationem pati; ratione iſtius quaſi ſpiritualizatur, & nullam extrinſecam ponderoſitaté admittit: niſi igitur exercerentur in pa-

48. Bene tamē partis ſenſitivæ.

triâ operationes partis ſenſitivæ, nullæ prorsùs haberẽtur operationes corporeæ, & glorioſa corporũ reſurrectio videretur instituta potiùs ad perpetuum quendam ſomnũ, quàm ad vitam, quæ in operatione, & ſenſuum præſertim exercitatione conſiſtit: Deinde pars ſenſitiva, ſicuti in via particeps eſt meriti, & reprobi etiam ſecundùm ipſam perpetuò torquentur; ità in termino debet eſſe particeps præmij, ſeu vitæ beatæ, & prædeſtinati debent etiam ſecundùm ipſam perpetuò recreari; atqui recreatio & vita beata partis ſenſitivæ non poteſt niſi in ipſius operationibus collocari: ergo. His præmiſſis aſſertum

Probatur primò in univerſum: Verè dantur in corporibus glorioſis plures operationes naturales partis ſenſitivæ, ſed hujuſmodi operationes in ipſis exercentur longè perfectiori modo, quàm in corporibus non glorioſis: ergo naturalis perfectio corporis glorioſi, &c. major patet ex mox præmiſſis; minor probatur tùm ex majore perfectione naturali corporum glorioſorum in eſſendo, tùm ex meliore conditione objectorum ſenſibilium.

Probatur ſecundò in particulari diſcurrendo per ſingulas partis ſenſitivæ facultates, ſeu potentias, & perfectiores ſingularum operationes inſinuando.

49. Quomodò detur in beatis naturalis operatio potētiæ locomotivæ.

Potentia locomotiva, ſicuti habebit organa valdè expedita, & ſpiritibus animalibus abundè ſemper inſtructa, ità certum eſt poſſe independenter etiam à dote agilitatis inſervire ad motum progreſſivum velociorem, quàm in corpore mortali; nec ſolo titulo velocitatis erit motus ille perfectior, ſed etiam quia fiet abſque defatigatione & laſſitudine, hæc enim in nobis oritur præcipuè ex ſpirituum animalium impendio; at in motu progreſſivo beatorum ſpiritus animales, utpotè ob dotem impaſſibilitatis incorruptibiles, nullum ſubeunt impendium: Motũ non progreſſivum & inorganicũ prætereo, quia non ſpectat ad potentiam locomotivã corporeã, & eſt motus qui cauſatur quidẽ in corpore, at non à corpore, ideò ſive poſſit eſſe operatio purè naturalis, & independens à dote agilitatis, ſive non, nihil intereſt; deduci tamen id poteſt ex ſupradictis *n.* 22.

Itē operatio ſenſus interni.

Senſus internus exercebit actus ſuos, tùm per ſpecies in via acquiſitas, eique in reſurrectione reſtitutas, tùm per alias aut à Deo inditas, aut miniſterio externorum ſenſuum de novo in patria elaboratas, primo modo habebit beatus materialem reminiſcentiam ſenſibilium actuum, quos elicuit, & ſenſibilium objectorum, quæ rognovit in via; ſecundo modo novas & excellentiores res ſenſibiles cognoſcet; utroque modo perfectiùs operabitur, quàm in vita mortali, præſertim propter organa quaſi ſpiritu lixata, & ſpiritus animales puriores ac incorruptibiles.

50. Operatio appetitus ſenſitivi.

Appetitus ſenſitivus ſe habet ad ſenſum internum eo modo, quo appetitus rationalis ad intellectum, ſicuti igitur dantur operationes appetitus rationalis eæque perfectiores, ubi dantur perfectiores operationes intellectus; ità in beatis, cum dentur operationes ſenſus interni eæque perfectiores quã in via, conſequens eſt quòd in iiſdem dentur perfectiores operationes appetitus ſenſitivi. Fortè etiam ut notat Herincx *hic diſp.* 1. *q.* . *n.* 57. Senſus internus & appetitus circà Deum ipſum exercebuntur, phantaſia ſcilicet ſpecioſiſſimas Dei imagines materiales concipiente appetitus ſuavitate ſenſibili mirum in modum afficietur.

Operatio oculorum.

Oculi non ſolũ ut elevati à luce glorioſa conſpicient ſupernaturali actu dotẽ claritatis in omnibus beatorum corporibus eximiè coruſcantem, in aliquibus item corporibus ſpecialem decorẽ ad aureolas animæ conſequentem, de quo *cap præced. n.* 36. nec non colores ſupernaturales, ſi qui de facto dantur; verùm etiam independenter à luce glorioſa attingent operatione purè naturali plura objecta quoad ſubſtantiam naturalia, pulcherrima tamen & aſpectus valdè delectabilis, cujuſmodi ſunt humanitas Chriſti Domini, empyrei ſplendor & decor, glorioſorũ corporum tùm omnium in ſtatura & effigie varietas, tùm ſingulorum in coloribus, in lineamentis, in ſtructurâ venuſtas. Illi, qui collocant beatos in convexa Cœli empyrei ſuperficie, & per conſequens inter ipſorum oculos & objecta viſibilia non ſpatiũ poſitivum, ſed vacuum agnoſcũt, non poſſunt hic explicare tranſmiſſionem ſpecierũ intentionalium ad beatorum oculos, niſi recurrendo ad miraculũ, quo hujuſmodi ſpecies, vel deducantur per vacuum, vel non tranſeant per medium:

medium: Verùm facilè miraculum hoc vitatur ſentiendo utrâque Cœli Empyrei ſuperficiem concavam & convexam ſolidam eſſe, ſpatium verò intermedium eſſe plenū corpore quodam fluido, per quod facilè ſpecies intentionales ad ſenſus tranſmittantur, & in hoc ſpatio cui ſuperficies ſolida inferior tanquam ſolum, ſuperficies ſolida ſuperior tanquam fornix ſeu laqueare deſervit, beatos **Locatio.** ſuam habere ſedem, & certè ipſorum locum intrà non ſuprà Cœlum eſſe traditur à D. Thoma 1. *p. q.66.art.3.* aliiſque Theologis & evincitur auctoritatibus Scripturæ & Patrum frequenter docentibus ſanctos in Cœlo eſſe, Tridentinū etiam *ſeſſ.25. in decreto de invocat. Sanctor.* ait illos in Cœlo frui, in Cœlo regnare. Neque obſtant verba Apoſtoli *Epheſ.4.* dicentis de Chriſto Domino, *Qui aſcendit ſuper omnes Cœlos*, enim verò ut ait D. Thomas (quamvis videatur aliter docuiſſe 3. *p. q 57. art.4*) in 3. diſt. 22. q.3. art.3. ad 1. *Non dicitur aſcendiſſe ſuper Cœlos, quia extra Cœlum Empyreum ſit; ſed quia in altiſſimam partem Cœli Empyrei aſcendit*; eodem modo intelligi poſſunt verba illa Heb 7. *Excelſior Cœlis factus.* Vterque inſuper textus intelligi poteſt de Cœlis mobilibus.

52. Operatio aurium. Aures operationes ſuas exercebunt oblectationeſque percipient in audiendis ſuaviſſimis laudum divinarum canticis quorū frequens mentio fit in ſacris paginis; nec deerūt inter beatos ipſos colloquia, quos certè nimis abſonum eſt mutos & ſurdos arbitrari; eſt quidem aliqua difficultas circà modum, quo vox formetur, & ſonus tranſmittatur; at ſoni trāſmiſſio difficilè tantùm explicatur ab iis, qui beatos collocant aut in vacuo aut in ſpatio ſolido, facilè à nobis qui eiſdem aſſignamus ſpatium fluidum, & auram quandam **Formatio vocis.** ſpirabilem inſtar aëris: Pro vocis formatione ſufficit advertere, quod non requirit aliquā aëris ab ore emiſſionem; aër igitur ille, quem corpora in Cœlum aſcendentis habebant in ore, guttere, pulmonibus aliiſque cavitatibus ad colloquia & cantica tota æternitate formanda optimè ſufficiet, ut magis explicat Ioannes à S. Thoma *hic diſp.1. art.9. n.26.* cum S. Doctore *in 3. diſt.2. q 2.art.3. ad 5.* Neque dicas quomodò poterunt haberi colloquia & cantica, ubi ex Apoſt. 1. Cor. 13.

53. Linguæ, ſeu idiomatis unitas. *Lingua ceſſabunt.* Contrà enim: Apoſtolus vel intelligendus eſt conditionatè, quòd etiamſi deberent linguæ ceſſare, charitas non deficiet; vel ſolùm vult linguas ceſſaturas, quoad eas imperfectiones, quas habent in corpore mortali, vel admittendo ſimpliciter & abſolutè linguarū ceſſationem dicendum eſt inſtitutam eſſe à Chriſto pro beatis ſpecialem linguam elegantiâ, lepore, & copiâ, omnes hujus vitæ linguas ſuperantem; favet huic dicendi modo Bernardus *in medit.c.4.* dicens *Vna erit omnium lingua, jubilatio indefeſſa,* **Ejuſdē varietas.** &c. quam unam linguam non adeò probabiliter aliqui docent eſſe aut hebraïcam, aut latinā; non negaverim tamen præter novam illam linguam, quæ erit in beatorū collocutionibus magis frequens & uſualis, extraordinariè quodāmodò & arbitrariè uſuros quacumque lingua voluerint, veriſimile quippè eſt infundi beatis linguarū omniū notitiam, tùm ad ipſorum ornamentū & oblectamentū, tùm ut omnis lingua cōfiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

Guſtus cibi & potus nec indigentiam habebit nec uſum, & audiēdi non ſunt illi, qui ad litteram intelligunt illud Luc. 22. *Ego diſpono vobis regnum ut edatis & bibatis ſuper menſam meā in regno meo*, propterea que nectaris & ambroſiæ fontes, perennē item feracemque ſuaviſſimorum fructuum autumnum in Cœlo cōminiſcuntur. Vtrùm deinde negato eſu & potu negandus pariter ſit omnis alius guſtui actus? incertū eſt, negat omnem alium actum Bonaventura *in 4. diſt.49. p.2.* ad negandum etiam propendet Lauræa *in 4. tom.4. diſp.21.art.8.n.344.* Alij magis communiter cōcedunt beatorū guſtui actum ſuum circà humorē quendam gratiſſimum, ſaporibus omnibus non minùs, quàm olim manna Iſraëliticum, æquivalentem, ſalivæ ad inſtar in os & fauces aut divinitùs inſtillatū, aut derivatum ex optimo temperamento in ipſamet reſurrectione; novum enim non eſt etiam in hac vita eos, qui bono gaudent temperamento lingua & palato ſuaviter affici, quanto magis igitur quando homo ad aliam vitam cum perfectiſſimo temperamento reſurgit, &c. **54.** **Operatio guſtus.**

Odoratus æquè ac guſtus omni ponitur carere actu à D. Bonaventura *loco cit.* concedendo tamen ſuum actum guſtui multo magis odoratui concedendus eſt, quia pro objecto odoratus in beatis plura poſſunt afferri loca Scripturæ ut Cantic. 1. *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Eccleſ. 24. *Sancti tui Domine florebunt ſicut lilium, & ſicut odor balſami erunt ante te*, probabile igitur omninò eſt, tùm glorioſa corpora, tùm Cœlum ipſum Empyreum auráque ſpirabilem beatis circumfuſam non per emiſſionē corpuſculorum, ut fortè contingit in rebus odoriferis corruptibilibus, ſed per fragrantiſſimam qualitatē excitare in organis olfactus jucundiſſimā operationē, & oblectationē mirificā. **55.** **Operatio odoratus.**

Tactus operatio in beatis admittitur etiā à Lauræa aliiſque ex negantibus operationē guſtus & odoratus, nec congruè Chriſtus in corpore glorioſo poſt reſurrectionem apparens dixiſſet Luc. 24. *Palpate & videte*, &c. ſi a*a non fuiſſet tangibile ipſius corpus aut non potuiſſet percipere attactū, inveriſimile inſuper eſt, quòd ſenſus per totū corpus extenſus omni actu careat, nulliuſque oblectamēti ſit ſuſceptivus in patriā is, qui præ cæteris omnibus ſenſibus eſt pœnarū & dolorum ſuſceptivus in via. Exercebitur igitur ſenſoriū tactus in dulciſſimis oſculis & amplexibus beatorū ad invicem, in attactu tùm ſolidæ ſuperficiei, tùm fluidæ profunditatis Cœli empyrei; ex quibus omnibus propter maximam qualitatum temperiem ſuaviſſima æquè ac honeſtiſſima oblectatio conſurget; neque enim exiſtimare fas eſt omnes delectationes tactus quaſi ſordeſcere, ſe indecentiam aliquā redolere; imò omninò credendū **56.** **Operatio tactus.**

convenire etiam tactui ſuas puriſſimas ac honeſtiſſimas voluptates, à beatis præſertim percipiendas; & licèt tactus delectationes, ſicuti etiam delectationes guſtus & odoratus, non habeant fines illos (conſervationem ſcilicet ſpeciei aut individui) in patria, propter quos honeſtæ eſſe poſſunt in via, & propter quos ſunt à natura inſtitutæ, habent tamen fines alios excellentiores, ad quos ſunt à Deo ut ſupernaturali Auctore ordinatæ; habent ſcilicet pro fine gloriam Dei beantis, & augmentum accidentalis beatitudinis in ipſis beatis.

57. *Occurritur communi inſtantiæ.* Contrà beatorum ſenſuum operationes in univerſum afferri ſolet tritum illud Ariſtotelis 2. de anima *ſentire eſt quoddam pati*, pati autem repugnat doti impaſſibilitatis ſuprà aſſertæ in corporibus glorioſis. Sed facilè occurritur, quia ſentire ſenſatione oblectante, & attingente objecta maximè convenientia, ut evenit in omni ſenſatione corporis glorioſi eſt quoddam pati paſſione perfectiva, at non paſſione læſiva & corruptiva, quam ſolam excludit impaſſibilitatis dos.

Ex dictis habetur inter operationes ſenſuum externorum illam, pro quâ admittenda major eſt certitudo eſſe operationem oculorum; illam, pro quâ major eſt incertitudo, eſſe operationem guſtus; ad certitudinem primæ accedit operatio aurium, ad incertitudinem ſecundæ accedit operatio odoratus, medio quaſi inter omnes modo ſe habet operatio tactus. Porrò licèt operatio oculorum in beatis ſit reliquis certior, de ipſa tamen plura, quàm de reliquis controvertuntur; præſertim verò utrùm exerceatur in quacumque diſtantia? videtur enim id neceſſarium, quia ex una parte ſpatium Cœli Empyrei vaſtiſſimum eſt, ex alia parte congruum eſt, ut quilibet beatus manendo in propria ſede videat corpus glorioſum ſui Redemptoris & Principis Chriſti Domini.

58. *Quomodò omnes beati videant Chriſtum oculis corporeis.* Reſpondent aliqui parùm referre quod quilibet beatus videat ex propria ſede corpus Chriſti Domini, ſed ſufficere, quòd quoties videre voluerit, poſſit ad ipſum motu perniciſſimo accedere. Reſpōdent alij verè quemlibet beatum videre ex propria ſede Chriſti corpus, at non concedunt viſionem ad quamcumque diſtantiam, ſed dicunt corpus Chriſti, ſicuti in ſacramento replicatur pro viatorum merito, ità replicari in Empyreo pro comprehenſorum præmio, & per multiplicatas replicationes conſtitui in proportionata diſtantia reſpectu potentiæ viſivæ corporeæ cujuſcumque beati: Sunt etism qui concedunt oculum glorificatum videre poſſe corpus Chriſti in quacumque diſtantia, vel quia oculus ipſe ſit divinitùs roboratus ad videndum in quacumque diſtantia quodlibet objectum; vel quia Chriſti corpus habeat vim ad producendas in quacumque diſtantia ſui ſpecies, quod privilegium nonnulli admittunt etiam in corpore Deiparæ, nonnulli in omni corpore glorioſo. In omnibus his dicendi modis divinando proceditur, & libenter expectarem graviorum Doctorum ſenſum, aut judicium Eccleſiæ, cui etiam libentiſſimè omnia hucuſque ſcripta omnia impoſterum Deo favente ſcribenda ſubjicio.

LIBER PRIMUS.

DE VARIIS PRÆSVPPONENDIS circà Gratiam.

Ex D. Proſpero carm. de ingratis.

SITIMUS ad fontem, imò ad pelagum aquarum in vitam æternam ſalientium, quarum quælibet gutta omnem peccati labem abſtergit, quælibet unda ad portum ſalutis impellit: At quia defæcatiſſimos & ſalutares latices ſuis tentarunt venenis meliùs dixerim, quàm doctrinis, inficere & depravare *Britannus coluber* Pelagius contrà gratiæ neceſſitatem exibilans, aliaque viperarum genimina contrà ejuſdem cum arbitrio creato concordiam virus ſuum effundentia, & tumultuariè decantantia in gratiæ pelago per-re naofragam libertatem; hiſce blaſphemis & halitu vipereo formatis jurgiis, quibus divina myſteria in monſtra, divina beneficia in detrimenta vertuntur, toto hoc opere occurrendum eſt, implorato ad ſingulos characteres & apices ſpeciali tùm ejus, pro cujus cauſa decertamus, gratiæ ſubſidio, tùm patrocinio mei in religioſo inſtituto Auſpicis Pauli, ſuis Epiſtolis adèò egregiè gratiam extollentis & commendantis, ut teſte

Ex D. Thoma ſer. 13. de verbis Apoſtoli.

Angelico appellari meruerit *Prædicator Gratiæ*; & ô utinam ex gratiæ impulſu & ex Pauli ſpiritu dicatur, quidquid à Pauli alumno de gratia dicetur: Talibus votis & auſpiciis præſentem Tractatum exordior, & cum vix poſſit gratiæ neceſſitas rectè probari, niſi prænoſcantur varij circà gratiam errores, varij humanæ naturæ in ordine ad gratiam ſtatus, variæ ipſius gratiæ acceptiones & diviſiones; hæc omnia tanquam cæteris præ-

Diviſio totius Tractatus.

ſupponenda facimus materiam primi libri, quem inſcribimus *de variis præſupponendis circà gratiam:* Secundus liber inſcribetur *de gratia actuali* & maximè verſabitur circà gratiæ exiſtentiam ac neceſſitatem: Tertius *de gratia habituali* & complectetur gratiæ quiditatem ac cauſas: Quartus *de iuſtificatione & merito* tanquam de gratiæ effectibus: In qua partitione valdè accedimus ad methodum S. Doctoris 1. 2. *q* 109. ubi de gratia ſermonem inſtituens ait: Primò conſiderandum eſt de gratia Dei: ſecundò de cauſa ejus: tertiò de ejus effectibus.

CAPUT I.

De variis erroribus circà gratiam.

1. NON ſolùm Ethnici, non ſolùm initio naſcentis Eccleſiæ aliqui Iudæi, ſed etiam plures legem gratiæ profitentes, multipliciter circà gratiam errarunt, in primis verò Origenes ejuſque diſcipulus & ſectator Ruffinus, deindè Pelagius cujus doctrina, ut ex D. Hieronymo refert Gonet 1. 2. *tract.* 7. *diſput.* 1. *num.* 2. Origenis ramuſculus eſt, & Ruffinum habuit præcurſorem; ejuſdemque calliditas ac pervicacia errores ab aliis in gratiam jam prolatos adeò inſtauravit, ut tales errores tanquam Pelagiani ſoleant in hac materia primo loco recenſeri, quod & nos præſtabimus, compendiariè tamen & ſobriè; quia non intendimus Pelagianam hiſtoriam texere; ſed dumtaxat attingere præcipua Pelagianæ de gratia hæreſis capita; ut præſtant etiam Oviedus *hic tractat.* 7. *controverſ.* 1. *punct.* 11. Arriaga *diſput.* 35. *ſect.* 4. Maderntus *quæſt.* 1. *artic.* 2. Herincx §. 1. & aliquantulo fuſiùs Gonet *tractat.* 7. Aluarez *de auxiliis*, *lib.* 1. *diſputat.* 1. Suarez *toto Prolog.* 5.

§. I.

De erroribus indubitatis Pelagianorum circà gratiam.

ASSERT. Errores indubitati Pelagianorum circà gratiam poſſunt in tres gradus diſtingui: Colligitur hoc aſſertum ex Auctoribus præcitatis, multóque magis ex Sanctis Patribus Auguſtino, Hieronymo, Proſpero, &c.

Probatur & explicatur: Pelagius, quamvis ſemper fuerit injurioſus & adverſarius gratiæ, initio tamen deteriùs contrà eam locutus eſt, poſteà verò, ut Catholicorum damnationem effugeret, mitiùs; diverſiſque temporibus diverſos habuit errorum ſuorum ſtatus & gradus:

2. *Primus gradus errorũ Pelagij pertinens ad Ethnicismũ.*

Primò ſcilicet ne gratiæ quidem nomen agnoſcendo dicebat naturam hominis ſufficere ad exercenda omnia virtutum opera, ad implenda omnia præcepta, ad conſequendam ſalutem, & felicitatem æternam, unde Pelagius *Epiſt. ad Demetriadem, cap.* 2. ait *Optima enim animi incitamenta ſunt, cum docetur aliquis poſſe quod cupiat*, & Fauſtus *lib.* 1. *de gratia, cap.* 1. habet *Pelagium dicit, quod ad obtinendam ſalutem natura hominis ſibi ſola ſufficit*, atque idem priorò ſenſiſſe Julianum & Celeſtium primarios Pelagij Aſſeclas colligitur ex verbis illis Auguſtini lib. 3. cont. Julian. cap. 3. *Natura iſta in tantas & tam manifeſtas collapſa miſerias, liberatorem, mundatorem, redemptorem Chriſtum habet neceſſarium; non Julianum, non Celeſtium, non Pelagium laudatorem.*

3. *Secundus gradus pertinens ad Semi-Ethnicismum.*

Secundò aliquam gratiæ larvam aſſumendo naturam ipſam ſeu liberi arbitrij facultatem tanquàm gratiam agnovit & prædicavit, eò quòd gratis nulliſque noſtris meritis præcedentibus à Deo nobis in creatione conferatur: Hanc naturæ ſeu liberi arbitrij gratiam aſſeruit omnibus hominibus cõmunem, omnibus neceſſariam & ſufficientem ad ſalutem; hâc ſe palliavit adversùs Catholicos dicentes quod contrà gratiam diſputaret; undè Auguſtinus *ſerm.* 11. *de verbis Apoſtoli, cap.* 5. inducit Pelagium ità loquentem, *ego ipſo non contrà gratiam Dei diſputo, quòd liberum arbitrium defendo* (& nonnullis interpoſitis) *Quia hominem Deus creavit, & liberum donavit arbitrium; quidquid homo poteſt de libero arbitrio, cujus gratiæ debetur, niſi ejus qui eum condidit cum libero arbitrio.*

4. *Tertius gradus pertinens ad Judaiſmum.*

Tertiò ad magis declinanda Catholicorum argumenta addidit aliud gratiæ genus, legem ſcilicet ac doctrinam divinitùs traditam, & Chriſti Domini exempla; & horum auxilium ac adjutorium, nullum verò aliud, eſſe homini neceſſarium ad obſervantiam mandatorum, & ſalutis conſecutionem, confeſſus eſt; propterеáque in magnas legis laudes erupit, undè D. Auguſt. *lib.* 4. *ad Bonifacium, cap.* 5. refert ex Pelagio hæc verba *lege velut limâ natura expolitur & fulgori priſtino redditur*, eodémque lib. cap. 9. *Nuſquàm*, inquit, *iſti inimici gratiæ, ad eamdem vehementiùs oppugnandam occultiores moliuntur inſidias, quàm ubi legem laudant, quæ ſine dubio laudanda eſt. Legem quippe diverſis locutionum modis in omnibus diſputationibus ſuis volunt gratiam intelligi*, & inſuper *lib. de gratia Chriſti, cap.* 2. refert Pelagium dicentem *Chriſtum ad non peccandum nobis dediſſe adjutorium, quia juſtè vivendo juſtéque docendo nobis reliquit exemplum.*

Ex his tribus errorum gradibus primus videtur appellari poſſe Ethnicismus, quia familiare fuit Ethnicis aſſerere hominem ſibi ipſi ſufficere ad omnem virtutem, ſapientiã, & felicitatem, nec ad hæc indigere ullâ gratiâ aut ullo adjutorio Dei, unde habetur ex Senec. epiſt. 20. *Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remiſſurus, ut contentus ſis temetipſo, & ex te naſcentibus bonis.* Item ex Tullio lib. de naturâ Deorum, *Quia ſibi quiſque virtutem acquirit, neminem unquam accepiam Deo retuliſſe.* Secundus, Semi-Ethnicismus, quia ſolo nomine differt à primo, & naturam, facultatẽn quæ liberi arbitrij ut à Deo in creatione collatam agnoverunt, licèt non ſub nomine gratiæ, etiam Ethnici; undè habetur ex Senec. Epiſt. 90. *Quis dubitare poteſt, quin Deorum immortalium munus ſit, quod vivimus.* Tertius, Judaiſmus; quia Judæorum proprium eſt in lege gloriari & tempore Apoſtolorum Cherintus multique alij Judæi, licet gratiam non negarent, de ea tamen ut notat Ovied. *hic n.* 108. malè ſentientes docebant legem ſufficere ad juſtificationem & ſalutem conſequendam, ſine gratia; & hanc non eſſe neceſſariam, imò ſine lege Moyſis neque eſſe utilem: Propter hanc Pelagij modò ad Ethnicos, modò ad Judæos, accedentis inconſtantiam & varietatem in explicãda gratia Gonet t. 2. *tract.* 7. *diſp.* 1. *num.* 15. ait Pelagianos fuiſſe Philoſophiâ Ethnicos, lege Judæos, mutabilitate Protheos, ſolo nomine Chriſtianos. 5.

6. *Quartus gradus ſed controverſus pertinens ad Semi-chriſtianiſ.*

Adjiciunt hîc nonnulli præſertim ex ſchola Thomiſtica quartum Pelagianæ hæreſis gradum, qui ex eo, quòd magis quàm præcedentes ad veritatem Chriſtianæ fidei accedat, Semi-chriſtianiſmus dici poſſit, & admittat gratiam non ſolùm aut indiſtinctam à natura & naturalibus facultatibus ut admittit ſecundus gradus, aut externam ſitam in lege, doctrina, & exemplis, ut admittit tertius gradus; ſed tùm à natura & naturalibus facultatibus diſtinctam, tum internam, licèt cum aliquibus corruptelis, per quas deficiat à vera gratiâ chriſtianâ. Hujuſce quarti gradus in aſſerto non memini, quia controverſum eſt, utrùm jure Pelagio tribuatur? & tamen propoſitum titulum majoris claritatis gratiâ limitavimus ad errores Pelagianos ſolùm indubitatos, communi ſcilicet & incontroverſo Theologorum conſenſu Pelagio attributos, quales se verâ ſunt tres gradus jam enumerati; gradus igitur ille controverſus non eſt hic quarto

loco

loco inſerendus, ſed opportuniùs inſeretur & explicabitur ſub ſequenti titulo.

---

§. II.

De erroribus controverſis Pelagianorum circà gratiam.

7. Assert. De erroribus Pelagianorum circà gratiam præcipuè controvertitur: Vtrum Pelagius re vera admiſerit aliquam gratiam ſive actualem, ſivè habitualem internam, ſuperadditam naturæ & naturalibus facultatibus.

Vtrùm Pelagius aliquam gratiam actualem internam admiſerit? controverſum.

Probatur & explicatur prima pars quoad gratiam actualem. Aliqui, inter quos accuratiùs meo videri loquitur Gonet *precis. diſp. 1. art. 3. & 4.* exiſtimant Pelagium poſt multas diſputationes habitas cum Sanctis Patribus præſertim Auguſtino, & poſt ſolemniter damnatam ipſius hæreſim a Zozimo ſummo Pontifice, confeſſum tandem fuiſſe aliquam veram gratiam actualem internam, quatenùs præter gratiam illuminationis, ſe tenentis ex parte objecti & conſiſtentis in ſufficienti vel etiam valdè clarâ & ut ità dicam abundanti ejus propoſitione; quæ quidem illuminatio pertinet ad gratiam externam legis & doctrinæ de quâ *præced. num. 4.* admiſerit aliam gratiam illuminationis ſe tenentis ex parte potentiæ ſeu intellectus, & conſiſtentis in dono ſpeciali roborante & confortante potentiam ad aſſentiendum objecto per illuminationem objectivam propoſito, ad meliùs ſcilicet percipiendum legem & doctrinam à Spiritu Sancto revelatam. Alij econtrà, inter quos Suarez *prolog. 5. de gratia cap. 5.* ſentiunt Pelagium nunquam conceſſiſſe gratiam actualem internam, & quamvis multis verbis, uſque aliquando magnificis extulerit & commendaverit adjutorium gratiæ ſemper intellexiſſe ſolam gratiam externam revelationis ſeu propoſitionis legis, doctrinæ, & exemplorum. Et ecce quod de Pelagij mente controvertitur circa gratiam

8. actualem; Error deinde, quo Pelagius malè de gratia ſenſit etiam ſecundùm eos, qui ei tandem tribuunt aſſertionem & confeſſionẽ gratiæ actualis internæ, conſiſtit primò in eo quòd poſuerit talem gratiam dari ſecundùm merita, ideſt ſecundùm initia bonæ cupiditatis: Secundò in eo quòd eamdem admiſerit tanquam utilem ſolùm & datam ad facilè, non tanquam neceſſariam & datam ad ſimpliciter; tanquam commodiorem, non tanquam unicam ſalutis viam: Tertiò in eo quod admittendo gratiam internam ex parte intellectus aliam proportionaliter non admiſerit ex parte voluntatis, nec huic conceſſerit auxilium confortans & corroborans phyſicè, ſed ſolùm excitationem & motionem moralem provenientem ab intellectu illuſtrato & illuminato. Nec audiendus eſt Janſenius aſſignans pro quarto & ultimo ſtatu hæreſis Pelagianæ admiſſam, licet cum duobus præallatis corruptelis, veram Chriſti gratiam, quæ facit velle & operari, adeoque veram gratiam actualem internam ex parte voluntatis, in quo Janſenium valdè hallucinari oſtendit Gonet *diſputat. præcis. art. 4.*

Si talẽ gratiam admiſit, quomodo circa ipſam erraverit.

9. Probatur & explicatur ſecunda pars quoad gratiam habitualem, quam ſimul cum reliquis habitibus infuſis agnoviſſe & admiſiſſe Pelagiũ facilè concedunt Auctores aſtruẽtes fuiſſe ab eodem Pelagio admiſſam gratiam aliquam actualem internam; & certè hoc ſemel admiſſo vix poteſt illud negari; cum enim Pelagiani commendent & amplificent ſanctificationem, remiſſionem peccatorum, filiationem adoptivam, & ſimiles effectus, quos nos gratiæ habituali tribuimus, non eſt ullum ſufficiens fundamentum dicendi, quod admiſſis his effectibus ipſam gratiam habitualem negaverint, niſi dicatur conſtare aliundè, quòd negaverint omnem veram gratiam internam. Econtrà negant admiſſam fuiſſe unquam à Pelagio gratiam habitualem ferè omnes Auctores non agnoſcentes ab eodem admiſſam ullam gratiam internam actualem, & quoties loquitur de gratia remiſſionis peccatorum, volunt nomine gratiæ remiſſionis ipſum intelligere non formam inhærentem, ſed puram condonationem extrinſecam; & in hanc etiã, vel ſimul in actus bonos naturæ viribus elicitos, volunt à Pelagianis refundi ſanctificationem, filiationem adoptivam, &c. &

Vtrum Pelagius, gratiam habitualem admiſerit? controverſum.

10. ecce quod de Pelagij mente controvertitur circà gratiam habitualem, circa quam deinde error Pelagianus in ſententia tribuente Pelagio illius aſſertionem conſiſtebat maximè in eo, quòd poneretur dari ex merito operum factorum ſolius naturæ viribus.

Si admiſit in quonam circà ipſam erraverit?

Explicato ſtatu controverſiæ circà Pelagij mentem in ordine ad gratiam aliquam internam ſivè actualem & auxiliantem, ſivè habitualem & ſanctificantem, definiendum eſſet pro quanam controverſiæ parte ſtandum ſit; ſed ut verum fatear ex his, quæ hucuſque perlegi, ad neutram partem ſatis determinor, & exiſtimo pro neutrâ parte de mente Pelagiana ſatis conſtare, ad quod vehementer ducor auctoritate Auguſtini, qui fuit Pelagianæ hæreſis accuratiſſimus indagator æquè ac impugnator acerrimus, & tamen in hoc puncto diverſimodè loquitur;

11. aliquando ſcilicet videtur tribuere Pelagio, quòd nullam gratiam auxiliantem præter legem & doctrinam admiſerit ut cum *lib. 1. cap. 9 5. operis imperfecti* ait de Pelagio *Quid manifeſtius, nihil aliud eum dicere gratiam, quâ Deus in nobis operatur velle, quàm legem atque doctrinam*, aliquando eidem videtur tribuere oppoſitum, ut cum *lib. de Gratiâ Chriſti cap. 7.* inducit Pelagium dicentem de gratiâ, *quam nos, non ut tu putas, in lege tantummodò, ſed in Dei adjutorio eſſe confitemur*; aliquando tam relinquit indefinitam ut cum *lib de gratiâ Chriſti cap. 5.* de Pelagio ſic habet, *quandocumque legimus vel audimus divina gratiæ adjutorium confiteri ſivè in lege & doctrina, ſive ubilibet conſtituat ſciamus*

Neutra præcedentis controverſiæ pars poteſt ſufficienter dirimi.

quod loquitur: Et tandem idem Auguſtinus *eod. lib. de gratia Chriſti cap.* 30. de gratia habituali ſic habet *Iſtam quippè gratiam, quâ juſtificamur, ideſt qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, in Pelagij & Celeſtij ſcriptis quæcumque legere potui, nuſquam eos inveni quemadmodum confitenda eſt, confiteri.* Relinquo igitur in ſua caligine & in ancipiti mentem Pelagij quoad punctum præſentis controverſiæ, & ſolùm circa ipſam duo breviter adverto ac tanquam certa ſuppono: Primum eſt Pelagium ſi gratiam aliquam internam ſivè actualem ſivè habitualem admiſerit, utramque admiſiſſe adulteratam; ut quoad gratiam actualem conſtat *ex præced. num.* 8. quoad habitualem verò *ex n.* 10.

12\. Secundum eſt concertationem unicam aut ſaltem præcipuam Pelagij cum Sanctis Patribus fuiſſe circa gratiam actualem, non circà habitualem; fuit enim circà gratiam ſe habentem ut adjutorium & auxilium ad operandum, quod gratiæ actuali convenit, non habituali: Vtrùm deindè fuerit de gratiâ actuali ſufficienti, an de gratiâ actuali efficaci? & per conſequens, utrùm gratia actualis, quam tandem Pelagius confeſſus eſt, ſit per modum auxilij ſufficientis, an per modum auxilij efficacis; Arriaga *hic diſput.* 35. *num.* 23. putat (quod tamen fatetur ferè paradoxum alicui videri poſſe) Pelagium magis clarè admiſiſſe auxilium efficax, quàm auxilium purè ſufficiens, quia, inquit, illud, quod Pelagius cenſet dare faciliùs poſſe, ſine dubio cenſet eſſe actu efficax, quo ſcilicet actu homines ſuaviter in viâ virtutis pergunt, quodque ipſo effectu prodit ſe eſſe efficax; purè autem ſufficiens, cum ſe non prodat exteriùs faciliùs ille negaret, cum independenter ab omni Dei gratiâ dixerit ille

Côcertatio Pelagij cũ Sanctis Patribus fuit de ſolâ gratiâ actuali.

13\. dari in nobis poſſe operari: Verùm hæc ratio Arriagæ, quam de verbo ad verbum retuli valdè infirma eſt, & ſupponit magis quàm probet intentum; nec video quomodo ex dare faciliùs poſſe inferatur ſine dubio eſſe actu efficax, cum poſſe ex genere ſuo ſpectet ad auxilium ſufficiens & ad actum primum indifferentem, non ad actum primum ut determinatè conjungendum cum ſecundo, hocque non tollitur per ly *faciliùs* quia habitus acquiſiti licèt ad faciliùs dentur, adhuc ſpectant ad actum primum indifferentem: Deindè de auxilio ſufficiente dante facilè poſſe aliquid iterum attingetur infrà *cap.* 3. *num.* 56. Sentiendum igitur gratiam actualem à Pelagio admiſſam, quamvis re vera nec ſufficiens ſit nec efficax, magis tamen eſſe ad modum ſufficientis quam ad modum efficacis; & præter mox dicta probatur ex eo quod gratia pelagiana ponitur ad adjuvandam poſſibilitatem præcisè, non ad adjuvandam actionem, ut oſtenditur ex multis auctoritatibus Auguſtini relatis à Goneto *diſp.* 1. *præcis. num.* 54. & ab Alvarez *lib.* 1. *de aux, diſp.* 1. *num.* 8.

Gratia actualis Pelagiana, qualiſcumque fuerit, fuit ad modum ſufficientis potiùs, quàm efficacis.

Præter huculque examinatam controverſiam de gratiâ internâ aliud occurrit punctũ, de quo controverſum & ſub lite eſt, quid Pelagius ſenſerit? ſub lite ſcilicet eſt affirmaverit ne, an negaverit concurſum Dei generalem immediatum ſimultaneum cum cauſis creatis: Exiſtimant negaſſe Bellarminus *controv.* 3. *lib.* 4. *de gratia & lib. arb. cap.* 4. Leſſius *opuſc. de gratia cap.* 3. *num.* 9. Arriaga *hic diſp.* 35. *num.* 24. quibus favent Suarez *prologo* 5. *cap.* 4. Tannerus *diſp.* 6. *quæſt.* 3. *dub.* 4. *&c.* Exiſtimant non negaſſe Vaſquez 1. 2. *diſp.* 109. *cap.* 2. Torres *opuſc. de gratia diſp.* 4. *dub.* 4. Penottus *de aux. lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 3. Alvarez *de aux. lib.* 1. *diſp.* 1. *num* 21. Gonetus 1. 2. *tract.* 7. *diſp.* 1. *num.* 31. & hic poſtremus Auctor *num.* 29. expreſsè concludit Pelagium admiſiſſe concurſum ſimultaneum etiam ordinis ſupernaturalis, in quo non video quomodo cohærenter loquatur dũ deinde *num.* 35. videtur concedere, quod Pelagius negaverit vel non agnoverit actus ſupernaturales: Sed quidquid ſit de hoc, 14.
quoad punctum principalis inter mox citatos Auctores controverſiæ de mente Pelagij placet ipſum relinquere indefinitum, idque eo libentiùs, quò minùs, quàm præcedens pertinet ad præſentem materiam, & ad intelligentiam hæreſis Pelagianæ circà gratiã, unde etiam de hac hæreſi nullatenùs ſuſpecti cenſentur Durandus & Ludovicus à Dola ex eo, quòd omnem immediatum Dei cum cauſis ſecundis concurſum repudiaverint.

Vtrùm Pelagius concurſũ Dei ſimultaneũ admiſerit? controverſum.

Ex dictis habetur convenire inter ſe Catholicos de Pelagianæ hæreſis initio, & progreſſu, diſſidere verò de fine & ultimo ipſius ſtatu, in quo volunt aliqui Pelagium tandem admiſiſſe, licèt non ſine corruptelis, gratiam internam ſe tenentem ex parte potentiæ, alij verò ſolam gratiam externam ſe tenentem ex parte objecti, legis ſcilicet & doctrinæ, ſivè deindè hæc exteriùs proponeretur ab hominibus, ſivè interiùs revelaretur à Deo & ex Spiritus ſancti virtute; revelatio enim etiam interiùs ſacta, ſed abſque auxilio roborante potentiam ad aſſenſum, utpotè ſe tenens ex parte objecti, non ex parte potentiæ, ad gratiam externam legis & doctrinæ reducitur, non ad gratiam internam hic controverſam, & quidem gratiam illam revelationis etiam internæ fuiſſe à Pelagio admiſſam minùs controvertitur, & videtur ſufficienter colligi ex Auguſtino *lib. de gratia Chriſti cap.* 41. dicente de Pelagio, *Ipſum verè auxilium quo poſſibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege conſtituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam Sancto Spiritu revelari, propter quod & adorandum eſſe contendit.* 15.

Revelatio legis & doctrinæ interiùs facta non eſt ea ſe præcisè gratia interna.

---

§. III.

De erroribus indubitatis Semipelagianorum circà gratiam.

ASSART. Indubitatum eſt Semipelagianos (quicumque hi ſint) circà gratiam præcipuè erraſſe in eo, quòd independenter à vera gratia interna præveniente, & 16.
naturam

naturam adiuvante, poſuerint in noſtris actibus primum initium ſalutis, & meritum omnis gratiæ, ly *præveniente* poſitum eſt propter infrà dicenda *num.* 21.

Dixi *Quicumque hi ſint*, quia de aliquibus quidē, maximè verò de Io. Caſſiano Monacho, & Fauſto Regienſi in Galliis Epiſcopo, omninò conſtat fuiſſe Semipelagianos, imò Semipelagianiſmi Anteſignanos, ſicuti poſt Pelagium Iulianus & Celeſtius Anteſignani fuerunt Pelagianiſmi; de aliis tamen multis fuerint nec ne Semipelagianiſmo infecti? controverſum eſt; & Vaſquez 1. *p. diſp.* 91. *cap.* 8. contendit annumerare Semipelagianis aliquos etiam Sanctos Patres & in particulari Chryſoſtomum, quod cæteri Theologi ægrè ferunt; cum ex unâ parte teſtimonia, quæ ea Chryſoſtomo videntur favere Semipelagianiſmo, facilè poſſint exponi in ſenſu catholico, & ex alia parte omnes intendendæ ſint vires ad amovendam à tam inſigni Doctore in re dogmatica falſam doctrinam etiam nondum ab Eccleſia damnatam, ut nondum erat damnata & hæretica doctrina Semipelagiana tempore Chryſoſtomi, qui proptereà in eam incidendo non fuiſſet hæreticus, ſicuti eadem de cauſa pro hæretico habendus non eſt talis doctrinæ Anteſignanus, nedum Sectator, Caſſianus, ut notat Gonet 1. 2. *tract.* 7. *diſp.* 2. *art.* 5. *n.* 44 quo articulo per totum eruditè diſcurrit circà alios Semipelagianos ſingillatim, ut præſtat etiam Suarez *præui. proleg.* 5. *cap.* 2. Sed quicumque hi ſint

Quinam in particulari fuerint Semipelagiani?

Caſſianus fuit Semipelagianus, ſed non hæreticus.

17. Probatur & explicatur aſſertum: Cum D. Auguſtinus contrà Pelagium fautorem arbitrij, & gratiæ depreſſorem, duo potiſſimùm oſtendiſſet; ad omne ſcilicet opus bonum neceſſariam eſſe gratiam, & hanc gratiam omninò nulloque merito præcedente dari; ex hac doctrina Auguſtini malè intellectâ aliqui in extremum oppoſitum ei, in quo Pelagius fuerat, declinantes occaſionem ſumpſerunt aſſerendi tolli per gratiam libertatē arbitrij, idque eſſe juxtà mentem Auguſtini gratiam magnificantis; ità quidam Monachi Adrumetini in Africa duce Floro: Aliqui alij, inter quos quidam Lucidus tunc magni nominis Presbyter ex eo, quod Auguſtinus traderet gratiam non ſolùm eſſe neceſſariam ad bene operandum, verum etiam gratis omninò dari, ſumpſerunt occaſionem ità rejiciendi totum ſalutis negotium in gratiam & electionem divinam, ut dicerent nec mala opera quidquam prædeſtinatis nocere, nec bona opera reprobis quidquam prodeſſe, & omnia in prædeſtinationem refundendo vocati ſunt Prædeſtinatiani: Tandem circà eadem tempora aliqui alij in Gallia propè Maſſiliam, ex quâ Maſſilienſium nomen traxerunt, contrà Auguſtini de gratiâ doctrinam ab ipſis exiſtimatam originem errorum, in quos Adrumetini & Prædeſtinatiani inciderant, inſurgentes poſuerunt ex parte ſolius arbitrij ſalutis initium, & ex merito actuum purè naturalium, in quibus tale ſalutis initium ſitum eſt, dari nobis veram gratiam internam, hanc tamen deindè eſſe neceſſariam ad perfectionem operum ſalutarium & conſummationem ſalutis; ſicque quia ità ad Pelagium acceſſerunt circà ſalutis initium & circa gratiæ dependentiam ab operibus naturæ, ut contrà Pelagium ſenſerint circà gratiæ neceſſitatem ad ſalutis & bonorum operum complementum, item circà aliqua alia dogmata, ſolùm ex parte Pelagianiſmum redolent, & non ſimpliciter Pelagiani, ſed Semipelagiani dici ſolent: quamvis D. Thomas eos vocet communi nomine Pelagianos ut conſtat *ex* 1. *p. q.* 23. *art.* 5. dum ait *Pelagianos poſuiſſe initium benè faciendi ex nobis, conſummationem autem ex Deo* & 3. cont. Gent. c. 149. dum ait *Pelagianorum errorem fuiſſe auxilium merentis gratiæ eſſe ex noſtro merito, ac proindè initium juſtificationis eſſe ex nobis, conſummationem autem ex Deo.*

Adrumetinorum error.

Prædeſtinatianorum error.

18. Maſſilienſium, ſeu Semipelagianorum error.

Semipelagiani vocātur Pelagiani à D. Thomâ.

19. Ex aſſerto Semipelagianorum errore, tanquam ex radice plures alij tanquam rami naſcuntur, graviores hi eſſe poſſunt. Primò: Suppoſitâ lege & doctrina poteſt arbitrium per ſolas naturæ vires præbere initia veræ gratiæ internæ. Secundò: fides, deſiderium ſalutis, petitio ejuſdem poſſunt elici ſolis naturæ viribus abſque gratia interna. Tertiò: prædicti actus ſolis naturæ viribus eliciti habent aliquam rationem diſpoſitionis & meriti in ordine ad veram gratiam internam: Quartò: propter tales actus ſolis naturæ viribus elicitos unus aſſumitur ad ſalutem, & propter eoſdem non elicitos alius non aſſumitur; alias propoſitiones erroneas ex aſſerto errore conſequentes ad decem uſque enumerat Oviedus *hic controv.* 1. *n.* 114.

---

§. IV.

De erroribus controverſis Semipelagianorum circà gratiam.

ASSERT. Quoad errores Semipelagianorum circa gratiam duo præcipuè controvertuntur: Primò, utrùm ponendo initium fidei & ſalutis independenter à vera gratia internà excluſerint gratiam internam etiam ſufficientem & determinabilem ab arbitrio, an ſolùm efficacem & determinantem arbitrium? Secundò, utrùm in actibus per vires naturæ elicitis pro fidei & ſalutis initio poſuerint meritum gratiæ condignum, an dumtaxat congruum? Præter hæc duo controvertuntur deindè quædam alia minoris momenti.

20. Probatur & explicatur prima pars, circà quam tres opiniones refert Gonet *diſp.* 2. *præcit. art.* 3. Prima eſt Ianſenij *lib.* 8. *de hæreſi pelagiana* exiſtimantis Semipelagianos pro initio fidei & ſalutis non negaſſe omne adjutorium veræ gratiæ internæ, ſed induxiſſe adjutorium non idoneum, quod ſcilicet daretur ad poſſe, non ad operari; quod eſſet purè indifferens, nutui voluntatis obediens; & expectans, non cauſans determinationem arbitrij. Secunda directè oppoſita eſt Patrum Societatis

Utrùm Semipelagiani excluſerint ab initio ſalutis ſolam gratiam efficacem? controverſum.

Societatis exiſtimantiū Semipelagianos collocaſſe initium fidei & ſalutis in natura omninò nuda & deſtituta quocumque veræ gratiæ auxilio etiam ſufficienti, indifferenti, & verſatili ad nutum voluntatis. Tertia eſt media docens Semipelagianos fuiſſe inter ſe diviſos & aliquos in hoc puncto ſenſiſſe, ut de illis opinatur Ianſenius, aliquos alios, ut de iiſdem opinantur Patres Societatis; ità docuit Macedo in opuſculo, cui titulus eſt *Mens divinitùs inſpirata ſanctiſſimo Patri Domino noſtro Innocentio Papæ X. ſuper quinque propoſitiones Cornelij Ianſenij*; mediam hanc ſententiam veriorem & probabiliorem arbitratur eamque ampleċtitur Gonet *præcit. art. 3.* & multis probat argumentis, præſertim quoad eam partem, quâ militat contrà Patres Societatis, quibus valdè favere videtur, quod Innocentius X. in Bullâ *Cum occaſione*, &c. ut falſam & hæreticam damnaverit hanc propoſitionem inter quinque Ianſenianas quartam, *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet voluntas humana reſiſtere*
21. *vel obtemperare*: nihilominus reſpondent Macedo & Gonet ad declarandam hæreticam illam propoſitionem ſufficere, quod talis ſit ſecunda ejus pars incipiens ibi *& in hoc erant hæretici*; vel rectè damnati etiam quoad primam partem tùm propter ly *Semipelagiani*, qui terminus abſolutè poſitus pro omnibus, non pro aliquibus dumtaxat ſupponit tùm propter ly *prævenientis gratiæ*, qualis non erat gratia Semipelagianæ, de quâ in præſenti, nam auxilium verſatile & expectans non cauſans determinationem arbitrij, eſt comitans imò ſubſequens, non præveniens; unde etiam in aſſerto *præcedentis* §. ſtatuendo errores Semipelagianos indubitatos & incontroverſos, non præcisè gratiam internam ſed internam prævenientem exprimebam.

22. Probatur & explicatur ſecunda pars, circà quam poſuiſſe Semipelagianos in illis actibus meritum condignum docent Vega *lib. 1. in Trident. cap. 5.* Turrianus *lib. 2. Confeſſ. Auguſt. cap. 3. §. 11. & 12.* Ripalda *lib. 1. de ente ſupern. diſp. 15. ſect. 5. num. 16.* Coninchus *diſp. 4. de actibus ſupern. dub. 5.* &c. Eoſdem verò poſuiſſe ſolum meritum congruum tradunt Vaſquez *1. p. diſp. 89. cap. 5.* Gonetus *t. 1. tract. 7. diſp. 2. art. 4.* Arriaga *hic diſp. 35. ſect. 5. num. 30.* & alij plures, qui ſententiam probant primò ex eo, quod Semipelagiani licèt tribuerint actibus gratiam antecedentibus prærogativam aliquam meriti, undè D. Proſper *epiſt. ad Auguſt.* refert ipſos ſentire *Omnem hominem ad credendum divinitùs admoneri, & ab iis vitam æternam apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint*, valdè tamen ſemper depreſſerunt talium actuum valorem & ſæpè tradiderunt gratiam eis tribui tanquam occaſioni & ex miſericordia, ſic Caſſianus *lib. 12. de inſtitutis renunciantium cap. 14.* ait *Pronuntiamus laborantibus tantùm, ac deſudantibus miſericordiam Dei gratiamque conferri, præſto namque eſt Deus occaſione ſibi tantummodò à nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc conferenda* & collat. 13. cap. 13. *Occaſiones quodammodò quærens Deus quibus humanæ ſegnities torpore diſcuſſo, non irrationabilis munificentiæ ſuæ largitas videatur, dum eam ſub colore cujuſdam deſiderij ac laboris impertit*: Fauſtus, ut refert Gennadius in ejus vita dicere ſolebat, *Quidquid libertas arbitrij pro labore pro mercedis acquiſierit, non eſſe propriè meritum ſed gratiæ donum*: Secundò ex eo quia Semipela- 23.
giani, licèt ponerent non à gratiâ arbitriū, ſed ab arbitrio gratiam prævenire, intendebant tamen tueri veram rationem gratiæ, cui certè minùs officit meritum congruum quā condignum, licet re vera utrumque officiat, quod negare via potuerunt Semipelagiani, qui propterea inviti potiùs, quàm volentes ſuppoſito ea naturæ viribus ſalutis initio aſſeruerunt deindè meritum aliquod gratiæ antecedens omnem gratiam; undè contrà illos, quaſi non admittentes ullum meritum in fide initiativâ ſalutis arguebat Auguſtinus *lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2.* illis verbis *Quis autem dicat eum, qui jam cœpit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri?*

Probatur & explicatur tertia pars inſinuando aliquas alias de Semipelagianorum circà gratiam mente controverſias. Prima ſit: Vtrùm conceſſerint aliquod gratiæ meritum non ſolùm in actibus naturalibus, in quibus collocabant ſalutis initium, verum etiam in reliquis poſteà elicitis ab exiſtente in gratia conſideratis tamen independenter à dignificatione gratiæ? Secunda: Vtrùm gratia quam ponebant dari intuitu operum naturalium, eſſet ſola gratia actualis & auxilians, an etiam gratia habitualis & ſanctificans? Tertia: Vtrùm admiſerint aliquos actus liberos elicitos ex efficaci auxilio gratiæ, an cum Pelagianis ſenſerint per quodlibet auxilium efficax libertatem everti. 24. Quædam aliæ de Semipelagianorum mente controverſiæ?

Explicatis punctis controverſis circà Semipelagianorum de gratiâ mentem, ſtatuendum eſſet in ſingulis, quidnam determinatè de tali mente veriſimiliùs ſit? ſed cum nec Semipelagiani fuerint inter ſe plenè concordes, nec in controverſiis facti facile ſit quidquam decernere, non expedit in iis detineri, ut tamen aliquid breviter addam; quoad ſecundum punctum principale omninò ad opinionem de merito congruo propendeo, pro hoc enim valdè urgent fundamenta præallata, & è contrà pro merito condigno vix aliquid militat præter verba D. Proſperi *c. 16. contrà Collatorem* affirmantis ea Semipelagianorum ſententia gratiam reddi operibus naturalibus ut debitam; item D. Auguſtini *lib. de prædeſt. Sanct. cap. 2.* dicentis Semipelagianos non receſſiſſe à ſententia Pelagij damnata in Concilio Palæſtino, quâ aſſerebat gratiam ſecundum merita noſtra dari: Nihilominùs ly *ut debitam* in verbis D. Proſperi æquè intelligi poteſt de debito ex congruitate, ac de debito ex condignitate: Ad Auguſtinum dico ipſum ibi lo- 25. Quid ſit in præallatis punctis controverſis veriſimilius?

qui

qui non de eo, quod Semipelagiani ſentiebant, ſed de eo, ad quod fatendum compelli eos ex propriis principiis poſſe exiſtimabat ut colligitur *ex præced. num.* 23. Quia deindè operibus naturalibus meliùs negatur meritum condignum, ſi dicatur ipſa à nullo prorsùs auxilio veræ gratiæ internæ procedere, videtur inferri Semipelagianos non agnoviſſe in operibus naturalibus initiativis ſalutis ullam dependentiam à vera gratia interna, etiam tantummodò ſufficienti & determinabili, ſicque quoad primum punctum principale propendeo ad ſententiam Patrum Societatis, ad quam non leviter docor ex cenſura Innocentij X contrà propoſitionem quartam Ianſenij, quæ quidem cenſura nulla prorsùs limitatione aut interpretatione indiget in tali ſententia, benè tamen in aliis duabus ſententiis, ut patet ex explicationibus memoratis *præced. n.* 21. Quoad cætera tandem tria puncta minoris momenti propendeo in ſingulis ad reſponſionem affirmativam.

26. *Semipelagiani viribus arbitrij arrogarunt perſeverantiam in fide & oratione.* Concludo Semipelagianæ mentis diſcuſſionem advertendo Semipelagianos eamdem à gratia independentiam, quam arbitrio tribuunt in ordine ad eliciendos actus pro ſalutis initio, tribuere pariter in ordine ad perſeverandum in iiſdem actibus, pro quo clara ſunt verba Auguſtini *de dono perſeverantiæ, cap.* 17. ubi refert Semipelagianos, ità loquentes, *Sed hæc ut à Deo dentur, nobis fides impetrat, quæ incipit à nobis: Quàm fidem & incipere habere & in ea uſque in finem permanere, tanquàm id à Domino non accipimus, noſtrum eſſe contendunt.* & ibid. *Hæc dicentes nolunt hominibus prædicari dona Dei eſſe ut veniatur ad fidem, & permaneatur in fide.* Item in *epiſt ad Rom. propoſitione* 60. dum in Semipelagianorum errore verſaretur, ait, *Niſi quis credat, & in accipiendi voluntate* (hoc eſt in fide & oratione) *permaneat non accipit donum Dei.* Semipelagiani igitur eo modo, quo dixerunt nos propriis viribus credendo & orando promereri & impetrare à Deo collationé cæ[terorum], quibus rectè ac ſalutariter vivitur, exiſtimarunt pariter nos propriis viribus perſeverando in fide & oratione promereri & impetrare à Deo perſeverantiam in cæteris, ſicque tandem totum ſalutis negotium arrogant ſolis viribus arbitrij initium quidem immediatè; progreſſum verò & perſeverantiam mediatè.

§. V.

De erroribus tùm Manichæorum & Priſcillianiſtarum, tùm Sectariorum noſtri temporis circà gratiam.

27. ASSERT. Error Manichæorum & Priſcillianiſtarum circà gratiam fuit oppoſitus errori Pelagianorum, errarunt ſcilicèt illi ex eo quòd nimis depreſſerint, iſti ex eo quòd nimis extulerint creatum arbitrium.

Probatur & explicatur: Et quidem Pelagianos circà gratiam erraſſe arbitrium nimis efferendo perſpicuum eſt ex eo, quod ſuprà dicebamus ipſos arrogaſſe arbitrio independenter ab omni vera gratia interna facultatem liberè operandi in ordine ad ſalutem, & condignè promerendi per proprias præcisè vires, tùm gratiam, tùm beatitudinem; Quòd Manichæi ſicut & Priſcillianiſtæ circà gratiam erraverint arbitrium nimis deprimédo oſtenditur ex eo, quòd ipſi nullam agnoverunt in creatâ voluntate indifferentiam, nullum liberum arbitrium, voluerunt hominem omnia operari fatali neceſſitate, nec poſſe aut de malo bonum aut de bono malum fieri; ſicque deprimendo imò deſtruendo arbitrium, nullum admiſerunt meritum, nullam ſalutem & per conſequens nullam gratiam iuxtà celebre illud Auguſtini, *Tolle liberum arbitrium, & non erit quod ſalvetur; tolle gratiam, & non erit undè ſalvetur.* Nec ſolùm circà gratiam, ſed & circà alia plura Manichæi, & Pelagiani abierunt in errores oppoſitos, fraudulenter id affectantibus Pelagianis, ut ſub ſpecie impugnandi Manichæos faciliùs ſua falſa dogmata obtruderent, quod obſervavit Auguſtinus *lib.* 3. *contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap.* 9. dicens, *Excogitarunt Pelagiani Manichæorum nomine deteſtabile imperitos deterrere, ne adverſùs eorum dogmata aures accommodarent veritati.* *Error Manichæorum & Priſcillianiſtarum.*

Aſſert. 2. Lutherani & Calviniſtæ errarunt circà gratiam partim ad Manichæos, partim etiam ad Pelagianos accedendo; & Lutherani Prædeſtinatianorum, Calviniſtæ Adrumentinorum errorem renovarunt. 28.

Probatur & explicatur: Lutherus, ut refert Alvarez *de auxiliis, lib.* 1. *diſp.* 3. *num.* 8. tradidit arbitrium poſt peccatum eſſe rem de ſolo titulo, ſeu titulum ſine re, hominémque in pœnam peccati libertatem amiſiſſe, ex efficaciâ divinæ prædeſtinationis neceſſitari, quidquid ex ſe operatur peccatum eſſe, nullam habere in ordine ad bonum opus internum activitatem, ſed merè paſſivè concurrere ad bonum motum productum à ſolo Deo & ex vi divinæ prædeſtinationis: Lutherani igitur cum ſuo Anteſignano (in quo tamen ſequendo aliqui mitiores, aliqui rigidiores ſunt, ut notat Ovied. *hic controv.* 1. *punct.* 1. *n.* 118. & 119.) quatenùs removent ab homine liberum arbitrium accedunt ad Manichæos, quatenùs ponunt efficaciam divinæ prædeſtinationis neceſſitatem inducere accedunt ad Pelagianos, quatenùs omnia bona opera in vim divinæ prædeſtinationis refundunt, renovant errorem Prædeſtinatianorum, de quibus ſuprà *n.* 17. Calvinus quoad præſentem materiam differt maximè à Luthero in eo, quòd admittat creatum arbitrium activè concurrere ad ſuos actus etiam bonos, neceſſitari tamen ut à Deo ad unam partem adeò ut nec exercitij libertatem retineat & ſpontaneè ſolùm, non liberè operetur, ex eo quod nequeat cohærere libertas cum efficaciâ divinæ motionis. Calviniſtæ igitur ducem ſuum ſecuti, quamvis *Error Lutheranorum & Calviniſtarum.*

CCc utcumque

utcumque temperent errorem Lutheranorum, & minùs, quàm iſti, arbitrium deprimant; adhuc tamen quatenùs huic omnem negant libertatem ad Manichæos accedunt, quatenùs deindè libertatem negant titulo incompoſſibilitatis cùm efficaciâ divinæ motionis accedunt ad Pelagianos & renovant errorem Adrumetinorum, de quibus ſuprà *eod. num.* 17.

29. *Epilogus errorum circà gratiam.* Ex hucuſque dictis habetur tria potiſſimùm eſſe circà gratiam errorum capita: Primum eſt eorum, qui ſimpliciter & abſolutè nec gratiam nec arbitrium agnoverunt, ità Manichæi & Priſcillianiſtæ, quorum præcurſor fuit Simon Magus ut refert Clemens Romanus *lib. 3. recognitionum*: Secundum eſt eorum, qui & gratiam agnoſcentes & arbitrium, ut tuerentur arbitrium errarunt circà gratiam, ità poſt Origenem ejuſque diſcipulos Ruffinum, Evagrium, Palladium, Pelagiani & Semipelagiani: Tertium eſt eorum, qui ut tuerentur gratiam errarunt circà arbitrium, ità Prædeſtinatiani primùm & Adrumetini, deinde Lutherani & Calviniſtæ: & hæc duo poſteriora errorum capita ex eodem principio duxerunt originem, ex negata ſcilicet compoſſibilitate libertatis creatæ cum neceſſitate divini adjutorij prævenientis, ſeu motionis & gratiæ efficacia: Ideò Theologi ſecurim ponunt ad radicem & commendationem merentur plurimam, dum ingeniorum vires exerunt in tali compoſſibilitate elucidanda, utpotè qua facilè deinde eſt favere gratiæ ſimul & arbitrio, abſque eo quod aut attollendo arbitrium deprimatur gratia, aut attollendo gratiam deprimatur arbitrium.

30. *Ianſenij circà gratiam propoſitiones damnatæ ab Innocentio X.* Aſſert. 3. Inter noſtri temporis errores circà gratiam rectè recenſentur aliquæ propoſitiones Ianſenij damnatæ ab Innocentio X. Prima eſt, *Aliqua præcepta Dei hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Secunda, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Tertia, *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Quarta, *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.* Quinta, *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe.* Contrà has propoſitiones duæ Bullæ prodierunt; Prima eas damnavit ut falſas & hæreticas; Secunda declaravit eas contineri in opere Ianſenij inſcripto *Auguſtinus* & fuiſſe damnatas in ſenſu intento à Ianſenio, Ianſenius tamen ipſe, ut obſervat Madernus *hic quæſtion. 1. artic. 2.* in fine, non fuit declaratus hæreticus, quia Ianſenij tempore tales propoſitiones nondum damnationem ſubierant, & ipſe ſcripta ſua omnia Eccleſiæ judicio, cenſuræque ſubjecerat.

Inter noſtri temporis errores circà gratiam annumerandæ inſuper eſſent quædam propoſitiones Michaëlis Baij facientis gratiam homini innocenti connaturalem & debitam; ſed de his conſtabit faciliùs *cap. ſeq.* pendent enim à poſſibilitate ſtatus puræ naturæ. Ideò ſit *Michaëlis Baij circà gratiam errores.*

CAPUT II.

De variis naturæ humanæ ſtatibus in ordine ad gratiam.

STATUS nomen aliter ſumitur in præſenti, quàm ſumatur in jure civili, & canonico, aut in Theologia morali: Enimverò in jure civili importat conditionem perſonæ ſervæ vel ingenuæ; in jure canonico, ſicut & in Theologia morali, importat rationem vivendi cum ſpeciali obligatione, ſic datur ſtatus matrimonij, ſtatus Religionis, &c. In præſenti autem importat conditionem ſeu modum ſe habendi totius humanæ naturæ in ordine ad gratiam, & ſuſcipere rectè poteſt definitionem Scoti *in 1. diſtinction. 3. quæſtion. 3. §. Sed reſtat* dicens *Status non videtur eſſe, niſi ſtabilis permanentia legibus divinæ ſapientiæ firmata* 1. *Status hominis quid & quotuplex?*
Porrò ſicuti gratia alia eſt conſummata & termini, alia non conſummata & viæ ità in præſenti ſtatus univerſaliſſimè acceptus dividitur in ſtatum termini, ſeu beatitudinis (damnatio, quamvis & ipſa ſtatus termini ſit, ad rem præſentem non pertinet, cum non ſit in ordine ad gratiam utpotè qui non eſt capax gratiæ) & ſtatum viæ: Status beatitudinis eſt quidem magis propriè ſtatus, utpotè qui ſolus habet perfectè ſtabilem permanentiam, at de iſto fusè actum eſt in proprio Tractatu, undè ad caput hoc pertinet ſolus ſtatus viæ complectens ſtatum innocentiæ, in quo fuerunt conditi primi Parentes, & ſtatum naturæ lapſæ, in quo iidem primi Parentes cum ſuis poſteris remanſerunt poſt originale peccatum; majoris tamen doctrinæ gratiâ, & ut agitentur quæſtiones non tantùm ad de facto ſed etiam ad de poſſibili pertinentes, ſolent ſub ſtatu viæ multo plures naturæ humanæ ſtatus, quamvis non ſine aliqua controverſia, diſtingui, quorum primus eſt ſtatus naturæ puræ: Secundus, ſtatus naturæ integræ: Tertius, ſtatus juſtitiæ originalis: Quartus, ſtatus gratiæ gratum facientis: Quintus ſtatus naturæ lapſæ: addi poteſt & ſextus, nimirum ſtatus naturæ reparatæ: Per ſingulos hos ſtatus diſcurro initio facto à

ſtatu

ſtatu naturæ puræ, de quo nonnihil obiter dictum eſt *in Tract. de Beatitudin. lib. 1. cap. 3. §. 2.* reſiduum tamen majus: Ideò ſit

§. I.

Quid ſit, & An dabilis ſit ſtatus naturæ puræ?

2. Status naturæ puræ quid? ASSERT. 1. Status naturæ puræ eſt conſtitutio ac permanentia naturæ humanæ abſque omni, ſivè imperfectione, ſivè perfectione, non debita: & ſpecialiter ex una parte abſque peccato, ex alia parte abſque integritate, juſtitiâ originali & gratiâ gratum faciente. Conveniunt in hac deſcriptione Theologi communiter.

Probatur & explicatur prima pars: Status naturæ puræ tria dicit Statum, Naturam, & puritatem: dicendo ſtatum importat conſtitutionem & permanentiam; dicendo naturam importat omnem perfectionem tùm phyſicam tùm moralem naturæ debitam, & per conſequens excludit omnem imperfectionem oppoſitam, & non debitam: dicendo puritatem importat quæ ſibi ab intrinſeco debentur purè & præcisè, adeoque excludit omne ab extrinſeco adveniens & non debitum etiamſi perfectivum ſit, & elevans: Status igitur naturæ puræ rectè deſcribitur conſtitutio & permanentia naturæ humanæ, &c.

3. Integritas naturæ & originalis juſtitia quid? Probatur & explicatur ſecunda pars afferendo quid intelligamus nomine integritatis & originalis juſtitiæ. Integritas non ſumitur in præſenti pro abſtracto naturæ integraliter completæ ſeu hominis habentis omne integrale complementum, ſed dicitur in ordine ad integram obſervantiam legis naturalis, & conſiſtit in perfecta ſubordinatione appetitus ſenſitivi ad rationalem, & rationalis ad Deum ut finem naturalem; hæc quippè ſubordinatio, in quocumque ſita ſit, removet plures difficultates impedientes præceptorum naturalium obſervantiam, & hanc valdè promovet. Originalis juſtitia ſuprà naturæ integritatem addit ordinationem ad finem ſupernaturalem, immortalitatem, & alia privilegia de facto conceſſa primis Parentibus, quæ utrùm in ipſis provenirent ex gratiâ gratum faciente, an aliundè? controverſum eſt & infrà §. 2. examinabitur; interim ex levi hâc & ſuperficiali terminorum prænotione conſtat ſtatum originalis juſtitiæ eſſe quaſi medium inter ſtatum integritatis & gratiæ gratum facientis; ſi igitur probetur nec gratiam gratum facientem, nec integritatem deberi naturæ humanæ ſecundùm ſe, idem apertè inferetur quoad originalem juſtitiam, & probata erit conſequenter tota hæc ſecunda pars; nam peccatum naturæ ſecundùm ſe non deberi certius eſt, quàm ut egeat probatione: Illud primum verò probo in ſequentibus aſſertis. Ideò ſit

4. Gratia habitualis nō eſt debita naturæ humanæ ſecundùm ſe. Aſſert. 2. Naturæ humanæ ſecundùm ſe non eſt debita gratia habitualis ſeu gratum faciens. Ità Theologi communiter ſupponentes hanc veritatem potiùs, quàm examinantes; examinant tamen eam & latè probant Eſtius *in 2. diſt. 25. §. 3.* Amicus *hic diſp. 26. ſect. 1.* Gonetus *1. p. tract. 8. diſp. 6. §. 2.* &c. contrà Michaëlem Bajum, cujus propoſitiones aſſertæ veritati contrarias expreſsè damnarunt Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. & talium propoſitionum damnatio ſicuti ſententiam oppoſitam reddit ſaltem erroneam, ità noſtram reddit omninò orthodoxam. Item contra Ianſenium *in libris de ſtatu naturæ puræ.*

Nec eidem eſt naturalis. Probatur primò: Gratia habitualis ſeu gratum faciens comparata ad naturam humanā ſupernaturalis eſt, non naturalis; ergo naturæ humanæ ſecundum ſe non eſt debita; conſequentia patet, antecedens probatur primò, quia inter propoſitiones Baij damnatas vigeſima prima ita habet *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proindè naturalis dicenda eſt & non ſupernaturalis*, item vigeſima tertia, *abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam ſupernaturali & gratuito ſuprà conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum*: dein 5. antecedens probatur ſecundò, quia ſemel admiſſo, quod gratia ſit homini ſeu naturæ humanæ naturalis, jure dicetur homo præſtare propriis & naturalibus viribus quidquid præſtat mediante gratiâ, ſicque oretenùs gratia defenditur, re ipſa verò totum ſalutis negotium, tota legis obſervantia naturæ cum Pelagio tribuitur: Tertiò, ſi gratia ſupernaturalis non eſt, de medio tollitur ordo ſupernaturalis & ſuperior ordine naturæ creatæ; quia cætera omnia, quæ ſupernaturalem ordinem ingrediuntur, ſe habent aut ut effectus aut ut proprietates gratiæ, & ordo ſupernaturalis, cujus ipſa quaſi eſſentia eſt & radix, non admittit poſſibilem ullum alium ordinem ſuperiorem ut ſuppono *ex tract. 1. lib. 2. cap. 5. §. 6.*

Dices hæc omnia ſufficienter ſalvari, ſi dicatur ea verificari de natura humana in ſtatu lapſus & contrahente in ſua origine peccatum, cæterùm aliter eſſe ſentiendum de natura humana ſecundum ſe & innocente, cui cum concedenda ſit major proportio ad gratiam, quàm naturæ lapſæ, optimè concedi poteſt eſſe gratiam illi, non iſti naturalem. Sed contrà: cùm natura humana

6. Gratia non eſt magis naturalis homini innocenti quam lapſo. lapſa & innocens ejuſdem ſit ordinis, nequit gratia eſſe naturalis homini innocenti, quin ſimul naturalis ſit homini lapſo; & major proportio naturæ innocentis, quàm lapſæ in ordine ad gratiam non eſt poſitiva fundata in connaturalitate & unitate ordinis, ſed negativa fundata in carentia obicis, quæ quidem carentia reperitur in natura innocente, non in natura lapſa; intelligendo nomine naturæ lapſæ naturam ſaltem habitualiter in lapſu permanentem; huic igitur naturæ gratia eſt indebita poſitivè, naturæ innocenti eſt ſolùm indebita negativè ſeu non debita;

utrique verò ſupernaturalis eſt, non naturalis.

7. Probatur ſecundò : Gratia non poteſt eſſe debita naturæ ex merito operum naturalium, ergo multo minùs poteſt eſſe debita naturæ ſecundum ſe, & ex purâ ipſius dignitate; antecedens habemus ex Apoſtolo Rom. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, Alioquin gratia iam non eſt gratia.* & ſupponitur ex infrà dicendis cum de merito; conſequentia probatur quia ex una parte liberalitati conferentis, penes quam maximè attenditur ratio gratiæ, magis opponitur debitum phyſicum, quale eſſet debitum ortum ex purâ dignitate ipſius naturæ, quam debitum morale, quale eſt debitum ortum ex merito operum; ex alia parte natura & opera naturalia ſunt ejuſdem ordinis, & in tali ordine natura cum operibus eſt quid ampliùs & magis dignum, quam natura ſecundùm ſe & ſine merito operum; ergo gratia ſi nequit eſſe debita naturæ ex merito operum, multo minùs poteſt eſſe debita eidem ſecundùm ſe & ex purá ipſius dignitate.

8. Adverſariorum effugium. Dices repugnare quidem gratiæ debitum ortum ex jure creantis ſeu creatæ naturæ, cujuſmodi eſſet debitum ortum ex meritis, utpotè quæ tribuunt merenti jus ad præmiū; non ſic eidem repugnare debitum ortum ex voluntate & munificentia Creatoris, qui eo ipſo, quòd vult condere imaginem Dei innocentem, connaturaliter velit eidem tribuere conſortium divinæ naturæ & media neceſſaria ad videndum ſuum exemplar : Dicatur igitur gratiam non poſſe eſſe debitam naturæ debito ſe tenente ex parte creaturæ, ſivè ſit debitum operum, ſivè ſit debitum dignitatis quodammodo entitativæ, benè tamen poſſe eſſe debitam naturæ debito ſe tenente ex parte Dei; ſicuti enim non obſtat gratiæ quod ſuppoſita Dei promiſſione ſit debita, quia debitum ortum ex divinâ promiſſione eſt debitum fidelitatis ex parte Dei, itá nec eidem obſtat quòd ſit debita ex divina munificentia, aut decentia, aut alio quocumque ſe tenente ex parte Dei. Sed

9. Gratia quomodo poſſit eſſe debita debito ſe tenente ex parte Dei. contrà : Debitum ſe tenens ex parte Dei vel ſe tenet ex parte Dei ut Auctoris gratiæ & oritur ex aliquo actu ipſius gratioſo, vel ſe tenet ex parte ejuſdem ut Auctoris naturæ, & oritur ex aliquo actu non gratioſo; de illo, non de iſto debito ſe tenente ex parte Dei verificatur, quod gratiæ non repugnet; ſic non repugnat gratiæ debitum ortum ex promiſſione, quia promiſſio largiendi gratiam eſt actus gratioſus ſpectans ad Deum ut Auctorem gratiæ : Quando ergo in propoſito dicitur non repugnare gratiæ debitum ortum ex voluntate & munificentia Creatoris, qui eo ipſo, quod vult condere imaginem Dei innocentem connaturaliter velit, &c. ſermo eſt de debito ſe tenente ex parte Dei ut Auctoris naturæ ſcilicet ut Creatoris; & orto ex actu non gratioſo, ſcilicet ex voluntate creandi & condendi creaturam, quæ licèt ſit voluntas liberrima, non eſt tamen gratuita, niſi in ſenſu Pelagiano, in quo creatio ipſa eſt gratia; ideò tale debitum etiamſi ſe teneat ex parte Dei repugnat gratiæ gratiamque evertit.

Urgebis : Voluntas largiendi gratiam, etiamſi conſequatur ad voluntatem condendi naturam, conſequitur tamen ſolùm ex quadam connaturalitate & decentia Dei, non ex exigentia ipſius naturæ; ergo adhuc eſt gratioſa, & adhuc fundat debitum non repugnans gratiæ. Sed contrà : quidquid fit, fit ex connaturalitate & decentia Dei, 10.
adeoque hoc præcisè, quod eſt fieri ex connaturalitate & decentia Dei, non magis arguit actum gratioſum, quam non gratioſum; quidquid igitur fit de connaturalitate & decentia, voluntas largiendi gratiam ad voluntatem condendi naturam vel conſequitur inſeparabiliter & neceſſariò, ſaltem de potentia ordinaria, vel non; ſi primum, ergo ejuſdem eſt conditionis cum voluntate condendi naturam, nec poteſt illa eſſe magis gratioſa, quam iſta, alioqui poſita voluntate condendi hominem poſſet dici gratioſa voluntas ei tribuendi oculos, manus, pedes, &c. quamvis iſta ad illam de potentia ordinaria neceſſariò & inſeparabiliter conſequatur : Si ſecundùm, undenam probant Adverſarij talem voluntatem actu conſequi potiùs, quàm non conſequi; cum inter ea, quæ ſimpliciter ſeparabilia ſunt & non neceſſariò connexa, ex exiſtentia unius non magis inferatur exiſtentia, quàm non exiſtentia alterius.

Urgebis adhuc id probari ex eo, quòd ſuppoſitâ exiſtentiâ naturæ decentius & congruentius Deo ſit ei tribuere, quam non tribuere gratiam. Sed contrà : inſtantia vim 11.
fortè aliquam præſeferret, quoties Deus neceſſariò neceſſitate ſaltem morali vellet ad extrà quod meliùs eſt ex parte objecti, at oppoſitum expreſsè tradidimus *tract.1. lib.4. cap.5. §. 2.*

Probatur tertiò : creatura cui eſſet connaturalis & debita gratia, eſſet pariter connaturaliter debita tùm amicitia Dei, tùm viſio; 12.
atqui hæc duo naturæ humanæ non debentur, ut quoad amicitiam Dei probatum eſt *tract.1. lib.2. c.3. n.85.* quoad viſionem verò *eod. cap. num.81.* & alibi; ergo. Confirmatur pluribus auctoritatibus ſanctorum Patrum, quas refert Eſtius *pracit.* §. 3. ubi etiam §. *ſeq.* rectè explicat eas, quibus iidem ſancti Patres videntur favere Adverſariis, dum dicunt aut gratiam fuiſſe primo homini naturalem, aut vitium eſſe carere gratia, aut quid ſimile; rectè, inquam, explicat advertendo naturale aliquando ſumi pro eo omni, quod ſimul cum natura confertur, ſive deinde ſit naturæ debitum & ſupernaturali oppoſitum, ſive non, & in hoc ſenſu ſanctos Patres dixiſſe gratiam fuiſſe primo homini naturalem, nec aliud indicare voluiſſe, quàm primum hominē fuiſſe in gratia conditum, & recepiſſe gratiā ſimul cum natura; ex quo deinde ſequitur vitium eſſe carere gratia, quia natura rationalis ex quo condita eſt in gratia, non poteſt eam amittere ſine peccato & vitio proprio.

Occurritur auctoritatibus contrà præcedens aſſertum.

Aſſert. 3,

13. *Integritas, ſeu ſubjectio ſenſus ad rationẽ, non eſt debita naturæ humanæ ſecundũ ſe.*

Aſſert. 3. Naturæ humanæ ſecundùm ſe non eſt debita integritas ſita in perfecta ſubjectione ſenſus ad rationem, ſeu partis inferioris ad ſuperiorem. Ità D. Thomas 1. *part. q.* 95. *art.* 1. *in c. in* 2. *diſt.* 31. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 3. & alibi Scotus *in* 2. *diſtinct.* 29. *quæſt. unica* Durandus *in* 2. *diſt.* 20. *quæſt.* 5. Cajetanus 2. 2. *q.* 85. *art.* 3. Gonetus 1. *p. tract.* 8. *diſput.* 6. §. 3. Amicus *hic diſput.* 26. *n.* 28. Eſparza *q.* 10. *art.* 1. & alij Theologi communiter contrà Bajum, & Ianſenium, quibus favet Eſtius *in* 2. *diſt.* 25. §. 6. Vndè veritas hic aſſerta non eſt tam indubitata, quàm præcedens; & nullam cenſuram cadere in opinionem huic aſſerto oppoſitam rectè explicat Eſtius in fine *præcit.* §. 6. & fatetur etiam Gonetus *præcit.* §. 3. *n.* 17.

Probatur: Perfecta ſubjectio ſenſus ad rationem, ſeu partis inferioris ad ſuperiorem, conſiſtit potiſſimùm in eo, quòd motus concupiſcentiæ nunquam præveniant deliberationem rationis, neque hanc pertinaciter vexent divertendo à bono honeſto & pertrahendo ad delectabile interdũ contrarium legibus rationis, atqui hoc naturæ humanæ ſecundùm ſe non eſt debitum, ergo eidem ſecundùm ſe non eſt debita integritas ſita, &c. Minor probatur, quod motus concupiſcentiæ aliquandò præveniant deliberationem rationis, rationemque pertinaciter vexent, &c. connaturale eſt naturæ humanæ ſecundùm ſe, ergo huic ſecundùm ſe non eſt debitum, quòd motus concupiſcentiæ nunquam præveniant, &c. neque enim poteſt eſſe debitum id, cujus oppoſitum eſt connaturale; probatur antecedens, connaturale eſt

14. *Imò ei eſt connaturalis non ſubjectio.*

homini habere ſenſum & rationem, appetitum ſenſitivum & rationalem; ac per conſequens tendere in objectum tùm ſenſui conſonum & delectabile, tùm conſonum rationi & honeſtum; & quia pro ſtatu hujus vitæ ſenſus attingit propria objecta immediatè, & in ſe ipſis, ratio verò mediatè & per ſenſus fit, quòd priùs & vehementiùs moveant delectabilia ſenſum quàm honeſta rationem, adeoque quod motus concupiſcentiæ priores ſint & vehementiores actibus rationis: ergo quod motus concupiſcentiæ aliquandò præveniant deliberationem rationis, &c. connaturale eſt, &c.

Dices primò ſenſum & appetitum ſenſitivum ſumi poſſe dupliciter, vel in ſua linea præcisè, vel ut eſt in tali ſubjecto, nimirum in homine, in quo ſpiritui & rationi conjungitur; ſenſui & appetitui ſenſitivo conſiderato in ſua lineâ præcisè connaturale quidem eſſe tendere in bonum delectabile etiam rationi contrarium, eoque vehementiùs moveri quàm moveatur ratio ipſa bono honeſto, ſic majori impetu fertur brutum in voluptatem, quàm homo in honeſtatem; ſecùs rem ſe habere in ſenſu & appetitu ſenſitivo ſpiritui, rationique conjuncto; huic quippe connaturale eſt ſubeſſe & obtemperare rationi, reſpectu cujus ſe habet ut inferior ad ſuperiorem, ut fœmina ad virum, dicente Auguſtino lib. 2. Geneſ. ad litteram, cap. 21. *Animalis illa pars noſtra tanquam viro debet obtemperare rationi*; ergo connaturale non eſt homini quòd appetitus ſenſitivus rationem fraudulenter quodammodò præoccupet, eamque pertinaciter vexet. Sed

15. *Senſus rationi ſubeſt civiliter, nõ ſerviliter.*

contrà: Appetitui ſenſitivo rationi conjuncto connaturale eſt rationi ſubeſſe civiliter & politicè, id eſt cum facultate reſiſtendi, quoties præſertim præcipitur aliquid contrariũ bono proprio, quomodo ſubeſt Civis Principi, filius Patri, fœmina viro, concedo; ſerviliter & deſpoticè, id eſt abſque facultate & jure reſiſtendi, quo modo ſubſunt ſervi dominis, nego; & hoc ſufficit, ut poſſit ſenſus præoccupare ac vexare rationem.

Vrgebis: in appetitu rationi unito facultas reſiſtendi rationi eſt imperfectio, & defectus; ergo non poteſt eſſe connaturalis naturæ humanæ ſecundùm ſe. Sed contrà: cuilibet naturæ finitæ connaturalis eſt aliqua imperfectio & aliquis defectus, ut exemplificari poteſt in potentia ad peccandum, ad deficiendum, &c.

Dices ſecundò: Non poteſt non eſſe connaturalis rationi ſubjectio ad Deum, ergo non poteſt non eſſe connaturalis ſenſui ſubjectio ad rationem, cum ex D. Thoma 1. *p. q.* 95. *art.* 1. *in c.* ſubjectio rationis ad Deum ſit cauſa ſubjectionis ſenſus ad rationem. Sed

16. *Rationi ad Deum cõnaturalis eſt ſubjectio ſolùm imperfecta.*

contrà: ſubjectio moralis & voluntaria (nam ſubjectio purè phyſica nõ facit hic ad rem) rationis ad Deum provenit ex Dei amore, & ſicuti connaturalis eſt rationi ſolùm imperfectus Dei amor, ità pariter ſolùm imperfecta ad Deum ſubjectio, & per conſequens ſolùm imperfecta ſubjectio ſenſus ad rationem admittens reſiſtentiam, ſicuti imperfecta ſubjectio rationis ad Deum admittit inobedientiam, & tranſgreſſionem divinorum præceptorum.

Dices tertiò: Quòd eſt connaturale homini ſecundùm ſe tribuitur ei à Deo, ut naturæ Auctore; atqui ſenſus reſiſtens rationi, rationemque præoccupans & vexans, quòd eſt idem ac dicere concupiſcentia rebellis & effrænis, non poteſt homini tribui à Deo ut naturæ Auctore; ergo ſenſus reſiſtens rationi, &c. non poteſt eſſe connaturalis homini ſecundùm ſe: Minor probatur primò, quia Deus non poteſt eſſe cauſa imperfectionis & defectus: Secundò quia non poteſt tribuere materiam erubeſcentiæ, injuriam quippè facit Deo qui de ejus opere erubeſcit ut docet Auguſtinus *lib.* 2. *de nuptiis & concupiſcentia*, *c.* 9. Tertiò quia non poteſt crudeliter ſe gerere, miſeriis moleſtiiſque graviſſimis ſubjiciendo creaturam abſque ipſius culpa; atqui concupiſcentia rebellis & effrænis eſt imperfectio & defectus, eſt materia erubeſcentiæ, eſt miſeriarum, moleſtiarumque fomes: ergo. Sed contrà: Quod

17. *Deus quomodò poſſit eſſe cauſa defectus & imperfectionis?*

eſt connaturale, ſi ſit poſitivum, tribuitur quidem à Deo ut Auctore naturæ; at ſi ſit negativum & carentia perfectionis conſequitur ad finitatem & limitationem creaturæ, nec terminat Dei cauſalitatem; ideò concedo majorẽ de connaturali ſecundùm quod poſitivum, nego de eodem ſecundùm quod negativum; ad minorem dico concupiſcen-

tiam effrænem & rebellem ſecundùm poſitivum quod importat, id eſt ſecundùm vehementem inclinationem ad ſenſibilia, tribui poſſe à Deo; quamvis non ſecundùm negativum, id eſt ſecundùm carentiam ſubjectionis ad rationem, & præpotentiæ ad vincendum in ipſa ratione; & ſecundùm hoc negativum conſequi & conſurgere ex ipſa conſtitutione naturæ humanæ finito & limitato modo importantis partes contrarias. Hinc ad primam probationem minoris dicito Deum non poſſe eſſe cauſam imperfectionis & defectus ſecũdùm negativum & formale, quod importat; benè tamen ſecundum poſitivum

18. & materiale. Ad ſecundam fieri Deo injuriam erubeſcendo de ipſius opere ſecundùm poſitivum & materiale, ſecundùm quod propriè à Deo eſt; non ſic erubeſcendo de eodem ſecũdùm negativum & formale, ſecundùm quod ex naturæ conditione reſultat; concupiſcentia autem ſecundo, non primo modo materies eſt erubeſcentiæ propriè dictæ; propriè dictæ, inquam, nam erubeſcentia impropriè & latè ſumpta cum humiliatione & confuſione coincidens de qualibet vilitate, etiam irreprehenſibili, haberi poteſt; ſic erubeſcimus, v. g. in ventre exonerando, in copula etiam matrimoniali, ac licita, &c.

Quomodò poſſit tribuere materiam erubeſcentiæ?

Ad tertiam, tranſeat quod ſpecies eſſet crudelitatis ſubjicere creaturam abſque ipſius culpa miſeriis moleſtiiſque gravibus, ſi tales miſeriæ moleſtiæque ſint ipſi indebitæ, ac purè ab extrinſeco proveniant; ſecùs ſi ſint debitæ & connaturales, quales ſunt reſpectu naturæ humanæ ſecundùm ſe miſeriæ moleſtiæque conſequentes effrænem & rebellem concupiſcentiam, quibus nequit homo non ſubjici, niſi ex gratia & beneficentia ſpeciali Dei, Deum autem non eſſe ſpecialiter beneficum nullatenùs infert Deum eſſe crudelem.

Quibus miſeriis poſſit ſubjicere creaturā innocentē.

19. Aſſert. 4. Verè dabilis eſt homo in ſtatu naturæ puræ, in quo ſcilicet à Deo ut Auctore naturæ, & operante ſecundùm potentiam ordinariam, creetur abſque integritate, abſque juſtitia originali, & abſque gratia gratum faciente. Hoc aſſertum conſequitur ad duo præcedentia, ex quibus facilè

Status puræ naturæ eſt verè dabilis.

Probatur: Deus ut Auctor naturæ, & operans ſecundùm potentiam ordinariam, poteſt creare hominem abſque omni perfectione ſibi non connaturali & non debitâ; ſed integritas, juſtitia originalis, & gratia gratum faciens ſunt perfectiones homini non connaturales & non debitæ: ergo verè dabilis eſt homo in ſtatu naturæ puræ, in quo ſcilicet à Deo, &c. Major patet, quia Deus operatur ut Auctor naturæ, & ſecundùm potentiam ordinariam, quoties ſe accommodat exigentiæ ſuorum operum, & nec parcus quodammodò eſt eis negando aliquid debitum, nec liberalis eis largiendo aliquid non debitum: Minor quoad integritatem, & gratiam gratum facientem, expreſsè probata eſt in aſſertis præcedentibus quoad originalem juſtitiam infertur à fortiori ex dictis de integritate, cum illa hanc includat; & corroboratur inſuper ex eo, quod ordinatio ad finem ſupernaturalem & immortalitas, quæ principaliter integritati ſuperaddit originalis juſtitia, homini ſecundùm ſe non debentur: Non debetur ordinatio ad finem ſupernaturalem propter eaſdem rationes, propter quas oſtenſum eſt non deberi gratiam, & propter connexionem talis ordinationis cum gratia, utpotè omninò neceſſariâ ad finem ſupernaturalem obtinendum: Non debetur immortalitas, quia mortalitas eſt homini connaturalis, utpotè conſequens ex intrinſeca ipſius conſtitutione, ſeu ex principiis intrinſecis, tùm ſubſtantialibus, tùm accidentalibus; inter ſubſtãtialia enim repetitur materia ejuſdem rationis cum ea cæterarum rerum corruptibilium, appetens alias formas ſucceſſivè habendas, nec completè ſatiata per animam rationalem; inter accidentalia reperiuntur primæ qualitates contrariæ ac pugnantes inter ſe, ſuaque contrarietate & pugna diſponentes ac tandem deducentes ſubjectum ad corruptionem, & interitum.

Dices: ſi ſupponatur homo, præſertim ſecundùm potentiam Dei ordinariam, conditus in pura natura plura ſequerentur abſurda; primò enim ex carentia integritatis eſſet inferioris conditionis ad bruta, quæ à Deo ſecundùm potentiam ordinariam operante nequeunt produci mutilata & non integra: Secundò ex carentia ordinationis ad finem ſupernaturalem eſſet incapax veræ felicitatis, cum hæc non aliter habeatur, quàm per viſionem Dei ut finis ſupernaturalis: Tertiò ex carentia immortalitatis anima in via tantùm, non in termino, haberet conſortium corporis, ſicque corpus foret conſors bonorum malorumve operum in via, at non præmij ſuppliciive in termino: ergo non eſt dabilis homo in ſtatu naturæ puræ, in quo ſcilicet à Deo ut Auctore naturæ, &c. Sed 20.
contrà: Ad primum & ſecundum abſurdum nego ſequelam; ad primum quidem, quia bruta non produci mutilata & non integra quoad partes corporis ſpectat ad integritatem ſumptam pro perfectione integrali, quæ debita eſt etiam homini, nec Deus ut Auctor naturæ poteſt producere hominẽ claudum, cæcum, monoculum, aut aliter monſtroſum & defectuoſum; at integritas, de quâ aſſertum procedit, aliter ſumitur, nimirum juxtà ſenſum explicatum *præced. n. 3.* Ad ſecundum, quia vera felicitas alia naturalis, alia ſupernaturalis eſt, iſtius tantùm, non illius eſſet incapax homo ad finem ſupernaturalem non ordinatus, pro quo recolantur ſupradicta *in tract. de Beatitud. lib. 1. cap. 3. §. 2. & 4. & lib. 1. c. 4. §. 3.* Ad tertium concedunt ſequelam qui exiſtimant non futuram in ſtatu naturæ puræ corporum reſurrectionem; qui verò hanc in eo ſtatu aſtruunt ſequelam negant, nos conformiter ad ſupradicta *præcit. §. 2. n. 11.* cum primis ſentimus, nec ullum in ſequela abſurdum agnoſcimus.

Occurritur abſurdis, quibus impugnatur ſtatus naturæ puræ.

Ex dictis habetur poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ negari poſſe, vel titulo gratiæ gratum facientis, vel titulo juſtitiæ originalis, vel titulo integritatis; ſi negetur primo 21.

Cenſura opinionis negantis

titulo

poſſibilem ſtatum puræ naturæ. titulo gravis, ſi tertio titulo nulla, ſi ſecundo titulo non adeò gravis ut primò, aliqua tamen cenſura incurritur.

21. *Status naturæ Angelicæ pauciores, quâ naturæ humanæ.* Habetur inſuper diſtinctioné naturæ puræ ab integra propriam eſſe naturæ humanæ, nec extendi poſſe ad Angelicam; hæc enim cum non conſtet parte inferiore & ſuperiore, ſenſitiva & rationali, ſed ſit pura intelligentia, non admittit inter ſenſum & rationem, aut rebellionem in quâ naturæ puritas, aut ſubjectionem in quâ naturæ integritas collocetur: idem igitur ſunt in Angelis ſtatus naturæ puræ & ſtatus naturæ integræ: Status juſtitiæ originalis proprie loquendo aſſignari in iiſdem non poteſt, quia nec immortalitas in Angelis eſt privilegiũ, nec iniri cum ipſis poteſt pactum de innocentia, aut culpa, ab uno in alios per originem transfundenda, cum non ſint capaces originis unius ab alio: Neque item ſtatus naturæ reparatæ, cum nec pro malorum Angelorum redemptione Chriſtus mortuus ſit, nec ullus ipſorum pœnituerit. Non igitur ſex ſtatus ut in hominibus, ſed ſolùm tres in Angelorum viâ videntur diſtinguendi: Nimirum ſtatus naturæ ſimpliciter, ſtatus gratiæ, & ſtatus culpæ.

---

§. II.

Quid ſint, & quomodò inter ſe differant ſtatus naturæ integræ, originalis juſtitiæ, & gratiæ gratum facientis?

22. *Status naturæ integræ quid.* ASSERT. 1. Status naturæ integræ eſt permanens ac perfecta ſubjectio partis ſenſitivæ ad rationalem, & rationalis ad Deum ut naturæ Auctorem. Ità Theologi communiter; & licèt Durandus apud Gonetum *1. p. tract. 8. diſp. 3. num. 1.* explicet integritatem naturæ humanæ per hoc, quòd ſit inſtructa omnibus facultatibus, potentiis, & organis, ſibi connaturaliter debitis, indéque inferat non poſſe creari hominem in natura pura, quin ſimul creetur in integra, nobis Adverſarius non eſt, quia non conſiderat eam integritatem de quâ nos hic agimus, ſed aliam, cujus jam ſemel & iterum meminimus, ſumptam pro perfectione integrali.

Probatur, imò infertur aſſertum ex dictis; & certè ad legis naturalis integram obſervantiam, ex quâ hic derivatur denominatio integræ in naturam, aptiſſima eſt & ſufficiens aſſerta ſubjectio; quod ſi placeat cum Goneto *diſput. præcit. n. 3.* denominationem naturæ integræ deducere ex unione & quaſi integratione partis inferioris cum ſuperiore, quadrat etiam optimè eadem ſubjectio, quæ dum medetur utriuſque partis diviſioni & diſcordiæ, ponit in tota natura quandam quaſi unionem, & integritatem, ex utraque parte quid unum, ut ità dicam, integrando.

Hinc fit ſtatum naturæ integræ non includere eſſentialiter gratiam ſanctificantem, imò nec donum aliquod ſupernaturale in ſubſtantia; cum perfecta ſubjectio partis ſenſitivæ ad rationalem naturæ quidem non debeatur, at nec ſit in ſe formaliter ſupernaturalis, nec ſupernaturalem finem ex ſe reſpiciat, adeoque poſtulet quidem induci per aliquid gratuitum & ſupernaturale in modo, at non per aliquid ſupernaturale in ſubſtantia.

Dices: ex vi perfectæ ſubjectionis natura integra poſſet amare Deum ſuper omnia, & obſervare totam legẽ naturalem ut oportet ad ſalutem: ergo ſi in tali perfecta ſubjectione non involveretur aliquid ſupernaturale, poſſet viribus purè naturalibus amari Deus ſuper omnia & obſervari, ut oportet, tota lex naturalis, quod pelagianum eſt. Sed contra: ly *viribus purè naturalibus*, vel ſumitur ut excludit ſolùm ſupernaturale in ſubſtantia, vel ut etiam excludit omne gratuitum & naturæ indebitum; primo duntaxat, non ſecundo modo, poſſet natura integra viribus purè naturalibus amare Deum ſuper omnia, &c. pelagianum autem eſſet, ſi diceretur, id poſſe etiam ſecundo modo. 23. Deinde Pelagius loquebatur de ſtatu, in quo ſunt nunc homines, non de ſtatu integritatis, qui exiſtere quidem poteſt, at nec exiſtit, nec unquam extitit: Pelagianum igitur eſt dicere, quòd homo in ſtatu, quem de facto habet, & in quo Deus ut finis ſupernaturalis amandus eſt, & ly *ut oportet* in obſervantia legis, ad ſalutem ſupernaturalem refertur, non indigeat aliquo in ſubſtantia ſupernaturali ad amorem ſuper omnia, & obſervantiam, ut oportet; at diverſa eſt ratio de ſtatu integritatis, in quo deberet Deus amari ut finis naturalis, & lex obſervari in ordine ad ſalutem naturalem.

Aſſert. 2. Status juſtitiæ originalis, prout de facto fuit in primis parentibus, ſuperaddit ſtatui integritatis elevationem ad finem ſupernaturalem factam non per ſolam extrinſecam ordinationem, ſed per intrinſecam infuſionem gratiæ, & quidem in ipſo creationis inſtanti juxtà communiorem veramque ſententiam; ſuperaddit item immortalitatem ſumptam non pro impotentia abſoluta moriendi, qualem immortalitatem habebunt homines, tùm beati, tùm damnati, poſt univerſalem corporum reſurrectionem; ſed pro potentia non moriendi ſervando legem à Deo præſcriptam; ſuperaddit tandem virtutes infuſas, plenitudinem ſcientiæ quoad naturalia, immunitatem ab omni errore, ab omni dolore, ab omni ægritudine, &c. Ità Theologi communiter, dum agunt de creatione hominis, videri inter cæteros poſſunt Arriaga *1. part. tom. 2. diſp.* 41. 42. & 43. Gonetus *1. p. tr.* 8. *diſp.* 1 *art.* 3. & 4. Eſtius *in 2. diſt.* 19. Herincx *1. p. tr. 3. diſp* 6 *q.* 9. 10. & 11. & alij apud ipſos. 24. *Status juſtitiæ originalis quid?*

Probatio & explicatio hujus aſſerti exposceret examen & indaginem eorum omnium, quæ ad enumerata privilegia pertinent; at hæc ſunt prorsùs extranea tractatui de Gratia, & ex Auctoribus præcitatis repetenda

repetenda potiùs, quàm huc revocanda.

Ex dictis habetur ſtatum naturæ integræ, & ſtatum juſtitiæ originalis, inter ſe differre tanquam incluſum & includens; & ex tribus ſtatibus hucuſque explicatis ſtatum naturæ puræ eſſe duobus aliis imperfectiorem; ſtatum juſtitiæ originalis eſſe duobus aliis perfectiorem; ſtatum naturæ integræ inter duos alios mediare & eſſe perfectiorem ſtatu naturæ puræ, imperfectiorem ſtatu originalis juſtitiæ.

25. Vtrùm juſtitia originalis habeatur per habitum gratiæ?

Dubitatur hic: Vtrùm juſtitia originalis haberetur in primis parentibus per aliquid diverſum à gratia gratum faciente, an per ipſummet habitum gratiæ? Exiſtimant haberi per aliquid diverſum Cajetanus 1. *p. q.* 95. *artic.* 1. Suarez *prologom.* 4 *de gratia, c.* 5. *num.* 2. Oviedus *hic controverſ.* 1. *n.* 130. Volunt haberi per ipſummet habitum gratiæ Medina 1. 2. *q.* 85. *art.* 2. Salmanticenſes *in tract. de peccatis, diſp* 16. *dub.* 1. Gonetus *diſp.* 1. *præcit. art.* 5. & hi Auctores advertunt ſe loqui de juſtitia originali, non accepta adæquatè pro aggregato donorum & perfectionum omnium ad ipſam pertinentium, ſed accepta inadæquatè & formaliſſimè pro ea perfectione, quæ eſt origo cæterarum & radix: Advertunt inſuper & ſupponunt habitum gratiæ in primis parentibus ante lapſum habuiſſe modum informandi diverſum ab eo, quem habet in nobis, diverſitate conſiſtente in majore illius dominio ſuprà animam; & non ſecundùm ſe præcisè, ſed ratione talis modi fuiſſe in primis parentibus originem & radicem originalis juſtitiæ. His animadverſionibus non obſtantibus ſequor Cajetanum, Suarium, Oviedum locis præcitatis, & inſuper Scotū *in* 2. *diſt.* 29. *ad* 4. Durandum *in* 2. *diſt.* 20. *q.* 3. *ad* 1. Eſtium *in* 2. *diſt.* 25. §. 5. alioſque plures & exiſtimo ſimpliciter, & abſolutè primos parentes habuiſſe juſtitiam originalem per aliquid diverſum ab habitu gratiæ. — Sententiam negativè.

26. Probatur hoc primò, quia ipſi Adverſarij refundentes juſtitiam originalem in habitum gratiæ, tali habitui diverſum modum ſuperaddunt; illud igitur, quod ipſi vocant diverſum modum gratiæ, nos vocamus quid ſimpliciter diverſum à gratia, & rationabiliter; majus enim dominium gratiæ ſuprà animam, in quo illi ſtatuunt diverſam informationē & diverſum modum gratiæ, vel eſt quid inexplicabile & inane verbum, vel reſolvitur in majorem gratiæ intenſionem; gratia autem, quæ ſecundùm ſe non ſit cauſa formalis originalis juſtitiæ, non poteſt eſſe cauſa ejuſdem ut intenſior, quia major intenſio deſervit ad augendum eundem effectum, non ad præſtandum effectum diverſum.

27. Probatur ſecundò, quia quod nonnulli aſtruunt de facto, Adamum ſcilicet creatum fuiſſe in juſtitia originali, non in gratia, videtur omninò concedendum ſaltem de poſſibili, quod ſufficit ad hoc ut neceſſariò fatendum ſit juſtitiam originalem haberi per aliquid diverſum à gratia: Nec refert, quod nos ipſi in præcedenti aſſerto diximus juſtitiam originalem ſuperaddere integritati gratiam, ad hoc enim non requiritur quòd habitus gratiæ ſit à juſtitia originali indiſtinctus, ſed ſufficit quòd ſit perfectio ei valde conveniens, & vel eam conſequens, vel ad eam quodam modò diſponens, & hoc ſecundùm nec quidquam amplùs intendit S. Thomas 1. *p. q.* 95. *art.* 1. *in c. & q.* 100. *art.* 2. *ad* 2. docens radicem originalis juſtitiæ conſiſtere in ſubjectione ſupernaturali rationis ad Deum, quæ eſt per gratiam gratum facientem; alioqui ſi per hæc verba faveret Adverſariis, & in Adverſariorū ſenſu loqueretur, contradiceret ſibi ipſi alibi, id eſt *in* 2. *diſt.* 20. *q.* 2. *art.* 3. *in corp. & diſt.* 32. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. expreſsè diſtinguenti juſtitiam originalem à juſtitia gratuita, quæ idem eſt ac gratia gratum faciens Confirmatur ex eo, quòd ſimpliciter & abſolutè diſtinguendo juſtitiam originalem à gratia ſanctificante facilìùs & meliùs explicatur, quomodò Adam poſt lapſum ejuſque poſteri recuperando per juſtificationem gratiam habitualem non ſimul recuperent originalem juſtitiam. — Mens D. Thomæ.

Supereſſet hic inquirendum: Vtrùm juſtitia originalis formaliter ac eſſentialiter ſumpta in unico habitu, an in pluribus; vel etiam partim in aliquo habitu intrinſeco, partim in protectione extrinſeca Dei debeat collocari? at jam diximus nolle nos hic indagare omnia, quæ ad juſtitiam originalem pertinent, & à præcedenti etiam dubitatione abſtinuiſſem, niſi fuiſſet neceſſaria ad intelligendum ſtatum gratiæ gratum facientis.

28. Status gratiæ gratum facientis quid?

Aſſert. 3. Status gratiæ gratum facientis cenſeri poteſt quaſi integralis perfectio originalis juſtitiæ, in re tamen ab iſta diſtinguitur; & ſecundùm ſe communis eſt homini, tùm originaliter juſto, tùm lapſo: in quonam deinde formaliter conſiſtat, quidve formaliter præſtet latè tradetur *lib.* 3. qui totus erit de gratia habituali, ſeu gratum faciente, unde ſuppoſitis tùm ibi dicendis tùm mox dictis, ulteriori explicatione aut probatione aſſertum non indiget.

§. III.

Quid ſit ſtatus naturæ lapſæ, & quomodò differat à ſtatibus integritatis, juſtitiæ originalis, & gratiæ gratum facientis?

29. Status naturæ lapſæ quid?

ASSERT. 1. Status naturæ lapſæ eſt permanentia humanæ naturæ propagatæ ex Adamo lapſo in originale peccatum.

Probatur & explicatur: Certum eſt naturam dici lapſam ex lapſu in culpam, non tamen qualemcumque, ſed talem; quæ naturam afficiat & per naturæ participationem contrahatur, non præcisè afficiat perſonam & actu proprio committatur, quia igitur ſolus Adam ratione pacti cum ipſo initi de innocentia, vel culpa, in poſteros transfundenda, poterat labi in culpam, quæ naturam

afficeret

afficeret & per naturæ participationem contraheretur, rectè explicatur ſtatus naturæ lapſæ per ordinem ad ſolum Adami lapſum in originale peccatum.

30. Hinc fit ſolo non exiſtente originali, etiamſi potuiſſent eſſe alij Adæ, vel poſterorum lapſus in culpas, fit, inquam, quod tales lapſus non fuiſſent propriè lapſus naturæ, lapſamque denominaſſent perſonam, naturamve ut in tali perſona, non naturâ ſecundùm ſe; & ideò propriè non conſtituiſſent ſtatum naturæ lapſæ: eadem de cauſa ex peccato Angelorum non ſolemus appellare lapſam naturam Angelicam, nec in Angelis ſtatũ naturæ lapſæ collocare: Imò in natura humana pura, quæ nullum poſſet admittere ſpeciale pactum de naturali innocentia aut culpa aliqua transfundenda, jam enim tale pactum foret quid non debitum & contrà naturæ puritatem, in natura, inquam, humana pura, ſicuti defectu pacti nullum peccatum poſſet naturam totam afficere, & ultrà perſonam, à qua patraretur, extendi, ità ex eo quod hic vel ille homo peccaret, daretur hic vel ille homo lapſus, at ſtabilis in rigore non eſſet natura lapſa, ſeu naturæ lapſæ ſtatus.

Non datur in Angelis nec propriè dari poteſt in natura humana pura.

31. Aſſert. 2 Status naturæ lapſæ differt à ſtatibus integritatis, juſtitiæ originalis, & gratiæ gratum facientis, tùm per ſpoliationem in gratuitis, tùm per vulnerationem in naturalibus. Eſt receptiſſima & dogmatica veritas.

Probatur primò in univerſum ex communi Theologorum pronunciato, quo homo dici ſolet per peccatum originale ſpoliatus gratuitis, vulneratus in naturalibus: Item ex Concilio Arauſicano *can. 1.* in quo ſic habetur *Si quis per offenſam prævaricationis Adæ non totum, id eſt ſecundùm corpus & animam, in deteriùs dicit hominem commutatum; ſed animi libertate illæſa durante* (ecce in eo, quòd Concilium ſtatuat non duraſſe illæſam animi libertatem, vulnerationem in naturalibus) *corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus adverſatur Scripturæ*, &c. Tandem ex Concilio Valentino *cap. 6.* dicente *liberum arbitrium per peccatum in primo homine infirmatum fuiſſe*; ex Tridentino *ſeſſ. 5. decreto de peccato originali* ſtatuente *Adam per prævaricationis offenſam ſecundùm corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe*. Hi loquendi modi, qui familiares etiam ſunt ſanctis Patribus, vim certè habent ſignificandi in homine lapſo aliquid ampliùs, quàm ſolam gratuitorum carentiam.

32. Probatur & explicatur in particulari prima pars de ſpoliatione in gratuitis: Certum eſt & de fide homines in natura lapſa carere originali juſtitia, quæ Adamo inerat ànte peccatum; atqui hæc originalis juſtitia adæquatè, & ſecundùm omnem ſuam perfectionem accepta, includebat non ſolùm privilegia quædam ſibi propria, verùm etiam omnia gratuita pertinentia, ſive ad integritatem, ſive ad gratiam gratum facientem; ergo his omnibus homines carent ex vi peccati originalis; carent per conſequens perfecta ſubjectione partis inferioris ad ſuperioré, ſuperiorisque ad Deum; carent omnibus virtutum infuſarum habitibus, omni jure ad gratiæ actualis auxilia, immortalitatis & impaſſibilitatis dono, &c.

Dices: Adam per peccatum non amiſit in ſe ipſo omnia gratuita, ergo neque hæc omnia amittunt ipſius poſteri; neque enim potuit Adam per peccatum proprium transfundere majus malum in poſteros, quàm contraxerit in ſe ipſo; antecedens probatur, Adam retinuit ſpem & fidem, tùm quia ſine his virtutibus minùs facilè & minùs connaturaliter potuiſſet ad pœnitentiam revocari, tùm quia ſecùs non verificaretur fidē, ex quo cæpit in Adamo, nunquam in Eccleſia defeciſſe. Sed contrà: propter has rationes admitto cum Goneto 1. *p. tr. 8. diſp. 4. n. 9. & 20.* remanſiſſe in Adamo lapſo ſpem & fidē ex ſpeciali indulgentia facta particulari ipſius perſonæ, non naturæ; & licèt Adam ex natura rei non potuerit transfundere majus malum in poſteros, quàm in ſe contraxerit, bene tamen id potuit ex indulgentia ſibi ſpecialiter facta, non poſteris. 33.

Adam peccando non amiſit ſpem & fidem.

Dices inſuper: Adam & ejus poſteri non amiſerunt ordinationem ad finem ſupernaturalem, atqui hæc eſt quid gratuitum; ergo non amiſerunt per originale omnia gratuita. Sed contrà: ordinatio ad finem ſupernaturalem alia eſt intrinſeca facta per gratiam inhærenté, alia eſt extrinſeca facta per extrinſecum Dei decretum, iſtam non amiſerunt Adam & ejus poſteri, bene tamen illam; de gratuitis autem purè extrinſecis non videtur procedere amiſſio ſecuta ex originali. Deinde dici poteſt ordinationem ad finem ſupernaturalem ut obtinendum eſſe gratuitam; ordinationem verò ad eundem ut non obtinendum, ſeu cum debito non obtinendi, eſſe potiùs pœnalem, utpotè quæ importat reatum pœnæ damni, talis autem eſt ordinatio remanens in Adamo & ejus poſteris, quandiu ſunt in originali; ideò &c.

Probatur & explicatur in particulari ſecunda pars de vulneratione in naturalibus: Homo per originalem juſtitiam non ſolùm elevatur, inclinatur, & roboratur circà bonum morale ordinis ſupernaturalis, verùm etiam ordinis naturalis; qui enim verbi gratia amat Deum ut Auctorem ſupernaturalem, ex hoc ipſo validior ac pronior eſt ad eundem amandum ut Auctorem naturæ; & in univerſum propter maximam ſimilitudinem actuum ſupernaturalium & naturalium ejuſdem generis, quidquid perficit in ordine ad actum ſupernaturalem, prodeſt unà ſimul in ordine ad actum naturalem ſub eodem genere conſtitutum: Deinde pars ſuperior habens inferiorem ſibi per donum integritatis perfectè ſubjectam, vires illas, quas pro vincenda reſiſtentia partis inferioris exereret, impendit immediatè in proſecutione boni moralis, fitque in tali proſecutione robuſtior, quàm foret ſine dono integritatis: Homo igitur amittendo originalem 34.

Homo lapſus eſt vulneratus in naturalibus comparativè ad ſtatũ integritatis & originalis juſtitiæ.

juſtitiam, non ſolùm remanet impotens circà bonum ſupernaturale, ſed etiam intrinſecè id eſt defectu alicujus intrinſeci minùs potens circà naturale, quod eſt ipſum pro ſtatu lapſus eſſe in naturalibus vulneratum comparativè ad ſtatum originalis juſtitiæ; & per conſequens differre ſtatum naturæ lapſæ à ſtatibus integritatis, juſtitiæ originalis, &c. etiam per vulnerationem in naturalibus.

35. Quatuor lapſi hominis vulnera. Hinc facilè explicantur quatuor, quæ ſolent homini lapſo attribui, ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, & concupiſcentiæ vulnera; cum enim vulnus nihil ſit aliud, quàm læſio alicujus partis determinatæ ex diviſione, ſeu diſruptione proveniens, ad originalẽ autẽ lapſum ſecuta fuerit diviſio quædam, ſeu diſruptio ſenſus à ratione, in quibus unionem conſtituebat, ſervabatque originalis juſtitia, & ex tali diviſione, ſeu diſruptione læſæ & minùs potentes remanſerint quatuor determinatæ hominis partes, nimirum intellectus, voluntas, appetitus iraſcibilis, & appetitus cõcupiſcibilis; jure aſſignantur quatuor prædicta vulnera; ignorantia tanquã vulnus intellectus læſi & debilioris in ordine ad verũ; malitia tanquã vulnus voluntatis læſæ & debilioris in ordine ad bonum honeſtum; infirmitas tãquam vulnus appetitus iraſcibilis læſi & languidioris in ordine ad bonum arduum; concupiſcentia tanquam vulnus appetitus cõcupiſcibilis læſi & difficilioris in ordine ad delectabile moderatum ratione. Dixi vulnus eſſe læſionem alicujus partis determinatæ, læſio enim totius ſubſtantiæ morbus eſt, aut languor, non vulnus; ut patet in febri, quæ quia totum animal afficit, morbus dicitur, non vulnus, ſic etiam macula culpæ originalis, quatenùs totam animam naturamve afficit, non debet dici vulnus, ſed morbus, ægritudo, & languor naturæ, ut loquitur D. Thomas 1. 2. q. 82. *art.* 1. *in c.*

---

§. IV.

Quomodò ſtatus naturæ lapſæ differat à ſtatu naturæ puræ, & utrùm natura lapſa ſit debilior purâ?

36. Natura lapſa non eſt debilior quàm ſi foret pura. ASSERT. 1. Natura lapſa non eſt debilior, quàm ſi foret pura; nec homo lapſus ex peccato originali contraxit aut qualitatẽ aliquam morboſam, ſeu morbidam & malignam, ut volunt Gregorius *in* 2. *diſt.* 30. *q.* 2. *art.* 2. Gabriel, Ocham & alij nonnulli antiqui; aut habitum inclinantem ad malum, ut volunt qui peccatum originale habitualiter acceptum collocant in aliquo poſitivo; aut minorem inclinationem ad bonum, majoraque impedimenta extrinſeca bene operandi, ut volunt Alvarez *de aux. diſp.* 45. *&* 47. Sylvius 1. 2. *q.* 85. *art.* 3. Ioannes à S. Thoma *hic q.* 109. *diſp.* 19. *art.* 1. *n.* 13. Eſparza *q.* 9. *art.* 3. Madernus *q.* 1 *art.* 4 &c. Contrà quos omnes Auctores ſententiam à nobis aſſertã tradunt Marſilius *in* 2. *q.* 18. *art.* 1. Medina 1. 2. *q.* 85. *art.* 3. Cajetanus *eod. art. & q.* 109. *art.* 2. Gonetus 1. *p. tr.* 8. *diſput.* 4. *art.* 3 §. 2. Suarez *hic prolegom.* 4. *c.* 8. Arriaga *diſp.* 36. *ſect.* 5. *ſubſec.* 2. Oviedus 1. 2. *tr.* 6. *controv.* 9. *n.* 89. *& tract* 7. *controv.* 1. *n.* 138. cæterique magis communiter.

37. Non contraxit morbidam qualitatem. Probatur aſſertũ primò impugnando morbidam qualitatẽ: Talis qualitas non emanaſſet à natura, quia nulla natura eſt emanativa qualitatis ſibi diſconvenientis, à quâ imperficiatur & debilitetur: non fuiſſet infuſa à Deo, quia talis morbida qualitas eſſet deterior quolibet habitu vitioſo, hunc verò vix de potentia abſoluta aliqui concedunt poſſe à Deo infundi: Non fuiſſet producta ab actu peccati, quia etiam ex cæteris actibus peccaminoſis deberet produci morboſa aliqua qualitas: Non fuiſſet tranſmiſſa ex pomo vetito, aut ex venenoſo ſibilo ſerpentis, quia & gratis id diceretur, & non aliter potuiſſet id fieri, quàm extraordinariâ Dei virtute, at in hoc eadem eſt difficultas, quæ in ejuſdem qualitatis infuſione immediatè à Deo facta; ergo nullatenùs homo contraxit ex peccato originali morbidam qualitatem.

38. Non habitum inclinantem ad malum. Probatur ſecundò impugnando habitum inclinantẽ ad malum: Talis habitus vel eſſet peccatũ ipſum originale ut habitualiter perſeverans, & hoc non; tùm quia ſuppono habituale peccatũ eſſe præciſe actum præteritum moraliter perſeverantem, non phyſicam aliquam qualitatem, nec habitum; tùm quia ſecùs remiſſo præcisè originali natura deſineret eſſe debilior, vel eſſet qualitas ab ipſo peccato originali habitualiter perſeverante diverſa, & ſimilis habitibus vitioſis, quos in nobis peccata relinquunt; at neque hoc dici poteſt, quia tales habitus relinquuntur duntaxat ex actibus propriis, nec inclinant niſi ad illam determinatam rationem mali, in quâ erant actus ipſorum productivi, peccatũ verò originale in nobis eſt actus alienus, non proprius, & inclinatio ad malum ab Adverſariis intenta univerſalis eſt, non ad unã peccaminoſi actus rationem determinata.

39. Non minorem inclinationẽ ad bonum. Probatur tertiò impugnando minorẽ inclinationem ad bonum: Talis inclinatio neque eſt minor radicaliter, & quoad entitatẽ; neque formaliter, & quoad exercitium: Non radicaliter, & quoad entitatem, quia hoc modo inclinatio ad bonum eſt propria paſſio naturæ rationalis, eſt ipſa rationalis potentia, quam minorem factam non eſſe concedunt ipſi Adverſarij: Non formaliter, & quoad exercitium, quatenùs retardetur ab actuali proſecutione boni; quia vel retardatur per aliquid homini intrinſecum, & contrà hoc, ſi ſit qualitas habituſve ad malum inclinans, recurrit quod dicebatur *præced. n.* 37. contrà morbidam qualitatem & pravum habitum; ſi ſit, ut vult Naclantus *in c.* 6. *epiſt. ad Rom.* major & effrænatior inclinatio ad malum in parte inferiori, recurrit quod mox dicebatur contrà minorẽ inclinationẽ ad bonũ in parte ſuperiori; eadẽ enim ratione, quâ iſta eſt propria paſſio naturæ rationalis, illa eſt propria paſſio naturæ ſenſitivæ, adeoque neutra poteſt radicaliter, & quoad entitatem creſcere aut minui manẽte eadẽ natura; at neque creſcit

ſcit in parte ſenſitiva inclinatio ad malum formaliter, & quoad exercitium, propter eandem proportionaliter rationẽ, propter quam non decreſcit in parte rationali formaliter, & quoad exercitium, inclinatio ad bonum: Vel retardatur per aliquod extrinſecum impediens, & contrà militat probatio *n.43.* afferenda contrà majora impedimenta extrinſeca.

Dices inclinationem ad bonum in natura lapſa verè eſſe minorem formaliter tantùm & exercitè; at talem eſſe ex alio capite ab improbatis, ex averſione ſcilicet à Deo ut fine naturali, quæ averſio & reperitur in natura lapſa, non reperiretur in pura, & minuit inclinationem ad bonum morale ordinis naturalis, quod eſt idẽ ac dicere ad operandum in ordine ad Deum ut finem naturalem, in ordine ad quem certè cum minori inclinatione operatur qui averſus, quàm qui
40. non averſus eſt. Sed contrà: Non deſunt qui exiſtiment, peccatũ originale avertere à Deo ut à fine ſupernaturali ſolùm, non ut à fine naturali; & ità ſentiunt quicumque tribuunt pueris decedẽtibus cum originali beatitudinem naturalem poſt diem judicij, nihilominùs ad hoc neque propẽdeo; neque compellor ex inſtantia, pro cujus ſolutione adverto averſionem à Deo ut ultimo fine naturali aliam eſſe poſitivam, quæ per aliquid poſitivum puta per actũ ipſum peccati habetur; aliam privativam conſiſtentem in pura non converſione, quæ iterum duplex eſſe poteſt, alia ſcilicet culpabilis, alia inculpabilis: hinc dico averſionẽ a Deo ut fine naturali in natura lapſa eſſe privativam, cum peccatũ Adæ nihil poſitivum reliquerit, per quod natura remaneat poſitivè averſa; eſſe tamen culpabilẽ, quia provenit ex culpa & eſt voluntaria, licet volũtarietate aliena: In natura pura præſcindendo à quolibet actu elicito daretur pariter averſio privativa, ſeu potiùs negativa, id eſt non converſio ad Deũ ut finem naturalem; inculpabilis tamen, utpotè non ex culpa proveniens ſed ex imperfectione naturalis conditionis, ratione cujus cum non habeat appetitum rationalem prædominantem ſenſitivo, non magis petit à Deo applicari ad bonum honeſtum, quod eſt objectum proprium appetitus rationalis, quàm ad bonum ſenſibile & delectabile, quod eſt objectum proprium appetitus ſenſitivi; homo igitur in puris naturalibus, vel à Deo creatus, vel ab alio homine propagatus, nullo modo eſſet in primo inſtanti uſus rationis ad Deum converſus magis, quàm ad bonum creatum, ſed ad utrumque purè negativè ſe haberet.

Non poſitivam averſionem à Deo ut fine naturali.

Neque urgeas: homo in puris naturalibus præſcindendo ab omni actu elicito, quãvis non eſſet converſus ad Deum actualiter,
41. eſſet tamen converſus habitualiter. Contrà enim: vel ly *habitualiter* importat aliquem habitum naturæ ſuperadditum, vel importat ſolùm innatam propenſionẽ naturæ; primum dici non poteſt, quia eſt contrà rationem naturæ puræ habere aliquid ſuperadditum, & per cõſequens non debitum; ſi ſecundum dicatur, natura pura non eſt habitualiter converſa in Deum magis, quàm in bonum creatum, quia in ipſa propenſio partis ſuperioris tendentis in Deum non prævalet propenſioni partis inferioris tendentis in bonum creatum. Homo igitur in puris naturalibus neque actu, neque habitu, eſſet ad Deum converſus, adeoque eſſet ſimpliciter non converſus ſeu negativè averſus, & cum ſit pariter non converſus ſolùm, ſeu privativè averſus per peccatum originale in natura lapſa, ex averſione à Deo nequit probari minor in natura lapſa, quàm in pura inclinatio ad bonum morale ordinis naturalis, ſicque corruit principalis inſtantia ſuperiùs allata.

Neque urgeas inſuper homo lapſus differt ſaltem ab homine puro in eo, quod ille 42.
ſit averſus culpabiliter, iſte inculpabiliter; atqui homo à Deo averſus culpabiliter eſt indignus extrinſecis auxiliis in Deum promoventibus; quibus non eſt indignus homo averſus inculpabiliter: ergo ſaltẽ defectu talium auxiliorum averſio a Deo in natura lapſa minuit inclinationem ad bene moraliter operandum. Contrà enim: aliud eſt hominem eſſe indignum, aliud eſſe deſtitutum auxiliis; nam cum Deus non infligat de facto homini lapſo omnem pœnam, quam poſſet propter originale infligere, ex eo quòd homo lapſus ſit indignus aliquibus auxiliis, quibus non eſſet indignus homo purus, non infertur illum talibus auxiliis carere, & eſſet talis carentia aliundè probanda, quod non præſtant Adverſarij.

Probatur quartò aſſertum, impugnando 43.
majora impedimenta extrinſeca bene operandi: Talia impedimenta neque ſunt majora ex parte mundi, neque ex parte dæmonis, qui ſoli ſunt Adverſarij extrinſeci noſtrorũ bonorũ operum pro noſtra parte inferiori militantes contrà ſuperiorem: Non ſunt majora ex parte mundi, quia veriſimile eſt ea, quæ extrà hominem in mundo ſunt, eodem modo fluere curſuſque ſuos peragere juxtà propriã unũquodque conditionem, in præſenti ſtatu naturæ lapſæ, quo fluerent & peragerent in ſtatu naturæ puræ, alioqui per peccatum originale totus mundus fuiſſet in naturalibus vulneratus, quod audacter magis, quàm rationabiliter diceretur. Quoad dæmonem eſt aliqua major difficultas eo, quod ſancti Patres ſæpè doceant hominem per peccatũ incidiſſe in diaboli ſervitutẽ, factumque fuiſſe obnoxium gravioribus ac frequentioribus ipſius oppugnationibus, nec certè videbatur conſentaneum hominem purũ & innocentem ſubjici tam ſævienti & furenti Adverſario, quàm ſæviens & furens modo eſt diabolus in hominem lapſum: Nihilominùs au- 44.
ctoritatibus ſanctorũ Patrum occurri poteſt dicendo hominem per originale peccatũ incidiſſe in diaboli ſervitutem comparativè ad ſtatum integritatis & originalis juſtitiæ, non comparativè ad ſtatum naturæ puræ, in quã & in ordine ad ſolam beatitudinem naturalem ſi fuiſſent creati homines, nil prohiberet opinari fuiſſe creatos etiam Angelos, ex quibus aliqui peccando potuiſſent dæmones

Non majora impedimenta extrinſeca bene operandi.

 fieri,

fieri, & hi invidendo hominibus beatitudinem naturalem, à qua ipſi per peccatum excidiſſent, conati fuiſſent ab illa & à bonis operibus naturalibus ad eandem conducentibus homines viatores avertere, ut ratiocinatur Gonet §.x. *præcit. n.44.* Quod ſi magis placet, aut nullos, aut leviores, quam in hominem lapſum excogitare dæmonum aſſultus in hominem purum, dici poterit hominem lapſum per cuſtodiam & tutelam bonorum Angelorum, quam aut nullam aut non tantam habuiſſet homo purus, tantundem ad bonum promoveri, quantùm per malos Angelos à bono avertitur, ſicque compenſata malorum Angelorum oppugnatione per bonorum cuſtodiam hominem lapſum ex hoc capite non eſſe deterioris conditionis in ordine ad bonum, quàm foret homo purus: Tandem, ſi hæc nimis arbitraria videantur, dico impedimenta bene operandi à dæmone provenientia per accidens ſe habere ad rem noſtram, quia ſtatus naturæ humanæ lapſæ ſecundùm ſe dari poterat abſque peccato, imò abſque exiſtentia Angelorum, adeoque abſque impedimentis modo occurrentibus ex malorum Angelorum infeſtatione & aſſultibus.

45. Abſurda, quæ Adverſarij nobis objiciunt.

Dices contrà totam præcedentem doctrinam in univerſum: Si natura lapſa non eſſet debilior purâ, ſequeretur primò hominem per culpam originalem fuiſſe dumtaxat ſpoliatum gratuitis, non vulneratum in naturalibus, quod eſt contrà Concilia Arauſicanū, Valentinum, Tridentinum relata *præced. n.31.* item contra ſanctos Patres ſuper illud Luc. 10. *Homo quidam* (ecce typum peccatoris) *deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho & incidit in latrones* (ecce lapſum in culpam) *qui deſpoliaverunt eum* (ecce ſpoliatum gratuitis) *& plagis impoſitis abierunt* (ecce vulneratum in naturalibus:) Sequeretur ſecundò hominem lapſum poſſe propriis viribus amare ſuper omnia Deum ut Auctorem naturæ, & ſervare totam legem naturalem, ſicut id poſſet homo purus: Sequeretur tertiò infantes decedentes cum ſolo originali conſecuturos beatitudinem naturalem, ſicuti eam conſequerentur infantes in natura pura: Sequeretur quartò concupiſcentiam non eſſe magis effrænem & diſſolutam in natura lapſa, quàm fuiſſet in pura contrà D. Anſelmum *lib. de conceptu virginali,* c.5. ubi concupiſcentiam originali juſtitia deſtitutam comparat feræ, quæ prius erat vincta, & poſteà diſruptis vinculis ferociùs ſævit. Sed contrà.

46. Ad primū dico optimè ſalvari hominem vulneratum in naturalibus per hoc, quod talis ſit comparativè ad ſtatum Integritatis ut dicebatur *præcit. n.31.* nec quidquā ampliùs intendunt Concilia & ſancti Patres: & licèt idem homo in ſtatu naturæ puræ dicendus non foret vulneratus, hoc proveniret præcisè ex defectu cōnotati, quatenùs homo purus, quamvis haberet illud, in quo formaliter conſiſtit vulnus hominis lapſi, diviſionē ſcilicet partis inferioris à ſuperiore, non cōnotaret tamen præcedentem utriuſque partis unionē, ſicuti connotat lapſus, vulnus autem eſt diviſio partium non qualiſcūque ſed antecedenter unitarum: Unde urgenti; homo vulneratus eſt debilior non vulnerato; homo lapſus eſt vulneratus, homo purus foret non vulneratus: ergo, facilè occurritur dicendo majorē rectè procedere, quando homo non vulneratus talis eſt ex carentia ejus, quod vulnus importat de formali; ſecùs ſi talis ſit dumtaxat ex carentia ejus, quod vulnus importat de connotato, quo præcise modo eſt non vulneratus homo purus comparatus ad lapſum.

Homo vulneratus quandenā ſit debilior non vulnerato?

47. Homo lapſus quemodò poſſit habere naturalē amorem Dei æquè ac homo purus.

Ad ſecundū tranſeat cæteris paribus poſſe hominē lapſū propriis viribus amare ſuper omnia Deū ut naturæ Auctorem, & ſervare totā legē naturalem, ſicuti poteſt homo purus. Dixi *cæteris paribus* id eſt ſuppoſito, quod homo lapſus poſſet ſuper omnia amare Deū ut Auctorē naturæ, præſcindendo ab amore ejuſdem ut Auctore ſupernaturali, quemadmodum præſcinderet homo purus; in re autē præſcindere non poteſt homo lapſus ex dicendis *lib.2. c.2. n.28.* Dixi ſicuti *poteſt homo purus,* qui Deū ut naturæ Auctorē poſſet ſuper omnia amare propriis viribus, quatenùs ly *propriis viribus* excludit ſpecialia auxilia ſupernaturalis, non tamen naturalis ordinis, juxtà ſupradicta *tr. de Beat. lib.1. c.3. n.16.* & infrà dicenda *lib.x.c.1.n.46.*

48. Ad tertium, propter ſupradicta *n.40.* de homine puro ante omnem actum elicitū non magis converſo ad Deū, quàm ad bonū creatum non nemo fortè dubitabit, utrū infanti in pura natura decedenti deberetur pro beatitudine naturali cōſecutio Dei potiùs quàm alicujus boni creati; & ut ei ex alia parte vera beatitudo non deſit, excogitabit Deū vel non permiſſurū ullum infantem in pura natura decedere ante uſum rationis, vel infanti ſic decedenti anticipaturū tranſeunter rationis uſum quo ſe per actum propriū inflectat determinatè in objectū appetitus aut rationalis aut ſenſitivi. Verùm hæc audenter nimis dicerentur, & homo purus, quamvis ex principiis intrinſecis præcisè non haberet majorem inclinationē ad objectū rationalis, quàm ſenſitivi appetitus, hanc tamen haberet ex divinæ ordinatione, & ex intentione Dei operantis, ſi minùs ex cōditione operis; Unde etiā homo ipſe perveniens ad uſum rationis teneretur ſequi inclinationē appetitus rationalis, quamvis non validiorē ea appetitus ſenſitivi: Deus igitur exequens quodammodò propriā ordinationē, & quaſi ſupplens id, ad quod homo, ſi adultus fieret, teneretur, animā decedentis in pura natura ante uſum rationis bearet per ſe ipsū, tanquā per objectum explens inclinationē appetitus rationalis potiùs, quā per aliquid creatū explens inclinationē appetitus ſenſitivi: Conſequerentur igitur infantes in pura natura verā beatitudinē naturalē; & hoc ſuppoſito reſpondeo ad tertiū negando abſolutè ſequelā, ratio negationis eſt quia infantes decedētes cum ſolo originali, & infantes qui decederent in pura natura, quāvis æquiparētur phyſicè, non tamen moraliter, in illis quippè non converſio

Infantes naturæ puræ conſequerentur beatitudinē naturalem.

Non ſic infantes modò decedentes cum originali.

ad

ad Deum, & inclinatio quaſi æquilibrata ad bonum honeſtum & ſenſibile, eſt culpabilis ſecumque affert indignitatem beatitudinis naturalis; in iſtis foret inculpabilis nullamque indignitatem afferret.

49. Ad quartum concedo ſequelam quidquid contrà ſentiant Naclantus impugnatus *præced. num.* 39. & Eſparza *hic q.* 10. *art.* 5. Ad auctoritatem Anſelmi dico ſufficienter ſalvari, quod concupiſcentia in nobis tanquam fera ruptis vinculis ferociùs ſæviat, per hoc quod rupto vinculo integritatis & originalis juſtitiæ ſæviat ferocia magna, etſi deindè non majore ea, quâ ſævitſſet in pura natura.

Aſſert. 2. Status naturæ lapſæ differt à ſtatu naturæ puræ connotativè ſolùm, & moraliter; moralitate tamen non minuente facultatem, inclinationemvè benè moraliter operandi. Hoc aſſertum eoſdem habet, tùm Patronos; tùm Adverſarios, quos præcedens, ad quod conſequitur.

50. Probatur & explicatur: Status naturæ lapſæ dicit naturam, & lapſum; quatenùs præcisè dicit naturam, prædicata ſcilicet pertinentia ad ipſius conſtitutionem & perfectionem, vel in eſſe, vel in operari, non differt à ſtatu naturæ puræ, ut hucuſque oſtenſum eſt; quatenus dicit lapſum, explicat originale peccatum, quod conſiderati poteſt, vel ſecundùm id, quod importat de præterito, vel ſecundùm id, quod importat de præſenti; de præterito importat actum peccaminoſum commiſſum ab Adamo, ratione cujus Adam amiſit ſibi & Poſteris originalem juſtitiam, in quâ fuerat conditus, & quæ erat in Poſteros transfundenda, ſi in ſe eam ipſe ſervaſſet; de præſenti importat habitualem maculam in nos ſucceſſivâ propagatione transfuſam cum privatione originalis juſtitiæ, quæ quidem habitualis macula, ut aliundè ſuppono, de præſenti eſt pura moralitas pura ſcilicet perſeverantia moralis actus præteriti ſita in non retractatione & non cōdonatione talis actus:

Natura lapſa differt à purá connotativè & moraliter.

Natura igitur lapſa, ſeu natura habens originale peccatum, ſecundum id quod tale peccatum importat de præterito, differt à natura pura connotativè, idcſt connotando originalem juſtitiam & actum peccaminoſum primi hominis, quorum neutrum connotaret natura pura; ſecundùm id, quod idem peccatum importat de præſenti, differt à natura pura moraliter, idcſt penes maculam habitualem ſitam in pura moralitate; hæc porrò moralitas non minuit facultatem, inclinationemvè benè moraliter operādi comparativè ad naturam puram, quia de præſenti nec ponit in natura lapſa nec ab ipſa tollit aliquod poſitivum phyſicum, quod aut non futurum, aut futurum eſſet in pura.

Dices: Omne morale fundatur in phyſico, & omne diverſum morale ſupponit diverſum aliquid phyſicum; ergo natura lapſa non poteſt differre à pura moraliter, quin differat phyſicè; & per conſequens quin ponat, aut tollat, aliquid phyſicum. Deindè peccatum perſonale habituale minuit inclinationem benè moraliter operandi, ergò hanc pariter minuit peccatum originale habituale. Sed contrà: dico omne morale fundari in phyſico, vel actuali tamen, vel præterito; & ut natura lapſa de præſenti differat à pura moraliter, ſufficit quod de præterito habuerit diverſitatem phyſicam, qualem revera habuit in Adamo per actum peccaminoſum præteritum, eodem modo ut natura lapſa ſit moraliter deterioris conditionis, quàm pura, ſufficit quod de præterito fuerit deterioris conditionis phyſice, nèc eſt neceſſe quod ſit deterioris conditionis phyſicè de præſenti. Ad illud, quod additur; dico ex actu peccati perſonalis relinqui, tùm maculam habitualem, tùm habitum vitioſum; ex actu peccati originalis illam, non iſtum in Poſteros transfundi; ſi igitur peccatum habituale perſonale ſumatur, ut importans habitum vitioſum, conceſſo antecedente neganda eſt conſequentia, ſi ut importans præcisè maculam habitualem negandum eſt antecedens; evenire enim poteſt, ut quis poſt peccatum per actus bonos, inſufficientes tamen ad juſtificationem, deleat omninò habitum vitioſum, & acquirat facilitatem benè operandi majorem, quàm haberet ante peccatum, in hoc certè dabitur habitualis macula peccati perſonalis abſque minore inclinatione benè operandi.

51. Quomodò morale fūdetur in phyſico?

Quomodò peccatum perſonale inclinationem ad bonum minuat?

52. Homo purus & lapſus ſe habent ut nudus & nudatus.

Ex dictis habetur primò aptiſſimum eſſe exemplum, quo Cajetanus explicat diſcrimen naturæ puræ à lapſa per diſcrimen hominis nudi à nudato ſeu ſpoliato, præſertim ſi nudatio ſeu ſpoliatio facta ſit in pœnam alicujus delicti; ſicuti enim in hoc utroque homine nuditas abſolutè ac phyſicè eadem eſt diverſa verò connotativè & moraliter; quatenùs in nudato culpabilis ac pœnalis eſt, & connotans veſtes, quibus aliquando fuit indutus, ſecùs in nudo, ità in homine puro & lapſo imperfectio eadem eſt abſolutè & phyſicè, diverſa verò moraliter quia in lapſo pœnalis ac culpabilis; item diverſa eſt connotativè quia connotat perfectiones originalis juſtitiæ, quas aliquando habuit, ſecùs in puro: Status igitur naturæ puræ & lapſæ ſe habet ut nuditas, natura pura ſe habet ut nuda, natura lapſa ſe habet ut nudata propter peccatum.

53. Habetur ſecundò comparationem hucuſque factam inter hominem purum & lapſum, procedere de homine lapſo per ſolum originale, item de homine lapſo ut tali & præciſa lapſus reparatione; cæterùm in homine lapſo per peccatum etiam perſonale non negamus reperiri facilè poſſe minorem inclinationem ad bonum, quàm in puro; & ècontrà in homine lapſo, ſed reparato, majorem, quàm in puro, agnoſcimus benè operandi facultatem, primum infertur *ex præced. n.* 51. ſecundum conſtabit *ex ſeq.* §.

§. V.

Quid ſit ſtatus naturæ reparatæ; & quæ ejus vires comparativè ad alios ſtatus?

54. Status naturæ reparatæ quid?

ASSERT. 1. Status naturæ reparatæ, ut nunc eſt, importat permanentiam naturæ humanæ ſub reparatione, ſeu redemptione à lapſu, facta per gratiam Chriſti. Hujus aſſerti materiea in re ſpectat magis ad tractatum de Incarnatione, quàm ad præſens inſtitutum, in propriis terminis pauciſſimi agunt de natura reparata, præſtat id Gonetus 1. *p. tract.* 8. *diſp.* 5. eamdemque hic nominant potiùs, quàm explicent, Amicus *diſp.* 26. *ſect.* 1. *num.* 1. Oviedus *controv.* 1. *num.* 132. Arriaga *diſp.* 36. *n.* 31. Herinex *diſp.* 1. *n.* 4.

Poſſet haberi pluribus modis.

Dixi *ut nunc eſt* quia potuiſſet etiam natura humana aliter, ac nunc, reparari, puta vel reſtituendo ei ſtatum, à quo exciderat adeò ut ea ratione quâ nunc recuperare poteſt, gratiam ſanctificantem, recuperare pariter poſſet originalem juſtitiam; vel remittendo naturæ lapſæ peccatum per gratiam, quæ eſſet Dei, non Chriſti, ſivè deindè talis gratia tribueretur ex purâ Dei liberalitate, ſive ex ipſius hominis alteriuſvè puræ creaturæ ſatisfactione & meritis, quamvis non condignis; vel aliquo alio modo.

Probatur aſſertum facilè ex eo, quod ſit de fide certiſſimum eam reparationem, quam nunc habet natura humana, gratiamque omnem ſivè actualem ſivè habitualem, quam recipit poſt originalem culpam eſſe ex meritis Chriſti, quem propterea jure veneramur ut totius humani generis redemptorem ac reparatorem. Neque obſtat, quod aliqui de facto remiſſionem originalis non obtineant, adhuc enim in iſtis natura eſt ab originali reparata reparatione ſufficienti, quamvis non reparatione efficaci ut patebit *cap. ſeq.* §. 12. ubi ſtatuetur eſſe per Chriſtum proviſa omnibus & ſingulis hominibus media ſufficientia ad ſalutem.

Reparatio naturæ alia ſufficiens, alia efficax.

55. Aſſert. 2. Natura humana reparata comparata ad ſtatum naturæ puræ, ſi daretur, eſt multo robuſtior in ordine ad bonum, & conditionis multo melioris; comparata verò ad ſtatum innocentiæ, ſeu originalis juſtitiæ ſi duraſſet eſt melioris conditionis quoad gratiam in aliquibus individuis, at non in communi hominum multitudine. Prima pars eſt communiſſima. Secunda eſt D. Thomæ *in* 2. *diſt.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 3. Goneti *præcit. diſp.* 5. *art.* 2. *&c.* contrà Gabrielem *in* 2. *diſt.* 29. *art.* 2. Pererium *lib.* 5. *in Geneſim diſp.* 2. *de gratia ſtatus innocentiæ quæſt.* 5. aliosque nonnullos docentes dari ſimpliciter plus gratiæ in nobis, quàm dandum fuiſſet in ſtatu innocentiæ, ſi perſeveraſſet.

56. Natura lapſa reparata eſt robuſtior purâ.

Probatur & explicatur prima pars: Natura lapſa reparata eſt robuſtior ſe ipſa non reparata; ſed natura lapſa non reparata eſt in ordine ad bonum æquè robuſta ac ſit natura purâ, *ut præced.* §. probatum eſt; ergo natura lapſa reparata eſt in ordine ad bonum robuſtior natura pura; robuſtior, inquam, tum propter habitus virtutum & actualia auxilia debita ſtatui gratiæ, quæ dum dant facultatem benè operandi ſupernaturaliter augent *ex præced. num.* 35. facilitatem benè operandi ſupernaturaliter; tùm propter adminicula extrinſeca, inſtructionem ſcilicet fidei, bona exempla, propoſitionem ingentium præmiorum, comminationem gravium pœnarum, & ſimilia, quorum aliqua penitus non darentur, aliqua multo minora forent in pura natura.

57. Item quoad gratiam eſt in aliquibus individuis melioris côditionis, quam ſtatus innocentiæ.

Probatur & explicatur ſecunda pars, In quâ dixi *quoad gratiam*, non quoad ſubjectionem partis inferioris, aliaque privilegia propria originalis juſtitiæ, natura non reparatur; ideò quoad hæc remanet deterioris conditiónis, quàm foret in ſtatu innocentiæ; probatur, inquam, & explicatur ſecunda pars, datur in aliquibus individuis naturæ per Chriſtum reparatæ major gratia, quam danda fuiſſet in ullo individuo ſtatus innocentiæ ſi perſeveraſſet, minor verò in communi hominum multitudine; ergo natura humana reparata comparata ad ſtatum innocentiæ eſt melioris conditionis quoad gratiã in aliquibus individuis, at non &c. probatur antecedens quoad primam partem, quia ex una parte ſumendo naturam reparatam cum ſuo reparatore indubitatum eſt in eâ plura eſſe & majoris valoris merita, quàm futura fuiſſent in natura innocente; ex alia parte aliqui ſancti legis Evangelicæ, aut vix ſentiendo, aut ſtrenuè ſuperando aſſultus partis inferioris, concupiſcentiæ detrimenta neſcierunt, & duxerunt vitam ab omni vel ferè omni peccato immunem, cui etiam addiderunt meritum ex voluntaria maceratione corporis, aliiſque operibus pœnalibus, quibus ſtatus innocentiæ caruiſſet; aliqui martyrio, aliqui frequenti congruaque Sacramentorum ſuſceptione plurimam ſibi gratiam compararunt ex opere operato & Chriſti meritis; aliquibus igitur, iiſque non paucis naturæ reparatæ individuis, ut Ioanni Baptiſtæ, Apoſtolis, inſignioribus Martyribus, Religioſorum ordinum Inſtitutoribus, & extrà omnem controverſiam Deiparæ virgini, major confertur gratia, quàm foret ulli conferenda in ſtatu innocentiæ: Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, communis & vulgaris hominum multitudo in naturâ lapsâ ſuccumbit rebellioni partis inferioris & ſenſus doctum ſequitur, ex moleſtiis etiam & miſeriis vitæ mortalis plures ei occurrunt peccandi occaſiones, & majores benè operandi difficultates, quibus caruiſſet ſtatus innocentiæ propter donum integritatis & immortalitatis privilegium; pro ſtatu igitur innocentiæ in communi hominum multitudine pauciora fuiſſent peccata & minora merita, plura verò bona opera majoraque merita, quam pro præſenti ſtatu naturæ lapſæ; ergo pro iſto in

58. Secùs in communi hominum multitudine.

in communi hominum multitudine minor eſt, quàm pro illo gratia; cum præſertim Sacramenta, quibus homini lapſo applicantur Chriſti merita, ab hominibus communi modo viventibus valdè negligantur, imò extrà Catholicam Eccleſiam & extrà puſillum Chriſti fidelium gregem, nec agnoſcantur nec ſuſcipiantur; jure proptereà S. Doctor. *præcit. art. 3. in c.* ait *Conſiderando ſtatum ad ſtatum univerſaliter homo antè peccatū ampliore gratiæ præditus fuiſſet, quàm poſt.*

39. Neque his obſtat quod dicit Chriſtus Io. 10. *Ego veni ut vitam habeant & abundantiùs habeant*; Neque quod habet Apoſtolus Rom. 5. *Ubi abundavit delictum ſuperabundavit & gratia.*; Neque quod canit Eccleſia *O felix Adæ peccatum quod Chriſti morte deletum eſt.* Hæ enim aliæve ſimiles ſivè Scripturæ ſivè Patrum locutiones ſufficienter ſalvantur per hoc; quod natura reparata excedat innocentem, vel ſecundùm aliqua individua præcisè, vel ſecundum quod ſumi poteſt ſimul cum Reparatore, & ut includens gratiam unionis.

Occurritur auctoritatibus.

Major explicatio perfectionis & virium naturæ reparatæ ſpectat ad librum ſequentem, in quo ſingillatim diſcutietur, quid natura (cujus nomine ut plurimùm veniet natura ſecundùm ſtatum præſentem, qui eſt ſtatus reparationis) poſſit tùm cum gratiâ, tùm ſine gratiâ In quo deindè gratia ſtatus reparationis, quam vocant gratiam medicinalem, differat à gratiâ ſtatus innocentiæ, quam vocant gratiam ſanitatis, opportuniùs attingetur infrà recenſendo gratiæ diviſiones.

CAPUT III.

De variis acceptionibus & diviſionibus gratiæ.

1. GRATIA eſt nomen variæ ſignificationis, & ſæpè apud Sectarios lubricæ ſuſpectæque uſurpationis; ex quâ plura poſſunt oriri incommoda, plures de voce quæſtiones inutiliter excitari, plures de re errores fraudulenter occultari, quibus ut occurratur expedit accuratiore calamo gratiæ varias acceptiones diviſioneſque percurrere, & primas etiam ac univerſaliores ex ipſo nominis ſono, etimoque repetere: Ideò ſit

§. I.

Gratia undè dicta & quæ ejus acceptiones?

2. ASSERT. Gratiæ nomen derivatur, ſeu dicitur ab adverbio *Gratis*, quod ſicuti poteſt ſe tenere, aut ex parte dantis; aut ex parte dati, ità & gratia univerſaliſſimè dicta; quæ quidem quatenùs ſe tenet ex parte dantis, activè, quatenùs ex parte dati, paſſive ſumitur; importat igitur gratia ex vi nominis Gratis factam id eſt liberam liberalemque dationem ſivè activè, ſivè paſſivè ſumptam; indicavit hoc Philoſophus 2. reth. cap. 7. dicens *gratiam eſſe, per quam dicuntur rogati gratis aliquid facere*, & breviùs Auguſtinus ſerm. 61. de verb. Dom: cap. 1. *ideò gratia, quia gratis datur.*

Gratia ex vi nominis quid?

3. De Gratiâ ſecundum hanc univerſalitatem D. Thomas 1. 2. q. 110. *art. 1. in c.* rectè tradit triplicem acceptionem ſic: *Tripliciter gratia accipi conſuevit: Uno modo pro dilectione alicujus, ſicuti conſuevimus dicere, quod iſte miles habet gratiam Regis, id eſt Rex habet eum gratum. Secundò ſumitur pro aliquo dono gratis dato, ſicut conſuevimus dicere, hanc gratiam facio tibi. Tertio ſumitur pro recompenſatione beneficij gratis dati, ſecundum quod dicimur agere gratias beneficiorum.* Primò modo gratia ſumitur activè: Secundo paſſivè: Tertio paſſivè ſimul & active; paſſivè quatenùs ſupponit beneficij ſuſceptionem; activè quatenùs importat beneficij retributionem: Hinc fortè excogitatæ fuerunt tres Charites ſeu tres Gratiæ, quia debemus eſſe grati tùm activè beneficia conferendo, tùm paſſivè beneficia ſuſcipiendo, tùm activè ſimul & paſſivè nova beneficia pro beneficiis ſuſceptis retribuendo: Ad gratiam activè acceptam reduci poteſt alia quædam minùs propria gratiæ uſurpatio, quâ ſumendo quodammodo cauſam pro effectu gratioſum confundimus cum amabili, & gratiæ nomen tribuimus perfectionibus, quæ maximè ſolent amorem conciliare, cujuſmodi ſunt pulchritudo, eloquentia &c. in hoc ſenſu dicitur Proverb. 31. *Fallax gratia & vana eſt pulchritudo*, Pſal. 44. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.*

Gratiæ triplex acceptio.

Undè excogitatæ tres Charites.

4. Ex his tribus gratiæ acceptionibus tertiâ eſt minùs propria, actio enim gratiatum gratitudo meliùs dicitur, quàm gratia. & cum non omninò gratis ſed propter ſuſcepta beneficia fiat, gratiæ nomen vix meretur: Prima acceptio eſt magis propria, amor quippè liberalis ac beneficus verè meretur nomen gratiæ, & in hoc ſenſu Dei liberalitatem ac miſericordiam, imò omnem liberalem ac beneficam Dei voluntatem Scriptura ſæpè appellat gratiam, ſic *Geneſis 6.* dicitur de Noë *Invenit gratiam coram Domino.* Exodi 33. dicit Dominus Moyſi *Inveniſti gratiam coram me.* Rom. 4. habetur, *Reputatur fides ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei* & cap. 11. *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt*: eſt inſuper prima hæc acceptio frequens apud Sanctos Patres & Scholaſticos, ut notat Eſtius *in 2. diſt. 26.* §. 1. nihilominus ſimpliciter & per antonomaſiam nomine gratiæ potiùs venit gratia ſumpta paſſivè pro dono gratis dato, & gratia divina abſolutè dicta potiùs ſumitur pro Dei dono exiſtente in nobis, quàm pro Dei actu exiſtente in Deo, ideò ſecunda acceptio eſt propriiſſima & ad præſens inſtitutum maximè pertinens.

Gratia

5\. *Gratię propriè dictæ quadruplex acceptio.*

Gratia igitur propriiſſimè, & iuxtà præſens inſtitutum accepta eſt donum gratis datum, ſeu gratis collatum beneficium, & ſicuti Dei in nos dona & beneficia multiplicia ſunt, ità & divina gratia propriiſſimè talis, adhuc multipliciter accipitur: Primò pro quolibet dono liberè ac liberaliter dato, etiamſi nullatenùs excedat naturæ ordinem, imò ſit naturæ debitum, ſic Apoſtolus 1.*Cor.*15. ait: *Gratiâ Dei ſum id, quod ſum*, quatenùs & ipſum eſſe gratis à Deo acceperat. Et Auguſtinus *Epiſt.*95. ità habet, *Quadam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei, quâ creati ſumus, & de hoc tanto beneficio gratias agere debemus: Vndè meritò & iſta gratia dici debet, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, ſed gratuitâ Dei bonitate donata eſt.* Secũdò pro dono aliqualiter, id eſt, ſaltem quoad modum excedente ordinem naturæ & naturæ non debito, id eſt, nec fluente ex naturâ nec neceſſario ad ipſius conſtitutionem ac conſervationem. Tertiò pro dono quoad ſubſtantiam ſupernaturali & non debito, at non poſitivè indebito, ſic dicuntur creati in gratiâ primi Parentes & Angeli, propter dona ſupernaturalia ipſis colata in inſtanti creationis; ſic etiam unio hypoſtatica fuit gratia reſpectu humanitatis Chriſti. Quartò pro dono poſitivè indebito; & quod confertur indignis, ſeu habentibus obicem, ſic gratia eſt iuſtificatio impij, ſic *Roman.*3. homines, poſtquàm in Adamo peccarunt, dicuntur *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto* IESV.

6\. *Quid tandè in præſenti veniat nomine gratiæ.*

Ex his quatuor modis accipiendi gratiam propriè dictam primus nimis late patet, & importat quidem gratiam propriè talem provt gratia propria eſt gratia ſe tenens ex parte noſtri ſeu paſſivè ſumpta; at intrà genus deindè gratiæ ſe tenentis ex parte noſtri valdè imperfectè participat gratiæ prærogativam, eámque admiſit etiam Pelagius *ex preced. cap.* 1. §.1. propterea in ſequentibus nomine gratiæ veniet duntaxat gratia accepta aliquo ex aliis tribus modis, & ut plurimùm gratiæ nomen ſupponet pro dono ſupernaturali in ſubſtantiâ; ſolùm in primis gratiæ diviſionibus mox afferendis ad majoris doctrinæ opportunitatem retinebimus acceptionem gratiæ univerſaliſſimam.

---

§. II.

Afferuntur univerſaliores quædam gratiæ diviſiones.

7\. ASSERT. Quatuor potiſſimùm eſſe poſſunt gratiæ diviſiones.

Prima diviſio gratię in creatam, & increatam.

Prima ſit in gratiam creatam, & increatam: Gratia creata complectitur omnia dona, quæ extrà Deum ſunt cujuſcunque ordinis & conditionis ſint. Gratia increata dupliciter ſumitur, primò pro actibus divinæ dilectionis, divinæ prædeſtinationis, & ſimilibus ſumptis ſecundùm id, quod activè important ex parte Dei, undè etiam hoc membrum diviſionis ſpectat ad gratiam activè acceptam; ſecundò pro divinitate ipſa diviniſque Perſonis, quatenùs ſpecialiter inhabitant in iuſtis eiſque donantur, & hac ratione ſicuti nomen doni in divinis in aliquo ſenſu perſonale eſt & proprium Spiritus S. in aliquo ſenſu eſſentiale & commune toti Trinitati, ut ſuppono *ex tract.*2.*lib.*2.*cap.*4. §. 2. ità in aliquo ſenſu eſſentialiter, in aliquo perſonaliter dicitur gratia increata; undè in eo ſenſu, in quo perſonaliter dicitur Auguſtinus *ſerm.*31.*de verb.Dom.cap.*1. rectè ait: *Gratia quippè donum Dei eſt; donum autem maximum ipſe Spiritus Sanctus eſt, & ideò gratia dicitur.* Gratia increata primo modo, ſumpta pro divinis actibus eſt formaliter æterna, ſumpta ſecundo modo pro divinis Perſonis dicitur tẽporalis à Goneto *hic diſp.*3. *n.*2. volente Perſonam divinam non denominari gratiam, niſi quando actu cõmunicatur creaturæ: Nihilominùs eo modo quo *præcit.*§ 2. dicebamus convenire Spiritui Sancto ab æterno denominationem doni, poteſt eidem cæteriſque Perſonis ab æterno, convenire denominatio gratiæ; ſicque omnis gratia increata ſecundùm ſe eſt æterna; quo ſtante diviſio gratiæ in creatam, & increatam, coincidit cum diviſione eiuſdem in temporalem, & æternam.

Coincidit cum diviſione in tẽporalem, & æternam.

8\. *Secunda diviſio in internam, & externam*

Secunda ſit in internam, & externam: In quâ diviſione latiſſimè acceptâ gratia interna complectitur bonum quodlibet in homine exiſtens, ſivè per identitatem exiſtat ut natura eiuſque potentiæ, ſivè per inhærentiam aut unionem ut virtutum habitus, eorumdémque interni actus, &c. Externa eſt, quidquid extrà hominem poſitum homini prodeſt aut ad bonum promovendum aut ad removendum malum; ut in primis actus prædeſtinationis & dilectionis Dei, vita Chriſti, exempla Sanctorum, Scripturæ Sacræ, Conciones & libri ad pietatem inducentes, ipſum univerſi opificium, &c.

9\. *Tertia in gratiâ Dei, & gratiam Chriſti.*

Tertia ſit in gratiam Dei & gratiã Chriſti; ſeù in gratiam non per Chriſtum, & gratiam per Chriſtum; illa eſt, quam Deus largitur independenter; iſta, quam dependet à Chriſti meritis; & de facto quidem ſicuti Chriſtus primariò propter noſtram ſalutem in mundum venit, ità præcipua gratia Chriſti eſt ſalutaria & pertinens ad ſupernaturalem providentiam; ſimpliciter tamen & ex natura rei potuiſſent ex Chriſti meritis dari primariò etiam dona aliqua ſpectantia ad providentiam purè naturalem.

10\. *Quarta in gratiã creãtem & ſalvantem.*

Quarta ſit in gratiam naturalem ſeu creãtem, & ſupernaturalẽ ſeu ſalvantem. Gratia naturalis ſeu creans incipit à dono ipſo creationis, & ſe extendens ad alia omnia dona naturæ conſequentia creationem complectitur quidquid provenit à providentiâ Dei naturali ſeu à Deo ut Creatore. Gratia ſupernaturalis ſeu ſalvans continet omnia dona conducentia ad ſalutem, etiamſi ſint entitativè & quoad ſubſtãtiam naturalia, dummodò ſint ſupernaturalia quoad modum, dentur ſcilicet modo ſupernaturalĩ, & ultrà omnem

omnem rerum naturalium exigentiam, uno verbo continet quidquid provenit à providétiâ Dei ſupernaturali, ſeu à Deo ut Glorificatore. Hæc porrò gratia ſupernaturalis, ſeu ſalvans unicè pertinet ad præſens inſtitutū, & plura alia ſub ſe membra complectitur, quæ mox ſervato diviſionum & ſubdiviſionum ordine ſucceſſivè ſubjiciemus. Ideò ſit

§. III.

Aſſeruntur diviſiones gratiæ ſupernaturalis, ſeu ſalvantis.

ASSERT. Tres potiſſimùm eſſe poſſunt diviſiones gratiæ ſupernaturalis, ſeù ſalvantis.

11. Prima ſit in gratiam ſanitatis, & gratiam medicinalem. Gratia ſanitatis eſt gratia ſtatus innocentiæ, in quo homo ſanus & integer conditus eſt; Gratia medicinalis eſt gratia ſtatus naturæ lapſæ reparatæ, in quo homo naſcitur cum morbo culpæ originalis & vulneribus conſequentibus, ſanandus tamen per gratiam, quoad reatum quidem culpæ in hac vita, totaliter verò in patria, dicente D. Thom. hîc quæſt. 109 art. 10. ad 3. quod *reparatio gratiæ Chriſti, etſi ſit inchoata quantùm ad mentem, nondum tamen eſt conſummata quantùm ad carnem, quod erit in patriâ.* Gratia ſanitatis complectitur etiam gratiam Angelorum, & ſuppoſito decreto Incarnationis ſubſequente præviſionem peccati eſt gratia non per Chriſtum, ſed Dei, cum è contrà gratia medicinalis de facto ſit per Chriſtum ſeu Chriſti, quamvis ſimpliciter & ex natura rei potuiſſet aut gratia ſanitatis eſſe gratia Chriſti, aut gratia medicinalis eſſe gratia Dei. Inter gratiam ſanitatis & gratiam medicinalem varia varij agnoſcunt diſcrimina: Primò enim qui exiſtimant, quòd juſtitia originalis haberetur per gratiam gratum facientem agnoſcunt in gratiâ ſanitatis modum aliquem, quo gratia medicinalis ſaltem in via careat: Verùm hoc diſcrimē *ex cap praeced.* §. 2. non ſubſiſtit.

Prima diviſio gratiæ ſalvantis in gratiam ſanitatis & gratiā medicinalem.

12. Secundò Lutherus *in lib. de ſervo arbitrio*, & Calvin. *in antidoto. Concil. Trid. ad ſeſſ. 6. c. 5.* gratiam ſanitatis à gratiâ medicinali diſcriminarunt, præcipuè in eo, quod gratiæ ſanitatis homo, ſi vellet, diſſentire poſſet, gratiæ medicinali ità neceſſariò aſſentiatur, ut diſſentire non poſſet: Verùm hoc diſcrimē per gratiam medicinalem deſtruit libertatem arbitrij, & damnatum eſt contrà Lutherum in Concil. Senonenſi *decreto fidei* 15. contrà Calvinū in Concil. Trid. *ſeſſ. 6. canon* 4. Tertiò Ianſenius pluribus in locis tradit gratiam ſanitatis movere & determinare liberum arbitrium ad bonum; gratiam medicinalem expectare liberi arbitrij determinationem ac nutum, eique quantùm ad efficaciam & uſum ſubjici: Verùm hoc diſcrimen ſecundùm id, quod tribuit gratiæ medicinali impugnatum eſt ex iis, quæ *tract.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. dicebamus circa voluntatem efficacem Dei. Stet igitur gratiam ſanitatis à gratiâ medicinali differre ſolùm extrinſecè, ratione ſubjecti quod reſpectu gratiæ ſanitatis eſt natura innocens & integra reſpectu gratiæ medicinalis natura lapſa & vulnerata; item ratione principij, quod reſpectu gratiæ ſanitatis eſt ſolus Deus, reſpectu gratiæ medicinalis eſt Deus ſimul & Chriſtus.

13. Secunda ſit in gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam: Gratia gratum faciens eſt, quæ primò & per ſe reſpicit ſanctificationem & ſalutem ejus, cui confertur: Gratia gratis data eſt, quæ primò & per ſe reſpicit ſalutem & ſpiritualem utilitatem alienam, adeò ut ſicut in corpore humanó dantur quædam potentiæ ad perfectionem & conſervationem proprij indiuidui, aliquæ ad conſervationem ſpeciei & propagationem aliorum individuorum, ità in corpore myſtico Eccleſiæ dentur quædam gratiæ ad bonum habentis, quædam aliæ ad bonum aliorum. Gratia gratum faciens ſumi poteſt vel pro eo ſolùm, quod importat principaliter, & ſic conſiſtit in ſolo habitu gratiæ juſtificantis, hic quippè ſolus formaliter & propriiſſimè gratum facit; vel pro eo etiā, quod importat reductive, & diſpoſitivè, aut completivè; & ſic cōplectitur auxilia actualia, actus item & habitus virtutum ad juſtificationem aut diſponentes aut conſequentes; proptereaque Concilia Arauſicanum, Milevitanum, Tridentinum, & Sancti Patres paſſim auxilia, illuſtrationes, inſpirationes vocant gratiam ſanctificationis, ſeu juſtificationis. Gratia gratis data ità dicta eſt, tum quia dona reſpicientia ſalutem alienam ſpecialiori modo gratis dantur, magiſque ſunt ab omni merito aliena, quàm reſpicientia ſalutem propriam, hæc quippè ſaltem quoad aliquam ſui partem ſub noſtris meritis cadunt, illa nullis noſtris meritis promiſſa ſunt; tùm quia nomen genericum ſolet non rarò tribui ſpeciei imperfectiori, ut patet in Angelis, in quibus qui infimi ſunt ordinis non aliud nomen habent, quàm commune & genericum; cum igitur, ut facilè patere poteſt conſideranti, & oſtendit Divus Thomas *hic quæſt.* 111. *art.* 5. gratiæ reſpicientes ſalutem propriam perfectiores ſint & excellentiores quàm reſpicientes ſalutem alienam, congruè iſtis appropriatur nomen gratiæ gratis datæ ſecundùm ſe commune cuicumque gratiæ.

Secunda in gratum facientem, & gratis datā

14. Subdividitur gratia gratis data in novem membra aſſignata ab Apoſtolo 1. Cor. 12. *Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ; alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum; alteri fides in eodem ſpiritu; alij gratia ſanitatum, in uno ſpiritu, alij operatio virtutum; alij prophetia; alij diſcretio ſpirituum; alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum.* Hæc diviſio adæquata cenſetur, & ut talis egregio diſcurſu commendatur à Divo Thoma *hic quæſt.* 111. *artic.* 4. quem diſcurſum confirmans Gonetus *diſputat.* 3. *num.* 8. ait Suarium *prolegom.* 3. *cap* 5. Bellarminum *controv.* 3. *lib.* 1. *de*

Pertinentia ad gratias gratis datas.

*gra. & lib. arb. cap.*10. Vaſquium, & alios numerum auxiſſe, quia neſcierunt diſtinguere gratias gratis datas à miniſtrationibus & operationibus, quas tamen diſtinguit Apoſtolus, præallatæ enumerationi præmittens, *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus; & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus*; & in quonam hæc tria diſtinguantur explicat D. Thomas *lect.*1. ſuper verba Apoſtoli mox relata; addit deindè Gonetus characterem ſacerdotalem, & juriſdictionem in foro interno, non debere addi novem membris allatæ diviſionis, nec ſpectare ad gratias gratis datas, ut vult Suarex, ſed ad miniſtrationes ſeu ad poteſtatem miniſtrandi; quæ certè, licèt alienam utilitatem reſpiciat, gratia gratis data non eſt, cùm ſit in poteſtate recipientis eam conſequi vel non conſequi, imò reducenda potius eſt ad gratiam gratum facientem, non quam-
15. cumque, benè tamen Sacramentalem: Ad ulteriorem notitiam hujus ſubdiviſionis eſſet diſcurrendum per ſingula enumerata membra, explicando ſingillatim, quomodo gratia ſanitatum & genera linguarum ſint gratiæ diverſæ ab operatione virtutum; ſub quanam diverſa ratione Sapientia & Scientia inter dona Spiritus Sancti, & gratias gratis datas, fides pariter inter iſtas, & virtutes theologicas computentur? eſſet examinandum: Verùm hujuſmodi gratiæ dentur permanenter & per modum habitus, an tranſeunter & per modum motionis ſeu actus: ſed hæc, & id genus alia, nec magni momenti ſunt, nec hujus loci admodum propria, & videri facilè poſſunt apud D. Thomam, Gonetum, Bellarminum, Suarium *locis præcitatis*.

16. *Tertia diviſio in habitualem & actualem.* Tertia ſit in gratiam habitualem ſeu permanentem, & actualem ſeu tranſeuntem: Gratia habitualis ſeu permanens, ut ſumitur in præſenti, pro membro gratiæ ſalvantis importat generatim & adæquatè loquendo omnia dona permanenter inexiſtentia homini juſto & ad ejus juſtificationem pertinentia, cujuſmodi ſunt habitus infuſi virtutum, præſertim theologicarum, dona Spiritus Sancti &c. loquendo verò principaliter, importat illum ſolùm habitum, quo formaliter juſtificamur, quò formaliter peccatum expellitur, & qui ſivè indiſtinctus, ſivè diſtinctus ſit ab habitu charitatis antonomaſticè ſignificatur nomine gratiæ abſolutè prolato, hinc poteſt gratia habitualis ſubdividi in talem ſimpliciter & talem adæquatè, illam aliqui vocant gratiam inhærentem animæ, iſtam gratiam inhærentem potentiis; nec incongruè, ſi illa ſupponatur eſſe habitus à charitate diſtinctus. Dixi *ut ſumitur in præſenti pro membro gratiæ ſalvantis*, nihil enim prohibet gratiam, tùm habitualem, tùm actualem, latiùs ſumere tanquam membra dividētia gratiam univerſaliſſimè acceptam, quâ ratione in ordine puræ naturæ habitus virtutum moralium geniti ex actibus difficilioribus, & non ſine aliquo ſpeciali Dei concurſu frequentatis, ſpecies itē efficaciores & vivaciores quas ultrà naturalem intellectus exigentiam poſſet Deus infundere, gratia habitualis dici poſſent; ſicut & quælibet pia cogitatio vel indeliberata voluntatis motio ultra naturæ debitum conducens ad bonum aliquod morale rectè diceretur gratia actualis, etiamſi proveniret à providentia purè naturali, quam non omnem prorsùs gratiam excludere jam alibi dictum eſt. Cæterùm 17.
gratia actualis, ut ſumitur in præſenti pro membro gratiæ ſalvantis, importat omnia & ſola dona provenientia à providentia ſupernaturali & communicata tranſeunter in ordine ad bonum aliquod ſalutare; poteſt hæc gratia actualis accepta in tota ſua univerſalitate ſubdividi in internam, quæ ſit aliquid intrà hominem exiſtens ejuſq; potentiis inhærens; & externam, cujus nomine venire poſſunt etiam Sacramenta, bona exempla & ſimilia, quæ licèt in ſe permanentia ſint, quatenùs tamen homini tranſeuntes applicantur, ad gratiam actualem, & tranſeuntem pertinent. *Subdiviſio gratiæ actualis in internam, & externā.*

Hæc diviſio gratiæ ſalvantis in habitualem & actualem, ſumendo præſertim habitualem pro habituali formaliter juſtificante, & actualem pro actuali interna, eſt præſentis tractatus propriiſſima, & dicendorum ſivè in hoc ſivè in ſequentibus libris ferè tota materies.

---

§. IV.

De diviſione gratiæ actualis in operantem & cooperantem.

ASSERT. 1. Gratia actualis in operantem, & cooperātem rectè dividitur. Hâc diviſione ex Paulo præſertim & Auguſtino deſumpta uſi ſunt in primis Magiſter *in* 2. *diſt.*26. S. Doctor *hic q.*111. *art.*2. deindè Scholaſtici omnes, inter quos latiùs de eâ agunt Eſtius *in* 2. *diſt.*26. §.7. *&* 8. Alvarez *de aux. lib.*9. *diſput.*81. *&* 82. Ioannes à S. Thoma *hic diſp.*23. *art.*1. *&* 2. Suarez *prolegom.*3. *cap.*6. *& lib.*3. *de aux cap.*5. Amicus *hic diſp.*28. *ſect.*1. *&* 2. Bellarminus *controver.*3. *lib.*1. *de gra. & lib. arb.c.*14. *&c.* 18. *Gratia actualis alia operans, alia cooperans.*

Probatur auctoritatibus Scripturæ & Patrum: Philip. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum*, Ecce gratiam operantem: 1. Cor. 15. *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, Ecce gratiam cooperantem: ex D. Auguſtino lib. de gra. & lib. arb. cap. 17. *Cooperando Deus in nobis perficit quod operando incæpit, quia ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens* & nonnulis interpoſitis *Vt ergo velimus ſine nobis operatur, cum autem volumus & ſic volumus ut faciamus*, Nobiſcum cooperatur: ex D. Gregorio lib. 26. moral. cap. 11. *Superna pietas priùs agit in nobis aliquid ſine nobis, ut ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus agat nobiſcum*: Ex Concilio Arauſicano Can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.* Hiſce auctoritatibus non traditur in

terminis

terminis gratia operans & cooperans, traditur tamen duplex auxilium, alterum quo Deus opus incipit agendo in nobis ſine nobis, alterum quo opus perficit agendo nobiſcum; primum auxilium gratia operans, ſecundū gratia cooperans nominatur à Theologis, licet aliquando ut notat Eſtius *præcit.* §.7. Scriptura utrumque complectatur ſimplici vocabulo operantis, ſic habetur Philip. 2. *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere.* Iſa. 26. *Omnia opera noſtra operatus es nobis Domine*, ſic etiam orat Eccleſia *Da, ut quæ te inſpirante facienda cognovimus, te operante impleamus.*

19. Operans eſt, quæ operatur in nobis ſine nobis.

Hinc habes ex Sanctis Auguſtino & Gregorio, nec non etiam ex Concilio Arauſicano, cujus verba obſervat Eſparza *hic quæſt.* 16. *art.* 2. per ly *in nobis* ut contrapoſitum ad ly *nobiſcum* idem ſignificari, quod per ly *ſine nobis*; habes conſequenter gratiam operantem eſſe, quâ Deus agit ſine nobis cooperantibus, difficultas jam eſt, quamnam cooperationem noſtram excludat ly *ſine nobis cooperantibus*, Utrù n ſolam cooperationem meritoriam; an omnem cooperationem deliberatam & liberam; an etiam cooperationem indeliberatam & purè phyſicam?

Quid ſit operari in nobis ſine nobis tripliciter explicatur.

Primo modo intelligunt ly *ſine nobis* Molina *in concordia quæſt.* 14. *artic.* 13. *diſput.* 40. & Eſparza *hic quæſt.* 16. *art.* 4. docentes illam omnem gratiam eſſe operantem & ſine nobis quæ eſt ſine noſtris præcedentibus meritis, adeoque collocantes ſub gratia operante quidquid Deus antè donum juſtificationis in nobis efficit, ſive non cooperante, ſive cooperante libero arbitrio, ſivè ſine noſtra deliberatione, ſivè cum deliberatione fiat; ſub gratia verò cooperante id, quo deinceps Deus nos adjuvat, ut totam legem impleamus, perſeveremus, &

20. proficiamus in juſtitia ſemel accepta. Secundo modo intelligunt ly *ſine nobis* Suarez, Amicus, Bellarminus locis præcitatis, Valentia *hic diſputat.* 8. *quæſt.* 3. *punct.* 3. Vaſquez *diſputat.* 185. *cap.* 9. Oviedus *controver.* 1. *punct.* 3. cæterique Auctores Societatis, & inſuper Eſtius *præcit.* §.8. docentes illam gratiam eſſe operantem & ſine nobis, quæ eſt ſine prævio conſenſu & deliberatione noſtra, adeoque collocantes gratiam operantem in bonis actibus indeliberatis vel ſolius intellectus ut ſentit Vaſquez, vel etiam voluntatis ut ſentiunt alij magis communiter, gratiam verò cooperantem in bonis actibus plenè deliberatis & perfectè liberis. Tertiò modo intelligunt ly *ſine nobis* Alvarez & Ioannes à S.Thoma *locis præcitatis* Cajetanus *hic quæſt.* 111. *art.* 2 Gonetus *diſput.* 3. *art.* 2. cæterique Thomiſtæ, quos ſequitur Madernus *hic quæſt.* 4. *art.* 1. docentes illam gratiam eſſe propriè operantem & ſine nobis, quæ præciſè à ſolo Deo fit, nobis recipientibus quidem, at non præſtantibus ullam cooperationem activam, neque etiam phyſicam; collocant conſequenter hi Auctores gratiam operantem non in actibus noſtris, ſivè indeliberatis, ſivè deliberatis, ſivè intellectus, ſivè voluntatis, quos libenter concedunt ex ratione generica actus vitalis non poſſe in nobis fieri à ſolo Deo; ſed in motione ſeu applicatione intellectus & voluntatis ad agendum, & volunt eſſe gratiæ operantis effectus illos indeliberatos ſubitoſque actus, in quibus Auctores ſecundæ ſententiæ ſtatuunt formaliter gratiam ipſam operantem.

Diſſidium hoc inter Thomiſtas & Auctores Societatis originem ducit ex generali principio, quo illi requirunt ad quamlibet operationem cauſæ ſecundæ præviam applicationem, præmotionemvè cauſæ primæ; iſti verò contenti ſunt concurſu ſimultaneo, adeoque nullam hic agnoſcentes in noſtris potentiis phyſicam motionem, applicationemve Dei, rejiciunt Thomiſtas, tanquam loquentes ex falſo ſuppoſito; immeritò tamen, Ideò ſit 21.

Aſſert. 2. Gratia actualis operans rectè dicitur eſſe ea, per quam Deus operatur in nobis ſine nobis; cooperans verò, per quam Deus operatur nobiſcum: & ly *ſine nobis* rectè ſumitur excludendo omnem noſtram cooperationem etiam purè phyſicam; adeò ut gratia operans ſit concurſus prævius, gratia cooperans ſit concurſus ſimultaneus Dei ad noſtros actus ſupernaturales. Prima pars eſt communiſſima, nec pro eâ quidquam addendum occurrit ſupradictis *num.* 19. Secunda pars non eſt adeò communis ut patet ex Auctoribus relatis *num.* 20. Nihilominus

Gratia operans eſt cōcurſus prævius, cooperans eſt concurſus ſimultaneus.

Probatur & explicatur quia ex una parte certum eſt ad concurſum Dei prævium ſi datur cauſam creatam nullo modo activè cooperari, dicitur enim prævius eo quod præeat omnem operationem & cooperationem creaturæ, ex alia parte conſequenter ad ſupradicta *tractat.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. §. 2. ſuppono Deum ex communi ratione cauſæ primæ, quâ præviè concurrit ad omnes effectus cauſarum ſecundarum, præviè quoque concurrere ad omnes noſtros actus ſupernaturales, præmovendo & applicando ad ipſos noſtras potentias. His ſuppoſitis ſic arguo, ly *ſine nobis* debet ſumi, & rectè ſumitur, in magis propria ſignificatione qua poteſt; omnis enim locutio præſertim apud Sanctos Patres reperta & apud Scholaſticos frequens, debet ſumi propriè, quantùm poteſt; ſed magis propria ejus ſignificatio eſt, ſi excludat omnem noſtram cooperationem etiam purè phyſicam, & hanc verè excludit ſi gratia operans collocetur in concurſu prævio, in quo collocari rectè poteſt, cum concurſus ipſe prævius verè detur; ergo ly *ſine nobis* rectè ſumitur excludendo omnem noſtram cooperationem etiam purè phyſicam; adeò ut gratia operans, &c. 22.

Dices: Hinc ſequeretur nullum actum à nobis elicitum poſſe eſſe effectum, aut ſolius gratiæ operantis, aut ſolius gratiæ cooperantis; cum in ſententia aſtruente concurſum prævium nullus actus à nobis eliciatur, ad quem Deus aut ſolùm præviè aut ſolùm ſimultaneè concurrat, atqui ſeque- 23.

la videtur eſſe primo contrà D. Thomam *hic quæſt. 111. art. 2. in c.* ubi actum interiorem voluntatis tribuit ſoli gratiæ operanti, actum verò exteriorem à voluntate imperatum ſoli gratiæ cooperanti; ſecundò contrà Theologos communiter, qui non ſolent gratiæ cooperanti tribuere ſubitas intellectus illuſtrationes, ſubitos voluntatis affectus, alioſque bonos actus indeliberatos, in quibus agimur potiùs, quàm agamus, ſeu agimur ut agamus, nondum quodammodò agimus juxtà illud Auguſtini lib. de gratiâ Chriſti cap. 25. *Profectò ut agant quod bonum eſt, ab illo aguntur qui bonus eſt.* Sed contrà: Quilibet actus à nobis elicitus ſumi poteſt vel quantùm ad applicationem, vel quantùm ad ſubſtantiam; quantùm ad applicationem quilibet actus eſt à ſola gratia operante, etiamſi ſit actus perfectè deliberatus imò ſubſequens juſtificationem; quantùm ad ſubſtantiam quilibet actus etiam indeliberatus eſt à gratia cooperante, quia applicatio potentiæ vitalis ad quemlibet actum fit à ſolo Deo, nobis ne phyſicè quidem concurrentibus; ipſa verò cujuſlibet actus, utpotè vitalis, ſubſtantia ſeu entitas nequit fieri niſi nobis phyſicè ſaltem cooperantibus: Hinc ad ſequelam dico nullum actum à nobis elicitum poſſe eſſe effectum aut ſolius gratiæ operantis aut ſolius gratiæ cooperantis, ſi ſumatur talis actus tùm quantùm ad applicationem tùm quantùm ad ſubſtantiam, ſecùs ſi ſumatur dumtaxat quantùm ad alterutrum: Ad primam probationem in oppoſitum dico non ſatis conſtare, quid D. Thomas ibi intellexerit per actum interiorem & exteriorem; aliqui volunt ipſum intellexiſſe nomine actus interioris intentionem finis, nomine actus exterioris electionem mediorum; aliqui alij intellexiſſe nomine actus interioris quemcumque actum immanentem voluntatis, nomine exterioris quemcumque elicitum ab aliis potentiis: Gonetus *hic diſp. 3. num. 19.* ait S. Doctorem intellexiſſe nomine actus interioris internam applicationem voluntatis, per quam Deus facit nos velle; nomine actus exterioris ipſam volitionem & operationem, in quam exit voluntas antecedenter applicata à gratiâ; juxtà hanc poſteriorem intelligentiam allata auctoritas nobis non obſtat, imò omninò confirmat noſtram mox poſitam doctrinam; juxtà alias duas intelligentias dici poteſt S. Doctorem attribuere gratiæ operanti interiorem, gratiæ cooperanti exteriorem actum, quia in actu exteriore magis elucet noſtra cooperatio, in actu interiore magis divina motio.

24. Quilibet noſter actus eſt ſub diverſa ratione effectus gratiæ operantis & cooperantis.

25. Gratiæ operantis & cooperantis minùs propria acceptio.

Ad ſecundam probationem dico Theologos ſæpè latiùs ſumere gratiam operantem prout cum moraliter excitante coincidit, ſtrictiùs verò gratiam cooperantem prout refertur ad cooperationem propriè humanam, non purè phyſicam; & in hoc ſenſu actus noſtros indeliberatos gratiæ cooperanti non tribuunt, imò eos appellant gratiam operantem; At aliter loquendum eſt, ſi nec gratia operans nimis latè, nec cooperans nimis ſtrictè uſurpetur, & illa præcisè ſignificet gratuitam operationem Dei factam ſine nobis, iſta factam nobiſcum.

Contrà id, quod tactum eſt omnem actum etiam perfectè deliberatum eſſe quantùm ad applicationem à ſola gratia operante, urgeri hic poſſent ea omnia, quibus impugnatur præmotio phyſica & concurſus Dei prævius ad noſtros actus liberos; verùm concordia phyſicæ præmotionis cum creata libertate repetenda hic non eſt, ſed ſupponenda *ex tract. 1. lib. 4. cap 6.* Solùm videtur ad hunc locum pertinere auctoritas D. Thomæ *hic q. 110. art. 2. in c.* ubi applicationem potentiæ ad agendum collocat in motu & actu ipſius potentiæ, non in aliquo prævio & diſtincto à ſubſtantia actus, ait enim *Dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo in quantum anima hominis movetur à Deo* (Ecce motionem ſeu applicationem, quam nos dicimus fieri per gratiam actualem operantem) *Ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum: & hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ. Actus enim moventis in moto eſt motus*; ergo ex mente D. Thomæ gratia actualis operans eſt motus animæ & actus ipſius, non aliquid prævium per modum qualitatis effectivè moventis & applicantis animam, hocque confirmatur ex eo quod *eod. art. ad 1.* habetur *Gratia ſecundum quod eſt qualitas, dicitur agere in animam non per modum cauſæ efficientis, ſed per modum cauſæ formalis.* Reſpondendum autem eſt Sanctum Doctorem negantem gratuitum effectum eſſe qualitatem & affirmantem eſſe motum animæ, loqui de qualitate permanente & motu recepto, non de qualitate tranſeunte & motu elicito; loquitur pariter de gratiâ ut eſt qualitas permanens, non ut eſt qualitas tranſiens, dum addit gratiam ſecundùm quod eſt qualitas, non agere in animam per modum efficientis.

26. Occurritur auctoritati D. Thomæ.

Dubitatur hic: Utrùm denominatio gratiæ operantis & cooperantis poſſit accommodari gratiæ habituali. Negat Oviedus *controv. 1. num. 30.* pro ſe referens Vaſquium *diſp. 188. cap. 2. num. 6.* Affirmant reliqui communiter, & docent diviſionem gratiæ in operantem, & cooperantem, non unicè convenire gratiæ actuali, quamvis ei conveniat principaliùs, & ideò, ut & nos præſtitimus, ſoleat abſolutè poni tanquam ſubdiviſio ipſius non tanquam ſubdiviſio gratiæ, aut habitualis, aut abſtrahentis ab habituali & actuali: Cum his ſentio & ad dubium affirmativè reſpondeo, ratio eſt quia etiam de gratia habituali ſecundum diverſam rationem verificatur, per eam Deum operari in nobis ſine nobis, & operari nobiſcum; quatenùs enim gratia habitualis conſideratur ſecundum eſſe & ſecundum quod nos formaliter juſtificat, utique in nobis ſine nobis fit, undè etiam de gratia habituali ità accepta, cæteriſque habitibus infuſis intelligunt nonnulli Canonem illum vigeſimum Concilij Arauſicani *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo:* Quatenùs verò conſideratur ut principium dignificans

27. Diviſio gratiæ in operantem, & cooperantem, rectè accommodatur etiam gratiæ habituali.

dignificans opera noſtra meritoria, operatur nobiſcum; neque enim haberi poteſt ullum meritum non cooperante arbitrio: eſt doctrina D. Thomæ *hic q.* 111. *art.* 2. ad quam conſequenter loquens *in proœmio quæſtionis* 113. ponit juſtificationem pro effectu gratiæ operantis, meritum pro effectu gratiæ cooperantis.

28. Ex dictis habetur D. Thomâ *præcit. art.* 2. *ad* 4. rectè tradidiſſe *quod gratia operans & cooperans eſt eadem gratia, ſed diſtinguitur ſecundùm diverſos effectus*: Enim verò loquendo de gratia habituali, idem habitus quatenùs habet pro effectu juſtificationem denominatur gratia operans, quatenùs habet pro effectu meritum denominatur gratia cooperans; loquendo de gratia actuali, idem Dei concurſus quatenùs cauſat applicationem potentiæ ad actum gratia operans, quatenùs cauſat ſubſtantiam actus gratia cooperans denominatur.

Habetur inſuper gratiam operantem rectè dici præoperantem à D. Proſpero *in epiſtola ad Auguſtinum*, cum verò tùm habitualis, tùm actualis gratia & operans præcedit ſe ipſam ut cooperantem, priùs ſcilicet habet effectum, ſecundùm quem eſt operans, quàm illum, ſecundùm quem eſt cooperans; cum & juſtificatio ſit prior merito, & applicatio potentiæ ſit prior productione actus.

§. V.

De diviſione gratiæ actualis in excitantem & adjuvantem: item in prævenientem & ſubſequentem, ſeu comitantem.

29. Gratia actualis, alia excitans, alia adjuvans.

ASSERT. 1. Gratia actualis rectè dividitur in excitantem & adjuvantem: Excitans conſiſtit in piis cogitationibus & bonis deſideriis à Deo immiſſis ad excitandum, vel peccatorem à ſopore culpæ, vel juſtum à ſopore deſidiæ: Adjuvans conſiſtit in auxiliis, quibus vel peccator convertitur, vel juſtus bona opera perficit.

Probatur prima pars ex eo quòd, tùm Concilium Tridentinum, tùm ſancti Patres meminerunt gratiæ excitantis & adjuvantis, nam Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. habet *Ut qui per peccata à Deo averſi erant per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe*, &c. & cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti*, &c. D. Bernardus *lib. de grat. & lib. arb.* ait *Conatus noſtri & caſſi ſunt ſi non adjuventur, & nulli ſi non excitentur.* D. Auguſtinus *lib.* 2. *de peccatorum meritis & remiſſione, cap.* 18. ait *Quod ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante atque adjuvante non poſſumus.* Confirmatur ex eo, quod Eccleſia ſæpè Deum orat ut excitet, ſæpè etiam ut adjuvet ſuorum fidelium voluntates.

30. Probatur & explicatur ſecunda pars, quia ſpiritualis hominis excitatio meliùs collocatur in aliquo morali alliciente, invitante, ſuadente, quàm in aliquo phyſico ſicuti ſopor ipſe, à quo homo debet per gratiam excitari, ſive ſit permanentia in peccato, ſive ſit deſidia & languor in bono opere; quid morale eſt, non quid phyſicum; rectè igitur ponitur conſiſtere gratia excitans in piis cogitationibus & bonis deſideriis, quæ aptiſſima ſunt ad movendam moraliter voluntatem, ut reſurgat à culpa, vel à negligentia.

Quoad gratiam adjuvantē dixi eam conſiſtere in auxiliis, quibus, &c. non limitando ad auxilia, aut moralia, aut phyſica, quia gratia adjuvans eſſe poteſt tùm moraliter tùm phyſicè talis: Gratia adjuvans moraliter eſt ipſamet gratia excitans quatenùs animæ jam excitatæ cooperatur ad actum converſionis, vel ad perficiendum opus ſalutare; certum eſt enim pias cogitationes, & bona deſideria, etiam voluntati jam excitatæ & operanti plurimùm prodeſſe, hocque eſt cum ea moraliter cooperari. Gratia adjuvans phyſicè eſt tùm actualis influxus habituum infuſorum, tùm ſpecialis & gratuitus Dei concurſus ſimultaneus; ex hoc enim utroque habetur, tùm cauſalitas gratiæ in opus ſalutare, tùm corroboratio potentiæ, in quâ corroboratione maximè conſiſtit ratio gratiæ adjuvantis, nam præcisè ad effectum cum alia cauſa concurrere, & nihil circà ipſam cauſam agere, non eſt propriè cauſam adjuvare, quapropter gratia adjuvans non debet præcisè collocari in concurſu Dei ſimultaneo, & quod ſuprà dicebamus in tali concurſu collocantes gratiam cooperantem, intelligendum eſt de gratia cooperante ut purè tali, & contradiſtincta ab adjuvante. 31. Gratia adjuvans alia moraliter, alia phyſicè talis.

Ex his habetur gratiam excitantem poſſe quidem dici operantem moraliter, at non operantem phyſicè; & Alvarez *de auxil. lib.* 9. *diſp.* 81. rectè concludit gratiam operantem phyſicè, quod eſt idem ac dicere gratiam, quæ conformiter ad ſupradicta ſimpliciter & abſolutè denominatur operans, diſtingui realiter à gratia excitante, eadem ratione diſtinguitur realiter à gratia excitante, nec non etiam à gratia moraliter adjuvante gratia cooperans ſumpta in eo ſenſu, in quo ſuperiùs explicata eſt; à gratia verò adjuvante phyſicè videtur gratia cooperans diſtingui poſſe inadæquatè tanquam incluſum ab includente, ut colligitur *ex num. præced.* & ex eo quòd adjuvare videtur eſſe ex terminis aliquid ampliùs, quàm cooperari. 32. Cōparatiō gratiæ excitantis & adjuvantis ad operantē & cooperantem.

Aſſert. 2. Gratia actualis rectè dividitur in prævenientem & ſubſequentem, ſeu comitantem. Præveniens ordinem prioris, ſubſequens ordinem poſterioris ſignificat; & ordo iſte attendi poteſt vel penes comparationem mutuam unius gratiæ ad alteram, vel penes comparationem utriuſque gratiæ ad creatam voluntatem. Gratia actualis, alia præveniens, alia ſubſequēs.

Probatur prima pars ex Tridentino & ſanctis Patribus, nam Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. loquens de virtute, quam Chriſtus in juſtificatos jugiter influit ait *quæ virtus* 33.

bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur. D. Auguſtinus in Enchir. cap. 32. *Vtrumque legitur in ſacris eloquiis, & miſericordia eius præveniet me, & miſericordia eius ſubſequetur me: nolentem prævenit ut velit, volentem ſubſequitur ne fruſtrà velit.* D. Gregorius lib. 22. moral. cap. 5. *Deus & præveniendo dedit ſanctis bonum velle, quod noluerant; & ſubſequendo conceſſit bonum poſſe, quod volunt.* D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 11. *Prævenit Deus donans homini bonam voluntatem; ſubſequitur bene volentem, operando in illo boni operis facultatem.* Confirmatur ex eo, quòd Eccleſia ſic Deum orat, *Vota noſtra quæ præveniendo aſpiras etiam adiuvando proſequere.*

34. Probatur & explicatur ſecunda pars; per hoc enim, quod allata diviſio ex terminis ſignificet ordinem prioris & poſterioris, diſtinguitur ab aliis gratiæ actualis diviſionibus, cum quibus quoad rem ferè coincidit, nam omnis gratia tùm excitans tùm operans in re eſt præveniens; omnis tùm adjuvans tùm cooperans eſt ſubſequens, aut ſubſequens ſimul & præveniens ſub diverſa ratione, cum rectè obſervet S. Doctor hic q. 111. art. 3. in c. *Quod ſicut unus effectus eſt poſterior uno effectu, & prior alio; ità gratia poteſt dici præveniens & ſubſequens ſecundùm eundem effectum, reſpectu diverſorum.*

Ordo prioris & poſterioris inter gratiā prævenientem, & ſubſequentem, duplex.

Quod deinde ordo iſte prioris & poſterioris attendi poſſit penes comparationem mutuam unius gratiæ ad alteram patet ex eo, quod ſive comparatio fiat inter gratias entitativè diverſas, ſive inter diverſas ſolùm denominativè & quoad effectus, illa gratia, quæ aut quoad entitatem aut quoad effectū eſt prior alia, rectè dicitur præveniens comparativè ad poſteriorē, & poſterior ſubſequens comparativè ad priorem, & hunc ordinem ſpectaſſe videntur Auguſtinus & Fulgentius, ille quidem *lib. de natura & gratia, cap. 32.* dicens *Prævenit ut ſanemur, quia & ſubſequetur ut etiam ſanati vegetemur. Prævenit ut vocemur; ſubſequetur ut glorificemur. Prævenit ut piè vivamus; ſubſequetur ut cum illo ſemper vivamus:* Iſte verò lib. 1. ad Monimum cap. 11. *Prævenit impium ut fiat iuſtus; ſubſequitur iuſtum ne fiat impius. Prævenit eliſum ut ſurgat, ſubſequitur elevatum ne cadat.* Quòd tandem talis ordo attendi poſſit etiam penes comparationem utriuſque gratiæ ad creatam voluntatem, actuſve ipſius, patet ex eo quod ad talem ordinem ſpectant auctoritates ſanctorum Patrum relatæ *num. præced.* eundemque, dum de gratia præveniente & ſubſequente ſermo eſt, magis eſſe in uſu advertit Eſtius *in 2. diſt. 26. §. 9.* Cavendum tamen, ne gratia ſubſequens comparetur ad voluntatem ſecundùm proprias vires, & ad actus naturales ipſius; hac enim ratione nulla gratia voluntatē noſtram ſubſequitur, & bene procedit illud Auguſtini *Epiſt. 106. ad Paulinum* dicentis *voluntatem comitari gratiam, non ducere; pediſſequam eius eſſe non præviam:* cæterùm comparatione ad voluntatem legitimè facta, ad actus ſcilicet ipſius ex gratia elicitos, omnis gratia ſubſequens merita, ſeu data ex noſtris meritis, jure dici poteſt ſubſequens noſtram voluntatem, quamvis deinde ſit ſimul ſubſequens aliam gratiam, ideoque ſoleat nominari ſecunda gratia, ſeu gratia pro gratia.

35. Quomodò admitti poſſit gratia ſubſequens comparativè ad noſtrā voluntatem?

Ex his habes diviſionem gratiæ in prævenientem & ſubſequentem quamvis ſimpliciter & abſolutè dicatur de gratia actuali, accommodari tamen etiam poſſe gratiæ habituali, cum enim hæc varios præſtet effectus alios aliis priores, alios poſteriores; quatenùs præſtat effectus priores, dici poteſt præveniens; quatenùs præſtat poſteriores, ſubſequens; puta præveniens ut eſt principium juſtificationis, ſubſequens ut eſt principium meriti

36. Gratia ſubſequens & comitans vix differunt.

A gratia ſubſequente hucuſque explicata non differt gratia comitans, niſi in eo, quod non exprimat ordinem poſterioris, & ſolùm reſpectu voluntatis, non reſpectu alterius gratiæ talis denominetur: Nec refert, quod Fulgentius *epiſt. cap. ult.* dividat gratiam in prævenientem, comitantem, & ſubſequentem, tanquam in tria diverſa membra, & comitantem agnoſcat in progreſſu bonorum operum, ſubſequentem in remuneratione gloriæ cœleſtis: Non refert, inquam, quia valde voluntariè loquitur, & progreſſus bonorum operum, quem tribuit gratiæ comitanti, communiter etiam tribuitur gratiæ ſubſequenti, & gratia ſubſequens rectè dicitur; quamvis non econtrà remuneratio cœleſtis gloriæ rectè diceretur gratia comitans, ſicut rectè dicitur gratia ſubſequens; gratia igitur comitans continetur ſub ſubſequente, non mediat inter prævenientem & ſubſequentem. Hinc fit diviſionem hanc ſub ſe continere aliquas alias gratiæ diviſiones minùs præcipuas, & minus uſitatas: Talis eſt primò diviſio gratiæ in ducentem & comitantem, ſeu ducem & comitem juxtà illud D. Proſperi *epigram. 45.* dicentis de gratia,

Aliæ minùs præcipuæ diviſiones gratiæ actualis.

Quæ ſic in cunctis implet ſua dona vocatis,
Vt quorum dux eſt, fiat & ipſa comes.

Talis eſt ſecundò diviſio in aſpirantem, ſeu inſpirantem, & proſequentem deſumpta ex oratione illa Eccleſiæ *Vota noſtra quæ præveniendo aſpiras, etiam adiuvando proſequere:* Talis eſt tertiò diviſio in incipientem, & finientem, ſeu perficientem, deſumpta ex illa alia oratione *Vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur:* Tales ſunt quattò quædam aliæ diviſiones, quarum meminit Eſtius *præcit. diſt. 26. §. 12.*

---

§. VI.

De diviſione gratiæ actualis in efficacem & ſufficientem.

37. Gratia actualis, alia efficax, alia ſufficiens.

ASSERT. Gratia actualis rectè dividitur in efficacem, & ſufficientem: efficax eſt, quæ ſemper conjungitur cum operatione & effectu: Sufficiens eſt, quæ tribuit

buit virtutem ſufficientem & poſſe operari, at non conjungitur cum operatione & effectu: Gratia efficax appellari etiam ſolet gratia congrua, auxilium quo, auxilium operationis: Sufficiens verò gratia non congrua, auxilium ſine quo, auxilium poſſibilitatis. Celeberrimæ hujus diviſionis aſſertio ad doctrinam dogmaticam pertinet, & de fide eſt, contrà plures Sectarios, Pelagium præſertim & Calvinum: Pelagius enim ut retulimus *c. 1. n. 13.* ſi aliquam veram gratiam actualem admiſit, eam admiſit ſufficientem duntaxat & tanquam adjutorium poſſibilitatis; non efficacem & tanquam adjutorium operationis: Calvinus econtrà ut colligitur *ex eod. c. 1. num. 29.* non agnovit in natura lapſa ullam gratiam ſufficientem, quâ arbitrium benè operari poſſit & non operetur, & quæ adjutorium poſſibilitatis ſit non operationis; ſed ſolam efficacem, adulteratam tamen & corruptam, id eſt omninò neceſſitantem arbitrium ad operationem, ſeu actum ad quem datur.

38\. Quodnam ſilentiũ ſit in hac materia indictum.

Antequam ulteriùs in aſſerta diviſione procedam adverto circà quiditativum diſcrimen gratiæ efficacis à ſufficienti, morale ne ſit an phyſicum? & circà difficultates inde conſequentes præcipuè in explicando, quomodò nec creata libertas per gratiam efficacem lædatur ex parte aſtruentium diſcrimen phyſicum; nec gratiæ efficacia in creatam voluntatem, non in divinam, refundatur ex parte aſtruentium ſolùm diſcrimen morale, adeò acria inſurrexiſſe inter Catholicos diſſidia, ut pro ipſis dirimendis Apoſtolica Sedes ſilentium indixerit, & diſtrictè prohibuerit quidquam typis mandari quod eorum diſſidiorum materiem attingat. In ſacrorum igitur decretorum reverentiam, & obedientiam, penitùs omiſſis circà gratiam ſufficiẽtem & efficacem difficultatibus controverſis percurremus ſolùm ea, quæ aut apud Theologos incontroverſa ſunt; cujuſmodi eſt utriuſque gratiæ exiſtentia & communiter recepta terminorum ſignificatio; aut ſeparata ſunt à diſcrimine controverſo gratiæ ſufficientis ab efficaci, cujuſmodi eſt quæſtio illa quâ quæri ſolet an & quomodo proviſa ſint omnibus hominibus auxilia ſufficientia? His animadverſis

39\. Auctoritates pro gratia efficaci.

Probatur aſſerta diviſio oſtendendo ex Scriptura & Patribus dari gratiam, tùm efficacem, tùm ſufficientem; & quidem quoad efficacem, quæ conjungatur cum operatione & effectu Ezech 36. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini:* Philip. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere.* Auguſtinus lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. *Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati:* lib. de prædeſtinat. ſanctorum cap. 8. *Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur à nullo duro corde reſpuitur.* Ambroſius ſuper Lucã lib. 6. c. 31. *Per miſericordiam Domini cauſa mutatur, ut amplius diligat qui amplius debuit.* Quoad

Auctoritates pro gratia ſufficienti.

ſufficientem, quæ tribuat poſſe operari, ſed non conjũgatur cum operatione Proverb. 1. *Vocavi & renuiſtis, extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret:* Act. 7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis:* 2. Cor. 8. *Videte, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis:* quæ aliæve ſimiles objurgationes, & exhortationes, eſſent irrationabiles, niſi ſupponerent gratiam cui reſiſtitur, & quæ in vacuum recipitur, poſſe recipi cum conſenſu & cum fructu. Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 17. *Cum voluntate humana, gratia adjuvante divina, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit* &c. Hieronymus in Pſal. 140 *O infeliciſſimum hominum genus! qui peccata excuſamus dicentes; victus ſum à naturâ, cum in poteſtate noſtra ſit & peccare & Domino adjuvante non peccare:* Laurentius Juſtinianus lib. de ſpirituali animæ reſurrectione in princ. *Quamvis hominem Deo poſſe reſiſtere multis divinorum eloquiorum valeat auctoritatibus comprobari, id tamen unuſquiſque ſufficienter experitur in ſe,* &c. Confirmatur & de fide evincitur veritas gratiæ ſufficientis ex Concilio Arauſicano *can. ult.* ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. c. n. 11. & 13.* & poſtremò ex Innocentio X. in bulla damnante quinque propoſitiones Janſenianas ſuprà relatas *c. 1. num. 30.* inter quas prima affirmando aliqua præcepta eſſe hominibus juſtis impoſſibilia negabat gratiam ſufficientem; ſecunda aſtruendo gratiæ interiori nunquam reſiſti ponebat omnem gratiam eſſe efficacem.

40\. Auctoritates pro utraque ſimul.

Vtramque gratiam efficacem & ſufficientem ſæpè etiam ſimul expreſſit Auguſtinus, & primò quidem ſub nomine gratiæ congruæ & non congruæ *lib. 1. ad Simplicianum, q. 2.* dicens *Illi electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi:* Secundò ſub nomine adjutorij quo & ſine quo *lib. de corrept. & grat. c. 12.* expreſsè dicens *Aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit; & aliud eſt adjutorium quo aliquid fit:* Tertiò ſub nomine auxilij poſſibilitatis ſeu dantis poſſe, & auxilij operationis, ſeu dantis operari *eod. lib. cap. 11.* dicens *eſt quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe quod volumus, verùm etiam velle quod poſſumus.*

41\. Abſurda ſequentia ex negata gratia efficaci aut ſufficienti.

Probatur eadem diviſio ratione à poſteriori ex abſurdis, quæ ſequerentur, ſi non daretur alterum ex membris aſſertæ diviſionis. Si enim non daretur gratia efficax, ſequeretur primò nullum bonum opus eſſe ex gratia, quia nullum cum ipſa conjungeretur tanquam effectus cum ſua cauſa, ſequeretur ſecundò nulla eſſe beneficia, per quæ homo certiſſimè liberetur & per conſequens nullam eſſe prædeſtinationem, quæ ut ſuo loco ex Auguſtino docuimus includit beneficia, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Si non daretur gratia ſufficiens ſequeretur primò quemlibet operari ſecundùm totam gratiæ virtutem & totum illud bonum ad quod gratia datur, nec ullus poſſet ſe ipſum accuſare negligẽtiæ & ignaviæ

in non cooperando gratiæ ut par eſt, quemadmodum tamē præſtare ſolent viri ſanctiores; ſequeretur ſecundò tranſgredientem præceptum non habere gratiam, quâ poſſit non tranſgredi; non enim ad non tranſgrediendum habet gratiam efficacem quia ſecùs re ipſa non tranſgrederetur; nullam igitur habet, ſi ultrà efficacem ſufficiens non datur; & per conſequens tranſgrediens præceptum ſua culpa non cadit, ſicuti nec primi parentes nec Angeli ſua culpa cecidiſſent, quoties eis adjutorium, quo poſſent non tranſgredi, defuiſſet, ut oſtēdit Auguſtinus *de corr. & grat. c. 11.*

42. Evaſio & error ſectariorum.

Dices ad hoc poſtremum diverſam eſſe rationem de gratia ſanitatis collata Angelis & primis parentibus in ſtatu innocentiæ, ac ſit de gratia medicinali, quæ hominibus confertur in ſtatu lapſus: illa enim non movebat nec determinabat arbitrium, ſed ejus nutum & motum expectabat, adeoque poterat eſſe efficax vel ſufficiens, prout accedēte vel non accedente motu nutuque liberi arbitrij conjungebatur vel non conjūgebatur cum effectu; at gratia medicinalis nullo expectato liberi arbitrij motu, ſeu nutu, ipſum movet ac determinat, imo neceſſitat abſque eo quod poſſit ei diſſentire, ſicque ex vi ſua neceſſariò cum effectu conjungitur & ſemper efficax eſt; nec gratia arbitrio non ſubjecta poteſt eſſe ſufficiens quin evadat in detrimentum potiùs, quàm in beneficium, homini que eligibilius ſit eam non habere, quàm habere, cum habēdo infallibiliter peccet, non habendo non peccet; hoc non eveniret in gratia ſanitatis ſubjecta arbitrio, quā qui haberet ſufficientem non peccaret infallibiliter, quia propter ſubjectionem ejus ad arbitrium eam, quoties vellet, per proprij arbitrij motum redderet efficacem. Sed contrà:

43. Gratia ſanitatis non expectat motum arbitrij.

Quomodò re vera differant gratia ſanitatis, & gratia medicinalis, jam ſuprà attigimus *n.* 11. ubi etiā ex parte rejecimus hujus inſtantiæ materiē; falſum igitur omninò eſt diſcrimen, quod inter utramque gratiam ſectarij aſſignant; & quatenùs aſtruunt gratiā ſanitatis expectare motum nutumque arbitrij, faciunt gratiam ſanitatis imperfectiorē gratia medicinali, in ea non ſalvant veram rationem gratiæ præſertim efficacis, nec in arbitrio ſubordinationem ad Deum ut cauſam primam in ordine ſupernaturali non minùs, quàm in ordine naturali; pro quo plura ſanctorum Patrum teſtimonia videri poſſunt apud Gonetum 1. *p. tr.* 8. *diſp* 5. *art.* 3. § 3.

Gratia medicinalis nō neceſſitat.

Quatenùs deinde aſtruunt gratiam medicinalem non movere tantùm, ſed neceſſitare abſque eo, quòd poſſit ei reſiſti, impugnantur ex communi doctrinâ, quā Catholici omnes, licèt non uno omnes modo, ſuſtinent tanquam fidei dogma concordiam etiam pro ſtatu lapſus inter humanam libertatem & efficaciam gratiæ, quo in dogmate quamvis ex indicti ſilentij lege abſtinendum ſit à proprio ſenſu depromendo circà talis concordiæ modum, ex dictis tamen *tract.* 1. de ſcientia conditionatorum, de voluntate efficaci Dei, de cauſis prædeſtinationis, colligi facilè poteſt, quid ſentiamus.

44. Quatenùs tandem gratiam ſufficientem computant in detrimentum potiùs, quàm in beneficium, dico quod argumentum ad ſummum aliquid probaret, quoties habens gratiam ſufficientem infallibiliter peccaret ex ipſius uſu; at hoc non; peccatum enim ex gratiæ ſufficientis non uſu cōmittitur, & defectibilitati arbitrij imputādum eſt, non ſufficientiæ auxilij per ſe non tribuentis peccare, ſed poſſe non peccare; & ſi homo eo uteretur, obſervaret, non violaret præcepta, eligibilius igitur eſt habere illud, quàm non habere; &

Gratia ſufficiens non eſt noxia.

deſpiciendi omninò, imò anathematizandi ſunt, qui auxiliū ſufficiens confingunt tanquam ſingulare quoddam gratiæ monſtrum, ſolummodò peccatis faciendis, majorique damnationi accerſendæ deſerviens.

Ex dictis habetur à tota gratia eum deficere, qui à gratiæ aut efficacia aut ſufficientia recedit, & D. Proſperum *ad Demetriadem c.* 7. jure ſcripſiſſe *Gratia Dei, niſi tota ſuſcipitur, tota repellitur, ſicut enim alienus eſt à numero fidelium & ſorte ſanctorum, qui in aliquo à Catholica veritate diſſentit; ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de eius plenitudine diffitetur.*

---

§. VII.

Subdividitur gratia ſufficiens: & alia nonnulla circà ipſam expediuntur.

ASSERT. Gratia ſufficiens rectè ſubdividitur in ſufficientem remotè, ſeu mediatè, & in ſufficientem proximè, ſeu immediatè. Colligitur hæc ſubdiviſio ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 11. & traditur à Theologis communiter. 45.

Gratia ſufficiens, alia remota, alia proxima.

Probatur & explicatur: De ratione gratiæ ſufficientis eſt, quòd ſimpliciter & abſolutè tribuat poſſe id, ad quod dicitur ſufficiens; poteſt autem ſimpliciter & abſolutè aliquid non ſolùm qui habet omnia comprincipia ad illud neceſſaria, ſed is etiā, qui aliqua habet in potentia adeò, ut in poteſtate & libertate ipſius ſit ea ſibi comparare ſi velit, ſic etiam quando non habeo actu præ manibus calamum dicor abſolutè potens ſcribere, quoties in mea poteſtate eſt ſumere calamum immediatè & proximè requiſitum ad ſcribendum; dicetur igitur proportionaliter habere gratiā ſufficientem ad obſervantiā præceptorū, v.g. ſeu poſſe obſervare præcepta non ſolum is, qui habet actu omnia cōprincipia & auxilia ad talem obſervantiā requiſita, & hic dicetur habere gratiam ſufficientem proximè & immediatè talem; ſed is etiam qui ſi aliquo comprincipio & auxilio caret, habet unde poſſit illud acquirere, & de facto impetraret, ſi peteret mediis auxiliis ſibi datis ad talē petitionem, ſeu impetrationem, & hic dicitur habere gratiam ſufficientem remotè & mediatè talem: Utrāque hanc gratiæ ſufficientiam inſinuavit Tridentinum *ſeſſ* 6. *c.* 11. illis verbis *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſſis & petere quod non poſſis.*

poſſis. Item Auguſtinus *lib. de nat. & grat. cap.* 43. dicens *Non igitur Deus impoſſibilia iubet ſed iubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*: Rurſus *lib. de grat. & lib. arb. c.* 16. dicens de Deo *Ideò iubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.*

46. Alia partialis, alia totalis. Ab hac ſubdiviſione gratiæ ſufficientis in remotam & proximam videri poteſt non diverſa ſubdiviſio ejuſdem in partialem & totalem, cujus meminit Ioannes à S. Thoma *hic diſput.* 24. *art.* 1. *num.* 25. ubi advertit auxilium ſufficiens, ſeu gratiam ſufficientem in indiviſibili non conſiſtere, ſed in multis pro quolibet noſtro actu præreqùiſitis; ſic, inquit, ad producendum, v. g. actum aliquem ſupernaturalem requiritur principium quod ſit habitus, vel per modum habitus: deinde ſufficiens propoſitio objecti; deinde lex ſive præceptum, aut conſilium, aut ſuaſio, deinde affectio aliqua, quæ ſit quaſi pulſatio & excitatio voluntatis: Vnumquodque iſtorũ eſt in ordine ad producendum ſupernaturalem actum gratia ſufficiens partialis, & in ſuo genere; omnia iſta ſimul ſunt gratia ſufficiens totalis & ſimpliciter.

47. Gratia ſufficiens partialis nõ eſt ſimpliciter ſufficiens, bene tamen gratia ſufficiens remota. Doctrinam hanc non improbo, at non admitto diviſionem, quam doctrina hæc continet, coincidere cum diviſione præaſſerta; imò dico doctrinâ hac non contineri diviſionem, quæ ſit propria ſubdiviſio gratiæ ſufficientis, alterum enim ipſius membrum, id eſt gratia ſufficiens partialis, non eſt gratia ſufficiens ſimpliciter & abſolutè, ſicuti tamen in præaſſerta diviſione eſt ſimpliciter & abſolutè ſufficiens gratia ſufficiens remota in ſenſu à nobis explicato; in ſenſu, inquam, à nobis explicato, in quo gratia ſufficiens remota ea eſt, quâ poteſt impetrari ac obtineri gratia ſufficiens proxima, & quæ reſpectu talis actus impetrativi eſt ſufficiens proxima, ad differentiam cujuſdam alterius ſufficientiæ remotæ nullam prorsùs importantis ſufficientiam proximam, & conſiſtentis præcisè in eo, quod voluntariè ac culpabiliter amiſſa fuerit ſufficientia proxima; quo certè modo ſufficientia remota non eſt ſimpliciter & abſolutè ſufficientia; alioqui etiam damnati dicerẽtur habere ſufficientiam ſimpliciter, ſeu gratiam ſimpliciter ſufficientem ad ſalutem & ad non peccandum.

Dices: illud auxilium non eſt ſimpliciter & abſolutè ſufficiens, ultrà quod requiritur aliud auxilium; atqui ultrà gratiam remotè ſufficientem acceptam in ſenſu à nobis explicato requiritur aliud auxilium ad actum, ad quem illa eſt remotè ſufficiens: ergo gratia remotè ſufficiens etiam accepta in ſenſu à nobis explicato non eſt ſuffi-

48. ciens ſimpliciter & abſolutè. Sed contrà: diſtinguo majorem, ultrà quod requiritur aliud auxilium non impetrabile per illud prius nec in eo contentum, concedo; impetrabile per illud prius & in eo contentum, nego majorem; eadem diſtinctione utor ad minorem, & nego conſequentiam.

His quoad gratiæ ſufficientis ſubdiviſionem poſitis, quoad aliam tituli partem occurrunt dubia quædam faciliora.

Dubitatur primò: An & quomodò auxilium ſufficiens differat ab auxilio inefficaci? Reſpondetur differre tùm ex parte actus primi, tùm ex parte actus ſecundi non ultimati: Differt ex parte actus primi, quatenùs auxilium ſufficiens importat in actu primo omnia requiſita ad agendum; auxilium inefficax ex genere ſuo poteſt eſſe tale etiam defectu actus primi & virtutis requiſitæ ad agendum: Differt ex parte actus ſecundi non ultimati, quatenùs auxilium ſufficiens ſemper cum aliquo actu ſecundo non ultimato conjungitur ex mox dicendis; non ſic ex genere ſuo auxilium inefficax. Hinc fit Auxilium ſufficiens & inefficax quomodò differant?

49. convenientiam auxilij ſufficientis & inefficacis totam eſſe attendendam penes carentiam actus ſecundi ultimati, quæ carentia in utroque auxilio ſemper reperitur, quamvis non in utroque ſemper ex eodem capite; nam in auxilio inefficaci reperiri poteſt ex defectu ipſius auxilij in actu primo accepti; in ſufficienti nequaquam: ſed vel præcisè ex defectu arbitrij nolentis conſentire, vel etiam juxtà Thomiſtas ex defectu divinæ motionis & applicationis ad agendum, quæ quidem motio & applicatio, cum ſit id, quo voluntas tranſit ab actu primo ad ſecundum, requiritur tantùm ad operari, non ad poſſe operari; & tenet ſe potiùs ex parte actus ſecundi, quàm ex parte actus primi; cum iſtum reſpiciat ut terminum à quo, illum ut terminum ad quem: de quâ re plura videri poſſunt apud Ioannem à S. Thoma *hic diſput.* 23. *artic.* 2. *num.* 6. & *diſput.* 24. *artic.* 2. *num.* 5. & *artic.* 3. *in reſp. ad* 4.

50. Auxilium ſufficiens ſemper eſt aliquo modo efficax. Dubitatur ſecundò: Vtrùm auxilium ſufficiens ſit ſemper aliquo modo efficax? Reſpondetur affirmativè, ratio eſt quia eſſe aliquo modo efficax eſt conjungi cum aliquo actu, auxilium autem ſufficiens, quamvis non conjungatur cum actu ultimato, reſpectu cujus dicitur ſufficiens, conjungitur tamen ſemper cum aliquo alio actu imperfectiore & intermedio: auxilium enim ſufficiens actuale eſt & tranſiens, tale autem non eſſet niſi præſtaret aliquem actualem effectum, & niſi conjungeretur alicui operationi tranſeunti, cum quâ & ipſum tranſiret: ſic v. g. auxilium ſufficiens datum ad actum fidei, quamvis non conjungatur cum actu fidei, conjungitur tamen cum pia cogitatione, cum deſiderio, & ſimilibus actibus ad fidem prærequiſitis, reſpectu quorum habet rationem auxilij efficacis: ex quo fit omne auxilium ſufficiens reſpectu unius actus eſſe efficax reſpectu alterius: denominatur tamen ſimpliciter ſufficiens, eo quod actus, reſpectu cujus eſt ſufficiens, ſit principalior, & ultimò intentus: quâ de re latiùs Alvarez *de auxil. lib.* 8. *diſp.* 80.

51. Dubitatur tertiò: Vtrùm auxiliũ ſufficiens ſit ſolùm excitans & præveniens; an etiam operans & cooperans? Reſpondetur auxilium ſufficiens, quà ſufficiens eſſe excitans ſolùm

Semper eſt excitans ſolùm, & prævemēs, quà ſufficiens præciſſè.

& præveniens, adeoque diviſionem gratiæ actualis in efficacē & ſufficientē ſubdividere gratiā actualem excitantē & prævenientem, non gratiam actualem ſecundùm ſe; ratio eſt quia, ut ex ſupradictis patet, gratia operans & cooperans ſemper conjungitur cum actu ſuo ultimato & principaliter intento; ſemper igitur eſt efficax, & econtrà auxilium ſufficiens, quà ſufficiens, ſemper eſt excitans ſolùm & præveniens; ſufficiens, inquam, quà ſufficiens; nam ſi auxiliū ſufficiens ſumatur, quà efficax, ut ſumi poteſt *ex num. præced.* utique operans eſt & cooperans; non excitans ſolum & præveniens.

52. Dubitatur quartò: An & quomodò proviſa ſint omnibus viatoribus auxilia ſufficientia? Hoc dubium quatuor reſpicit hominum cōditiones. Primò ſcilicet homines juſtos & in gratia cōſtitutos: Secundò peccatores ſcelerū præſertim multitudine, vel magnitudine excæcatos & obduratos: Tertiò infideles, ad quos nulla unquā Chriſtianæ religionis notitia pervenit: Quartò parvulos decedētes in utero materno, vel natos ubi deficit baptiſmi miniſter aut materies. Iuxtà diverſos hos ſtatus diverſæ ſunt, tùm opiniones, tùm rationes dubitandi circà proviſionem auxiliorū ſufficientiū; pro juſtis quidem in ordine ad obſervantiam mandatorū & ad perſeverantiam; pro peccatoribus in ordine ad obſervantiam mandatorum & ad pœnitentiam; pro infidelibus in ordine ad comparandam fidem; pro parvulis in ordine ad ſuſcipiendū baptiſmū: Quæ omnia expedit non brevi & unica reſponſione concludere, ſed ſub propriis ſingula titulis proponere, & definire. Ideò ſit

§. VIII.

Explicatur univerſalis proviſio, ſeu conceſſio gratiæ ſufficientis: & primò an & quomodò proviſa ſint omnibus juſtis auxilia ſufficientia ad obſervantiam mandatorum & ad perſeverantiam?

53. Gratia ſufficiens pro mandatorū obſervantia quomodò omnibus juſtis proviſa.

ASSERT. I. Omnibus juſtis pro quolibet opportuno tēpore proviſa ſunt auxilia ſaltem mediatè & remotè ſufficientia ad obſervantiam mandatorum. Eſt veritas ſpectans ad fidem contrà Ianſenium, & antiquiores ſectarios negantes in natura lapſa omnem gratiam ſufficientem: Contrà quos

Probatur aſſertum primò ex Bulla Innocentij X. & ex definitionibus Conciliorum Arauſicani & Tridentini ſuprà relatis *n.* 39. Confirmatur ex Scripturā & Patribus: Eccleſ. 15. *Deus ab initio, &c. Adjecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te.* Deuter. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſuprà te eſt.* D. Auguſtinus de nat. & grat. c. 26. *Sanat ergo Deus non ſolùm, ut deleat quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam ne peccemus*, & cap. 69. *Firmiſſimè creditur Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere.* D. Chryſoſtomus homil. 8. de pœnitentia, *Dominus haud mandat impoſſibilia.* D. Leo ſerm. 16. *juſtè nobis inſtat præcepto qui præcurrit auxilio.* Quæ & aliæ ſimiles auctoritates debent ſaltem de hominibus juſtis & in gratia conſtitutis verificari, non verificarentur autem, quoties aliquibus juſtis pro aliquo opportuno tempore deeſſent auxilia etiam mediatè & remotè ſufficientia ad obſervantiam mandatorum.

Dices harum auctoritatum vim retundi aliis auctoritatibus, quibus ſancti Patres docent deeſſe aliquandò gratiam hominibus juſtis præcepta tranſgredientibus; ſic D. Chryſoſtomus hom. 2. in Ioannem loquens de negatione Petri ait *Neque enim frigiditate, ſed ſuperni auxilij derelictu contigit* & homil. 38. in epiſt. ad Heb. *Negatio Petri non tam erat ſocordia ac negligentia, quàm ex eo quod Deus eum deſeruerat.* D. Auguſtinus ſerm. 124. de tempore *Quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus cum negavit Chriſtum; & ideò beatum Petrum paululum Dominus ſubdeſeruit*, &c. Sed contrà: Iuſtis præcepta tranſgredientibus gratia efficax deeſt, non ſufficiens, & hoc, licèt omnibus juſtis commune ſit, ſpecialiter exemplificant ſancti Patres in inſigniosibus, maximè verò in D. Petro, ut inde magis cæteri juſti ad humilitatem, & ad propriæ defectibilitatis agnitionem erudiantur: cæterùm, ſi Deus gratia etiam ſufficienti aliquandò juſtum deſereret, eſſent limitanda ad gratiam habitualem, nec poſſent de actuali procedere verba illa Tridentini ſeſſ. 6. cap. 13. *Deus ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab illis priùs deſeratur*, & tamen Auguſtinus *lib. de natura & gratia, cap.* 26. ex quo deſumpta videntur allata Concilij verba de Deo in ordine ad juſtum ait *non deſerit ſi non deſeratur, ut piè ſemper juſtèque vivatur*, per ly, ut piè juſtèque vivatur, indicatis ſe loqui de gratia actuali, quæ datur ad piè operari, quod eſt idem ac piè vivere.

54. Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

55. Probatur ſecundò ratione: Omnibus juſtis ad culpam imputatur tranſgreſſio mandatorum; atqui non poſſet hæc tranſgreſſio eis ad culpam imputari, niſi haberent proviſa pro quolibet opportuno tempore auxilia ſaltem mediatè & remotè ſufficientia ad obſervantiā; ergo omnibus juſtis pro quolibet opportuno tempore proviſa ſunt, &c. Minor probatur; hæc tranſgreſſio, niſi haberent proviſa auxilia, non eſſet eis libera & cum potentia non tranſgrediendi: ergo.

Dices: ut tranſgreſſio ſit imputabilis ad culpam ſufficit, quòd ſit libera radicaliter & in cauſa; hoc autē modo tranſgreſſio, quamvis neceſſariò conſequens carētiam auxiliorum ſufficientium, eſt libera poſteris Adæ eò quod fuerit ab ipſis liberè volita in peccato originali, tanquam in cauſa; tanquam in cauſa, inquam, quia culpa eſt cauſa pœnæ, carentia autem auxilij ſufficientis in Adæ poſteris eſt pœna peccati originalis ut expreſsè tradit Auguſtinus *lib. de corrept. & gratia, cap.* 11. ubi loquens de adjutorio

ſine

ſine quo non, quod eſt idem ac auxilium ſufficiens ait, *nunc autem quibus deeſt tale*
56. *adjutorium, jam pœna peccati eſt.* Sed contrà

Mens Auguſtini.

primò: falſum eſt peccatum originale tradere de facto tanquam pœnam carentiam auxiliorum ſufficientium; ad auctoritatem Auguſtini dico ipſum diſtinguere duplex adjutoriũ ſine quo non, ſeu duplex auxilium ſufficiens, alterum tribuens poſſe operari faciliter & ſine lucta; alterũ tribuens poſſe operari difficulter & cum lucta partis inferioris contrà ſuperiorem; primum fuit conceſſum Adamo innocenti, ſecundum Adamo lapſo ejuſque poſteris, in quibus quòd primũ deſit, ſeu quòd deſit facultas & facilitas bene operandi ſine lucta partis inferioris & ſuperioris verè originalis peccati pœna eſt; ſecundũ verò nec ut pœna originalis peccati, nec ex alio capite, hominibus præſertim juſtis deeſt, & hanc eſſe germanã D. Auguſtini mentem latè oſtendit Requeſenius *diſp.* 3. *ſect.* 2. opuſculi noviſſimè impreſſi cui titulus eſt *Additio ad quæſtiones ſelectas in* 1. 2.
57. *S. Thomæ.* Contrà ſecundò: dato abſolutè, quod auxiliũ ſufficiens deeſſet homini lapſo in pœnam originalis, adhuc peccata actualia conſequentia ad carentiam auxilij ſufficientis non eſſent imputabilia ad culpã, nec haberent malitiam diverſam à malitia peccati originalis, quia ut cui imputatur cauſa, imputabilis ſit effectus ad diverſam culpam & ſpecialem malitiam, neceſſe eſt quod effectus ipſe ſit in cauſa prævıſus, volitus, & intẽtus, ab Adamo autem, & mediante Adamo à poſteris, non fuit in peccato originali ſpecialiter volita carentia auxiliorum ſufficientium ad vitanda impoſterum alia peccata; hocque evincitur ex eo ipſo, quod dicunt Adverſarij hujuſmodi carentiam eſſe pœnam peccati originalis, nam de ratione pœnæ eſt quod ſit involuntaria potiùs quàm voluntaria patienti; præſertim quando nec medicinalis eſt, nec ſatisfactoria, ut in propoſito, pro quo videatur D. Thomas 1. 2. *q.* 46. *art.* 6. *ad* 2. & *q.* 87. *art.* 6. *in c.*

Pœna debet eſſe reo involuntaria.

58. Dixi in aſſerto *pro quolibet opportuno tempore*, & nomine opportuni temporis intelligitur illud, pro quo inſtat obligatio mandati; extrà hoc tempus non intendimus habere ſemper juſtos auxilia ſufficientia ad obſervantiam mandatorũ, certum enim eſt juſtos; dum dormiũt, aut attentiùs ad aliquod negotium incumbunt, non habere pias cogitationes & bonos voluntatis affectus, & tamen In iſtis actibus vel in motione potentiarum ad ipſos, conſiſtunt potiſſimùm ſufficientia auxilia: Propria etiam talium auxiliorum naturæ, ſecundùm quam tranſeuntia ſunt, evincit ipſa non ſemper homini ineſſe, quamvis inſint, quoties neceſſariò requiruntur ad vitandum peccatum.

Dixi inſuper *auxilia ſaltem mediatè & remotè ſufficientia* propter ſupradicta *n* 45. ex quibus conſtat tùm quomodò dentur auxilia aliqua ſolùm mediatè & remotè ſufficientia; tùm quod Deus aliqua jubeat quæ non poſſumus immediatè & proximè, poſſumus tamen mediatè & remotè; quatenùs eſt in noſtra poteſtate petere ac obtinere auxilia; queis proximè & immediate poſſimus: Iuſtis igitur in ordine ad mandatorum obſervantiam Deus ſimpliciter non deeſt quoad auxilia mediata & remota, iiſdem verò orantibus & petentibus neque deeſt quoad immediata & proxima.

Aſſert. 2. Omnibus juſtis proviſa ſunt auxilia ſufficientia ad perſeverantiam eodem modo, quoad obſervantiã mandatorum. 59.

Gratia ſufficiens ad perſeverãtiam quomodò omnibus juſtis proviſa?

Probatur facilè: Iuſtus perſeverat in juſtitia ſua eo ipſo, quòd mandata obſervat & peccata vitat; & hoc præſtando in fine vitæ dicitur perſeverare finaliter: ergo eo modo, quo poteſt obſervare mandata, poteſt perſeverare, & per conſequens omnibus juſtis proviſa ſunt, &c.

Dices: hinc ſequeretur omnes juſtos habere donum, ſeu munus perſeverantiæ; quod tamen eſt falſum, cum donũ, ſeu munus perſeverantiæ ſit proprium electorum, ut colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *c.* 13. *& can.* 16. item ex Auguſtino *lib. de bono perſeverantiæ.* Sed contrà: Donũ, ſeu munus perſeverantiæ ſumitur pro infallibilitate moriẽdi in gratia, quidquid ſit deinde utrùm in toto vitæ decurſu juſtus in gratia perſeveraverit, nec ne; & hoc eſt proprium electorũ, non verò præcisè potentia ad perſeverandum in fine vitæ, imò in toto vitæ decurſu: Vnde reſpectu ju- 60.
ſti poſſunt hic obiter tria diſtingui, adjutorium perſeverantiæ, donum perſeverantiæ, confirmatio in gratia: Primum commune eſt omnibus juſtis, & importat auxilium ſufficiens ad perſeverandũ toto tempore vitæ: Secundum eſt proprium electorũ, & importat auxilium efficax ad perſeverandum in fine vitæ: Tertium conceſſum duntaxat fuit quibuſdam electis inſignioribus, & quid importet diverſum à perſeverantiæ dono tradetur *lib. ſeq. c.* 5. §. 4.

Perſeverantiæ adjutorium, perſeverantiæ donum, & Confirmatio in gratia, quid?

§. IX.

An & quomodò proviſa ſint omnibus peccatoribus auxilia ſufficientia ad obſervantiam mandatorum, & ad pœnitentiam?

Assert. 1. Ad obſervantiam mandatorum occurrentiũ proviſa ſunt omnibus peccatoribus, excæcatis etiam & obduratis, auxilia ſufficiẽtia, licèt ſæpè minùs abundantia & minùs proxima, quàm juſtis. Ità Theologi cõmuniter & fortè Ariminenſis, Abulenſis, Roffenſis, qui à nonnullis in contrariũ afferũtur, excludunt à peccatoribus obduratis auxilia ſufficientia ad ſalutem ſimpliciter & converſionẽ, non verò etiam requiſita ad obſervantiam mandatorũ independentium à converſione, quæ duo valde diverſa ſunt, ut notant Bellarminus *controv.* 3. *de grat. & lib. arb. lib.* 2. *c.* 7. & Ioannes à S. Thoma 1. *part. tom.* 2. *diſput.* 10. *art.* 3. *num.* 19. 61.

Gratia ſufficiẽs quomodò omnibus peccatoribus proviſa ad nova peccata vitanda?

Probatur primò auctoritatibus ſuprà memoratis *num.* 53. quæ, cum univerſalibus 62.

terminis conſtent, mebùs intelliguntur de omnibus viatoribus etiam quâcumque ſcelerum aut multitudine aut magnitudiue gravatis, quàm de ſolis juſtis.

Dices ex Auguſtino Pharao obdurato corde obtéperare non poterat, habet enim Auguſtinus in lib. expoſitionis quarumdam propoſitionum Epiſt. ad Rom. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperarit, quando quidem obdurato corde obtemperare non poterat: ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priore infidelitate:* Rurſus ex eodem Auguſtino *lib. 1. retractat. cap. 15.* aliquando nequit homo non facere contrà præcepta, ait enim *Qui cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideò facit contra præcepta iuſtitiæ, iam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati;* ergo ex Auguſtino Pharao & aliqui alij peccatores habent impotentiam, adeoque ſufficientis auxilij carentiam, ad præcepta obſervanda; & per conſequens in inſignioribus peccatoribus limitandæ ſunt auctoritates univerſales, de quibus ſuprà.

63. Occurritur auctoritatibus Auguſtini.

Sed contrà: Quod Auguſtinus ait circà Pharaonem vel cum Herinex *diſp. 3. num. 22.* explicetur de imputatione ſpeciali, & de potentia proxima, adeò ut ſenſus ſit: Non ergo hoc illi imputatur ſpecialiter ut primum peccatum, & ut cauſa obdurationis, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat potentia proxima, vel dicatur eſſe modicæ auctoritatis, quia librum illum expoſitionis in ſuæ fidei initio & non admodum accuratè Auguſtinus conſcripſit, quemadmodum ipſemet profitetur *lib. 1. retractat. cap. 23.* Ad aliam auctoritatem in oppoſitum dico nomine cupiditatis intelligi ſurreptionem partis inferioris, & ſenſum eſſe, quod quando ex tali ſurreptione & per motus indeliberatos fit materialiter contra præcepta, committatur peccatum impropriè tale, quod ſit pœna peccati, ſicuti eſt pœna peccati rebellio partis inferioris ſurripientis ſuperiorem; ſumitur igitur hic peccatum eo modo, quo ab Apoſtolo *Rom. 7.* dicente *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum,* Item *video aliam legem, &c. captivantem me in lege peccati.* Vtramque relatam ex Auguſtino auctoritatem, aliaſque nonnullas luculentiùs expendit Valentia *hic diſp. 8. q. 3. punct. 4. §. de gratia ſufficiente.*

64. Probatur ſecundò ratione: Peccatores excæcati etiam & obdurati committunt novũ peccatum formaliter & propriè tale, quoties cum advertentia & plena deliberatione non obſervant aliquod mandatum occurrẽs; ergo proviſa ſunt ipſis auxilia ad talem obſervantiam ſufficientia; antecedens videtur eſſe ſecundum communem omnium Catholicorum ſenſum, & probatur ex eo quod ſecùs excæcatio & obduratio peccatoribus prodeſſet, ipſiſque afferret impeccabilitatem, facultatemque violandi impunè & abſque novo demerito divina præcepta; conſequentia etiam probatur, quia peccatum formaliter ac propriè tale requirit potentiam ipſum vitandi, non datur autem potentia vitandi non obſervantiam ſine auxiliis ſufficientibus ad obſervantiam: ergo.

Dices peccatum formaliter ac propriè tale requirere potentiam ipſum vitandi, vel præſentem, vel præteritam voluntariè ac culpabiliter amiſſam; ſic potentia vitandi homicidium amiſſa per voluntariam & culpabilem ebrietatem, ſufficit ut homicidium in ebrietate commiſſum ſit peccatum, potentia recitandi officium amiſſa per voluntariam & culpabilem carentiam breviarij ſufficit ut committatur peccatum in non recitatione; ad hoc igitur ut peccatores excæcati & obdurati novum peccatum committant in non obſervantia mandatorum ſufficit, quòd potentia obſervandi ſeu vitandi non obſervantiam ſit præterita & per voluntariam excæcationem ac obdurationem amiſſa.

65. Quomodo potentia non peccandi etiam voluntariè amiſſa non ſufficiat ad novum peccatum.

Sed contrà: nego abſolutè ad peccatum formaliter, ac propriè tale, ſufficere potentiam ipſum vitandi præteritam voluntariè ac culpabiliter amiſſam; ad exempla dico homicidium in ebrietate commiſſum non habere malitiã diverſam à malitia actus, quo quis voluit ebrietatem prævidendo ſecuturum homicidium; omiſſionem item recitationis officij, ſi neceſſariò ſequatur ad amiſſionem breviarij, non habere malitiam diverſam ab actu, quo quia voluit amiſſionem breviarij prævidendo ſecuturam non recitationem officij; ſicque homicidium & omiſſionem officij in caſibus inſtantiæ non eſſe peccata formaliter ac propriè in ſe ipſis, ſed ſolum in cauſa. Valet hoc à fortiori in tranſgreſſionibus præceptorum conſequentibus ad excæcationem & obdurationem in peccato, cum peccator non prævideat ſecuturas tranſgreſſiones neceſſariò ex obduratione, & poſſit probabiliùs exiſtimare ſe non amiſſurum potentiam eas vitandi, imò etiam neſciat quænam ſit illa peccatorum aut magnitudo aut multitudo, per quam contrahatur obduratio, & excæcatio: Huic doctrinæ favent, & conſonant ſupradicta *num. 57.*

66. Gratia ſufficiẽs quomodo omnibus peccatoribus proviſa ad pœnitendum.

Aſſert. 2. Ad pœnitentiam proviſa ſunt omnibus peccatoribus, excæcatis etiam & obduratis, auxilia ſaltem mediatè ac remotè ſufficientia pro quolibet opportuno tempore, præſertim pro eo omni, pro quo regulariter peccatorem quemcumque etiam non excæcatum obligat pœnitentiæ præceptum. Ità quicumque abſolutè docent proviſa eſſe omnibus auxilia ad ſalutem ſufficientia contra Abulenſem *in cap. 4. Exodi quæſt. 12.* Roffenſem *in refutatione artic. 36. Lutheri.* Armacanum *lib. 9. de quæſt. Armen. cap. 27.* Michaelem Medinam *lib. 3. de recta in Deum fide cap. 1.* Catharinum *diſcept. 5.* alioſque nonnullos Antiquiores, quibus favent Bellarminus *controv. 3. lib. 2. de gra. & lib. arb. cap. 6.* Gonetus *1. p. tract. 5. diſput. 5. art. 5. §. 6.*

Dixi *pro quolibet opportuno tempore*; certum eſt enim peccatores, dum dormiunt aut negotio aliquo vehementiùs occupantur, nõ habere auxilia ſufficientia ad pœnitentiam, ut ſuprà etiam dicebamus de juſtis in ordine ad obſervantiam mandatorum: Hinc in noſtrâ

ſtrâ ſententiâ cum reſtrictione aliqua, ac modificatione, intelligendum eſt Concilium Senonenſe *decreto fidei 15.* ubi agens de neceſſitate gratiæ ita habet *Neque tamen tantu gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cum illa ſemper ſit in promptu, & ne momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium & pulſet*; debet ſcilicet ly *ſemper* & ly *ne momentum quidem*, reſtringi ad ſemper ſuppoſita opportunitate, & ad, ne momentum quidem opportunum; adhuc tamen pro ea auctoritate, quam tale Concilium habere poteſt, nobis favent ipſius verba, quia nos minus ea reſtringimus, quàm Adverſarij.

67. Dixi *præſertim pro eo omni, pro quo, &c.* Eſt autem hujuſmodi tempus, ut ſuppono *ex tract. de pœnit.* tum determinatè articulus mortis, tum indeterminatè aliàs aliquando in vita, ſi hæc ſit poſt peccatum longæva, ſicque aſtruo proviſa eſſe cuilibet peccatori diutiùs ſuperſtiti ſufficientia auxilia, præſertim pro mortis articulo, & pro illo indeterminato tempore, pro quo urget ſub mortali obligatio virtutis pœnitentiæ; præſertim, inquam, quia non excludo talia auxilia pro quolibet alio tempore, & quoad hoc veriſimile eſt ea dari minùs frequenter peccatoribus magis obduratis.

Probatur aſſertum primò auctoritatibus Scripturæ, quæ ſæpiùs univerſaliter peccatores omnes invitat ad pœnitentiam ſeu cõverſionem; invitaret autem fruſtrà & illuſoriè, quoties non eſſent omnibus ad id proviſa ſufficientia auxilia; ſic habetur Ezech. 33. *Convertimini à viis veſtris peſſimis: Nolo mortem impij, ſed ut convertatur* Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis* 2. Pet. 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*: de obduratis in particulari habetur Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: ſecundum autem duritiam tuam & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die iræ.* Quibus & aliis ſimilibus Scripturæ textibus conſonant ſententiæ Sanctorum Patrum, quarum nonnullas refert Herinex *hic diſp. 3. q. 4.*

68. Dices clariores eſſe & frequentiores, tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum auctoritates faventes Adverſariis. Primò enim aliquando Deus dicitur peccatores omninò deſerere ut Pſal. 80. *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.* Ierem. 7. *Proijciam vos à facie mea, ſicut projeci omnes fratres veſtros univerſum ſemen Ephraim.* Secundò aliqui peccatores dicuntur non poſſe corrigi, non poſſe miſericordiam conſequi, ut Eccl. 7. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit* 2. Machab. 9. *Orabat hic ſceleſtus* (ſermo eſt de Antiocho) *Dominum à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Heb. 12. *Non invenit pœnitentiæ locum* (ſermo eſt de Eſau) *quamvis cum lachrymis inquiſiviſſet eam.* Tertiò aliqua peccata dicuntur irremiſſibilia, ut Matth. 12. *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro* 1. Io. 5. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Ex Sanctis Patribus Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 15. *Nonnulli ita deſpiciuntur à Deo, ut deplorare mala ſua non poſſint, etiamſi velint.* Gregor. 11. moral. cap. 15. *Hinc eſt enim, quòd Cain & divina voce admoneri potuit & mutari non potuit, quia exigente culpæ malitia iam intùs Deus cor reliquerat, cui foris ad teſtimonium verba faciebat.* Auguſtinus ſerm. de verbis Domini *Cum vult non poteſt* (ſermo eſt de peccatore obdurato) *quia quando potuit non voluit, ideò per malum velle perdidit bonum poſſe.* Tandem Petrus Cluniacenſis *lib. 1. miraculorum cap. 25.* refert ſceleratum quemdam Sacerdotem morti proximum clamaſſe ſe jam eſſe æternæ pœnæ addictum, nec ſibi ampliùs preces prodeſſe; ergo huic Sacerdoti in ipſo mortis articulo defuerunt ad pœnitendum auxilia etiam remota, quæ maximè conſiſtunt in precum ſubſidio. Sed contrà: ut ab hoc poſtremo incipiam, veriſimile eſt hunc Sacerdotem fuiſſe ita locutum ex ſuggeſtione & deceptione dæmonum ipſum tali mendacio inducentium ad deſperandam ſalutem, & negligendas preces. Reliquis auctoritatibus ferè omnibus ſingillatim occurrit Valentia *præcit. §. De Gratia ſufficiente*, in univerſum dico Deum peccatores deſerere negando illis auxilia efficacia, aut ſufficientia uberiora; at non ſufficientia quæcumque, præſertim pro tẽmpore opportuno: Dico inſuper dari aliquos Peccatores incorrigibiles & aliqua peccata irremiſſibilia; eo quòd aliqui Peccatores difficillimè corrigãtur, & aliqua peccata difficillimè remittantur, vel eo quòd ad illorum correctionem & iſtorum remiſſionem detur ſolùm potentia remota per collationem auxiliorum mediatè dumtaxat & remotè ſufficientium: Aliqui etiam dicuntur non conſequi miſericordiam ad pœnitendum, non quia nequeant præſertim in fine vitæ pœnitere, ſed quia non obtinent vitam longiorem, quam poſtulant & habere vellent ad differendam pœnitentiam; & aliud eſt non concedi ad pœnitendum auxilia, aliud eſt non prorogari ad pœnitendum vitam. Huic fortè Antiochus, de quo ſuprà, & eſt interpretatio non aliena à Scripturæ contextu, petebat miſericordiam ad obtinendum cum vitæ prorogatione majus ſpatium pœnitentiæ potiùs quàm ad pœnitendum tunc. Hinc fortè etiam Auguſtinus dicit de peccatore obdurato, *cum vult non poteſt*, quatenùs non poteſt obtinere illud longius vitæ ſpatium, pro quo vellet pœnitere, & *per malum velle perdidit bonum poſſe*, quatenùs per peccatum finale amittit tandem potentiam benè operandi; facit hic ad rem quod habet idem Auguſtinus *tr. 33. in Ioannem* dicens peccatori *in quo Propheta tibi legis, quia promiſit tibi Deus longam vitam*; multoque magis quod habet Gregorius *homil. 12.* dicens *qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit*; eodem enim modo dici poteſt, qui peccatori auxilia ad pœnitendum ſpopondit,

69. Occurritur auctoritatibus.

70. Aliud eſt non habere auxilia, aliud non habere diuturnius ſpatium pœnitendi.

eidem diem craſtinum pro pœnitentiæ ſpatio non promiſit, undè ipſe D. Gregorius *ead. homil & lib. 4. dialog. cap.* 18. refert inſigne exemplum cujuſdam Chryſaorij, qui in extremis conſtitutus inducias pœnitendi obtinere non potuit.

71. Probatur ſecundò ex abſurdis, quæ ſequerentur ex carentia auxiliorum ſufficientium ad pœnitendum pro tempore opportuno: Sequeretur enim primò peccatorem obduratum extrahi à ſtatu viæ, quia non poſſet tendere in terminum: Sequeretur ſecundò tali peccatori non poſſe ad culpam imputari finalem impœnitentiam, ipſumque nullis pœnitentiæ legibus obligari; cum autem ex ſupradictis *num.* 55. aliis præceptis obligetur, malè abſolvitur ab obligatione pœnitentiæ: Sequeretur tertiò fruſtra fundi preces pro talium peccatorum converſione, & tamen frequentes illæ ſunt & valdè commendatæ in Eccleſia.

Dices: Peccator meretur carentiam auxiliorum ſufficientium, ergo ea Deus de facto negat ſaltem peccatori obdurato. Sed

72. Quomodo peccator mereatur carentiam auxiliorum ſufficientium?

contrà: tranſeat antecedens, nego conſequentiam, non enim Deus infligit omnem pœnam quam peccatum meretur, præſertim ſi ſit pœna oppoſita, aut ſaltem malè congrua ſtatui viatoris, uti eſt carentia, &c. unde clariùs procedendo poſſet diſtingui antecedens, Peccator meretur carentiam auxiliorum ſufficientium infligendam poſt cōpletum ſtatum viæ, concedo; infligendam in ipſo ſtatu viæ, nego.

Urgebis: Non eſt contrà ſtatum viæ, quòd aliqui ità confirmentur in gratia, ut non poſſint eam amittere, ergo neque quod aliqui ità obdurentur in peccato, ut non poſſint ab eo reſurgere; ergo non eſt contrà ſtatum viæ carentia ſufficientium auxiliorum talem impotentiam inferens: Si autem non eſt contrà ſtatum viæ, nulla eſt ratio eam negandi alicui enormiter peccanti, cum aliquando Deus graviorem etiam pœnam infligat ut cum aliquem in ipſo actu peccati ſubita morte corripit & detrudit in gehennam. Sed contrà: confirmatio in gratia non

73. Cur ſit cōtrà ſtatum viæ confirmatio in peccato, non ſic cōfirmatio in gratia?

tollit tendentiam ad terminum gloriæ, in qua ſtatus viæ conſiſtit imò illam perficit; obduratio afferens impotentiam & carentiam auxiliorum ſufficientium ad reſurgendum à peccato, tendentiam illam tollit; ideò conceſſo antecedente neganda eſt conſequentia; ex quo patet etiam cur enormiter peccāti poſſit faciliùs Deus ſubitam, imò & præmaturam mortem inferre, quàm eidem in vitâ relicto ſufficientia ad pœnitendum auxilia denegare; mors enim tollit potentiam pœnitendi extrahendo à viâ, non relinquendo in viâ, ſicuti relinqueret negatio auxiliorum.

---

§. X.

An & quomodo proviſa ſint omnibus Infidelibus auxilia ſufficientia ad comparandam fidem?

ASSERT. Omnibus infidelibus adultis proviſa ſunt pro aliquo tempore opportuno auxilia ſaltem remotè ſufficientiā ad comparandam fidem. Ità Amicus *hic diſp.* 28. *ſect.* 5. *num.* 115. Herinex *diſp.* 3. *quæſt.* 5. Madernus *quæſt.* 4. *art.* 3. *num.* 15. Valentia *diſp.* 8. *quæſt.* 3. *punct.* 4 *§. de gratia ſufficiente in reſp. ad* 6. Dequiros 1 *p. tract.* 6. *diſp.* 19. *num.* 29. Arriaga 1. *p. tom.* 1. *diſp.* 39. *n.* 48: & in univerſum quicumque abſolotè docent proviſa eſſe omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, contrà Auctores ſuprà relatos *n.* 66. quibus addo Ioannem à S. Thoma 1. *p. q.* 23. *diſp.* 10. *art.* 3. *n.* 35. & 43. concedentem in omnibus auxilia ſufficientia pro implendis præceptis occurrentibus & obligantibus; at non pro comparandis mediis & remediis, quibus etiam inculpabiliter deficientibus ſalus non obtinetur, cujuſmodi eſt fides reſpectu adultorum, & baptiſmus reſpectu parvulorum. 74.

Quomodo proviſa infidelibus gratia ſufficiens ad comparandam fidem.

Probatur aſſertum primò ex Scriptura: Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* additis verbis Auguſtini *l.* 1. *de Gen. contrà Manich cap.* 3. dicentis *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium ſe ad eius præcepta ſervanda convertunt, quod omnes homines poſſunt ſi velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Item Pſal. 18. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius* additis pariter verbis Auguſtini *in eumdem pſalmum* ſic ſcribentis *Non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis; & ipſam enim penetravit verbi calor.* Confirmatur: Proviſa aliquo modo ſunt omnibus prorsùs hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem; ergo à fortiori proviſa ſunt omnibus adultis auxilia ſufficientia ad fidem; quæ reſpectu adultorum omnium eſt primum ſalutis initium; probatur antecedens ex eo, quod Scriptura omnes homines ſæpè ad gloriam & ſalutem invitat; Deus vult omnes homines ſalvos fieri; Chriſtus pro omnium hominum ſalvatione & redemptione mortem ſubiit, ut ambigere fas non eſt præſertim poſtquam Innocentius X. damnavit quintam propoſitionem Ianſenianam, quâ dicebatur *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*; atqui ſi aliquibus hominibus nullatenùs proviſa eſſent auxilia ad ſalutem ſufficientia, in ordine ad ipſos illuſoria forent Scripturæ invitamenta, Dei voluntas omni careret effectu, Chriſti mors nihil prodeſſet: ergo. 75.

Oſtenditur proviſa eſſe omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem.

Dices ex Ioan. à S. Thoma *præcit. art.* 3. *num.* 30. Goneto 1. *p. tract.* 5. *diſp.* 5. *n.* 158. &

Evaſio Adverſariorũ & duplex modus quo explicant proviſa eſſe ſufficientia auxilia.

& pluribus aliis Thomiſtis apud ipſos: Dupliciter intelligi poteſt proviſa eſſe omnibus ſufficientia auxilia, vel prout ly *proviſa* ſe tenet præcisè ex parte principij, refertur ſolùm ad dare, ſignificat auxilia à Deo oblata; vel prout ly *proviſa* etiam ſe tenet ex parte ſubjecti, etiam refertur ad recipere & ſignificat auxilia homini applicata ſaltem remotè & mediatè: Primo, non ſecundo modo, proviſa ſunt omnibus prorsùs hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, nec quidquam ampliùs requiritur aut ut ſalvetur facta à Chriſto omniũ hominum redemptio & volita à Deo voluntate antecedente omnium hominum ſalus; aut ut illuſoriæ non ſint generales illæ invitationes & vocationes *Omnes ſitientes venite ad aquas. Quoſcumque inveneritis vocate ad nuptias, &c.* aut ut ſubſiſtat univerſalitas divinæ illuminationis, quamvis quoad hanc in particulari poſſint Adverſarij aliis etiam modis occurrere, ut videre eſt apud Gonetum *pracit. diſputat. 5. num.* 204. Porrò neceſſitatem concedendi omnibus in primo dumtaxat ſenſu proviſa auxilia ſufficientia fulciũnt prædicti Thomiſtæ variis auctoritatibus, nam D. Auguſtinus *epiſt. 107. ad Vitalem* ait *Scimus gratiam Dei non omnibus dari*: Item *ſerm. 11. de verbis Apoſtoli cap. 4.* ait *Communis eſt omnibus natura, non gratia.* D. Thomas *de verit. q. 24. art. 15. in c.* ait *In nullo inveniuntur omnes homines convenire, niſi in aliquo naturali.* D. Fulgentius *lib. 1. de verit. prædeſtin. & gratia cap 15.* docet *gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari, gratuitum quippè donum Dei eſt.* Quæ omnia cogunt admittendu aliquod gratiæ ſufficientis auxilium omnibus proviſum in ſecundo ſenſu, conceſſum ſcilicet ex parte ſubjecti & in homine receptum; ſubſiſtunt autem, ſi admittatur tale auxilium dumtaxat in primo ſenſu, ut præparatum ſcilicet ex parte Dei & oblatum; pro quo addi poſſunt verba D. Thomæ 3. contrà Gent. cap. 159. *Deus enim, quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.* Item in cap. 12. epiſt. ad Heb. lect. 3. *Gratia nulli deeſt, ſed omnibus quantum in ſe eſt communicatur.* In quibus utriſque verbis ly *quantum in ſe eſt* ad primum ſenſum limitat gratiam omnibus communem. Sed contrà: pro hujus ſubſtantiæ ſolutione duo præſtanda ſunt: Primum eſt impugnare Adverſariorum doctrinam: Secundum explicare auctoritates, quibus doctrinam ſuam fulciunt.

77. Impugnatur auxiliũ ſufficiens oblatum dumtaxat & præparatum ex parte Dei.

Impugno doctrinam quia auxilium ſufficiens oblatum dumtaxat, & præparatum ex parte Dei; quodque, ut loquitur Ioannes à S. Thoma *pracit. art. 3. num. 31.* ſit quaſi remedium in univerſali quadam apotheca pro omnibus locis & hominibus à Deo poſitum, quamvis deindè aliqui omninò careant potentia accedendi ad talem apothecam pro ſumendo remedio; hujuſmodi, inquam, auxilium non ſalvat omnes homines poſſe ſalvari; ergo non ſalvat Dei voluntatem de omnium hominum ſalute; nec univerſalem Chriſti redemptionem, &c. probatur antecedens, poſſe ſalvari eſt effectus formalis auxilij ad ſalutem ſufficientis; at nullus effectus formalis habetur à forma oblata dumtaxat & præparata ex parte efficientis, ſed ab ipſa ut in actu ſecundo communicata ſubjecto & recepta; ergo poſſe ſalvari non habetur ab auxilio ſufficienti oblato dumtaxat & præparato ex parte Dei, & per conſequens hujuſmodi auxilium non ſalvat omnes homines poſſe ſalvari. Reſpondebis, hominem poſſe ſalvari ſtat dupliciter, vel per potentiam ſibi intrinſecam vel per potentiam ſibi extrinſecam; primo modo poſſe ſalvari eſt effectus formalis ſufficientis auxilij, nec habetur niſi per auxilium in homine receptum; ſecùs ſecundo modo; ad hoc autem ut ſubſiſtat tùm Dei voluntas de omnium hominum ſalute, tùm univerſalis Chriſti redemptio, ſufficit omnes homines poſſe ſalvari ſecundo modo. Sed impugnabitur primò, quia poſſe per potentiam extrinſecam, quam recipere in noſtrâ poteſtate non ſit, eſt titulus ſine re, nec eſt re vera poſſe, alioqui quælibet cauſa partialis diceretur per ſeipſam poſſe producere effectum, quia id poteſt per potentiam extrinſecam exiſtentem in alia concauſa; imò quælibet creatura diceretur ſimpliciter poſſe illud omne, ad quod eſt elevabilis, quia illud omne poteſt per potentiam extrinſecam Dei elevantis: Secundò quia ſi potentia extrinſeca, quâ Deus habet quantùm eſt de ſe remedium & auxilium aptum ſalvare, homines diceretur eſſe in ſtatu ſalutis & habere proviſum auxilium ad ſalutem ſufficiens, etiam dæmones hominesvè damnati eſſent in ſtatu ſalutis & cum auxilio ad ſalutem ſufficiente; cum etiam in ordine ad dæmones hominesvè dãnatos habeat Deus, quantùm eſt de ſe, remedium & auxilium aptum ſalvare. Neque dicas tale auxilium non eſſe oblatum dæmonibus cæteriſvè dãnatis ſicuti eſt oblatum omnibus hominibus in viâ: Contrà enim auxilium oblatum præcisè, quoties per talem oblationem non ponitur in poteſtate ejus cui offertur, non magis huic prodeſt nec majorem ei virtutem tribuit, quam auxilium offeribile; & infirmus v. g. per remedium ſibi oblatum, & in apotheca præparatum, cujus tamen utendi poteſtatem non habeat, non magis poteſt conſequi ſanitatem, quàm per remedium offeribile.

78. Poſſe per potentiam extrinſecã non eſt verè poſſe.

79. Occurritur auctoritatibus.

Explico jam auctoritates, quibus Adverſarij doctrinam non impugnatam fulciebant, & ad duas priores dico Auguſtinum in utroque illo textu ſumere gratiam pro fide & charitate, ut & aliàs quandoque ab eodem Doctore ſumi notat Bellarminus *controv. 3. lib. 2. de Grat. & lib. arb. cap. 8.* Ad tertiam patet ex contextu D. Thomam ibi loqui de aliquo, in quo habitualiter ac permanenter omnes homines conveniant; & jure, quia quæ naturalia & ab intrinſeco ſunt, ſunt permanentia; gratia autem ſufficiens, quæ à nobis aſſeritur omnibus hominibus communis, actualis eſt & tranſiens, imò juxtà

diverſam

dlverſam hominum cõditionem diverſa. Ad quartã dieo Fulgentium loqui vel de gratia gratia data vel de gratia efficaei; huic enim utrique ſpecialiter convenit ratio doni gratuiti, eum è contrà gratia ſufficiens neceſſaria ad ſalutem ſit quidẽ gratuita antecedenter, & in radiee, propter gratuitam elevationem ad finem ſupernaturalem; at conſequenter, & ſuppoſita hac elevatione, eſt debita: Ad duas auctoritatea poſtremo loco additas ex D. Thom. dico Adverſarios arbitrarie & perperàm ſibi blandiri de ly *quantùm in ſe eſt*, quòd meliùs intelligitur limitare nomen genericum gratiæ ad gratiã ſufficientem, quàm hanc ad auxilium oblatum ſolùm, non collatum: Alia inſuper priorum auctoritatum explieatio tradetur infrà *num.* 91.

80. Probatur aſſertum ſecundò: Si alicui Infideli proviſum non eſt auxilium ſufficiens ad fidem comparandam, maximè ei, ad quem nulla prorsùs fidei notitia, nulla Evangelij prædicatio pervenit; & qui infidelis eſt infidelitate purè negativâ; quam infidelitatem in aliquibus dari ſuppono *ex tract. ſeq.* atqui negativè infideli proviſom eſt pro tempore opportuno auxilium ſufficiens ad fidem comparandam; ergo omnibus infidelibus adultis proviſa ſunt, &c. Minor probatur; Adultus negativè infidelis vel ſequitur in omnibus ductum rationis naturalis, vel non ſequitur: Si ſequitur; certiſſimè tenendum eſt cum D. Thoma *de verit. quæſt.* 14. *artic.* 11. *ad* 1. quòd ei Deus vel per internam inſpirationem, vel dirigendo ad ipſum aliquem fidei prædicatorẽ proponet, quæ ſunt ſaltem neceſſitate medij neceſſaria ad credendum, adeóque habebit auxilium ſufficiẽs ad comparandam fidem, quantùm neceſſe eſt ad ſalutem. Si non ſequitur in omnibus ductum rationis, peccat & per conſequens habuit auxilia gratiæ, quibus potuit talem ductum ſequi & non peccare, auxilia, inquam, gratiæ ſupernaturalia, quia ſecundùm præſentem providentiam etiam ad obſervãda præcepta naturalia datur gratia ſupernaturalis ex dicendis *lib. ſeq. cap.* 2. *num.* 47. Porrò hujuſmodi auxilia ſupernaturalia erãt remotè ſufficientia ad comparandam fidem, quatenùs utendo talibus auxiliis obtinuiſſet opportuno tempore, ſcilicet ſaltem in fine vitæ, auxilia ulteriora, & proximè ſufficientia ad credendum.

Quomodò negativè infideles habeant auxilium ſufficiẽs ad credendum?

Dices: Habens auxilium remotè ſufficiens ad credendum poteſt credere, ergo non credendo circà initium uſus rationis peccat cõtrà fidem & poſitivè infidelis evadit; ergo ut aliquis ſit negativè infidelis, debet carere

81. auxilio etiam remotè ſufficiẽte ad credendũ. Sed contrà: ut quis peccet contrà fidem debet non credere, quando obligat præceptum credendi, hoc autem incipit obligare quando fides eſt ſufficienter propoſita, non verò pro initio uſus rationis, aut pro aliquo alio tempore determinato; ideò tranſeat antecedens diſtinguo conſequens, ergo non credendo circa initium uſus rationis, ſi præceptum credendi pro tunc obliget, & fides ſit ſufficiẽter propoſita, peccat contrà fidem, concedo; ſi præceptum credendi pro tunc non obliget, nego conſequentiam. Neque urgeas vel talis infidelis habet in ſuâ poteſtate ſufficientem fidei propoſitionem, vel non: Si ſecundum, ergo verè non habet auxilium remotè ſufficiens; Si primum ergo culpabiliter caret ſufficienti propoſitione fidei, & peccat contrà fidem. Contrà enim habet talem propoſitionem in ſua poteſtate neſcienter, neſcit ſcilicet quòd illam propoſitionem obtineret ſequendo ex auxiliis gratiæ ſibi collatis rationis ductum; quia igitur propoſitionem fidei verè habet mediatè in ſua poteſtate, verè habet auxilium remotè ſufficiens ad credendum; quia deindè id neſcit caret ea inculpabiliter, nec peccat contrà fidem non utendo illis auxiliis, quibus fidei propoſitionem obtineret.

Ex his habetur de gratia proximè ſufficiente ad fidem & ſalutem intelligendũ eſſe, quod ex epiſt. Synodali Epiſcoporum Affricanorum in Sardinia exulum affert Gonetus *pracit. diſp.* 3. *num.* 177. his verbis: *De gratiâ non dignè ſentit quiſquis eã putat omnibus hominibus dari; cum non ſolùm non omnium ſit fides, ſed adhùc gentes nonnulla reperiantur, ad quas fides prædicatio non pervenit, beatus autem Apoſtolus dicit, quomodò invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei quem non audierunt? quomodò autem audient ſine prædicante? Non itáque gratia omnibus datur, quandoquidem ipſius gratia participes eſſe non poſſunt, qui fideles non ſunt, nec poſſunt credere, ad quos invenitur ipſe fides auditus minimè perveniſſe.* 82.

§. XI.

An & quomodò proviſa ſint omnibus Parvulis auxilia ſufficientia ad ſuſcipiendum baptiſmum?

ASSERT. Ad ſuſcipiendum baptiſmum proviſa ſunt omnibus Parvulis auxilia ſaltem remotè ſufficientia dependenter à voluntate & ope aliena. Ità Auctores ſimpliciter & abſolutè docentes proviſa eſſe omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, præſertim verò Herincx *hic diſput.* 3. *quæſt.* 6. & Madernus *quæſt.* 4. *artic.* 4. contrà Auctores adverſantes aſſerto præcedenti, quibus addo Vazquium 1. *part. quæſt.* 96. *cap.* 2. & Sylvium *q.* 111. *art.* 3. *quæſ.* 5. 83.

Quomodò proviſa parvulis gratia ſufficiẽs ad ſuſcipiẽdũ baptiſmum.

Dixi *dependenter à voluntate & ope alienâ*, Parentum ſcilicet eorúmve, ſub quorum cura ſunt antè uſum rationis; ex quo patet auxilia remotè ac mediatè ſufficientia diverſa eſſe in adultis & parvulis, & in utriſque diverſo ipſorum ſtatui proportionata: quatenùs qui propriæ voluntatis uſu pollent habent in poteſtate propriæ voluntatis auxilia; qui illo carent, ſuſcipiunt dependenter ab aliena voluntate remedia.

Probatur aſſertum primò ex eo, quia ad omnes parvulos extenditur univerſalis in

Deo

voluntas humanæ ſalutis, & univerſalis per Chriſtũ redemptio humani generis; nec poteſt hujuſmodi aut voluntas aut redemptio ſubſiſtere per hoc, quod baptiſmi Sacramentum ſit pro omnibus parvulis per Chriſti merita inſtitutum & ex parte Dei præparatũ ac oblatum, quamvis deindè non ab omnibus ſuſceptibile, nec omnibus applicabile: Contrà hoc enim recurrunt ſupradicta *num.* 77. item ſuprà aſſerta *num.* 66. de proviſo ad ſalutem auxilio pervicaciſſimis etiam peccatoribus, quo admiſſo, ſi neges applicabile eſſe humanâ poteſtate baptiſmi remedium parvulis, *benevolentiorem*, ut diſcurrit Auguſt. lib. 4. contrà Iulian. c. 8. *facis Deum hominibus impiiſſimis & ſceleratiſſimis; quàm innocentiſſimis & puriſſimis ab omni labe peccati*, ſubintellige, propria voluntate commiſſi.

Dices: per baptiſmum ut ſuſcipiendum dependenter à voluntate & ope aliena Parvuli non poſſunt ſalvari, niſi per potentiam extrinſecam, atqui *ex præced. num.* 78. poſſe ſalvari per potentiam extrinſecam non ſufficit ad terminãdam univerſalem voluntatem humanæ ſalutis, univerſalémque redemptionem; ergo ex vi baptiſmi ſuſcipiendi aut ſuſceptibilis dependenter ab aliena voluntate ad parvulos non extenditur univerſalis in Deo voluntas, &c. & per conſequens ratio à nobis aſſumpta nimis probat & non concludit intentum.

85. Parvuli ſalvantur per potentiam moraliter intrinſecã.

Sed contra: poſſe ſalvari per potentiam extrinſecam non ſufficit, &c. quando ſubjectum eſt capax potentiæ intrinſecæ & pollet uſu propriæ libertatis, quod adultis convenit, non parvulis; ideò, &c. Deindè potentia applicandi baptiſmum exiſtens in iis, ad quos pertinet, dici poteſt parvulis baptizandis intrinſeca moraliter, quia in ordine ad baptiſmum ſuſcipiendum voluntas parvulorum eſt quodammodò tranſlata in voluntatem illorum, ad quos pertinet eis procurare & miniſtrare baptiſmum.

Probatur ſecundò: Omnibus parvulis eſt applicabilis diligentia & poteſtate humana baptiſmus; ergo ad ſuſcipiendum baptiſmum proviſa ſunt, &c. antecedens probatur; ſi aliqui parvuli ſunt excipiendi maximè vel exiſtentes ſub curâ Infidelium, vel morientes in maternis uteris; atqui his eſt applicabilis diligentia & poteſtate humanâ quamvis valdè remotâ baptiſmus: Exiſtentibus quidem ſub cura Infidelium, quia Parẽtes ipſi infideles, ſicuti ex ſupradictis habuerũt auxilia ſaltem remotè ſufficientia ad comparandam ſibi fidem, ità & ad applicandum ſuis parvulis baptiſmum:

86. Quomodò proviſum remedium parvulis in utero morientibus.

Morientibus verò in utero materno quia parvulos ſic mori contingit ut plurimùm ex aliqua intemperantia Parentum immediatorum vel mediatorum, qui ſicuti habuerunt ſufficientia auxilia ad vitandam talem intemperantiam, ità & ad impediendam mortem parvuli in utero; quòd ſi hæc mors cauſetur ab extrinſeco ex aliquo fortuito & violanto eventu, adhuc potuit vitari, quia Parentes potuerunt ſe non cõſtituere in circumſtantiis illius eventus, & in illo cauſarum occurſu: Adde quòd precibus aliiſque bonis operibus, quæ potuiſſent adhiberi & omiſſa ſunt, eſto ſine formali culpâ, erat impetrabile contrà parvuli mortem, ſivè ab intrinſeco, ſivè ab extrinſeco provenientem remedium. Dici inſuper poteſt remedium eſſe ſufficienter proviſum, quoties eſt per ſe à cauſis ſecundis applicabile, quamvis per accidens contingat applicari non poſſe ratione alicujus obſtaculi, quod Deus non intendit primariò ad impediendam applicationem remedij, permittit tamẽ ut ſinat cauſas ſecundas peragere motus ſuos; providentia enim particularis, quâ Deus in humanâ poteſtate poſuit applicationem baptiſmi pro omnibus parvulis, non immutat providentiam univerſalem; quæ diſpoſuit ordinem cauſarum naturalium; nec ut dicatur ſufficienter proviſum baptiſmi remedium, neceſſe eſt miraculum fieri, quoties ſine miraculo nequit infans baptizari.

Quod dictum eſt de infantulis, in utero materno morientibus, procedit à fortiori de erumpentibus quidem ex utero, ſed in circumſtantiis, in quibus citò decedunt; nec interim præſto eſt aut aqua elementaris pro materiâ, aut perſona callens formam baptiſmi. 87. Herincx *præcit. quæſt.* 6. *num* 42. extendit id proportionaliter etiam ad adultos mortaliter peccantes eo tempore, quo ſecundùm cauſarum naturaliũ curſum ſtatim in phreneſi vel ebrietate moriuntur. Hi tamen ſunt adhùc melioris conditionis, quia antecedenter habuerunt auxilium ſufficiens ad vitandum mortale, non ſic parvuli ad non incurrendum originale.

Contrà baptiſmum omnibus parvulis non ſolùm ex divina inſtitutione oblatum, verùm etiam ex humanâ operatione applicabilem afferri ſolent verba Auguſt. li. de nat. & grat. cap. 8. *Ego autem dico parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Chriſti baptiſmum ſubveniri, morte præventum idcircò talẽ fuiſſe, id eſt ſine lavacro regenerationis exiſſe, quia aliud eſſe non potuit* (& nonnullis interpoſitis ſubdit de eodẽ parvulo) *quamvis Chriſtianus non ſolum non fuerit, ſed nec eſſe potuerit.* Item li. de bono perſev. c. 12. *Plerumq; feſtinãtibus parentibus & paratis miniſtris, ut baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur.* Eadem ferè repetit Auguſtinus pluribus aliis in locis; undè tam frequens, & clarus loquendi modus, vix admittit interpretationem, & multi etiam ex Auctoribus noſtræ ſententiæ fatentur Auguſt. ſtare pro oppoſitâ, & contenti ſunt eius auctoritatẽ compenſare auctoritate D. Proſper. *lib. 2. de vocat. Gent. c.* 23. dicentis, *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus; quæ utique ſi benè eorum uterentur parentes etiam ipſi per eoſdem juvarentur.* Si quis tamen malit Auguſt. explicare ly *aliud eſſe non potuit*, & ly *nec eſſe potuerit Chriſtianus* in prioribus verbis, intelligendum erit de potentiâ proxima, non de remotâ; ly *Deo nolente*, in verbis po-

88. Quid de mente Auguſtini circa baptiſmũ parvulis proviſum?

ſterioribus,de nolitione excludente voluntatẽ conſequentẽ, non voluntatẽ antecedentẽ.

§. XII.

An & quomodo tandem proviſa ſint omnibus viatoribus auxilia ſufficientia ad ſalutem? Vbi etiam, quid de potentia abſoluta.

89. ASSERT. I. Simpliciter & abſolutè proviſa ſunt omnibus viatoribus auxilia ſufficientia ad ſalutem; diverſa tamen & inæqualia juxtà diverſos viatorum ſtatus. Hoc aſſertum quoad adultos eſſe ubique in Chriſtianis Academiis adeò receptum, ut oppoſitum ſine errore affirmari non valeat, refert ex Maldero Antonius Richardus *in diſputat. de libero arbitrio lib.* 1. *ſect.* 4.§.1. Cenſuram hanc ad adultos fideles, aut ſaltem ad quos fidei notitia pervenit, limitant Amicus *diſputat.* 28. *ſect.*4: *num.*92. Smiſing. *tract.* 3. *diſput.* 6. *num.* 135. & 163. aliique nonnulli exiſtimantes eſſe erroneam, aut errori proximam; ſententiam docentem deeſſe aliquibus peccatoribus obduratis omne auxilium ſufficiens ad pœnitendum, & afferunt pro hac cenſura D. Thomam 3.*p. quæſt.* 86. *art.* 1. *in c.* ubi ſic habet *Dicere quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt.* Nihilominus, ſi prædicta ſententia intelligatur eo modo, quo juxtà doctrinam indicatam *præced. num.*76. & 77. traditur à pluribus magnæ notæ Theologis negantibus ad pœnitendum auxilia collata ſolùm, non oblata; & potentiam intrinſecam ſolùm, non extrinſecam; facilè explicantur verba D. Thomæ dicendo cum Goneto *precit. diſp.*5. *num.*226. per ly *non poſſit* S. Doctorem excludere potentiam etiam extrinſecam, & removetur omnis ſuſpicio cenſuræ, quæ directè vexat eos ſolùm, qui negare audent ſufficientia ſalutis auxilia & remedia etiam oblata à Deo & præparata; ut præſtant maximè Calvinus aliique Sectarij nullam prorsùs agnoſcentes gratiam ſufficientem in homine lapſo, nec admittentes aut Deum velle voluntate antecedente reproborum ſalutem, aut Chriſtum eſſe mortuum pro aliis, quàm pro electis.

Cenſura opinionis non admittentis in omni viatore adulto auxilium ſufficiens ad ſalutem.

90. Probatur aſſertum diſcurrendo per præcipuos ſtatus hominum viatorum: Parvuli conſtituuntur in ſtatu, vel potiùs in viâ ſalutis, per baptiſmum; adulti infideles per fidem; adulti fideles ſi ſint in peccato per pœnitentiam, ſi ſint in gratiâ per perſeverantiam, atqui ex ſuperioribus aſſertis ſimpliciter & abſolutè proviſa ſunt ſufficientia auxilia omnibus parvulis ad ſuſcipiendum baptiſmum; omnibus adultis infidelibus ad comparandam fidem: omnibus adultis fidelibus, ſi ſint in peccato, ad agendam pœnitentiam, ſi ſint in gratia ad habendam perſeverantiam, ergo. Sunt porrò talia auxilia pro diverſis hiſce hominum ſtatibus diverſa & inæqualia, quia quoad parvulos dependent à voluntate aliena, & quoad aliquos ſunt in proxima & immediata, quoad aliquos in remota & mediata aliorum potentia, adeò ut etiam hæc potentia mediata & remota ſit magis vel minùs talis & diverſa cõparativè ad diverſos: Quoad adultos dependent ab uſu proprij arbitrij, & præter quod dantur ex diverſis motivis, nimirum infidelibus ut poſſint credere, fidelibus exiſtentibus in peccato ut poſſint reſipiſcere, fidelibus conſtitutis in gratia ut poſſint perſeverare; præter hoc, inquam, aliqua ſunt mediata, aliqua immediata; aliqua remiſſiora, aliqua intenſiora; aliqua rariora, frequentia alia, ut ſatis ſuperque conſtat *ex præcedentibus* §.§.

Gratia ſufficiens ad ſalutem omnibus prorsùs proviſa, ſed diverſimodè.

Hinc patet gratiam ſufficientem eſſe omnibus viatoribus communem, at non pro omni, ſed pro opportuno tempore; & pro eo ſpecialiter, pro quo ſi deeſſet, ſimpliciter falſum foret hominem poſſe conſequi ſalutem, poſſe implere præceptum obligans, poſſe reſurgere à peccato commiſſo: eſſe item in omnibus æqualem, at non arithmetica ſed geometrica æqualitate, & cum proportione aliqua ad diverſos hominum ſtatus; de hac geometrica æqualitate intelligendus eſt D. Cyprianus *lib.* 3. *epiſt* 8. dicens *Deus ſe omnibus ad cœleſtis gratiæ conſecutionem æqualitate librata præbet parem*, gratiam verò pro opportuno, non pro omni prorsùs tempore communem confirmant verba Gregorij XI. qui damnans propoſitionem, in quâ Lullus dicebat nullum eſſe tam vilem peccatorem, qui qualibet hora velit non poſſit eſſe amicus Dei & familiaris, addit *gratia Dei lædi dignitatem, ſi dicatur ipſam ſemper cordi pulſare*: & fortè hoc etiam nec quidquam ampliùs inſinuant auctoritates Sanctorum Auguſtini, Thomæ & Fulgentij ſuprà relatæ *num.*76. adeò ut ſenſus illarum ſit *Communis eſt omnibus* pro quolibet prorsùs tempore *natura, non gratia*: *In nullo inveniuntur omnes homines* pro quolibet prorsùs tempore *convenire, niſi in aliquo naturali*: *Gratia Dei non omnibus hominibus* pro quolibet prorsùs tempore *generaliter datur.* 91.

Aſſert. 2. Simpliciter & abſolutè potuiſſet Deus nulla providere homini lapſo auxilia ſufficientia ad ſalutem, ſuppoſito tamen quod præviſo lapſu adhuc voluerit omnes homines ſalvos fieri, omniumque per Chriſtum redemptionem decreverit, neque de potentia abſoluta potuit talia auxilia non providere. 92.

Probatur & explicatur prima pars: Simpliciter & abſolutè potuiſſet Deus habere voluntatem ſalvandi omnes homines ex ſuppoſitione, quòd Adam non peccaſſet, & antè præviſum Adæ peccatum; hoc deindè præviſo potuiſſet nec decernere divinæ Perſonæ incarnationem in remedium, nec acceptare ſatisfactionem aliquam imperfectam & non condignam, quam potuiſſet pura creatura exhibere, nec benignè omninò & liberaliter ex ſe culpam condonare; ſicque relinquere hominem lapſum impotentem ad obtinendam remiſſionem originalis, quod foret ipſum

Quomodo abſolutè negabilia ſint auxilia ſufficientia ad ſalutem.

ſuum eſſe ſine ſufficienti auxilio ad ſalutem; in hoc ſtatu omnes Adæ Poſteri in pœnam originalis caruiſſent æterna beatitudine, & adulti inſuper fuiſſent puniendi pœna ſenſus, quoties incidiſſent voluntate propriâ in aliquod peccatum contrà legem naturalem ad quam obſervandam habuiſſent ſufficientes vires & eaſdem, quas in natura pura *ex cap. præced* §. 4. Quod ſi aliquis adultus totam legem naturalem obſervaſſet, non propterea haberet majorem innocentiam, quàm parvuli decedentes antè uſum rationis, proptereà eamdem cum ipſis ſortem ſubiret & ratione originalis nō remiſſi incurreret æternam pœnam damni: Dixi *contrà legem naturalem*, quia homini lapſo, cui negarentur omnia auxilia ſufficientia ad ſalutem, negari etiam facilè poſſent auxilia ſufficientia ad obſervantiam præceptorum ſupernaturalium, quâ ratione contra præcepta ſupernaturalia formaliter peccare non poſſet. Porrò doctrina hæc militat vel de omnibus, vel de aliquibus hominibus, ſimpliciter enim & abſolutè liberum fuit Deo vel omnes, vel aliquos tantùm homines lapſos relinquere ſine remedio, ordinando v.g. Chriſti incarnationem ad aliquos tantùm redimendos; quod non erat impoſſibile, quamvis errent Sectarij dicendo id eſſe de facto.

93. Quomodo ſecundum præſentem providentiam ſint omnimodè innegabilia?

Probatur & explicatur ſecunda pars: Neque de potentia abſoluta poteſt Deus velle finem & nolle media ad ipſum neceſſaria, & ſine quibus finis redditur impoſſibilis; alioqui poſſet Deus impoſſibilia velle; ſed auxilium ſufficiens eſt medium neceſſarium ad ſalutem, & ſine quo ſalus redditur impoſſibilis; ergo neque de potentia abſoluta poteſt Deus velle ſalutem, & nolle auxilium ſufficiens ad ipſam; atqui Deus præviſo lapſu adhuc vult omnium hominum ſalutem, quoties lapſu præviſo adhuc vult omnes homines ſalvari, eoſque in ordine ad ſalutem per Chriſtum redimi; ergo ſuppoſito, quod præviſo lapſu adhuc voluerit, &c. neque de potentia abſoluta potuit, &c.

Dices primò: Voluntas antecedens, quâ Deus vult omnium hominum ſalutem eſt inefficax & per modum ſimplicis complacentiæ; ſimplex autem complacentia finis optimè eſſe poteſt ſine voluntate mediorum cōducentium ad talem finem, ut patet in eo, qui imminente naufragio habet ſimplicem affectum ſervandi merces, & tamen ad id nullum medium eligit, aut applicat; imò potiùs totus eſt in mercibus projiciendis. Deindè voluntas inefficax unius poteſt eſſe cùm nolitione efficaci ejuſdem ſeu volitione efficaci oppoſiti; ſic reſpectu reproborum datur in Deo voluntas inefficax & nolitio efficax ſalutis, ſeu voluntas inefficax ſalutis cum efficaci volitione damnationis; ergo à fortiori dari poteſt in Deo voluntas inefficax finis

94. cum nolitione efficaci mediorum. Sed contrà: ſimplex complacentia haberi poteſt dupliciter, vel de bonitate objecti præcisè, vel de bonitate ejuſdem ut finis ſeu ut finalizātis; primo modo verum eſt ſimplicem complacentiam poſſe eſſe ſine voluntate mediorum, ſecùs autem ſecundo modo, quo tamen ſecundo modo Deus habet ſimplicem complacentiam de omnium hominum ſalute, alioqui non diceretur ſecundum ſe talem ſalutē velle, ſicuti non dicitur velle glorificationem omnium Angelorum, unionem hypoſtaticam cum omnibus naturis creatis; aliaque hujuſmodi poſſibilia, in quorum bonitate & pulchritudine ſibi complacet: Exemplum mercium nobis favet nā qui imminente naufragio intendit ſervare merces, id ad ſummum intendit ſub conditione, quod poſſit vitare naufragium ſervando merces, & ſub hâc conditione applicat media ad ſervandas merces, quia dum merces projicit ſimul etiam omnibus aliis modis ſtudet vitare naufragium, cujus periculo ceſſante ſtatim deſiſteret à projectione mercium. Ad illud, quod additur, tranſeat antecedens, diſtinguo conſequens, cum nolitione efficaci mediorum efficacium concedo, ſufficientium nego; ratio eſt quia nolitio efficax mediorum efficacium ſufficit ad efficacem nolitionem finis, nolitio verò efficax mediorum ſufficientium repugnat cum voluntate efficaci eorumdem, & tamen hæc in Deo neceſſariò conſequitur ad quamcumque voluntatem finis etiam non efficacem.

Dices ſecundò: De facto homini ad ſalutem volito, & in ordine ad ſalutem redempto, auxilium ſufficiens ad ſalutem negatur pro aliquo tempore; ergo eidem de potentia abſoluta negari poteſt tale auxilium pro quocumque tempore majore & pro ſemper. Sed contrà: concedo antecedens, nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia cum auxilio negato pro aliquo tēpore remanet poſſibilitas conſequendi ſalutem, non ſic cum auxilio negato pro ſemper. Eadem ratione in ordine ad obſervantiam præceptorum poſſunt negari ea auxilia ſufficientia, ſine quibus ſubſiſtit poſſibilitas obſervantiæ; at non ea, ſine quibus talis poſſibilitas non ſubſiſtit; ſic negari poſſunt auxilia pro eo omni tempore, pro quo præcepta, aut non occurrunt, aut non obligant; at non pro eo, pro quo obligant; neque enim minùs repugnat Deum velle obligare hominem ad obſervantiam ſibi impoſſibilis præcepti, quàm velle eumdem tendere ad conſecutionem ſibi impoſſibilis ſalutis. 95. Cur negabilia pro aliquo, non pro omni tempore.

Ex dictis habetur in præſenti ſtatu naturæ lapſæ eſſe per quamcumque potentiam innegabilia non ſolùm toti humano generi, ſed etiam cuilibet individuo, omnia auxilia ſufficientia ad ſalutem, ratio eſt quia in præſenti ſtatu eſſe ad ſalutem à Deo volitum, & ad eamdem à Chriſto redemptum, convenit non ſolùm toti humano generi, ſed etiam cuilibet individuo; & ex alia parte ſimpliciter repugnat non ſolùm toti humano generi, ſed etiam cuilibet individuo eſſe à Deo volitum & à Chriſto redemptum ad ſalutem impoſſibilem; ſicuti eſſet impoſſibilis ſalus illi, cui deeſſent auxilia omnia ad eamdem ſufficientia.

LIBER SECUNDUS.

DE GRATIA ACTVALI.

HOMO ſuâ in origine rectus & vegetus, jam verò curvus ex culpâ & infirmus, propriâ curvitate ruit in præceps, propriâque infirmitate urgetur in mortem; ad vitam ex ſe nequit beatam aſſurgere, cum nec eam ſibi valeat impertiri longævam; & ſuis viribus neſciens diù conſiſtere, fruſtrà iiſdem nititur amplum ſtadium inoffenſo celerique pede percurrere, & ad bravium gloriæ feliciter pervenire: Quis expectet in morbo id, cui ſanitas nô ſuffeciſſet? Quis tanquam robuſtam jactet, naturam lapſam, proſtratam, fractam, ſemimortuam? Quis niſi aut ſui ipſius inimicus, aut ſuæ conditionis ignarus gratuita illa dona deſpiciat? quibus ſolis poteſt ſua detrimenta inſtaurare, & ſua curare vulnera ex multiformi gratiâ multiformia auxilia comparando, quæ concupiſcentiam rationi concilient, rationem Deo ſubjiciant, voluntati afferant robur, intellectui præferant facem, & ſæpè remiſſioribus etiam illuſtrationibus ad empyreum iter indigitent, non ſecùs ac ſtellis minoribus lactea in Cœlo via componitur. Quis igitur non libenter excipiat ſub hujuſce libri titulo gratiæ ſubſidia & remedia, quibus ad validè recteque operandum invalida & obliqua natura ſuprà ſe ipſam evecta perficitur, ut mox per varias ipſius operationes diſcurrendo, & à facilioribus ad difficiliores procedendo innoteſcet, & ſimul ex profeſſò probabitur gratiam actualem eſſe homini lapſo maximè neceſſariam, adeoque eam dari de facto & exiſtere; cum certum ſit Deum non ſolùm ut auctorem naturæ, ſed etiam ut auctorem gratiæ in neceſſariis non deeſſe.

CAPUT I.

De neceſſitate gratiæ actualis ad cognoſcendum verum naturale.

1. TUM gratia actualis, tùm verum naturale, hic ſumitur in valdè amplâ ſignificatione; gratia ſcilicet actualis non præcisè ſecundùm quod eſt membrum gratiæ ſalvantis, ut explicabatur *lib. præced. cap. 3. num.* 17. ſed ſecundùm quòd complectitur omne donum tranſiens, non debitum naturæ, nec conſequens ad donum creationis; quidquid ſit deindè, utrùm ſalutem reſpiciat nec ne? Verum naturale non præcisè ſecundùm quod ſpectat ad Philoſophiam naturalem, ſed ſecundùm quod ſe extendit ad omnes veritates cognoſcibiles abſque ſpeciali Dei revelatione, quæ quidem veritates aliæ ſunt ſpeculativæ ad nullum opus conducentes; aliæ practicæ ad opus aliquod moventes vel dirigentes; item aliæ ſunt merè naturales & abſtrahunt à morali bonitate vel malitia, aliæ ſunt morales & reſpiciunt bonos mores rationemque rectè vivendi. Rursùs veritates tùm ſpeculativæ tum practicæ, tum merè naturales tum morales, ſumi poſſunt vel collectivè & ſimul, vel diſtributivè & diviſim. Circà harum omnium veritatum cognitionem ſtatuendû eſt, quomodo homo in ſtatu naturæ lapſæ indigeat actuali gratia, nec ne? in ſtatu, inquam, naturæ lapſæ, quia in hoc ſolo de facto omnes homines reperiuntur; ex ſupradictis tamen de aliorum ſtatuum conditione, præſertim de æqualitate vitium naturæ puræ cum lapſa, facilè deduci poterit, quid in ordine ad cognoſcendas veritates naturales ſentiendum eſſet de homine, qui exiſteret in aliquo alio ſtatu, præſertim in natura pura.

---

§. I.

Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad cognoſcendas ſeorſim veritates purè naturales?

ASSERT. 1. Homini lapſo non eſt neceſſaria actualis gratia ad cognoſcendas ſeorſim aliquas veritates purè naturales, ſivè ſpeculativas, ſivè practicas; & harum nomine 2. Homo lapſus poteſt abſque gratiâ cognoſ-

ſcere aliquas veritates purè naturales.

mine veniunt veritates artificiales conducentes ad opera artis. Ità Theologi communiter contrà nonnullos antiquos, quorum ſuppreſſo nomine meminit S. Thomas *in 2. diſt 28. q. 1. art. 5. in c.* volentes, quod ſicuti ab oculo nequit videri aliquod viſibile ſine diſtincto lumine corporeo, ità ab intellectu nequeat cognoſci aliquod intelligibile ſine ſuperaddito lumine ſpirituali, quod ſit ſpecialis gratia. Item contrà aliquos hæreticos noſtri temporis volentes omnem ſcientiam in homine lapſo eſſe errorem, quia procedit de corde malo, ità de Luthero refert Caſtro verbo *ſcientia.* Tandem contrà Vaſquium *hic diſp. 188. c. 2.* & Meratium *diſp. 1. ſect. 2.* requirentes pro cujuſlibet veritatis naturalis cognitione ſpecialem gratiam, non ex defectu virium in intellectu, ſed ex indifferentia ipſius ut moveatur & excitetur ad hoc potiùs, quàm ad illud objectum; hanc ſpecialem gratiam in ordine ad veritates purè naturales, de quibus in præſenti, Vaſquez addit eſſe gratiam Dei, non Chriſti; & nomine gratiæ Dei monet Oviedus *hic contrev. 2. punct. 1. num 7.* Vaſquium nihil aliud intellexiſſe, quàm concurſum à Deo ut Auctore naturæ liberè præſtitum, adeoque ipſum ab aliis Theologis diſſentire non in re ipſa, ſed in modo loquendi, quatenùs appellat nomine gratiæ concurſum ab aliis admiſſum, at non appellatum gratiam. Verùm, quidquid ſit de Vaſquij mente

Probatur: Neque ex inſufficientia virium, neque ex indifferentia intellectus ad quodlibet particulare verum; neque ex ullo alio capite eſt homini lapſo neceſſaria actualis gratia ad cognoſcendas ſeorſim, &c. ergo homini lapſo non eſt neceſſaria, &c.

3. Nec tali cognitioni obſtat inſufficientia virium.

Probatur antecedens quoad primam partem: Talis inſufficientia in homine lapſo neque proveniret ex conditione propriæ naturæ ſecundùm ſe, neque ex vulnere ignorantiæ conſequente lapſum: Non ex conditione propriæ naturæ; quia ſecùs natura humana eſſet ſecundùm ſe imperfectior, & minùs ſibi ſufficiens, quàm quælibet alia in ſuis naturalibus operationibus: non ex vulnere ignorantiæ quia *ex lib. præced. cap. 2. num. 34. & 46.* tale vulnus dicitur de homine comparativè ad ſtatum originalis juſtitiæ, non comparativè ad naturam humanam conſideratam ſecundùm ſe & in ſua puritate, haberetque homo purus eandem ignorantiam quam lapſus, quamvis in illo ignorantia non denominaretur vulnus defectu connotati. Deinde vulnus hoc debilitat ad ſummum, at non extinguit lumen naturale intellectus: ergo relinquit vires ſufficientes ad aliquas ſaltem faciliores ac notiores veritates. Neque obſtat quod à ſanctis Patribus, ſingillatim à D. Gregorio *homil. 11.* genus humanum dicatur cæcum remanſiſſe; tale enim dicitur ex eo quòd amiſerit lumen fidei, & ſcientiæ infuſæ; non ex eo, quòd amiſerit lumen naturæ.

4. Nec indifferentia intellectus.

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem: Indifferentia, quam habet intellectus ad quodlibet particulare verum, non tollit quin ſit ei debitus Dei concurſus ad cognoſcendum aliquod verum; atqui hoc ipſo poteſt intellectus aliquod verum cognoſcere abſque ſpeciali gratia, alioqui requireretur ſpecialis gratia ad omnem prorsùs cujuſcumque cauſæ ſecundæ operationem: ergo ex indifferentia intellectus ad quodlibet particulare verum non eſt homini lapſo neceſſaria actualis gratia, &c. Major probatur: talis indifferentia eſt ad verum in individuo, non ad verum in ſpecie, & intellectus eſt ex ſe determinatus ad tendendum in verum, quamvis non in hoc potiùs quàm in illud: Sicuti oculus eſt ex ſe determinatus ad videndum coloratum, quamvis non hoc potiùs, quàm illud: ergo indifferentia, quam habet intellectus ad quodlibet particulare verum non tollit, &c. alioqui idem dicendum eſt de oculo in ordine ad coloratum

Dices: Intellectus poteſt tendere in falſum: ergo non eſt determinatus ad verum in ſpecie, neque eſt eadem ratio de intellectu in ordine ad verum quæ de oculo in ordine ad coloratum. Sed contrà: Intellectus poteſt tendere in falſum per accidens & ex imperfectione; non per ſe & ex inclinatione; neque hinc ſequitur quod non ſit determinatus ad verum, ſed ſolùm quod non ſit determinatus ad ipſum neceſſariò & infallibiliter; unde etiam diverſitas oculi neceſſariò & infallibiliter determinati ad coloratum conſiſtit in eo, quod oculo ut videat ſit ſemper debitus concurſus in ordine ad coloratum; intellectui ut cognoſcat ſit debitus concurſus in ordine ad verum aliquando, vel etiam ut plurimùm, at non ſemper; ſicuti enim quod evenit contingenter, aliquando, non ſemper evenit; ità quod debetur contingenter, aliquando, non ſemper debetur, vel debetur aliquibus, non omnibus individuis: Exemplum ſit in bona indole, quæ connaturalis eſt naturæ humanæ, at non neceſſariò, ut calor igni; ſed contingenter & fallibiliter; ideò non in omnibus individuis repetitur, nec ſemper; quando tamen in aliquibus reperitur, non eſt gratia, ad quam requiritur quòd nullo modo ſit debita neque neceſſariò, neque contingenter; neque determinatè, neque indeterminatè 5.

Dices inſuper: poſſet aliquis homo ſalvâ generali providentiâ Dei carere pro ſemper quacumque cognitione veritatis; ergo concurſus Dei ad cognitionem alicujus veritatis neque etiam indeterminatè & aliquando eſt homini debita, & per conſequens ſpectat ad providentiam ſpecialem & gratioſam, non ad providentiam generalem: antecedens probatur, poſſet Deus ità diſponere cauſas ſecundas, ut ex earum curſu & ordine naturali homo ſemper induceretur ad cognitiones falſas: ergo. Sed contrà: poſſet id ad ſummum evenire in alia providentia, in quâ 6.
homines conderentur cum potentiis intellectiva & ſenſitivis valdè deterioribus; at in præſenti, in quâ ut ſuppono hujuſmodi potentiæ aliæque vires ſunt æquè perfectæ, ac eſſent

eſſent in natura pura, nequit id evenire, niſi in amentibus aut fortè breviſſimam vitam ducentibus, quod nobis non officit, dummodò plerique regulariter poſſint cum concurſu ſibi generaliter debito veritatem aliquam cognoſcere; quis autem ſui compos cum tali concurſu non cognoſcat ſe exiſtere? quis non aſſurgat in confuſam aliquam notitiam exiſtentiæ Dei? quis explicatis terminis non aſſentiatur affirmanti omne totum eſſe majus ſua parte?

7. *Nec quidquà aliud.* Probatur idem primum antecedens quoad tertiam partem: Alia capita, ex quibus probari poteſt neceſſitas gratiæ in homine lapſo ad cognoſcendam aliquam veritatem naturalem, duo potiſſimùm ſunt, nimirum auctoritates, quibus ſuadetur quamlibet cogitationem, quamlibet veritatis cognitionem, eſſe à Deo, non ex nobis; & orationes vel gratiarum actiones, quas poſſumus Deo offerre pro cognitione alicujus naturalis veritatis obtinenda, vel obtenta, atqui neutrum ex his capitibus probat gratiæ neceſſitatem: Non primum, quia auctoritates, vel procedunt de qualibet cogitatione, non quomodocumque, ſed ſancta & ſalutari, vel loquendo de cogitatione & cognitione purè naturali, ſolùm indicant eſſe à Deo ut Auctore naturæ & præſtante generalem concurſum, & non eſſe ea nobis ſine tali concurſu: Non ſecūdum quia orationes & gratiarum actiones fundi etiam ſolent pro donis ſpectantibus ad providentiam generalem, præſertim contingenter & fallibiliter evenientibus, ut cum oramus, vel gratias agimus, pro ſerenitate, pluvia, terræ frugibus, &c. Deinde non ſolemus orare pro obtinenda quomodocumque cognitione veritatum naturalium, ſed pro ea obtinenda aut faciliùs, aut in ordine ad Dei gloriam & proprium meritum

8. *Poteſt pariter ſine gratia cognoſcere ſeorſim omnes hujuſmodi veritates.* Aſſert. 2. Loquendo de veritatibus, in quarum notitiam poteſt ex ſenſibilibus deveniri, nō eſt neceſſaria homini lapſo actualis gratia ad cognoſcendas ſeorſim omnes veritates purè naturales ſive ſpeculativas ſive practicas; nec ulla eſt veritas adeò difficilis, quam homo rectè diſpoſitus nequeat cum ſolo naturali lumine & generali concurſu Dei cognoſcere. Ità D. Thomas *hic q.109.art.1.* & *in 2. diſt.28. q.1.art.5.* Durandus *eadem quaeſt.* Ioannes à S. Thoma *diſp.19. art.2. num.9.* Gonetus *diſp.1. art.1. §.4* Valentia *diſput.8.q.1. punct.2.* Oviedus *controv.2. punct.1.num.8.* aliique magis communiter contrà Arriagam *diſput.37. ſect.4. num.17.* Maderuum *q.2. art.1.n.13.* Monteſinum & quoſdam alios requirentes gratiam ad cognoſcendas etiam ſeorſim veritates purè naturales difficiliores, quarum nomine ſi veniant ſolæ veritates à ſenſibus remotæ, hi Auctores in modo loquendi, non in re nobis adverſantur: Certè nobiſcum iſti conveniunt in admittēdo poſſe ſine gratia comparati plures veritates de Deo, puta cognoſci poſſe veri Dei exiſtentiam, unitatem, &c. contrà Calvinum *lib 1. inſtitut. cap.2.* Heshuſium *lib. de erroribus Pontificiorum tit. de libero arbitrio, num. 51.* & ex Catholicis Alliacenſem *in 1. quaeſtione 3.*

9. *Dummodò ſint cognoſcibiles dependenter à ſenſibus.* Dixi *loquendo de veritatibus, in quarum notitiam poteſt ex ſenſibilibus deveniri* quatenùs vel in ſe ſenſibiles ſunt, & poſſunt ſenſuum experientiâ cognoſci; vel cum ſenſibilibus neceſſariò connectuntur, & poſſunt ex medio ſenſuum experientiâ ſubminiſtrato per diſcurſum inferri: extrà harum veritatum cathalogum ſunt multa objecta, quæ à Thomiſtis vocantur naturalia ex parte rei, non ex parte medij, ut cordiū ſecreta, futura contingentia, præterita quæ nullum ſui veſtigium reliquerunt, hæc enim nec ſenſibilia ſunt in ſe, nec cum ſenſibilibus de facto exiſtentibus neceſſariò connexa; item quæ vel intrà orbes cœleſtes, vel in maris profundo, vel in terræ viſceribus, vel aliter ità exiſtunt ut nequeant ſecundùm communem providentiam ſenſibus objici, quamvis ſint in ſe verè ſenſibilia remotè & ex parte rei.

10. *Et ſermo ſit de homine rectè diſpoſito.* Dixi inſuper *homo rectè diſpoſitus*, qui ſcilicet ingenio polleat felici & ad ſcientias idoneo, quales eſſe plures in toto humano genere non eſt quid gratioſum, ſed debitum quamvis indeterminatè & vagè juxtà doctrinam ſuprà poſitam *ſub num. 5.* Cæterùm non negamus dari homines aliquos naturaliter ad ſciendum indiſpoſitos, ut loquitur D. Thomas 1. *contrà Gentes, c.* 4. adeò ſcilicet infelicis minervæ & hebetis ingenij, ut ſine ſpeciali gratia nequeant veritates ordinis naturalis minùs faciles percipere. Aſſertum ſic explicatum

Probatur à priori: Dabilis eſt aliquis intellectus, qui poſſit ſine gratia cognoſcere dependenter à ſenſibus eas veritates, quæ poſſunt ex ſenſibilibus innoteſcere; alioqui daretur aliqua cognoſcibilitas ſimpliciter naturalis, talis ſcilicet tùm ex parte rei, tùm ex parte medij, cui non correſponderet proportionata cognoſcitivitas; atqui talis intellectus non poteſt eſſe alius, quàm intellectus hominis lapſi, nam intellectus ſeparatus non cognoſcit depēdenter à ſenſibus, intellectus hominis integri aut originaliter innocentis non eſt ſine gratia, intellectus hominis puri eſt idem prorsùs cum intellectu hominis lapſi propter ſuprà aſſertas pares utrinſque vires; ergo. 11.
Confirmatur ſpecialiter in ordine ad veritates practicas, quia in ordine ad iſtas, eo ipſo, quòd ſunt purè naturales, non habet intellectus hominis lapſi majus obſtaculum, quàm in ordine ad ſpeculativas; rebellio enim partis inferioris ſuperiori obſiſtit ſolùm in ordine ad praxim bonorum morum, non in ordine ad praxim artium ſive mechanicarum, ſive liberalium; quarum opera optimè poſſunt eſſe conformia regulis propriæ artis, & ſimul eſſe difformia regulis morum, adeoque magis juxtà inclinationem partis inferioris, quàm ſuperioris.

Dices: dantur aliquæ veritates purè naturales, tùm ſpeculativæ, tùm practicæ, ad quas feliciora hominum ingenia adhuc non pervenerunt, hujuſmodi eſt inter ſpeculativas compoſitio continui, inter practicas quadratura circuli: ergo quia nullus homo poteſt

ad tales veritates pervenire ſine ſpeciali gratia, & ex naturali perfectione intellectus; alioqui natura humana nondum habuiſſet in aliquo individuo omnem perfectionem ſibi debitam, & dabilis eſſet homo cui connaturalis ſit intellectus quocumque alio hucuſque dato perfectior, & valens percipere veritates, quas nullus adhuc intellectus percepit.

12\. Cõpoſitio continui & quadratura circuli cur naturaliter non cognoſcantur.

Sed contrà: dico veritates naturales à nullo hucuſque homine aut propria induſtria aut aliena diſciplina perceptas eſſe ex illis, ad quarum notitiam nequit ex ſenſibilibus perveniri: talis eſt compoſitio continui, cujus ultima componentia ſub ſenſum non cadunt, & experimur quidẽ continuum poſſe reſolvi in componentia adeò exigua, ut ſenſum ſubterfugiant; at ex hoc non poſſumus de talibus componentibus ſtatuere, utrùm indiviſibilia ſint, an diviſibilia in infinitum? Quoad quadraturã circuli ſeu quadratum æquale circulo, eſt veritas quæ conſtare poſſet ipſa ſenſuum experientia, ſi ſermo eſſet de quadratura phyſica; at quia ſermo eſt de quadratura mathematica, & veritas ignorata eſt demonſtratio quâ evidenter conſtet dato circulo fieri poſſe quadratum ei, mathematicè æquale, certè hujuſmodi veritas non cadit ſub ſenſum, cum mathematica abſtrahat à materia ſenſibili; & cum eadem veritas hucuſque inventa non fuerit, ſignum eſt eam non poſſe ex ſenſibilibus erui.

13\. De Deo poſſunt multæ veritates naturaliter ſciri.

Probari hic poſſet ſpecialiter contrà Calvinum, Heshuſium, & Alliacenſem, cognoſci poſſe ſine gratia veritates aliquas de Deo: At ſufficit recolere quæ dicebamus *tract. 1. lib. 1.* dum oſtenderemus exiſtentiam Dei vix poſſe naturaliter ignorari, & tùm eandem exiſtentiam, tùm alias plures Dei perfectiones poſſe naturali lumine demonſtrari; pro quo etiam plures & egregias ſanctorum Patrum auctoritates videre eſt apud Bellarminum *contro. 3. lib. 4. de gratia & libero arbitrio, c. 2.* Interim libenter adverto ex veritatibus, quas abſque ſpeciali gratia comparamus de Deo propter connexionem, quam habet cum ſenſibilibus, licèt ſit in ſe objectum maximè remotum à ſenſibus & maximè excedens noſtri intellectus perfectionem, desumi validum argumentum ad confirmandam naturalem cognoſcibilitatem alterius cujuſcumque veritatis, quæ ſit determinate ac infallibiliter cum ſenſibilibus connexa, & poſſit ex ſenſibilibus erui.

---

§. II.

Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad cognoſcendas ſimul omnes veritates purè naturales?

14\. Homo lapſus nequit ſine gratia cognoſcere omnium veritatum purè naturalium collectionem.

ASSERT. Homini lapſo eſt neceſſaria actualis gratia ad cognoſcendas ſimul omnes veritates purè naturales, & ut clariùs loquar, nullus homo lapſus poteſt cum ſolo generali Dei concurſu cognoſcere ſine errore totam collectionem veritatũ aut ſpeculativarum aut practicarum purè naturalium. Eſt aſſertum communiſſimum, quamvis quoad veritates ſpeculativas videatur oppoſitum ſenſiſſe Cajetanus *hic q. 109. art. 1.* Cum Cajetano referunt nonnulli Durandum & Medinam; ſed hi, cum nihil de collectione loquãtur & ſolùm abſolutè doceant poſſe ſine gratia cognoſci omne verum purè naturale, rationabiliùs præſumuntur locuti de omni vero diviſivè & ſeorſim. Porrò ſumimus in præſenti collectionem, ut conſurgentem ex illis veritatibus, quæ ſingulæ poſſunt ſeorſim cognoſci ſine gratia; nam aſſertum eſſet nimis evidens, ſi talis collectio ſumeretur latiùs & ut complectens illas etiam veritates purè naturales, ad quas ſeorſim cognoſcendas neceſſaria eſt gratia.

Idque oſtẽditur experientiâ.

Probatur primò à poſteriori & experientiâ, quâ conſtat nullum prorsùs hominum ſine ſpeciali infuſione, & gratia, unquam habuiſſe omnium ſcientiarum aut omnium artium peritiam; imò Philoſophi ingenioſiores & ſtudioſiores, & tùm propria inventione tùm aliena inſtructione utentes, dum ſolis naturæ viribus fidebant, ne unam quidem integram ſcientiam ab omni errore & falſitate immunem compararunt; cum igitur in hoc ſtatu merito cenſeatur non poſſe ab homine ſecundùm naturam fieri, quod hactenùs factum non eſt, præteritorum experientiâ docemur non ſolùm omnium, ſed nec multarum veritatum purè naturalium collectionem poſſe ſine gratia ab homine lapſo cognoſci.

15\. Et oritur ex impedimẽtis extrinſecis.

Probatur ſecundò à priori. Homo lapſus non habet potentiam expeditam, ſeu ab impedimentis liberam in ordine ad totam collectionem veritatum, &c. ergo non poteſt cum ſolo generali concurſu Dei cognoſcere totam collectionem, &c. conſequentia patet, quia generalis Dei concurſus non debetur, niſi cauſæ habenti cætera omnia ad agendum requiſita ſive intrinſeca ſive extrinſeca; potentia autem ab impedimentis non libera caret requiſitis ſaltem extrinſecis, & dici poteſt ſecundùm ſe ſufficiens phyſicè, at non moraliter antecedens probatur afferendo talia impedimenta: Primum eſſe poteſt vitæ brevitas comparativè ad ingentem ſcibilium multitudinem: Secundum, penuria temporis, cujus magnam partem cogimur in aliis, quàm in inquiſitione veritatum inſumere: Tertium, imbecillitas corporis, quod ex ſtudio fatigatur: Quartum, fallax miniſterium ſenſuum, quibus moraliter impoſſibile eſt ex medij, aut organi indiſpoſitione, aliquandò non errare circà proprium ſenſibile: Quintum, in aliquibus ingenij tarditas, in aliis laboris impatientia, in aliis propenſio ad judicium præceps ex vehementia iraſcibilis, &c. Vnde egregiè ſcripſit Hypocrates aphoriſmo 1. *Ars longa, vita brevis, occaſio præceps, experimentum periculoſum, iudicium difficile.*

Dices: hinc probaretur requiri gratiam etiam ad cognoſcendam aliquam veritatem purè naturalem ſeorſim primò, quia ad veritates difficiliores etiam ſeorſim cognoſcendas 16.

das requiruntur diuturnitas vitæ, perſpicacia ingenij, ſolicitudo ſtudij, certum ſenſuum experimentum, & ſimilia, quibus opponuntur ſuprà enumerata impedimenta: Secundò, quia eo ipſo quod homo nequit cognoſcere totam collectionem aliquarum veritatum neceſſe eſt, quòd in tali collectione deveniat ad aliquam veritatem, quam nequeat cognoſcere ſeorſim, ſi v. g. nequeat cognoſcere totam collectionem decem veritatum, neceſſe eſt quòd ſaltem decimam veritatem nequeat ſecundùm ſe cognoſcere, poſtquam cognoverit novem: Tertiò, quia non valeret argumentum ab inductione, & modus arguendi à ſingulis enumeratis ad omnia ſimul, ſi requireretur gratia ad cognoſcendas decem, v. g. veritates ſimul, non ad cognoſcendam ſingillatim ullam ex ipſis: Quartò, quia quælibet veritas ſeorſim eſt ejuſdem ordinis eandemque habet cum humano intellectu proportionē ac tota collectio: ergo eſt neceſſaria intellectui humano gratia ad quamlibet veritatem ſeorſim aut ſaltem ad aliquam eodem modo, quoad totam collectionem. Sed contrà: Ad primum admitto utique requiri pro comparanda notitia veritatis difficilioris ſeorſim acceptæ aliquā vitæ diuturnitatem, aliquam ſtudij ſolicitudinem, &c. at non talem, quæ non debeat ſecundùm communē providentiam reperiri in aliquo individuo naturæ humanæ; & cum nulla ſit proportio temporis, laboris, & ſtudij impendendi pro tota collectione ad eadem impendenda pro aliqua, quamvis difficiliore veritate ſeorſim, optimè poſſunt ea eſſe ſecundùm communem providentiam inſufficientia ad totam collectionem abſque eo, quod rectè deducatur eſſe pariter inſufficientia ad ullam veritatem ſeorſim. Ad ſecundum & tertium patebit ex infrà dicendis *cap. 3. num.* 50. dum explicabitur quomodò non habeat homo eandem potentiam ad vitanda ſimul omnia venialia, quam ad vitanda ſingula ſeorſim. Ad quartum concedo identitatem ordinis; quoad identitatem proportionis, dico eſſe eandem proportionem phyſicè, at non moraliter; proportio enim moralis intellectus humani ad totam naturalium veritatum collectionem tollitur per impedimenta extrinſeca, quæ non militant contrà ullam veritatem diviſim acceptam.

17. Occurritur Adverſariis noſtrū argumentum retorquentibus cōtrà veritates ſeorſim acceptas.

18. Ex dictis habetur impotentiam hominis lapſi ad cognoſcendas collectivè omnes, aut etiam valdè multas veritates purè naturales eſſe moralem, non phyſicam, ortam ex impedimentis extrinſecis; non ex defectu intrinſecæ virtutis. Porrò hujuſmodi impedimenta fuiſſent eadem reſpectu hominis puri, ut facilè patet conſideranti; fuiſſent verò pauciora reſpectu hominis integri, qui caruiſſet inordinatis paſſionum motibus ſæpè perturbantibus uſum rationis; & pauciora adhuc reſpectu hominis innocentis ac conditi in originali juſtitia, qui inſuper caruiſſet impedimentis conſequentibus ad imbecillitatē ac corruptibilitatem corporis: Nihilominùs non ſolùm homo integer, ſed nec homo innocēs, fuiſſet ab impedimentis omnibus ſolutus, nam nèc caruiſſet ſolicitudine aliqua & cura ſuſtētandi vitam corporalem, nec permanſiſſent in via tempore adeò diuturno, ut poſſent eis occurrere omnes veritates naturales, quæ propè infinitæ ſunt: Si igitur, ut docet D. Thomas 1. *p. q.* 101. *art.* 1. Deus non fuiſſet infuſurus poſteris, ſicut Adamo infudit, in ſtatu innocentiæ ſcientiam rerum omniū naturalium, & hanc tali ſtatu perſeverante debuiſſent Adæ poſteri propriâ induſtriâ acquirere, habuiſſent moralem impotentiam exhauriendi ſine gratia; veritates omnes naturales; fuiſſent tamen adhuc in ordine ad verum naturale longè melioris conditionis, quàm ſint de facto homines lapſi, quia propter longè pauciora impedimenta cognoviſſent faciliùs abſque gratia longè plures veritates; unde vulnus ignorantiæ in natura lapſa comparata innocenti quamvis referatur principaliùs ad veritates ſupernaturales, refertur quoque aliqualiter ad veritates naturales, in ordine ad quas natura lapſa etiam comparata integræ dici poteſt vulnerata quamvis vulnere minore; quia homo innocens plus quidem quàm lapſus aut purus, at minùs quàm innocens poſſet ſine gratia de naturali vero percipere.

Quid de homine puro, integro, innocente, in ordine ad verum naturale?

---

§. III.

An & ad quaſnam veritates naturales morales cognoſcendas ſit homini lapſo neceſſaria actualis gratia?

19. ASSERT. 1. Non eſt homini lapſo neceſſaria actualis gratia ad cognoſcendas ſeorſim aliquas, imò omnes veritates naturales morales ſpeculativas, in quarum notitiam poteſt ex ſenſibilibus deveniri. Hoc aſſertum eoſdem habet quos viderim, tùm propugnatores, tùm oppugnatores, ac aſſertum ſuprà poſitum *n.* 8.

Quid de homine lapſo in ordine ad veritates naturales morales ſpeculativas.

Probatur & explicatur aſſertum: Veritates morales ſpectantes ad ordinem naturæ, reſpicientes ſcilicet legem & ultimū finem naturalem, quædam pertinent ad Philoſophiam moralem, quædam ad prudentiam: illæ ſunt principia quædā moralia, vel concluſiones univerſales ex talibus principiis deductæ, ut tribuendum eſt unicuique ſuum, reddendum eſt depoſitum: iſtæ ſunt imperia quædam, ſeu judicia ordinata ad actualē executionē alicujus boni operis moralis, ut hic & nunc colendus eſt Deus, huic pauperi eſt nunc ſuccurrendū. Hæ poſteriores veritates dicuntur morales practicæ, quia ex ſe petunt executionē operis, & prudentia ad quā pertinent eſt habitus practicus: illæ priores dicūtur ſpeculativæ, quia ex ſe præſcindunt ab opere, & pertinēt ad ſcientiā quæ ex genere ſuo eſt habitus ſpeculativus potiùs, quā practicus: de hujuſmodi veritatibus ſpeculativis aſſerimus ad cognoſcendas ſeorſim, aut aliquas, aut etiā omnes eas, in quarū notitiā poteſt 20.

teſt ex ſenſibilibus devenire, nõ eſſe homini lapſo neceſſariam actualem gratiã: eſt enim de iſtis eadem ratio, ac de veritatibus purè naturalibus, & rebellio ſenſus, quæ ſola poteſt magis impedire moralium, quàm purè naturalium veritatum cognitionem, pugnat ſolùm contrà executionem bonorum operum moralium, & per conſequens contrà veritates cum tali executione connexas, non contrà veritates, quibus indifferens eſt cum eâ conjungi vel non conjungi, ut ſunt veritates ſpeculativæ; undè aliquando in hujuſmodi veritatibus, & in morali ſcientiâ magis verſati, ſunt magis depravati in moribus; & non rarò qui meliora clariùs vident, effrænatiùs deteriora ſequuntur.

11. *Quid de eodem in ordine ad veritates morales practicas.* Aſſert. 2. Homini lapſo non eſt neceſſaria actualis gratia ad cognoſcendas ſeorſim aliquas veritates morales practicas, benè tamẽ ad cognoſcẽdas omnes. Prima pars eoſdem à fortiori habet Adverſarios, quos aſſertum ſuprà poſitum *num* 2. eſt tamen communiſſima, ſicut & ſecunda; & utramque tradunt Ioannes à S. Thom. *diſput.* 19. *art.* 2. *num.* 11. Gonetus *diſput.* 1. *num.* 41. Amicus *diſp.* 26. *num.* 35. Madernus *q.* 2. *art.* 1. &c.

Probatur & explicatur utraque aſſerti pars: Veritates morales practicæ aliæ ſũt tales ſufficienter, quatenùs ſunt de opere hic & nunc faciendo & ſufficiunt ut voluntas poſſit in ipſum moveri; at in re cum opere non conjunguntur, aliæ ſunt tales efficaciter; ac ità ſunt de opere hìc & nunc faciendo, ut infallibiliter cum opere ipſo aut ſaltem cum voluntate efficaci operis conjungantur. Veritates practicæ primo modo ſunt minùs propriè tales, & quantùm ad rem præſentem attinent, valdè accedunt ad ſpeculativas, & facilè admitterem eas ſeorſim poſſe omnes, nedum aliquas ſine gratia cognoſci, ut expreſsè tradunt Oviedos *controver.* 2. *punct.* 1. *num.* 8. & Gabriel à S. Vincentio *diſputat.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 46. ubi addit idem ſentire omnes D. Thomæ diſcipulos: Veritates practicæ ſecundo modo, ſunt practicæ in toto rigore, & de iſtis aſſertum perſpicuum eſt ex eo, quòd infrà ſtatuetur poſſe hominem lapſum ſine gratia, tum velle, tùm facere aliqua ſeorſim, at non omnia opera bona moralia ordinis naturalis; conſequens eſt igitur quòd poſſit pariter ſine gratia cognoſcere ſeorſim aliquas, non omnes veritates efficaciter practicas, id eſt, eas quæ reſpiciunt opera non requirentia pro ſui executione gratiam, ſecùs eas quæ reſpiciunt opera gratiam pro ſui executione requirentia.

12. *Quid de eodem in ordine ad utraſque collectivè.* Aſſert. 3. Homini lapſo eſt neceſſaria actualis gratia ad cognoſcendas collectivè omnes veritates morales, ſivè ſpeculativas, ſivè practicas. Eſt aſſertum conſequens ex præcedentibus.

Probatur facilè: & quidem quoad veritates practicas efficaciter tales evincitur innegabiliter ex eo, quòd mox dictum eſt non poſſe ipſas omnes ſeorſim ſine gratia attingi; Quoad veritates aut ſufficienter practicas, aut ſimpliciter ſpeculativas, infertur à pari ex neceſſitate gratiæ ad percipiendas collectivè omnes veritates ſpeculativas purè naturales; & licèt morales ſint pauciores purè naturalibus, adhuc tamen valdè multæ ſunt, & tot ut brevitas vitæ, aliáque ſuprà memorata impedimenta inferant impotentiam eas collectivè exhauriendi, cum præſertim *ſub præcedent. num.* 14. tactum ſit veritates purè naturales non ſolùm omnes ſimpliciter, ſed nec valdè multas poſſe cum ſolo generali Dei concurſu ſine errore innoteſcere.

Ex dictis habetur gratiam magis eſſe neceſſariam ad veritates morales, quàm ad purè naturales: Enimverò inter veritates morales reperiuntur aliquæ, ad quas etiam ſeorſim acceptas homo lapſus indiget gratiâ, non ſic inter veritates purè naturales. Quòd ſi comparatis purè naturalibus ad illas morales, dumtaxat; quæ ſunt ſeorſim cognoſcibiles ſine gratia, quæratur, Utrùm difficilius ſit plures morales, an plures purè naturales attingere? quia ex una parte inter purè naturales dantur aliquæ abſtractiores, ſubtiliores ac à ſenſibus remotiores, ut conſtat in veritatibus metaphyſicis aut mathematicis; ex alia parte inter morales aliquæ dependent à pluribus circumſtantiis, & magis ſunt contrà inclinationem partis inferioris, ut patet in judiciis particularibus ſufficienter practicis de re aliena hìc & nunc reſtituendâ, de parentibus hic & nunc honorandis, &c. ambiguum nimis eſt ex quânam parte difficultas præponderet; nec aliud videtur dici poſſe; quàm utraſque veritates in difficultate cognoſcibilitatis ſe invicem excedere ſecundùm diverſas rationes. 13. *Quid de veritatibus, & purè naturalibus inter ſe comparatis.*

§. IV.

Utrùm homini lapſo ad cognoſcendum verum naturale detur de facto gratia Dei, án gratia Chriſti?

Assert. Gratia quæ de facto datur homini lapſo ad cognoſcendum verum naturale, eſt gratia Chriſti, non præciſè gratia Dei. Ità Ioannes à S. Thom. *diſp.* 19. *ar.* 2. *num.* 14 Gabriel à S. Vincentio *diſpu.* 2. *q.* 4. *num.* 43. Ovied *controv.* 2. *punct.* 1. *num.* 13. Arriaga *diſp.* 37. *ſect.* 2. *n.* 9. cæterique Theologi communiter, quamvis quoad gratiam datam pro vero purè naturali ſit contrà Vaſquium *diſp.* 188. *cap* 2. 14.

Dixi *Gratia, quæ de facto datur*, quibus verbis duo indicantur: Primum eſt dari de facto ad cognoſcendum verum naturale aliquam gratiam; & hanc quidem veriſſimile eſt dari non ſolùm, quando occurrunt veritates illæ morales, quæ neque ſeorſim poſſunt ſine gratia cognoſci; verùm etiam ſæpè ad cognoſcendas aut faciliùs aut utiliùs illas veritates naturales, quæ ſecundùm ſe ſunt ſine gratia cognoſcibiles; item ad cognoſcendam aliquam notabilẽ iſtarum collectio- *Pro quôvis vero naturali detur de facto gratia.*

HH h nem

nem ſine errore;ad totam verò collectionem veritatũ aut purè naturalium aut moralium licèt gratia & neceſſaria & dabilis ſit, de facto vix unquam datur;quia fortè Salomone excepto nullus homo lapſus habuit hucuſque rerum omnium naturaliũ notitiam. Secundum eſt dari poſſe gratiam Dei ad cognoſcendas illas eaſdem veritates,ad quas ponimus dari gratiam Chriſti; ratio eſt quia gratia Chriſti non importat auxiliũ validiùs aut robuſtiùs gratia Dei, ſed huic addit ſolã habitudinẽ ad Chriſti merita;idemque auxilium,quod datum ex Chriſti meritis eſt gratia Chriſti, eſſet gratia Dei præcisè; ſi præcisè daretur ex liberalitate divina; unde etiã ſuppoſita Incarnatione non futura non exiſtente originali homo lapſus in quocumque alio ſtatu verum, quod ex gratia cognoviſſet, cognoviſſet ex gratia Dei, non ex gratia Chriſti.

25. Probatur aſſertum: Chriſtus reſpectu naturæ lapſæ dici ſolet fons totius gratiæ & caput, ex quo derivantur in membra omnes gratiæ motus: opera item ipſius ſuperabundantis valoris ſunt ad omnem prorsùs gratiam promerendam, & in ejus excellentiam redundat,quòd per ipſum detur omnis prorsùs gratia, quæ homini lapſo datur; atqui hæc non adeò abſolutè verificarentur, ſi gratia quæ de facto datur ad cognoſcendum verum naturale non eſſet gratia Chriſti; ergo.

Talis gratia eſt Chriſti, non Dei præcisè.

Dices: Illa ſola eſt gratia Chriſti, quæ conducit ad ſalutem, & propter quam nobis obtinendam Chriſtus mortuus eſt; gratia enim Chriſti eſt gratia Salvatoris ac Redemptoris, & meritum Chriſti fuit morte conſummatum; ſed gratia, quæ de facto datur ad cognoſcendum verum naturale, non conducit ad ſalutem, quia datur ad actus naturales, actus autem naturales nullam habent proportionem cum ſalute;nullum quippè dant jus ad gloriam & nec de congruo diſponunt ad juſtificationem: Rursùs propter gratiam illam nobis obtinendam Chriſtus non eſt mortuus; quia mortuus eſt propter ſalutem ac redemptionem, non propter naturalem moralemve Philoſophiam, vel aliam rerum naturalium ſcientiam; ut bene viveremus, non ut bene intelligeremus, nec ut ſciremus aut circuli quadraturam aut

26. compoſitionem continui, &c. Sed contrà: nego majorem, & dico præcipuam Chriſti gratiam eſſe gratiam Salvatoris, & propter hanc obtinendam Chriſti meritũ fuiſſe morte conſummatum; eſſe tamen gratiam Chriſti minùs præcipuam aliam omnem, quæ de facto datur in natura per Chriſtum reparata: Neque ex eo, quòd propter hanc Chriſtus non ſit mortuus, infertur Chriſtum eam nobis non promeruiſſe: alioqui neque promeruiſſet ſibi gloriam proprij corporis, propter quam mortuus non dicitur; quamvis igitur præceptum moriendi fuerit tantùm propter redemptionem & ſalutem, ideoque Chriſtus, duntaxat dicatur mortuus propter gratiã ſalutarẽ; meritũ tamen aliorũ operum ipſius rectè poteſt ad alias gratias extendi.

CAPUT II.

De neceſſitate gratiæ actualis ad proſequendum bonum morale.

BONUM morale, quà tale præcisè, mediat inter ſupernaturale, quod eſt per ſe loquendo objectum virtutum infuſarũ; & purè naturale aut etiam civile,quod eſt objectum actionum ex genere ſuo indifferentium & reſpicientium conſervationem naturæ civilemvè convictum, cujuſmodi ſunt manducare, ambulare, domos conſtruere, agros colere, militiam ſequi, mercaturam agere. In ordine ad bonum ſupernaturale neceſſitas actualis gratiæ explicabitur infrà ſub proprio titulo;in ordine ad bonum purè naturale extrà controverſiam eſt gratiam non requiri: In ordine ad bonum morale, quod quà tale, ſeu quà medium inter ſupernaturale & purè naturale, ſignificat opus virtutis moralis non egrediens propriam talis virtutis lineam, & nec vitiatum aliqua prava circunſtantia, nec ordinatum expreſſe ad univerſalem & ſuperiorem finem: In ordine, inquam, ad bonum morale triplex eſt gratia, de cujus neceſſitate controvertitur; Primò controvertitur de gratia ſanctificante, ſeu de gratia charitatis propter opinionẽ Michaëlis Baij, inter cujus propoſitiones trigeſima quarta ſic habet, *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*: & trigeſima nona, *in omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati*: Secundò controvertitur de gratia fidei propter opinionem Janſenij *lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ c.14.* dicentis *Indubitatum eſſe in doctrina Chriſti & Eccleſiæ nullum opus boni nequidẽ moraliter ab humano arbitrio poſſe fieri,niſi per gratiã non quamlibet, ſed fidei liberetur*,quod docuit à fortiori Bajus,cujus propoſitio vigeſima ſexta ſic habet *Omnia infidelium opera ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*: Tertiò controvertitur de gratia actuali & auxiliante: Triplicem hanc controverſiam nõnulli ſimul examinant imò cõfundunt,nos ut diſtinctè procedamus,duas primas controverſias in opportuniorẽ locum transferimus examinandas infrà *c.4. §. 5.* & in præſenti ſolam tertiam aggredimur: In hac tres ſunt ſententiæ; duæ extremæ, tertia media; Inter extremas 1.

Bonum morale quid?

In ordine ad ipſum tres controverſiæ de neceſſitate gratiæ in genere.

2.

Et tres ſententiæ de neceſſitate gratiæ actualis in ſpecie.

Prima docet ad nullũ prorsùs morale bonum requiri actualem gratiam. Ità in primis Pelagiani,qui negarunt neceſſitatem gratiæ actualis internæ præſertim ex parte volũtatis etiã in ordine ad bonum ſalutare, nedum ad morale,ut retulimus *lib. præced. c. 1. n.4. & 8.* Ità inſuper illi,qui nullam gratiam requirunt ad obſervanda omnia præcepta legis naturæ, aut ad perfectè amandum Deum ut finem naturalem,quos afferemus infrà *n. 35.*

Secunda docet ad quodlibet prorsùs morale bonum actu undequaque honeſto proſequendum

ſequendum neceſſariam eſſe in homine lapſo actualem gratiam, & hujus ſententiæ defendendæ varij ſunt modi. Primus eſt ponentium talem gratiam non ex parte intellectus tantùm, ſed ex parte etiam voluntatis: adeò ut exiſtente cogitatione & judicio practico de objecto honeſto indigeat adhuc homo ſpeciali Dei motione voluntati impreſſa, nec poſſit cum ſolo generali Dei concurſu ſe determinare ad opus bonum: Ità Gregorius *in 2. diſt. 2. q. 1. conc. 1. & 3.* Capreolus *ibid. diſtinct. 28. art. 1.* Hiſpalenſis *eadem diſtinct. artic. 3.* Major *ead. diſt. q. 1. conc. 2. & 3.* Secundus eſt agnoſcentium talem gratiam duntaxat ex parte intellectus, eamque collocantium in cognitione congrua boni honeſti, cum qua ſcilicet ſit infallibiliter conjungendus actus voluntatis bonum honeſtum proſequentis: Ità Vaſquez *diſput.* 190 per plura capita, Mæratius *diſp.* 1. per plures ſectiones, Turrianus *opuſc. 2. diſput.* 4. per plura dubia, & nuper Abelly *in medulla Theologica tractat. de gratia, cap. 1. ſect. 6. conc* 2. Tertius modus duos modos mox relatos complectitur, & motionem, ſeu gratiam actualem, de quâ in præſenti indeterminatè collocat, vel in cogitatione intellectus, vel in quadam ſuavitate voluntati indita per modum ſimplicis affectus; pro hoc dicendi modo ab Oviedo *controverſ. 3. punct. 1. num.* 16. referuntur Marſilius *in 1. q. 20. art. 3.* Clicthoveus *in Damaſceaum lib. 2. c. 30.* Roffenſis *art. 6. contrà Lutherum*

4\. Tertia & media ſententia docet hominem lapſum poſſe abſque actuali gratia, & cum ſolo generali Dei concurſu proſequi aliquod, at non omne bonum morale. Ità Magiſter *in 2. diſt. 26. cap.* 8. D. Thomas 1. 2. *q. 109. art. 2.* & *in 2. diſtinct. 28. q. 1. art. 1.* D. Bonaventura *ead. diſt. art. ult. quaſt. ult.* Durandus *ead. diſt. q.* 2. Richardus *artic. 1. q. 1.* Cajetanus 1. 2. *q. 109. art.* 2. & plures antiqui Thomiſtæ *ibid.* Ioannes à S. Thoma *diſput. 19. art. 3.* Gonetus *diſput. 1. art. 3.* §. 5. Suarez *de auxil. lib. 2. cap. 7. num.* 13. & *lib. 1. de gratia, cap.* 8. Valentia *diſput 8. quaſ. 1. punct.* 3. Amicus *diſput. 26. ſect.* 3. Oviedus *controverſ. 3. punct.* 1. §. 6. Arriaga *diſput. 38. ſect.* 2. Herincx *diſput. 2. quaſ.* 3. Madernus *q. 2. art.* 2. cæterique Theologi communiter adeò ut poſt proſcriptas propoſitiones Baij, inter quas vigeſima octava ſic habet *liberam arbitrium ſine gratia Dei & adiutorio non niſi ad peccandum valet*, trigeſima ſexta ſic *Cum Pelagio ſentit qui boni aliquid naturalis, hoc eſt quod ex natura ſolis viribus ortum ducat, agnoſcit*; poſt proſcriptas, inquam, propoſitiones Baij malè oleat apud quamplures ſuperior ſecunda ſententia; de ea Tannerus *diſput. 6. q. 3. dub.* 3. ait ſe neſcire quâ ratione tutò ac ſine periculo hodie poſſit defendi, Leſſius *de auxil. cap. 10. num.* 5. affirmat ſententiam Gregorij Ariminenſis una cum Michaële Baio à ſummis Pontificibus eſſe damnatam, eâdemque ratione Goneto *præcit. §. 5. num.* 153. damnata videtur ſententia Vaſquezij; cæteri tamen ferè omnes Vaſquium abſolvunt ab omni cenſura, cujus nec levem ſibi ſuſpicionem ineſſe conſtanter aſſerit Oviedus *præcit. punct. 1. num.* 44.

Quinam cêſurâ notent ſententiam de neceſſitate gratiæ actualis ad quodlibet opus morale.

Prætereo hic aliam quaſi mediam, ſed ſingularem ſententiam Ripaldæ *diſput. 30. ſect. 2. & 3.* requirentis ad quodlibet opus bonum morale actualem gratiam, non ex natura talis operis per ſe ſumpti, ſed ex lege Dei, quâ exiſtimat, quoties elicitur aliquis actus naturalis moraliter bonus, elici circà idem objectum alium actum ſupernaturalem, & quia ad actum in ſe ſupernaturalem neceſſaria eſt gratia in ſubſtantia ſupernaturalis admittit hic Auctor eſſe in ſubſtantia ſupernaturalem gratiam, quam ponit ex lege Dei requiri ad quodlibet opus moraliter bonum: fundamentum ipſius eſt voluntatem creatam nunquam habere omnia in actu primo requiſita ad proſequendum objectum honeſtum actu naturali, quin ſimul à Deo recipiat principia requiſita ad idem objectū proſequendum actu ſupernaturali; nec poſſe deinde aut per naturalia principia, aut per ſupernaturalia, diviſim in objectum tendere, ſed eo ipſo quòd in objectum tendat, debere tendere ex vi omnium principiorum, quibus eſt præventa. Hujuſmodi fundamentum accuratè expendit Oviedus *præcit. punct* 1. §. 5. & oſtendit nec ſubſiſtere, nec probare voluntatem circà bonum morale ſemper elicere duos actus, alterum naturalem, ſupernaturalem alterum; ſed ſemper circà tale objectum elicere unicū actum ſupernaturalem, adeoque nullum unquā dari actum honeſtum naturalem. Prætereundo igitur Ripaldæ ſententiam, tanquam inhærentem fundamento commentitio, intentumque non probanti, ut quoad reliquas mentem noſtram cum diſtinctione & ordine proferamus, ſit 5.

Singularis omnio Ripaldæ.

§. I.

Vtrùm ſit neceſſaria homini lapſo actualis gratia ex parte voluntatis ad proſequendum quodcumque morale bonum?

ASSERT. Poteſt homo lapſus proſequi aliquod morale bonū Deo ex parte voluntatis concurrente cū ſolo concurſu generali, adeoque non eſt ei neceſſaria actualis gratia ex parte voluntatis, &c. Ità Auctores relati *præced. num.* 4. contrà Gregorium, Capreolum, Hiſpalenſem, Majorem locis præcitatis *num.* 3. alioſque nonnullos 6.

Homo lapſus poteſt proſequi aliquod morale bonum ſine actuali gratia ex parte voluntatis.

Probatur primò: Liberum arbitriū in homine lapſo extinctū non eſt, imò neque debilitatū comparativè ad hominem purum *ex præced. lib. c. 2. §. 4.* atqui homo purus poſſet proſequi aliquod morale bonū Deo ex parte voluntatis concurrente cum ſolo concurſu generali: ergo poteſt homo lapſus proſequi, &c. Minor probatur, quælibet creatura cum ſolo generali concurſu dici poteſt exer-

certè aliquam operationem ſibi proportionatam, atqui proſequi aliquod bonum morale eſt operatio homini proportionata, utpotè conſona & conformis ſuperiori, nobiliorique hominis parti: ergo homo purus, cum in ſua præſertim puritate nequeat eſſe deterioris conditionis in operando, quàm cæteræ omnes creaturæ, debet poſſe proſequi aliquod morale bonum Deo ex parte voluntatis ſolùm generaliter concurrente. Confirmatur eadem prima minor, ſi in homine puro datur impedimentum proſequendi morale bonum, id eſſet rebellio & pugna partis inferioris contrà ſuperiorem, caret enim homo purus qualibet culpa, qualibet pœna, & alio quocumque, in quod poſſit tale impedimentum refundi præterquam in rebellionem, & pugnam; ſed hæc rebellio & pugna non impedit, quin homo proſequatur aliquod morale bonum; primò quia in rebellione & pugna duorum, quorum unum, licèt habeat aliquam præponderantiam, non habet tamen abſolutam præpotentiam in alterum, victoria aliquando, licèt rariùs, obtinetur etiam à parte debiliore, ergo poteſt pars ſuperior aliquandò vincere & bonum morale proſequi, non obſtante rebellione & pugna partis inferioris; ſecundò quia talis rebellio & pugna non exercetur circà quodlibet bonum morale, datur enim aliquod objectum conforme rationi & moraliter bonum, quod ſimul eſt delectabile & conſonum ac conforme ſenſui, & in cujus proſecutione proptereà pars ſuperior non oppugnatur, imò potiùs adjuvatur ab inferiore, ut exemplificari poteſt in potu temperato, in debito conjugali, in actibus virtutis eutrapeliæ, &c. ergo.

7. A tali proſecutione non impeditur ex pugna partis inferioris.

8. Improbatur fundamentum Adverſariorum.

Probatur ſecundò: Ad proſequendum aliquod morale bonũ non eſt ex parte voluntatis neceſſaria homini lapſo ſpecialis motio à Gregorio & aliis Adverſariis in aſſerto memoratis requiſita; ergo poteſt homo lapſus proſequi aliquod morale bonum, &c. Antecedens probatur, talis motio ſpecialis neque eſt neceſſaria ad tribuendas voluntati ſufficientes vires in ordine ad bonum; quia mox oſtenſum eſt voluntatem hominis lapſi habere in ordine ad aliquod morale bonum vires ſufficientes: Neque eſt neceſſaria ad determinandam indifferentiam, aut ad ſalvandam dependentiam voluntatis à Deo; quia licèt ex hoc capite admittamus cum Thomiſtis prædeterminationem & præmotionẽ, hæc tamen ſpectat ad concurſum generalem cauſæ primæ, & malè ab Adverſariis ponitur requiri ſolùm pro actibus moraliter bonis in homine lapſo, requiritur enim ad quemcũque effectum cujuſcumque cauſæ ſecundæ in quocumque ſtatu: Neque eſt neceſſaria ad ponendam in opere moraliter bono ordinationem ad Deum tanquam ad ultimum finem; quia ad bonitatem moralem operis non requiritur ſuperaddita & elicita ordinatio in Deum, ſed ſufficit ordinatio interpretativa operantis, & illa quam ex parte ſui habet opus quodlibet morale eo ipſo quod non refertur in finem pravum & appetitur ſub ratione honeſti, ut attigimus *tract. praced. lib. 1. cap. 2. num. 20 & 26.* ergo ex ſufficienti partium enumeratione non eſt neceſſaria ſpecialis motio, &c.

9. Indicantur auctoritates faventes aſſertæ veritati.

Probari hic ſolet aſſerta veritas auctoritatibus Scripturæ & Patrum: & ex Scriptura quidem tria potiſſimùm loca afferuntur, nimirum Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt.* Rom. 4. *Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Philip. 3. *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, & ut inveniar in illo non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu.* In primo loco ad rem noſtram facit ly *naturaliter* intellectum pro eodem ac *viribus naturæ*: In ſecundo ly *ex operibus* procedit de operibus legis, & facit ad rem noſtram ly *habet gloriam, ſed non apud Deum*, ex quo infertur dari opera moraliter bona præcedentia fidem ac gratiam & meritoria alicujus gloriæ, at non præmij æterni, quod ſolum eſt gloria apud Deum. In tertio facit ad rem noſtram ly *meam juſtitiam, quæ ex lege eſt* ubi Apoſtolus agnoſcit aliquam juſtitiam proprio ſtudio, propriiſque viribus comparatam; quam tamen deſpicit collatam ei, quæ habetur ex fide Chriſti. Multo plura afferuntur loca ex ſanctis Patribus; ex quibus ſelectiora aliqua videre eſt apud Amicum *hic diſput. 26. ſect. 3. à num.* 118. Hiſce locis Scripturæ & Patrum adjiciuntur decreta Pij V. & Gregorij XIII. damnantium duas propoſitiones Baij præallatas *num. 4.* Item alia teſtimonia ſanctorum Patrum & Conciliorum, quæ dum tradunt nullum bonum opus fieri poſſe ſine gratia, plerumque cum reſtrictione loquuntur addendo *coram Deo* vel *ut oportet ad ſalutem*, vel aliquid ſimile, quemadmodum videre eſt apud Oviedum *hic controverſ. 3. punct. 1. à n. 86.*

Hujuſmodi omnes auctoritates non aſpernor, nec inficior eas favere plurimùm ſententiæ à nobis aſſertæ; in hujus tamen probationem illas ex profeſſo non aſſumo, primò ne cogar latas inſumere paginas in iiſdem accuratiùs expendendis & improbandis variis interpretationibus Adverſariorum: ſecundò ne confundam gratiam ex parte voluntatis cum gratia ex parte intellectus, contrà quam utramque æquè militant præindicatæ auctoritates: tertiò ne præcipuam vim faciam in auctoritatibus, ex quo fortè capite non videremur Adverſariis admodum prævalere, cum & ipſi plurima contrà nos proferant Scripturæ, Conciliorum, & Patrum teſtimonia, quæ colligit, expendit, & ſingillatim explicat Oviedus *pracit. punct. 1. §. 7. & 8.* Nobis verò circà auctoritates, nec pro, nec contrà militantes immoraturis ſufficiat recolere & huc proportionaliter transferre duas explicationes attactas *capite præcedenti, num. 7.* & deſumptas ex D. Thoma *quæſt. 14. de veritate, artic. 14.* Neque dicas eſſe ſpecialem difficultatem de auctoritatibus, quibus traditur hominem ex ſe valere tantùm ad peccandũ, nihil ex ſuo habere 10.

Indicatur reſpõſio ad auctoritates oppoſitas.

niſi

niſi peccatum. Contrà enim optimè quadrat prima explicatio attacta *præcit. num.* 7. dicendo tales auctoritates procedere in materia pertinente ad ſalutem, & ſenſum eſſe in iis, quæ ad ſalutem conducunt vel à ſalute retrahunt, homo viribus propriis valet tantùm ad ea, quæ à ſalute retrahunt & peccata ſunt: Si quis tamen alias etiam expoſitiones exoptet conſulat Suarezium *lib.* 1. *cap.* 21. Gonetum *diſp.* 1. *n.* 170.

---

§. II.

Vtrùm homini lapſo ad proſequendum quodcumque morale bonum ſit neceſſaria actualis gratia ex parte intellectus?

11. Homo lapſus poteſt proſequi aliquod morale bonum ſine actuali gratiâ ex parte intellectus.

ASSERT. Poteſt homo lapſus, etiam potentiâ efficaci & conſequenti, proſequi aliquod morale bonum Deo ex parte intellectus concurrente cum ſolo concurſu generali; adeoque non eſt ei neceſſaria actualis gratia ex parte intellectus, &c. Ità Auctores relati *præced. num.* 4. contrà Vaſquium, Martinum, Turrianum, & Abelly locis præcitatis *num.* 3. Dixi *etiam potentiâ efficaci & conſequenti* de iſta enim expreſsè loquitur Vaſquez, utpotè qui docet gratiam actualem requiſitam ad proſequendum morale bonum eſſe cogitationem congruam & infallibiliter conjungendam cum boni proſecutione, quod eſt prædicatum proprium gratiæ efficacis & potentiæ conſequentis, nec eodem modo Vaſquez gratiæ prærogativam tribuit cogitationi non congruæ, cum quâ voluntas poſſit morale bonum proſequi at proſecututa non ſit, adeoque proſequi illud poſſit potentia antecedente ſolùm & ſufficiente. Quidquid autem ſit de mente Vaſquii, certè ſi probaverimus cogitationem congruam, & conſequentem efficacemvè potentiam benè moraliter operandi haberi ex generali Dei concurſu & abſque gratia, erit hoc idem à fortiori probatum de cogitatione non congrua, & de potentia antecedente ac ſufficiente. Ideò aſſertum.

12. Cogitatio congrua ad aliquod bonum morale non eſt gratia.

Probatur: Poteſt homo lapſus cum ſolo concurſu generali Dei habere cogitationem congruam ad proſequendum aliquod morale bonum; ergo poteſt homo lapſus, etiam potentia efficaci & conſequenti, proſequi, &c. conſequentia patet, quia ut jam explicatum eſt, gratia ab Adverſariis requiſita ex parte intellectus nihil eſt aliud quàm cogitatio congrua, &c.

Probatur antecedens primò: Cogitatio congrua ad proſequendum aliquod morale bonum eſt debita homini lapſo indeterminatè & vagè; atqui quod eſt debitum etiam ſolùm indeterminatè & vagè, datur ex generali & connaturali concurſu, non ex ſpeſpeciali & gratioſo ut jam attigimus *cap. præced. num.* 5. ergo. Major probatur, multitudini principiorum indifferentium, vel etiam eidem principio ſucceſſivè erumpenti cum indifferentia in multas operationes, eſt debita indeterminatè & vagè aliqua difformitas; ſed homo eſt principium indifferens ad benè vel malè moraliter operandum, item ad habendam in ordine ad benè operandum congruam vel non congruam cogitationem; ergo multitudini hominum, vel etiam eidem homini in ordine ad ſucceſſivam multitudinem operationum; eſt debita indeterminatè & vagè difformitas quoad cogitationem congruam vel non congruam; non eſſet autem debita talis difformitas, ſi omnibus & ſingulis hominibus eſſet pro quolibet tempore indebita cogitatio congrua.

Dices hoc argumentum ad ſummum urgere in iis, in quibus indifferentia æqualiter ſe habet ad utrumque, in homine autem lapſo indifferentia ad bonum & malum morale æqualis non eſt; prædominium enim ſenſus ſuprà rationem reddit hominem ſicuti magis inclinatum, ità magis determinatum & minùs indifferentem ad malum. Sed contrà: indifferentia non æqualis, & in ordine ad malum minor, arguit ad ſummum minorem difformitatem & pauciores cogitationes congruas, at non omnimodam uniformitatem & cujuſlibet cogitationis congruæ carentiã. Contrà ſecundò: ſenſus aliquando in bonum morale inclinat, aliquandò nullatenùs aut leviter tali bono reſiſtit, ut mox attingemus *num.* 15. prædominium igitur ſenſus non arguit univerſaliter majorem inclinationem & minorem indifferentiam ad malum, ſed aliquando potiùs majorem inclinationem, minoremque indifferentiam ad bonum, & per conſequens exigentiam plurium cogitationum congruarum ad ipſum proſequendum. 13. Ne, cũ cõtrà inclinationem hominis lapſi.

Probatur primum antecedens ſecundò: Cogitatio congrua circà bonum morale, tùm quatenùs eſt de bono morali, tùm quatenùs eſt congrua haberi poteſt in homine lapſo ex concurſu ordinario Dei: Poteſt haberi quatenùs eſt de bono morali, tùm propter ſupradicta de cognoſcibilitate veritatũ moralium abſque gratia, tùm quia ſecùs eſſet neceſſaria gratia etiam ad cogitationem non congruam boni moralis, adeoque homo lapſus ad ipſum proſequendum careret potentia etiam antecedente & ſufficiente, & haberet ex parte intellectus extinctum arbitrium. Poteſt haberi quatenùs eſt congrua, 14. primò quia auxilium ſufficiens ſeu non congruum, & auxilium efficax ſeu congruum, ſunt intra eumdem ordinem, nec dicimur operari ex gratia efficaci, illud quod operari poſſumus ſine ſufficienti, ergo in eo genere boni, in quo cogitatio non congrua ſpectat ad concurſum ordinarium & generalem, non ad gratiam; ad eumdem concurſum, non ad gratiam ſpectabit cogitatio etiam ut congrua: Secundò quia homo eſt indifferens ad habendam vel non habendam non ſolùm congruam, verùm etiam non congruam cogitationem cujuſcumque boni moralis in particulari; atqui non obſtante hac indifferentia habet cum concurſu generali & ordinario plures cogitationes non cõ-

gruas, ergo cum eodem habere poteſt aliquas cogitationes congruas: tertiò quia ſaltem circa objecta, circà quæ connaturaliùs eſt homini benè, quàm malè operari, ſpectat ad concurſum ordinarium tribuere aliquam cogitationem congruam, cum quâ be-
15. nè operetur; atqui ſecundùm communem curſum cauſarum ſecundarum plura occurrunt homini lapſo objecta, circà quæ connaturaliùs ei eſt benè quàm malè operari; ut ſunt ea in primis quæ *ex præced. num.7.* ſenſui ſimul rationique conſonant; & ea inſuper, in quæ ratio vehementer inclinat, ſenſus verò aut nullatenùs aut leviter reſiſtit eò, quòd aut nullum aut leve ei afferant incommodum; cujuſmodi ſunt valde indigenti ſubſidium, quod facilè impendi poteſt, impendere; infantulum in terra jacentem ſublevare; amico eximiè benefico gratias agere; majores optimè meritos revereri, &c.

Homini lapſo aliquando connaturaliùs eſt benè operari quam malè.

16. Dices reſpectu hominis juſtificati non eſt debita, nec ſpectat ad concurſum ordinarium Dei ut Auctoris gratiæ, cogitatio congrua ad aliquod bonum ſupernaturale; ergo reſpectu hominis puri aut lapſi non juſtificati non eſt debita nec ſpectat ad concurſum ordinarium Dei ut Auctoris naturæ cogitatio congrua ad aliquod bonum morale; homo enim juſtus ex vi juſtificationis ità ſe habet ad bonum ſupernaturale, ſicuti homo purus ex vi creationis ad bonum morale naturale, & cum homini juſto debeantur cogitationes non congruæ & auxilia ſufficientia ad bonum ſupernaturale, abſque eo quod debeantur aliquæ cogitationes congruæ, malè arguebatur ex cogitationibus non congruis ad congruas reſpectu hominis lapſi in ordine ad bonum morale. Sed contrà: huic inſtantiæ dupliciter occurrit Amicus *diſp.*26 *num.*146. Primò ſcilicet dato antecedente negat conſequentiam, & aſſignat diſparitatem in eo, quòd cogitatio cõgrua naturalis excitari poteſt ab objectis applicabilibus per cauſas naturales, cogitatio congrua ſupernaturalis ſolùm ab objectis applicabilibus à Deo, ut à cauſa particulari; at quia militat eadem ratio de excitatione cogitationis ſupernaturalis non congruæ, quæ tamen eſt homini juſto debita, difficilis mihi eſt hæc reſponſio: Secundo, negat antecedens ut verè negandum eſſe arbitror, tùm propter paritatem quæ in inſtantia affertur, tùm propter probabilem doctrinam aſſerentium Deum ſuppoſitâ humani generis redemptione non poſſe ſecundum legem ordinariam negare omnibus hominibus auxilia efficacia, & cogitationes cõgruas ad ſalutem, ne dum ad aliquod bonum opus ſupernaturale, quam doctrinam inter alios Recentiores tradit noviſſimè Requeſenius *additione ad quæſtiones ſelectas in* 1. 2.
17. *ſect.*5. Neque cogitatio congrua ſupernaturalis ex eo, quod ponatur indeterminatè & vagè debita vi juſtificationis, deſinit eſſe gratioſa; quia eſſe debitum debito fundato in gratia non deſtruit rationem gratiæ, ut patet in cogitatione ſupernaturali non congrua & ſufficienti, quæ non deſinit eſſe gratia per hoc, quod ſit debita omnibus juſtis vi juſtificationis, imò omnibus viatoribus vi redemptionis, ut latè oſtenſum eſt in fine lib. præcedentis.

Juſtis debetur indeterminatè & vagè aliqua cogitatio cõgrua ſupernaturalis.

Contrà cogitationem congruam ad morale bonum, eliciendam ex ſolo generali Dei concurſu afferri poſſunt ea omnia, quæ in univerſum probant neceſſariam eſſe homini lapſo ſpecialem gratiam ad volendum, aut faciendum aliquod opus moraliter bonum; cum enim talis gratia *ex* §. *præced* non ſe teneat ex parte voluntatis, conſequens eſt, quòd ſe teneat ex parte intellectus, & conſiſtat in eo, quòd Deus tribuat in ordine ad bonum cogitationem congruam potiùs quã non congruam: Porrò talia argumenta ex triplici capite deſumuntur, primò ſcilicet ex Auctoritatibus, quibus ſæpè traditur hominem lápſum habere omnem ſufficientiam à Deo, nihil boni ex ſe operari, ex ſe valere tantùm ad malum; hiſce auctoritatibus quomodo occurrendum, jam inſinuatum eſt *præced. num.*10. Secundò ex orationibus & gratiarum actionibus, quas fundimus & referimus, aut ſaltem utile ac laudabile eſt fundere & referre, pro ſingulis actibus & operibus moraliter bonis, verum etiam ad hoc caput inſinuata jam eſt reſponſio *cap. præced. num.*7. Tertiò ex operibus moralibus arduis & heroicis, quæ ab homine lapſo non fiunt ſine ſpeciali gratiâ & tamen ſunt in eodem ordine & in eadem ratione formali cum aliis quibuſcumque operibus moraliter bonis: Verùm quænam ſit quoad præſentem controverſiam diſparitas operis ardui ſeu heroici à cæteris? conſtabit ex ſequentibus diſcurrendo ſingillatim per præcipua opera naturalis honeſtatis heroicæ & afferendo proprias rationes, ob quas ea præ cæteris vulgari honeſtate prædictis requirant in homine lapſo gratiæ actualis auxilia.

18. Indicatur reſponſio ad tria præcipua objectionum capita.

---

§. III.

De neceſſitate gratiæ actualis ad proſequendum bonum morale arduum; & primò præmittuntur nonnulla circà Dei amorem.

Assert.1. Simpliciter & abſolutè dabilis eſt reſpectu Dei naturalis amor amicitiæ. ità D. Thomas 1.*p. q.* 60. *art.*5. 1. 2. *q.* 109. *art.*3. *in* 2. *diſt.*3. *quæſt.*3. *quodlib.*1. *art.*8. *& alibi* Scotus *in* 1. *diſt.*17. *q.*2. §. *ad ſolutionem in* 3. *diſt.*27. §. *iſtis & quodlib.*17. cæterique Theologi communiter contrà Bajum, inter cujus propoſitiones damnatas trigeſima quarta ità habet *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti quo Deus amatur ut beatificator eſt, vana eſt & commentitia & ad illudendum ſacris litteris & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.* Item contrà Vaſquium *diſp.*195. *cap.*2. volentem omnem amorem naturalem Dei eſſe concupiſcentiam, adeoque admittentem reſpectu Dei

19. Deus poteſt terminare amorem naturalem amicitiæ.

Dei naturalem amorem, at non naturalem amorem amicitiæ, in quo ad Bajum valdè accedit; undè etiam exiſtimat præallatam ipſius propoſitionem fuiſſe damnatam ratione cenſuræ, non ratione doctrinæ quam continet.

Dixi *ſimpliciter & abſolutè*, quia abſtraho pro nunc ab eo, quòd talis amor verſari poſſit circa Deum etiam ut finem ſupernaturalem; ab eo quod in homine lapſo reperiri non poſſit ſine amore ſupernaturali; ab eo quod requirat ſpeciale auxilium; ex quo triplici dubio, primum ſpectat ad tractatum de virtutibus Theologicis, ſecundum expedietur *ſeq. aſſert.* tertium *ſeq.* §. Interim obſervo verificari in Bajo, quòd error errorem adducat; enimverò ex eo, quòd non agnoverit ſtatum puræ naturæ, & gratiam ac gloriam fecerit creaturæ rationali ſecundum ſe debitam, erravit negando in Deo duplicem rationem finis naturalis & ſupernaturalis; & ex eo quod hanc duplicem rationem negaverit, errat modò non agnoſcendo in creatura duplicem correſpondentem rationem amoris: Vndè ex ſuprà poſitis circà ſtatum puræ naturæ cenſeri poſſet ſufficienter probata contrà Bajum aſſerta veritas de naturali amore, ſeu de diſtinctione amoris in naturalem & ſupernaturalem, ulteriùs tamen

Bajus ab uno errore in alium ducitur.

Probatur: Pro amicabili amore Dei datur naturale objectum, naturale præceptum, naturalis cognitio, & naturalis inclinatio; ergo ſimpliciter & abſolutè dabilis ex reſpectu Dei naturalis amor amicitiæ, nulla enim eſt ratio negandi naturalem amorem, ubi naturalia ſunt omnia ad amorem requiſita;

21. antecedens probatur; datur naturale objectum, quia Deus nobis communicat naturalia bona, quatenùs igitur communicativus eſt talium bonorum eſt diverſum objectum amoris ac ſit quatenùs communicativus bonorum ſupernaturalium, ſicuti igitur ſub iſta ratione eſt objectum ſupernaturale, ità ſub illa erit objectum naturale: Datur naturale præceptum, tùm quia omnia præcepta; ſivè ſupernaturalia, ſivè naturalia, fundantur in præcepto dilectionis juxtà illud Matth. 22. *in his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ* ergo ut omnia præcepta naturalia, fundentur in jure naturæ admittendum omninò eſt naturale præceptum dilectionis Dei tùm quia amor Dei amicabilis eſt cultus quē Deo exhibemus per voluntatem, atqui datur naturale præceptum de Deo colendo, cum hoc primum locum teneat inter præcepta decalogi quæ ſaltem quoad ſubſtantiam ſunt omnia de jure naturæ; ergo: Datur naturalis cognitio, quia Deum eſſe ſuper omnia diligendum eſt veritas naturæ lumine innoteſcens & facilè deducibilis ex eo, quòd Deus ſit ſummè bonus in ſe & omnia naturalia bona nobis communicans: Datur tandem naturalis inclinatio; quia ut diſcurrit D. Thomas 1. *p. q.* 60. *art.* 5. quælibet res naturaliter ad amandum ſuper omnia, etiam ſuprà ſe, bonum univerſale & bonum capitis; bonitas autem divina & eſt bonitas univerſalis & eſt bonitas capitis; ideò, &c.

De amore Dei datur naturale objectum.

Naturale præceptum

Naturalis cognitio.

Naturalis inclinatio.

Dices primò pro Vaſquio hæc omnia ſolùm probare naturalem amorem concupiſcentiæ; enimverò Deus ut naturalia bona ad extrà communicans eſt bonus nobis, amor autem quo tendimus in Deum ut bonum nobis eſt amor concupiſcentialis: Nulla etiam res, ſeu nulla pars naturaliter inclinat ad bonum univerſale & ad bonum capitis, niſi quatenùs bonum hoc conducit ad bonum proprium ipſius partis, quod ſpectat ad concupiſcentiam: Cognitio tandem ſeu ratio naturalis nullam agnoſcit amicitiam inter Deū & hominem, imò ut colligitur ex Ariſtotele 8. *Ethic. cap.* 7. Antiqui Philoſophi ſolum naturale lumen ſecuti talem amicitiam negarunt. Sed contrà: Prima inſtantiæ pars 22.
infertet Deum neque amore ſupernaturali poſſe amari amicabiliter, quia etiam ut ſupernaturalia bona ad extrà communicans eſt bonus nobis; amor igitur, quo tendimus in Deum ut bonum nobis attingendo principaliter bonitatem paſſivam quà nos boni ſumus, concupiſcentialis eſt, non ſic amor quò tendimus in Deum ut bonum nobis attingendo principaliter bonitatem activam quâ etiam eſt bonus in ſe, & quâ eſt univerſalis ac ultimus finis *qui*. Secunda inſtantiæ pars vel neganda eſt abſolutè, vel diſtinguenda eſt dicendo ſpectare ad concupiſcentiam inclinare ad bonum proprium ſecundùm ſe, non ſic inclinare ad ipſum ut conſequens ad bonum totius. Ad tertiam inſtantiæ par- 23.
tem dico amorem amicitiæ ſumi in præſenti prout contradiſtinguitur ab amore concupiſcentiæ, abſtrahendo ab eo, quòd ſit amor mutuus & amicitia in toto rigore, vel ſit pura benevolentia à rigore amicitiæ deficiēs ex carentia redamationis, ex quâ carentiâ Antiqui Philoſophi fortè negarunt amicitiam inter Deum & creaturam, non excludendo benevolentiam creaturæ ergà Deum, ſed exiſtimando Deum non poſſe amicabiliter redamare creaturam propter illius ſuprà iſtam exceſſum, quod tamen etiam falſum ſuppono ex *tract.* 1. *lib.* 4. *cap* 3. *n.* 34.

Amicitia rigoroſa quid addat ſuprà benevolentiam.

Dices ſecundò: Bonitas, quâ Deus eſt amabilis ut bonus in ſe, eſt unica; non duplex, naturalis altera, altera ſupernaturalis; ergo etiam amor amicabilis, quo poſſumus in Deum tendere, unicus eſt & ſupernaturalis, non diſtinguibilis in naturalem & ſupernaturalem, undè etiam Scripturæ & Sancti Patres numquam duplicis amoris amicitiæ in Deum meminere, & ut loquitur Vaſquez, *Antequam ad ſcholas accederemus & has diverſas conſiderationes audiremus ex conſideratione beneficiorum Dei naturalium & omnipotentia ipſius iuncta cum bonitate, quotidiè exhortabantur nos Concionatores ad dilectionem, & contritionem, doloremque de peccatis propter Deum ſummè dilectum ut eo iuſtificaremur, ſicque quotidiè in ſuis concionibus populū exhortātur Concionatores non diſtinguē-tes has rationes amoris.* Sed cōtrà: Bonitas, quâ 24.
Deus &c. eſt unica formaliter cōcedo, eſt unica, eminenter, nego: Item eſt unica at cognoſcibilis ſub duplici lumine, naturali altero, altero ſupernaturali, concedo, eſt unica & cog-

noſcibilis unico lumine, nego antecedens & conſequentiam. Ad illud quod additur ex Scripturis, Sanctis Patribus, & Concionatoribus dico ſcopum ipſorum eſſe inſtruere homines ad obtinendam remiſſionem peccatorum & ſalutem, ad quam certè pro præſenti ſtatu naturæ elevatæ eòducit ſolus Dei amor ſupernaturalis, ideò nil mirum quòd amoris naturalis explicitè non meminerint; explicitè, inquam, nam Concilia præſertim & Patres, dum ſæpè tradunt ad juſtificationem & ſalutem prodeſſe ſolùm amorem Dei ſuper omnia elicitum ut oportet, implicitè inſinuant alium Dei amorem, qui non ſit ut oportet ad ſalutem.

Occurritur auctoritatibus.

Ex his habetur reſpectu Dei, tùm amorem concupiſcentiæ, tùm etiam amorem amicitiæ dividi in naturalem & ſupernaturalem, quidquid quoad ſecundum contrà ſenſerit Vaſquez quem Suarez *hic cap.* 30. aliique nonnulli arbitrantur contrà ſenſiſſe etiã quoad ſecundum adeò ut reſpectu Dei nullam admiſerit ſupernaturalem concupiſcentiam ſicuti nullam admiſit naturalem amicitiam: Verùm aliud eſt omnem amorem naturalem Dei eſſe concupiſcentiam, & concupiſcentiam erga Deum non eſſe neceſſariò ſupernaturalem, aliud omnem concupiſcentiam erga Deum eſſe amorem naturalem, & non poſſe eſſe ſupernaturalem: hoc ſecundum Vaſquez non docuit nec docere potuit, niſi contradicendo ſibi ipſi in eo, quod alibi tradit amorem, quo Deum videre ſperamus eſſe concupiſcentiæ pertinentem ad ſpẽ, in ſpe autem agnoſcit actus ſupernaturales ut obſervat Arriaga *diſp.* 39 *ſect.* 2. *n.*6.

Tùm amicitia, tùm concupiſcentia ergà Deum dividitur in naturalem & ſupernaturalem.

26\. Aſſert. 2. Naturalis amor amicitiæ, ſeu benevolentiæ erga Deum rectè dividitur in inefficacem & efficacem: Efficax rectè ſubdividitur in efficacem affectivè & efficacem effectivè. Tradunt hanc diviſionem Theologi communiter, quamvis non omnes ſub iiſdem terminis, Molina enim *in concordia diſp.* 14. *memb.* 3. *§. ex his* quod nos dicimus amorem inefficacem, appellat velleitatem; quod nos amorem efficacem affectivè appellat voluntatem abſolutam inefficacem; quod nos amorem efficacem effectivè, voluntatem abſolutam efficacem: Gabriel à S. Vincentio *hic diſp.* 3. *q.* 6. *n.* 86. pro amore efficaci affectivè ponit amorem actualem, pro efficaci effectivè habitualem. Aliqui alij pro amore inefficaci aut etiam pro efficaci ſolùm affectivè ponunt amorem imperfectum, pro efficaci aut etiam ſolùm pro efficaci effectivè amorem perfectum. Verùm quidquid ſit de his diverſis loquendi modis.

Amicitia naturalis in inefficacẽ, & efficacẽ, efficax in affectivè & effectivè talem.

27\. Probatur & explicatur aſſerta diviſio. Amare ex genere ſuo eſt velle bonum. Actus inefficax eſt actus non efficiens; actus efficax eſt actus efficiens; poteſt autem hic actus eſſe vel executivus & efficiens in executione ſeu in effectu, vel intentivus & efficiens in intentione ſeu in affectu, habens ſcilicet ex parte intentionis ſeu affectus quidquid requiritur ad executionem, adeò ut ad hanc nulla alia intentio, nulla voluntas efficacior neceſſaria ſit: Porrò reſpectu Dei bona, quæ efficere non poſſumus, ſunt præcipuè bona ipſi intrinſeca, nimirùm eſſentia, attributa, perſonalitates: Quæ verò efficere poſſumus ſunt bona eidem extrinſeca ſita in actibus, quibus Deo honorẽ, cultum, obedientiã exhibemus, eiq; in omnibus placere ſtudemus; ſicque reſpectu Dei amor benevolentiæ inefficax eſt ſimplex complacentia, quam habemus de perfectionibus Deo intrinſecis, puta de eo, quod Deus ſit infinitus, ſummè bonus, ſapiens, omnipotens, &c. Amor benevolentiæ efficax addit prædictæ ſimplici complacentiæ voluntatem efficacem tribuendi Deo omnia bona extrinſeca faciendi ſcilicet quæcumque ei placent, vitandi quæcumque ei diſplicent; hujuſmodi voluntas ſi ſit tranſiens & in unico actu conſiſtat, nec virtualiter aut habitualiter perſeveret inducendo continuatam proſecutionem eorũ, quæ Deo placent, & eorũ quæ Deo diſplicent, fugam; dicitur benevolentia efficax affectivè; ſi ſit permanens, & conſiſtat, vel in pluribus actibus ſibi ſuccedentibus, vel in uno virtualiter aut habitualiter perſeverante inducendo continuatam, &c. dicitur benevolentia efficax effectivè.

28\. Aſſert. 3. Suppoſito præſenti ſtatu elevationis non poteſt homo efficaciter & ſuper omnia amare Deum Auctorem & finem naturalem, quin amet eumdem Auctorem & finem ſupernaturalem. In hoc aſſerto ità univerſaliter poſito exiſtimo convenire Theologos, licèt deindè diſſideant in ſtatuendo; Utrùm amor attingens Deum Auctorem & finem ſupernaturalem ſit neceſſariò ſupernaturalis & proveniens ab auxilio ſupernaturalis ordinis; an poſſit eſſe naturalis, & aut non indigeat aliquo ſpeciali auxilio, aut ſaltem contentus ſit auxilio ordinis naturalis?

Suppoſitâ elevatione non poteſt amari ſuper omnia auctor naturæ, quin ſimul ametur auctor ſupernaturalis.

Probatur primò: Non poteſt homo efficaciter & ſuper omnia amare Deum auctorem & finem naturalem, quin amet ipſum ſub ea omni ratione, ſub quâ lumen naturæ dictat amari debere; atqui ſuppoſito præſenti ſtatu elevationis lumen naturæ dictat Deum amari debere etiam ſub ratione auctoris & finis ſupernaturalis; ergo ſuppoſito præſenti ſtatu elevationis non poteſt homo efficaciter, &c. Major patet quia dictamen luminis naturalis eſt proxima & immediata regula amandi Deum auctorem & finem naturalem; non eſt autem amor efficax & ſuper omnia, quod eſt idem ac dicere, totalis ac perfectus, quoties non eſt ſuæ proximæ & immediatæ regulæ adæquatus ac perfectè commenſuratus: Minor probatur, lumen naturæ dictat hominem debere tendere in illum omnem finem, in quem eſt ordinatus, & debere obedire Deo in quocumque ordine ſeu in quâcumque materiâ, hoc enim certè requiritur ad placendum Deo in omnibus & ſuper omnia; ſed ſuppoſito præſenti ſtatu elevationis homo eſt ordinatus in Deum finem ſupernaturalem, & recipit à Deo præcepta ſupernaturalia ſeu in ſupernaturali ordine, & ſupernaturali materiâ; ergo ſuppoſito præſenti ſtatu lumen naturæ dictat hominem debere tendere in Deum finem ſupernaturalem, 29.

pernaturalem, eique placere & obedire in præceptis ſupernaturalibus, quod eſt debere amari Deũ Auctorem & finẽ ſupernaturalẽ.

Dices: hoc argumentum nimis probat, ſi enim in præſenti ſtatu omnis amor perfectæ amicitiæ ergà Deum debet attingere finem ſupernaturalem, conſequẽs eſt quod in præſenti ſtatu omnis amor perfectæ amicitiæ ergà Deum ſit ſupernaturalis, nec dabilis ſit ullus amor perfectæ amicitiæ naturalis, quod eſt relabi in opinionem Vaſquij primo aſſerto rejectam, & recedere à D.Tho. *1.p.q.60.a.5.* docente remanere in Angelis beatis naturalem Dei dilectionem; poteſt igitur haberi in ſtatu elevationis naturalis Dei dilectio.

30\. *Actus attingens finem ſupernaturalẽ non eſt neceſſariò ſupernaturalis directè multòque minus adæquatè.*

Sed contrà: abſtrahẽdo pro nunc ab eo, quod ad attingendum ſeu diligẽdum finem ſupernaturalem terminativè ſolùm, non motivè ſe habentem, ſufficiat naturalis amor, ab hoc, inquam, abſtrahendo advert amorẽ perfectæ ergà Deum amicitiæ poſſe eſſe ſupernaturalẽ, vel directè & in ſe, quatenùs ſit unicus ac ſimplex actus ſupernaturalis ordinis; vel indirectè & connexivè, quatenùs naturalis actus amicitiæ, ut perfectus ſit, debeat eſſe connexus cum actu ſupernaturali: Rurſus poſſe eſſe ſupernaturalem vel adæquatè, quatenùs unicè & adæquatè reſpiciat finem ſupernaturalem; vel inadæquatè, quatenùs finem ſupernaturalem reſpiciat, inadæquatè tamen, & ſimul reſpiciendo finem naturalẽ; hinc ad inſtantiam dico ex eo, quòd amor perfectæ erga Deum amicitiæ debeat in præſenti ſtatu attingere finem ſupernaturalem, conſequens eſſe, quod talis amor ſit ſupernaturalis indirectè & connexivè; aut ad ſummum inadæquatè: at non quod ſit ſupernaturalis directè & in ſe, multòque minus, adæquatè, in quo maximè conſiſtebat opinio Vaſquij negantis prorsùs amicitiã circa Deũ ut finem naturalem. Allata D.Thom. auctoritas nobis non officit, cum non negemus, imò expreſsè aſtruamus in præſenti ſtatu naturalem Dei dilectionem; quamvis deindè addamus ei, ut perfecta ſit, addendam eſſe dilectionem ſupernaturalem.

Probatur ſecundò: Suppoſito præſenti ſtatu elevationis homo non poteſt averti à Deo ut fine naturali, quin ſimul avertatur ab eodem ut fine ſupernaturali; cum non poſſit amitti rectificatio per naturam, quin ſimul amittatur rectificatio per gratiam, & tranſgreſſio præceptorum naturalium, per quam avertimur à fine naturali, reddat nos in præſenti ſtatu averſos etiam à fine ſupernaturali, & hujus conſecutionem impediat; ergo pariter non poteſt converti ad Deum ut finem naturalem, quin ſimul convertatur ad ipſum ut finem ſupernaturalem; eadem enim eſt ratio contrariorum, & qui poſſet converti ad finem naturalem abſque eo quod converteretur ad finẽ ſupernaturalem poſſet habere jus ad beatitudinẽ naturalem abſque jure ad beatitudinẽ ſupernaturalem, quod repugnat in præſenti ſtatu; atqui amare efficaciter & ſuper omnia finem eſt ad ipſum converti; ergo ſuppoſito præſenti ſtatu non poteſt homo amare efficaciter, & ſuper omnia Deum ut finem naturalem; quin amet ipſum ut finem ſupernaturalem.

31\. *Suppoſitâ elevatione averſio à fine naturali nequit eſſe ſine averſione à fine ſupernaturali.*

Dixi: juxtà D.Thom. *1.p.q.60.a.5.ad 5.* homo & Angelus damnatus naturaliter diligit Deum plùs quàm ſe ipſum, & tamen certè non habet converſionem ad Deum ut ad finem ſupernaturalem; imò habet permanentem & inabjicibilem averſionem; ergò verè poteſt in præſenti ſtatu dari converſio ad Deum ut ad finem naturalem cum averſione ab eodem ut fine ſupernaturali. Sed contrà: D.Thom. ibi loquitur vel de amore innato, ſeu naturali propẽſione ad amandum, non de amore elicito; vel de amore elicito concupiſcentiæ, non amicitiæ; vel de amore amicitiæ inefficaci, non efficaci; ut latiùs quoad ſingula membra oſtendit Gabriel à S. Vincentio *hic diſp.3.q.7. à n.116.*

32\. *Quomodò damnati ament naturaliter Deũ.*

Dices inſuper allatam probationem inferre ad ſummum, quòd peccator averſus à Deo ut à fine ſupernaturali nequeat ad ipſum ut ad finem naturalem converti, quin ad eumdem ut ad finem ſupernaturalem cõvertatur, quia secùs eſſet ſimul averſus & converſus; atqui hoc non ſequitur in juſto nullam habẽre averſionem, imò habitualiter ad Deum ut finem ſupernaturalem converſo; ergo ſaltem homo juſtus in præſenti ſtatu poterit ſe actu convertere ad Deum finem naturalem nullatenùs ſe actu convertendo ad finem ſupernaturalem. Sed contrà: propter hanc inſtãtiam nonnulli inter quos Marcus à Serrâ *hic dub.unic.* & Ioann. à S.Th. *diſp.19.artic.4.n.8.* diverſimodè ſentit de homine juſto, ac de peccatore in ordine ad amandum efficaciter Deum ut finem naturalem abſque amore eiuſdem ut finis ſupernaturalis; Nihilominùs oppoſitũ ſuſtineo cum Goneto *diſp.1.n.205.* & licèt ſecũda probatio mox allata majorem habeat vim reſpectu peccatoris, tamen proportio ſervanda inter converſionem & averſionem probat intẽtum etiam reſpectu juſti; idem intentum magis directè infertur ex ſuperiore primâ probatione, & confirmatur ex eo, quòd ſecùs in homine juſto naturalis dilectio efficax & ſuper omnia eſſet imperfectior & inferioris conditionis, quàm in peccatore. 33.

Ex dictis habetur amorem naturalem efficacem & ſuper omnia, qui præcisè attingat Deum ut naturæ Auctorem, dabilem dumtaxat eſſe in ſtatu naturæ puræ, aut integræ integritate non includente gratiam ſanctificantem aliúdve donum ſupernaturale in ſubſtantia; in tali enim integritate aut puritate homo, quia nullam haberet notitiam finis ſupernaturalis nullàque ſupernaturalia præcepta ex dictamine luminis naturalis ne indirectè quidem & connexive duceretur ad tẽdẽdum in finem ſupernaturalẽ & ad obediẽdũ Deo in præceptis ſupernaturalibus, ſicuti ducitur nunc, nec propterea homo purus haberet lumen naturale diverſum ab eo, quod nunc habet; tota enim diverſitas eſſet in aliquo dictamine particulari, non in dictamine univerſali, & teneret ſe ex parte objecti diverſi ſe diverſimodè propoſiti, non ex parte ipſius luminis. 34.

35. Aſſerta hucuſque & tradita de amore Dei ut finis naturalis libenter præmiſi, ut poſſem faciliùs atque diſtinctiùs procedere in explicanda circà talem amorem neceſſitate actualis gratiæ, quo in puncto ad amorem amicabilem inefficacem communiter actualem gratiam non requirunt, quicumque docent ad aliquod bonum morale facilè & leve ſufficere vires naturales hominis lapſi cum ſolo generali & ordinario Dei concurſu. E contrà ad amorem amicabilem effectivè efficacem communiter requirunt actualem gratiam quicumque juxtà infià dicenda eamdem gratiam requirunt ad perſeverantiam & totius legis obſervantiam, cum hæc in amore amicabili effectivè efficaci includatur: Controverſia igitur unicè viget circà amorem amicabilem efficacem affectivè, ad quem cum ſolâ bonitate morali & quoad ſubſtantiam actus, non ſalutariter & ut oportet eliciendum ſufficere vires naturales hominis, ſivè puri, ſivè lapſi, generali Dei concurſu adjutas docent Scotus *in 3. diſtinct. 27. §. iſtis & in 4. diſt. 14. quæſt. 2.* Sotus *in 4. diſtinct. 17. quæſt. 1. art. 5.* Canus *in relect. de Pœnitentia.* Gabriel, Ochamus, & alij apud Molinam *in concord. quæſt. 14. diſput. 14. memb. 1.* ubi poſtquam recenſuit etiam D. Bonaventuram & D. Thomam addit majore excepto neminem ſe legiſſe ex Doctoribus Soto & Cano antiquioribus, qui huic communi opinioni adverſetur, ei ipſe tenaciſſimè adhæret totâ *diſp. 14. præcit.* eidem multùm favet Arriaga *hic diſput. 3. ſect. 5. num. 15.* Oppoſitum tradunt Valentia *diſputat. 8. quæſt. 1. punct. 4.* Bellarminus *controv. 3. lib. 6. de gratia & libero arbitrio cap. 7.* Amicus *diſput. 26. ſect. 5. num. 286.* Eſparza *lib. 4. quæſt. 13.* Alvarez *de aux. lib. 6. diſp. 51.* Ioannes à S. Thoma *diſput. 19. art. 4.* Gonetus *diſput. 1. art. 4. §. 2.* Madernus *quæſt. 2. art. 3.* & ferè omnes alij Recentiores, ad quos accedo §. *ſequenti.* Ideò ſit

Doctorum placita circa neceſſitaté gratiæ ad amandú Deum ut naturæ auctorem.

---

§. IV.

Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad amorem efficacem Dei, ut Auctoris natura?

36. ASSERT. Ad amorem etiam ſolùm affectivè efficacem Dei, ut Auctoris naturæ, neceſſaria eſt homini lapſo actualis gratia: Dixi *etiam ſolùm affectivè* ut innuerem idem eſſe à fortiori ſentiendum de amore efficaci effectivè juxtà utriuſque explicationem ſuprà traditam *num. 27.* Ità Valentia, Bellarminus, Amicus, Eſparza, Alvarez, Ioannes à S. Thomâ, Gonetus, Madernus, &c. contrà Scotum, Sotum, Canum, Molinam, Arriagam, &c. locis relatis *num. præced.*

Homo lapſus indiget gratiâ ad amorem etiá ſolùm affectivè efficacem Dei, ut auctoris naturæ.

Probatur primò: In homine lapſo amor etiam ſolùm affectivè efficax circà Deum, ut Auctorem naturæ, importat per ſe & ex genere ſuo efficax propoſitum ſervandi omnia præcepta naturalia, & vincendi omnes tentationes contrà talia præcepta occurrentes; per accidens deinde & ex conditione ſubjecti ordinati ad finem ſupernaturalem tale propoſitum extenditur ad præcepta ſupernaturalia, & ad tentationes contrà iſta occurrentes; ſed ad propoſitum efficax ſervandi omnia præcepta, &c. neceſſaria eſt homini lapſo actualis gratia; ergo ad amorem etiam ſolùm affectivè efficacē, &c. Major continetur in doctrina §. præcedentis: Minor probatur, ad obſervantiam omnium præceptorum naturalium, multoq; magis etiam ſupernaturalium, & ad victoriam omnium tentationum contrà alterutra, multoque magis contrà utraque præcepta occurrentium, neceſſaria eſt ex infra dicendis homini lapſo actualis gratia; ergo hæc pariter eidem neceſſaria eſt ad propoſitum efficax ſervandi, &c. probatur conſequentia, propoſitum efficax ſervandi, &c. habet eamdem bonitatem moralem, quam actualis omnium præceptorum obſervantia, omniumque tentationum victoria, actus enim executivus & externus nullam addit bonitatem actui intentivo & interno efficaci; & ratio à priori eſſe poteſt, quia actus efficax internus eſt virtualiter actus externus, propoſitum efficax ſervandi præcepta & vincēdi tentationes eſt virtualis obſervantia & victoria, nec minùs repugnat conjungi aliquam non obſervantiam, aut non victoriam, cum tali propoſito perſeverante, quàm cum obſervantia & victoria ipſa actuali; ergo homo habet eamdem difficultatem ad eliciendum propoſitum efficax ſervandi, &c. ac ad actualem obſervantiam; ergo ſi ad ſuperandam difficultatē actualis obſervantiæ neceſſaria eſt gratia, erit pariter neceſſaria ad ſuperandam difficultatem eliciendi propoſiti efficacis.

37. Propoſitū efficax obſervantiæ præceptorū eſt ejuſdem bonitatis & difficultatis ac obſervantia ipſa.

Dices primò propoſitum efficax ſervandi præcepta & vincendi tentationes habere eamdem bonitatem moralem eamdemque difficultatem, ac habeat obſervantia & victoria ipſa, tunc ad ſummum, quando eliciturus tale propoſitum attentè perpendit & examinat omnia impedimenta, omniaque incommoda, quibus poteſt reddi difficilis obſervantia illa & victoria; atqui propoſitum efficax incluſum in efficaci Dei amore hoc non requirit, quia ut advertit Molina *præcit. diſputat. 14. memb. 4.* eſſet ſalutare ac tutum conſilium imò neceſſarium, ut amans efficaciter Deum, aut dolens de peccatis deſcenderet ad particulares appretiationes proponendo ſibi ingentes qualcumque difficultates ſuperandas & mala graviſſima ſubeunda potiùs, quàm præceptum tranſgredi aut tentationi ſuccumbere, ad quas tamen appretiationes deſcendere non ſolùm neceſſarium, ſed ne expediens quidem eſſe docent conſcientiarum directores, & Eccleſiæ praxis obſervat; ergo. In hac doctrinâ fundatur quod ait Arriagâ *præcit. numer. 15.* poſſe ſine gratiæ auxilio amari efficaciter & ſuper omnia Deum, ſaltem quando actu non occurrunt in particulari

tentationes

tentationes graves, & ingentia pericula ſuperanda. Sed contrà: propoſitum incluſum in efficaci amore Dei nõ continet apretiationes illas formaliter, & explicitè; adeóque neceſſarium non eſt & fortè nec expediens ad ipſas in particulari deſcẽdere, vel attẽtè perpendere impedimenta, incommoda, pericula, &c. Continet tamen eaſdem appetitiones virtualiter & implicitè; quatenùs debet eſſe ex ſe aptum imperare tales appetitiones, ſi occurrant; & quamdiù perſeverat, debet eſſe incompoſſibile cum quolibet actu aut opere illis oppoſito, & in hoc cõſiſtit talis propoſiti eminentia, bonitas, ac difficultas. Ad illud quod addit Arriaga dico amantẽ Deum nullis occurrentibus tentationibus nulliſque periculis, niſi implicitè proponat ſuperare tentationes, & pericula, quoties occurrant, amare inefficaciter tantùm & non ſuper omnia.

38. Dices ſecundò: propoſitum efficax ſervandi præcepta non pendet ab eo, quòd poſteà præcepta ſerventur; ergo ex eo quod requiratur gratiæ auxilium ad ſervanda poſteà præcepta, non rectè infertur quòd pariter gratiæ auxilium requiratur ad eliciendum ipſum propoſitum, nec quòd eadem ſit bonitas & difficultas in eliciendo propoſito, ac in ſervandis præceptis; antecedens probatur tum experientià multorum peccantium poſtquàm Deum efficaciter amarunt, tùm quia voluntas affectivè efficax in creaturâ æquè ac in Deo eſſet inſeparabilis à voluntate efficaci effectivè, & omne propoſitum efficax creaturæ eſſet infruſtrabile æquè ac omne

39. propoſitum efficax Dei. Sed contrà: propoſitum efficax ſervandi præcepta, ſi poſteà ceſſet, non pendet ab eo, quòd poſteà præcepta ſerventur, concedo; ſi poſtea perſeveret, non pendet, &c. nego antecedens & conſequentiã; quamdiù igitur efficax Dei amor & propoſitum in eo incluſum actu eſt, tandiù infallibiliter & neceſſitate conſequenti ſervãtur omnia præcepta, ſivè inſurgant ſivè non graves difficultates, & tentationes vehemẽtes, item ſivè perſeveraturũ ſivè ceſſaturum ſit propoſitum ipſum; iſtud propterea ſivè inſurgant difficultates & tentationes, ſivè non; ſivè perſeveret ſive ceſſet, habet quamdiù exiſtit eamdem bonitatem eamdémque difficultatem, quam actualis præceptorum obſervantia, & confirmatur ex eo quod amor perfectus eſt ex genere ſuo perpetuus, nec perfectè amat qui ità amat, ut ſimul velit poſt aliquod tempus, vel in aliqua circumſtãtia ab amore recedere; omnis igitur amor perfectus habet, quantùm eſt de ſe, perfectionem amoris perpetuò perſeveraturi, & per accidens ei eſt; quòd aliquando ceſſet.

Amor perfectus peti eſſe perpetuus.

40. Probatur ſecundo: Amor etiam ſolùm affectivè efficax non poteſt eſſe de bono impoſſibili, ſed in homine lapſo amor efficax Dei, ut Auctoris naturæ, independenter ab auxilio gratiæ eſſet de bono impoſſibili; ergo dabilis non eſt talis amor & per conſequens ad amorem etiam ſolùm affectivè efficacem, &c. major patet ex eo, quod nullus affectus efficax, ut potè qui eſt efficiens ſaltem in intentione, fertur in impoſſibile: Minor probatur: bonum circà quod verſatur amor efficax Dei, qua efficax & qua contradiſtinctus ab inefficaci & ſimplici cõplacẽtia, ſitum eſt nõ in perfectionibus Deo intrinſecis, ſed in extrinſecis, id eſt, in bonis operibus à nobis Deo exhibendis, ut ſuprà attigimus *num.* 27. & ut tale bonum ſit objectũ amoris efficacis perfecti, ſeu univerſalis, & ſuper omnia poſtulat extẽdi ad omnia prorsùs bona extrinſeca Deo debita; ſed in homine lapſo amor efficax attingens omnia bona extrinſeca Deo debita independenter ab auxilio gratiæ eſſet de bono impoſſibili; quia nos Deo debemus omnia bona opera neceſſaria ad præceptorum obſervantiam, & tentationum victoriam; quæ ex infrà dicendis conſtabit eſſe nobis independenter ab auxilio gratiæ ſaltem moraliter impoſſibilia, ergo in nobis amor efficax Dei ut Auctoris naturæ, independenter ab auxilio gratiæ eſſet de bono impoſſibili.

Amor efficax Dei dicitur efficax in ordine ad bona Deo extrinſeca.

Dices primò ad primam majorem, amorem etiam ſolùm affectivè efficacem, & quemlibet alium efficacem affectum, non poſſe eſſe de bono impoſſibili cognito ut tali, benè tamen poſſe eſſe de bono impoſſibili exiſtimato poſſibili; cum ergò facilè quis poſſit exiſtimare independenter à gratia poſſibilia omnia bona opera neceſſaria ad præceptorum obſervantiam & tentationũ victoriam, poterit circà talia bona ut exiſtimata independenter à gratia poſſibilia verſari amor affectivè efficax. Sed contrà: bonum impoſſibile exiſtimatum poſſibile ſufficit ad affectum efficacem in exiſtimatione, at non ad efficacem in re; non eſſet igitur re verà efficax amor Dei, quo quis vellet ei exhibere bona extrinſeca exiſtimata independenter à gratia poſſibilia, at non re verâ talia. 41.

Poſſibilitas exiſtimata objecti nõ ſufficit ad terminandũ actum efficacem.

Urgebis, hic amor ſive ſit re verâ efficax, ſive non, eſt tamen ejuſdem bonitatis ac perfectionis cum amore re verâ efficaci; ergo ſi ad primum amorem non requiritur in homine lapſo actualis gratia, neque requiretur ad ſecundum, antecedens probatur, eliciens hunc amorem poteſt perpendere difficultates occurrentes in obſervantia præceptorum æquè ac eliciens amorem re vera efficacem; nam ad difficultates illas expendendas nil refert cognoſcere ipſas eſſe ſuperabiles dependenter, aut independenter à gratia. Contrà tamen: ex hoc præciſè, quòd 42. quis ſciat difficultatem aliquam ſuperari non poſſe ſine gratia, apprehendit talem difficultatem ut majorem, quàm ſi exiſtimet eam eſſe ſuperabilem viribus propriis, idèò majoris ſemper eſt bonitatis ac perfectionis propoſitum ſuperandi difficultates cognitas, ut ſuperabiles ſolis viribus gratiæ; quàm exiſtimatas ſuperabiles viribus naturæ: Accedit quod poſſibilitas exiſtimata ſe habet ut poſſibilitas conditionata, certum eſt autem impoſſibile ſub conditione quod eſſet poſſibile non amari eadem bonitate & perfectione actus, qua amatur quod eſt re vera & abſolutè poſſibile.

Dices ſecundò ad primam minorem, amorem efficacem Dei independenter ab auxilio gratiæ ſe tenente ex parte objecti fore de objecto impoſſibili, at hinc non inferri quòd auxilium ſit neceſſarium ad eliciendum amorem & ſit neceſſarium etiam ex parte actus: Primò quia alibi diximus dari poſſe actum abſolutum de objecto dependente à conditione, actum gratioſum de objecto dependente à meritis, cur ergo ſimiliter dari non poterit actus purè naturalis de objecto dependente à gratia? Secundò quia licèt ad amorem efficacem Dei ex parte objecti requiratur gratia, ſcimus tamen talem gratiam eſſe paratam & proviſam; poteſt autem quis efficaciter viribus propriis velle aliquid executioni mandandum dependenter à viribus alienis, quoties ſcit ſibi vires alienas non defuturas; ut confirmari poteſt ex iis, quæ dicebamus *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 58. docentes poſſe nos viribus naturæ habere appetitum efficacem viſionis Dei ſuppoſita per fidem notitia de poſſibilitate & acquiſibilitate ipſius per media ſupernaturalia. Tertiò, quia ad conſecrationem & abſolutionem ſacramentalem omninò requiritur ſupernaturalis virtus; nec propterea requiritur ſupernaturalis virtus, ut Sacerdos habeat voluntatem, intentionemvè efficacem abſolvendi, & conſecrandi. Sed contrà: ex eo præ-

43\. Occurritur difficultatibus Adverſariorum inſtantiis.

ciſè, quòd admittatur gratia neceſſaria ex parte objecti, actus ipſe requirit gratiam ex parte objecti futuram; ſicque verificatur aſſertum, ut jacet, ſtatuit enim ſolùm homini lapſo ad amorem efficacem Dei eſſe neceſſariam actualem gratiam, nec exprimit, utrùm ſit neceſſaria ex parte actus, an ex parte objecti? Nihilominùs quia in re exiſtimo ad amorem efficacem Dei eſſe neceſſariam homini lapſo aliquam actualem gratiam præſentem, ac ſe tenentem etiam ex parte actus, dico neceſſitatem gratiæ ex parte objecti non inferre quidem univerſaliter neceſſitatem ejuſdem ex parte actus; inferre tamen eam, quando difficultates, ad quas ſuperandas neceſſaria eſt gratia ex parte objecti, afficiunt etiam actum, ut *ex præced. num.* 37. evenit in efficaci amore Dei: non nego igitur quomodocumque poſſe dari actum purè naturalem de objecto dependente à gratia; ſed nego poſſe eſſe talem actum efficacem, quando ipſius poſitio eſt æquè difficilis ac ſit difficilis poſitio objecti dependentis à gratia: & hinc manet ſoluta prima inſtantiæ probatio.

44\. Ad ſecundam dico ipſammet certam cognitionem de gratiâ ex parte objecti paratâ, & proviſâ, eſſe gratiam actualem præſentem & ſe tenentem ex parte actus; undè actus conſequens talem cognitionem non eſt ampliùs purè naturalis, prout purè naturale excludit omne gratioſum; quamvis poſſit adhuc eſſe purè naturalis, prout purè naturale excludit ſupernaturale in ſubſtantia: & in hoc ſenſu alibi dicebamus poſſe eſſe naturalem, ſeu naturæ viribus elicitum appetitum efficacem viſionis Dei, nihil aliud intendentes quàm talem appetitum poſſe eſſe non ſupernaturalem in ſubſtantiâ.

Ad tertiam Gonetus *hic diſp.* 1. *num.* 102. reſpondet voluntatem intentionemvè conſecrandi & abſolvendi in Sacerdote terminari ad aliquid naturale, ſcilicet ad prolationem verborum: ne tamen hinc quis inferat ad valorem Sacramenti ſufficere in Miniſtro intentionem faciendi rem externam, admitto intentionem illam terminari ad aliquid ampliùs, quàm ad prolationem verborum, terminari ſcilicet ad illud quod intendit facere Eccleſia at hoc, licèt ſit ſupernaturalis effectus, non requirit in Sacerdote ſupernaturalem virtutem, ſupernaturalemvè intentionem; quia talis effectus non debet prodire immediatè à Sacerdote, ſed ab ipſo mediis verbis naturalibus & naturaliter prolatis, quamvis deindè elevandis a Deo ut à ſupernaturali Auctore: quâ de re aliquid iterùm attingemus infrà *cap.* 4. *n.* 33. 45.

Dices tertiò ad eamdem minorem: In homine puro amor efficax Dei ut auctoris naturæ independenter ab auxilio gratiæ non eſſet de bono impoſſibili; ergo neque eſt de bono impoſſibili talis amor in homine lapſu: conſequentia currit ex eo, quod per nos homo lapſus non eſt debilior puro, eſſet autem debilior, ſi foret impoſſibile homini lapſo aliquid non impoſſibile homini puro: Antecedens probatur primò ex celebri illâ Auguſtini ſententiâ epiſt. 107. ad Vitalem, *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*, homo igitur purus & nullam paſſus ex peccato jacturam habuiſſet expeditam facultatem ad Deum diligendum: Secundò quia repugnat præceptum de objecto impoſſibili; atqui ex unâ parte purus homo habuiſſet præceptum amandi efficaciter Deum ut naturæ auctorem, cum id pertineat ad naturæ legem, & ad id homo naturaliter inclinetur, ut tradit S. Doctor *quodlib.* 1. *art.* 8. & alibi; ex alia parte homo purus retentâ ſui ſtatus puritate non eſt capax alicujus auxilij gratiæ, nam puritas ſtatus, de quâ in præſenti, non admittit aliquod indebitum, ut tamen eſt ex genere ſuo indebitum quodlibet gratiæ auxilium; ergo homo purus habuiſſet obligationem & præceptum amandi efficaciter Deum independenter à gratiâ, ac per conſequens talis amor independenter à gratiâ non eſſet de objecto impoſſibili, de quo præceptum repugnat, & obligatio nulla eſt. Sed contrà: auxilium 46.
gratiæ vel ſumitur præcisè pro auxilio gratuito, & liberali; vel ſumitur pro auxilio ſupernaturali ſaltem quoad modum: In hoc ſecundo ſenſu concedendum eſt, in primo negandum inſtantiæ antecedens; ad cujus primam probationem dico nos liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidiſſe comparativè ad ſtatum integritatis, vel originalis juſtitiæ; non comparativè ad ſtatum naturæ puræ: Ad ſecundam ejuſdem antecedentis probationem concedo majorem, & primam partem minoris, ad cujus partem alteram dico hominem purum eſſe capacem auxilij gratiæ ſumpti pro auxilio liberali, quam-

vis

Homo purus omni ſopernaturali, non omni liberali auxilio careret.

vis non ſumpti pro auxilio ſupernaturali; & excludere omne indebitum proveniens à providentia ſupernaturali, at non proveniens à providentia naturali; cui certè, ſicuti conceditur in ſuo ordine libertas, ità non eſt neganda aliqua liberalitas.

Vrgebis: homo lapſus ad amorem efficacem Dei, ut Auctoris naturæ, indiget auxilio ſupernaturali: vel ergo eodem auxilio indigeret etiam homo purus, & ſic ei permanenti in puritate ſui ſtatus eſſet impoſſibilis efficax amor Dei Auctoris naturæ; vel non indigeret, & ſic homo lapſus eſſet debilior puro, homo enim lapſus indigeret adjutorio majori & ſupernaturali ad id, ad quod homini puro adjutorium minus & naturale ſufficeret; anteeedens probatur quia *ex præced. n.* 28. homo lapſus nequit efficaciter & ſuper omnia amare Deum ut finem auctoremve naturalem, quin ſimul amet ipſum ut finem auctorem vò ſupernaturalem; ad amandum autem Deum ut finem ſupernaturalem utique requiritur ſupernaturale auxilium.

47. Sed contrà: tranſeat anteeedens in ſenſu ex dictis eruendo, ad conſequens dilemma eligo ſecundam partem, at nego quod proptereà homo lapſus eſſet debilior puro; & ratio eſt, quia non indigeret ſupernaturali & majori auxilio, quàm purus, ad eundem amorem, ſed ad diverſum; amor enim Dei Auctoris naturæ in homine lapſo ratione ſtatus elevationis haberet diverſum, majus, & difficilius objectum, quàm in puro ut conſtat ex *præced. n.* 29. & 34. Vnde poſſet quidem homo lapſus cum auxilio gratioſo ordinis naturalis elicere tantum Dei auctoris naturæ amorem, quantum homo purus, quod ſufficit ut homo lapſus non ſit puro debilior; at ille Dei ut auctoris naturæ amor, qui eſſet ſimpliciter efficax & ſuper omnia in homine puro, non eſſet talis in homine lapſo propter elevationem & ordinationem iſtius ad plura præcepta, & dictamen rationis naturalis ad plura ſe extendens.

In homine puro, & lapſo, amor Dei ut Auctoris naturæ diverſus eſt.

48. Ex dictis habetur primò quid ſentiendum ſit de neceſſitate gratiæ ad amorem concupiſcentiæ circà Deum ut naturæ Auctorem; poteſt enim talis amor ſumi dupliciter; prout dupliciter potiſſimùm Deus nobis in ordine naturæ bonus eſt, bonus quippè nobis eſt tùm in genere efficientis, quatenùs nobis tribuit & conſervat eſſe præſcindendo ab eſſe beato vel miſero, tùm in genere finis, quatenùs eſt noſtra beatitudo naturalis & noſter ultimus finis, ad quem etiam conſideratum ut bonum nobis & dilectum dilectione efficaci concupiſcentiali, tenemur tendere per obſervantiam totius legis naturalis; Ad amorem concupiſcentiæ tendentem in Deum primo modo non eſt neceſſaria gratia, ſicuti non eſt neceſſaria ad amorem ſui ipſius, in quo amor ille quaſi continetur, unde de hoc amore intelligendum eſt quod *præced. n.* 32. inſinuavimus concedi à D. Thoma in damnatis amorem concupiſcentiæ ergà Deum. Ad amorem concupiſcentiæ tendentem ergà Deum ſecundo modo, quoties efficax eſt, actualis gratia requiritur, quia licèt ex diverſo & minùs perfectò motivo, includit quoties efficax eſt propoſitum efficax obſervandi totam legem non minùs, quàm amor efficax amicitiæ; ad propoſitum autem obſervandi totam legem ſive ſit ex motivo placendi Deo ut bono in ſe, ſive ex motivo acquirendi ipſum ut ultimum finem bonum nobis, neceſſarium eſt gratiæ auxilium; cum præſertim inter alia præcepta obſervanda contineatur illud amandi amicabiliter Deum Auctorem naturæ, utpotè quod eſt præceptum legis naturalis.

Quomodò neceſſaria gratia ad amandum Deû amore concupiſcentiæ.

Habetur ſecundò quoad amorem inefficacem & ſimplicem complacentiam divinæ bonitatis, ſive conſideratæ ut bonæ in ſe, ſive ut bonæ nobis, ambigendum non eſſe quin haberi poſſit ſine ullo ſpeciali gratiæ auxilio; cum & bonitas divina facillimè cognoſci poſſit ut amabilis, & amor inefficax ipſius non inferat aut propoſitum ſervandi præcepta, aut aliquam aliam difficultatem; eſt igitur talis amor tùm ex parte cognitionis prærequiſitæ, tùm ex parte ſui facillimus; adeoque inter illa bona moralia, ad quæ ex ſupradictis §. 1. & 2. nec ex parte intellectus, nec ex parte voluntatis, neceſſarium eſt actualis gratiæ adjutorium. 49.

Quomodò ad amandû Deû amore inefficaci.

---

§. V.

Vtrum homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad obſervandam totam legem naturalem?

ASSERT. Homini lapſo eſt neceſſaria actualis gratia ad obſervandam totam legem naturalem etiam ſolùm quoad ſubſtantiam, & præſcindendo à modo meritorio aut ſalutari. Dixi *ad obſervandam totam legem naturalem*; in obſervantia autem totius legis includitur perſeverantia, utpotè quæ cadit ſub lege; ideò impropriè loquuntur, at nobis in re non adverſantur, qui docent poſſe hominem lapſum abſque actuali gratia obſervare totam legem naturalem ad breve tempus, non ad diuturnum, quod eſt idem ac dicere non perſeveranter. Dixi *etiam ſolùm quoad ſubſtantiam*, obſervatur autem lex quoad ſubſtantiam per hoc præcisè, quòd fiat opus à lege præceptum. Dixi *& præſcindendo à modo meritoria ac ſalutari* quia ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 100. *art.* 9. & 10. triplex eſt modus, quo poteſt præceptum aliquod legis naturalis impleri, nimirùm primò virtuosè & ex intenſione moraliter bona; ſecundò ſalutariter & ex motivo charitatis ac ſalutis ſupernaturalis; tertiò ſtabiliter & ex habitu: à ſecundo autem tantùm in præſenti præſcindimus, utpotè qui non ſpectat ad legem naturalem conſideratam in ſua linea, & eſt modus quem communiter intelligunt Theologi, dum diſtinguunt obſervantiam quantùm ad ſubſtantiam, & obſervantiam quantùm ad modum contrà propoſitionem quinquageſi- 50.

Homo lapſus indiget gratia actuali ad obſervandâ totâ legem naturalem.

Obſervantia legis quoad modû triplex.

mam octavam Baij rejicientis talem diſtinctionem tanquam commentitiam. Aſſertum ità explicatum eſt communiſſimè receptum à Theologis, & oppoſitum ab aliquibus cenſetur contrà fidem, ab aliis errori proximum, ab aliis ſaltem temerarium, vt videre eſt apud Oviedum *hic controv.* 4. *n.* 44. eſt verò contrà Pelagium & Pelagianos nullam agnoſcentes gratiæ neceſſitatem, & ponentes ſine gratiæ auxiliis ab homine lapſo impleri præcepta omnia, etiam quoad modum & ut oportet ad ſalutem, nedum quoad ſubſtantiam.

Cenſura opinionis oppoſitæ.

51\. Probatur: Omnia præcepta naturalia nec collectivè nec diviſivè ſumpta poſſunt quoad ſubſtantiam impleri ab homine lapſo ſine gratia actuali: ergo homini lapſo eſt neceſſaria gratia actualis ad obſervandam, &c. Probatur antecedens quoad primam partem, difficilius eſt obſervare collectivè omnia præcepta naturalia, quàm cognoſcere omnes aut ſaltem valdè multas veritates naturales præſertim ſpeculativas; atqui nequeunt ab homine lapſo ſine actuali gratia collectivè cognoſci omnes, imò nec valdè multæ veritates naturales, etiam ſpeculativæ ut ſuppono ex dictis *cap. præced.* §. 2. ergo multo minùs poſſunt ab homine lapſo ſine actuali gratia collectivè obſervari omnia præcepta naturalia, quamvis ſumpta quoad ſubſtantiam & præcindendo à modo meritorio ac ſalutari: Major probatur tùm quia vulnus ignorantiæ magis hebetat in ordine ad cognoſcendas veritates practicas morales, quarum notitia prærequiritur ad obſervanda præcepta naturalia, quàm in ordine ad veritates ſpeculativas naturales dicente D. Thoma 1. 2. *q.* 85. *art.* 3. *in c.* per peccatum ratio hebetatur præcipuè in agendis; tùm quia vulnus malitiæ magis hebetat voluntatem, quàm vulnus ignorantiæ intellectum, utrumque enim vulnus conſiſtit in rebellione partis inferioris & diviſione à ſuperiore; pars autem inferior magis reluctatur, magiſque reſiſtit voluntati in ordine ad bonum, quàm intellectui in ordine ad verum, præſertim ſpeculativum: ergo homini lapſo difficiliùs eſt obſervare collectivè, &c.

52\. Quænam præcepta naturalia ſeorſim accepta requirant gratiam?

Probatur primum antecedens quoad ſecundam partem: Inter præcepta naturalia aliqua continentur, quæ nequidem ſeorſim & diviſivè accepta poſſunt ſine actuali gratia obſervari ab homine lapſo; hujuſmodi ſunt in primis præceptum perſeverandi in obſervantia legis naturalis, & præceptum amandi Deum ut auctorem naturæ amore amicabili efficaci; hujuſmodi ſunt inſuper ea præcepta, contrà quæ occurrunt graves tentationes, quas & non rarò occurrere & ſine actuali gratia ſuperari ab homine lapſo non poſſe conſtabit *ex cap. ſeq.* ergo omnia præcepta naturalia nec diviſivè ſumpta poſſunt quoad ſubſtantiam impleri, &c. hincque remanet à fortiori confirmatum non poſſe eadem omnia impleri ſumpta collectivè, ut dicebatur in prima parte antecedentis.

Dices: ſi hæc probatio ſubſiſteret tota procederet de homine puro æquè ac de lapſo propter pares ſecundùm noſtra principia vires utriuſque: atqui non poteſt rectè procedere de homine puro, quia ſecùs contrà alibi dicta nullus homo purus, ſeu in ſtatu puræ naturæ conſtitutus, poſſet conſequi ſuam beatitudinem naturalem; hunc quippè nec poſſet conſequi mediis auxiliis gratiæ, quia iſta deſtruerent puritatem illius ſtatus, nec poſſet eandem conſequi ſine gratiæ auxiliis, quia non poſſet eam conſequi niſi obſervando totam legem naturalem, quam obſervare non poſſet ſine gratiæ auxiliis, ſi allata probatio rectè procederet; ergo. Sed contra: jam ſuprà *num.* 46. inſinuatum eſt dari aliqua gratiæ auxilia ſpectantia ad providentiam purè naturalem, quam poſſe eſſe ergà aliquos ſpecialiter gratioſam & beneficam ex profeſſo oſtendit Eſparza *tom.* 1. *lib.* 1. *quæſt.* 29. mediis hujuſmodi auxiliis poſſet potentiâ etiam morali homo purus obſervare totam naturæ legem, & conſequi beatitudinem naturalem; nec deſtrueretur proptereà ſtatus puritatis, quia talem ſtatum fovet, non deſtruit, quidquid provenit à providentia purè naturali.

53\. Quid de homine puro in ordine ad totius legis naturalis obſervantiam?

Plures aliæ poſſent hic difficultates urgeri contrà neceſſitatem gratiæ ad obſervãda naturalia præcepta, ſed opportuniùs id fiet *cap. ſeq.* poſt aſſertam eamdem neceſſitatem tùm ad vincendas omnes tentationes; tùm ad vitanda omnia peccata: ſolùm placet pro hujus capitis complemento aliquid ſubjicere de homine integro, & innocente, cui exiſtimo concedendam quidem fore potentiam obſervandi ſine gratiæ auxiliis omnia præcepta naturalia per tempus aliquod longum indeterminatè vel etiam per tempus longiſſimum quo ſecundùm providentiam præſentem durare ſolet via & vita unius hominis; at non per totum tempus quo ſecundùm legem ordinariam illius providentiæ duraſſet ſtatus viatoris. Ratio primæ partis eſt, quia homo integer & innocens omninò caret rebellione ſenſus, quæ eſt in homine puro & lapſo potiſſimum impedimentum obſervãtiæ diuturnæ omnium præceptorum naturaliũ. Ratio ſecundæ partis eſt, quia homo etiam integer & innocens habet voluntatem non minùs circà naturale, quàm circà ſupernaturale bonum variabilem & inconſtantem, eique occurrunt ab extrinſeco, quamvis non ab intrinſeco, tentationes graviſſimæ ut de facto fuerunt graviter tentati primi Parentes; ſtante igitur voluntatis inconſtantiâ & gravium tentationum vexatione, additaque prolixitate viæ futurâ certè longè majori in eo ſtatu immortalitatis, quàm in præſenti ſtatu vitæ mortalis, fuiſſet moraliter impoſſibile hominem integrum & innocentem per totum ſuæ viæ ſpatium obſervare omnia præcepta naturalia abſque auxilio gratiæ & cum ſolo generali Dei concurſu. Confirmant 55.
hoc aliqui ex eo, quod in omni ſtatu finalis perſeverantia eſt ſpeciale gratiæ donum. tale autem non eſſet in ſtatu integritatis & innocentiæ, ſi in eo poſſet homo ad totum ſuæ viæ ſpatium extendere obſervantiam legis naturalis.

54\. Quid de homine integro & innocente in ordine ad eandem obſervantiam?

naturalis ex vi ſolius concurſus ordinarij naturalis debiti naturæ & creationi, nam eadem ratione poſſet ad idem totum ſpatium extendere obſervantiam legis ſupernaturalis ex vi ſolius concurſus ordinarij ſupernaturalis debiti gratiæ habituali & virtutibus infuſis, quod eſſet perſeverare finaliter abſque ſpeciali, & omninò indebito gratiæ dono. Verùm huic confirmationi non admodum fido, quia ut ſuppono ex infrà dicendis c. 5. ſpeciale perſeverantiæ donum conſiſtit in actuali exercitio & infallibilitate perſeverandi, non in potentia & ſufficientia ad perſeverandum finaliter; ex eo autem quod homo integer & innocens poſſet, tùm cum auxiliis ordinariis naturalibus totam legem naturalem, tùm cum auxiliis ordinariis ſupernaturalibus totam legem ſupernaturalem obſervare, ſequitur ad ſummum ipſum habere cum talibus auxiliis potentiam perſeverandi finaliter; cum quo ſtat ſpectare ad auxilium extraordinarium infallibilitatem perſeverantiæ.

CAPUT III.

De neceſſitate gratiæ actualis ad vitandum malum morale.

1. Malû morale quid? LIcet nomine mali moralis abſolutè prolati veniat omne & ſolum peccatum; nihilominus malum morale, ut oppoſitum morali bono, de quo hucuſque actum eſt, non omnia peccata complectitur, ſed ea dumtaxat, quæ committi poſſunt in ordine naturali, & contrà naturæ legem, non item complectitur ſola peccata, ſed ea etiam irritamenta peccandi, quæ tentationes communiter appellantur: Sub propoſito igitur titulo examinanda eſt actualis gratiæ neceſſitas in ordine ad victoriam tentationum contrà præcepta naturalia occurrentium, & ad fugam peccatorum eadem præcepta violantium; quæ duo maximam habent inter ſe connexionem, unde etiam poſtquam primum diſcuſſum fuerit, facilè alterum expedietur, & ferè tantùm circà peccata venialia ſupererit quidquam alicujus momenti. Ad primi autem diſcuſſionem

2. Tentatio quid. Vnde oriatur. Adverto primò tentationem, prout ſumitur in præſenti, eſſe motum, ſeu actum in nobis ab hoſte excitatum, inclinantem nos ad aliquid illicitum; & juxtà tres quos patimur in natura lapſa hoſtes, rectè tres diſtinguuntur tentationum ſpecies: aliquæ ſcilicet in nobis proveniunt à carne, ſeu à parte inferiore, & ſunt illi impulſus concupiſcentiæ, quos conſuevimus appellare primos motus: aliquæ à mundo, & ſunt motus in nobis inſurgentes ex aliorum hominum conſortio propter prava ipſorum conſilia vel exempla: aliquæ à dæmone, & ſunt motus, quibus dæmon per inſtigationes & ſuggeſtiones ſuas nobis proponit in objecto illicito bonitatem allicientem & trahentem ad ſe. Quocumque ex hoſte tentationes oriantur aliæ ſunt leves, quæ debiliter movent; aliæ graves, quæ vehementer urgent ad malum: Unde gravitas & levitas tentationum non ſumitur ex parte materiæ, hoc eſt ex parte mali ad quod inclinant, ſed ex parte modi quo inclinant; & hic modus præcipuè attenditur penes duo, penes intenſionem ſcilicet & penes extenſionem, ſeu durationem, adeò ut tentatio leviſſima ſit quando remiſſa eſt & parùm; graviſſima verò quando intenſa & multùm durat; medio verò modo ſe habeat, quamvis ad gravem frequentiùs quàm ad levem accedat, quando vel remiſſa eſt, ſed multùm durat, vel parùm durat, ſed eſt intenſa: Quidquid deinde ſit, utrùm tentatio etiam unici inſtantis ratione magnæ intenſionis recenſenda aliquandò ſit inter graves, ſeu inter eas ad quas ſuperandas neceſſaria ſunt gratiæ auxilia, in quo affirmare non dubitat Arriaga *hic diſput.* 40. *n.* 15. contrà Suarium *lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 34. & Oviedum *controverſ.* 4. *num.* 27. Quotuplex ſit.

3. Quot modis ei reſiſtatur. Advertó ſecundò nos poſſe reſiſtere alicui tentationi tripliciter: Primò ex fine pravo, ut ſi ex motivo avaritiæ abſtineamus à fornicatione, ad quam ſimus luxuriæ ſtimulis incitati. Secundò ex fine honeſto purè naturali: Tertiò ex fine honeſto ſupernaturali & ſalutari. Ad reſiſtendum primo modo certum eſt gratiam non requiri, è contra verò certum eſt gratiam requiri ad reſiſtendum tertio modo. Primo modo tentationi reſiſtitur ſuccumbendo potiùs quàm vincendo; nam qui vitio vitium vitat, non tam vitium vincit, quàm vitio cedit. Tertio modo reportatur propria & perfecta de tentatione & de tentatore noſtram damnationem intendente victoria, hæc quippè conſiſtit in obtinendo oppoſitum ejus, quod hoſtis ſeu tentator ſua pugna intendit. Secundus reſiſtentiæ modus unicè pertinet ad præſentem controverſiam; & licèt talis reſiſtentia utpotè pro hoc ſtatu non utilis ad ſalutem, contrà quam tentationum pugnam ſuſtinemus, non ſit in rigore victoria, non erit tamen ſcrupuloſiùs abſtinendum à victoriæ nomine, & à communi loquendi modo, quo ſolent hic Theologi quærere utrùm neceſſaria ſit homini lapſo gratia ad vincendas tentationes? ſub his terminis idem intelligendo, ac ad reſiſtendum tentationibus ex fine honeſto naturali. Quânam reſiſtentiâ vincatur.

His pro terminorum notitia ſuppoſitis, quia nonnulli ad vincendam levem tentationem requirunt gratiam, non quia tentatio ipſa ex ſuppoſitione, quòd levis ſit, vincatur; ſed quia tentatio, quæ levis eſt gravis eſſe non permittatur, expedit difficultatem hanc primo loco proponere. Ideò ſit

§. I.

Vtrùm tentationem aliquam in homine lapſo eſſe levem ſemper ſit ſpecialis gratia?

4. Tentationē aliquã eſſe levem non eſt ſpecialis gratia.

ASSERT. Tentationem aliquam in homine lapſo eſſe levem, ſeu gravem non evadere, non eſt ſemper ſpecialis gratia. Ità Suarez *hic lib.*1. *c.*23. *n.*24. Oviedus *controverſ.*4. *punct.*1. *n.*5. & quicumque abſque ulla reſtrictione docent poſſe ab homine lapſo vinci ſine gratia aliquas leves tentationes contrà Bellarminum *controv.* 3. *de gratia & libero arbitrio, lib* 5. *cap.*7. Tannerum *hic diſp.*6. *q.*3. *dub.*4. Gabrielem à S. Vincentio *diſp* 3. *ſect.*4. *n.*63. alioſque nonnullos.

Probatur: tentationem aliquam in homine lapſo eſſe levem provenit ex connaturali & ordinario curſu cauſarum ſecundarum, adeoque ex generali Dei providentia: ergo non eſt ſpecialis gratia, non ſolùm internæ inſpirationis, ſed nec externæ protectionis, de quâ eſt præſens cum Adverſariis præcitatis controverſia: conſequentia patet; antecedens probatur, eſt quidem quoad tentationes ex mundo & carne provenientes ſuadetur primò ex eo, quod ut colligitur *ex cap. præced. num.*15. plura opera naturalis honeſtatis ſunt carni etiam & mundo parum difformia, & quibus per conſequens impediendis ſecundùm curſum ordinarium exiguas & leves tentationes caro & mundus excitabunt. Suadetur ſecundò ex eo, quòd aliquandò pars inferior ex ipſa corporis conſtitutione, & humorum complexione, non niſi debiliter contrà ſuperiorem in aliqua præſertim determinata materia inſurgit; plura etiam objecta externa ſecundùm communem rerum curſum occurrentia habent vim remiſſam trahendi ad illicitum, ſic res aliena modici valoris, puellæ forma non admodum eximia, ex natura ſua debiliter movent ad illicitam concupiſcentiam: Duratio quoque tentationum ſæpè ex naturali cauſarum diſpoſitione brevis eſt, quia vel objecta citò tranſeunt, vel variæ & ſibi ſuccedentes juxtà varia humanæ vitæ munera ſolicitudines & curæ hominē illicò ad alia divertunt.

5. Idque procedit etiam de tentatione proveniente à dæmone.

Quoad tentationes à dæmone provenientes eſt aliqua major difficultas, nihilominùs ſpectare ad generalem providentiam, quòd aliquandò dæmon leviter tentet, probatur ex eo, quod ſpectat ad generalem providentiam ponere menſuram & modum non ſolum in iis, in quibus dæmones poſſunt homini nocere phyſicè, verùm in iis quoque, in quibus poſſunt nocere moraliter; cujuſmodi ſunt tentationes; ſpectat igitur ad generalem providentiam non permittere, quòd ſemper graviter tentent; cum præcipuè dæmones utpotè in ſtatu pœnali & ex conditione ſua addicti gehennæ non habeant jus tentandi & vexandi humanum genus, unde Arriaga *hic diſput.*40. *num.*11. exiſtimat eſſe potiùs pœnam hominibus impoſitã permitti ipſos à dæmone etiam leviter tentari, quàm gratiam hominibus conceſſam non permitti dæmonem ſemper graviter tentare: Accedit quòd ad generalem præſentis ſtatus providentiam pertinet bonorum Angelorum cuſtodia & pugna contrà malos; in quâ pugna veriſimile eſt Angelos malos aliquandò à bonis vinci, & impediri ne graviter tentent: Tandem probabile eſt dæmonē ipſum etiam, dum poteſt graviter tentare, ex propria voluntate aliquando abſtinere & tentare leviter, ut homo vel levem tentationem ſuperando efferatur in ſuperbiam & graviùs peccet, vel gravium tentationum moleſtiam non ſentiens magis quietè magiſque fidenter in peccato permaneat juxtà illud Gregorij lib. 24. moral. c.7. *Dæmon eos pulſare negligit quos quieto jure poſſidere cenſet.*

Dices: *Apocal.* 21. habetur *Quis enim cognoſcit altitudines ſatanæ?* Iob 41. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Ephes 6. *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs principes & poteſtates contrà ſpiritualia nequitiæ*; quæ & ſimilia magnificantia dæmonum in nos oppugnationem & poteſtatem viderentur minùs rectè dicta, ſi aliquandò dæmones nos leviter tentarent. Sed contrà: Prædictæ au- 6.
ctoritates arguunt in dæmone potentiam graviter tentandi in actu primo, at non ſemper gravem tentationem in actu ſecundo, & ſicuti non probant quod dæmon ſemper tentet, ità nec quòd ſemper tentet graviter; quando tentat.

Vrgebis: quòd ſit impedita poteſtas diaboli, ne ſemper in actu ſecundo graviter tentet, provenit in præſenti providentia ex meritis Chriſti: ergo eſt ſpecialis gratia; antecedens probatur, quia ſancti Patres frequenter docent per illud Matth. 12. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium*, &c. ſignificari poteſtatem diaboli à Chriſto impeditam, propterea que etiam dici Ioan. 12. *Nunc princeps huius mundi ejicietur foras*, & Coloſſ. 2. *Expolians principatus & poteſtates.*
Sed contrà primò, hinc nihil infertur con- 7.
trà id, quod diximus dæmonem leviter tentare aliquandò ex voluntate & pravitate propria: aliquandò ex oppugnatione & præpotentia bonorum Angelorum: Contrà ſecundò dico ex meritis Chriſti provenire in dæmone majorem, at non omnem alligationem poteſtatis ad graviter tentandum, adeò ut dæmon à tentando quantùm poſſet valdè impediatur ex generali providentia & magis adhuc ex Chriſti meritis, & ſit juxtà Auguſtinum *ſerm.* 192. quaſi canis alligatus catena quidem aliqua ex Dei decreto hominibus jure creationis aliqualiter debito, catena verò breviore ex Chriſti gratia

§. II.

§. II.

Vtrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad vincendas leves tentationes contrà præcepta naturalia?

8. Tentatio aliqua levis poteſt laudabiliter vinci ſine actuali gratia.

ASSERT. 1. Ad vincendam laudabiliter & actu honeſto purè naturali aliquam tentationem levem contrà præcepta naturalia non eſt neceſſaria homini lapſo actualis gratia. Ità Sotus *lib. 1. de natura & gratia, cap. 21.* Vega *in opuſcul. de iuſtificat. q. 12.* Eſtius *in 2. diſt. 26. §. 44.* Amicus *hic diſp. 26. ſect. 4.* Oviedus *controv. 4. punct. 1. num. 6.* Arriaga *diſput. 40. ſect. 1.* Eſparza *q. 12. art. 3.* Gabriel à S. Vincentio *diſput. 3. q. 4. num. 56.* Madernos *q. 2. art. 4.* aliique Theologi magis communiter contrà Auctores relatos *cap. præced. num. 3.* pro neceſſitate actualis gratiæ ad quēlibet prorsùs actum honeſtum, nam qui gratiam requirunt pro quolibet actu honeſto ſecundùm ſe, licèt poſſint eandem non requirere ad vincendam tentationem, vel per actum indifferentem, vel per puram omiſſionem, ſi iſta admittantur; certè nequeunt illam non requirere ad vincendam tentationem actu honeſto, niſi doceant actum honeſtum faciliùs elici urgente, quàm non urgente in contrarium tentatione, quod ridiculum eſt. Eſt inſuper aſſertum contrà nonnullos modernos quorum meminit Arriaga *præcit. ſect. 1. num. 2.* admittentes poſſe fieri ſine gratia aliquod bonum opus morale at non vinci ullam quantumvis levem tentationem, ità inter alios Bellarminus *præcit. lib. 5.* ubi *cap. 7.* docet non ſolùm ſpectare ad gratiam externæ protectionis, quòd tentatio aliqua levis ſit; ſed inſuper ex ſuppoſitione, quòd ſit levis ſpectare ad gratiam illuſtrationis, ſeu motionis internæ, quòd vincatur, & deinde *c. 9.* ſuſtinet perfici poſſe ſine ſpeciali auxilio bonum aliquod morale, ſi nulla urgeat tentatio.

9. Dixi *laudabiliter & actu honeſto purè naturali* ut excluderem victoriam per actum ſupernaturalem & ſalutarem, Dixi *contrà præcepta naturalia* ut excluderem tentationes inſurgentes tùm contrà præcepta ſupernaturalia, de quibus infrà, tùm contrà bonum morale non præceptum; quæ valdè impropriè tentationes ſunt, cum tentatio propriè dicta ſit illa ſola, quæ ad peccatum ſolicitat, non ſolicitat autem ad peccatum tentatio præcisè inclinans ad abſtinendum à bono morali non præcepto. Aſſertum ſic explicatum

Probatur primò ex illo 1. Cor. 10. *Fidelis Deus qui non patitur vos tentari ultrà id, quod poteſtis* quia nimirùm præſto eſt gratia, ubi deficit natura; ubi ly *ultrà id quod poteſtis* ſupponit nos aliquid poſſe in ordine ad tentationes ſuperandas; nihil autē poſſemus, ſi nec poſſemus ſuperare ullam tētationē levem. Confirmatur ex eo, quòd inter dānatas Baij propoſitiones trigeſima ſic habet: *Non ſolum fures hi ſunt & latrones, qui Chriſtum viam & oſtium veritatis & vitæ negant; ſed etiam quicumque aliundè, quàm per Chriſtum in viam iuſtitiæ, hoc eſt ad aliquam iuſtitiam conſcendi poſſe dicunt, aut tentationi ulli ſine gratia ipſius adiutorio reſiſtere poſſe hominem ſic ut in eam non inducatur aut ab ea ſuperetur.* Confirmatur inſuper ex Auguſtino & Hieronymo apud Gabrielem à S. Vincentio *præcit. q. 4. n. 5.*

Dices: multo plura & ſolemniora, ut videre eſt apud Bellarminum *præcit. lib. 5. c. 8.* ſuppetunt Scripturæ, Conciliorum, & Patrum teſtimonia, quibus vel omnium prorsùs tentationum victoria tribuitur divino adjutorio, vel contrà Pelagium ſtatuitur non eſſe in poteſtate naturæ & arbitrij tentationem aliquam ſuperare. Sed contrà: omnibus hiſce teſtimoniis facilè occurritur recolendo ſupradicta *cap. 1. num. 7. & cap. 2. num. 10.* Specialiter verò certum eſt Concilia & Patres, dum agunt contrà Pelagium, loqui de victoria tentationum ſalutari, de hac enim erat controverſia cum Pelagio, utpotè qui omnia opera ſalutaria, & inter alia ſalutares tentationum victorias propriis & naturalibus arbitrij viribus adſcribebat: Accedit quod ſola victoria ſalutaris eſt ſimpliciter ac abſolutè victoria ut attigimus *præced. num. 3.* & habetur ex D. Thoma *in 2. diſtinct. 28. quæſt. 1. art. 2. ad 6.* regulariter igitur de victoria ſalutari potiùs, quàm de ulla alia intelligendæ ſunt locutiones Conciliorum, & Patrum. 10.

10. Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

Probatur ſecundò: Poteſt urgente levi tentatione fieri ſine actuali gratia ab homine lapſo ex motivo naturalis honeſtatis aliquod opus cadens ſub præcepto naturali: ergo ad vincendam laudabiliter & actu honeſto purè naturali aliquam tentationem levem, &c. conſequentia patet, quia facere ex motivo honeſto naturali opus præceptum urgente tentatione & vincere actu honeſto naturali tentationem contrà præceptum ſynonima ſunt; antecedens probatur, quod poteſt ab homine lapſo ſine actuali gratia fieri nulla urgente tentatione, poteſt ab eodem ſine actuali gratia fieri urgente tentatione levi: atqui aliquod opus cadens ſub præcepto naturali poteſt ab homine lapſo ſine actuali gratia fieri nulla urgente tentatione, quia ſecùs nullum prorsùs præceptum poſſet obſervari, nullumque prorsùs peccatum poſſet vitari ſine actuali gratia contrà infrà dicenda §. 4. ergo aliquod opus cadens ſub præcepto naturali poteſt ab homine lapſo ſine actuali gratia fieri urgente tentatione levi: Major probatur primò quia opus, contrà quod levis, ab opere, contrà quod nulla tentatio urget, differt ad ſummū penes exiguā & levem difficultatē, ad ſuperandam autē quācumque exiguam & levem difficultatem non eſt homini lapſo neceſſaria actualis gratia, alioquì eſſet talis gratia neceſſaria ad quamcumque liberam proſecutionem boni moralis; 11.

Cōparatio tentationis levis cum tentatione nulla.

eo ipſo enim quòd eſt libera fit cum cognitione proponente in tali proſecutione aliquam rationem mali & in ejus carentia aliquam rationem boni, quæ utique cognitio affert illi aliquam difficultatem: Secundò quia opus præceptum levi tentatione affectum poteſt aliquando non eſſe difficilius ſe ipſo ab omni tentatione ſoluto, quatenùs dum ei ſupervenit levis tentatio inclinans ad bonum delectabile aliundè superveniat ex cauſarum naturalium occurſu inclinatio fortior ad honeſtum, dum v.g. unus ad homicidium tentat ipſum conſulendo, poteſt alius ab homicidio fortiùs retrahere vividiùs oſtendendo honeſtatem oppoſitam; ergo aliquandò ſaltem poteſt ſine gratia fieri urgente levi tentatione quod poteſt ſine eadem fieri tentatione nulla urgente.

12. Cõparatio victoriæ tentationis levis cum bono morali facili. Probatur tertiò: Vincere levem tentationem laudabiliter, & ex motivo honeſtatis naturalis, nihil eſt aliud, quàm opus bonum morale leve & facile; ſed homo lapſus non indiget actuali gratia ad opus bonum morale leve & facile ex ſupradictis: ergo neque ad vincendam levem tentationem, &c. ſicque recurrunt in hujus aſſerti probationem quæcumque ſuprà afferebantur contrà neceſſitatem gratiæ actualis ad quodcumque morale bonum.

Dices victoriam levis tentationis non haberi niſi per bonum opus morale quod ſit impletio præcepti, quæ autem ſuprà dicebàtur procedere de bono opere morali præſcindendo à præcepto; ideò male illa huc transferri, & à potentia faciendi aliquod leve bonum malè argui ad potentiam vincendi aliquam levem tentationem.
13. Sed contrà primò: levis tentatio contrà præceptum affirmativum obligans hic & nunc, ut laudabiliter vincatur, requirit opus quod ſit impletio præcepti: non ſic levis tentatio contrà præceptum negativum; qui enim tentatur ad occidendum, v.g. etiamſi non eliciat poſitivum actum, quo ex motivo honeſto dicat nolo occidere, adhuc laudabiliter tentationem vincit, ſi quouſque tentatio tranſierit divertat animum & ad opera non præcepta morali tamen honeſtate prædita intendat, puta corporali ſe exercitatione vel ſtudiis occupet, unde ut obſervat Gabriel à S. Vincentio *diſput. 3. quæſt. 4. num. 57.* aliqui Iuris Doctores tradunt hominem ſtudioſum in jure caſtum præſumi, & Magiſtri ſpirituales inter alia remedia & media vincendi tẽtationes præſertim venereas conſulunt occupationem in exercitatione aliqua corporali, externave operatione.

Opus præceptum nõ eſt difficilius opere non præcepto. Contrà ſecundò opus morale, quod ſit impletio præcepti non eſt cæteris paribus difficilius, imò quandoque facilius eſt, quàm opus morale, quod ſit ſupererogationis & non impletio præcepti: ergo victoriam tentationis importare opus morale, quod ſit impletio præcepti non magis facit eam haberi non poſſe ſine gratia, quàm ſi importaret opus morale ſupererogationis: antecedens probatur tùm quia præceptum non allicit ad omiſſionem operis, ſuprà quod cadit, addit enim tali omiſſioni ſolam rationem peccaminoſi, omiſſio autem ex eo præcisè, quod ſit peccaminoſa, à ſe retrahit potiùs, quàm ad ſe alliciat; tùm quia ex cujuſlibet prudentis viri judicio non daret alteri liberaliter mille argenteos, qui eoſdem mutuò acceptos non reddit; ergo ſecundum quod eſt opus cadens ſub naturali præcepto, facilius potiùs, quàm difficilius eſt primo, quod eſt opus ſupererogationis.

Contrà tertiò ſi aliqua eſt ſpecialis ratio, cur reportari nequeat ſine gratia victoria tentationis per bonum opus, quod ſit impletio præcepti, maximè quia, ut loquuntur Adverſarij apud Arriagam *præcit. ſect. 1. num. 6.* talis victoris perfectè ſanat hominem in ordine ad ſalutem, in ordine ad quam omnis ſanitas eſt per gratiam; at hæc ratio nulla eſt; enim verò ly *perfectè ſanat hominem in ordine ad ſalutem*, vel intelligitur negativè adeò ut importet præcisè fugam peccati impedientis ſalutem; vel intelligitur poſitivè adeò ut fugæ peccati ſuperaddat operationem bonam inductivam ſalutis: Primo modo eſſet perfectè ſanans & conſequenter gratiam requirens tùm obſervantia præcepti nulla urgente tentatione & ſine tentationis victoria; tùm tentationis victoria reportata aut per actum indifferentem ſi eſt dabilis, aut per actum moraliter bonum non præceptum, quod non admittunt Auctores, contrà quos hic diſcurrimus. Secundo modo neque in ordine ad ſalutem ſanat victoris reportata per opus bonum, quod ſit impletio præcepti, quia in ſenſu aſſerti talis impletio præcepti eſſet ex motivo honeſtatis naturalis, adeoque ſecundùm præſentem providentiam non eſſet ut oportet ad ſalutem, nec eſſet inductiva ſalutis. 14.

Ex dictis habetur à fortiori poſſe ſine actuali gratia laudabiliter ſuperari aliquam tentationem juxtà ſupradicta *num. 9.* minùs propriam inſurgentem contrà bonum morale non præceptum & ſolicitantem ad abſtinendum ab ipſo, non ad præferendum ipſi aliquid illicitum: & hic obiter diſplicet ſaltem quoad modũ loquendi Arriaga *ſect. 1. præcit. num. 7.* dicens abſolutè omne opus bonum morale eo ipſo, quod liberum ſit, fieri cum aliqua tentatione, potiùs dicerem fieri cum aliqua difficultate ſuppoſito ſubjecto capaci difficultatis: cæterùm opus bonum non præceptum, præſertim ut liberum libertate contradictionia, non eſt neceſſe fieri cum cognitione proponente aliquid illicitum, quod ad minus requiritur pro tentatione propria, ad minus, inquam; nam proponere aliquid illicitum eſt quid minùs, quàm ad aliquid illicitum ſolicitare & allicere, & tamen in hoc videtur conſiſtere propria ratio tentationia in malam partem acceptæ. 15. Tentatio minùs propria quæ ?

Aſſert. 2. Ad vincendas in ſenſu hucuſque tradito omnes leves tentationes collectivè, & ad longum tempus, neceſſaria eſt homini lapſo actualis gratia. Ità Theologi communiſſimè. 16. Magna collectio tẽtationum levium nequit vinci ſine gratia.

Probatur primò ex inconſtantis creatæ voluntatis,

voluntatis, quæ ſibi relicta & gratiæ auxilio non firmata non eſt diu uniformis, imò ut attigimus *cap. præced. n.* 12. eſt ei debita difformitas; eſſet autem diu uniformis, ſi diu omnes leves tentationes vinceret. Secundò ex conditione pugnæ, in quâ ſolet eſſe aliqua alternatio victoriæ, nec ſemper una pars prævalet, ſemper autem in ordine ad leves tentationes contrà partem inferiorem prævaleret pars ſuperior, ſi ad longum tempus ſemper illæ vincerentur. Tertiò à pari ex ſuprà aſſerta neceſſitate gratiæ ad comparandam ſine errore ingentem aliquam collectionem naturalium veritatum, quæ paritas ſuppoſita *ex præced. num.* 51. majori imbecillitate voluntatis in ordine ad bonum, quàm intellectus in ordine ad verum, infert à fortiori gratiæ neceſſitatem pro vincenda quacumque ingenti collectione levium tentationum.

§. III.

Utrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad vincendas ſingulas tentationes graves?

17\. Nec item ulla tentatio gravis.

ASSERT. Ad vincendas laudabiliter & actu naturaliter honeſto ſingulas graves tentationes inſurgentes contra præcepta naturalia eſt homini lapſo neceſſaria actualis gratia, adeò ut nulla gravis tentatio etiam ſeorſim & diviſivè accepta poſſit ab homine lapſo ſine actuali gratia ſuperari. Ità D. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 28. *art.* 2. *q.* 2. Eſtius *in* 2. *diſtinct.* 26. §. 44. *propoſ.* 3. Sylvius *hic q.* 109. *art.* 8. *conc.* 2. Suarez *lib.* 1. *cap.* 24. Oviedus *controv.* 4. *punct.* 2. *num.* 30. Amicus *diſp.* 26. *ſect.* 4. *num.* 219. Arriaga *diſput.* 40. *ſect.* 2. *num.* 13. Maderinus *q.* 2. *artic.* 5. Gabriel à S. Vincentio *diſput.* 3. *q.* 5. & tùm à fortiori Auctores ſuprà relati pro neceſſitate actualis gratiæ ad vincendas ſingulas tentationes etiam leves, tùm cæteri communiter contrà Pelagianos, non contrà ullum ex Catholicis quem viderim. Scio quidem recenſeri à quibuſdam inter hujus aſſerti Adverſarios D. Thomam *in* 2. *diſt.* 28. *q.* 1. *art.* 2. Scotum *ead. diſt. quæſt. unica*, Durandum *ead. diſt. q.* 3. Cajetanum 1. 2. *q.* 109. *art.* 2. & 3. Molinam *in concordia*, *q.* 14. *artic.* 13. *diſp.* 19. *memb.* 6. alioſque docentes poſſe ſine gratia vitari quodlibet peccatum quacumque tentatione urgente; at hi ut de Molina ſingillatim obſervat Oviedus *præcit. punct.* 2. *n.* 17. loquuntur de potentia phyſica, cum quâ ſtare poteſt impotentia moralis & moralis pariter neceſſitas actualis gratiæ nec quidquam ampliùs aſſertum intendit, ut magis explicabitur infrà §. 7. per totum. Accedit quod quoad D. Thomam Eſtius §. *præcit.* exiſtimat ipſum poſterioribus ſcriptis tacitè retractaſſe doctrinam, quam Adverſarij ei adſcribunt ex ſecundo ſententiarum.

18\. Dixi *ſingulas graves tentationes adeò ut nulla gravis tentatio etiam ſeorſim & diviſivè accepta, &c.* Neque enim de gravibus tentationibus collectivè acceptis remanet ullus ambigendi locus, poſtquam aſſertum eſt tentationes etiam leves collectivè ſuperari non poſſe. Deinde quidquid mox afferetur pro neceſſitate gratiæ ad ſingulas ſeorſim militabit à fortiori pro neceſſitate ejuſdem ad omnes vel plures ſimul; & hanc ſecundam neceſſitatem nonnulli adeò indubitatam putant, ut velint eſſe de fide; alij, inter quos Suarez *lib.* 1. *c.* 26. *n.* 12. cenſeant eſſe temerarium & errori proximum eam negare. — Cenſura negantium gratiã pro victoriis tẽtationum gravium collectivè.

Probatur aſſertum primò ex 1. Cor. 10. 19.
Tentatio vos non apprehendat niſi humana, fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſuprà id, quod poteſtis; ex quibus verbis omninò infertur dari aliquas tentationes non humanas, & ſuprà id quod poſſumus, id eſt non commenſuratas humanis viribus, & quas non poſſumus ex nobis ſuperare, quod congruentiſſimè intelligitur de tentationibus gravibus. Sap. 8. *Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus dederit.* Jacobi 3. *Linguam nemo hominum domare poteſt*, quibus locis innuitur ſpecialiter tentationes contrà continentiam & contrà linguæ cuſtodiam, quia graviores eſſe ſolent, naturæ viribus vinci non poſſe; proptereà etiam Apoſtolus pudicitiam conjugalem ſpecialiter vocat donum Dei, ad illam enim hortans conjuges 1. *Cor.* 7. ait *Volo autem omnes homines eſſe, ſicut me ipſum, ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic*; ubi, ut notat Auguſtinus *lib. de bonâ perſeverantiæ, c.* 14. ſatis oſtendit non tantùm continentiam donum Dei eſſe, ſed conjugatorum etiam caſtitatem.

Dices has auctoritates intelligi poſſe de gravium tentationum victoria meritoria & ſalutari, de quâ ſuprà *num.* 10. dicebamus intelligendas eſſe auctoritates univerſaliter requirentes gratiam ad vincendam quamlibet tentationem, ſive gravem, ſive levem. Sed contrà: poſſe allatas mox à nobis auctoritates aliaſque ſimiles ex Patribus præſertim aſſeribiles utcumque intelligi de victoria ſalutari ſalvat non eſſe de fide, quòd ex ipſis inferimus; quia tamen modus loquendi ſpecialior de aliquibus, quàm de omnibus, inſinuat dari aliquas tentationes, ad quas magis, quàm ad cæteras vincendas neceſſaria ſit gratia, congruè hoc nos intelligimus de tentationibus gravibus, & jure deducimus ad iſtas etiã non ſalutariter ſuperandas gratiam requiri. Imò huic intento favent ipſamet teſtimonia univerſaliter requirentia gratiam divinumve adjutorium ad tentationis cujuſcumque victoriam; admittendo enim neceſſitatem gratiæ ad victoriam non ſalutarem tentationum gravium, relinquimus aliquam materiam, in quâ prædicta teſtimonia univerſalia ſtrictè omninò verificentur, quam materiam ſubtrahunt docentes omnem tentationem utcumque gravem poſſe non ſalutariter ſine gratia vinci: Propoſitiones igitur illæ univerſales per diſtributionem accommodam diverſimodè — 20. Præcluditur Adverſariorum effugium.

KKk 2 intelli-

intelligantur juxtà materiæ, cui applicantur diverſitatem; ſi tentationibus gravibus applicentur, intelligantur ſtrictiſſimè & ut verba ſonant; ſi tentationibus levibus vel nomine victoriæ intelligatur victoria ſalutaris, vel nomine adjutorij divini intelligatur concurſus generalis prout magis erit ad rem ſubſtratam.

21. Tentatio gravis ſeorſim accepta æquivalet multis levibus acceptis ſimul.

Probatur ſecundò, Quælibet tentatio gravis æquivalet multis tentationibus levibus ſimul & collectivè acceptis; ſed neceſſaria eſt homini lapſo actualis gratia ad vincendas laudabiliter multas tentationes leves ſimul & collectivè acceptas; ergo etiam ad vincendam quamlibet tentationem gravem ſeorſim & diviſivè; minor ſupponitur *ex praecd. num.* 16. Major probatur: Tentatio gravis dicitur talis, vel quia diù durat, vel quia vehemens; ſi ſit gravis ex primo capite æquivalet tot levibus tentationibus, quot inſtantibus ſeu momentis durat, adeoque durando diù æquivalet multis tentationibus, quia durat multis inſtantibus, in quibus omnibus collectivè ſicuti non poſſent ſine gratiâ ſuperari diverſæ leves tentationes ſibi continuò ſuccedentes, ità nec una eademque tentatio continuò durans, & ex continuâ diuturnaque duratione gravis effecta. Si ſit gravis ex ſecundo capite æquivalet multis tentationibus levibus ſimul, non ſucceſſivè occurrentibus, quibus omnibus collectivè nequit ſine gratiâ reſiſtere voluntas hominis lapſi, eſt enim inconſtans & difformis ad plures operationes non ſolùm diverſo, ſed etiam eodem tempore habendas eo plane modo, quo ſolent eſſe in punctis reddendis difformes non ſolùm iidem tali diverſo, ſed etiam diverſi eodem tempore projecti.

22. Inſinuantur duo præcipua argumenta in oppoſitum.

Contra aſſertam & hucuſque probatam neceſſitatem actualis gratiæ ad vincendam quamlibet gravem tentationem duplex afferri ſolet alicujus momenti argumentũ: Primũ deſumitur ex eo, quòd tentatio quātumcunque gravis non neceſſitat, ergo relinquit libertatem & per conſequens naturalem facultatem eam vincendi: Secundum ex eo, quod tentatio gravis ſuperari ſine gratiâ poteſt ex motivo humano, certè enim gravem tentationem, & vehementem partis inferioris aſſultum ſuperat qui diros cruciatus mortemvè ipſam fortiter ac patienter tolerat; & tamen hoc plures Barbari & Ethnici ex motivo humano præſtiterunt, ergo præſtari hoc idem, & vinci gravis tentatio ſine gratiâ poteſt ex motivo honeſto. Primum argumentum ſolvendum eſt ex doctrinâ inferiùs tradenda *num* 59.

23. Ad ſecundum dico in primis involvi repugnantiam in terminis, dum dicitur ſuperari tentationem ex motivo humano, tentatio enim non ſuperatur, niſi ei reſiſtatur non peccando; non reſiſtitur autem non peccando, quoties intercedit motivum humanum, quod eſt idem ac dicere motivum pravum & peccaminoſum; nihilominùs quia abſtrahendo ab eo, quòd tentatio ſuperatur vel non, inſtaurari illicò poteſt inſtantia dicendo; objectum, ad quod gravis tentatio inclinat puta conſervatio vitæ, fuga diri cruciatus, poteſt ſine gratiâ non poni ex motivo humano, ergo idem objectum poteſt ſine gratia non poni ex motivo honeſto; concedo antecedens, nego conſequentiam; diſparitas eſt quia homo lapſus magis allicitur & efficaciùs trahitur à motivo humano, quod eſt bonum magis manifeſtum & in quod pars inferior inclinat, quàm à motivo honeſto quod eſt bonum magis occultum, & in quod ut plurimùm ſola ratio propendet; undè etiam gravis tentatio occupando rationem in conſideratione objecti proprij non ità impedit validam ipſius attentionem ad aliud objectum ſeu motivum humanum, ſicuti ad honeſtum; quia ad attendendum motivo humano poteſt ratio excitari ab ipſamet parte inferiori & ſenſibili, non ſic ad attendendum motivo honeſto.

24. Cur motivum humanum ſit efficaciùs honeſto.

Dices tamen, motivum humanum id eſt delectabile & jucundum ſenſui, aliquando eſt ſimul honeſtum & conſonum rationi, ut ſemel & iterum ſuprà dictum eſt; ergo tentatio gravis, quæ vinci poteſt ex motivo humano, vinci aliquando poteſt ex motivo honeſto. Sed contrà: motivum humanum modicè & temperatè delectabile aliquando eſt ſimul honeſtum; at non motivum humanum valde & vehementer delectabile, cujuſmodi eſſe debet ut vincatur gravis tentatio, hujus enim objectum ſicuti repræſentatur ut vehementer delectabile ita ſolùm ab alio objecto repræſentato ut vehementer delectabili impediri poteſt, ne moveat & trahat appetitum ad ſui proſecutionem. Contrà inſuper tranſeat abſolutè antecedens nego conſequentiam, ut enim tentatio dicatur vinci ex motivo honeſto debet honeſtas ipſa movere ad victoriam, nec ſatis eſt quod utcumque in motivo reperiatur; quoties autem quis ex motivo delectabili ſimul & honeſto recedit ſine gratia ab objecto gravis tentationis, ad talem receſſum movetur ex motivo ut delectabili ſolùm, non ut honeſto ſeu ex ſola motivi delectabilitate, non ex honeſtate; ratio eſt quia delectabilitas præcisè accepta invenit minorem oppoſitionem in objecto tentationis, minoremque animi adhæſionem ad ipſum, quàm inveniat honeſtas vel delectabilitas ut conjuncta honeſtati; illa quippè recedit à tali objecto ſolùm ſecundùm opus externum & proſecutionem abſolutam; iſta verò etiam ſecundùm affectum internum & proſecutionem conditionatam, ideò illa multo minùs præſtare debet quàm iſta, ut ſuo modo tentationem vincat ſeu retrahat à tentationis objecto; rem declaret exemplum: Urgente gravi tentatione ebrietatis reſiſtit quis ex motivo tuendæ ſanitatis quòd ſecundùm ſe delectabile ſimul eſt, & honeſtum; in hoc motivo ſi ratio movens ſit delectabilitas præcisè accepta, ejus motioni ſatisfit abſtinẽdo ab ebrietate in actu exercito, etiamſi deindè quis retineat affectum internum ſe inebriandi, & habeat actum conditionatum quo dicat, *Ego hic & nunc me inebriarem, ſi non immineret detrimentum ſanitatis*: Si verò ratio movens 26.

25. Motivum humanum ſimul & honeſtum eſt efficacius, quâ præcisè humanum, quàm quâ ſimul honeſtum.

ſit

ſit honeſtas vel delectabilitas ut conjuncta honeſtati, ejus motioni non ſatisfit niſi abſtinendo tum ab actu externo & exercitio ebrietatis tùm ſimul ab omni affectu interno ſivè abſoluto ſive conditionato ipſius, hæc enim omnia requiruntur ad ſanitatem tuendam cum honeſtate & bonitate morali, illud primum dumtaxat requiritur ad eamdem tuendã cum delectabilitate & bonitate phyſicâ: Ecce quomodo delectabilitas ſe ſola, vel motivum purè humanum multo minùs præſtare debet, ut retrahat ab objecto tentationis, quàm præſtare debeat motivum aut honeſtum aut humanum ut honeſto conjunctum; adeoque nil mirum ſit, ſi non indigeamus gratia ad recedendum a tentationis objecto propter motivum purè humanum, eâ verò indigeamus ad recedendum a tali objecto propter motivum honeſtum, aut humanum ut conjunctum honeſto.

Dubitatur hic: Utrùm ſaltem negativè, & per puram omiſſionem poſſit ſine gratiâ vinci gravis tentatio? Dubium procedit tùm ex ſuppoſitione quòd non repugnet pura omiſſio libera, quia ſecùs eſſet de ſubjecto non ſupponente; tùm in ordine ad ſola præcepta negativa, quia in ordine ad præceptum affirmativum obligans hic & nunc omiſſio libera eſt violatio præcepti, & per ipſam vincit non vincitur tentatio contrà præceptum. His duobus ſuppoſitis.

27\. Reſpondetur cum Oviedo *controverſ.* 4. *num.* 41. & Herinex *diſputat.* 2. *num.* 32. neque per puram omiſſionem poſſe hominem lapſum ſine actuali gratiâ vincere, aut potiùs non cedere gravi tentationi primò; quia urgente gravi tentatione etiam contrà præceptum negativum pura omiſſio libera eſſet peccaminoſa, peccando autem ceditur, non reſiſtitur tentationi, eſſet, inquam, peccaminoſa ex eo, quod tunc purè omittens exponeret ſe periculo proximo conſentiendi, imò interpretativè & æquivalenter conſentiret tentationi. Secundò quia gratia, quæ requiritur ad eliciendum actum honeſtum urgente gravi tentatione, requiritur ad talem actum non ſecundùm ſe, cum ſecundum ſe ſit aliquando actus moralis facilis, & levis; ſed ſecundùm quod importat non conſentire ſeu æquivalenter diſſentire gravi tentationi, atqui etiam pura omiſſio, ſi urgente tentatione eſſe poteſt non peccaminoſa, importat non conſentire ſeu æquivalenter diſſentire gravi tentationi; ergo etiam ad ipſam urgente tentatione gratia requiritur, in ſenſu tamen explicando infrà *lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 85.

Per puram omiſſionẽ, aut gravis tentatio nõ vincitur, aut nõ vincitur ſine gratiâ.

§. IV.

Utrùm homini lapſo ſit neceſſaria actualis gratia ad vitanda peccata mortalia?

28\. ASSERT. 1. Non eſt homini lapſo neceſſaria actualis gratia ad vitandum aliquod peccatum mortale ſeorſim & diviſivè acceptum. Eſt veritas indubitata & ex dictis manifeſta, quam nihilominus libenter ſub propriis terminis hic aſſerui, ne propriam & directam ejus probationem prætermittam; ideò

Poteſt homo lapſus tum vitare, tùm committere aliquod mortale peccatum ſine actuali gratiâ.

Probatur primò. Poteſt homo lapſus ſine actuali gratia aliquod mortale peccatum cõmittere; ergo poteſt ſine actuali gratiâ aliquod mortale peccatum vitare & per conſequens non eſt homini lapſo neceſſaria actualis gratia, &c. conſequentia patet, quia peccatum non committitur niſi adſit libertas & potentia ipſum vitandi, ſi igitur aliquod mortale ſine actuali gratiâ committitur, poteſt aliquod mortale ſine actuali gratia vitari; antecedens probatur primò quia ſecùs homo lapſus omni actuali gratiâ circumſcripta, & homo purus in ſui ſtatus puritate eſſet impeccabilis, & uterque meliùs ſe haberet ſine gratiæ actualis auxilio, quam cũ ipſis: ſecundò quia poſſe peccatum aliquod committere convenit creatæ voluntati ex eo, quòd ſit potentia libera defectibilis, talis eſt autem voluntas hominis lapſi independenter a quolibet gratiæ actualis auxilio, & ab intrinſeco: Tertiò quia gratia actualis neque 29. quoad ſui uſum, neque quoad ſui non uſum neceſſaria eſt homini lapſo ad quodlibet peccatum committendum; non eſt neceſſaria quoad ſui uſum, quia ſecùs peccatum committeretur ex uſu gratiæ, gratia in peccatum influeret, ad peccandum daretur & Deus eſſet propriè ac per ſe peccati Auctor; Neque eſt neceſſaria quoad ſui non uſum, quia non uſus gratiæ (ideſt gratia parata & ex defectu arbitrij in uſum ſeu in exercitium non deducta) tunc ſolùm neceſſarius eſt ad peccatum, quando uſus ipſius neceſſarius eſt ad faciendum opus oppoſitum peccato; atqui ex ſupradictis non ad quodlibet bonum opus morale oppoſitum peccato contrà præcepta naturalia committendo neceſſarius eſt in homine lapſo uſus actualis gratiæ, ergo non ad quodlibet peccatum committendum neceſſaria eſt in homine lapſo actualis gratia quoad ſui non uſum; ergo poteſt homo lapſus aliquod peccatum committere ſine actuali gratia, tùm exercitâ, tùm paratâ; tùm quoad uſum, tùm quoad non uſum acceptâ.

Hinc patet obiter quandonam requiratur ad peccandum gratia ſufficiens, quando non? 30. Requiritur ſcilicet, quando non poteſt; non requiritur quando poteſt ſine ipſa exerceri opus peccato oppoſitum, undè etiam quamvis aliquando ad peccandum requiratur, nunquam ad peccandum datur, ſed ſemper ad benè operandum, quia nunquam in peccatum influit, ſed ſi influit, ſemper influit in opus bonum peccato oppoſitum, ſicque gratia ſufficiens ſemper ſecundùm ſe utilis eſt, nunquam noxia ut attigimus *lib. præced. cap.* 3. *n.* 48.

Quando & quomodò ſit neceſſaria ad peccandum actualis gratia.

Patet inſuper quod Medernus *hic quæſt.* 1. *art.* 1. *num.* 8. refert ſibi ab inſigni Doctore in diſputando reſponſum; hominem ſcilicet non poſſe peccare ſine gratiâ ſufficiente ſupernaturali, eſſe prorsùs intolerabile, niſi

ſaltem limitetur ad non poſſe peccare contrà præcepta ſupernaturalia affirmativa.

51. Probatur ſecundò : Peccatum vitari poteſt dupliciter, vel directè implendo ſaltem quoad ſubſtantiam opus præceptum , vel indirectè exequendo aliquod bonum opus morale nullo urgente præcepto ; atqui utroque modo poteſt homo lapſus vitare ſine actuali gratia aliquod peccatum , nam ex ſupradictis poteſt ſine actuali gratia , tùm exequi aliquod bonum opus morale nullo urgente præcepto, tùm implere quoad ſubſtantiam aliquod præceptum facile , & aut nulla, aut levi dumtaxat tentatione oppugnatum,quod pariter poſſe in aliquo præcepto ſine gratia evenire patet ex hujus capitis initio ; ergo.

52. Non poteſt homo lapſus vitare diù quodlibet peccatum ſine actuali gratiâ.

Aſſert. 2. Eſt homini lapſo neceſſaria actualis gratia ad vitandum diù quodlibet peccatum mortale etiam contrà ſolam legem naturalem. Ità Theologi communiſſimè.

Probatur : Hominem vitare diù quodlibet peccatum mortale eſt ipſum vitare magnam collectionem peccatorum mortalium ; ſed ad vitandam etiam contrà ſolam legem naturalem magnam collectionem peccatorum mortalium eſt homini lapſo neceſſaria actualis gratia ; ergo : Major patet , quia quolibet diuturno tempore homini lapſo occurrunt plures occaſiones peccandi, vitare igitur diù quodliber peccatum eſt vitare peccata multa, ſeu magnam peccatorum collectionem : Minor probatur ex ſupradictis neceſſaria eſt homini lapſo actualis gratia ad cognoſcendam, ad efficiendam, ad vincendam magnam collectionem naturalium veritatum , bonorum operum moralium, levium tentationum ; ergo etiam ad vitandam magnam collectionem peccatorum , &c. inconſtantia enim voluntatis & plura impedimenta extrinſeca æquè militant contrà hanc collectionem poſteriorem ac contrà illas priores. Confirmatur : ut vitetur diù quodlibet peccatum etiam contrà ſolam legem naturalem neceſſe eſt vincere aliquam gravem tentationem , & exequi aliquod opus objectivè , ex ſe , ſeu independenter à tentatione arduum ; neque enim poteſt elabi diuturnum temporis ſpatium , quin homo ſecundùm ordinem cauſarum naturalium , ideſt ſecundùm propriæ partis inferioris rebellionem , multiplicem delectabilium objectorum occurſum, & frequentem dæmonis oppugnationem graviter aliquando tentetur ; quin item incidat in obligationem , aut amandi Deum ſuper omnia , aut habendi dolorem univerſalem de peccatis, & univerſale propoſitum non peccandi , aut exponendi pro alicujus præcepti naturalis obſervantiâ ingentia bona vel fortunæ vel famæ vel etiam corporis , ſed ex ſupradictis neceſſaria eſt homini lapſo actualis gratia ad vincendam aliquam gravem tẽtationem , & ad exequendum aliquod opus objectivè arduum , ergo.

53. Non poteſt item ſine gratiâ vitare ſeorſim peccatum, ad quod inclinat gravis tentatio.

Confirmatur inſuper, quia *ex praced.num.*27. urgente gravi tentatione (quâ ut mox dixi homo lapſus ſecundum naturalem rerum curſum diu carere non poteſt) pura omiſſio , ſi peccaminoſa non ſit, actualem gratiam requirit ; atqui urgente gravi tentatione peccatum non poteſt ullo alio modo vitari faciliùs , quàm per puram omiſſionem , cum urgente tentatione ad malum faciliùs ſit tùm bonum tùm malum actum omittere , quàm in bonum actum erumpere ; ergo urgente gravi tentatione nullo modo peccatum poteſt ſine gragratia vitari , adeoque homo lapſus ſicuti ſine gratia nequit diù gravi tentatione carere , ità ſine gratia nequit diù peccatum vitare.

Hinc habetur primò ex peccatis mortalibus , quibus naturalia præcepta violantur , ità poſſe aliqua diviſivè & ſeorſim accepta ſine actuali gratia ab homine lapſo vitari,ut etiam aliqua alia taliter vitari non poſſint,& inſuper ſine actuali gratia vitari non poſſit collectio plurium mortalium , quorum occaſiones diuturno tempore ſucceſſivè occurrunt , etiamſi fortè contingat iſta mortalia eſſe omnia ex iis , quæ ut vitentur diviſivè & ſeorſim actualem gratiam non requirunt. 54.

Habetur ſecundò extendendo ſuperiores utriuſq. aſſerti probationes ad venialia nullum ſupereſſe locum ambigendi , quin aliqua ſeorſim poſſint ſine actuali gratiâ vitari, aliqua vero alia non ; multoque minus omnia diù ; quod poſtremum quidem luculentiùs innoteſcet examinando propriam in hoc puncto de venialibus controverſiam, & tùm aſtruendo pro vitandis diù venialibus neceſſitatem ſpecialioris gratiæ, tùm aſſignando, in quonam conſiſtat talis gratia ſpecialior ? Ideò ſit

---

§. V.

Vtrùm ad vitanda diù venialia ſit neceſſaria homini lapſo actualis gratia ſpecialior, quàm ad mortalia?

ASSERT. Ad vitanda diù omnia venialia collectivè neceſſaria eſt homini lapſo actualis gratia ſpecialior , quàm ad vitanda mortalia ; & illa non poſſunt diù vitari cum ordinariis auxilus , quæ ſolent homini iuſto in via concedi. Ità D.Thom. *hic quæſt.*109. *art.*8. Sylvius *eod.art.concluſ.*4. Ioannes à S. Thom. *diſput.*50. *art.*3. Gonetus *diſputat.* 1. *art.*7.§.1. Gabriel.à S. Vicentio *diſputat.* 5. *quaſt.*2.Valent. *diſp.*8.*quaſt.*1.*punct.*5.Oviedus *controv.*4.*punct.*3.Arriag.*diſp.*51.*ſect.*6. Eſparza *quaſt.*14.*ar.*1.Madern. *quaſt.*2.*ar.*8. Herincx *diſp.*3. *quaſt.*2. cæterique Theologi contrà Pelagianos præſumentes poſſe nos ſine omni peccato etiam veniali vitam totam ducere , contrà quos aſſerta veritas eſt certa de fide licèt deindè non adeò certum ſit nec incontroverſum, Vtrùm ſpecialiſſimum auxilium, & ſingulare privilegium ad omnia venialia per totam vitam vitanda requiſitum conceſſum de facto fuerit ſoli Deiparæ an ſimul aliquibus aliis inſignioribus Sanctis ? 55.

55. Nequeunt venialia diù vitari ordinariis auxiliis, ſicut mortalia.

Probatur primò : Nullus homo quamvis juſtus diù vitat omne peccatũ ut infertur ex 56.

Nec a nullo

homine de facto diù vitantur. Proverb. 24. *Septies in die cadit juſtus.* 2. Paralip. 6. *Nec enim eſt homo qui non peccet.* Iacob 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Io. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt*; ſed hæc aliáque huiuſmodi Scripturæ loca nequeunt intelligi de peccatis mortalibus, quæ omnia à multis diù, ab aliquibus per totam vitam vitari certum eſt, procedunt igitur de venialibus, & per conſequens de facto multis diù vitantibus omnia mortalia, nullus quamvis juſtus diù vitat omnia venialia; ſignum eſt igitur ad vitanda diù omnia venialia collectivè neceſſariam eſſe actualem gratiam ſpecialiorem, &c. Neque fas eſt ad præallata teſtimonia reſpondere cum Pelagianis juſtos dici eſſe in peccato, quia ſunt pars populi in peccato exiſtentis, eoſdémque tantùm humilitatis causâ fateri, quòd in peccatis ſint: Enim verò contrà hoc ſecundum formalia ſunt verba Concilij Mileuitani *can.* 6. ubi habetur: *Quod ait Sanctus Ioannes Apoſtolus: Si dixerimus quod peccatum non habemus nos ipſos ſeducimus & veritas in nobis non eſt; quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dicere nos habere peccatum, non quia verè ita eſt, anathema ſit*: Et contrà utrumque Pelagianorum effugium militat tùm cõmunis regula non deflectendi ad ſenſum improprium ſacra teſtimonia, tùm maximè Cõcilium Tridentinum, quod *ſeſſ.* 6. *can.* 23. ità habet: *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit* ubi certè ly *ex ſpeciali Dei privilegio*, tùm ex propria privilegij conditione, tùm ex eo quod Concilium illud non ponat extrà Deiparam aliquid ampliùs ſignificat quam ordinaria auxilia conſequentia juſtificationem & gratiam habitualem. Confirmatur hoc totum pluribus auctoritatibus Sanctorum Patrum apud Valentiam loco præcitato.

Dices ex Scriptura & Patribus nos ſæpè admoneri, ut abſtineamus ab omni peccato, ut ſimus perfecti, ut ſimus immaculati; ergo Scriptura & Patres non cenſent id nobis ſecundùm legem ordinariam impoſſibile uti tamen foret ſi non poſſemus cũ ordinariis divinæ gratiæ auxiliis vitare omnia venialia; cum hæc ſint verè peccata, imperfectiones, & maculæ.

37. *Occurritur Adverſariorum auctoritatibus.* Sed contrà: Scriptura & Patres debent intelligi ſecundum materiæ capacitatem, hortantur igitur nos ad abſtinendum ab omni peccato, ut ſimus perfecti, ut ſimus immaculati, quantùm poſſumus; poſſumus autem abſtinere ab omni veniali diviſivè cum auxiliis ordinariis, poſſumus eſſe cum iiſdem perfecti perfectione viæ etiam incidendo in aliquod veniale, utpotè quod non extrahit nos à via ducente ad beatitudinem; & eodem modo, quo perfecti, poſſumus pariter eſſe immaculati, quia macula venialis non opponitur cum pulcritudine gratiæ. Accedit quod affectus vitandi omnia venialia collectivè eſt laudabilis, & conatus exequendi talem affectum, quamvis ſit de aliquo impoſſibili eſt utilis quia nos confert ad committenda pauciora venialia, ad hos igitur actus quamvis de aliquo impoſſibili jure hortari nos poſſunt Scripturæ & Patres.

Probatur ſecundò: Omnia venialia collectivè difficiliùs ab homine lapſo vitantur, quàm omnia lethalia; ergo venialia ut collectivè vitentur requirunt gratiam ſpecialiorem, nec poſſunt diù vitari auxiliis ordinariis quibus poſſunt diù vitari mortalia; conſequentia patet, antecedens probatur, ex una parte motiva retrahentia a peccatis venialibus ſunt debiliora, nam ab iſtis non retrahunt jactura gratiæ & gloriæ, nec reatus æternæ pœnæ, quæ ſunt motiva validiſſimè retrahentia à lethalibus; ex alia parte multo frequentiores ſunt venialiter peccandi occaſiones, tum ex occurſu objectorum delectabilium, tum ex inſtigatione dæmonis, tùm maximè ex rebellione partis inferioris cujus motus etiam antevertendo rationem poſſunt venialem culpam inducere, non ſic lethalem; cum igitur difficiliùs ſit rationem ſemper eſſe vigilẽ ad motus etiam indeliberatos, quàm ad ſolos deliberatos impediendos, voluntatémque de ſe inconſtantẽ ſemper eſſe in bono uniformem inter plures, quàm inter pauciores peccandi occaſiones, inter debiliora quàm inter fortiora benè operandi incitamenta; conſequens omninò eſt non niſi difficiliùs vitari diù poſſe omnia venialia collectivè, quàm omnia mortalia. 38.

Hinc facilè eſt ſtatuere, in quonam conſiſtat gratia ſpecialior requiſita ad vitanda omnia venialia, & in quonam differat ab auxiliis ordinariis datis ad vitanda lethalia? cum enim gratia illa potiſſimùm ex mox dictis requiratur propter plurimas occaſiones peccandi venialiter & frequentiores quã peccandi lethaliter, non videtur in alio meliùs collocari quàm in majori cumulo majorique frequentia auxiliorum adeò ut differat à gratia ordinaria, quibus diù poſſunt lethalia vitari, non quod ſit aut ſuperior in perfectione ſpecifica, aut intenſior in perfectione graduali, ſed quod ſit major extenſivè; frequentior ſcilicet, continuatior, & ex plurium auxiliorum non interrupta continuatione conſurgens. Nec placet quod nonnulli videntur talem ſpecialiorem gratiam collocare in extinctione, aut ligamine fomitis: Enimverò hoc nec neceſſarium eſt, nec ſufficiens: Non eſt neceſſarium, quia admittendo in fomite aliquos motus poſſunt adhuc omnia venialia vitari, ſi dentur auxilia, quibus poſſit impediri, ne ratio ullo actu etiam indeliberato motus illos ſequatur: Non eſt ſufficiens, quia puri Spiritus carent fomite & tamen ut de Angelis ſuppono ex proprio tractatu *lib.* 3. *cap.* 1. §. 6. ſicuti ſecundum ſe poſſunt venialiter peccare, ità gratis indigent ad omnia venialia vitanda: Deindè fomes aut extinctus aut ligatus ſufficit ad ſummum, ut non peccetur venialiter ex ſurreptione. 39. *Per quid formaliter ſit ſpecialior gratia, quâ omnia venialia; quàm quâ omnia lethalia collective poſſunt vitari.*

Hinc

40\. *Vtrùm talis gratia ſpecialior poſſit dici major.*

Hinc inſuper ſi quæras : Vtrùm aſſerta gratia ſpecialior ſit ſimpliciter dicenda major eâ, quæ datur ad vitanda omnia lethalia ? Ad vitandam quæſtionem de nomine reſponderem ſe habere per modum excedentis & exceſſi; utramque ſcilicet eſſe majorem ſub diverſa ratione, gratiam vitandi omnia venialia eſſe majorem extenſivè, gratiam vitandi omnia lethalia eſſe majorem intenſivè, ſicuti etiam omnia venialia extenſivè, omnia lethalia intenſivè majus malum ſunt. Dici inſuper poteſt gratiam vitandi omnia lethalia eſſe majorem in ratione doni ſalutaris ſeu ad ſalutem neceſſarij ; gratiam vitandi omnia venialia eſſe majorem in ratione doni liberalis, ſeu indebiti ; quia eo ipſo, quòd eſt ut per ſe patet ad ſalutem minùs neceſſaria, eſt minùs debita ex vi præſentis providentiæ ordinantis ad ſalutem, & magis ultrà conſuetum ipſius ordinem.

41\. Hæc dicta ſint de ſpecialiore pro vitandis venialibus gratiâ ſumptâ formaliter ac proximè, & intrà lineam illius gratiæ actualis, qua juſti de facto plura venialia vitant ; cæterùm ſi gratia illa ſumatur radicaliter, & adæquatè prout importat totale privilegium vitandi omnia venialia repertum in B. Virgine, certum eſt gratiam illam eſſe ſimpliciter majorem eâ, quâ aut vitari poſſunt, aut vitantur omnia lethalia ; importat enim redundantiam quandam gratiæ, & charitatis, cæterarumque virtutum in gradu heroico, ratione cujus Deus ſtatuit conferre auxilia extraordinaria efficacia, nedum ſufficientia, ad nunquam venialiter peccandum; & tum ad impediendas internas, tum ad vincendas externas cujuſcumque venialis culpæ occaſiones, ut magis explicat Gabriel à S. Vincentio *diſp* 5. *quæſt*.4.

---

§. VI.

Vtrùm aliquis adultus potuerit de facto vitare omnia venialia aut ſimpliciter, aut ſaltem in aliquo genere.

42\. *Nullus de facto, exceptâ deiparâ habuit gratiam vitandi omnia venialia.*

ASSERT.1. Nullus adultus, excepta B. Virgine, potuit de facto vitare collective omnia venialia ſimpliciter & in quocumque genere ; nullus ſcilicet de facto habuit ſpecialiorem gratiam ad id requiſitam. Ità omnes Auctores relati *præced. num.* 35. contrà Galatinum *lib.* 7. *de arcanis cap.* 9. Catharinum *lib.*2. *de prædeſtinatione Chriſti* & Abulenſem, tribuentes immunitatem ab omni veniali Sancto Ioanni Baptiſtæ, imò Catharinus eam extendit etiam ad aliquos alios eximiè prædeſtinatos, quidam inſuper eamdem tribuunt Ieremiæ, quidam Zachariæ & Elizabeth : Verùm facilitas hæc extendendi ad plures talem immunitatem cen- *Cenſura opinionis oppoſitæ.* ſetur in fide parùm tuta à Lorcâ *diſput.*14. *difficult* 4. & Granado *controv.*8. *tractat.*2. *diſp.*4. *ſect.* 4. exiſtimantibus tanquam probabile, quod veritas mox aſſerta ſit de fide: eadem facilitas cenſetur temeraria à Vaſquez 3.*part. diſput.*120.*cap.*5. Suarez tamen *tr.*2. *in* 3. *part. diſp.*24. *ſect.*4. putat quoad Ioannem Baptiſtam nullâ eſſe cenſurâ dignam.

Dixi *excepta B. Virgine* quia hæc exceptio eſt juxtà communem Eccleſiæ ſenſum, ut teſtatur Tridentinum *præcit. can.*23. & Auguſtinus *lib. de natura & gratia cap.*36. meritò ait *De Sancta Maria Virgine propter honorem Domini nullam prorsùs, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem* Nec refert quòd idem Auguſtinus *lib. quæſtionum novi & veteris Teſtamenti quæſt.*73. videatur ei tribuere dubitationẽ fidei in morte Chriſti: Enim verò vel opus illud Auguſtini non eſt, vel ſermo eſt de admirationis & diſcuſſionis, non de infidelitatis dubitatione ; ut tradit D. Thomas 3.*p. quæſt.*27. *art.*4. ubi etiam explicat Chryſoſtomum in eo quod videtur tribuere B. Virgini aliquam inanem gloriolam. Suppoſita igitur ut legitima exceptione B. Virginis, nullum alium adultum eſſe excipiendum.

Probatur ea eo, quod Tridentinum ſolam Virginem excipit, exceptio autem firmat regulam, præſertim ubi nulla eſt neceſſitas faciendi ab eadem regula alias exceptiones, uti non eſt in præſenti, ubi licèt Ioanni Baptiſtæ pro Adverſariorum intento aliqualiter faveat tum elogium illud Chriſti Domini *inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta*, tum quod de eodem canit Eccleſia *Neſciens labem nivei pudoris*, item *Ne levi poſſes maculare vitam crimine linguæ:* Nihilominus Chriſti elogium refertur ad munus Præcurſoris, & excludit majorem excellentiâ muneris & officij ; Eccleſiæ hymnus per ly *Neſciens labem nivei pudoris* commendat Ioannis Baptiſtæ Virginitatem ; per ly *Ne levi poſſes, &c.* excludit ad ſummum peccata venialia linguæ, & ex terminis indicat ſolùm, quo fine Ioannes in deſertum ſeceſſerit, nec exprimit deindè, utrùm talem finem fuerit tota vita conſecutus ? nulla eſt igitur in Ioanne Baptiſta, multoq; minùs in aliquo alio ſufficiens neceſſitas faciendi exceptionẽ à regula generali, de qua agitur. 43. *Talem gratiam non habuit Ioannes Baptiſta.*

Aſſert.2. Aliqui adulti per tempus valdè diuturnum, vel etiam per totam vitam, potuerunt & poſſunt vitare, imò de facto vitant, omnia venialia in aliquo determinato genere : & fortè aliqui pauciores de facto vitarunt omnia venialia provenientia ex plena deliberatione & perfecta libertate. Prima pars eſt communis : Secundam tradunt Auctores mox in ejus probatione afferendi. 44.

Probatur prima pars, quia reſpectu aliquorum facilè contingit non eſſe frequentes occaſiones leviter peccandi in aliquo determinato genere, aliqui inſuper vel ex temperamento & indole, vel ex educatione genus aliquod venialium puta furta & mendacia, quamvis levia horrent ; quis igitur neget iſtos cum auxiliis ordinariis in tali determinato genere omnia venialia aliquando vitare per tempus valdè diuturnum vel etiã per totam vitam. Confirmatur ex eo, quod *Aliqui Sancti vitarunt & vitant omnia venialia in aliquo determinato genere.*

Ioannem

Ioannem Baptiſtam fuiſſe ſpecialiter immunem ab omnibus venialibus, quæ ſermone & linguâ committuntur, probabile omninò redditur tum ex præallatis Eccleſiæ verbis, *Ne levi poſſes*, &c. tum ex eo quòd talia peccata ſpecialiter diſconveniunt muneri Prædicatoris & Præcurſoris, ratione cujus ionnes ex Chriſti elogio majorem non agnoſcit: D. Ioſephum ſaltem poſt conjugium cũ Virgine fuiſſe immunẽ ab omni veniali in materia caſtitatis ſuadet ipſamet puritas Virginis, cum qua familiariter Ioſeph poſt conjugium converſabatur. D. Benedict. poſt corpus inter ſpinas volutatum ab omnibus carnis peccatis & ſtim lis immunem fuiſſe refert D. Gregorius *lib.* 2. *Dialog. c.* 2. D. Thomam idem privilegium habuiſſe poſt præcinctos ab Angelis lumbos ſupponit Gonetus *hic diſp.* 1. *n.* 342. ubi etiam ex quodam Eccleſiæ encomio infert ipſum numquàm venialiter peccaſſe in materia ſuperbiæ.

45. Probatur ſecunda pars, quia ex una parte per hoc, quòd nullu de facto vitaverit aut habuerit extraordinaria auxilia ad vitandum omnia v n alia ex ſurreptione & deliberatione imperfecta, ſalvatur tùm eximium privilegium Virginis, tùm multiplex auctoritas de qua ſuprà *n.* 36. ex aliâ parte nonnullis paucioribus & illuſtrioribus Sanctis, quos ſingillatim Scriptura tamquàm juſtos commendat, non eſt incongruum concedere aliquod privilegium & aliqua extraordinaria auxilia in ordine ad vitandum quodlibet veniale ex plenâ deliberatione perfectâque advertentia committendum; Vnde Granadus *controverſ.* 8. *tract.* 2. *diſputat.* 4. *ſect.* 5. Suarez *tract.* 2. *in* 3. *part. diſputat.* 24. *ſect.* 4. Oviedus *controverſ.* 4. *punct.* 3. *num.* 49. id tradunt de Ioanne Baptiſtâ, & de Apoſtolis poſt receptum Spiritum Sanctum, ſeu poſt confirmationem in gratia: Herincx *diſputat.* 3. *quæſt*... *n.* 14. idem ſentit de Sancto Ioſepho poſt conjugium: Aliqui alij idem docent de Zacharia & Elizabeth: Gabriel à Sancto Vincentio *diſput.* 5. *quæſt.* 3. non dubitat id extendere ad ſui ordinis anteſignanam S. Thereſiam; imò non adeò paucos pertingere ad perfectionem diù abſtinendi ab omnibus venialibus perfectè deliberatis conatur oſtendere auctoritatibus D. Bernard. *ſer. de triplici coharentia vinculorum*, D. Gregor. *lib.* 15. *mor. c.* 11. & D. Iſidori *lib.* 2. *ſent. c.* 18. Conrad. tandem *hic art.* 8. quamvis non actualem carentiam, potentiam tamen ſufficientem ad carẽdum per auxilia ordinaria omnibus venialibus perfectè deliberatis pro tota vita agnoſcit in quolibet iuſto, & Gonet. *diſput. præcit. n.* 323. oppoſitum quidem amplectitur cum communiore ſententia; at id ſolùm multo probabilius, non omninò certum arbitratur.

Aliqui pauciores etiã omnia venalia deliberata.

46. Ex his habetur loquendo de ſolis venialibus perfectè deliberatis via quidquam cõſtare, vt ſimpliciter certum in controverſia præſenti, ſed duntaxat ut probabilius apparere non poſſe iuſtum illis omnibus carere tota vita, aut diù cum ſolis auxiliis ordinariis, & abſque privilegio ſpeciali; necnon de facto aliquos pauciores iuſtos ex inſignioribus fuiſſe tali privilegio inſignitos & quolibet veniali perfectè deliberato, vel tota vita, vel ſaltem diù caruiſſe. Loquendo verò de venialibus omnibus ſimpliciter etiam imperfectè deliberatis pro maximè certo habendum eſt nullum, excepta B. Virgine, aut ea cum ſolis auxiliis ordinariis potuiſſe per totam vitam vitare, aut de facto accepiſſe auxilia extraordinaria quibus ea per totam vitam vitaverit; nec videtur tolerabilis ſententia Vegæ *lib.* 14. *in Trident. cap.* 21. ita admittentis nullum de facto præter Virginem omnia prorsùs venialia vitaſſe, ut ſimul velit omnia poſſe cum auxiliis communibus totâ vitâ vitari à quolibet juſto: Deindè eumdem ferè habet gradum certitudinis nullum, aut cum ſolis auxiliis ordinariis potuiſſe vitare, aut de facto accepiſſe auxilia extraordinaria, quibus vitaverit eadẽ omnia diu. Supereſt iam inquirendum utrum cum ſolis auxiliis ordinariis poſſit quis omnibus prorsùs venialibus carere, & quandoque careat, aliquo brevi tempore; & quanto?

47. Quoad aliquod breve tempus indefinitè reſpondetur affirmativè, & eſt reſponſio communiſſima; neque enim ſecundùm legem ordinariam neceſſe eſt adultum recenter baptizatum, aut ferventiſſimo charitatis actu iuſtificatum ab omni quamtumvis leviſſima culpa illicò incidere in occaſiones peccandi venialiter eaſque tales, ut nequeant cum auxiliis ordinariis ſuperari; & nemo non putat ſacrâ communione devotè refectos, piiſve exercitiis accuratè detentos non ducere moram aliquam ſine omni veniali.

Vtrùm brevi tẽpore, & quanto poſſint omnia venialia vitari cum auxiliis ordinariis?

48. Quoad quantum determinatè ſit tale tempus Curiel non audet extendere ultrà tres vel quatuor horas: Malderus & Soto aſſignant diem integrum: Martinez protrahit ad duos vel tres dies eò quod de aliquibus Sanctis referatur duos vel tres dies in extaſi tranſegiſſe. Reſpondetur non poſſe determinatè aſſignari, niſi divinando; & in univerſum dico variam eſſe ac etherogeneam talis brevitatis menſuram propter variam tùm perſonarum diſpoſitionem, tùm combinationem circumſtantiarũ, addo multo breviorem debere aſſignari in ordine ad venialia provenientia ex ſurreptione, quàm in ordine ad provenientia ex perfecta deliberatione.

§. VII.

Qualis ſit impotentia hominis lapſi ad vitanda, tum ſine auxiliis extraordinariis omnia venialia, tùm ſine ordinariis omnia lethalia?

49. Assert. 1. Impotentia hominis lapſi ad vitanda ſine auxiliis extraordinariis omnia venialia collectivè eſt moralis ſolùm, nõ

phyſica:& hujuſmodi impotentia moralis eſt præciſè in ordine ad omnia collectivè; non in ordine ad ſingula, aut aliquod ea ſingulis. Ità Auctores ſuprà relati *num.* 35. excepto Arriaga, quem habemus in ſecunda aſſerti parte Adverſariorum utpotè qui *diſp.* 51. *ſect.* 6. *num.* 37. docet impotentiam ad collectionem debere aliquando determinari ad particulare, & hominem lapſum eo modo, quo habet impotentiam moralem vitãdi omnia, habere aliquando vitandi unum veniale.

Impotentia vitandi omnia venialia collectivè eſt ſolùm moralis.

Probatur prima pars, quia in ordine ad poſſe vitare venialia poſſeſſio ſtat pro hominis lapſi libertate & auxiliis ordinariis; favendum igitur eſt poſſidenti, & ponenda in homine lapſo pro vitandis venialibus minor impotentia, quæ poni poteſt, & ea ſolùm ad quam cogit neceſſitas; atqui impotentia moralis eſt minor impotentiâ phyſicâ, & ad impotentiam moralem ſolùm cogit neceſſitas, nam ut ſalvetur requiri ad vitanda omnia venialia collectivè gratiam ſpecialiorem ſeu extraordinariam ſufficit quod moraliter nequeant vitari cum gratiâ communi ſeu ordinariâ; nec impotentiam majorem morali evincunt auctoritates & rationes pro illa ſpecialioris gratiæ neceſſitate deductæ; rationes quippe non probant neceſſitatem illam ex phyſicâ improportione voluntatis ad actus, quibus venialia vitentur vel ex defectu alicujus phyſici comprincipii, ſed dumtaxat ex plurima opportunitate ac facilitate venialiter peccandi, ex inconſtantiâ voluntatis ad diù uniformiter operandum, & rationis ad diù vigilandum; ergo à primo ad ultimum impotentia hominis lapſi ad vitanda, &c. moralis eſt, non phyſica.

50. Et non datur in ordine ad aliquod morale diviſivè.

Probatur ſecunda pars: Si in ordine ad vitandum unum aliquod veniale daretur in homine lapſo de lege ordinaria & ſine auxiliis extraordinariis impotentia moralis, homo lapſus aliquando venialiter peccaret in eo, quod moraliter vitare non poteſt; atqui hoc non eſt dicendum ſaltem pro re præſenti; ergo in homine lapſo conſiderato ſine auxiliis extraordinariis non datur impotentia moralis in ordine ad vitandum unum aliquod veniale, & per conſequens hujuſmodi impotentia eſt præciſè in ordine ad omnia, &c. Major admittitur ab Adverſariis, quorum aliqui volunt potentiam purè phyſicam aliter faciendi conjunctam cum impotentia morali ſufficere ad peccatum veniale, utpotè quod contentum eſt minore & minùs perfectâ libertate, quàm mortale; aliqui alij, inter quos Arriaga *diſputat.* 40. *ſect.* 2. *ſubſec.* 6. volunt eamdem potentiam purè phyſicam ſufficere pariter ad mortale: Minor probatur, quando etiam permitteretur ſufficere ad peccatum, præſertim veniale, purè phyſicam libertatem, ſeu potentiam ipſum vitandi, ſaltem id non eſt in ullo caſu particulari aſtruendum ſine neceſſitate; atqui pro re præſenti nulla eſt neceſſitas ponendi in ordine ad vitandum unum aliquod veniale impotentiam moralem, & potentiam ſeu libertatem purè phyſicam; ergo.

Dices primò neceſſitatem aſtruendi impotentiam moralem ad vitandum aliquod unum veniale haberi ex eo, quod nos ipſi impotentiam moralem aſſerimus ad vitanda omnia, aut valdè multa collectivè; non enim hæc impotentia ſalvari poteſt ſine illa, nec è contrà concedi moralis potentia ad vitandum quodlibet veniale ſingillatim, quin concedatur eadem potentia ad vitanda omnia collectivè, primò quia factâ ſufficienti diſtributione valet argumentum à diſtributivo ad collectivum, ſeu à ſingulis alicujus collectionis membris ad totam collectionem, & nos ipſi tali arguendi forma, tanquam legitimâ & efficaci uſi ſumus *tractat.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *numer.* 18. ergo moralis potentia vitandi quodlibet veniale ſingillatim infert eamdem potentiam vitandi omnia ſimul: Secundò quia qui diù aut totâ vitâ vitat ſingula venialia ſeorſim diù aut totâ vitâ vitat omnia collectivè, non enim cum auxiliis quibuſcumque ſpecialiſſimis vitantur venialia omnia collectivè aliter, quàm vitando ſingula, ergo qui poteſt vitare ſingula ſeorſim, poteſt vitare omnia collectivè: Tertiò quia collectio venialium moraliter inevitabilis decem v. gr. venialibus conſtet; novem vitatis, poſtulo utrùm detur moralis potentia, an moralis impotentia ad vitandum decimum? Si primum, ergo datur moralis potentia ad vitandam totam collectionem, quæ ſupponebatur moraliter inevitabilis; ſi ſecundum ergo datur moralis impotentia ad vitandum aliquod unum veniale. Sed contrà: nego abſolutè ex morali potentiâ, vitandi ſingula venialia, ſeu quodlibet eorum ſingillatim, inferri ſimilem potentiam vitandi omnia collectivè.

51. Inſtantiæ contrà potentiã moralem vitandi ſingula venialia, non omnia collectivè.

52. Solvitur prima.

Ad primum in oppoſitum dico argumentum à diſtributivo ad collectivum, quamvis ex genere ſuo validum, ſæpè tamen ratione materiæ non concludere, & ut nos ipſi attigimus *præcit. numer.* 18. non concludit in materiâ dicente ordinem ad quantitatem, in quâ collectio ſeu totum facilè nequit ſuſtinere prædicatum conveniens ſingulis partibus, ſic v. gr. quantitas continua conſurgens ex duodecim palmis, vel diſcreta ex duodecim hominibus, nequit ſuſtinere prædicatum unius palmi, aut unius hominis; ideò non rectè infertur, quælibet pars ex duodecim eſt unus palmus, ergo omnes collectivè ſunt unus palmus; quilibet Apoſtolus eſt unus homo, ergo omnes Apoſtoli collectivè ſunt unus homo: cũ igitur collectio venialium nihil ſit aliud, quàm magna venialium quantitas, nil mirum, quod talis collectio nequeat ſuſtinere aliquod prædicatum ſingulorum, nec rectè inferatur quodlibet veniale eſt moraliter evitabile, ergo omnia collectivè ſunt moraliter evitabilia.

53. Solvitur ſecunda.

Ad ſecundum: Qui vitat diù ſingula venialia ſeorſim, vel vitat cum interruptione quatenus quæcumque venialia vitat intrà diuturnum temporis ſpatium, vitat ſingil-

latim

latim, aliqua tamen etiam intrà tale ſpatium ſingillatim committit, vel vitat ſine interruptione, quatenùs non ſolùm vitat ſingillatim ea, quæ vitat, ſed etiam nullum prorsùs committit: Qui diù vitat ſingula venialia primo modo, non vitat omnia collectivè, ut enim vitaret omnia collectivè deberet vitare ſucceſſivè ſingula ſine interruptione: Qui diu vitat ſingula ſecundo modo, utique vitat omnia collectivè; at eſt repugnantia in terminis dicere eo modo, *Qui diù vitat ſingula venialia ſeorſim*, ſicuti eſſet repugnantia in terminis dicere qui collectivè vitat ſingula venialia diviſivè.

54.
Solvitur tertia.

Ad tertium: Permitto hypotheſim, eaque permiſſa ad poſtulatum dico in ordine ad vitandum decimum veniale dari moralem potentiam abſolutam, & antecedentem, cum morali impotentia hypothetica, & conſequente; ideſt decimum veniale antecedenter & abſolutè vitari moraliter poſſe, non minùs quàm aliud quodlibet ea novem, ea ſuppoſitione tamen quòd alia novem vitata fuerint, decimum illud infallibiliter vitandum non eſſe. Neque dicas: non peccaſſe tempore antecedente reddit potiùs potentiorem, quàm minùs potentem ad non peccandum nunc; ergo ſuppoſitio quòd fuerint vitata novem venialia, non inducit ullam impotentiam ad vitandum decimum, ſi aliùndè talis impotentia non dabatur: Contrà enim: tranſeat antecedens ſimpliciter & abſolutè intellectum; diſtinguo conſequens, ergo ſuppoſitio, &c. non inducit ullam impotentiam realem & ex vi conſequentis ſeu rei illatæ concedo, non inducit ullam impotentiam intentionalem & ex vi conſequentiæ ſeu illationis nego; conſiſtit igitur controverſa impotentia vitandi decimum veniale præcisè in eo quod ſuppoſitis præmiſſis de impotentia vitandi decem collectivè, & de novem jam vitatis, infallibiliter inferatur decimum non eſſe vitandum; licèt potentia vitandi in ſe non ſit minor, quam ſi fuiſſet commiſſum aliquod ea novem jam vitatis; pro quo videatur Oviedus *hic controverſ. 4. numer.* 58. Eſparza *quaſtio.* 14. *ad 3.*

Dices ſecundò: Quod militat contrà impotentiam moralem vitandi aliquod veniale ſeorſim, militat pariter contrà impotentiam vitandi omnia collectivè; ergo vel utraque, vel neutra impotentia aſſerenda eſt; antecedens probatur, illud quod per nos *ex præced. num.* 50. militat contrà moralem impotentiam vitandi aliquod veniale ſeorſim eſt; ne homo venialiter peccet in eo, quod moraliter vitare non poteſt, atqui hoc militat pariter contrà moralem impotentiam vitandi omnia collectivè, nam cum homo teneatur omnia venialia etiam collectivè vitare, utique peccat omnia etiam collectivè non vitando, adeoque peccat in eo quod moraliter vitare non poteſt, ſi habeat moralem impotentiam omnia collectivè vitandi. Sed

55.
Non datur ſpeciale præceptum vitādi omnia venialia collectivè.

contrà: dico ad hoc poſtremum dupliciter intelligi poſſe, quòd homo teneatur vitare omnia venialia collectivè, vel obligatione diſtincta & diverſa ab ea, quâ tenetur vitare ſingula diviſivè vel obligatione eadem; hoc ſecundo modo tenetur, non primo; neque enim de vitandis omnibus venialibus collectivè eſt ullum ſpeciale præceptum, imò nec eſſe poteſt non paratis auxiliis ad id ſufficientibus: & licèt in Scriptura præcipiatur abſolutè ut non peccemus; hoc tamen ut notat Gonetus *diſputat.* 1. *num.* 331. præcipitur ratione ſingulorum peccatorum non ratione collectionis.

Vrgebis: Actus quo quis diceret, nolo vitare collectivè, & per totam vitam omnia venialia, eſſet malus & peccaminoſus; eſſet verò honeſtus & laudabilis actus oppoſitus, volo vitare collectivè, &c. ergo datur ſpeciale præceptum & ſpecialis obligatio vitandi venialia omnia collectivè, hocque eſt poſſibile. Contrà tamen: concedo antecedens nego conſequentiam; primus enim actus eſſet malus quia implicitè diceret, nolo vitare aliquod veniale ſeorſim: Secundus eſſet bonus, quia ſimplex complacentia circà honeſtatem etiam moraliter impoſſibilem & dari poteſt & laudabilis eſt; eſſet inſuper bonus talis actus, quia conducens ad committenda pauciora venialia diviſivè, ut jam dictum eſt *n.* 37.

56.
Eſſet tamen malus actus, quo quis nollet ea vitare.

Aſſert. 2. Impotentia hominis lapſi ad vitanda diù ſine auxiliis ordinariis omnia lethalia, quæ ſint præciſe contrà legem naturalem, eſt moralis tantùm, non phyſica; & eſt non ſolùm in ordine ad lethalia collectivè, verum etiam in ordine ad aliqua diviſivè & ſeorſim.

Dixi *quæ ſint præcisè contrà legem naturalem*, nam peccata contrà legem ſupernaturalem in duplici differentia ſunt; quædam ea ſcilicet, quæ ſunt contrà præceptum aliquod ſupernaturale affirmativum, ut vitentur requirunt actum in ſubſtantiâ ſupernaturalem, & ad hæc vitanda datur in homine lapſo ordinariis auxiliis deſtituto impotentia non moralis tantùm, ſed phyſica; datur enim phyſica improportio inter ſupernaturalem actum, & naturalem facultatem hominis lapſi deſtituti gratiæ auxilio: Quædam alia, ea ſcilicet, quæ ſunt contrà præceptum ſupernaturale negativum poſſunt vitari quocumque opere honeſto ordinis naturalis, quo reſiſtatur tentationi contrà præceptum inſurgenti, & ad hæc vitanda non datur in homine lapſo ordinariis auxiliis deſtituto impotentia major eâ; quam habet in ordine ad laudabiliter vincendam gravem tentationem, quæ quidem impotentia dumtaxat moralis eſt, ut jam ſuprà indicavimus; & mox magis elucidabimus. Aſſertum ità intellectum commune eſt, & valdè conſequens ad hucuſque dicta & addicenda *cap. ſeq.* §. 4.

57.
Datur in homine ſine auxiliis ordinariis aliqua impotētia ad vitāda peccata cōtra legē naturalē.

Probatur & explicatur: & quidem dari in homine lapſo ſine auxiliis ordinariis impotentiam aliquam ad vitanda; tùm valdè multa collectivè, tùm inſuper aliqua diviſivè peccata lethalia contrà legem naturalem patet ex neceſſitate actualis ſeu auxiliantis gratiæ ſuprà aſſerta *num.* 32. neque

enim poteſt eſſe neceſſaria gratia auxilians ad id, ad quod non datur ſine gratiæ auxiliis aliqua impotentia. Quod deindè talis impotentia moralis tantùm ſit, non phyſica, probatur ex eo, quia talis impotentia vel conſideratur in ordine ad lethalia, quæ ſine auxiliis ordinariis poſſunt diviſivè, non collectivè vitari, & quoad hæc reſpectu hominis carentis auxiliis ordinariis non eſt ponenda impotentia major eâ, quæ poſita eſt quoad venialia reſpectu hominis carentis auxiliis extraordinariis; eadem quippè eſt utriuſque ratio ſervata proportione: vel

Eſt tamen tantùm moralis.

58. conſideratur in ordine ad lethalia, quæ nec diviſivè ſine auxiliis ordinariis evitabilia ſunt eo, quod vitari nequeant niſi aut exequendo opus naturale objectivè arduum, aut vincendo gravem tentationem; & quoad hæc vitanda non poteſt homo lapſus ſine auxiliis habere majorem impotentiam, quàm ſine iiſdem auxiliis habeat, aut ad exequendum opus naturale objectivè arduum, aut ad vincendam gravem tentationem; ſed ad hoc utrumque habet homo lapſus ſine auxiliis ſolam impotentiam moralem; quod quidem ſi probaverimus ità eſſe in ordine ad vincendas graves tentationes, manebit id pariter probatum in ordine ad opus naturale objectivè arduum cadens ſub naturali præcepto; enimvero opus hujuſmodi vix aliud eſſe poteſt, quàm Dei ut Auctoris naturæ amor ſuper omnia, item univerſalis dolor de peccatis commiſſis contrà legem naturalem, & univerſale propoſitum de iiſdem non committendis; hæc autem omnia ut de amore in particulari conſtat *ex cap. præced.* §. 4. ardua ſunt & excedentia puras naturæ lapſæ vires eo, quòd involvant efficacem affectum vincendi quàlibet gravem tentationem contrà legem naturalem; adeoque in ordine ad ipſa dari non poteſt major impotentia, quàm in ordine ad vincendam quamlibet gravem tentationem contrà talem legem, probatumque erit totum intentum ſi oſtendatur ad hoc poſtremum dari in homine lapſo auxiliis ordinariis deſtituto impotentiam dumtaxat moralem: Quod ſic

59. Oſtendo: Homo lapſus auxiliis ordinariis deſtitutus non habet neceſſitatem phyſicam ſuccumbendi tentationi gravi contrà præceptum naturale; ergo neque habet phyſicam impotentiam vincendi talem tentationem, ſed moralem dumtaxat; conſequentia patet; antecedens probatur, tentatio gravis contrà præceptum naturale neque proponit ſuum objectum ſub ratione ſummi boni, neque auſert totalem indifferentiam judicij, neque ad ei non ſuccumbendum neceſſe eſt erumpere in actum aliquem ſupernaturalem phyſicè excedentem proprias naturæ lapſæ vires; ergo homo lapſus auxiliis ordinariis deſtitutus non habet neceſſitatem phyſicam, &c. ſed moralem dumtaxat provenientem ex propriæ naturæ infirmitate, inconſtantia, & propenſione ad bonum ſen-ſibile; hincque etiam provenit impotentia moralis, &c.

Eſt pariter tantùm moralis hominis lapſi impotentia ad vincendas ſine gratiâ graves tentationes.

Dices: iſta impotentia moralis vel eſt præcisè difficultas, magna licèt & extraordinaria, vel eſt ſimpliciter impotentia: Primum dici non poteſt quia ſecùs daretur homini lapſo gratia ſolùm ut faciliùs vinceret, non ut ſimpliciter poſſet vincere graves tentationes & omnia naturalia præcepta obſervare, quod ſapit errorem pelagianum, nec ſalvat ſufficienter gratiæ neceſſitatem. Si ſecundum dicatur, impugnatur tùm ex eo, quod ægrè explicari poteſt impotentia ſimpliciter talis etſi moralis, quæ non fundetur in aliquâ impotentiâ phyſicâ, tùm ex eo quod impotentia moralis ſimpliciter talis non compatitur libertatem ſufficientem ad peccandum, adeoque homo lapſus gratiæ auxiliis deſtitutus, item homo purus, cui nulla parantur gratiæ auxilia, non peccaret ſuccumbendo tentationibus gravibus contrà præcepta naturalia. Sed contra: dico eſſe impotentiam ſimpliciter, moralem tamen; 60.

Eſt tamen impotentia ſimpliciter.

Ad primam impugnationem Ioannes à S. Thomà *diſput.* 19 *art.* 4. *num.* 10. notat *moraliter* ſumi poſſe vel pro eodem ac *ut plurimum*; vel pro eodem ac *intentionaliter* ſeu *metaphoricè*, ait deinde impotentiam moralem ſumendo moraliter primo modo non eſſe impotentiam ſimpliciter, benè tamen ſumendo moraliter ſecundo modo, & hoc ſecundo modo exiſtimat hominem lapſum eſſe moraliter impotentem ad vincẽdas ſine gratiâ graves tentationes, adeò ut ejus impotentia proveniat ex eo, quòd urgente gravi tentatione nequeat cum ſolo concurſu generali haberi ea cognitio & motio objecti honeſti, quæ requireretur ad tentationis victoriam: Verùm quia circà impotentiam habendi hanc cognitionem & motionem recurrit præcedens inſtantia, magis placet cum Oviedo *controverſ.* 4. *num.* 36. aliiſque multis Recentioribus, rem aliter explicare dicendo difficultatem magnam & extraordinariam conjunctã tamen cum potentia phyſica, ideſt non provenientem ex defectu alicujus principij phyſici vel conditionis phyſicè prærequiſitæ aliam eſſe, quæ rarò vincitur, aliam quæ nunquam, & cujus victoria, ſi contingeret, non minorem admirationem afferret, quàm ſi ignis non calefaceret ſolvè motu retrogrado Zodiacum percurreret; prima difficultas fundat in genere impotẽtiæ moralis impotentiam ſecundùm quid, ſecunda impotentiam ſimpliciter; nemo enim non exiſtimat ſimpliciter per cauſas naturales impoſſibile, quod omnium hominum voluntates v. gr. ſint ſimul repentè conformes in uno eodemque volito abſque prævia conventione; quod plures tali centies ſucceſſivè jactati eoſdem ſemper numeros reddant, & tamen hæc non important niſi difficultatem, quæ licèt phyſicè vinci poſſit, nunquam vincitur; ecce igitur explicatam moralem impotentiam, ſimpliciter talem, nullatenùs fundatam in impotentia phyſica, & ecce per conſequens ſatisfactum primæ impugnationi. 61.

Explicatur, in quo conſiſtat talis impotentia.

Ad ſecundam impugnationem dico eſſe contrà ordinem præſentis providentiæ, quod 62.

homo

Quomodò cum tali impotentia ſalvetur libertas ſufficiens ad peccandū?

homo lapſus ſupponatur deſtitutus gratiæ auxiliis; homini autem puro nulla quidem pararentur auxilia gratiæ ſupernaturalis, at non deeſſent aliqua auxilia gratiæ naturalis, & ſingillatim non deeſſent ea, quæ requirerētur & ſufficerent ad ſuperandas graves tentationes pro tali ſtatu occurrentes; unde & homo lapſus ſecundùm præſentem providentiam habet, & homo purus ſecundùm providentiam ſtatui proprio conveoientem haberet libertatem ſufficientem ad peccandum ſuccumbendo tentationibus gravibus contrà præcepta naturalia. Accedit quòd independenter ab omnibus gratiæ auxiliis ſuſtineri poteſt in homine tùm lapſo tùm puro cum morali impotentia vincendi libertas ſufficiens ad peccandum non vincendo graves tentationes, ſaltem ferè omnes, ratio eſt quia, ſi minùs omnes, ſaltem ferè omnes graves tentationes tales ſunt ratione diuturnitatis includentis plura inſtantia, in quorū ſingulis diviſivè poſſunt etiam moraliter ſine gratia vinci; quamvis non in tota collectione eorundem inſtantiū graves tentationes; homo igitur, ſive lapſus, ſive purus, ſicuti quamvis moraliter impotens vitare ſine gratia ſpecialiſſima totam collectionem venialium, quia tamen eſt ſine ea moraliter potens vitare ſingola diviſivè, habet ſufficientem ſine gratia ſpecialiſſima libertatem ad peccandum in quolibet opere venialiter malo quod committit; ità quamvis moraliter impotens vincere ſine quacumque gratia gravem tentationem pro tota collectione inſtantium quibus durat, quia tamen eſt ſine ea moraliter potens vincere pro ſingulis inſtantibus diviſivè, habet ſufficientem ſine quacumque gratia libertatem ad peccādum pro quolibet inſtanti, pro quo tentationi ſuccumbit. Hæc doctrina eſt valde oportuna ad explicandum, quomodò homo purus, in quo non ſunt facilè concedenda multa gratiæ etiam naturalis auxilia, habeat ſufficientem libertatem ad peccandum ſuccumbendo gravibus & fortè non infrequentibus tentationibus, abſque eo, quod frequenter ei provideantur gratiæ auxilia.

CAPUT IV.

De neceſſitate gratiæ actualis ad attingenda objecta ſupernaturalia.

1\. Actus naturalis habere poteſt aliquid ſupernaturale pro objecto terminativo.

NON ſolùm actibus ſupernaturalibus, verùm etiam naturalibus attingi poſſunt objecta ſupernaturalia, dummodò ſermo ſit de objectis materialibus & terminativis. ab iſtis enim non ſpecificantur actus; & ſicuti res naturales intercedente motivo ſupernaturali terminant ſupernaturalem actum, ut patet ex eo, quòd viſio beata in patria, & fides divina in via complectuntur ſub proprio objecto terminativo plures res naturales, ità non eſt cur res ſupernaturales intercedente motivo naturali terminare nequeant naturalem actum; ulteriùs nonnulli progrediuntur & ſentiunt naturalem actum habere poſſe aliquid ſupernaturale pro objecto etiam formali & motivo, eo quòd velint à principiis tantùm, non ab objectis deſumi totam actuum ſpecificationem; pro hoc dicendi modo ſtant plures antiqui, & pro eodem ex recentioribus multus eſt Oviedus *in Philoſophia controv. ult. de anima punct.* 4. pro quo inſuper nonnulla Theologica addit *hic controv.* 2. *punct.* 2. nobis tamen, qui alibi tradidimus objecta motiva eſſe actuum comprincipia eorundemque ſpecificativa, immorandum non eſt in hujus opinionis diſcuſſione, ſed ſupponendum naturalem actum habere quidem poſſe aliquid ſupernaturale pro objecto terminativo & materiali, at non pro motivo & formali; quamvis ex hoc quoad rem præſentem nulla ſpecialis difficultas inſurgeret; eadem enim ferè ratione, quā mox excludetur gratiæ neceſſitas ad actum naturalem reſpicientem materiale, excludi pariter poſſet ad actum naturalem reſpicientem formale objectum ſupernaturale, niſi actus iſte aliundè repugnaret, unde Oviedus *præcit. punct.* 2. poſtquam docuit eum non repugnare, expreſsè ſuſtinet ad eundem eliciendum gratiam non requiri. At nobis, quibus ut jam dixi immorandum in hoc non eſt, pro actibus naturalibus examinanda ſolùm occurrit gratiæ neceſſitas comparativè ad res ſupernaturales per modum materialis, non per modum formalis objecti ſe habentes, quod breviter expedietur; & deinde aliquantulò fuſiùs res agetur pro actibus ſupernaturalibus: Porrò utroſque actus ſingillatim conſiderabimus in ordine ad ſupernaturale verum & ad objectum fidei, ex quo inferri poterit quid ſentiendum de reliquis actibus in ordine ad reliqua ſupernaturalia objecta; per quæ omnia in particulari diſcurrere ad alias ſpeciales materias pertinet, non ad præſens inſtitutum.

Non pro objecto motivo.

2\.

§. I.

Utrùm ſit homini lapſo neceſſaria actualis gratia ad credenda actu naturali Myſteria ſupernaturalia fidei?

3\. Poteſt ſine gratia credi Myſterium ſupernaturale actu naturali.

ASSERT. Suppoſita propoſitione & revelatione alicujus ſupernaturalis myſterij non eſt homini lapſo neceſſaria actualis gratia ad illud credendum actu naturali. Ità D. Thomas 2. 2. *q.* 5. *art.* 2. & 3. Scotus *in* 3. *diſt.* 23. *quæſt. unica*, § *De primo.* Cajetanus 1. 2. *q.* 109. *art.* 4. Gonetus *diſp.* 1. *art* 2. Valentia *diſp.* 8. *q.* . *punct.* 2. Amicus *diſput.* 26. *n.* 53. Oviedus *controv.* 1. *punct* 1. Arriaga *diſput.* 41. *ſect.* 6. *ſu*[illegible] *ſec.* 2. Madernus *q.* 3. *art.* 2 Henneх *diſput.* 2. *q.* 2. *num.* 14. cæterique Theologi communiter contrà eos, qui univerſaliter aſtruunt neceſſariam gratiam actualem ad cujuſlibet veritatis cognitionem.

Dixi *ſuppoſita propoſitione & revelatione*; ſubintellige factâ aut nobis, aut aliis, per quos ad nos perveniat; nam ante omnem divinam revelationem ſi quæ poteſt alicujus ſupernaturalis myſterij notitia ex effectibus ſenſibilibus comparari, erit valde tenuis & ambigua; in præſenti autem ſermo eſt de actu naturali, quo quis aſſentiatur ſupernaturali myſterio cum maxima probabilitate, imò cum aliquali certitudine. Neque dicas: ipſa propoſitio & revelatio myſterij, ſive immediatè, ſive mediatè à Deo facta, eſt aliqua gratia: ergo eſt contradictio in terminis negare neceſſitatem actualis gratiæ ad actum, ad quem ponitur neceſſaria propoſitio illa & revelatio: Contrà enim procedit aſſertum de gratia interna ſe tenente ex parte potentiæ, propoſitio autem & revelatio myſterij eſt gratia externa ſe tenens ex parte objecti, de quâ neque cum Pelagio ipſo fuiſſe diſceptationem conſtat ex tertio gradu hæreſis Pelagianæ ſuprà attacto *lib. 1. c. 1. num. 4.*

4\. Probatur: Non eſt neceſſaria actualis gratia ad credendum actu naturali etiam habente maximam probabilitatem, & moralem aliquam certitudinem, illud, quod plures fide digni atteſtantur & plures congruentiæ naturales, pluraque ſigna confirmant; alioqui ad omnem actum valdè probabilem fidei humanæ, vel opinionis neceſſaria eſſet actualis gratia; ſed ſuppoſita propoſitione & revelatione alicujus ſupernaturalis myſterij poſſunt ipſum plures fide digni atteſtari, &c. ergo non eſt neceſſaria actualis gratia ad credendum, &c. Nec obeſt ſupernaturalitas myſterij, quia quatenùs ſubeſt teſtimonio humano & naturalibus congruentiis naturaliter movet, & ut taliter moveat, ſufficit ipſum cognoſci abſtractivè, confusè, & per ſimplicem terminorum apprehenſionem, quo modo debet cognoſci ab eo etiam qui diſcredit; certè autem ut quis poſſit aliquod myſterium diſcredere non eſt neceſſarium, quod tale myſterium cognoſcat actu ſupernaturali.

Dices primò: hinc probaretur objectum formale ſupernaturalis ordinis, ne dum materiale attingi poſſe actu naturali, puta fide naturali credi poſſe revelationem & veracitatem divinam, quæ ſunt objectum formale fidei ſupernaturalis & ſalutaris; ratio eſt, quia viri fide digni atteſtantes myſterium, v.g. Incarnationis, poſſunt ſimul atteſtari Deum eſſe ſummè veracem, & tale myſte-
5\. rium revelaſſe. Sed contrà: quòd ſuprà præmiſimus objecta ſupernaturalia materialia ſolùm, non formalia, attingi poſſe naturalibus actibus procedit de objectis formalibus formaliter conſideratis & ut exercentibus munus proprium; inſtantia autem probat objectum formale ſupernaturalis ordinis, materialiter tamen acceptum & ut materialis objecti munus exercens, naturali actu attingi poſſe, ideò &c.

Dices ſecundò: concedere circà ſupernaturalia myſteria fidem aliquam naturalem eſt accedere ad Semipelagianos diſtinguentes duplicem fidem, alteram imperfectam naturæ viribus acquiſitam, alteram perfectam divinitùs infuſam. Sed contrà: Non erraruns Semipelagiani in eo, quòd poſuerint fidem aliquam imperfectam naturæ viribus acquiſitam, ſed in eo quod voluerint illam eſſe principium fidei perfectæ, meriti, & ſalutis. Quomodò Semipelagiani erraverint admittendo fidē naturalem?

Dubitatur hic primò: Vtrùm fide naturali poſſint ſine gratia credi aliqua dumtaxat myſteria ſupernaturalia diviſivè & ſeorſim; an etiam valde multa, vel omnia collectivè?
Reſpondetur credi ſine gratia poſſe dumtaxat aliqua diviſivè, non valdè multa, vel omnia collectivè, propter eandem rationem, propter quam ſupradicebamus non poſſe ſine gratia cognoſci valde multas, vel omnes collectivè veritates naturales, nimirum propter impedimenta tùm extrinſeca brevitatis vitæ, penuriæ temporis, imbecillitatis corporis, &c. tùm aliqua propria myſteriorum fidei, cujuſmodi ſunt quòd nonnulla ut percipiantur etiam quoad ſolos terminos maxima indigent explicatione; nonnulla includunt veritates practicas maximè conducentes ad bonos mores, & per conſequens ab ipſorum aſſenſu pars inferior maximè retrahit: Deinde difficillimum eſt & moraliter impoſſibile plures fide dignos diù confluere ad omnia, aut valdè multa myſteria propriæ auctoritatis ſuffragiis atteſtanda, & comprobanda congruentiis: ergo. 6. Non poſſunt ſine gratia cognoſci actu naturali omnia myſteria ſupernaturalia collectivè.

Dices: Catholicus credens fide divina omnia myſteria revelata poteſt incidere in hæreſim diſcredendo unicum myſterium, & retinendo aſſenſum quoad reliqua; iſte aſſenſus erit naturalis, præſtabitur ſine gratia, & tamen valdè multa imò omnia, uno excepto, fidei myſteria attinget: ergo falſum eſt non poſſe ſine gratia credi actu naturali valdè multa fidei myſteria collectivè. Sed 7.
contrà: dum negamus poſſe ſine gratia credi actu naturali valde multa myſteria collectivè, loquimur de talibus myſteriis ut credendis in particulari & explicitè; ideò inſtantia non facit ad rem, quia Catholicus vix unquam credit actu fide divina omnia myſteria explicitè & in particulari: Deinde diſcredens unum myſterium non retinet aſſenſum ullum ad reliqua, niſi negativè, quatenùs actu non diſſentit, cæterùm ut poſitivè aſſentiatur reliquis in particulari, debet nova motiva perquirere, quæ pro aſſenſu valdè probabili, & aliqualiter certo non poterunt pro ingenti myſteriorum collectione ſucceſſivè occurrere naturæ viribus.

Dubitatur ſecundò: Vtrùm actus naturalis, quo ſine gratia creditur ſupernaturale myſterium poſſit eſſe moraliter bonus? Re- 8.
ſpondetur affirmativè, ratio eſt quia neque quatenùs naturalis, neque quatenùs ſine gratia elicitus, actus ille excludit moralem honeſtatem; non quatenùs naturalis, quia ex quo non repugnat circà objectum ſupernaturale actus naturalis, multò minùs repugnabit actus naturalis honeſtus & procedens ex affectu ac motivo moraliter bono; non quatenùs ſine gratia elicitus, quia jam proba-

tum

tum eſt poſſe ſine gratia elici actus morali honeſtate præditos.

Dubitatur tertiò: Vtrùm ſicut ſine gratia dari poteſt fides naturalis circà ſupernaturalia myſteria, ità proportionaliter dari poſſit ſpes naturalis circa ſupernaturalem beatitudinem, amor naturalis circà ſupernaturalem
9. Dei bonitatē? Reſpondetur affirmativè ſuppoſita propoſitione & revelatione talium objectorum ſupernaturalium; eadem enim eſt de iſtis ratio in ordine ad ſpem & amorem, quæ de myſteriis ſupernaturalibus in ordine ad fidem; ſolùm advertendum quod ſicut fides naturalis eſt ſupernaturali imperfectior non præcisè defectu ſupernaturalitatis, quæ eſt prædicatum ipſi commune cum cæteris actibus habentibus objectum formale ſupernaturalis ordinis, verùm etiam ratione alicujus prædicati proprij, nimirùm ratione certitudinis, ità ſpes & amor naturales ſunt ſpe & amore ſupernaturalibus imperfectiores, non defectu ſupernaturalitatis præcisè, verùm etiam ſpes defectu certitudinis, amor defectu efficaciæ, quæ ſunt prædicata utriuſque propria reſpectivè: Neque opportunum eſt hæc in præſenti latiùs proſequi, cum ſupponant integram notitiam actuum Theologicorum fidei, ſpei, & charitatis, de quibus in ſequenti tractatu.

§. II.

Vtrùm ſit homini lapſo neceſſaria actualis gratia ad credenda actu ſupernaturali myſteria fidei?

10. ASSERT. Præter gratiam revelationis neceſſaria eſt homini lapſo, præſertim ex parte intellectus, alia gratia actualis ad credenda actu ſupernaturali, ſeu ſalutari & ut oportet, Myſteria fidei. Eſt dogma Catholicum, & de fide contrà amorem Pelagianum.

Revelatio myſteriorū fidei verè eſt gratia.

Dixi *præter gratiam revelationis*, cujus neceſſitatem expreſsè tradidit Arauſicanum *can.* 8. definiens *neminem poſſe ſine revelatione Dei myſterium ſalutis conquirere*, item Tridentinum *ſeſſ.6. cap.6.* dicens *Diſponuntur autem*, &c. *fidem ex auditu concipientes* imò eandem ex jam dictis admiſit Pelagius ipſe, & licèt ea hoc ipſo aliqui Catholici, ne videantur ad Pelagium accedere, minùs libenter tribuant revelationi nomen gratiæ; nihilominùs inani & irrationabili tanguntur ſcrupulo, cum ex una parte divina revelatio ſit verè beneficium gratis collatum adeoque propriè gratia, & ea alia Pelagius erraverit non in eo quod ſenſerit revelationem eſſe gratiam, ſed in eo quod non agnoverit ullam gratiam ulteriorem.

11. Pius affectus prævius ad aſſensū fidei eſt ſupernaturalis.

Dixi *præſertim ex parte intellectus*, quia fides præcipuè conſiſtit in actu intellectus, quo aſſentimur myſteriis revelatis cæterùm non excludo in ordine ad actum fidei neceſſitatem actualis gratiæ etiam ex parte voluntatis, ut poſſit hæc erumpere in pium affectum, quo efficaciter imperetur aſſenſus intellectus, quem quidem pium affectum ſupernaturalem eſſe ſuppono ex *tract. ſeq.* & in præſenti oſtendit id Oviedus *controverſ. 6. punct.* 4. quamvis alioqui propenſus ad plura concedenda actibus naturalibus in ordine ad ſupernaturalia; ſuppoſito deinde quod ſupernaturalis ſit affectus ille, neceſſariam ad ipſum eſſe actualem gratiam evincunt illa ferè omnia, tùm quibus mox aſſertum probabitur, tùm quæ afferentur *§. ſeq.*

Dixi *actu ſupernaturali*, & intelligo de ſupernaturali in ſubſtantia, idque optimè inſinuant verba ſequentia *ſeu ſalutari & ut oportet*, quæ verificantur de ſolo actu ſupernaturali in ſubſtantia, actus enim ſupernaturales in modo, licèt poſſint aliqua ratione ad ſalutem conducere, non ſunt tamen ad ipſam ſufficientes, ideò nequeunt ſimpliciter appellari ſalutares, & ut oportet ad ſalutem; Scio multos negare prærogativam ſalutaris & ut oportet ſolummodò actibus ſupernaturalibus quoad modum extrinſecum, at non talibus quoad modum intrinſecum: Verùm actus, quos iſti Auctores vocant ſupernaturales quoad modum intrinſecū contendo dicendos eſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam, idque ſtatueram hic ex profeſſo probare & pertractare ut præſtant Oviedus *controv.6. punct.3.* Arriaga *diſput.4x. à ſect.x. ad 6.* Madernus *q.3. art.1.* Gabriel à S. Vincentio *diſp.4. q.3.* aliique nonnulli; nihilominùs poſt attentiorem conſiderationem viſum eſt id pro re præſenti parùm neceſſarium & minùs opportunum, adeoque reſervandum in tractatum ſequentem, & ex eo ſupponendum potiùs, quàm hic agitandum. 12.

Actus ſalutares ſunt ſupernaturales in ſubſtantia.

Probatur jam aſſertum primò ex Scriptura. Philip. 1. *Vobis datum eſt non ſolum, ut in ipſum credatis*, &c. Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Ioan.6. *Nemo poteſt venire ad me* (ſubintellige credendo) *niſi Pater meus traxerit eum.* Vberiores ſunt pro aſſerta veritate Conciliorum & Patrum auctoritates, præſertim dum agendo contrà Semipelagianos ſtatuunt neceſſitatem gratiæ ad ſalutis initium; pro hac neceſſitate plurimus eſt Auguſtinus pluribus in locis, maximè verò *in lib. de bono perſeverantiæ, cap.17. & 19.* 13.

Ad actum ſupernaturalem fidei neceſſaria eſt actualis gratia.

Probatur ſecundò: Ad actum intellectus ſupernaturalem in ſubſtantia neceſſaria eſt ex parte intellectus actualis gratia; ſed credere actu ſalutari & ut oportet importat præcipuè actum intellectus ſupernaturalem in ſubſtantia, ut præmiſſum eſt: ergo præter gratiam revelationis (quæ eſt gratia externa ſe tenens ex parte objecti) neceſſaria eſt homini lapſo præſertim ex parte intellectus alia gratia, &c. Major probatur primò quia ad actum ſupernaturalem in ſubſtantia neceſſarium eſt ex parte principij aliquid ſupernaturale, ne ponatur in effectu prædicatum aliquod nullatenùs relucens in cauſa: Secundò quia major eſt improportio 14.

Et univerſaliter ad omnē actū ſupernaturalem in ſubſtantia.

potentiæ

potentiæ naturalis ad actum ſupernaturalem, quàm ad quodcumque opus naturale, vel ex objecto, vel ex ſuperveniente gravi tentatione arduum; ſed ad opus naturale arduum neceſſaria eſt potentiæ naturali hominis lapſi actualis gratia: ergo à fortiori, &c. Tertiò quia intellectus actuali gratia non indiget ſolùm ad actus, quos poteſt elicere viribus propriis, & cum concurſu connaturaliter debito; ſi autem hoc modo poſſet elicere actum ſupernaturalem in ſubſtantia, poſſet eodem modo elicere actum beatæ viſionis, ſicque huc recurreret quidquid alibi dictum eſt contra intellectum creatum, cui connaturaliter & ab intrinſeco conveniat viſio Dei.

15. Intellectus non poteſt naturaliter præſtare aſſenſum certum & non evidentem.

Probatur tertiò: Intellectus non poteſt viribus propriis, & per conſequens ſine gratia actuali, quæ ex parte ipſius ſe teneat, erumpere in aſſenſum certum & infallibilem, qui non ſit ſimul evidens, ſed credendo actu ſupernaturali myſteria fidei erumpit in aſſenſum certum & infallibilem, qui non eſt ſimul evidens; ergo non poteſt viribus propriis & ſine gratia actuali credere actu ſupernaturali myſteria fidei; adeoque præter gratiam revelationis neceſſaria eſt hominis lapſo, &c. Minor patet ex eo, quod fides divina eſt eſſentialiter aſſenſus certus & inevidens: Major probatur, quia intellectus viribus propriis & ſub proprio lumine naturali non poteſt erumpere in aſſenſum certum, niſi aut circà principia per ſe nota, aut circà conſequentias evidenter deductas ex talibus principiis; atqui circà utraque hæc objecta aſſenſus ſimul eſt evidens: ergo.

Dices ex his probari, quod intellectus indigeat aliquo ſupernaturali ad fidem ſupernaturalem in ſubſtantia; at adhuc non inferri, quòd indigeat actuali auxilio, nec ſufficiat fides infuſa & gratia habitualis; adeò ut neque homo juſtus habitibus ſupernaturalibus gratiæ & virtutum inſtructus poſſit ſine gratiæ actualis auxilio elicere actum aliquem ſupernaturalem in ſubſtantia. Sed contrà: pro hujus inſtantiæ ſolutione, & impugnatione, ſit

---

§. III.

Utrùm ad actus ſupernaturales neceſſaria ſit actualis gratia homini etiam juſto & inſtructo habitibus ſupernaturalibus?

16. Homo juſtus adhuc indiget gratia actuali ad actus ſupernaturales.

ASSERT. Homo juſtus, & ſupernaturalibus virtutum infuſarum habitibus inſtructus, adhuc ad ſingulos actus ſupernaturales indiget actuali gratia, quæ tamen aliquandò non eſt auxilium in toto rigore ſpeciale, & ſimpliciter indebitum. Ità D. Thomas *hic q.*109. *art.*6. Joannes à S. Thoma *diſput.*21 *art.*1. *num.*10. Oviedus *controv.*6. *punct.*7. Amicus *diſput.*26. *ſect.* 8 Herincx *diſp.*2. *q.*5. *n.*43. contrà Molinam *in concordia, diſp.*4. *& diſp.*57. docentem hominem à culpa juſtificatum, & habitibus infuſis inſtructum, poſſe elicere unum, vel alterum actum ſalutarem cum ſolo auxilio communi & concurſu generali Dei, & quamvis Oviedus *punct. præcit. n.*88. exiſtimet Molinam loqui de concurſu generali ſupernaturali & intrà ordinem gratiæ, in quo ſenſu vix à poſito aſſerto diſſideret; omninò tamen videtur alia eſſe Molinæ mens, nam *præcit. diſp.*57. circà finem de concurſu illo generali cum cauſa ſecunda ad ſupernaturalem actum ſic habet: Non puto influxum immediatum Dei cum illa in effectum producendum alterius rationis eſſe à concurſu, quo concurrit ad effectus naturales, aut ab illo effectus productos habere, quòd ſint ſupernaturales.

Dixi *quæ tamen aliquando non eſt auxilium in toto rigore ſpeciale & ſimpliciter indebitum*; gratia enim actualis, quæ in ordine ad actus ſupernaturales datur homini habitibus infuſis inſtructo, comparari poteſt tùm ad hominem ipſum ſecundùm ſe, tùm ad habitus infuſos, ſeu ad hominem ut habitibus infuſis inſtructum: primo modo gratia illa actualis, ſicuti eſt omnino extrà & ſuprà ordinem creationis, communiſque providentiæ naturalis, ità eſt auxilium in toto rigore ſpeciale & ſimpliciter indebitum: ſecundo modo, ſi detur ad actus in ſupernaturali linea arduos, vel ex objecto, vel ex continuatione, vel ex gravi tentatione, eſt quidem adhuc auxilium ſpeciale & ſimpliciter indebitum; at non ſi detur ad actus in ſupernaturali lineà faciles, ad hos enim parari auxilia ſupernaturalia ſaltem ſufficientia ſuppoſita infuſione habituum ſpectat ad providentiam generalem ſupernaturalem, & ſicuti potentiis naturalibus debetur aliquis concurſus naturalis, ita habitibus infuſis ſe habentibus ad modum potentiarum ſupernaturalium debetur aliquis concurſus ſupernaturalis: Ecce quomodò gratia actualis, quâ homo juſtus indiget ad actus ſupernaturales aliquandò non eſt auxilium in toto rigore ſpeciale & indebitum; eſt tamen ſemper in toto rigore gratia, quia rigori gratiæ non opponitur debitum fundatum in gratia. Aſſertum ſic explicatum 17.

Talis tamen gratia aliquando nō eſt auxiliū ſpeciale & ſimpliciter indebitum.

Probatur primò ex Concilio Arauſicano II. cap. ult. *Confitemur baptizatos quæ ad ſalutem pertinent poſſe & debere implere, Chriſto tamen auxiliante & cooperante.* Ecce Concilium poſt baptiſmum, in quo ſupernaturales habitus infunduntur, requirit ad opera ſalutaria Chriſti auxilium, utique actuale, nam habituale ſupponitur collatum in baptiſmo, unde diſplicet quod Molina *præcit. diſput.*4. §. *Hoc jacto fundamento* de auxilio habituali intelligit alia quædam verba, quibus idem Concilium Arauſicanum in Adamo innocente requirit divinum adjutorium ad ſervandam integritatem. Clariora ſunt verba Tridentini ſeſſ. 6. cap. 16. *Cum enim Chriſtus Jeſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eo-* 18.

rum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine quâ nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent. Addi poſſent alia plura ex ſanctis Patribus, ſufficiat pro nunc Auguſtinus *lib. de correptione, & gratia, cap.* 1. dicens *Nec ità, ut cum quiſque fuerit à peccati damnatione liberatus, jam non indigeat ſui liberatoris auxilio, ſed ità potiùs, ut ab illo audiens, ſine me nihil poteſtis facere: dicat ei & ipſe, Adjutor meus eſto ne derelinquas me.*

19. Probatur ſecundò: Homo juſtus, & inſtructus habitibus infuſis, adhuc indiget ad ſingulos actus ſupernaturales ſupernaturali concurſu Dei, tùm prævio, tùm ſimultaneo; at talis concurſus, quà ſupernaturalis, eſt gratia; quà tranſiens, eſt gratia actualis, & quidem quà prævius, eſt actualis gratia operans; quà ſimultaneus, eſt actualis gratia cooperans: ergo homo juſtus & ſupernaturalibus virtutum infuſarum habitibus, &c. Major patet, quia homo juſtus non minùs eſt cauſa ſecunda in ordine ad ſupernaturales, quàm in ordine ad naturales actus, Deus item non minùs ut ſupernaturalis, quàm ut naturalis Auctor, eſt cauſa univerſalis & prima: ergo ſicuti titulo cauſæ ſecundæ in creatura, & cauſæ primæ in Deo, requiritur concurſus prævius & ſimultaneus naturalis ad quemlibet naturalem effectum; ità requiritur pariter concurſus prævius & ſimultaneus ſupernaturalis ad quemlibet ſupernaturalem actum, Minor probatur, ſi talis concurſus ex aliquo capite deficit à ratione gratiæ, maximè ex eo, quòd ſit ſaltem in ordine ad actus faciliores debitus ſuppoſita infuſione habituum; atqui ex hoc capite non deficit, tùm quia eſt debitus debito fundato in gratia ut jam dictum eſt; tùm quia eſt debitus habitui & principio *quo*, non perſonæ operanti & principio *quod*; huic autem, non illi principio propriè datur, ideò non eſt debitus principio, cui propriè datur: Unde obiter patet diverſam eſſe rationem de concurſu naturali dato ad actus morales minimos & leves, hic quippè concurſus eſt debitus debito fundato in natura, item eſt debitus ac connaturalis perſonæ operanti & principio *quod*; non præcisè alicui formæ & principio *quo*; ideò nil mirum talem concurſum nullatenùs habere, ne quidem in naturali ordine, propriam rationem gratiæ & doni.

20. Probatur tertiò: Habitus ſupernaturales infuſi non excitant nec determinant potentias naturales ad unum potiùs, quàm ad alium actum intrà proprias rationes formales; ſunt enim principia non libera, imò nec viva, ſed mortuæ qualitates: ergo potentiæ per tales habitus elevatæ, quamvis ſint factæ proportionatæ ad rationes formales actuum ſupernaturalium habitibus illis reſpondentium, adhuc pro ſingulis actibus determinatè indigent ſupernaturali cogitatione, illuſtratione, motione, quà excitentur & determinentur; ſicque indigent actuali gratia etiam excitante.

Habitus infuſi ſunt qualitates mortuæ.

Ex dictis de neceſſitate actualis gratiæ, tùm ſignanter ad actum fidei ſalutaris, tùm univerſaliter ad quemlibet actum ſupernaturalem in ſubſtantia infertur neminem poſſe ſine ea ſe diſponere, aut ad remiſſionem culpæ & juſtificationem, ſi ſit in peccato; aut ad augmentum gratiæ, ſi ſit juſtus; talis enim diſpoſitio pro præſenti ſtatu debet eſſe actus ſupernaturalis in ſubſtantia, ut patebit ex libris ſequentibus, adeoque debet eſſe actus, ad quem eliciendum neceſſaria eſt actuâlis gratia.

Infertur inſuper ſuprà aſſerta de neceſſi- 21.
tate actualis gratiæ ad opera naturalia ardua, quocumque ex capite talia ſint procedere reſpectu hominis lapſi non ſolùm, quandiu manet in peccato, verùm etiam poſtquam juſtificatus eſt & conſtitutus in gratia: enim verò illa actualis gratiæ neceſſitas in homine lapſo oritur ex inconſtantia voluntatis, ex rebellione partis inferioris, & ex impedimentis extrinſecis; quæ non auferuntur per juſtificationem, & licèt gratia juſtificans dicatur ſanare, tamen pro ſtatu viæ dumtaxat ſanat à culpa, non à rebellione partis inferioris, nec ab inconſtantia voluntatis, alioqui eſſet gratia ſanitatis reddens hominem ſanum & integrum; non gratia medicinalis, quæ *ex praecod. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 12. differt ab illa ſanitatis ratione ſubjecti vulnerati & infirmi, cui affert quidem per auxilia actualia ſubſidium, at non reddit integritatem ac ſanitatē auferendo infirmitatem, & vulnera: Neque præſenti vitæ congruit illud Pſal. 102. *Qui ſanat omnes infirmitates tuas,* ſed reſervatur futuræ, de qua ibidē ſubditur *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.*

---

§. IV.

Utrùm ſit homini lapſo etiam juſtificato neceſſaria actualis gratia ad ſervanda præcepta ſupernaturalia?

ASSERT. 1. Ad ſervandum præceptum 22.
ſimpliciter ſupernaturale poſitivum de actu interno neceſſaria eſt homini lapſo, tùm non juſtificato, tùm etiam juſtificato actualis gratia. Eſt aſſertū communiſſimum, & quatenùs procedit de homine lapſo non juſtificato ab originali, ac per conſequens deſtituto quolibet habitu ſupernaturali eſt ex fide certum, imò etiam ex Oviedo *controv.* 6. *punct.* 5. *n.* 64. lumine naturæ notum ſuppoſito, quod actus præceptus ſit ſupernaturalis in ſubſtantia, & Pelagius in tantum conceſſit naturæ viribus obſervantiā omniū præceptorum, in quantum nec ſupernaturales actus agnovit, nec ſupernaturalia præcepta, & ut loquitur Oviedus *punct. praecit. n.* 61. erravit deſtruendo erroris materiam. Quatenùs deinde aſſertum procedit de homine juſtificato & elevato per habitus ſupernaturales, non eſt quidem lumine naturæ notum, quia omni probabilitate non caret

Homo etiā juſtus indiget gratiā actuali ad quodlibet præceptum ſupernaturale poſitivum de actu interno.

opinio docentium ad eliciendos actus in ſubſtantia ſupernaturales ſufficere ſupernaturales habitus cum auxilio naturalis ordinis ejuſdemque rationis cum eo, quod datur ad naturales actus; eſt tamen ferè æquè certum ex fide, quia ſancti Patres & Concilia ſtatuendo contrà Pelagium neceſſitatem gratiæ ad quoſcumque actus meritorios & ſalutares loquuntur aut unicè, aut præcipuè, de gratia actuali.

23. Dixi *præceptum ſimpliciter ſupernaturale*, quod ſcilicet tale ſit ex parte objecti, quatenùs rem ſupernaturalem præcipiat, ad differentiam præcepti ſupernaturalis tantùm ex parte modi, quatenùs, licèt rem naturalem reſpiciat, imponitur modo ſupernaturali & ex divina revelatione, qualia fuere multa præcepta legis veteris, de quibus præceptis ſervandis dependenter, vel independenter à gratia, judicandum eſt juxtà conditionem operis naturalis præcepti, & juxtà ſupradicta de viribus arbitrij in ordine ad proſequendum morale bonum ordinis naturalis.

Præceptum aliud ſupernaturale ſimpliciter & ex objecto aliud ſecundùm quid & ex modo.

24. Dixi *poſitivum de actu interno*, quia quoad præcepta ſupernaturalia, aut negativa, aut de opere externo, ſtatuetur infrà. Interim aſſertum ſic explicatum

Probatur: Ad eliciendum actum ſupernaturalem in ſubſtantia neceſſaria eſt homini lapſo, tùm non juſtificato, tùm etiam juſtificato, actualis gratia ex duobus §.6. præcedentibus; ſed ſervare præceptum ſimpliciter ſupernaturale de actu interno eſt elicere actum ſupernaturalem in ſubſtantia, ut patet ex mox præmiſſis, & ex eo quod ſupponimus actus internos, tùm fidei divinæ, tùm cujuſlibet alterius virtutis per ſe infuſæ, eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturales: ergo ad ſervandum præceptum ſimpliciter ſupernaturale, &c. Confirmatur ſpecialiter quoad hominem non juſtificatum ex Tridentino *ſeſſ.6. can. 3.* ubi anathematizatur *qui dixerit ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur.* Confirmatur item quoad hominem juſtificatum ex Auguſtino *lib. de natura & gratia, cap. 26.* dicente *Sicut oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè non poteſt vivere. Sanat ergo Deus non ſolùm ut deleat, quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam, ne peccemus:* ubi ly *rectè non poteſt vivere*, ly *ne peccemus* debet maximè intelligi in ordine ſupernaturali, licèt ex terminis Auguſtini verba univerſaliora ſint & univerſaliùs uſurpentur à D. Thoma *hic quæſtione* 109. *artic. 9.*

Dubitatur hic: Vtrùm ſine actuali gratia poſſint præcepta ſupernaturalia ſervari quoad ſubſtantiam, licèt non quoad modum? Item utrùm ſine eadem poſſit contrà præcepta ſupernaturalia non peccari, licèt non poſſint talia præcepta formaliter ſervari? Vtrumque dubij membrum propono propter Cajetanum *hic quæſt.* 109. *artic.* 4. aliosque nonnullos utrumque affirmantes: Nihilominùs cum Arriaga *diſput.42. ſect.6. ſubſec.3.* Oviedo *controverſ.6. punct.5. n.62. & 65.* cæteriſque communiter

25. Ad primum dubij membrum reſpondetur negativè: Ratio eſt, quia, vel præceptum impleri quoad ſubſtantiam, non quoad modum, eſt præcisè impleri ſine dilectione ac merito ſalutis, & hac ratione peccator eliciens ſupernaturalem actum fidei, aut ſpei, urgente præcepto ſervat quidem præceptum ſupernaturale quoad ſubſtantiam, non quoad modum; at ſicuti adhuc elicit actum ſupernaturalem, ità adhuc indiget actuali gratia; vel (& eſt germanus ſenſus Adverſariorum) præceptum impleri, ſeu ſervari quoad ſubſtantiam, non quoad modum, eſt hominem hic & nunc obligatum, v.g. præcepto fidei ſupernaturalis elicere actum fidei, cui, ut ſupernaturalis ſit, ſolùm deſit aliquis modus; & hac ratione Adverſarij in primis nituntur falſo ſuppoſito, ſupponunt enim actus ſupernaturales eſſe tales, non per ſubſtantiam & entitatem propriam, ſed per modum diſtinctum; deinde dato ſuppoſito adhuc non obtinent intentum; quia præceptum fidei ſupernaturalis, vel cadit ſuprà ſolam ſubſtantiã actus, & ſic ponendo actum quoad ſubſtantiam carentem aliquo modo, præceptum ſervatur ſimpliciter ac totaliter; adeoque quoad ſubſtantiam, & modum; vel cadit etiam ſuprà modum actus, & ſic quòd eſt modus reſpectu actus eſt ſubſtantia reſpectu præcepti, adeoque ut ſervetur præceptum quoad ſubſtantiam debet poni actus etiam quoad modum: ergo quidquid Adverſarij dixerint per actum, cui deſit modus ſupernaturalitatis, præceptum fidei ſupernaturalis, vel ſervatur quoad ſubſtantiam & modum, vel neque ſervatur quoad ſubſtantiam; nunquam verò quoad ſubſtantiam, non quoad modum, adeoque impertinenter docent tale præceptum poſſe ſine actuali gratia quoad ſubſtantiam ſervari, non quoad modum.

Præceptum ſuprà dictũ neque etiã quoad ſubſtantiam ſervari poteſt ſine actuali gratia.

26. Ad ſecundum dubij membrũ dico dupliciter intelligi poſſe, quòd poſſit quis non peccare contrà præceptum ſupernaturale, ſeu ipſum non tranſgredi ſine actuali gratia: Primò quatenùs ſine actuali gratia præceptum hujuſmodi utpotè impoſſibile non obliget, & vel non innoteſcat, vel innoteſcat ut non obligans; in hoc ſenſu rectè quidem dicitur hominem non poſſe peccare contrà ipſum, ſeu non poſſe ipſum tranſgredi; at non ſimiliter rectè dicitur poſſe non peccare, ſeu poſſe non tranſgredi, quia primum differt à ſecundo in eo, quod ſecundum importat libertatem, ſeu potentiam ad peccandum & non peccandum, primum non item, ſed puram peccandi impotentiam; unde propriè loquendo demens aut dormiens malè dicitur poſſe non peccare; quamvis rectè dicatur non poſſe peccare: Secundò quatenùs quis ſine actuali gratia nequeat quidẽ formaliter ſervare ſupernaturale præceptum, adhuc tamen

In aliquo ſenſu non poteſt

In aliquo ſenſu poteſt ſine

Gratia non peccari cõtrà præceptum ſupernaturale.

men ex hoc oriatur aliqua obligatio, eo quod urgente & innoteſcente ſupernaturali præcepto fidei, v. g. ignoret quis carentiam actualis gratiæ, & exiſtimet ſe obligatum tali præcepto, adeoque teneatur conari quantùm poteſt ad ipſum ſervandum eliciendo actum fidei quem poteſt, etiamſi ſolùm naturalis ſit; in hoc caſu, qui tamen nequit ſecundùm providentiam ordinariam contingere, homo contrà præceptum ſupernaturale, quod defectu actualis gratiæ ad ſupernaturalem actũ requiſitæ formaliter implere non poſſet, poſſet ſine actuali gratia, præſertim ordinis ſupernaturalis, tùm peccare, tùm non peccare; peccare quidem omittendo, non peccare eliciendo actum fidei naturalis, ad quem nulla actualis gratia requiritur, vel ſi ſit ex gravi tentatione aliove ex capite arduus ſufficit actualis gratia ordinis naturalis. His penſitatis

Simpliciter tamen potius negandum poſſe nõ peccari.

ſimplicitatis & abſolutè loquendo etiam ſecundo dubij membro negativa potiùs, quàm affirmativa reſponſio adhibenda eſt, quia ſéotus, cui congruit reſponſio negativa, uſitatior eſt ac univerſalior; caſus verò, cui quadrat reſponſio affirmativa, particularis eſt, & non ſpectans ad ordinariam providentiam.

27. Aſſert. 2. Nullum præceptum negativum de facto eſt ſimpliciter ſupernaturale, niſi indirectè; quatenùs tamen tale eſt, nequit ab homine lapſo, ſive non juſtificato, ſive etiam juſtificato, ſervari ſine actuali gratia.

Probatur & explicatur prima pars: Præceptum ſimpliciter ſupernaturale, quemadmodum præmiſimus *num.* 23 debet eſſe tale ex parte objecti & rei præceptæ; atqui nullum præceptum negativum de facto eſt ſupernaturale ex parte objecti & rei præceptæ, niſi indirectè: ergo nullum præceptum negativum, &c. Minor probatur, ut præceptum ſit ſupernaturale ex parte objecti debet prohibere, aut præcipere aliquid ſupernaturale; quidquid autem ſit, utrum repugnet nec ne præceptum prohibens ſupernaturalem actum aut præcipiens ſupernaturalem negationem? quidquid item ſit, utrùm nomine ſupernaturalis negationis veniat ea duntaxat, quæ negat ſupernaturalem actum; an ea quoque, quæ non poteſt niſi ſupernaturaliter poni? eo quod ſit negatio rei non potentis non exiſtere naturæ viribus; quidquid, inquam, de his

28. Non datur de facto præceptum negativum directè ſupernaturale ex parte objecti.

ſit, diſcurrendo per præcepta ſupernaturalia nobis nota conſtat nullum eſſe, quod aut ſupernaturalem actum directè prohibeat, aut ſupernaturalem negationem directè præcipiat; nam præceptum negativum in materia ſupernaturali fidei, v.g. directè prohibet actum infidelitatis & directè præcipit ejus negationem; liquidò autem conſtat & naturalem eſſe actum infidelitatis & naturalem eſſe ejus negationem, utpotè quæ eſt negatio actus, tùm naturalis, tùm potentis non exiſtere naturæ viribus; ſupereſt igitur, ut ſolùm indirectè præceptum negativum habeat aliquando ſupernaturale objectum, quando ſcilicet, ſiſtendo in eodem exemplo, prohibet infidelitatem ejuſque omiſſionem præcipit, ut habeatur actus fidei, aut in circunſtantiis, in quibus nequit omitti infidelitas niſi eliciendo fidei, aut aliûs virtutis ſupernaturalis actum.

Dices: præceptum negativum in materia fidei obligat ad non amittendam internam fidem, quæ certè eſt quid ſupernaturale: ergo habet directè pro objecto aliquid ſupernaturale. Sed contrà: non amittere eſt non carere, ſeu non negare, adeoque continet duas negationes, & quia duæ negationes affirmant, non amittere fidem eſt affirmatio per duas negationes explicata: non igitur cadit ſub negativo præcepto, ſed ſub affirmativo, & ſynonimo cum præcepto fidei retinendæ.

Præceptum de fide non amittendi eſt affirmativum.

Probatur jam facilè ſecunda pars: Præceptum negativum ſimpliciter ſupernaturale indirectè nequit quâ tale ſervari, niſi implendo id, ad quod indirectè obligat, id eſt niſi eliciendo actum ſupernaturalem in ſubſtantia, ut mox dicebamus; ſed homo lapſus etiam juſtificatus nequit ex ſupradictis elicere ſine actuali gratia actum ſupernaturalem in ſubſtantia: ergo præceptum negativum ſimpliciter ſupernaturale indirectè, quâ tale eſt, nequit ab homine, &c. 29.

Dubitatur: Quid ſentiendum de iiſdem præceptis negativis ſecundùm id præcisè, quod directè reſpiciunt, & ſecundùm quod ex parte objecti ſupernaturalia non ſunt, ſed ſolùm ex parte modi quo imponuntur à Deo ut Auctore ſupernaturali, & conſequuntur ad præcepta poſitiva ſimpliciter ſupernaturalia? Arriaga *hic diſp.*42. *n.*25. refert Gulielmum de Rubione dixiſſe neque concurſum generalem Dei eſſe neceſſarium ad non peccandum contrà talia præcepta ſic conſiderata: Verùm ſi loquitur de non peccare mortuo modo, ut non peccant amentes, non facit ad rem; ſi loquitur de non peccare modo humano & ſervando præceptum, male loquitur, quia ad taliter non peccare contrà præceptum neceſſaria eſt tùm cognitio præcepti urgentis, tùm potentia tranſgrediendi, ad quæ certè neceſſarius eſt Dei concurſus generalis. Ideò

Reſpondetur ad ſervandum in ſenſu propoſito ea præcepta, & non peccandum contrà ipſa, neceſſarium quidem eſſe propter mox dicta concurſum Dei generalem & ordinarium, at non actualem gratiam, niſi eo modo quoad præcepta ſimpliciter naturalia, id eſt quando urget gravis tentatio, vel obſervantia debet eſſe diuturna: Ratio eſt, quia ſervat quis in ſenſu propoſito præceptum prohibens infidelitatem, v. g. per hoc, quod infidelitatem omittat ex motivo naturaliter honeſto, vel ex eodem eliciat actum quo dicat nolo habere actum infidelitatis; ad hæc autem non magis requiritur gratia, quàm ad aliquod aliud opus naturale. Neque exiſtimes pro obſervantia præcepti negativi prohibentis infidelitatem eſſe neceſſarium, quod infidelitas omittatur ex motivo 30.

contrarietatis, quam habet cum fide ſupernaturali, adeoque ex motivo ſupernaturali. Contrà anim: ſufficit, quòd talis contrarietas ſit antecedenter cognita, nec requiritur quod ſit in actu exercito motivum nolendi infidelitatem.

31\. Aſſert. 3. Nullum præceptum de opere externo eſt ſimpliciter ſupernaturale directè, ſeu ratione operis externi præcisè; eſt tamen aliquandò tale indirectè; & quatenùs tale nequit ab homine lapſo, ſivè non juſtificato, ſive etiam juſtificato ſervari ſine actuali gratia.

Præceptum de opere externo nunquam eſt ſimpliciter ſupernaturale directè.

Probatur & explicatur: Vt aliquod præceptum de opere externo eſſet ſimpliciter ſupernaturale directè debetat eſſe intrinſecè ſupernaturale opus ipſum externum cadens ſub præcepto, ſed nullum opus externum ſecundùm ſe præcisè tale eſt, clarè enim conſtat prolationem verborum, extenſionem manus, ablutionem, unctionem, & ſimilia externa opera, quomodocũque fiant, eſſe ejuſdem rationis intrinſecè, & ſicuti intrinſecè non diverſificantur ex eo, quòd imperentur ab actu neceſſario, vel libero, ità nec ex eo quod imperentur ab actu naturali vel ſupernaturali, ex naturali vel ſupernaturali motivo: ergo nullum præceptum de opere

32\. externo eſt ſimpliciter ſupernaturale directè, quia tamen dantur nonnullæ actiones externæ, quæ ex genere ſuo poſtulant conjungi cum ſupernaturalibus internis, hujuſmodi actiones externæ poſſunt dici ſupernaturales indirectè, & conſequenter dici poteſt ſimpliciter, id eſt ex parte objecti, ſupernaturale indirectè præceptum, quod ipſas ut cum ſupernaturalibus internis conjunctas reſpicit; exemplum taliũ externarum actionum ſit confeſſio externa fidei divinæ, item cõfeſſio ſacramentalis peccatorũ; illa enim, cum ſit ex natura ſua manifeſtatio fidei internæ, petit conjungi cum actu interno fidei divinæ & non niſi ut taliter conjuncta cadit ſub præcepto, iſta, cum ſit ex inſtitutione ſacramenti doloroſa; petit conjungi cum actu interno doloris ſupernaturalis, & non niſi ut taliter conjuncta cadit ſub præcepto: Ecce quomodò de opere externo datur aliquando præceptum ſimpliciter ſupernaturale indirectè. Porrò ad hoc præceptum ſervandum neceſſariam eſſe actualem gratiam evincitur ex eo, quod ſicuti cadit ſuper actionem externam ut conjunctam cum ſupernaturali interna, ità non ſervatur niſi conjungendo cum opere externo actum internum ſupernaturalem in ſubſtantia; ad hunc autem jam pluries dictum eſt neceſſariam eſſe in homine etiam juſtificato actualem gratiam.

Eſt tamen aliquando tale indirectè.

Et tunc nequit ſervari ſine actuali gratia.

33\. Recenſent hic aliqui inter præcepta ſupernaturalia de opere externo ea etiam, quæ reſpiciunt opus externum ſupernaturale purè extrinſecè; nimitùm vel ratione actus ſupernaturalis interni à quo imperantur, quomodò ſupernaturale dici poteſt quidquid boni moralis exteriùs operamur ex motivo ſupernaturali; vel ratione ſupernaturalis effectus, ad quem à Deo ordinantur, quomodo ſupernaturales ſunt externæ actiones ſacramentales ut ablutio, unctio, & aliæ hujuſmodi materiæ proximæ ſacramentorum; item prolatio verborum, quæ ſunt eorundem formæ. Nihilominùs, ſicuti utrumque hoc operum genus nullam habet per ſe & intrinſecè connexionem cum ſupernaturalitate, ità ex ipſis derivari non poteſt ſupernaturalitas ſimpliciter & per ſe in præcepta, quæ propterea ut ſerventur nullam per ſe requirunt actualem gratiam ſupernaturalis ordinis; & opera quidem primi generis non requirunt gratiam actualem ſupernaturalem diverſam à gratia requiſita pro actu ſupernaturali interno imperante, cum quo quia opera de quibus loquimur per accidens conjunguntur, ideò non niſi per accidens poſſunt gratiam illam requirere: Opera ſecundi generis, ad ſupernaturalem effectum conducunt, quatenùs elevantur à Deo, non quatenùs fiunt à creatura, ideò ut à creatura fiant, nulla infertur ex effectu ſupernaturali, ad quem conducunt, neceſſitas actualis gratiæ ſupernaturalis; neque aliundè apparet neceſſitas actualis gratiæ naturalis, niſi occurrat vehemens tentatio aut alia valdè gravis difficultas ſuperanda. Neque dicas omnem actionem ſacramentalem eſſe ex genere ſuo favorem & beneficium: Contrà 34.
enim eſt favor & beneficium reſpectu ſuſcipientis, at non per ſe reſpectu conferentis.

Bene verò quando eſt ſupernaturale per denominationem purè extrinſecã.

Plura in præſenti addi poſſent de neceſſitate actualis gratiæ ad exercendas dignè actiones ſacramentales & ad implenda præcepta de conficiendis & ſuſcipiendis dignè ſacramentis; at hæc habent alibi tractatum proprium; pro nunc dico in univerſum confectionem & ſuſceptionem dignam ſacramenti requirere actualem gratiam, quoties requirit ſupernaturalem actum.

Ex dictis de neceſſitate actualis gratiæ in homine etiam juſtificato, ſeu juſto, conſtat habitus gratiæ & fidei non ſufficere ad bene operandum, ſupereſt jam inquirendum, utrùm quamvis non ſufficiant, requirantur tamen, propter errorem quorundam ſectariorum dicentium omnia opera hominis in infidelitate, vel in alio lethali exiſtentis eſſe peccata. Sit igitur

---

§. V.

Vtrùm habitus gratiæ, & fides, quamvis non ſufficiant, requirantur tamen ad bene operandum?

Aſſert. 1. Habitus gratiæ non neceſſariò in homine lapſo requiritur ad bene 35.
operandum, nec omnia opera hominis deſtituti gratiâ habituali, & conſtituti in lethali, ſive originali, ſive perſonali, peccata ſunt. Eſt dogma fidei & ut tale traditur ab Oviedo *hic contr.* 5. *punct.* 1. Arriaga *diſp.* 38. *ſect.* 1. Maderno *q.* 2. *art.* 2. Herincx *diſp.* 2. *q.* 3. Goneto *diſput.* 1. *art.* 3. §. 1. &c. contrà Ioannem Hus docentem peccatum homini inhærens

Non omnia peccatoris opera eſſe peccata eſt de fide.

inhærens omnia ipſius opera commaculare, adeóque omnia peccatoris opera eſſe peccata, eſt articulus decimus ſextus hujus Sectarij inter damnatos à Concilio Conſtantienſi. Item contrà Michaëlem Bajum, cujus ſuprà meminimus *cap. 2. num. 1.* volentem nullum opus fieri bonum, niſi dependenter à gratiâ juſtificante; quia tamen deindè admittebat hominem in gratis ſimul & in peccato, concedebat poſſe fieri bona opera à peccatore qui eſſet ſimul juſtus. Tandem contrà Lutherum, Calvinum, Melanctonem, & Kemnitium, qui licèt voluerint omnia prorsùs hominis lapſi, quamtumvis juſtificati ac juſti opera eſſe peccata, addiderunt tamen non imputari, neque nocere homini juſto, ſed ſolùm peccatori; ſicque docuerunt omnia opera ſe habere ut peccata reſpectu omnis & ſolius peccatoris.

Dixi *ad benè operandum* quas particulas ſic univerſaliter poſui, ut complecterer bona opera, tùm naturalis, tùm ſupernaturalis ordinis, neutra enim ſecundum ſe requirunt habitualem gratiam; quamvis deinde hæc ſit neceſſaria, ut opera ſupernaturalia habeant rationem meriti condigni, quemadmodum infrà tradetur, cum de merito.

36. Dixi *nec omnia opera hominis deſtituti gratiâ, &c.* quæ quidem verba non debent attendi, ut ſecunda & diverſa aſſerti pars, ſed ut major explicatio præcedentium, eorumdemque neceſſariò illativa; licèt enim admiſſis actibus indifferentibus poſſit opus aliquod non eſſe peccatum abſque eo, quod bonum ſit, nec detur illatio & connexio neceſſaria inter non peccare & benè operari: Nihilominùs hoc effugium nec ſolidum eſt, nec juxtà mentem Tridentini, quod *can. 7.* mox afferendo definiens non omnia opera facta antè juſtificationem eſſe peccata, non exiſtimat alia opera eſſe indifferentia, loquitur enim de operibus ad juſtificationem cōducentibus, & quibus quis nititur ſe diſponere ad gratiam, quæ certè opera bona eſſe oportet, nec ſufficit eſſe indifferentia, ut de contritione in particulari ſtatuit idem Tridentinum *ſeſſ. 14. can. 5.* & de cæteris actibus magis univerſaliter Concilium Arauſicanum *can. 4. & ſequentibus* docens affectus, quibus homo paulatim diſponitur ad juſtitiam eſſe Spiritus Sancti dona & ex illius auxilio tanquam bona opera procedere, licèt fiant ab homine adhuc peccatore: Deindè opera indifferentia, ſi aliqua dantur, contingunt valdè raro, adeoque effugium operum indifferentium non ſalvat, quin ferè ſemper peccator in omnibus ſuis operibus peccet, quod eſt nimis indulgere Sectariis. Aſſertum ſic explicatum

Indè infertur eſſe de fide quod aliqua peccatoris opera ſint bona.

37. Probatur primò ex Tridentino *ſeſſ. 6. can. 7.* ubi anathematizatur qui dixerit *Opera omnia, quæ antè juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementiùs quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum graviùs peccare.* Confirmatur ex Conciliis Conſtantienſi damnante articulum decimum ſextum Ioannis Hus, & Arauſicano tribuente prærogativam boni operis diſpoſitionibus ad juſtificationem etiam à peccatore factis, ut jam retulimus. Confirmatur inſuper ex eo, quod Scriptura *Luc. 11.* hortatur peccatores ad eleemoſynam *Date eleemoſynam & omnia munda ſunt vobis*, non hortaretur autem ſi eleemoſyna à peccatore facta bona eſſe non poſſet. Confirmatur tandem ex Sanctis Patribus, nam Chryſoſtomus *homil. 67. ad populum* ait *Non poteſt malus omninò malus eſſe, ſed evenit, ut aliquid habeat boni*: Fulgentius *lib. de Incarn. cap. 16.* ait *peccatoribus aliqua bona, quæ ad ſocietatis humanæ pertinent æquitatem ineſſe poſſe.* Auguſtinus *de ſpir. & litt. cap. 28.* ait *dari aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuſlibet peſſimi hominis invenitur.*

Dices plures eſſe & clariores auctoritates in contrarium nam *Matth. 7.* habetur *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*; ſæpè etiam alibi in Scriptura reprobantur & rejiciuntur omnia opera peccatorum: Pſal. 49. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas & aſſumis teſtamentum meum per os tuum.* Iſaïæ 1. *Ne offeratis ſacrificium fruſtrà; incenſum abominatio eſt mihi.* Concilium Arauſicanum *can. 22.* ait *Nemo habet de ſuo* (quod eſt idem ac dicere ſine gratia) *Niſi mendacium & peccatum.* Auguſtinus *lib. de gratia & libero arbitrio cap. 15.* ait *Præcepta charitatis tanta ac talia ſunt, ut quidquid ſe putaverit homo bene facere, ſi fiat ſine charitate, nullo modo fiat benè.* Sed contrà: ſi ex verbis illis Matth. 7. rectè inferretur peccatorem non poſſe benè operari, ex verbis ibid. præcedentibus *Non poteſt arbor bona malos fructus facere* inferendum eſſet juſtum non poſſe peccare; ly igitur *mala & bona arbor* non ſupponit pro peccatore & juſto, ſed pro falſo & vero Propheta ſeu Doctore, & ſenſus eſt Pſeudo-prophetam, falſumve Doctorem, non poſſe ex pravæ doctrinæ ſemine facere fructus bonos nec verum Doctorem, &c. Ad illud Pſal. 49. & Iſaïæ 1. dicitur opera illa reprobari non præcisè, quia ſint opera facta à peccatoribus, ſed quia vitiata ex hypocriſi aliovè modo indebito. Concilio Arauſicano ſatisfactum eſt ſuprà *cap. 2. num. 10.* Ad Auguſtinum, ex quo plura alia loca afferri poſſunt, dico ipſum nomine boni operis in verbis relatis & alibi ſæpè intelligere illud ſolùm, quod eſt condignè meritorium ſalutis; aliquando ad aliqua alia bona opera requirere gratiam non habitualem tamen, ſed actualem, ut videre eſt apud Suarium *hic lib. 2. cap. 1.* & Valquium *diſp. 192. cap. 3.* 38.

Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

39. Probatur ſecundò ratione: Gratia habitualis & Charitas, quæ à gratiâ habituali aut non diſtinguitur aut ſaltem de lege ordinariâ nunquam ſeparatur, ad bona opera neque naturalis neque ſupernaturalis ordinis neceſſariò in homine lapſo requiritur: Non ad bona opera ordinis naturalis, quia secùs omnia opera hominis puri eſſent peccata, nec dabilis eſſet in genere moris bonitas naturalis ſine ſupernaturali principio: Non ad illa ordinis ſupernaturalis, quia habitualis gra-

tia datur ad eſſe, non ad operari; nec aliud confert bonis operibus quàm condignitatem meriti in ordine ad gloriam; charitas verò datur in ordine ad operari actus proprius, non in ordine ad actus aliarum virtutum; & illud etiam, quod operatur in ordine ad actus proprios, ſuppleri poteſt per actuale auxilium; ergo in univerſum habitus gratiæ non neceſſariò in homine lapſo requiritur ad bene operandum, nec &c. Confirmatur ex eo, quod dum ſuprà probaremus aliqua bona opera ordinis naturalis fieri poſſe ſine actuali gratia, excludebamus in ordine ad talia opera neceſſitatem cujuſcumque doni gratuiti, & conſequenter etiam gratiæ habitualis; pro operibus verò, pro quibus aſſerimus neceſſitatem actualis gratiæ, ſi ſermo ſit de gratiâ actuali ordinis naturalis iſta diſparatè ſe habet ad gratiæ habitum, nec ipſum infert, ſi de gratia actuali ordinis ſupernaturalis, hæc licèt connaturaliùs detur, ubi præcedit gratiæ habitus; tamen ut conſtat ex ſupernaturalibus auxiliis, quæ conferuntur exiſtentibus in peccato, aliquando gratiæ habitum præcedit, & eoſdem effectus præſtat, quos præſtaret ſi gratiæ habitum ſubſequeretur.

40. Aſſert. 2. Fides non neceſſariò in homine lapſo requiritur ad benè operandum, nec omnia infidelium opera ſunt peccata: Hocque procedit etiam de infidelibus nullam prorsùs habentibus notitiam veri Dei, nimirùm de Idololatris & Atheis. Ità D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. *& in* 2. *diſt.* 41. *quæſt.* 1. *art.* 2. Magiſter *ead. diſt.* Eſtius *ead. diſt.* §. 3. Oviedus *controv.* 5. *punct.* 2. Gonetus *præcit. art.* 3. §. 3. Arriaga, Madernus, Henricx *locis præcitatis*, cæterique Theologi in aſſertam veritatem ſaltem uſque ad ly *Hocque procedit*, *&c.* tanquam in dogma fidei, convenientes contrà Sectarios univerſaliter docentes quidquid à peccatore fit peccatum eſſe, & ſpecialiter contrà Bajum inter cujus damnatas propoſitiones vigeſima ſexta illa eſt *Omnia infidelium opera ſunt peccata & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*, item contrà Ianſenium jam relatum *præced. cap.* 2. *num.* 1. Addunt aliqui Linconienſem *in ſerm. quodam de Adventu*, at non ſatis conſtat hunc Auctorem ità ſenſiſſe. Particulæ illæ *Hocque procedit etiam de infidelibus, &c.* quas Oviedus *præcit. punct.* 2. *num.* 10. fatetur non poſſe efficaciter probari ex Scripturâ aut Conciliis, ſunt inſuper contrà aliquos Catholicos & ſignanter contrà Gregorium *in* 2 *diſt.* 39. *quæſt.* 1. *art.* 2. *corol.* 3. requirentem in actu quolibet, ut bonus imò ut non malus ſit, quod ab eliciente referatur in Deum, hoc autem ſupponit in eliciente notitiam aliquam veri Dei.

Fidem non eſſe neceſſariam ad benè operandum eſt de fide.

41. Probatur primò ex decretis Pij V. & Gregorij XIII. damnantium inter cæteras Baij propoſitiones illam, *Omnia infidelium opera ſunt peccata, &c.* Confirmatur ex Scripturâ Danielis 4. *Conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime* ubi Propheta Nabuchodonoſorem infidelem hortatur ad redimenda eleemoſynis peccata; bonus autem Propheta non hortatur ad peccandum, nec peccata peccatis redimuntur; eleemoſyna igitur etiam ab infideli facta peccatum non eſt, ſed bonum opus: alibi ſæpè Scriptura aliqua infidelium opera commendat, eaque teſtatur fuiſſe à Deo remunerata, ut referunt Gonetus *præcit.* §. 3. *num.* 119. & Eſtius *præcit. diſt.* 41. §. 2. quis autem dicat peccata, aut commendari à Scripturâ, aut remunerari à Deo? Apud eoſdem Gonetum & Eſtium videri poſſunt plura Sanctorum Patrum teſtimonia.

Dices majora eſſe, quæ poſſunt ex Scriptura & Patribus in contrarium afferri; ex Scriptura habetur Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Heb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo* ad Tit. 1. *Coinquinatis & infidelibus nihil eſt mundum.* Coloſſ. 3. *Omnia quæcumque facitis, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti facite* 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*; quomodo autem primum præceptum implebunt hæretici à vera Jeſu Chriſti fide alieni, aut ſecundum infideles illi, qui Deum prorſus ignorant. Ex Sanctis Patribus Auguſtinus & Proſper variis in locis relatis à Goneto *præcit. art.* 3. § 4. & Eſtio *præcit diſt* 41. §. 1. expreſsè tradunt has propoſitiones: *Opera omnia infidelium ſunt peccata: Nullum opus ſine fide eſt bonum: Virtutes Philoſophorum vera virtutes non ſunt, ſed vitia: Omnis infidelium vita peccatum eſt.* Sed contrà: ad primam auctoritatem *ex Rom.* 14. dico, vel in ly *ex fide* 42.
nomine fidei ſignificari fiduciam ſeu tranquillitatem conſcientiæ, vel ly *quod non eſt ex fide* intelligi non privativè, ſed poſitivè & contrariè, prout idem ſonat ac quod eſt ex infidelitate ſeu contrà fidem: Ad ſecundam *ex Heb.* 11. ly *placere Deo* debet intelligi in ordine ad ſalutem & beatitudinem ſupernaturalem, vel debet referri ad perſonam operantem, non ad opus, notat enim Eſtius *præcit. diſt.* 41. §. 4. poſſe Deo placere aliquod opus hominis, etiamſi nondum Deo placeat homo ipſe: Ad tertiam *ex* 1. *ad Tit.* vel ly *coinquinatis & infidelibus* ſumitur formaliter prout ſignificat operantes ex infidelitate & contrà fidem, vel ly *nihil eſt mundum* refertur ad ſalutem, & ſignificat nihil eſſe ad ſalutem conducens: Ad quartam & quintam *ex Epiſt. ad Coloſſ. & Cor.* dico verbis illis contineri conſilium, non præceptum; vel ſi præceptum eſt, referri debere ad ultimum hominis conatum, non ad ſingula ejuſdem opera. Ad propoſitiones deſumptas 43.
ex Auguſtino & Proſpero dico in prima propoſitione vel ly *infidelium* ſumendum eſſe formaliter & reduplicativè, vel ly *peccata* ampliativè & latè ſupponere pro quolibet opere non conducente ad ſalutem in ſecundâ ad ly *eſt bonum* ſubintellige, relativè ad ſalutem, quod ſolum eſt antonomaſticè bonum: in tertiâ ly *non vera virtutes ſunt ſed vitia* intellige de virtutibus ſalutaribus, & de vitiis ampliativè acceptis, quemadmodum de peccatis dictum eſt: in quartâ vel eodem utere intelligendi modo quo in prima, vel dicito ly *Omnis vita* ſumi pro ma-

Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

jori

jori vitæ parte, ſicuti ſumitur pro majori parte ly *Omnis* Geneſ. 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam*: Ex hiſce interpretationibus aliqua ſemper facilè poterit accommodari alij cuicumque, aut eorumdem, aut reliquorum Sanctorum Patrum auctoritati, ex quibus certè nullus in ſpeciem viſus eſt magis favere Adverſariis quàm Auguſtinus, cum ad id occaſio fuit impugnatio Pelagianorum in extremum oppoſitum declinantium, & volentium eſſe ſolis naturæ noſtræ viribus tribuenda opera quæcumque, etiam bona ſimpliciter & ad ſalutem conducentia; in hanc igitur occaſionem refundendum, non in aliquam erroris ſuſpicionem Auguſtino imputandum, quod cum aliqua exaggeratione negaverit bona opera in infidelibus.

44. Probatur ſecundò ratione: Fides multo minùs; quàm gratia & Charitas tribuit bonitatem, aut naturalem, aut ſupernaturalem operibus, nec fideles ut benè operentur neceſſe eſt, quòd operentur concurrente fidei actu vel habitu; ergo fides non neceſſariò in homine lapſo requiritur, &c. Confirmatur ex eo, quod homo lapſus carés fide adhuc non caret omni regula benè operandi, habet enim adhuc regulam legis naturalis innato rationis lumine propoſitam, ſecundùm quam ut loquitur Apoſtolus Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*, ubi ly *Gentes* convenientiſſimè intelligitur de Gentilibus in gentiliſmo perſeverantibus poſt dãnatas propoſitiones Baij, inter quas vigeſima ſecunda ſic habebat, *Cum Pelagio ſentiunt qui textum Apoſtoli ad Rom. 2. Gentes, &c. intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* Confirmatur inſuper ex eo, quod infidelibus melius eſſet non exercere, quàm exercere ſaltem non urgente præcepto opera naturalis honeſtatis, & conſulendum ipſis eſſet otiari potiùs, quàm operari.

45. Impugnatur ſpecialiter opinio & fundamentum Gregorij. Hæ rationes, ſi benè expendantur, militant etiam pro infidelibus nullam veri Dei notitiam aſſecutis; neque relatio in Deum à Gregorio ad quodlibet opus bonum, imò etiam non malum, requiſita cogit nos ad faciendam talium infidelium exceptionem; enim verò talis relatio non requiritur ex parte operantis, niſi negativè, quatenùs iſte non apponat operi relationem incompoſſibilem cum relatione ad Deum; cæterùm ad benè operandũ bonitate morali phyloſophica ſaltem, ſi minùs theologica, ſufficit quod operans habeat pro fine ultimo bonum honeſtũ in communi. Dixi talem relationem non requiri *ex parte operantis*, quia ex parte operis reperitur in quolibet opere honeſto ab intrinſeco & ex natura ſua: Dixi *niſi negativè* quatenùs iſte non apponat, &c ubi adverte obiter poſſe in hoc ſenſu etiam negativè intelligi verba præallata, & jam aliter explicata *ex* 1. *c. or.* 1 c. dicendo ad nihil aliud obligare ſuppoſito quod præceptum contineant, quàm ad non faciendum aliquid contrà Dei gloriam, ſeu ad talem gloriam inordinabile.

CAPUT V.

De neceſſitate gratiæ actualis ad perſeverandum.

Perſeverare, cum nihil aliud, quàm continuare ſeu perdurare ſignificet, in ordine ad malum æquè ac in ordine ad bonum dici poteſt; nihilominus ſimpliciter & abſolutè prolatum in bonam partem ſumitur; undè etiam perſeverantia nomen eſt virtutis, & ſignificat habitum, quo quis vel elicit firmum propoſitum permanendi in bono, vel inclinatur ad ſuperandas difficultates, & triſtitias irruentes contrà diuturnam in bono permanentiam; imò ſolitas oriri ex ipſa diuturnitate: Porrò in præfixo titulo perſeverare ſumitur quidem in bonam partem, tùm quia abſolutè poſitum eſt, tùm quia ex verbis adjunctis ad bonum determinatur, quis enim neſciat ad perſeverandum in malo gratiam nec neceſſariam eſſe poſſe, nec utilem? non tamen ſumitur prout ſpectat ad perſeverantiam virtutem, ſed prout importat ſtatum quemdam, per quem homo viator in gratia conſtitutus gratiam conſervat. 1. Quid perſeverare eſt vi nominis. Quid perſeverantia virtus.

Perſeverantia in hoc ſenſu triplex eſt alia diuturna, non finalis; alia finalis, non diuturna; alia diuturna, & finalis ſimul. Perſeverantia diuturna, non finalis, eſt cum quis gratiam diù ſeu ad longum tempus conſervat, at non uſque ad mortem, adeò ut poſtquam diù in gratia permanſit gratiam peccando amittat, & in peccato decedat, hocque aliquando evenire teſtatur experientia; cujus inſigne exemplum refert ex Auguſtino Gonetus *hic diſp.* 1. *num.* 389. de quodam ſene qui uſque ad annum octogeſimum quintum ſanctè ac continenter vixit, & deindè prave ac turpiter reliquum ſuæ vitæ tempus abſolvit: Perſeverantia finalis, non diuturna eſt, cum quis perſeverat in gratiâ uſque ad mortem, at non ad longum tempus eo, quòd illicò poſt juſtificationem, aut paulo poſt, mors ſequatur; inſigne hujus perſeverantiæ exemplum fuit in bono latrone, ejuſdemque familiaria & frequentia exempla occurrunt tùm in parvulis decedentibus paulo poſt baptiſmum, tùm in adultis, qui vel ſolùm imminente nece & ad ſuſpendiũ jam damnati à peccatis reſipiſcunt, vel alinndè recenter cõverſi repentina & ſubita morte corripiuntur. Perſeverantia diuturna & finalis ſimul, eſt cum quis diù ſeu ad longum tempus, & ſimul uſque ad mortem gratiam conſervat, adeò ut & diù in gratiâ vivat & tandem in gratiâ moriatur. Perſeverantia hoc tertio modo eſt ſimpliciter, propriiſſimè, & antonomaſticè perſeverantia. Perſeverantia primo modo eſt impropriiſſima, nec eſt illa, quam Concilia & Sancti Patres vocant perſeverantiæ donum, & in ordine ad ipſam 2. Quid & quotuplex perſeverantia in præſenti. 3.

ipſam quomodo neceſſaria ſit actualis gratia ſatis conſtat ex dictis de talis gratiæ neceſſitate in homine etiam juſtificato, tùm ad ſervanda præcepta ſupernaturalia, tùm ad vitandum diù quodlibet peccatum contrà legem naturalem. Perſeverantia ſecundo modo inter alias duas mediat, magis tamen ad primam accedit, & ſimul cum prima ad præſens inſtitutum pertinet, quia cum ea convenit in ratione generica perſeverantiæ finalis, in quam ſolam directè tendunt omnes hujus capitis lineæ. Ideò ſit

---

§. I.

Quid importet formaliter Perſeverantia finalis?

4. Quid perſeverantia finalis.

ASSERT. Perſeverantia finalis importat formaliter exiſtentiam in gratiâ juſtificante pro ultimo inſtanti vitæ ſeu viæ, vel conjunctionem gratiæ juſtificantis cum morte. Hoc aſſertum colligitur ex modo quo Theologi communiter explicant finalem perſeverantiam, ad quam deindè licet diverſi diverſa alia prædicata requirant, materialitèr iſta & ſecundariò ſe habent.

Probatur: Perſeverantia finalis importat formaliter id, quod eſt ipſius maximè proprium, & per quod maximè contradiſtinguitur à perſeverantia non finali; atqui hujuſmodi eſt exiſtentia in gratiâ juſtificante pro ultimo inſtanti vitæ: &c. nam & talis exiſtentia in gratiâ convenit ſolis prædeſtinatis, ſicuti iiſdem ſolis convenit perſeverantia finalis, & eo ipſo quod eſt perſeverantia in ultimo inſtanti eſt uſque in finem, adeoque eſt verè finalis, & illa de quâ dicitur Matth. 10. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*; ex alia parte quidquid perfectionis in quacumque aliâ perſeverantiâ reluceat, ſi deſit correſpondentia ipſius ad ultimum inſtans, & conjunctio cum morte, habetur ſolùm aliquid quod reperiri poteſt in reprobo, quodque non eſt differentia propria perſeverantiæ finalis; ergo. Confirmatur ex Auguſtino *lib. de bono perſeverantiæ cap.* 1. *&* 6. ubi loquens de perſeverantiâ, quæ antonomaſticè dicitur Dei donum, & quam communiter finalem vocant, ait: *Aſſerimus eſſe illam, quâ uſque in finem perſeveratur in Christo, finem autem dico, quo vita iſta finitur. Perſeverantiam, quâ in Chriſto perſeveratur uſque in finem, nullo modo habuiſſe dicendus eſt, qui non perſeveraverit uſque in finem. De illa perſeverantia loquimur, quâ perſeveratur uſque in finem, qua ſi data eſt perſeveratum eſt uſque in finem: ſi autem non eſt perſeveratum uſque in finem non eſt data.*

5. Eſt eadem in omnibus quoad formale, non quoad materiale.

Hinc habes illud, quod de formali importat finalis perſeverantia uniceè attendi penes finem & conſummationem ipſius, initium verò & progreſſum ejuſdem perſeverantiæ importari de materiali; undè etiam quia res quælibet invariabilis eſt ſecundùm formale, non ſecundùm materiale, perſeverantia quoad finem & conſummationem, ſeu quoad conjunctionem gratiæ cum morte, utpotè quæ in indiviſibili conſiſtit & in inſtanti perficitur, eſt ejuſdem rationis in omnibus; diverſitatem verò ac varietatem patitur quoad initium & progreſſum; initium enim habet in aliquibus è prima juſtificatione, in aliis è ſecunda, in aliis à tertia, vel etiam ab ulteriore; prout aliqui prædeſtinati in prima juſtificatione perſiſtunt uſque ad mortem, alij à prima excidunt & perſiſtunt in ſecunda, alij à ſecunda excidunt & perſiſtunt in tertia, vel etiam ulterius procedendo, &c. progreſſum habet in aliquibus cum gravium vel plurium, in aliis cum levium vel pauciorum tentationum victoria; in aliquibus diuturnum, in aliis brevem, &c. Aliquando inſuper & initio caret & progreſſu, vel ſaltem initium & progreſſum non habet à fine diſtinctum, ſed unico inſtanti perſeverantia tota perficitur, ut cum parvulus baptizatur, vel peccator adultus reſipiſcit in ultimo vitæ inſtanti.

6. Qui eſt in initio, vel progreſſu finalis perſeverantiæ adhuc non perſeverat finaliter.

Dubitatur hic: Vtrùm qui eſt in initio vel in progreſſu finalis perſeverantiæ, id eſt, conſequitur vel conſervat eam juſtificationem, in qua eſt permanſurus uſque ad mortem, dici jam poſſit perſeverare finaliter, ſeu habere donum finalis perſeverantiæ. Sylvius *hìc quæſt.* 109. *art.* 10. *quæſito* 2. reſpondet dici poſſe quod illud habeat in actu imperfecto, crediderim potiùs eſſe ſimpliciter & abſolutè reſpondendum negativè, nam initium hujuſmodi & progreſſus non eſt aliquid proprium perſeverantiæ finalis, nec ab ipſa importatur de formali, ſed de materiali, eóque poſito adhùc deeſt totum illud, quod importat de formali perſeverare finaliter; non perſeverat igitur finaliter, nec habet finalis perſeverantiæ donum, niſi is qui eſt in fine perſeverantiæ & in eo inſtanti, in quo mors cum gratia conjungitur. Nec obſtat quod Apoſtolus 2. *ad Timoth.* 4. adhùc mortalem vitâ agens dixerit *Curſum conſummavi*; non enim per hoc ſignificavit ſe habere jam donum perſeverantiæ, ſed appropinquare ad ipſum cum fiducia maxima; & ut loquar cum Auguſtino lib. de pecc. merit. cap. 16. *non re pleniſſima, ſed ſpe firmiſſima hæc dixit, & quod futurum eſſe præſumpſit, tamquàm factum fuerit, indicavit.*

His delibatis antequam re ipſa ſtatuamus neceſſitatem actualis gratiæ ad finalem perſeverantiam, duo ſunt præmonenda: Primum eſt, non quæri neceſſitatem actualis gratiæ cujuſcumque, ſed ſpecialioris, & importantis auxilia contradiſtincta non ſolùm ab iis, quæ debentur naturæ, verùm etiam ab iis quæ debentur gratiæ habituali, & virtutibus infuſis: Secundū eſt, non agi de finali perſeverantia affectiva ſita in affectu & propoſito finaliter perſeverandi; ſed de finali perſeverantia effectiva, nec quomodocumque idest non in actu primo, prout importat poſſe effectivè perſeverare; ſed in actu ſecundo prout importat effectivè perſeverare finaliter in actu exercito. Breviter; Compendium 7.

pendium totius controverſiæ eſt. Vtrùm quicumque in actu ſecundo perſeverat finaliter, ſeu exiſtit in gratia habituali pro ultimo vitæ inſtanti, habeat gratiam actualem ſpecialiſſimam contradiſtinctam ab ordinariis Iuſtorum auxiliis: In hoc ſenſu ſit

---

§. II.

An & quanam gratia actualis ſit neceſſaria homini lapſo ad perſeverantiam finalem?

8\. Ad perſeverantiã finalem neceſſaria eſt homini lapſo gratia ſpecialiſſima.

ASSERT. I. Ad perſeverantiam finalem diuturnam neceſſaria eſt homini lapſo gratia actualis ſpecialiſſima, contradiſtincta a communibus & ordinariis Iuſtorum auxiliis. Ita D.Thom. 1. 2. *quæſt.* 109 *artic.* 10. 3. *cont.Gent cap.* 155 *de verit. quæſt.* 24. *ar.* 13. Eſtius *in* 2. *diſt.* 26. §. 42. Sylvius *hic q.* 109. *art.* 10. *quæſit.* 2. Gonetus *diſput.* 1. *art.* 8. §. 2. Ioann. a S Thoma *diſp* 21. *art.* 2. Amicus *diſput.* 26. *ſect* 8. Oviedus *controverſ.* 4. *punct.* 4. Arriag. *diſp.* 5 2. *ſect.* 2. Herincx *diſp.* 4. *quæſt.* 1. Maderinus *quæſt.* 3. *art.* 4. cæterique Theologi communiſſimè, adeò ut aſſerta veritas videatur recipi tanquàm de fide contrà errorem Semipelagianorum, qui ut ex Hilario refert Gonet. *diſp præcit. num.* 349. dicebant eſſe quidem neceſſariam gratiam, ut homo perſeveret uſque in finem; ſed eſſe illam ipſam, cum qua quis poteſt perſeverare, atque adeò dari omnibus donum perſeverantiæ, etiamſi actu & de facto non perſeverēt: Eſt a fortiori contrà Pelagianos nullam prorsùs requirentes actualem gratiam ad perſeverandū, & negatores nō ſolùm gratiam ſpecialiſſimam, de qua in aſſerto; verùm etiam gratiam ſpecialem, quam nos perſeverantiæ adjutorium, non perſeverantiæ donum nuncupamus, & in omnibus juſtis admiſimus ſuprà *lib.* 1 *cap.* 3. *num.* 59.

In hujus aſſerti probationem ſolent congeri plurima Scripturæ & Sanctorum
9\. Patrum loca, quibus Deo, divinóque adjutorio tribuitur noſtrorum operum perfectio & perſeverantia in bono: item orationes Eccleſiæ quibus frequenter perſeverantiam à Deo poſtulamus, ut videre eſt apud Eſtium *præcit.* §. 42. & Sylvium *præcit. art.* 10. *concl.* 3. At hæc loca videntur evincere dumtaxat neceſſitatem alicujus gratiæ ſpecialis, non gratiæ ſpecialiſſimæ, de quâ in aſſerto: Non admodùm etiam efficacia ſunt pro præſenti intento verba Concilij Arauſicani *can.* 10. dicentis, *Adiutorium Dei etiam renatis, & Sanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare*: item Concilij Trident. *ſeſſ.* 6. *can.* 22. anathematizantis eum, qui dixerit, *Iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeverare poſſe vel cum eo non poſſe*: Enimverò utraque hæc verba procedunt in ordine ad poſſe perſeverare, non in ordine ad perſeverare in actu exercito, ad poſſe autem perſeverare requiritur quidem gratiæ auxilium; at ſpeciale tantùm & proviſum omnibus iuſtis, non ſpecialiſſimum & proprium prædeſtinatorum. Quòd ſi dicas ly *poſſe* utrobique ſupponere pro potentia efficaci & infallibiliter actuanda, non pro potentia ſufficienti & fallibili, certè habebunt utraque verba vim pro intento aſſerti; at ſupererit aliundè oſtendendum, quod ly *poſſe* ſupponat pro potentiâ efficaci potiùs, quàm pro ſufficienti; cum tamen regulariter ſoleat pro iſtâ ſupponere. Interim efficacioribus mediis.

Probatur aſſertum primò ex eadem *ſeſſ.* 6. 10.
Concilij Tridentini, tùm *cap.* 13. ubi loquens de finalis perſeverantiæ munere, ait, *aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum qui cadit reſtituere*, tùm *can.* 16. ubi finalem perſeverantiam vocat *Magnum illud perſeverantiæ donum*; ly autem *magnum donum* inſinuat aliquid ampliùs omni eo, quòd eſt communiter conceſſum omnibus iuſtis; & particula taxativa *niſi* denotat idem donum ita eſſe a Deo, ut nullam inveniat connaturalem exigentiam in homine iuſto cui confertur, ſicuti tamen connaturalem exigentiam in juſto invenit actualis gratia ſpecialis, non ſpecialiſſima; & auxilium quodlibet cunctis juſtis commune. In utriſque verbis mox relatis videntur Tridentini Concilij Patres reſpexiſſe ad id, quod habet Auguſtinus *lib. de correptione & gratia cap.* 6. dicens *Negare quidem non poſſumus etiam perſeverantiam in bene proficientem uſque in finem magnum eſſe Dei munus, nec eſſe niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt, omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a patre luminum.*

Probatur ſecundò: Ad perſeverantiam fi- 11.
nalem diuturnam neceſſarium eſt in homine lapſo auxilium efficax, vel plurium auxiliorum efficacium aggregatum, quo diù & tandem in ultimo inſtanti vitæ juſtus vitet in actu exercito omne lethale; ſed tale auxiliū, vel auxiliorum aggregatum, eſt gratia actualis ſpecialiſſima, contradiſtincta à communibus &c. ergo ad perſeverantiam finalem diuturnam neceſſaria eſt homini lapſo, &c. Major patet, quia ex una parte hic nomine perſeverantiæ venit actus ſecundus ipſius in re exercitus, qui certè non habetur, niſi in actu ſecundo exercito vitetur omne lethale; ex alia parte ſicuti ad poſſe vitare omne lethale diù, & tandem in ultimo inſtanti vitæ, in quo graviores ſolent tentationes irruere, neceſſarium eſt homini lapſo auxilium ſufficiens vel plurium auxiliorum ſufficientium aggregatum, ità ad vitare actu neceſſarium erit auxilium efficax, &c. Minor probatur; gratia actualis conſequens ad habitum gratiæ & virtutes infuſas conſiſtit ſolùm in auxiliis ſufficientibus, vel in aliquibus efficacibus non diù continuatis, nec finalibus; conſtat enim experientia hanc ſolam eſſe gratiam actualem communiter repertam in omnibus juſtis, & quam ut contradiſtinctam ab auxiliis debitis naturæ gratiam ſpecialem dicimus ergo auxilia efficacia diù continuata & finalia ſunt gratia ſpecialiſſima contradiſtincta, &c.

Dices: ſecundùm præſentem providentiam ſunt debita aliquibus auxilia efficacia ad ſalutem, cum hæc Deus nequeat omnibus negare propter doctrinam, quam ut probabilem inſinuavimus *præc. cap. 2. num. 16.* Atqui auxilia efficacia ad ſalutem debent eſſe auxilia efficacia finalia; ergo ſecundùm præſentem providentiam auxilia efficacia finalia ſunt aliquibus debita nec ſpectant ad gratiam ſpecialiſſimam. Sed contrà: diſtinguo majorem, ſunt debita aliquibus ad

12\. Solùm ad oſtenſionē divinæ miſericordiæ dici poſſunt debita aliquibus auxilia efficacia finalia.

oſtenſionem divinæ miſericordiæ auxilia efficacia ad ſalutem, concedo; ad exigentiam gratiæ habitualis virtutum infuſarum, vel alterius doni iam exiſtentis in iuſto, nego majorem; & conceſſa minori dico indè non inferri, quod talia auxilia non ſpectent ad gratiam ſpecialiſſimam; rectè enim dicitur gratia ſpecialiſſima quidquid debetur ſoli miſericordiæ Dei; alioqui eodem modo dici poſſet Deus ſecundùm præſentem providentiam debet aliquos prædeſtinare, ergo prędeſtinatio non ſpectat ad ſpecialiſſimā gratiā.

Ad perſeverantiam finalē quãvis nō diuturnam ſequitur gratia ſpecialiſſima.

Aſſert. 1. Ad perſeverantiam finalē, quamvis non diuturnam, neceſſaria eſt homini lapſo gratia actualis ſpecialiſſima, contradiſtincta, &c. Ità Auctores relati pro aſſerto præcedente contrà Duvallium *hic q. 1. artic. 2.* pro ſe referentem Driedonem & Vegam; item contrà nonnollos doctos Iuniores, quorum meminit Ovied. *præcit. punct. 4. num. 73.* Hi auctores exiſtimant Trident. Concilium D. Auguſtinum, & alios Sanctos Patres magnificè loquentes, de finali perſeverantiâ, tanquàm de extraordinario & inſigni dono intelligendos eſſe de ſolâ finali perſeverantiâ diuturnâ: Nihihilominus hoc aſſertū, licèt non habeat tantam certitudinē, quãtam præcedens, pro certo habendum eſt, & Ioan. a S. Th. *præcit. art. 5. n. 3.* ait oppoſitum ſatis periculoſum & parum tutum videri.

13\. Probatur primò ex Auguſtino *lib. de bono perſeverantia, cap. 1.* ubi loquens de perſeverantia illa, quàm antonomaſticè vocat Dei donum, ità habet: *Potiùs hanc habuit unius anni fidelis & quantum infrà cogitari poteſt, ſi donec moreretur fideliter vixit, quàm multorum annorum, ſi exiguum temporis antè mortem à fidei ſtabilitate deficit:* Vbi ly, *& quantum infrà cogitari poteſt* explicat exiguum quodlibet perſeverantiæ ſpatium, dummodò morte conſummetur, eſſe ex mente Auguſtini perſeverantiam illam, quam ipſe Dei donum & magnum munus appellat: hoc idem evincit ratio, cum enim ex ſuprà dictis perſeverantia finalis, importet de formali ſolam conjunctionem gratiæ cum morte, ubicumque iſta reperitur, ſivè longo, ſivè brevi tempore perficiatur, habetur formalis ratio perſeverantiæ finalis, & id per conſequens, de quo verificari debet quidquid Concilia & Patres de finali perſeverantia ſimpliciter & abſolutè proferunt.

14\. Probatur ſecundò ratione (& quidem quæ à fortiore militat etiam pro primo aſſerto) Perſeverantia finalis quamvis non diuturna eſt effectus prædeſtinationis, ſeù providentiæ ſpecialiſſimæ propriæ prædeſtinatorum; ſed omnis hujuſmodi effectus importat gratiam ſpecialiſſimam contradiſtinctam, &c. importat enim gratiam propriam prædeſtinatorum; adeóque contradiſtinctam ab eo omni, quod eſt cõmune omnibus iuſtis etiam non prædeſtinatis; ergo ad perſeverantiam finalem, quamvis non diuturnam, &c. Major probatur potiſſima conditio effectus prædeſtinationis eſt, quod in ſe conducat ad gloriam, ſed hoc optimè convenit perſeverantiæ finali, quamvis non diuturnæ utpotè quæ quamvis non diuturna habet proximam, immediatam, & infallibilem connexionem cum gloria; nam qui perſeveraverit uſque in finem ſalvus erit, nec poteſt in ſenſu compoſito finalis perſeverantiæ ſalvus non eſſe; ergo.

Dices effectum prædeſtinationis non debere conducere in re ad gloriam quomodocumque, ſed ex efficaci intentione Dei volentis glorificare, & ordinantis talem effectum ad gloriam, tanquàm mediū ad finem; at non hoc modo conducit ad gloriam perſeverantia finalis non diuturna, quæ utplurimùm cum gloria conjungitur vel ex eventu aliquo naturali inducente mortem, vel ex obſervãtia alicuius præcepti facilis, ad quam nulla gratia requiratur; neque enim neceſſe eſt intrà quodlibet breve tempus, aut præceptum ex objecto difficilè, aut gravem tentationem occurrere. Deindè puero, qui paulò poſt baptiſmum decedens perſeverat finaliter, quodnam auxilium confertur ſpectans ad gratiam ſpecialiſſimam; cum auxilium, & actualis gratia; detur ad operandum, ille autem puer ſalvetur & perſeveret finaliter abſque ulla propria operatione; perſeverantia igitur finalis non diuturna, & ſecum non afferens plurium præceptorum obſervantiam, plurium tentationum victoriam, aut nullam aut ſaltem non ſpecialiſſimam gratiam requirit. Sed contrà: concedo 15.
majorem, nego minorem, & dico eventum naturalem, quo mors inducitur, conſiderari vel præciſe ut inductivum mortis, vel ut inductivum mortis eo tempore, quo homo eſt in gratia, & quo mors cum gratiâ conjungitur; hoc ſecundo modo eventus ille, quamvis alioqui ſecūdùm ſe naturalis, ſpectat ad providentiam ſupernaturalē ſpecialiſſimam, & provenit ex intentione Dei volentis glorificare; neque enim mortē eo tempore inducit ex providentia naturali, quia ex natura ſua eventus ille non petit inducere mortē quando homo eſt in gratia potiùs, quàm quando eſt in peccato; multò minùs mortē eo tēpore inducit purè caſualiter & fortuitò, quis enim dicat aliquem hominem caſu & fortuitò ſalvari? Eadem ferè ratione, quamvis abſolutè & ſecundùm ſe non ſpectet ad gratiam, quòd vel occurrat intrà breve tempus ſolum præceptum facile, vel tale præceptum obſervetur; ſpectat tamen ad gratiam eámq; ſpecialiſſimā, & provenit ex intentione glorificādi, quod id conducat ad conjungendā mortē cum gratia, nec morte ulteriùs dilata detur locus pręceptis arduis & tentationibus vehemētibus; hoc enim eſt rapi ne malitia mutet

intelle

intellectû, & breviari dies propter electos ut habetur *Sap.* 4. & *Matth.* 24. Illud, quod additur de puero, probat ei non dari auxilium aliquod gratiæ internæ; at non excludit auxilium ſeu beneficium protectionis externæ, quæ quidem protectio externa eo ipſo, quod eſt cauſa conjungendi gratiam cum morte ſpectat ad prædeſtinationem, & ad gratiam ſpecialiſſimam non minùs quàm internum auxilium.

16. Per quid formaliter ſit ſpecialior gratia data ad finaliter perſeverandû.

Ex dictis infertur gratiam neceſſariam ad perſeverandum finaliter eſſe ſpecialiſſimam & majorem ea, quæ communiter datur omnibus juſtis & connaturaliter debetur habitibus infuſis, non quia ſit, aut intenſior in perfectione graduali, aut ſuperior in perfectione ſpecifica; ſed quia eſt magis indebita, cum non ſolùm naturæ, verùm etiam habituali gratiæ indebita ſit; item quia ſpectat non ad providentiam ſupernaturalem qualemcumque, ſed ad providentiam ſupernaturalem ſpecialiſſimam, prædeſtinativam ſcilicet: Cæterùm in ratione entitativa auxilij, ſæpè habent majorem gratiam non perſeverantes, quàm perſeverantes finaliter; nam in primis non perſeverantes finaliter ſæpè habent plura auxilia interna efficacia, quamvis omnia antè ultimum vitæ inſtans; alii verò finaliter perſeverantes omnibus auxiliis internis carent, ut mox dictum eſt de parvulis. Deindè etiam in adultis facilè evenire poteſt, ut aliquis perſeverans finaliter habeat in toto vitæ progreſſu pauciora & remiſſiora auxilia interna efficacia, quàm non finaliter perſeverans, eo quod ille finaliter quidem, at non diù, nec inter graves tentationes perſeveret; iſte autem perſeveret ſeu gratiam conſervet diù, & inter graves tentationes, quamvis non finaliter: & certè quis non agnoſcat plura ac intenſiora gratiæ efficacis auxilia in longiſſima perſeverantia non finali illius ſenis de quo ſuprà *n.* 1. quàm in perſeverantia finali breviſſima boni latronis.

Quæ in univerſum afferri poſſunt ad probandum gratiæ habituali ſecundùm ſe debitum eſſe finalis perſeverantiæ donum, ſeu auxilium efficax ad finaliter perſeverandum rejicientur §. *ſeq.* in quo oſtendetur, ne pro ſtatu quidem integritatis & innocentiæ habituali gratiæ deberi.

---

§. III.

An & quanam gratia actualis fuiſſet homini neceſſaria ad perſeverantiam finalem in ſtatu innocentiæ?

17. Ad perſeverantiam finalem etiam pro ſtatu innocentiæ fuiſſet neceſſaria gratia ſpecialiſſima.

ASSERT. Ad perſeverantiam finalem, ſivè diuturnam, ſivè non diuturnam, neceſſaria fuiſſet homini in ſtatû innocentiæ gratia actualis ſpecialiſſima, contradiſtincta à communibus & ordinariis auxiliis illius ſtatus. Ità Gonetus *hic diſputat.* 1. *artic.* 8. §. 5. Oviedus *controverſ.* 4. *punct.* 6. Arriaga *diſputat.* 52. *ſect.* 3. cæterique Theologi communiter contrà Curielem *hic dub.* 2. §. 4. docentem Adamum indiguiſſe auxilio gratiæ dante ei poſſe, non tamen dante infallibiliter perſeverare; item contrà Janſenium pluribus in locis ex profeſſo tradentem Adamum ad perſeverandum finaliter non indiguiſſe auxilio ſpecialiore, eo, quod dabat ei poſſe perſeverare.

Probatur primò: Homo in ſtatu innocentiæ indiguiſſet diverſo & magis ſpeciali auxilio ad perſeverantiam finalem, quàm ad poſſe finaliter perſeverare; ergo ad perſeverantiam finalē ſivè diuturnam ſive non diuturnam neceſſaria fuiſſet, &c. antecedens, quod negant Adverſarij, probatur primò ex 18.
Auguſtino *lib. de correptione & gratia cap.* 12. ubi ait *primo homini datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet*; diſtinguit igitur Auguſtinus in primo homine adjutorium *ſine quo* & adjutorium *quo* in ordine ad perſeverandum, ſeu adjutorium dans poſſe perſeverare & adjutorium dans perſeverantiam ipſam; nòn eſſet autem hoc diſtinguendum ſi primus homo in ſtatu innocentiæ non indiguiſſet ſpecialiori auxilio ad perſeverantiam ipſam quā ad poſſe perſeverare: Probatur idem antecedens ſecundò, Angeli in via indiguerunt diverſo & magis ſpeciali auxilio ad perſeverantiam finalem, quàm ad poſſe finaliter perſeverare; nam poſſe finaliter perſeverare fuit commune Angelis malis, boni autem ad perſeverandum receperunt majus auxilium, quàm mali, ut ſuppono ex proprio tractatu, & habetur ex Auguſtino 12. *de Civitat. cap.* 9. dicente *Iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, undè ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt*, ſed quoad hoc eadem eſt ratio de homine in ſtatu innocentiæ, quæ de Angelis in viâ, nam illi quoque fuerunt in innocentia & integritate conditi; ergo homo in ſtatu innocentiæ indiguiſſet, &c. Probatur idem 19.
antecedens tertiò ex Concilio Arauſicanò *can.* 19. in quo habetur *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret nullo modo ſe ipſam Creatore ſuo non adjuvante ſervaret* ubi ly *Creatore ſuo non adjuvante*, niſi intelligitur de auxilio ſpecialiore diverſo à ſufficiente quo eadem natura poſſet ſe ſervare, nihil concluderetur contrà Semipelagianos utpotè non negantes ſufficiens auxilium ad perſeverandum finaliter; & tamen contrà ipſos Canon ille emanavit.

Dices: Auguſtinus *eod. lib. de correptione & gratia cap.* 11. ait de primo homine *Sanè habuit gratiam, in quâ ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet* Item *Dederat adjutorium ſine quo in ea* (ideſt in bona voluntate) *non poſſet permanere ſi vellet, ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio*, & nonnullis interpoſitis *Sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi.* Confirmatur ex eo quod *eod. c.* 12. ſimul

& iterum habetur homini lapſo ad finaliter perſeverandum dari gratiam majorem ac potentiorem, quàm data fuiſſet homini innocenti, non poſſet autem hoc ſuſtineri, ſi homini etiam innocenti fuiſſet ad finaliter perſeverandum neceſſaria gratia ſpecialior & major ſufficiente; ſentiendum igitur conformiter ad primas auctoritates, quod homo innocens per auxilium ſufficiens non ſolùm perſeverare potuit, verùm etiam perſeveraſſet ſi voluiſſet, & quod poſito præcisè auxilio ſufficiente erat in ejus arbitrio velle perſeverare; Angelos item bonos cum ſolo auxilio ſufficiente per proprium arbitrium perſeveraſſe; unde eluditur utrumque Auguſtini teſtimonium in aſſerti probationem allatum.

20\. Sed contrà recolendum *ex lib. præced. cap. 3. num. 56.* juxtà mentem Auguſtini & juxtà veritatem duplex dari auxilium ſufficiens; alterum tribuens poſſe operari faciliter & ſine luctâ; alterum tribuens poſſe operari difficulter & cum luctâ partis inferioris adversùs ſuperiorem; diſtinguendum jam eſt proportionaliter duplex auxilium efficax, ſeu duplex efficacis auxilij munus; alterum, quo determinetur indifferentia arbitrij, & ſigatur quodammodo ipſius vertibilitas alterum quo ſuperetur lucta & rebellio partis inferioris: Vtroque genere auxilij efficacis indiget quiſquis habet auxilium ſufficiens dans poſſe difficulter & cum luctâ, ut habet homo lapſus; indiget verò ſolùm auxilio efficaci primi generis quiſquis habet auxilium ſufficiens dans poſſe faciliter & ſine luctâ, ut habuit homo innocens & Angelus in via.

Qu[illegible] auctoritatibus & ex[illegible] penditur Auguſtinus.

Duplex genus auxilij tùm ſufficientis, tùm efficacis.

21\. Auguſtinus igitur, ut colligitur etiam ex D. Thoma 2.2. *q.* 137. *art.* 4. *ad* 2. intendit dumtaxat non fuiſſe neceſſarium ad perſeverantiam finalem primo homini & Angelis ſpeciale auxilium ſecundi generis, & dicens quòd Adam nunquam malus fuiſſet ſi voluiſſet, quod in ejus arbitrio relictum erat perſeverare velle, quod Angeli Sancti per proprium arbitrium ſteterunt, nihil aliud intendit, quam declarare facilitatem in Adamo & Angelis in ordine ad perſeverandum repertam ex vi ſolius auxilij ſufficientis & dantis poſſe; quod in homine lapſo non evenit: ex quo clarè apparet, cur ad finaliter perſeverandum dicatur dari homini lapſo præ innocente gratia major ac potentior; gratia enim efficax, quæ tùm firmat vertibilitatem arbitrij, tum ſubjicit partem inferiorem, qualis ad finaliter perſeverandum requiritur in homine lapſo, jure dicitur major atque potentior eâ, quæ præcisè firmat arbitrij libertatem, qualis ad finaliter perſeverandum requirebatur in homine innocente.

Quomodo ad perſeverandum requiratur majus auxilium in homine lapſo quà in innocente.

22\. Probatur ſecundò: Gratiæ habituali, & reliquis donis infuſis homini in ſtatu innocentiæ, non erat connaturale & debitum auxilium infallibiliter inferens perſeverantiam finalem, conjunctionemque cum gloria ac inamiſſibilitate gratiæ; ergo ad perſeverantiam finalem, ſivè diuturnam, ſivè non diuturnam neceſſaria fuiſſet, &c. Antecedens probatur primò, quia gratia habitualis in ſtatu innocentiæ adhuc non exigebat omnimodâ firmitatem ac inamiſſibilitatem, & erat adhuc, ut comprobavit eventus, amiſſibilis propter vertibilitatem arbitrij, quamvis non propter rebellionem ſenſus; & homo innocens erat quidem ſolutus ab aliquibus, at non ab omnibus hominis lapſi impedimentis in ordine ad perpetuam gratiæ conſervationem. Secundò, quia gratiæ habituali, & reliquis donis infuſis in ſtatu innocentiæ, adhuc non erat connaturalis & debita prædeſtinatio, hæcque etiam reſpectu illius ſtatus fuiſſet effectus providentiæ ſpecialiter gratioſæ; neque enim tunc, aut omnes homines fuiſſent prædeſtinandi, aut ut malè ſenſit Janſenius diſcretio ſalvandorum à non ſalvandis haberetur ex merito liberi arbitrij, non ex gratia; ſed auxilium infallibiliter inferens perſeverantiam finalem, conjunctionemque, &c. eſt effectus proprius prædeſtinationis ex jam dictis, ergo.

Dices: Gratiæ habituali in homine innocente debetur auxilium ad id omne, quod ex natura ſua exigit; ſed exigit ex naturâ ſua perſeverantiam finalem, ergo debetur ei tanquam connaturale auxilium infallibiliter inferens talem perſeverantiam; Major patet, quia gratia habitualis in homine innocente nihil habet, quod ejus exigentiam retundat, & contrà eam pugnet: Minor probatur primò, quia gratia habitualis ex natura ſua ſecum fert infuſam virtutem perſeverantiæ, cujus potiſſimus actus eſt perſeverare finaliter; ſecundò quia dat jus ad gloriam, ergo etiam ad perſeverantiam finalem, ſine quâ nequit haberi gloria; tertiò, quia eſt forma permanens, carens contrario, & exiſtens in ſubjecto indefectibili; petit igitur ex natura ſua perpetuitatem, hanc verò habere nequit ſine finali perſeverantia; quartò ex Concilio Milevitano *can.* 3. habitualis gratia valet non ſolùm ad remittenda, verùm etiam ad non committenda peccata, non committere autem peccata eſt perſeverare, valet igitur ad perſeverandum, & in homine ſaltem integro ad perſeverandum finaliter.

Sed contrà: nego minorem, ad cujus primam probationem dico propoſitum perſeverandi, ſeu perſeverantiam in affectu, eſſe actum perſeverantiæ virtutis, non verò ipſum perſeverare finaliter, de quo in præſenti, ut jam tradidimus *numer.* 5. & inſuper evincitur ex eo, quod perſeverare finaliter convenit parvulis ante uſum rationis, quibus certè non convenit exercere actum ullum perſeverantiæ virtutis: Ad ſecundam dico habitualem gratiam dare jus ad gloriam amiſſibile tamen & defectibile, ſicuti amiſſibilis ipſa & defectibilis eſt: Ad tertiam dico carere contrario phyſico ad ſummum, non morali; deindè gratiæ habituali, ſi minùs ſecundùm ſe, ſaltem ut permanenti & perſeveranti dici poteſt contraria vertibilitas ipſa & mobilitas arbitrij: Ad quartam dico gratiam habitualem valere ad peccata non committenda, quia licèt non exigit auxilia, quibus omnia peccata vitentur, ut requiritur ad perſeverantiam finalem, 23.

23\. Gratia habitualis nõ petit ex naturâ ſuâ perſeverantiam finalem.

exigit

exigit tamen auxilia, quibus vitentur aliqua, & plura quàm vitari regulariter ſoleant ab exiſtente jam in peccato.

Dices inſuper: Homo integer non eſt imperfectior in ordine ſupernaturali, quàm ſit homo purus in ordine naturali; atqui homini puro eſſet debitum auxilium ad perſeverandum finaliter in ordine naturali, & ad conjungendam cum fine viæ naturalem beatitudinem: ergo homini integro eſſet debitum auxilium ad perſeverandum finaliter in

14. Quid de perſeverãtia finali hominis in pura natura. ordine ſupernaturali, &c. Sed contrà: tranſeat major, diſtinguo minorem, homini puro ad perſeverandum finaliter in ordine naturali eſſet debitum auxilium ſufficiens, concedo; auxilium efficax, nego; & dico quod in ſtatu puræ naturæ donum perſeverantiæ finalis tali ſtatui proportionatæ eſſet donum ſpecialiſſimum, nec poſſet niſi in ſpecialiſſimam gratiam ordinis naturalis refundi quod quis, aut raperetur antequam malitia mutaret intellectum, aut adultus moveretur eo tempore quo eſſet converſus ad bonum non obſtante arbitrio vertibili, imò ex partis inferioris præponderantia propenſo in malum.

Dubitatur: Utrùm Deus ſecundùm præſentem providentiam ſit paratus conferre omnibus perſeverantiæ donum, ſeu auxilium efficax ad perſeverandum finaliter; & cur illud de facto conferat uni potiùs, quàm alij?

15. Deus eſt paratus conferre omnibus donũ perſeverantiæ. Ad primum reſpondetur affirmativè: Ratio eſt, quia Deus ſecundùm præſentem providentiam, ſicuti voluntate antecedenti & inefficaci vult omnes homines ſalvos fieri, ità eadem voluntate vult conferre omnibus ea, quibus ſalvi fiant, inter quæ potiſſimum eſt perſeverantiæ donum; ſicuti inſuper voluntas antecedens & inefficax ſalvandi omnes, ſufficit ut Deus dicatur paratus omnes ſalvare; ità eadem voluntas in ordine ad perſeverantiæ donum, ſufficiet ut paratus dicatur omnibus illud donum conferre; Nec quidquam ampliùs requiritur ut poſſimus imò teneamur omnes tale donum & petere ut præſtanus in oratione dominica dicentes *Adveniat regnum tuum*; & ſperare ut monet Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 13.* ubi habetur de perſeverantiæ munere *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent; Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut capit opus bonum, ità perficiet, operans velle & perficere.*

16. Cur illud de facto uni potiùs, quàm alij conferat, ignoratur. Ad ſecundum Auguſtinus *lib. de correptione & gratia, c. 8.* reſpondet ſe ignorare, & putat idem eſſe à quolibet fideli reſpondendum; addit enim *Si ergo confiteris donum Dei eſſe perſeverare in bono uſque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter neſcis, & ambo hic inſcrutabilia judicia Dei penetrare non poſſumus*; eandemque ignorantiam & impenetrabilitatem inſcrutabilium judiciorum Dei pluribus confirmat toto illius capitis progreſſu, hoc quoque luculenter præſtat Sylvius *hic q. 109. art. 10. q. 1.* Et certè poſt alibi aſſertam electionem ad gloriam ante præviſa merita, ſicuti libenter fatemur nos neſcire, cur unum potiùs, quàm alium Deus ad gloriam eligat, ità fateri proportionaliter id debemus ad cur uni potiùs, quàm alij Deus perſeverantiam conferat, proptereaque etiam Tridentinum *præcit. c. 13.* rectè monet, ut *de perſeverantiæ munere nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur.*

---

§. IV.

Quomodò perſeverantia finalis ſe habeat ad confirmationem in Gratia?

ASSERT. Perſeverantia finalis ad confirmationem in gratia ſe habet, tanquam incluſum ad includens. Ità Theologi communiter contrà pauciores aſſerendos *num. ſeq.* 27. Confirmatio in gratia includit perſeverãtiã finalem.

Probatur faciè ex eo quòd perſeverantia finalis datur omnibus prædeſtinatis; Confirmatio in gratia conceſſa fuit dumtaxat nonnullis prædeſtinatis inſignioribus, iiſque pauciſſimis; omnes igitur confirmati in gratia ſunt finaliter perſeverantes, non omnes finaliter perſeverantes ſunt confirmati in gratia; adeoque confirmatio in gratia aliquid addit finali perſeverantiæ, ratione cujus iſta ad illam rectè dicitur ſe habere ut incluſum ad includens.

Dices non omnes quidem perſeverantes finaliter eſſe confirmatos in gratia pro totius vitæ, aut diuturni temporis ſpatio; bene tamen pro eo tempore, pro quo ſunt in curſu finalis perſeverantiæ; ab hac propterea nullatenùs diſtingui confirmationem in gratia; cujus nomine ſi velis intelligere eam ſolam, quæ notabili durat tempore, diſtingues ad ſummum confirmationem in gratia à perſeverantia finali non diuturna, & hæc ſola ad illam ſe habebit, ut incluſum ad includens: Pro hoc dicendi modo ſtant, ut loquitur Sylvius *præcit. art. 10. quæſito 4. conc. 2.* boni Auctores, ſtat pro eo Herinex *d. ſp. 3. q. 1. n. 11.* 28. non aliam aſſignans inter confirmationis & perſeverantiæ donum differentiam, quàm majorem continuationem auxiliorum efficacium; Suarez etiam in B. Virgine dumtaxat videtur agnoſcere aliquid ampliùs pro dono confirmationis: ab eodem dicendi modo non multùm diſtant illi, qui docent confirmationem differre à finali perſeverantia præcisè ex eo, quod illa revelatur confirmatis, non iſta perſeverantibus. Sed contrà: ut ab hoc poſtremo incipiam, gratis dicitur cuilibet confirmato confirmationem ſuam revelari, & Paulus, cui ſicut & cæteris Apoſtolis communiter ſupponitur conceſſum donum confirmationis, inſinuat ſe id neſciſſe 1. *Cor.* 4. & 9. dicens *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, &c.* Ad primam verò inſtantiæ partem dico non poſſe ſine abuſu vocabuli cum qualibet perſeverantia finali confundi confirmationem in gratia, & addo hanc eſſe diſtinguendam à perſeverantiâ finali etiam diuturnâ primò, quia D. Thomas 1. *p. q.* 100. *art.* 2. *ad* 1. docet quòd ſi Adamo non peccante ejus poſteri in juſtitia

perſeveraſſent, hoc non fuiſſet quia eſſent in gratia ſeu juſtitia confirmati; ſentit igitur perſeverantiam, quæ fuiſſet in Poſteris Adæ, & quidem fuiſſet diuturna, diſtingui à dono confirmationis; Secundò, quia perſeverantia finalis diuturna reperitur de facto in pluribus juſtis, quos tamen non cenſemus confirmatos in gratia; nec privilegium confirmationis eſſet valdè ſingulare, quoties confirmatio eſſet idem cum finali perſeverentiâ diuturnâ; Tertiò, quia cum D.Thom. *q.24. de verit. art.9.* Sylvio *præcit. quæſ.4.* circà finem, Goneto *præcit. diſp.1 num.391.* Alvarez *de aux. lib.10. diſp.104.* Arriagâ *diſp.52. num.27.* exiſtimo donum confirmationis importare impeccabilitatem aliquam, non ſic perſeverantiam finalem quamvis diuturnam; Hoc

29. Et his ſuperaddit aliquam impeccabilitatem.

ſecundum ſuppono tanquam notum & incontroverſum, primum explicatione magis indiget, quàm probatione. Ideò

Adverto ex D.Thoma *art. præcit.* impeccabilitatem, eſſe poſſe vel ſimpliciter à principio intrinſeco, eo quòd quis habeat in ſe donum aliquod, quo ità firmatur in bono, ut nequeat ab ipſo deflectere, & peccare, ſic eſt ſimpliciter à principio intrinſeco impeccabilitas proveniens à viſione beatâ, & unione hypoſtaticâ; vel partim à principio intrinſeco, partim ab extrinſeco, eo quod quis per donum ſibi inexiſtens firmetur quidem aliqualiter in bono nec poſſet facilè ab ipſo deflectere; ut tamen omninò peccare non poſſit, adhuc indigeat decreto extrinſeco Dei ſpecialiter protegentis. Primam impeccabilitatem aliqui tribuunt confirmatis in gratia, verùm quia nec apparet quænam alia forma præter viſionem beatam & unionem hypoſtaticam poſſit eſſe principium illius impeccabilitatis, nec videtur concedenda ulli puræ creaturæ in via impeccabilitas tanta, quanta in Beatis & in Chriſto; magis placet cum S.

30. Provenientem partim ab intrinſeco, partim ab extrinſeco.

Doctore in iiſdē confirmatis ſecundam duntaxat impeccabilitatem agnoſcere, dicendo donum confirmationis conſiſtere in majori quadam perfectione gratiæ habitualis & virtutum infuſarum magis cohibentium partem inferiorem ſub imperio ſuperioris, & vehementius inclinantium intellectum ad contemplationem divinorum, voluntatemque ad fervorem charitatis; quæ omnia deinde perficiantur extrinſeco Dei decreto de arcendis peccati occaſionibus, vel præbendis in qualibet occaſione viribus efficaciſſimis ad non peccandum mortaliter, aut neque venialiter, prout confirmatio in gratia eſt quoad mortalia, aut etiam quoad venialia.

Cum hac impeccabilitate quomodò cohæreat libertas ad merendum, quæ certè remanet in confirmatis, patebit ex ſuo loco dicendis de cohærentia ejuſdem libertatis cum impeccabilitate Chriſti, cum enim impeccabilitas Chriſti ſit major impeccabilitate à nobis poſita in confirmatis, ea ratione quâ libertas illa cohæret cum prima impeccabilitate, cohærere à fortiori poterit cum ſecunda.

CAPUT VI.

Reliqua de Gratiâ Actuali.

QUæ ſuperſunt ſub hoc titulo expedienda, nec magni momenti, nec in magno numero ſunt. & vel in hucuſque dictis continentur; vel facilè ex iiſdem inferuntur; nihilominus claritatis gratiâ placet ea ſub propriis terminis proponere, & primò quidem proferam, in quonam formaliter conſiſtant auxilia gratiæ actualis internæ? deindè per miſcellanea dubia, quorum reſponſiones erunt quædam ex præcedentibus doctrinis corollaria, attingam breviter quidquid videtur ulteriùs deſiderari poſſe pro huiuſcè libri complemento. Ideò ſit. 31

§. I.

In quonam formaliter conſiſtant auxilia gratiæ actualis internæ.

ASSERT. Auxilia gratiæ actualis internæ formaliter conſiſtunt in motione divinâ magis, quàm in actibus intellectus & voluntatis, quos illuſtrationes & pias affectiones ſeu inſpirationes vocant. Ita Thomiſtæ communiter contrà Auctores Societatis, ut retulimus *lib. præced. cap. 3. n. 20.* 32

Dixi *magis quàm in actibus*, &c. ne videar negare huiuſmodi actibus omnem rationem gratiæ actualis internæ; cum tamen ex unâ parte, quatenus conducere poſſunt ad operationes ſalutares verâ habeant rationem gratiæ & quidem internæ; cum inhæreant principio, cui ad ſalutariter operandum inſerviunt: ex alia parte quatenùs ſunt quid fluxum & tranſiens ad aliam gratiam pertinere non poſſint, quàm ad actualem. Neque dicas, tales actus ſunt effectus gratiæ actualis, nam ad ipſos etiam datur Dei motio, in quâ per nos actualis gratia conſiſtit, ergo tales actus nō ſunt gratia actualis, alioqui effectus non diſtingueretur à ſuâ cauſa; Contrà enim: concedo antecedens, diſtinguo conſequēs, ergo non ſunt illa gratia actualis cujus ſunt effectus, concedo, alia gratia actualis, nego; vel ergo non ſunt prima gratia actualis cōcedo, ergo non ſunt aliqua gratia actualis nego; & ſicuti gratia habitualis dividitur in primam & ſecundam, adeò ut ſecunda à primâ dependeat; cur non poterit etiam in primam & ſecundam dividi gratia actualis, adeò ut gratia actualis ſecunda à gratiâ actuali primâ cauſetur? Neque urgeas: hoc pacto dici deberent gratia actualis interna etiā actus ſupernaturales plenè deliberati eo quod etiam ipſi ſint quid gratuitum & tranſiens; nec refert; quòd ex gratiæ auxilio pendeant, ſi ex modò dictis non eſt contrà

Illuſtrationes & piæ affectiones ſunt gratia actualis.

rationem

tationem actualis gratiæ ab aliâ actuali gratiâ pendere: Contrà enim: gratia actualis ſumi poteſt vel minùs propriè pro ea omni, quæ ab habituali contradiſtinguitur; vel propriè pro gratia adjuvante, ſeu auxiliante; actus perfectè deliberati non ſunt hoc ſecundo modo actualis gratia, quia intenduntur propter ſe, non tanquam auxilia conducentia ad alios actus, ſicuti tamen ſe habent ut auxilia potiùs, quàm ut formæ intentæ ratione ſui, actus ſupernaturales imperfectè deliberati; quos illuſtrationes & pias affectiones vocant. Sic explicatis poſterioribus aſſerti particulis illud jam, quod in aſſerto præcipuum eſt

4. *Eſt tamen gratia actualis ſimpliciter & magis propriè divina motio.*

Probatur: Motio divina quoties gratioſa eſt & indebita habet veram rationem gratiæ, & quidem actualis, cum quid fluxum ſit ac tranſiens; habet inſuper in toto rigore rationem auxilij, quia quatenùs prævia, eſt id quo applicamur ad operandum; quatenùs ſimultanea, eſt id quo operamur; ergo in motione divina formaliter conſiſtunt auxilia gratiæ actualis internæ magis certè, quàm in actibus intellectus, &c. quia iſti actus nec ſunt ità propriè auxilia, nec ſunt in genere gratiæ actualis gratia prima & ab alia actuali gratia independens, ſicuti eſt divina motio. Confirmatur: ſi, ut volunt Adverſarij, actualia gratiæ auxilia unicè conſiſterent in illuſtrationibus & piis affectionibus, nullum propriè daretur auxilium, quo Deus operaretur in nobis ſine nobis, ac per conſequens nulla propriè daretur gratia actualis operans, nec bona eſſet ipſius communiter admiſſa diviſio in operantem & cooperantem: ergo actualia gratiæ auxilia non unicè conſiſtunt in illuſtrationibus, &c. ſed magis in divina motione; magis, inquam, tùm propter jam dicta, tùm inſuper, quia auxilium phyſicum eſt magis auxiliū, quàm auxilium morale, illuſtrationes autē & piæ affectiones ſunt auxilia moralia non phyſica, moraliter non phyſicè influentia; ſicuti tamen auxilium phyſicum & phyſicè influens eſt divina motio; antecedens conſequitur ad explicationem gratiæ operantis ſuprà aſſertam *lib. 1. c. 3. n. 22.*

Dices ex Eſparza *q. 15. art. 5.* Concilia & Patres explicando gratiam actualem & auxiliantem, dumtaxat mentionem faciunt illuſtrationum & affectionum, nunquam verò ullius phyſicæ motionis aut qualitatis: atqui in doctrina de gratia utpotè dogmaticā nihil inducendum eſt ſine auctoritate Conciliorum & Patrum; ergo gratiæ actualis auxilia unicè collocanda ſunt in illuſtrationibus & affectionibus, non in ulla phyſica motione aut qualitate; major probatur ex Concilio Milevitano *can. 4.* ubi gratia actualis explicatur dicendo *per gratiam revelari nobis intelligentiam mandatorum, darique ſimul ſcire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus*; eodem modo explicat gratiam actualem ejuſque adjutorium Auguſtinus *lib. 2. de Bapt. parvul. c. 17.* dicens. *Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntatès*, & lib. de pec. mer. c. 7. *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque juſtitiam, quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat*, ubi particula excluſiva *Quid aliud* excludit à ratione adjutorij quidquid non eſt illuſtratio, quæ ſola aperit; aut pia affectio, quæ ſola ſuave facit. Sed contrà: malè ſupponit inſtantia ſanctos Patres nullatenùs meminiſſe phyſicæ motionis, & ut omittam auctoritates quæ in univerſum afferri ſolent ad probandum hujuſmodi motionem neceſſariam eſſe ad quemcumque effectum cauſæ creatæ, & penes phyſicam præmotionem in auxilio efficaci, non in ſufficienti repertam illud ab iſto differre; ad occurrendum verbis Auguſtini ſecundo loco relatis, quæ propter particulam excluſivam videntur contrà nos urgentiora expendo alia verba ejuſdem Auguſtini *lib. de ſpiritu & littera, c. 3.* dicentis *Cum id, quod agendum & quo nitendum eſt, caperit non latere, niſi etiam delectet & ametur non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur, ut autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris*: Ecce ad amorem præter non latere & delectare, id eſt præter illuſtrationem & piam affectionem, requiritur ab Auguſtino charitas diffuſa, cujus nomine ipſe intelligit non charitatem habitum, ſed charitatem auxilium, ſeu auxilium ad charitatem; datur igitur ex mente Auguſtini auxilium, quod eſt aliquid aliud ab illuſtratione & pia affectione, & conſormiter ad hanc doctrinam debent intelligi alia quæcumque Auguſtini loca, ut magis oſtendit Ioannes à S. Thoma *hic diſput. 23. art. 2. num. 14.*

5. *Occurritur auctoritatibus Adverſariorū, & expenditur Auguſtinus.*

Auctoritas ex Milevitano faceret pro Adverſariis, ſi aut poſitivè negaret motioni phyſicæ rationem actualis gratiæ, aut hanc nos abſolutè negaremus illuſtrationibus & piis affectionibus: Deinde in relatis Concilij verbis per gratiam, quâ datur diligere, debet juxta præcedentem doctrinam & mentem Auguſtini intelligi auxilium ad charitatem ab illuſtratione piaque affectione diſtinctum, & in phyſica motione conſiſtens.

6. *Nos magis quam Adverſarij recedimus à Pelagio.*

Ex his habent nos collocare gratiæ actualis auxilia in motione phyſica principaliùs, quàm in motione morali; motionemque illam phyſicam eo libentiùs aſſerimus, quo per eam magis recedimus à Pelagio negante omnem gratiam moventem phyſicè, at non omnem moventem moraliter; nec propterea intendo aliquam Pelagianiſmi ſuſpicionem inurere Adverſariis, motio enim moralis Pelagiana erat naturalis & ab extrinſeco, proveniens à prædicationibus, exhortationibus, exemplis; cum motio moralis in præſenti aſſerta ab Adverſariis ſit ſupernaturalis & ab intrinſeco, proveniens ab illuſtrationibus, piiſque affectionibus ſupernaturalibus & internis.

§. II.

Miſcellanea ex præcedentibus doctrinis corollaria.

DUBITATUR primò: Quomodo gratia ad ſingulos actus detur: Gratiam ad ſingulos actus dari definitum eſt, ut fidei dogma, in Synodo Palæſtina, dicta etiam Dioſpolitana eo quòd fuerit habita Lyddæ, verſæ deinde in Dioſpolim, ut ex Hieronymo refert Eſtius *in* 2. *diſt.* 26. §. 18. Hujus Synodi hodie acta non exſtant, ejus tamen quoad præſens dogma contrà Pelagium definitio refertur ab Auguſtino *epiſt.* 106. *ad Paulinum*, & confirmata fuit à quodam Concilio Africano approbato à ſede Apoſtolica, nec non ſemper recepta ab Eccleſiâ Catholicâ, ut teſtatur Auguſtinus *epiſt. præcit.*

7. Reſpondeo: Gratiam ad ſingulos actus dari intelligendum eſt de gratia actuali, & de actibus ſalutaribus; & in hoc ſenſu talis propoſitio nullâ indiget limitatione, nec verificatur ſolum in generibus ſingulorum, quatenùs in quolibet ſalutarium actuum genere ad aliquem actum actualis gratia detur; verùm etiam de ſingulis generum, quatenùs detur ad unumquemque prorsùs ſingularem actum. Hæc reſponſio ſecundùm quod de actuali, non de habituali gratiâ propoſitionem intelligit infertur ex eo, quod *cap.* 4. §. 5 aſſertum eſt gratiam habitualem non eſſe neceſſariam ad bonos actus, neque naturalis, neque ſupernaturalis ordinis; ſecundum quod eandem propoſitionem intelligit de actibus ſalutaribus infertur partim *ex cap.* 2. & 3. dum aſſereretur hominem lapſum præſcindendo à modo meritorio & ſalutari non indigere actuali gratia ad quemlibet actū moraliter bonum, partim *ex cap.* 4. dum oſtenderetur ad quemlibet prorsùs actum ſupernaturalem ac ſalutarem neceſſariā eſſe actualem gratiam cuicumque principio etiam habitibus infuſis inſtructo: Ex his locis ſufficienter habetur quidquid pertinet ad rem præſentem, de quâ latè Eſtius *præcit. diſt.* 26. *à* §. 18 *ad* 23. & Sylvius *hic quæſt.* 109. *art.* 9.

Quomodo gratia ad ſingulos actus detur?

Dubitatur ſecundò. Quomodo facienti quod eſt in ſe Deus non deneget gratiam?

8. Reſpondeo: Quoties per talem propoſitionem importetur diſpoſitio aliqua, vel congruitas poſitiva ad gratiam ly *facienti quod eſt in ſe* debet intelligi dependenter à gratiâ actuali: Infertur ex eo, quod apponere diſpoſitionem aliquam aut congruitatem poſitivam ad gratiam eſt operari ſalutariter, cum gratia ſit maximè ſalutaris; ſæpe autem in ſuperioribus dictum eſt hominem pro hoc ſtatu elevationis nihil prorsùs poſſe ſalutariter operari puris naturæ viribus; & in iis, quæ ad ſalutem poſitivè conducunt, vel à ſalute retrahunt, ſine actuali gratiâ valere tantum ad ea, quæ retrahunt, ſcilicet ad peccata pro quo recolantur ſupradicta *cap.* 1. *num.* 7. *cap.* 2. *num.* 10. *cap.* 4. *num.* 20. item quæ circa prædictam propoſitionem ex profeſſo dicebamus *tract.* 1. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 10. & 11. ubi etiam rejecimus aliquos modos eam aliter intelligendi, contrà quos latiùs agit Sylvius *præcit. quæſt.* 109. *art.* 6. *quæſito* 1.

Quomodo facienti quod eſt in ſe Deus nō deneget gratiam?

Dubitatur tertiò: Quandonam gratia ad aliquod opus requiſita debeat eſſe interna, & quandonam externa ſufficiat?

Reſpondeo id regulariter dignoſci expendendo cauſam neceſſitatis gratiæ; quando 9.
enim cauſa talis neceſſitatis eſt intrinſeca principio operanti, conſiſtit v. g. in innatâ inconſtantiâ talis principij, vel in phyſica improportione ipſius ad opus, gratia actualis adjuvans debet eſſe interna; quando verò cauſa illa eſt principio operanti extrinſeca, & conſiſtit in extrinſecis impedimentis, ſufficiet gratia actualis externa, quæ circà talia impedimenta verſetur & ea removeat: ſic ad eliciendum aliquem actum ſupernaturalem, ſive ad diù perſeverandum in bono etiā ſolùm morali neceſſarium eſt adjutorium gratiæ internæ; ad primum quidem, ut elevetur potentia improportionata; ad ſecundū, ut firmetur potentia inconſtans; èconträ ad cognoſcendas collectivè valdè multas veritates naturales præſertim ſpeculativas ſufficit gratia extrinſeca; quâ occurratur impedimentis de quibus ſuprà *cap.* 1. *num.* 15. item ad ſervandum præceptum ſolum ex ſupervenienti tentatione arduum ſufficit gratia protectionis externæ, quâ tentatio gravis eſſe non permittatur; & ſic de cæteris.

Gratia actualis quandonā debeat eſſe interna, quando ſufficiat externa.

Dubitatur quartò: Quandonam gratia actualis ad aliquod opus requiſita debeat eſſe ſupernaturalis in ſubſtantia, quandonam ſupernaturalis in modo, & quandonam ſufficiat purè naturalis?

Reſpondeo dignoſci hoc ex conditione 10.
operis ad quod actualis gratia datur; & iſtam debere eſſe ſupernaturalem in ſubſtantia vel in modo, prout datur ad opus vel in ſubſtantia vel in modo ſupernaturale; ſufficere verò purè naturalem, ſi ad opus purè naturale detur.

Dubitatur quintò: An, quomodo, & quando poſſit quis in ſe ipſo experiri, ſeu experimento deprehendere ſupernaturales motus actualis gratiæ.

Reſpondeo naturaliter & abſque ſpeciali Dei revelatione haberi non poſſe ullum experimentum certum & infallibile taliū motuum; haberi verò poſſe aliquod eorumdem experimentum veriſimile, quando ità illis afficiuntur intellectus & voluntas, & ſimul aliquo affectu & effectu gratiæ perfundantur vires ſentientes. Probatur prima pars, 11.
quia naturaliter, & abſque ſpeciali revelatione, nemo poteſt eſſe certus de ſua juſtificatione, ut enim habetur Eccleſ. 9. *Neſcit homo utrùm amore an odio dignus ſit* & 1. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*; atqui experimentum certum & infallibile motuum ſupernaturalium, quibus v. g. efficaciter movemur ad contritionem dilectionemve Dei ſuper omnia inferret

Non poſſumus in nobis certò experiri motus gratiæ actualis.

Aliquandò tamen eos experimur veriſimiliter.

ferret certitudinem juſtificationis;ergo. Probatur ſecunda pars, quia nec negari poteſt aliqua perceptio & experientia ſupernaturalium motuum, vix enim reperietur Chriſtianus, qui toto ſuæ vitæ tempore careat omni pio cordis affectu, omnique devotione ſenſibili, nec pro præſenti ſtatu unionis ad corpus experiri ſolemus motus intellectus & voluntatis, niſi dependenter ab aliquo motu partis ſenſitivæ; cum pro præſenti ſtatu ſoleant ſemper ſenſus internus & appetitus ſenſitivus aliquid operari circà idem objectum, circà quod operantur intellectus & voluntas;ut igitur experiamur motus gratiæ in intellectu & voluntate, neceſſe eſt quòd habeamus motus aliquos correſpondentes in parte ſenſitiva, & hoc eſt vires ſentientes aliquo affectu & effectu gratiæ perfundi, hoc eſt etiam quod tradunt plura Scripturæ loca Pſalm. 33. *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Pſal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor*
12. *meum.* 1. Pet. 2. *Si tamen guſtaſtis, quoniam ſuavis eſt Dominus:*ergo à primo ad ultimum habetur aliquod experimentum veriſimile motuum ſupernaturalium actualis gratiæ, quando ità illis afficiuntur intellectus & voluntas, ut ſimul, &c. veriſimile, inquam, quia piæ cordis exultationes, & affectus devotionis ſenſibilis, aliique hujuſcemodi motus partis ſenſitivæ, licèt regulariter correſpondeant motibus actualis gratiæ in parte ſuperiori, poſſunt tamen aliquando, vel oriri ex conſtitutione corporis, vel excitari à dæmone ſe transformante in Angelum lucis; adeoque ſunt veriſimile tantùm, non certum & infallibile argumentum motuum gratiæ; quâ de re plura Molina *in concordia, diſp.* 42.

Dubitatur ſextò: Vtrùm in ordine ad actus ſupernaturales tanta ſit neceſſitas actualis gratiæ in homine integro, & innocente, quanta in lapſo?

13. Reſpondeo affirmativè, & infertur ex dictis partim *lib.* 1. *c.* 2. §. 1. partim *lib. præced.* *c.*4. §. 3. quatenùs hoc ſecundo loco oſtenſum eſt homini lapſo etiam poſt juſtificationem, & infuſionem ſupernaturalium habituum, neceſſariam eſſe pro quolibet actu ſupernaturali actualem gratiam, quæ licèt ſit aliquando debita habitibus infuſis, retinet tamen ſimpliciter rationem gratiæ, quia non ſunt debiti homini lapſo ipſi habitus infuſi; cum igitur primo loco aſſertum ſit homini etiam ante lapſum, & in integritate primæ conditionis, habitus infuſos non deberi, ſequitur quod homo etiam ante lapſum & in integritate primæ conditionis indigeat ad quēlibet ſupernaturalem actum actuali gratia ſimpliciter & propriè tali, adeoque quod in ordine ad actus ſupernaturales tanta ſit neceſſitas, &c. Confirmatur: id quo maximè, & ferè unicè, differt homo conſtitutus in integritate ſuæ primæ conditionis & in ſtatu innocentiæ ab homine juſtificato in ſtatu naturæ lapſæ, eſt carentia rebellionis & diſcordiæ ſenſus à ratione; atqui neceſſitas gratiæ actualis ad actus ſupernaturales in ſtatu naturæ lapſæ non provenit ex tali rebellione, & diſcordia;ſed ex aliquo communi ſtatui lapſus & ſtatui innocentiæ, ſeu integritatis; nimirum ex improportione naturæ ad actus ſupernaturales, & ex indigentia ſupernaturalis concurſus divini ad ipſos, ut dictum eſt *præcit.* §. 3. ergo in ordine ad actus ſupernaturales actualis gratiæ neceſſitas communis eſt & eadem in utroque ſtatu, nec non tanta in homine innocente, quanta in lapſo.

Neceſſitas actualis gratiæ ad ſupernaturalia eadem eſt in homine integro ac in lapſo.

Dubitatur ſeptimò: Vtrùm gratia actualis reſpectu actuum ſupernaturalium ſit tota ratio agendi?

Reſpondeo negativè; ratio eſt quia gratia actualis, vel ſumitur ut operans, vel ut cooperans: ſi ut operans ſit quidem ipſa in nobis ſine nobis ut ſuppono tùm *ex lib.* 1. *c.*3. §.4. tùm *ex* 3. *præced. n.*4. at ut operans eſt pura motio, ſeu applicatio noſtræ voluntatis ad agendum, motio autem & applicatio ad agendum non eſt ex genere ſuo tota ratio agendi, alioqui ad quemlibet effectum indigeremus aliquo, quod eſſet tota ratio agendi, quia ad quemlibet effectum indigemus præmotione & applicatione divina: Si ſumitur ut cooperans, per eam Deus operatur nobiſcum, & quidem principaliter operantibus; cum in ordine ad noſtros actus vitales non poſſimus niſi principaliter operari, ut attigimus *tr.* 1. *lib.*2. *c.*3. *n.* 53. illud autem quod operatur cum alio ſimultaneè non eſt ei tota ratio agendi, præſertim quando hoc aliud cooperationem ſuam exercet in genere cauſæ principalis. Confirmatur: gratia actualis datur in ordine ad actum ſupernaturalem, ad quem regulariter loquendo ſupponit potentiam vitalem aliunde elevatam; atqui in ordine ad actum, ad quem ſupponit potentiam aliunde elevatam non poteſt eſſe tota ratio agendi, cum nec lumen gloriæ comparatum ad intellectum ut elevatum ſit ei tota ratio agendi in ordine ad viſionem ex mox *cit. cap.* 3. §. 3. ergo: De hac re latè Eſparza *hic lib.*4. *q.*18. 14.

Gratia actualis non eſt tota ratio agendi actus ſupernaturales.

LIBER TERTIUS.

DE GRATIA HABITUALI.

DAT actualis gratia benè agere, dat habitualis benè eſſe; illa robur præbet, iſta decus; noſtram illa reſtaurat infirmitatem, iſta deformitatem reparat; elevat illa naturæ vires ad opus, auget iſta operis valorem ad meritum: facilis idcircò ab unâ ad alteram gratiam tranſitus, quem jure dixeris acceſſum à lineis ad centrum, à rivulis ad fontem, à radiis ad ſolem; neque enim multùm aberis à primis habitualis gratiæ rudimentis, ſi ad ipſam ut ad centrum lineas, ut ad fontem rivulos, ut ad ſolem radios actualia auxilia ſe habere credideris, hincque deinde ad ſubliniora & graviora cogitara conſurgens gratiæ habitum id eſſe ſcias; quo Angelici lapſus ruinas implemus, propriæque culpæ reatum in jus gloriæ convertimus; quo infuſa virtutum dona ſuſcipimus & largè perfruimur beneficio redemptionis; quo ad conſortium Deitatis evehimur, & mutuâ cum Deo amicitiâ copulamur; quo ab Altiſſimo adoptamur in filios, &
Rom. 8. quaſi cum æterni Patris unigenito patrimonium dividimus *facti hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Hæc & his ſpecioſiora habitualis gratiæ munera proferet hujuſce & ſequentis libri proceſſus, poſtquam de eadem nonnulla alia univerſaliora præceſſerint: Ideò ſit

CAPUT I.

De exiſtentia & eſſentia gratiæ habitualis.

1. Gratia habitualis quid ex vi nominis? GRATIA habitualis ex vi nominis importat habitum, & per conſequens aliquod permanens de genere qualitatis; ſub hoc univerſaliſſimo conceptu inquirendum illicò eſt, an detur, aut potiùs quàm certum ſit gratiam habitualem dari? in quo vix habemus præterquam cum ſectariis controverſiam, unde facili negotio expediemus primam præfixi tituli partem; alteri deinde parti ut plenè ſatisfiat erunt examinanda varia habitualis gratiæ prædicata, item ipſius diſtinctio, vel indiſtinctio ab habitu charitatis: His enim diſcuſſis ſe tota patebit eſſentia, quam inveſtigamus. Sit igitur

§. I.

An detur gratia habitualis, vel potiùs quàm certū ſit ipſam dari & exiſtere?

2. Certum eſt de fide ipsâ dari. ASSERT. Gratia habitualis, quæ ſit aliquod permanens de genere qualitatis, & per conſequens homini intrinſecum ac inhærens, verè datur; & dari ac exiſtere certum eſt de fide. Eſt contrà Calvinum, Kemnitium, & Heshuſium relatos à Bellarmino *controv. 3. lib. 1. de gratia & libero arbitrio, c. 3.* negantes in homine omnem interiorem juſtitiam, in quo errore, utrùm fuerit etiam Pelagius? dubium eſt ex dictis *lib. 1. c. 1. n. 9.* in eum verò ex lectione librorum Calvini ſeductus incidit Albertus Pighius, Catholicus alioqui Doctor ut notat Bellarminus *ibid.* Quatenùs deinde aſſertum ponit gratiam, tanquam aliquid nobis non ſolùm intrinſecum, ſeu inexiſtens, verùm etiam inhærens de genere qualitatis eſt inſuper contrà Magiſtrum *in 1. diſt. 17.* cui adhæſit Oſiander *in harmonia Evangelicâ*, docentem gratiam, ſeu charitatem non eſſe habitum & qualitatem inhærentem, ſed perſonam Spiritus ſancti ſubſtantialiter nobis communicatam, & ſpeciali modo unitam; & licèt Magiſtrum benignè interpretetur Scotus *ead. diſt. 17. q. 2. §. quantùm ad tertium*; D. Thomas 2. 2. *q. 23. art. 2.* cæterique Theologi non ſunt ſolliciti de Magiſtro excuſando, & certè ejus verba ægrè patiuntur benignam Scoti interpretationem. Quatenùs tandem aſſertum ſtatuit gratiam eſſe aliquod permanens, idque ponit ut fide certum, eſt contrà non paucos graves Doctores relatos ab Amico *diſput. 29. ſect. 2. n. 27.* volentes id eſſe certum ſolùm certitudine concluſionis Theologicæ, & oppoſitum temerarium dumtaxat, aut ad ſummum errori

proximum

proximum eſſe, non hæreſim; ipſe tamen Amicus cum aliis magis communiter ſtat pro noſtro aſſerto; quod

3. Probatur tùm ex Concilio Vienneuſi ſub Clemente V. & refertur *in Clement. t. de ſumma Trinitate & fide Catholicâ*, ubi inter varias vigentes tunc temporis opiniones decernitur eam eſſe recipiendam; quæ aſſerit & parvulis & adultis in baptiſmo infundi habitus gratiæ & virtutum; tùm ex Tridentino *ſeſſ.6.* ubi *cap.* 7. decernit in juſtificatione haberi interiorem renovationē hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum; *can.3.* diſtinguit gratiam juſtificationis ab actibus fidei, ſpei, dilectionis, aut pœnitentiæ; *can.* 11. anathematizat excludentes ab hominū juſtificatione gratiam & charitatem, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur atque illis inhæreat, aut dicentes gratiam quâ juſtificamur eſſe tantùm favorem Dei. Hinc Catechiſmus Romanus *in tract. de Baptiſmo* merito habet: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis propoſita decrevit, non ſolùm per quam peccatorum fit remiſſio, ſed divina qualitas in animâ inhærens, ac veluti ſplendor quidam, &c.* (nonnullis deinde interpoſitis) *Huic autem additur nobiliſſimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitùs infunduntur:* In quibus auctoritatibus facile conſideranti occurrent omnes particulæ aſſerti dogmatis; cujus pleniorem probationē ſuppeditabunt quæ ſucceſſivè afferemus circà habitualis gratiæ eſſentiam, cauſas, intentionem, remiſſionemve, &c. item circà juſtificationem peccatoris per juſtitiam internam, & formam inhærentem.

Dices pro Magiſtro: Charitas in recto prædicatur de Deo, de quo non poſſunt eodem modo prædicari aliæ virtutes, nec ſicuti 1. *Ioan.* 4. dicitur *Deus charitas eſt*; dicitur alibi aut dici poteſt Deus fides eſt, Deus ſpes eſt, Deus patientia eſt, niſi cum addito, Deus patientia mea eſt, ſpes mea eſt; quo addito innuitur habitudo cauſæ, & indicatur ſpem & patientiam in nobis eſſe ex Deo, unde illud Pſalm 70. *Tu es patientia mea Domine*, æquipollet huic, *ex te eſt patientia mea Domine*, conſequens eſt igitur charitatem (adeóque & gratiam cum hæc à charitate non diſtinguatur) prout eſt quid permanens eſſe ſubſtantialiter Deum ipſum, & appropriatè Spiritum ſanctum; non verò eſſe habitum aliquem à Deo productum, ut ſunt reliquæ virtutes, & confirmatur hoc ex Auguſtino *lib.*15. *de Trinit. cap.* 19. dicente *Si in donis Dei nihil eſt majus charitate; & nullum eſt majus donum Dei, quàm Spiritus ſanctus, quid conſequentius eſt, quam ut ipſe ſit Charitas, quæ dicitur & Deus & ex Deo.* Sed contrà;

4. *In quo ſenſu abſolutè & in recto dicatur, Deus eſt charitas.*

ſufficeret pro re præſenti confugere ad infrà aſſerendam diſtinctionem realem gratiæ à charitate; facile tamen etiam occurritur dicendo charitatem, quæ in recto prædicatur de Deo ſimpliciter & abſque addito, de quâ item Auguſtinus tùm in verbis adductis tùm in aliis relatis à Magiſtro *præcit. diſt.*17. eſſe charitatem quâ Deus diligit nos, non quâ nos diligimus Deum: Charitas autem, quam aſſerimus habitum inhærentem & permanentem qualitatem, ponitur ut principium, quo nos diligamus Deum, non quo Deus diligat nos: Quia deinde Deus verè elicit actum dilectionis, non fidei, ſpei, patientiæ; nil mirum quod dici nequeat ſine addito eſt fides, ſpes, patientia, ſicuti dicitur eſt charitas.

Dices pro Auctoribus exiſtimantibus non eſſe de fide, quòd detur gratia, quæ ſit in homine aliquod permanens: Non eſt de fide, quod forma ſanctificans ſit aliquid permanens; ergo non eſt de fide quod detur gratia, quæ ſit aliquid permanens, hæc enim non ponitur niſi ut forma ſanctificans; antecedens probatur; nos ipſi fatebimur *lib. ſeq c.2.n.*11. non eſſe hæreſim dicere, quod actus contritionis aut dilectionis, qui eſt aliquid tranſiens, ſanctificet & juſtificet formaliter: ergo. Sed contrà: diſtinguo antecedens; non eſt de fide, quod omnis forma ſanctificans ſit aliquid permanens, tranſeat; quod aliqua forma ſanctificans ſit, &c. nego antecedens; ad cujus probationem permitto antecedens, & diſtinctione jam data utor ad conſequens; aliud quippè eſt dicere *omnis*, aliud *aliqua forma ſanctificans eſt aliquid permanens*; hoc ſecundum, cum quo optimè ſtat aliquam pariter formam ſanctificantem eſſe aliquid tranſiens, duntaxat aſtruimus eſſe de fide; & hoc ſufficit ut de fide ſit dari gratiam quæ ſit aliquid permanens, ut magis conſtabit ex infrà dicendis cum de juſtificatione. 5.

5. *De fide eſt aliquā formam ſanctificantem eſſe quid permanēs & non omnē.*

---

§. II.

An, & quomodò gratia habitualis ſit participatio naturæ divinæ?

ASSERT. 1. Gratia habitualis verè eſt participatio naturæ divinæ. Ità omnes Theologi communiſſimè. 6.

6. *Gratia habitualis eſt participatio divinæ naturæ.*

Probatur: ex 2. Pet. 1. *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*, quem locum licèt aliqui apud Amicum *diſput.*19.*num.* 80. explicent, vel de conſortio Chriſti per unionem ſacramentalem, vel de conſortio naturæ divinæ per unionem hypoſtaticam, cæteri communiter intelligunt de conſortio naturæ divinæ per gratiam habitualem, pro quo efficax etiam eſt illud Pſalm. 81: *Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes:* Item Io.1: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: Ex Deo nati ſunt:* 1. Ioan. 3. *Vt filij Dei nominemur & ſimus: Nunc filij Dei ſumus: Qui natus eſt ex Deo peccatum non facit:* Naſci autem ex Deo, & eſſe filium Dei, importat ſimilitudinem in naturâ cum Deo adeoque participationem naturæ divinæ: Nec obſtat, quòd ſimus filij filiatione duntaxat adoptiva, quæ in humanis exercetur ſine nova

Adoptio quæ à Deo & adoptio quæ ab homine quomodo differant?

participatione naturæ. Non obſtat, inquam; quia adoptio in humanis exercetur tantùm affectu extrinſeco; hec importat adoptatum ex adoptante naſci, & ab ipſo recipere formam ſibi intrinſecam; ut importat adoptio, quæ per gratiam exercetur inter Deum & creaturam rationalem.

7. Major eſt difficultas & diſſentio in modo talis participationis, quam aliqui volunt eſſe moralem, & docent gratiam eſſe participationem naturæ divinæ ſumptæ moraliter & ethicè pro bona indole, pro diſpoſitione & inclinatione ad bonas operationes morales; Ità Oviedus *tract.* 8. *controverſ.* 1. *punct.* 3. Eſparza *lib.* 5. *quæſt.* 2. Madernus *q.* 5. *a.* 2. *&c.* Aliqui docent gratiam eſſe participationem naturæ divinæ ſumptæ phyſicè, & ſecundum phyſicam ipſius perfectionem; Ità Ioannes Vincentius Aſtoſicenſis *relect. de gratiâ Chriſti*, Ioannes à S. Thoma *diſput.* 22. *art.* 1. Gonetus *diſp.* 12. *art.* 4. Gabriel à S. Vincentio *diſput.* 1. *quæſt.* 7. Amicus *diſp.* 19. *ſect.* 4. Arriaga *diſp.* 44. *num.* 6. aliique plures, quamvis non omnes conveniant in perfectione, ſecundùm quam ponunt naturam divinam phyſicè per gratiam participari; & talem perfectionem aliqui velint eſſe rationem vitæ, aliqui intellectualitatem, aliqui dilectivitatem Dei, aliqui aſeitatem, alij aliter, ut videre eſt præſertim apud Gonetum & Amicum *locis præcitatis*. Ut clariùs procedam.

8. Explicatur in gratia participatio divinæ naturæ ethicè.

Suppono primò aſtruentes per gratiam participari divinam naturam phyſicè, nec negare de facto, nec negare poſſe, quin ſimul participetur moraliter & ethicè, cum divina natura moraliter & ethicè accepta eluceat maximè in potentia proclivi & expedita ad quodlibet opus honeſtum, & in impotentia ad quodlibet opus pravum; homo autem per gratiam habitualem ratione virtutum infuſarum, quas hæc ſecum affert, habet ſpecialem proclivitatem ac promptitudinem ad benè moraliter operandum; ratione verò oppoſitionis & naturalis incompoſſibilitatis ejuſdem gratiæ cum peccato habet aliqualem impotentiam ad peccandum: Nec refert, quòd hujuſmodi impotentia ſit ſolùm ad peccandum in ſenſu compoſito gratiæ; imò in hoc ſenſu ſit ad peccandum lethaliter tantùm, non venialiter; cum tamen natura divina ethicè ſumpta reluceat in impotentia ad peccandum etiam in ſenſu di-

9. viſo; etiam venialiter: Non refert, inquam, quia id nil aliud infert, quàm naturam divinam per gratiam non participari univocè, & ſecundum totam ſuam perfectionem moralem, quod libenter admittimus. Ad confirmandum noſtrum hoc ſuppoſitum, ejuſque probationem maximè quadrat contextus *præcit. cap.* 1. epiſt. D. Petri nam ad verba illa *ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ* præmittitur *Omnia nobis divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem, donata ſunt*, & ſubjungitur *fugientes ejus, quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem*, ſicque in priore clauſulâ inſinuatur participatio divinæ naturæ quoad perfectionem poſitivam tendendi in bonum, in poſteriore quoad perfectionem negativam recedendi à malo: Obſervat inſuper Eſparza *præcit. quæſt.* 2. *art.* 4. totâ eâ epiſtola ſecunda D. Petri nihil aliud agi, quàm ut ratione donorum gratiæ attollantur mentes fidelium ad imitationem divinitatis, moreſque divinos, agitur id etiam Matth. 5. *Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Et Ioan. 3. *Filioli nemo vos ſeducat: qui facit juſtitiam juſtus eſt, ſicut & ille* (Deus ſcilicet) *juſtus eſt*, & alibi ſæpè; innegabilis eſt igitur gratiæ habituali participatio & imitatio divinæ naturæ quoad ſanctos mores, & proclivitatem boni proſequendi, malique fugiendi.

Suppono ſecundò diſtingui naturam phyſicam ab eſſentia, quam nonnulli naturam metaphyſicam vocant, quatenùs eſſentia dicitur per ordinem ad eſſe & eſt primum cōſtitutivum eſſendi; natura dicitur per ordinem ad operari, & eſt primum ac radicale principium operandi, adeò ut quemadmodum docebamus *tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. in Deo ipſo eſſentia & natura in diverſis prædicatis conſiſtant; eſſentia ſcilicet in prædicato aſeitatis ſimpliciter talis, natura in prædicato intellectualitatis radicalis ſeu in gradu vitæ intellectualis. Dixi naturam eſſe primum ac radicale principium operandi, ut per ly *operandi* tribuerem naturæ conceptum depuratum ab omni imperfectione & transferibilem ad Deum, qualis non eſt conceptus, ſecundùm quem explicatur natura à Philoſophis eam definientibus per ordinem ad motum & quietem; per ly deindè *primum ac radicale principium* diſtinguitur natura à potentiis, quæ ſunt principium immediatum & proximum; à quibus inſuper dici poteſt diſtingui per ly *operandi* indefinitè & illimitatè poſitum, quatenùs potentia quælibet ſit principium operandi intrà talem determinatam lineam; natura verò, utpotè quæ ſe extendit ad operationes plurium potentiarum, ſit principium operandi indefinitè quodammodo & illimitatè. 10.

Natura & eſſentia quomodo diſtinguantur: quid utraque in Deo?

Aſſert. 2. Gratia habitualis eſt participatio naturæ divinæ non ſolùm acceptæ moraliter & ethicè; verùm etiam acceptæ phyſicè. Hujus aſſerti tùm Patronos tùm Adverſarios retulimus *præced. num.* 7. 11.

Gratia habitualis eſt participatio divinæ naturæ etiã acceptæ phyſicè.

Dixi *non ſolùm accepta moraliter & ethicè*; ut innuerem nos non negare in gratiâ moralem, ſed ſimul aſtruere phyſicam participationem divinæ naturæ; & quidem quoad participationem moralem non eſt neceſſaria probatio major eâ, quam jam præmiſimus; quoad participationem phyſicam.

Probatur aſſertum primò: Non repugnat participatio ſupernaturalis divinæ naturæ phyſicè acceptæ, nec poteſt talis participatio tribui alij rei meliùs, quàm gratiæ habituali; ergo verè gratia habitualis eſt participatio divinæ naturæ etiam acceptæ phyſicè: Probatur prima pars antecedentis tùm negativè ex eo, quod non ſit aſſignabilis repugnantia, tùm poſitivè & à pari ex eo, quod Deus participetur phyſicè in ordine naturali, poterit igitur etiam participari phyſicè in ordine ſupernaturali. Nec obſtat, quod

in

in ordine naturali tantùm; non in ſupernaturali, poſſit Deus à creatura participari ſub-
12. ſtantialiter: Non obſtat, inquam, quia participatio ut ſit phyſica non eſt neceſſe, quòd ſit ſubſtantialis; alioqui nullum prorsùs accidens eſſet participatio phyſica ſui principij. Probatur ſecunda pars antecedentis quia Scriptura & Patres nulli alij rei magis, quàm gratiæ, imò unicè ipſi gratiæ, tribuunt participationem divinæ naturæ, & licèt Adverſarij tales auctoritates limitent ad participationem moralem; tamen cum participatio phyſica ſit magis propria & magis perfecta, debent ſecundum iſtam, ſuppoſito quod non repugnet, illæ auctoritates intelligi propter communé regulā nō inflectendi verba Scripturæ & Patrum ad ſenſum minùs proprium: Deindè per Adverſarios nulli alij rei melius, quàm gratiæ, tribuitur divinæ naturæ participatio moralis, ergo ſi alicui rei tribuenda eſt participatio phyſica, nulli alij pariter melius quàm gratiæ tribuetur, ut magis conſtabit ex ſequentibus.

13. Probatur ſecundò: Natura divina phyſicè accepta eſt primum ac radicale principium operationum divinarum, cognitionis ſcilicet & dilectionis ipſius Dei; ſed gratia habitualis eſt participatio naturæ divinæ ſecundùm quod eſt principium operationum divinarum cognitionis & dilectionis; ergo gratia habitualis eſt participatio divinæ naturæ acceptæ phyſicè, major ſupponitur ex eo, quod dictum eſt naturam phyſicam ex genere ſuo importare primum ac radicale principium operandi; naturam verò phyſicam divinam ſitam eſſe in intellectualitate, adeoque importare principium operandi intellectualiter, & quidem circà Deum ipſum; cum operationes intellectuales divinæ habeant ſolum Deum pro objecto primario: Minor probatur, quia gratia habitualis, ſivè ſumatur ut imperfecta in via, ſivè ut conſummata in Patriâ, eſt principium actuum ſupernaturalium cognitionis & dilectionis Dei ſuper omnia; ab ipſa enim profluunt in via habitus fidei & charitatis, & cum ſit ſemen gloriæ, ab eadem pullulat in patria habitus luminis; ergo.

Dices primò: eodem modo probaretur quamlibet creaturam intellectualem participare naturam divinam phyſicè acceptam; cum quælibet creatura intellectualis ſit primum ac radicale principium cognoſcendi ac diligendi Deum, ſaltem ut Auctorem natu-
14. ræ. Sed contrà: Participatio naturæ divinæ phyſicè acceptæ alia eſt in ordine naturali, alia in ordine ſupernaturali, prima rectè conceditur cuilibet creaturæ intellectuali, ſecunda eſt propria gratiæ, quæ ſola eſt primum & radicale principium cognoſcendi & diligendi Deum ſupernaturaliter ac ut eſt in ſe: Vrgebis contrà hoc, & ſimul

Participatio phyſica naturæ divinæ duplex.

Dices ſecundò contrà minorem propoſitionem præcedentis probationis: Habitus fidei utplurimùm infunditur antè infuſionem habitus gratiæ, & quando etiam poſt iſtum infunditur, ſæpè ſine iſto conſervatur: ergo habitus fidei non profluit ab habitu gratiæ, nec gratia in via eſt principium radicale cognoſcendi Deum ſupernaturaliter per fidei actus. Deinde etiamſi concedatur eſſe principium radicale talium actuum, quoties tales actus eliciuntur à principio ſibi connaturali, & ab homine juſto; certè nec ipſorum nec actuum amoris Dei eſt habitualis gratia principium vitale; ſicuti tamen eſt principium vitale cognoſcendi & amandi Deum divina natura: ergo adhuc gratia non eſt principium operandi imitans divinam naturam, & participans ipſam. Tandem operationes, quibus Deus ſe infinitè cognoſcit & ſuper omnia diligit; ſpectant ad Deum ut infinitè ſanctum, ſeu ad ſanctos Dei mores: ergo participatio divinæ naturæ per ordinem ad tales operationes eſſet participatio ejuſdem ſumptæ moraliter & ethicè potiùs, quàm phyſicè. Sed contrà: tranſeat 15.
antecedens, nego conſequentiam; ad hoc enim, ut habitus fidei dicatur profluere (ſubintellige, connaturaliter loquendo, & quantùm eſt de ſe) ab habitu gratiæ ſufficit, quod ad iſtum ille, quoties non reperitur in ſubjecto antecedenter exiſtens, conſequatur; & ad ejuſdem augmentum augeatur. Illud, quod additur de principio vitali movit nonnullos Thomiſtas ad attribuendam gratiæ participationem naturæ divinæ ut vitalis, ſeu ut vita eſt; & cum doceant hi Auctores habitus infuſos virtutum eſſe in ordine ſupernaturali potentias vitales, ſeu principia vitalia proxima, docent ſimiliter habitum gratiæ eſſe principium vitale remotum ac radicale; hoc tamen minùs conforme eſt ſupradictis *tract.1. lib.2.c.3.n.11.* ideò ad inſtantiam concedo antecedens, diſtinguo conſequens; ergo adhuc gratia non eſt principium operandi imitans & participans divinam naturam adæquatè, quatenùs eſt principium tùm efficiens, tùm efficiens vitaliter, concedo; inadæquatè, quatenùs præcisè eſt principium efficiens, nego; nec quidquam ampliùs requiritur ut gratia dicatur ſimpliciter & abſolutè divinæ naturæ participatio; cum enim participare ex vi nominis ſit partim capere, partim relinquere, meliùs dicitur principium participans divinam naturam illud, in quo reperitur aliqua pars, quàm illud, in quo reperiretur tota ratio principij in divina natura reperti. Ad il- 16.
lud, quod poſtremo loco urgetur, dico operationes, quibus Deus, &c. eſſe tùm perfectiones morales, quatenùs per eas eximiè relucet divina ſanctitas in actu ſecundo; tùm perfectiones phyſicas, quatenùs per eaſdem exercetur phyſica Dei virtus, & ipſas Deus eliceret, etiamſi per impoſſibile ſanctus non foret: adeoque primo modo ſpectare ad divinam naturam acceptam ethicè, ſecondo modo ſpectare ad eandem acceptam phyſicè; gratia deindè eſt participatio divinæ naturæ in ordine ad tales operationes utroque modo ſumptas; eſt igitur participatio ipſius phyſicè, non ethicè tantùm acceptæ.

Gratia habitualis nō eſt principium vitale operandi.

Dices tertiò: per gratiam non participantur phyſica Dei attributa, cujuſmodi ſunt immutabilitas, immenſitas, æternitas, infi-

17. *An gratia habitualis ſit participatio divinorum attributorum.* nitas, univerſale dominium, &c. ergo neque per illam participatur phyſica Dei natura; hic enim eſt attributorum radix, & qui de radice participat, participare debet ſimiliter de eo, quòd è radice pullulat. Sed contrà: negat antecedens Gonetus *prac.a.4.n.6.* & ingenioſè ſtudet oſtendere modum, quo per gratiam plura Dei attributa formaliter participantur; nihilominùs dato antecedente, vel nego abſolutè conſequentiam dicendo attributa, in quibus non relucet operatio aliqua vitæ intellectualis ſpectare ad Dei eſſentiam, ſeu naturam metaphyſicam; non ad naturam phyſicam contradiſtinctam ab eſſentia; vel diſtinguo conſequens, ergo neque participatur phyſica Dei natura adæquatè & ſecundùm omnia, quæ ipſam conſequuntur, concedo; inadæquatè, & ſecundùm prædicatum, in quo formaliter ipſa conſiſtit, nego.

Dices quartò: Gratia habitualis in ordine ad naturam divinam phyſicè acceptam, nec ſufficit quòd dicatur participatio virtualis, nec dici poteſt participatio formalis; ergo nullo modo eſt participatio naturæ divinæ phyſicè acceptæ; probatur antecedens quoad primam partem, virtualis participatio alicujus eſt virtus ab ipſo derivata, ſic

18. *Non eſt divinæ naturæ participatio virtualis.* ſemen eſt virtualis participatio generantis, accidens eſt virtualis participatio ſubſtantiæ, quæ quidem virtus in genere efficientis non in genere cauſæ formalis reddit ſubjectū participem ejus, à quo ipſa derivatur; atqui gratia in genere cauſæ formalis reddit nos participes divinæ naturæ, & eſt aliquid ampliùs, quàm virtus à divina natura derivata; & licèt 1. *Joan.3.* Dei ſemen appelletur verbis illis *quia ſemen eius manet in eo* taliter tamen appellatur non quatenùs eſt participatio divinæ naturæ, ſed quatenùs eſt radix divinæ ſeu beatæ viſionis juxtà D. Thomam *1.p. quaſt. 62. art. 3. in c.* dicentem *Gratia gratum faciens comparatur ad beatitudinem, ſicut ratio ſeminalis in natura ad effectum naturalem; undè 1. Joan. 3. Gratia ſemen Dei nominatur*: Probatur primum antecedens quoad ſecundam partem primò, quia quod participatur formaliter ab aliquo, prædicatur in recto de illo, ſic dicitur homo eſt animal, accidens eſt ens; quia homo de animali, accidens de ente formaliter participat; atqui natura divina non poteſt prædicari in recto de gratia habituali; ergo, ſecundò quia repugnat ſpecies, quæ ſit formalis repræſentatio Dei ut eſt in ſe; ergo etiam repugnat qualitas, quæ ſit formalis ejuſdem ut eſt in ſe participatio; Tertiò quia gratia habitualis non eſt formaliter natura ſeu non habet formalem conceptum naturæ; iſte enim conceptus, in quacumque univerſalitate accipiatur, importat ſubſtantiam; gratia autem eſt qualitas, ergo gratia habitualis non eſt formalis participatio naturæ in

19. *Sed formalis.* genere, nedum naturæ divinæ. Sed contrà: concedo primam partem antecedentis, & ratum habeo, quod pro ipſa affertur, nego ejuſdem antecedentis ſecundam partem.

Ad cujus primam probationem dico, quòd participatur formaliter ab aliquo, tanquam ratio ſuperior & tanquam exiſtens de eſſentia ipſius, prædicari in recto de illo, ſecùs quod participatur formaliter ab aliquo, tanquam principale analogatum & tanquam exiſtens extrà eſſentiam ipſius; primo modo participatur formaliter animal ab homine, ens ab accidente; ſecundo modo participatur formaliter natura divina à gratiâ, ideò, &c.

Ad ſecundam tranſeat antecedens, nego conſequentiam; ſpecies enim, quæ reſpectu Dei ut eſt in ſe eſſet repræſentatio formalis, eſſet repræſentatio adæquata, quia Auctores tribuentes ſpeciei intentionali formalem objecti repræſentationem, nullam agnoſcunt ſpeciem repræſentativā objecti ut eſt in ſe, quæ non ſit tali objecto adæquata, imò objectum ipſum in eſſe intelligibili ſeu repræſentabili; diverſa eſt ratio de participatione formali, quæ non ſolum poteſt, ſed ea vi ipſa nominis debet eſſe inadæquata.

Ad tertiam; falſum eſt conceptum formalem naturæ, in quacumque univerſalitate accipiatur, importare ſubſtantiam; importat enim dumtaxat primum ac radicale principium operandi, quod ex genere ſuo præſcindit à ſubſtantia & accidente, & in ordine ſupernaturali, in quo ſubſtantia creata repugnat, neceſſe eſt quod ſit accidens; nego igitur abſolutè gratiam habitualem nō eſſe formaliter naturam, ſeu non habere formalem naturæ conceptum, licèt libenter fatear hunc eſſe analogum, & non ſolùm relatè ad naturam divinam, verùm etiam relatè ad naturam creatam ordinis naturalis, reperiri in gratia tanquàm in analogato minùs principali, eo ferè modo quo conceptus entis ità eſt analogus ſubſtantiæ & accidenti, ut ſivè ad increatam ſivè ad creatam ſubſtantiam comparetur, ſit tanquàm in minùs principali analogato in accidente. Neq; hic ſcrupuloſè quis hæreat in eo quod Philoſophi conceptum naturæ adeò univerſalem, communémque ſubſtantiæ & accidenti, non agnoverint: Enimverò qui ſupernaturalia ignorarunt, nil mirum quòd non agnoverint conceptum, in cujus notitiam nos deducit ſolus ordo ſupernaturalis. 20. *Quinam ſit conceptus formalis univerſaliſſimus naturæ?*

Ex dictis habes nos ſuſtinere in gratia habituali rigoroſè admodùm, & admodum propriè participationem divinæ naturæ; ponimus enim talem participationem eſſe non moralem tantùm, non virtualem; ſed phyſicam, & formalem: ponimus eamdem non ſecundùm aliquod prædicatum, aut ſecundarium aut quaſi genericum divinæ naturæ; ſed ſecundùm illud, quod eſt ipſius ſub formali ratione naturæ primarium ac proprium conſtitutivum, tale quippè eſt in noſtris principiis prædicatum intellectualitatis radicalis. 21.

§. III.

§. III.

An & quomodò gratia habitualis conſtituat hæredem & filium adoptivum Dei?

ASSERT. 1. Gratia habitualis verè conſtituit hæredem & filium adoptivum Dei. Eſt aſſertum communiſſimè receptum; & licèt nonnulli, inter quos Aureolus *in* 1.*diſt.*17.*quæſt.*1.*art.*2. jus hæreditarium & filiationem adoptivam Dei tribuant habitui charitatis, hi tamen quia habitum charitatis aut ſe ſolo, aut ſimul cum aliarum virtutum habitibus volunt idem eſſe cum gratia, in modo loquendi potiùs, quàm in re ipſa nobis in præſenti adverſantur; magis videtur Adverſarius Leſſius *de perfect. divin. lib.* 12. *cap.* 11. ubi vix agnoſcit in habitu gratiæ aut charitatis filiationem adoptivam, docet enim nos eſſe filios Dei propriè & formaliter, non tam per donum aliquod creatum, quàm per inhabitationem & poſſeſſionem divini Spiritus.

12. De fide eſt Deum adoptare nos in filios.

Probatur: De fide eſt Deum adoptare homines in filios & conſequenter illis tribuere jus hæreditarium, utpotè quod connaturaliter comitatur filiationem; atqui nec adoptat per ſolam benevolentiam extrinſecam, nec per ullam formam intrinſecam aliam à gratia habituali; ergo adoptat per gratiam habitualem; ergo gratia habitualis verè conſtituit, &c. Major patet ex eo quod talis adoptio expreſsè traditur in Scriptura Roman. 8. *Accepiſtis Spiritum adoptionis.* Gal. 4. *Vt adoptionem filiorum reciperemus.* Epheſ. 1. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum;* Traditur inſuper à Tridentino, quod *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. deſcribendo iuſtificationem impij ait eſſe *tranſlationem ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei:* Traditur tandem frequenter à Sanctis Patribus, inter quos elegantiſſimè à Cypriano & Chryſologo apud Gonetum *diſp.* 2. *num.* 106.

13. Nō adoptat per benevolentiam extrinſecā.

Minor quoad primam partem probatur ex diſcrimine adoptionis quæ ab homine & adoptionis quæ à Deo: Homo enim adoptans invenit in perſona adoptanda naturam ejuſdem ſpeciei cum propria, & quando ſupponatur eam non invenire, nequit illi naturam propriam participare in re & per formam intrinſecam, ſed in affectu tantùm & per benevolentiam extrinſecam, Deus è contrà non invenit in perſona adoptanda naturam ejuſdem ſpeciei cum propria, & poteſt ei naturam propriam participare in re & per formam intrinſecam; ergo licèt homo adoptare poſſit per extrinſecam benevolentiam & per affectum participandi naturam, non ſic Deus, qui niſi in re tribuat naturæ ſuæ participationem non habet affectum efficacem participandi, quia voluntas quoties poteſt eſſe effectivè efficax, nunquàm eſt efficax affectivè, quin ſimul ſit talis effectivè. Confirmatur: adoptio in filium dicit aliquid ampliùs, quàm aſſumptio in hæredem, nam etiam in humanis quiſquis adoptatur in filium aſſumitur in hæredem, non è contrà; atqui ſi Deus adoptaret per benevolentiam extrinſecam; id non ſubſiſteret, eademque benevolentiâ extrinſecâ, qua promittendo præcisè gloriam aſſumeret in hæredem, dici deberet adoptare in filium, non enim reſpectu Dei conſtitutio filij ſuperadderet inſtitutioni hæredis voluntatem affectivè efficacem de communicatione naturæ, ut ſuperaddit in humanis; ergo.

14.

Minor eadem quoad ſecundam partem probatur ex eo, quod forma illa intrinſeca alia à gratia habituali, vel eſſet forma increata, nimirùm, quemadmodum vult Leſſius, divinitas animas noſtras inhabitans & nobis intrinſecè unita mediante gratia, vel eſſet forma creata; nimirùm habitus charitatis, cui utpotè dono inter omnia alia hujus vitæ dona eminentiſſimo videtur minùs inveriſimiliter tribui poſſe effectus adoptionis; atqui Deus neque adoptat per divinitatem, neque per habitum charitatis: Non per divinitatem, quia unio phyſica divinitatis ad hominem, quæ in natura ipſa divina fiat, non in ſuppoſito, nequit ſuſtineri ſine imperfectione divinitatis; deindè divinitas ſic unita conſtitueret filium naturalem potiùs, quàm adoptivum, & tandem quando filium adoptivum conſtitueret, faceret etiam Sanctum, juſtum, Dei amicum, cæteróſque omnes effectus, qui ſolent tribui gratiæ habituali: Non item Deus adoptat per habitum charitatis; quia hic, ut diſtinctus ab habitu gratiæ, eſt participatio voluntatis, non naturæ Dei, & analogia generationis multo magis quadrat infuſioni gratiæ, quam infuſioni charitatis, ut mox oſtendetur ſtabiliendo modum, quo habitualis gratia conſtituit filium, & hæredem. Ideò ſit

Non per divinitatem nobis unitam.

Nō per habitum charitatis.

15. Sed per habitum gratiæ, tanquam per rationē adequatam, & ab intrinſeco talem.

Aſſert. 2. Gratia habitualis eſt per ſe ipſam & ex natura ſua adæquata ratio conſtituens hæredem, & filium adoptivum Dei. Ità Medina *hic q.* 110. *art.* 4. Gonetus *diſp.* 2. *art.* 5. *n.* 115. Oviedus *tract.* 8 *controv.* 1. *n.* 46. Suarez *lib.* 7. *c.* 2 Eſparza *lib.* 5. *q.* 3. Madet. *quæſt.* 5. *art.* 4. cæterique tùm Thomiſtæ omnes, tùm Recentiores magis communiter contrà Scotum *in* 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. §. *De ſecundo ad primum*, & *in* 4. *diſt.* 16 *quæſt.* 2. Ochamum *in* 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. Gabrielem *ead. diſt. quæſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 4. Marſilium *in* 1. *quæſt.* 20 *art.* 3. Herincx *diſp.* 4. *quæſt* 6. Bellarminum *controv.* 3. *lib.* 1. *de juſtifica*. *c.* 16. §. *Quartus effectus*. Coninchum *de actib. ſupernat. diſp.* 21. *dub.* 8. cæteroſque tùm Scotiſtas & Nominales, tùm aliquos inſuper Recentiores docentes filiationem adoptivam haberi à gratia, non ex natura ſua, ſed ex lege extrinſecâ Dei deſtinantis gratiam ad præſtandū effectum, ad quem eſt de ſe inſufficiens. Item contrà Amicum *diſp* 31. *ſect.* 1: volentem à ſola gratiâ ſine viſione beatâ non haberi completam adoptionem: Tandem contrà Leſſium, cujus opinionem jam retulimus, & rejecimus.

Probatur

26. Probatur primò: Gratia habitualis eſt per ſe ipſam & ex natura ſua adæquata ratio naſcentiæ ſeu regenerationis ſpiritualis & ſupernaturalis hominis ex Deo; ergo eſt eodem modo ratio conſtituens hæredem & filium adoptivum Dei; conſequentia patet, quia filiatio licèt formaliter ſumpta cōſiſtat in relatione prædicamentali, ſumpta fundamentaliter conſiſtit in naſcentia ſeu paſſiva generatione; & hæc ſi naturalis ſit naturalem, ſi ſupernaturalis adoptivum filium fundamentaliter ac eſſentialiter ſumptum conſtituit: Antecedens probatur, quia ſolent tribui gratiæ plura loca Scripturæ, quibus dicimur ex Deo naſci ut jam retulimus, *præced. num.6.* & addi poteſt illud 1. Pet. 1. *regeneravit nos in ſpem vivam*: Solent inſuper eidem gratiæ tribui ea loca, quibus dicimur evadere hæredes & acquirere jus ad æternum regnum Dei, ut Rom. 5. *Abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt.* Rom. 8. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* Coloſſ. 1. *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum filij dilectionis ſuæ.* Quæ auctoritates ſine neceſſitate limitantur, ſi filiatio adoptiva, & jus hæreditarium refundantur in gratiam ſolum partialiter, aut dependenter à favore extrinſeco.

27. Probatur ſecundò aſſertum ratione, qua ſimul confirmatur antecedens præcedentis probationis: Gratia habitualis eſt per ſe ipſam, & ex natura ſua, adæquata ratio participandi divinam naturam; argumenta enim quibus probavimus haberi à gratia divinæ naturæ participationem, ſimul probant hanc ab illa haberi ex natura ſua & adæquatè; ergo eodem modo eſt ratio conſtituens hæredem, &c. filiatio enim fundamentalis, ſeu generatio, nihil eſt aliud ex genere ſuo, quàm participatio naturæ, illud quod eſt ex natura ſua adæquata ratio participationis naturæ eſt pariter adæquata ratio filiationis; naturalis quidem, ſi ſit ratio participationis effectivæ & univocæ; adoptivæ, ſi ſit ratio participationis aut affectivæ tantum ut in adoptione quæ ab homine, aut effectivæ quidem ſed analogæ ut in adoptione quæ à Deo. Neque dicas ad filiationem fundamentalem ſeu generationem requiri inſuper ex genere ſuo, quòd ſit participatio vitalis, qualis non eſt participatio naturæ divinæ per gratiam: Contrà enim, participatio vitalis requiritur ad filiationem ex genere ſubalterno filiationis naturalis, non ex genere generaliſſimo filiationis abſtrahentis à naturali & adoptiva, cum per ſe conſtet in humanis adoptantem nihil vitaliter participare adoptato.

Dices primò cum Scotiſtis & Nominalibus: Illud quod forma aliqua præſtat ab intrinſeco & ex natura ſua præſtat eſſentialiter, & in omni ſubjecto; atqui gratia habitualis non præſtat eſſentialiter & in omni ſubjecto filiationem adoptivam & jus hæreditarium: Non eſſentialiter, quia gratia non repugnat eſſentialiter cum peccato, cum quo tamen nequit cōponi filiatio Dei & jus hæreditarium gloriæ: item quia Deus de potentia abſoluta poteſt exiſtenti & perſeveranti in gratia negare pro ſemper gloriam. Non in omni ſubjecto; quia Chriſtus verè habet gratiam habitualem, & tamen non eſt filius adoptivus. Sed contrà: nego abſolutè majorem; alioqui ab intrinſeco & ex natura ſua neque ignis calefaceret neque calor frigus expelleret, quia poteſt impediri calor ne frigus expellat, ignis ne calefaciat, ut non calefaciebat in fornace babylonica; ſentiendum igitur formam præſtare ab intrinſeco & ex natura ſua illud, ad quod præſtandum habet connaturalem exigentiam & intrinſecam virtutem, quamvis deindè nec in omni ſubjecto, nec eſſentialiter id præſtet, eo quia inveniat vel ſubjectum incapax, ſicuti Chriſtus ratione filiationis naturalis & Perſonæ non extraneæ eſt incapax adoptionis; vel impedimentum extrinſecum, ſicuti eſſet peccatum ſimul exiſtens cum gratia. 28. Quid ſit formam præſtare aliquid ab intrinſeco & ex naturâ ſuâ.

Quoad decretum, quo Deus exiſtenti & perſeveranti in gratia vellet pro ſemper negare gloriam, hancque deindè potentiâ abſoluta utens in re negaret, Capreolus *in* 1. *diſt.* 17. *ad* 2. exiſtimat id repugnare, caſu tamen admiſſo adverto jus hæreditatiū aliud eſſe ſtrictiſſimum & omnino irrefragabile importans abſolutam innegabilitatem hæreditatis; aliud eſſe minùs ſtrictum conſiſtens in condigna proportione ad hæreditatem & connaturali exigentia ipſius, cum hoc ſecundo jure quod ſolum eſt debitum filiationi, non primum, conjungi poteſt excluſio pro ſemper ab hæreditate, ideò in data hypotheſi cum excluſione perpetua à gloria ſubſiſteret filiatio adoptiva Dei & jus hæreditarium ad ipſam requiſitum. Plura ad hanc rem ſpectantia traduntur infrà, dum agendo de juſtificatione oſtendetur gratiam non indigere favore extrinſeco, ut juſtificet, ut peccatum expellat; ſed id præſtare ex natura ſua & tamen de lege extraordinaria poſſe eſſe ſimul cum peccato. 29. Perſeverans in gratiâ poteſt excludi pro ſemper à gloriâ.

Dices ſecundò cum Amico: Filiatio naturalis Dei conſtituitur per ſimilitudinem, tùm naturalem ſitam in communicatione ejuſdem numero naturæ, tùm intentionalem ſitam in vitali expreſſione objecti intelligibilis; ergo filiatio adoptiva Dei, utpotè imitatio filiationis naturalis, debet conſtitui per participationem utriuſque ſimilitudinis; atqui per gratiam participatur dumtaxat Dei ſimilitudo naturalis, intentionalis verò participatur per viſionem; ergo filiatio adoptiva Dei conſtituitur per gratiam ſimul & viſionem, non adæquatè per gratiam. Sed contrà: antecedens eſt abſolutè falſum, & naturalis Dei filius, quâ filius, conſtituitur per ſimilitudinem purè naturalem, quamvis deindè, quâ Verbum, habeat ſimilitudinem intentionalem; nec refert quod quâ filius procedat per intellectum, quia intellectus ex genere ſuo habet vim producendi ſimilitudinem naturalem non minùs, quàm intentionalem, ut ſuppono *ex tractat.* 2. *lib.* 1. *cap.* 4. §. 8. Quando deindè antecedens permitteretur, negari facilè poſſet illatio quia 30. Dei viſio non conſtituit eſſentialiter adoptivam Dei filiationem.

cum

eum filiatio adoptiva ſit analoga & valdè imperfecta imitatio filiationis naturalis, non debemus adamuſſim in illa quærere participationem omnium prædicatorum in iſta exiſtentium : Minor etiam ſubſumpta difficultate non caret, quia cum ex ſupradictis per gratiam participetur Dei ſimilitudo in intellectualitate radicali ; cur per ipſam non participabitur ſaltem radicaliter Dei ſimilitudo Intentionalis, & poterit hoc confirmari ex eo quòd gratia ſit radix luminis gloriæ, nec non & viſionis mediante lumine. Inſtantia igitur quoad omnes ſui partes nutat & claudicat, nec ullo modo probat viſionem beatam ingredi conſtitutionem eſſentialem filiationis adoptivæ Dei, quamvis non negaverim pertinere ad magnam ipſius perfectionem, & quaſi integrale complementum :

51. Filiationis adoptivæ Dei tres gradus.

Vndè non diſplicet cum Goneto *hic præcit. art. 5. num.* 148. diſtinguere in filiatione adoptiva tres gradus ; quorum primus & imperfectiſſimus ſit juſtorum in lege veteri, qui licèt verè eſſent adoptati in filios, erant in ſtatu ſervorum ſpiritumque ſervitutis in timore acceperant, & licèt haberent jus ad hæreditatem cœleſtis gloriæ nondum habebant apertum ad ipſam aditum ; ſecundus & perfectior ſit juſtorum in lege nova, qui & acceperunt ſpiritum filiationis & habent apertum aditum ad hæreditatem ; Tertius & perfectiſſimus ſit juſtorum in patria, qui habent filiationem inamiſſibilem, & non ſolùm jus aut aditum ad hæreditatem, ſed irrefragabilem & perennem ipſius poſſeſſionem, de adoptione in hoc perfectiſſimo gradu procedunt verba illa Apoſtoli Rom. 8. *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes, intrà nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.*

Dices tertiò cum Leſſio : Scriptura paſſim explicat adoptionem filiorum Dei per communicationem Spiritus divini & Spiritus Chriſti ; ergo verè per increatum Spiritum Dei, ejuſque divinitatem, non per gratiam habitualem, aliudvè donum creatum formaliter adoptamur in filios ; antecedens probatur Rom. 8. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei* & nonnullis interpoſitis *Ipſe enim ſpiritus* (ſermo eſt de ſpiritu, per quem & Chriſtus eſt filius adeoque de ſpiritu increato) *Teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filius Dei* Galat. 4. *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra.* Confirmatur : per id formaliter adoptamur in Dei filios, per quod vivimus vita ſupernaturali, & habemus naturam ejuſdem rationis cum Deo adoptante, atqui hoc utrumque habemus per ſpiritum increatum, nam quoad primum habetur Ioan. 6. *Spiritus eſt qui vivificat.* Galat. 5. *Si ſpiritu vivimus : ſpiritu & ambulemus* & in Symbolo Nicæno *Credo in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem* ; quoad ſecundum patet ex eo, quòd ſola divinitas non forma aliqua creata eſt natura ejuſdem rationis cum Deo, vi illius duntaxat rectè verificantur verba Pſal. 81. *Ego dixi Dij eſtis & filij excelſi omnes.*

52. Occurritur auctoritatibus.

Sed contrà : Scriptura intelligenda eſt de communicatione divini Spiritus effectiva qua in nobis gratiam efficit, non formali qua nobis per ſe ipſum uniatur, cum hæc unio *ex præced. num.* 24. ſit inexplicabilis ; effectivè etiam, non formaliter idem ſpiritus nos vivificat, & Dei ſpiritu ut agente, non ut forma juſti vivunt, moventur, ambulant : Neque dicas, gratia etiam habitualis, utpotè quæ per nos non eſt principium vitale, vivificat ſolùm ut efficiens, non ut forma ſeu ut vita informans, & tamen vivificat nos quantùm ſufficit ad filiationem adoptivam. Contrà enim : gratia habitualis quamvis non ſit propriè principium vitale & vita informans, eſt tamen forma informans principium vitale & vitam, ideò in aliquo ſenſu dici poteſt vivificare formaliter in ordine ad vivendum ſupernaturaliter ; non ſic divinitas, quæ nec eſt vita informans, nec forma informans vitam.

53.

Ad illud, quod dicebatur de natura ejuſdem rationis, dico debere eſſe ejuſdem rationis, affectivè ad ſummū aut analogicè, at non ſpecificè. Neq; dicas : ſi inter habentes naturam diverſæ rationis ſpecificæ dabilis eſſet adoptio, poſſet Angelus hominem vel homo Angelum adoptare :

Adoptio poteſt fieri inter habētes naturā ſpecie diverſam.

Contrà enim vel Angelus, ſicuti poteſt adoptare alium Angelum ſpecie diverſum, ità poteſt adoptare hominem, & homo Angelum ; vel ſi nequit inter hominem & Angelum adoptio fieri, id non eſt propter ſpecificam naturæ diverſitatem, ſed propter conditionem bonorum non communium ſeu non communicabilium ad invicem ; ratione cujus Angelus homini, aut homo Angelo nequit tribuere jus ad propriam hæreditatem.

Adoptio in genere quid.

Ex dictis habetur adoptionem in genere meliùs definiri, quòd ſit gratuita aſſumptio Perſonæ extraneæ in filiū, quàm Perſonæ extraneæ in hæredē ; nam juxtà hanc ſecundam definitionem adoptio confunderetur cum inſtitutione hæredis extranei, cum tamen iſta *ex præced. n.* 23. latiùs pateat : Vndè etiam infero obiter eum, qui per voluntatem Dei extrinſecam ordinaretur ad gloriam & tandem non infuſa gratia habituali aſſumeretur ad beatā viſionem, fore inſtitutum Dei hæredem, at non conſtitutum Dei filium ; quia nec in affectu, nec in effectu participaret Dei naturam, ut conſtat *ex eod. n.* 53. item quia hæreditatem poſſideret, at ſine jure poſſidendi, eamque reſpiceret ut purè donatam extraneo, non ut debitam filio :

54. Adoptio in Dei filium habetur à gratiā cum omni rigore.

Vndè ulteriùs procedo & infero gratiam habitualem ſicuti eſt unica ratio participandi divinam naturā, & faciendi, quod Dei hæreditas debeatur alicui ut filio, ità eſſe unicam rationē adoptionis ; & hanc ab illa haberi cum omni proprietate & rigore, ideſt tanquā à ratione formali unica, adæquata, & ab intrinſeco tali.

Habetur inſuper reprobum exiſtentem in gratia eſſe adoptivum Dei filium, non ſic prædeſtinatum exiſtentem in peccato ; ille enim, non iſte habet unicam & adæquatam rationem adoptivæ filiationis : Nec refert, quòd ille ſit excluſus ab hæredi-

 tate,

tate, iſte ſit ad hæreditatem volitus. Non refert, inquam, quia licet ita ſit finaliter, pro quo tempore prædeſtinatus erit in gratia, reprobus in peccato; ſecùs ſe res habet ſecundum præſentem juſtitiam, & in ſenſu compoſito prædeſtinati cum peccato, reprobi cum gratiâ.

---

§. IV.

An & quomodò gratia habitualis conſtituat Amicum Dei?

55. Gratia habitualis cõſtituit verè Amicũ Dei.

ASSERT. 1. Gratia habitualis conſtituit verè & propriè hominem Dei Amicum amicitiâ ſupernaturali. Eſt aſſertum communiſſimum, & ſolùm negabilè ab eo qui, aut cum Ariſtotele non agnoſceret poſſibilem ullam veram amicitiam inter Deum & hominem; aut cum quibuſdam aliis Antiquis Philoſophis de talis amicitiæ poſſibilitate dubitaret, contrà quem errorem, utpotè jam reprobatum *tract.1.lib.4.cap.3.§ 5.* agendum nobis non eſt in præſenti.

Probatur: Homo aliquando eſt verè & propriè Amicus Dei amicitia ſupernaturali; ergo datur aliquid, quo conſtituitur verè & propriè talis; ſed hoc nihil aliud eſſe poteſt, quàm gratia habitualis; ergo gratia habitualis conſtituit verè & propriè, &c. Antecedens ſupponitur *ex præcitat.* §. 5. ſemel enim admiſſa vera aliqua amicitia inter Deum & hominem, & aliundè ſuppoſita hominis elevatione ad ſtatum ſupernaturalem; bonorúmque ſupernaturalium communicatione ei à Deo facta, nulla eſt apparens ratio negandi Deum inter & hominem amicitiam ſupernaturalem; imò in hac admittenda eſt aliqua minor, quàm in amicitia naturali difficultas, propter minorem diſtantiam, minorémque inæqualitatem, quam habet ad Deũ homo elevatus præ non elevato:

56. Subſumptum probatur: Amicitia maximè relucet in eo, quod quis intendat communicare Amico omnia ſua bona, eúmque velit eſſe felicem; ſed per nihil aliud magis, quàm per gratiam habitualem Deus communicat homini ſupernaturalia bona eúmque vult eſſe felicem, nam per ſolam gratiam Deus tribuit homini participationem propriæ naturæ ut eſt in ſe, nec non jus ad propriam hæreditatem & ſupernaturalem beatitudinem, per quam homo perpetuò felix ſit; ubi obſerva obiter Deum, cujus hæreditas eſt noſtra ſupernaturalis felicitas, non poſſe nos proſequi ſupernaturali amore amicitiæ, quin ſuos nos hæredes inſtituat, in quo eſt diverſa ratio de uno homine reſpectu alterius, cum enim unius

Deus debet inſtituere hæredem omnẽ Amicum; non ſic homo & cur?

hæreditas non ſit alterius felicitas, ſicuti poteſt unus alteri velle felicitatem abſque eo quod ſuam ei velit hæreditatem, ità poteſt unus alterum amare amicabiliter abſque eo quod ſuum hæredem inſtituat, cujus rei aliæ etiam ſunt cauſæ, puta conditio humani patrimonij quod ob tenuitatem non poteſt pluribus æquè prodeſſe, & ſæpè etiam ex diſpoſitione juris, aut voluntate Majorũ, eſt certis perſonis alligatum, nec poſſeſſor habet jus liberè diſponendi de ipſo in favorem Amicorum. Confirmatur aſſertum ex Tridentino *ſeſſ.6. cap.7.* ubi Concilium tradit ſanctificationem & juſtificationem impij fieri per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & deindè ſubdit: *Vndè homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico Amicus.*

Dices: Amicus nihil eſt aliud, quàm amatus redamans; & amicitia nihil eſt aliud, quàm mutuus duorum amor; atqui gratia habitualis non conſtituit hominem reſpectu Dei amatum redamantem, nec per ſe ipſam formaliter ponit in homine reſpectu Dei amorem mutuum, neque enim gratia per ſe ipſam eſt actus amoris, aut Dei in hominem, aut hominis in Deum; cum ſecundùm nos gratia habitualis ſit qualitas mortua, & ſecundùm eos, ſecundùm quos eſt qualitas viva, ſit talis ſolùm in actu primo; actus autem amoris ſivè divini ſivè humani ſit entitas viva & vita in actu ſecundo; ergo gratia habitualis non conſtituit hominem Dei Amicum. Sed contrà: occaſione 57. hujus inſtantiæ expedit breviter attingere nonnulla, ex quibus poſſit innoteſcere formalis ac proprius conceptus amici & amicitiæ. Ideò.

Adverto in lineâ amicitiæ tùm conſideratæ paſſivè ex parte termini, tùm conſideratæ activè ex parte principij, tria diſtingui: Nimirum ex parte termini eſſe amore amicitiæ dignum, eſſe amore amicitiæ amatum, eſſe amicum activè: ex parte principij eſſe potentem amare amore amicitiæ, eſſe amantem amore amicitiæ, eſſe amicum paſſivè. Amicus, amatus, amore dignus quomodò differant.

Diſtinguuntur hæc tria, quia amore amicitiæ dignus importat bonitatem proportionatam ad terminandum amorem amicabilem alterius, & in ſe potentiam redamandi alterum; amore amicitiæ amatus importat terminare actu; Amicus activè inter hæc duo mediat, & nec requirit terminare actu, nec contentus eſt bonitate proportionata ad terminandum amorem alterius; ſed dicit jus exigendi ab altero talem amorem; eâdem ratione amicus paſſivè mediat inter potentem amare, & amantem; & nec requirit actu elicere nec contentus eſt potentiâ eliciendi amorem in alterum, ſed dicit obligationem ſeù jus paſſivum impendendi alteri talem amorem.

Porrò in humanis jus activum, ſeu facultas exigendi amorem, addit dignitati amoris, & jus paſſivum ſeù obligatio exhibendi amorem addit potẽtiæ amandi, quemdam quaſi contractum (dico quaſi contractum, non quia inducat obligationem ex unâ tantùm parte, ſed quia non inducit obligationem ex juſtitia) quo unuſquiſque fidẽ ſuam de amando ſpondet alteri, & fidem ſibi ab altero datam acceptat ſub certis legibus & cõditionibus. Hanc conventionem ultrò citróque obligatoriam requiri ad veram inter homines amicitiam probatur primò ex communi modo loquendi, quo Amici dicuntur amicitiã inire & contrahere, quæ ſunt verba, 58. Amicitia inter homines ſupponit mutuam promiſſionem ſe amandi.

quibus

quibus ſolet ſignificari celebratio contractuum: Secundò quia non ſervans leges amicitiæ dicitur infidelis, & fædifragus, & jure poteſt expoſtulari ac recriminari ab Amico, contrà quem amicitiæ leges violavit, quod dici non poſſet, ſi Amici eſſent quicunque ſe mutuâ benevolentiâ amantes abſque ulla mutuâ obligatione: Tertiò quia Philoſophus *lib. 8. ethic. cap.* 1. docet amicorum amatores ex hoc præcisè titulo eſſe laudabiles, ſicut eſt laudabilis homo ex hoc præcisè titulo quia reddit alteri quod ſuum, *eod. cap.* probat amicitiam eminentiorem eſſe juſtitiâ, quia per ſe excellentius eſt me habere jus ad tuum amorem, quàm ad tuam ſupellectilem; quorum neutrum ſubſiſteret niſi amicitia eſſet conventio tribuens cuilibet Amicorum jus exigendi ab altero, & debitum exhibendi alteri amorem.

39\. Hinc aſcendendo ab amicitia inter homines ad amicitiam inter homines & Deum, requirit quidem etiam iſta tùm in Deo tùm in homine jus aliquod exigendi & debitum exhibendi reſpectivè amorem; hujuſmodi tamen debitum ex parte hominis non provenit ex ulla promiſſione, aut libero conſenſu ipſius, ſed ex natura ſua ex jure naturali; nam ex naturæ dictamine & obligatione juris naturalis homo tenetur exhibere Deo ſuper omnia amorem amicitiæ etiam ſupernaturalem ſuppoſito, quòd habeat potentiam ſupernaturaliter amandi & ſit in ſtatu ſupernaturali conſtitutus: Non eodem modo datur in Deo independenter ab ipſius libera voluntate obligatio & debitum amandi amicabiliter hominem; propterea controvertitur utrùm tale debitum oriatur præcisè ex libera infuſione gratiæ, an inſuper requirat liberam promiſſionem & legem extrinſecam, qua Deus acceptet in Amicum & obliget ſe ad amandum hominem exiſtentem in gratia.

Inter Deū & homines requirit talem promiſſionem ad ſummū ex parte Dei.

40\. Ad inſtantiam, cujus occaſione hæc interpoſui, nego majorem formaliter & propriè loquendo; Amicus enim formaliter & propriè eſt habens debitum amandi & jus exigendi redamationem; amicitia formaliter eſt illud idem debitum ac jus; fundamentaliter eſt talis debiti ac juris fundamentum, quod inter homines ſolet eſſe contractus ac mutua conventio in homine reſpectu Dei eſt ipſa natura rationalis, in Deo reſpectu hominis eſt habitualis gratia, quam libenter concedo non conſtituere hominem amatum redamantem ut benè probat inſtantia; at hoc non requiritur ad conſtituendum amicum, ſed ſufficit quòd inveniendo in homine debitum amandi Deum tribuat eidem homini jus exigendi amorem à Deo: Nec refert quòd duo mutuò ſe amantes ſoleant dici Amici & verè utplurimùm tales ſint: Enim verò ſunt tales non præcisè quia mutuò amãtes, ſed aliundè; & modus loquendi, quo amici dicuntur quamvis uſitatus, non eſt formalis & proprius; ſicuti etiam eſt locutio minùs propria, quod mutuus duorum amor dicatur amicitia, tolerabiliùs dicetur amor amicitiæ ſeu amicitiæ quaſi effectus & fructus; adeò ut dicatur amicitiæ per cauſalitatem & dependentiam ab ipsâ, non per identitatem cum ipsâ.

Mutuò ſe amãtes per hoc formaliter non ſunt amici.

Supereſt jam ſtatuendum: Vtrùm gratia ex natura ſua, an ex favore Dei extrinſeco tribuat homini jus exigendi à Deo amorem amicabilem? & ſimul ſatisfaciemus ſecundæ præfixi tituli parti inquirenti modum, quo gratia Amicum Dei conſtituat.

41\. Aſſert. 2. Gratia habitualis per ſe ipſam & abſque favore Dei extrinſeco conſtituit hominem Dei Amicum, id eſt acceptum in amicitiam & habentem jus ad amari à Deo. Hoc aſſertum eoſdem in univerſum habet tùm Patronos, tùm Adverſarios, quos aſſertum ſupra poſitum *n.* 15.

Gratia habitualis nō indiget favore extrinſeco ut conſtituat amicum Dei.

Probatur primò: Gratia habitualis per ſe ipſam & abſque favore extrinſeco conſtituit hominem habentem jus ad gloriam & beatitudinem ſupernaturalem; ergo eodem modo conſtituit hominem habentem jus ad amari ſupernaturaliter a Deo; antecedens patet ex eo, quòd ſupradictum eſt gratiam habitualem abſque favore extrinſeco conſtituere hominem Dei hæredem, quod eſt idem ac dicere habentem jus ad gloriæ hæreditatem; conſequentia non videtur poſſe negari, quia Deus conferendo gloriam certè amat amicabiliter, ergo qui habet jus ad gloriam, habet jus ad amari à Deo amicabiliter, & ſicuti eſt acceptus ad gloriam ità eſt acceptus in Dei amicitiam.

Dices per nos ex præcedenti *num.* 29. jus ad gloriam aliud eſſe ſtrictiſſimum & omninò irrefragabile, aliud minùs ſtrictum & fruſtrabile de potentia abſoluta; hoc ſecundum jus haberi à gratia per ſe ipſam præcisè: illud primum requirere ultrà gratiam promiſſionem Dei liberam adeoque favorem extrinſecum; atqui primum jus ad gloriam requiritur ad eſſe amicum Dei, nec ſufficit ſecundùm; nam qui habet tantùm hoc ſecundum jus nihil aliud habet, quàm eſſe dignum gloria, & per conſequens eſſe dignum Dei amore, eſſe autem dignum amore eſt aliquid minus, quàm eſſe amicum *ex præced. num.* 27. Sed contra: ratam habeo jam

42\. allatam diviſionem juris ad gloriam in ſtrictiſſimum & minus ſtrictum, at falſum eſt in primis jus ſtrictiſſimum requirere ultrà gratiam favorem Dei extrinſecum, nam licèt requirat promiſſionem liberam, qua Deus obliget ſe ex fidelitate ad dandam gloriam, hæc tamen promiſſio eſt connaturaliter debita gratiæ, adeoque non eſt ſuppoſita gratia favor extrinſecus, ſicuti non eſt favor extrinſecus in ordine ſupernaturali libera præparatio auxiliorum ſufficientium ad ſalutem, vel in ordine naturali concurſus liberè præſtitus igni ad combuſtionem, lapidi ad deſcenſum, &c. Quando igitur concederetur amicitiam cum Deo importare jus ſtrictiſſimum ad gloriam, & ultrà gratiam requirere Dei promiſſionem, inferretur quidem amicitiam hominis cum Deo requirere aliquid ultrà gratiam, at non inferretur requirere aliquid quod eſſet favor extrinſecus, adeoque non oppugnaretur

Eſt gratiæ debita promiſſio Dei de dandâ gloriâ.

aſſertum.

43. aſſertum. Falſum eſt inſuper jus minùs ſtri-
ctum ad gloriam non ſufficere pro amicitia
hominis cum Deo, nec tale jus importat
præciſè dignitatem, ſed dignitatem cum ali-
qua exigentia gloriæ & per conſequens cum
aliquo debito ex parte Dei ad dandam glo-
riam; ſimiliter non importat præciſè eſſe
amore dignum, ſed eſſe amore dignum &
aliqualiter exigere amorem, quod ſecundum
ſufficit ad eſſe amicum, quamvis non pri-
mum: Cur deindè eſſe dignum amore in
homine reſpectu Dei importet aliquam exi-
gentiam amoris independenter à Dei pro-
miſſione, non ſic in uno homine reſpectu
alterius; ratio ſit, quia qui eſt dignus amo-
re Dei eſt factus dignus ab ipſo Deo, non
ſic qui eſt dignus amore alterius hominis eſt
factus dignus ab alio homine, & ſic talis
dignitas eſt voluntaria Deo independenter
ab ipſius promiſſione, at non homini; poteſt
igitur fundare aliquam exigentiam adversùs
Deum, quamvis non adversùs hominem.

Gratia tamen etiam abſque tal. promiſſione conſtituit Dei amicum.

44. Probatur ſecundò: Non eſt favor ex-
trinſecus, quòd Deus amicabiliter amet
hominem exiſtentem in gratiâ; ergo ho-
mo exiſtens in gratiâ; eſt per gratiam ip-
ſam acceptus in amicitiam, & habens
aliquod jus ad amicabiliter amari à Deo;
conſequentia patet, quia quidquid non
eſt favor extrinſecus eſt aliquo jure de-
bitum; antecedens probatur, non eſt fa-
vor extrinſecus, quòd Deus gratiam ſe-
mel infuſam conſervet homine non appo-
nente obicem, cum gratia habitualis ſit ex
genere ſuo forma permanens, nec conna-
turaliter deſinat, niſi aut ad deſitionem ſub-
jecti aut ad appoſitionem contrarij ſeu obi-
cis; atqui ex hoc quod conſervet in homine
habitualem gratiam amat hominem amica-
biliter, nam ex hoc ipſo vult ei radicem bo-
norum ſupernaturalium & jus ad felicita-
tem: ergo.

Dices hoc argumentum nimis probare,
probat enim gratiam per ſe ipſam conſtitue-
re hominem non ſolùm amicum, verum etiā
amatum à Deo, cujus tamen oppoſitum tùm
fuit à nobis conceſſum *præced. num.* 40. tùm
infertur ex eo quod *n.* 29. admiſimus Deum
poſſe homini exiſtenti in gratiâ negare pro
ſemper felicitatem & gloriam; in quo certè
caſu homo exiſtens in gratiâ non eſſet ama-
45. tus à Deo. Sed contrà, gratia ità conſtituit
amicum per ſe ipſam, ut ad id non ſolùm
non indiget favore extrinſeco, ſed nec ali-
quo à ſe diſtincto; hâc ratione non conſti-
tuit amatum, indiget enim ut amatum con-
ſtituat aliquo diſtincto ideſt actu amoris,
ideò ſuprà dicebamus gratiam non conſtitue-
re amatum, ſubintelligendo eo modo, quo
conſtituit amicum, nec negabamus ipſam
ſivè in ſui productione, ſivè in ſui conſer-
vatione, procedere connaturaliter ab actu,
quo ipſius ſubjectum conſtituatur, & deno-
minetur amatum. Ad illud, quod additur de
homine exiſtente in gratiâ, cui Deus velit
negare pro ſemper gloriam, dico dupliciter
id evenire poſſe: primò, quatenùs gratia
impediatur ab effectu formali reddendi ho-
minem dignum gloriâ, & hâc ratione exi-
ſtens in gratia verè non eſſet amatus à Deo,
quia Deus non vellet gratiam ut ei bonam;
imò nec eſſet amicus, quia gratia impedi-
retur à tribuenda eâ dignitate & exigentia,
in quâ conſiſtit amicitia: Secundò, quate-
nùs gratia reddente hominem dignum glo-
ria adhuc Deus nolit tali homini gloriam da-
re, & hâc ratione homo amaretur à Deo ſe-
cundum quid, ratione actus, quo conſerva-
ret gratiam ut dignificantem & bonam ho-
mini; non ſimpliciter, eo quod Deus non
vellet talem hominem eſſe felicem; dici ta-
men poſſet talis homo amicus ſimpliciter
propter dignitatem & jus quod retineret ad
gloriam & amorem; quamvis deindè hoc
jus à Deo violaretur, ut violare poteſt de
potentia abſoluta, quamvis non de ordinaria
eo modo; quo de abſoluta non de ordinaria
potentia violare Deus poteſt jus cauſarum
naturalium ad concurſum ſibi debitum.

Perſeverās in gratiâ dupliciter poteſt excludi pro ſemper à gloriâ.

Urgebis violatio juris amicitiæ eſt quid
moraliter malum ergo nō poteſt tribui Deo:
Sed contrà: verum eſt antecedens de viola- 46.
tione juris amicitiæ, quando eſt ſtrictiſſi-
mum & ortum ex mutua promiſſione; ſecùs
quando eſt minùs ſtrictum, cujuſmodi eſt
quod oritur in homine cum Deo ex pura in-
fuſione gratiæ; & ſicuti eſſet moraliter ma-
lum violare jus adoptionis negando hæredi-
tatem adoptato in humanis, ubi tale jus eſt
ſtrictiſſimum utpotè ortum ex mutua con-
ventione & promiſſione, & tamen Deus
abſque omni ſuſpicione mali moralis poteſt
in adoptione à ſe factâ (utpotè factâ ſine
promiſſione & fundante jus minùs ſtrictum)
ipſius jura violare negando pro ſemper hæ-
reditatem adoptato, ut ſuprà attigimus *n.* 29.
ità ſimiliter, &c.

---

§. V.

An & quomodo gratia habitualis di-ſtinguatur à Charitate?

ASSERT. Gratia habitualis diſtinguitur 47.
realiter adæquatè à charitate ſumpta
pro habitu virtutis. Ità D. Thomas *hic q.* 110.
art. 3. *de verit. quæſt.* 27. *art.* 2. *in* 2. *diſt.* 26.
quæſt. 1. *art.* 4. D. Bonaventura *in* 2. *diſt.* 27.
art. 1. *quæſt.* 2. *& in* 3. *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3.
Argentinas *in* 2. *diſt.* 26. *art.* 2. Ægidius *ead.*
diſt. quæſt. 5. *art.* 1. Ferrarienſis 3. *cont. Gent.*
cap. 151. Ioannes à S. Thoma *hic diſp.* 22.
art. 2. Gonetus *diſp.* 2. *art.* 6. Suarez *lib.* 6.
cap. 12. Valentia *diſp.* 8. *quæſt.* 2. *punct.* 2.
Amicus *diſp.* 29. *ſect.* 3. Oviedus *tract.* 8.
controv. 1. *punct.* 6. Averſa *quæſt.* 10. *ſect.* 3.
& cum tota ſchola thomiſtica magna pars
Recentiorum contrà Henricum *quodlib.* 4.
quæſt. 10. Bachonem *in* 2. *diſt.* 27. *art.* 1. Du-
randum *in* 2. *diſt.* 26. *quæſt.* 1. Richardum
ead. diſt. art. 1. *quæſt.* 1. Majorem *quæſt.* 1.
concl. 1. Ockamum *in* 4. *quæſt.* 9. *art.* 3. Sco-
tum *in* 2. *diſt.* 27. §. *ideò alia eſt.* Maſtrium
diſp. 7. *q.* 6. Herincx *diſp.* 4. *quæſt.* 4. Bellarmi-
num

Gratia habitualis diſtinguitur realiter adæquatè à charitate.

num *controv. 3. lib. 1. de gratia & libero arbitrio, c. 6.* Coninchium *diſput. 21. de actibus ſupernat. dub. 7.* Arriagam *tom. 5. diſput. 36. ſect. 4.* Eſparzam *lib. 5. q. 4.* alioſque tùm recentiores non paucos, tùm multo plures antiquos D. Thoma anteriores, tùm Scotiſtas omnes. Inter Theologos ferè ex æquo in hac controverſia diviſos aliqui media incedunt via, & utramque partem problematicè docent, ità Sylvius *hic q. 110. art. 3.* Vaſquez *diſput. 198. cap. 3.* Madernus *quæſt. 5. art. 6.* &c.

48. Dixi *diſtinguitur realiter adæquatè* ubi ly *diſtinguitur* eſt ſingillatim contrà Durandum, qui *quæſt. præcit. n. 8.* vult gratiam à charitate differre ſolo nomine, adeoque ne ratione quidem diſtingui. Ly *realiter adæquatè* eſt ſingillatim contrà opinionem docentem gratiam habitualem, ſeu formam juſtificantem conſiſtere in plurium aut omnium virtutum habitibus, adeoque ſe habere ad virtutem charitatis, ut includens ad incluſum, quod eſt inadæquatè diſtingui. Hujus opinionis Auctores afferemus & refellemus infrà *lib. ſeq. c. 2. §. 3.*

49. Dixi *à charitate ſumpta pro habitu virtutis*, nam charitas præſertim in Scripturâ ſumitur multipliciter; ſumitur ſcilicet aliquandò pro dono increato, quo Deus nos diligit juxtà ſupradicta *n. 4.* Aliquandò pro dono ex divina charitate profecto, & quaſi vinculo mutui amoris inter nos & Deum; Aliquandò pro actu, vel habitu, quo nos Deum diligimus: Primò modo neque Adverſarij dubitant de reali diſtinctione habitus gratiæ à charitate: Secundo modo neque nos negamus gratiam cum charitate identificari & verè eſſe charitatem, eſt enim potiſſimum donum à divina charitate profectum, cum ſit ipſum donum amicitiæ, quo Deus nos amicos ſuos conſtituit, & in hoc ſenſu charis græcè idem ſignificat, quod gratia, & tres charites tres gratias dicimus, eſt etiam hæc ſignificatio charitatis ſumptæ pro dono ex charitate profecto familiaris apud pauperes, qui ſolent ſtipem mendicare dicendo, date charitatem. Tertio modo quoad charitatem ſumptam pro actu incontroverſa eſt ipſius diſtinctio à gratiæ habitu, & evincitur ex vocibus ipſis actus & habitus; reducitur igitur controverſia ad charitatem ſumptam pro habitu, quo nos Deum diligimus, quod eſt idem ac dicere, pro habitu virtutis.

Charitatis triplex acceptio.

50. Probatur aſſertum ſic explicatum primò ex Scripturis & Conciliis loquentibus de gratia & charitate, tanquam de duobus donis diſtinctis & diverſis. 2. Cor. 13. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei.* Epheſ. 6. *Charitas cum fide à Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto, Gratia cum omnibus qui diligunt, &c.* Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*, ubi inſinuatur dationem Spiritus ſancti, quæ fit per gratiam, eſſe priorem charitate & cauſam ejuſdẽ, unde etiam *Galat. 5.* habetur *fructus autem ſpiritus* (id-eſt dationis Spiritus ſancti factæ per gratiam) *eſt charitas, gaudium, &c.* Ex Conciliis Viennenſe relatum *præced. n. 3.* diſtinguit in Baptiſmo infuſionem habitus gratiæ, & virtutum: Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* diſtinguit in juſtificatione ſuſceptionẽ gratiæ & donorum, inter virtutes autem & dona continetur primo loco charitatis habitus, cujus diſtinctam à gratia expreſſionem nominatim facit tùm idem Tridentinum *ead. ſeſſ. can. 11.* tùm Moguntinum *cap. 7. de juſtificat.*

Dices hujuſmodi auctoritates loquentes de gratia & charitate ſub diſtincta expreſſione, & tanquam de diſtinctis donis, aliquas procedere de gratia actuali, eas verò, quæ de gratia habituali procedunt, ſufficienter verificari per hoc, quod re vera detur inter habitum gratiæ, & habitum charitatis aliqua diſtinctio, vel formalis, vel penes connotata; nec poſſe uſurpari ad probandam diſtinctionem realem, cum contrà iſtam militent clariora teſtimonia earundem ſcripturarum tribuentium charitati quidquid communiter ſolet tribui gratiæ: 51. Tribuitur in primis gratiæ naſci ex Deo & filiatio adoptiva, ex quibus deinde infertur divinæ naturæ participatio; hoc idem charitati tribuit Scriptura 1. Ioan. 4. *Omnis qui diligit ex Deo natus eſt*, & ibid. cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur & ſimus.* Tribuitur inſuper gratiæ amicitia Dei; hanc tribuit charitati Scriptura Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Ioan. 14 *Si quis diligit me diligetur à patre meo.* 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, quæ mutua permanentia non poteſt intelligi meliùs, quàm per mutuum amorem amicabilem. Tribuitur tandem gratiæ vivificatio ſpiritualis, ſanctitas, & remiſſio peccatorum, hæc omnia charitati tribuit Scriptura 1. Ioan. 3. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam quoniam diligimus: Qui non diligit manet in morte.* Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo, ut eſſemus ſancti & electi in conſpectu eius, in charitate.* Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* 1. Pet. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Hæc pariter charitati tribuit Tridentinum *præcit. c. 7.* docens impios juſtificari, ſeu ſanctificari, dum per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, & nulla facta mentione gratiæ ait hominem in juſtificatione accipere fidem, ſpem, & charitatem. 52. Sed contrà: ad primam inſtantiæ partem dico auctoritates illas pati quidem poſſe explicationem Adverſariorum; valde tamen nobis favere, quia in ſenſu à nobis intento procedunt magis propriè, & magis conformiter ad rationes, quæ ut ex ſubjiciendis conſtabit efficaciores ſunt pro diſtinctione, quàm pro indiſtinctione reali gratiæ à charitate. Ad ſecundam inſtantiæ partem continentem auctoritates oppoſitas dico ex iſtis aliquas procedere de charitatis actu, & has tribuere charitati diſpoſitivè illud, quod gratiæ convenit formaliter; reliquæ vel procedunt de charitate non prout eſt actus aut habitus

Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

 virtutis,

virtutis, ſed pro ut eſt donum ex increata charitate profectum juxtà ſupradicta *n.* 49. vel ſi procedunt de charitate ut eſt virtutis habitus, huic tribuunt tanquam fructui aut principio operativo illud, quod convenit gratiæ tanquam radici & tanquam formæ, rectè autem poſſunt iidem effectus diſtinctis diverſiſque rebus tribui diverſo modo. Quoad Tridentinum dico in ly *per Spiritum ſanctum* inſinuari gratiam, cum Spiritus ſanctus detur per gratiæ infuſionem, in verbis ſequentibus parùm refert nullam fieri mentionem gratiæ, cum hanc non ſolùm inſinuaverit in ly *per Spiritum ſanctum*, ſed etiam nominatim expreſſerit tùm initio ejuſdem capitis tùm *can.* 11.

Præterea hic auctoritates ſanctorum Patrum, de quibus ſive pro noſtra, ſive pro adverſa opinione militent, idem judicium proportionaliter ferendum eſt, quod de auctoritatibus Scripturæ & Conciliorum.

53. Probatur ſecundò: Natura ex genere ſuo diſtinguitur realiter à qualibet virtute; ſed gratia habitualis in ordine ſupernaturali eſt natura: ergo diſtinguitur realiter à charitate ſumpta pro habitu virtutis; minor ſupponitur *ex præced.* §. 1. & licèt non omnes nobiſcum ſentiant in eo, quòd ibi *n.* 20. dicebamus gratiam habitualem eſſe naturam formaliter & propriè, certè tenentur omnes in illa agnoſcere ſpecialem quandam cum natura habitudinem & proportionem, ratione cujus ſit natura ſaltem per imitationē, quod ſufficit pro re præſenti: Major probatur primò, quia natura ex genere ſuo datur primò & principaliter ad eſſe, & eſt principium operandi ſolùm radicale & indeterminatum juxtà ſupradicta *n.* 10. Virtus datur primò & principaliter ad operari, & eſt principium operandi proximum ac intrà talem determinatam lineam: Secundò quia natura ex genere ſuo præſupponitur & præexiſtit ad virtutem, hæc enim ut cum Philoſopho docet D. Thomas *q.* 110. *art.* 3. *in c.* eſt diſpoſitio perfecti, id eſt diſpoſiti ſecundùm naturam, unde virtus uniuſcujuſque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam præexiſtentem; & virtutes quidem acquiſitæ in homine dicuntur in ordine ad naturam quâ homo eſt, virtutes infuſæ in ordine ad naturam altiorem, in ordine ſcilicet ad naturam divinam participatam.

Natura & virtus diſtinguuntur realiter ex genere ſuo.

54. Dices majorem propoſitionem iſtius probationis procedere ſolùm de natura ſubſtantiali, non de natura accidentali, qualis eſt gratia; item procedere ſolùm de virtute, quæ ſe habeat præciſè ut virtus, non de virtute quæ ſe habeat ut potentia, qualis eſt habitus charitatis & alius quilibet per ſe infuſus: Ratio primæ partis eſt, quia ſubſtantia non eſt immediatè operativa, ſicuti tamen ex genere ſuo eſt immediatè operativum accidens, à virtute igitur, quæ eſt habitus immediatè operativus, debet ex genere ſuo diſtingui natura ſubſtantialis tantùm, non natura accidentalis: Ratio ſecundæ partis eſt, quia de charitate ſe habente ut potentia ſic diſcurri poteſt: Natura intellectualis non diſtinguitur realiter à ſuis potentiis, ſed gratia ad charitatem ſumptam pro virtute ſe habet ut natura ad potentiam: ergo gratia non diſtinguitur realiter à charitate ſumpta pro virtute; hic diſcurſus, quamvis contrà Thomiſtas infirmus ſit & de ſubjecto non ſupponente, validus tamen videtur & ad hominem ſecundùm noſtra principia, ſecundùm quæ ſuo loco non diſtinximus realiter potentias à ſubſtantia animæ & Angeli; ut verò vim habeat etiam contrà Thomiſtas ponentes realem diſtinctionem inter potentias, & ſubſtantiam tum animæ tùm Angeli, ſic poteſt paulò aliter formari argumentum: Gratia eſt participatio naturæ intellectualis, non cujuſcumque, ſed divinæ, & ad charitatem ſumptam pro virtute ſe habet ut natura divina ad potentiam volitivam; atqui natura divina non diſtinguitur realiter à potentia volitiva, ergo gratia non diſtinguitur realiter à charitate ſumpta pro virtute. Sed 55.
contrà: ad primam inſtantiæ partem quidquid ſit, utrùm ſubſtantia poſſit eſſe immediatè operativa nec ne; dico nos non ex conceptu ſubſtantiæ, ſed ex conceptu naturæ probare in gratia mediatam & radicalem rationem principij, & quia per nos conceptus naturæ ſalvatur propriè & formaliter etiam in natura accidentali; noſtra probatio eſt efficax, nec infirmatur per id quod additur de accidente, hoc enim ex genere ſuo indifferens eſt ad eſſe & non eſſe operativum, imò fortè plura ſunt accidentia non operativa, hujuſmodi quippè ſunt inter accidentia materialia tùm omnes ſecundæ qualitates, tùm accidens omnium primum, nimirum quantitas.

Ad ſecundam inſtantiæ partem ingenuè 56.
fateor diſtinctionem realem potentiarum ab anima valde favere Thomiſtis in ordine ad diſtinctionem realem charitatis à gratia, & diſcurſus ſpecialiter in ipſos formatus facilè eluditur ex eo quòd gratia ſit inadæquata & imperfecta participatio divinæ naturæ, ſicut & charitas divinæ voluntatis. Vt autem difficultati ſatisfiat in noſtris principiis dico majorem eſſe rationem identificandi cum ſuis potentiis naturam ſubſtantialem, cujuſmodi eſt anima, Angelus, Deus; quàm naturam accidentalem, cujuſmodi eſt gratia, primò quia natura ſubſtantialis eſt ex genere ſuo perfectior accidentali & ſaltem entitativè ſuperior, ideò propter regulam generalem magis uniendi in ſuperioribus quæ ſunt in inferioribus diſperſa, jure aſtruuntur potentiæ identificatæ realiter cum natura ſubſtantiali, diſtinctæ verò ab accidentali: Secundò, quia ut oſtendam *num. ſeq.* tenemur de facto diſtinguere realiter aliquam potentiam à natura accidentali, non ſic à natura ſubſtantiali; habemus igitur in univerſum majus fundamentum diſtinguendi potentias ab accidentali, quàm à ſubſtantiali natura.

Cur potentiæ diſtinguantur ab accidentali, non à ſubſtantiali natura.

Probatur tertiò: Gratia habitualis diſtinguitur realiter à fide ſumpta pro habitu virtutis: ergo eodem modo diſtinguitur à charitate; antecedens non negatur ab Adverſa- 57.

Ex diſtinctione gratiæ à fide

riis,

infertur diſtinctio ejuſdem à charitate.

tiis, nec negari poteſt, cum habitus fidei ſicut & ſpei de facto à gratia ſæpè ſeparentur, & in peccatore permaneant : Conſequentia probatur primò, quia fides non minùs quàm charitas eſt virtus per ſe infuſa ſe habens ut potentia, ſicuti autem in naturalibus quoad identitatem & diſtinctionem inter potentias & naturam ſubſtantialem idem ſentitur de omnibus potentiis, ità proportionaliter in ſupernaturalibus in ordine ad naturam accidentalem idem ſentiendum de omnibus virtutibus imitantibus potentias.: Secundò quia gratia habitualis diſtincta realiter à fide, non à charitate, ſe haberet ut natura ſubſtantialis diſtincta realiter ab intellectu, non à voluntate ; atqui hæc natura repugnat, ergo ſimiliter repugnat gratia habitualis diſtincta realiter, &c. & per conſequens de facto gratia habitualis diſtinguitur realiter à charitate, ſi diſtinguitur realiter à fide ; major patet ex proportione, quam ſervat habitualis gratia ad naturam ſubſtantialem habitus fidei ad potentiam intellectivam habitus charitatis ad volitivam ; & ex eo quod gratia eſt ſpecialis participatio divinæ naturæ, fides divini intellectua, charitas divinæ voluntatis : Minor probatur, tùm quia ut aliundè ſuppono repugnat ſubſtantia volitiva quæ intellectiva non ſit, repugnat igitur ſimiliter ſubſtãtia volitiva per identitatem & non intellectiva per identitatem, qualis eſſet quæ diſtingueretur realiter ab intellectu, non à voluntate ; tùm quia natura diſtincta realiter ab Intellectu, non à voluntate, eſſet priùs volitiva quàm intellectiva, cum tamen id repugnet ſicuti repugnat velle priùs, quàm cognoſcere propter illud tritum axioma,

58\. nihil volitum quin præcognitum. Confirmatur, habitus fidei eſt proximior participationi divinæ naturæ, quàm ſit habitus charitatis : ergo ſi à gratia per quam habetur participatio divinæ naturæ diſtinguitur realiter habitus fidei, multo magis diſtinguetur ab illa realiter habitus charitatis ; antecedens probatur, divinæ naturæ proximior eſt divinus intellectus, quàm divina voluntas; nam concipimus vel ipſam conſtitui per aliquid ſpectans ad intellectum potiùs quàm per aliquid ſpectans ad voluntatem, vel ab ipſa profluere intellectum priùs quàm voluntatem : ergo participationi divinæ naturæ proximior eſt participatio divini intellectus quæ per habitum fidei, quàm divinæ voluntatis quæ per habitum charitatis habetur : Accedit quòd, cum fides oriatur tanquam ex radice à gratia, ſi hæc idem eſſet quòd charitas, participatio divini intellectus oriretur à participatione divinæ voluntatis : & intellectus ac voluntas divina ut participantur, haberent modum emanandi, ut ità dicam, inverſum, & ordinem prioris ac poſterioris oppoſitum ei, quem habent ut ſunt in ſe.

Fides eſt proximior quàm charitas, participationi divinæ naturæ.

Dices : Charitas ipſa eſt per identitatem voluntas, non intellectus ; (ſubintellige imitativè & proportionaliter) ergo etiam poteſt dari natura aliqua. quæ ſibi identificet voluntatem, non intellectum ; nec propterea talis natura volitiva eſſet non intellectiva, ut enim intellectiva dicatur quantum prærequiritur ad rationem volitivi, ſufficit quod ſit intellectiva radicaliter, nimirum quod ſit radix exigitiva intellectus. Sed contra : concedo antecedens, nego conſequentiam ; diſ- 59.
paritas eſt, quia potentia ex genere ſuo eſt principium determinatum ad certam lineam operationum, natura verò ſicuti eſt principium radicale, ità eſt principium magis univerſale, & eſſentialiter ſe extendens ad omnes operationes ſuarum potentiarum; optimè igitur dari poteſt potentia volitiva, quæ non ſit intellectiva, charitas quæ per identitatem ſit imitativè voluntas, ſeu potentia volitiva non intellectus ; at non valet hinc arguere ad naturam. Quod dicebatur naturam ſibi identificãtem voluntatem, non intellectum, fore adhuc per ſe ipſam intellectivam radicaliter, non ſufficit, quia natura debet eſſe radix intellectus & voluntatis eodem modo; nimirum vel utriuſque realiter & ab utraque potentia realiter diſtingui, vel utriuſque virtualiter & utramque potentiam ſibi realiter identificare ; quando verò poſſet ſimul eſſe reſpectu unius potentiæ radix virtualis, reſpectu alterius radix realis, deberet eſſe virtualis radix intellectus, & realis radix voluntatis, non è contrà ; propter doctrinam poſitam *præced. n.*58.

Cur potẽtia aliqua poſſit eſſe volitiva, nõ intellectiva, ſecùs aliqua natura.

Probatur quartò : Habitus gratiæ tribuit 60.
jus ad amari à Deo, habitus charitatis tribuit potentiam ad amare Deum : ergo habitus gratiæ diſtinguitur realiter ab habitu charitatis ; antecedens quoad primam partem probatum eſt ſuprà *n.*41. quoad ſecundam evincitur ex eo, quod habitus charitatis tria habet quòd ſit virtus infuſa, adeoque ſe habens ut potentia; quod ſit in linea amoris, adeoque tribuens amare ; quod ſit Theologica adeoque reſpiciens Deum : Conſequentia probatur primò, quia jus ad amari, & potentia ad amare diverſiſſima ſunt, meliùs igitur tribuuntur diſtinctis realiter, quàm indiſtinctis formis ; ſecundò quia potentia ad amare Deum ut bonum in ſe, & potentia ad amare Deum ut bonum amanti, minùs differunt, quàm potentia ad amare Deum & jus ad amari à Deo ; ſed charitas & ſpes, quibus correſpondent duo priora, realiter diſtinguuntur, ergo à fortiori realiter diſtinguuntur charitas & gratia, quibus correſpondent duo poſteriora.

Gratia tribuit amari : Charitas tribuit amare.

Dices : duo relati effectus, quamvis ſint inter ſe valde diverſi, non ſunt tamen oppoſiti, nec tales quin poſſint ab una eademque forma provenire : ergo ex regula generali non multiplicandi ſine neceſſitate entitates meliùs tribuuntur uni formæ, quàm duabus adeoque charitas & gratia meliùs aſtruuntur indiſtinctæ, quàm diſtinctæ realiter : Nec quidquam obſtat paritas ſpei ad charitatem comparatæ, tùm quia alij plures effectus charitatis ut facere Amicum, charum, remittere peccata, &c. non conveniunt ſpei conveniunt verò gratiæ ; non obſtante igitur majori diverſitate charitatis à gratia, quàm à ſpe in uno effectu, quia tamen in aliis pluribus charitas cum eadem gratia, quàm cum

ſpe

ſpe convenit, minor diverſitas in illo uno effectu poteſt ſufficere ad diſtinctionem realem ſpei, non gratiæ à charitate; tùm quia cum inveniamus ſpem ſeparari à charitate, non ſic gratiam; habemus à poſteriori neceſſitatem diſtinguendi realiter à ſpe charitatem, non gratiam.

61. Sed contrà: quidquid ſit, Vtrùm non repugnet duos relatos effectus ab eadem forma provenire, certè ex probatione, præſertim verò ex paritate ſpei, conſtat ipſos eſſe tales, ut poſſint provenire à formis realiter diſtinctis; quod deindè ità de facto proveniant evincunt aliæ probationes præcedentes. Ad illud, quod additur contrà ſpei paritatem dico plures effectus charitatis convenientes gratiæ, non convenire gratiæ ſub ea ratione, ſub quâ conveniunt charitati ut jam ſuprà attigimus *num.* 5 2. ideò tales effectus nihil conferre ad identitatem charitatis cum gratia potiùs, quàm cum ſpe: Ad ultimum fateor dari à poſteriori, & titulo ſeparationis, majorem neceſſitatem diſtinguendi ſpem quàm gratiam à charitate; at non propterea datur efficax ratio gratiam à charitate non diſtinguendi, cum ex una parte ſuppetant aliundè talis diſtinctionis valida argumenta, & ex alia parte inſeparabilitas ſit frivolum identitatis indicium; numquid enim omnes virtutes morales infuſæ ad invicem & cum gratia identificantur quia ſe invicem & gratiam inſeparabiliter comitantur.

Inſeparabilitas nó eſt ſufficiens indicium identitatis.

Vrgebis inſeparabilitatem, quæ eſt ſolùm ſecundum potentiam ordinariam, qualis eſt illa virtutum moralium infuſarum, non eſſe ſufficiens identitatis indicium, hujuſmodi tamen eſſe inſeparabilitatem, quæ eſt etiam ſecundum potentiam abſolutam; qualis eſt quæ verſatur inter charitatem & gratiam; cum nec de potentia abſoluta poſſit quis habere charitatem ſine gratia, alioqui diligeret Deum, à quo non diligeretur, contrà illud Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*; & in tali ſtatu decedens nec ſalvandus eſſet nec damnandus; non ſalvandus, quia defectu gratiæ nullum haberet jus ad gloriam; non damnandus, quia ratione charitatis nullum haberet peccatum.

62. Sed contrà: nec inſeparabilitas, ex eo quod ſit de potentia abſoluta, eſt ſufficiens argumentum identitatis; nec charitas eſt de potentia abſoluta inſeparabilis à gratia; & ad illud quod contrà ſecundum hoc membrum affertur dico eos, qui ſentiunt charitatem, quamvis diſtinctam realiter à gratia eſſe formam juſtificantē, docere conſequenter habentem charitatem ſine gratia adhuc fore dilectum à Deo, & ſalvandum; in noſtris verò principiis, ſecundùm quæ *lib. ſeq. cap.* 4. §. 3. negabimus charitati prærogativam formæ juſtificantis, homo in data hypotheſi diligeretur à Deo ſecundum quid, quia infuſio ipſa habitus charitatis eſſet effectus divini amoris at non diligeretur à Deo ſimpliciter & amicabiliter, quia non eſſet dignus divina dilectione, nec haberet jus ad ipſam; & vel amor ille ſecundum quid ſufficienter verificat adducta Scripturæ verba, vel hæc procedunt tantum ſecundum potentiam ordinariam. Eſſet item talis homo nec damnandus, nec ſalvandus ex jure proprio ad ſalutem; quod licèt eſſet abſurdum de facto, & ſuppoſita charitate non ſeparata à gratia, ſecus de potentia abſoluta & in caſu ſeparationis: Vtrùm verò talis homo ex divina bonitate & liberalitate, quamvis non ex proprio jure eſſet ſalvandus & ad gloriam ut datam, quamvis non ut debitam aſſumendus; affirmat Sylvius *q.* 110. *art.* 3. *concl.* 2. *ad* 2. certè poſſet Deus id facere; incertum, utrùm faceret de facto? poteſt tamen hoc piè præſumi, tanquam valdè conſentaneum divinæ bonitati; cui etiam non deeſſet modus aliter providendi, vel infundendo tali homini gratiam in ultimo viæ inſtanti, vel eidem tribuendo diverſam beatitudinem ſitam in notitia ſupernaturali Dei clarâ quidem, ſed abſtractivâ.

Quid ſentiendum de habente charitatem ſine gratiâ?

Dubitatur hic: Quid ſentiendum de homine, qui haberet gratiam ſine habitu charitatis? 63. Reſpondetur certius eſſe, tùm quod poſſit hoc fieri, tùm quod talis homo conſequeretur gloriam & beatam viſionem: Ratio primæ partis eſt, quia magis certò conſtat poſſe conſervari eſſentiam ſine ſua proprietate, quàm proprietatem ſine ſua eſſentia, præſertim quando proprietas eſt vitalis, undè qui ex Thomiſtis docent charitatem eſſe potentiam vitalem exiſtimant impoſſibile, quod homo habeat charitatem ſine gratia, quamvis non quod habeat gratiam ſine charitate; ut videre eſt apud Gonetum *diſp.* 2. *art.* 6. *n.* 179. Ratio ſecundæ partis eſt, quod talis homo verè eſſet Dei Amicus, filius adoptivus, & habens jus ad gloriam. Nec refert quod Apoſtolus 1. *Cor.* 13. Profiteatur ſe nihil eſſe, & nihil ſibi prodeſſe, ſine charitate; item quod Auguſtinus *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 18. ſoli charitati tribuat dividere inter filios regni & filios perditionis: Non refert, inquam, quia Apoſtolus & Auguſtinus loquuntur ſecundum præſentem providentiam, ſecundùm quam charitas ſemper habet comitem gratiam.

Quid de habente gratiam ſine charitate?

---

§. VI.

Vtrùm ſaltem de potentia abſoluta ſit dabilis gratia habitualis realiter indiſtincta à Charitate?

ASSERT. Affirmativè occurrendum eſt difficultati, non quatenùs gratia habitualis, quæ de facto datur, ſit de potentia abſoluta cum charitate identificabilis; ſed quatenùs eſt dabilis una & eadem forma præſtans eos effectus, quos de facto præſtant gratia & charitas. 64. Ità Theologi communiter, quamvis videantur in oppoſitum propendere Ioannes à S. Thoma *diſp.* 22. *art.* 2. *num.* 7. & Gonetus *diſp.* 2. *art.* 6. *num.* 163.

Non repugnat identitas inter gratiam, & charitatē.

Probatur prima pars, imò patet ex terminis; cum enim per nos gratia, quæ de facto datur, ſupponatur realiter diſtincta à charitate, dicere quòd poſſit cum charitate identificari

ficari eſt dicere, qnòd poſſit à charitate diſtingni ſimul realiter & non diſtingui: Neqne exiſtumes poſſe ſaltem cum eharitate idemtificari gratiam aliquam gratiæ de facto exiſtenti ſimilem in aliis omnibus præterquàm in diſtinctione. Contrà enim: exiſtimatio ſubſiſteret, quando diſtinctio realis gratiæ à eharitate proveniret ex diverſitate ſolùm numeriea, at provenit ex ſpeeifica & ad idemtitatem gratiæ eum eharitate multo plùs requiritur, quàm abſtrahere à diſtinctione; requiritur ſcilicet, qnòd reperiantur in gratia prædicata propria charitatis, ut ſunt reddere proximè potentem amare, participare ſpecialiter divinam voluntatem, habere rationem virtutis & potentiæ; quæ certè non reperiuntur in gratia omninò ſimili gratiæ de facto exiſtenti, ideò, &c.

65. Per formã præſtantem vtriuſque effectus. Probatur ſecunda pars: Præcipui effectns gratiæ & eharitatis ſunt, quòd gratia reddat participem divinæ naturæ ſeù divini eſſe, charitas divinæ voluntatis ſeu dilectivitatis; illa tribuat homini jus & dignitatem ad amari à Deo, iſta potentiam & propenſionem ad amare Deum; atqui eſt dabilis una & eadem forma præſtans hujuſmodi effectus; ergo: Minor probatur primò, quia hujuſmodi effectns non ſunt inter ſe oppoſiti & repugnantes, imò valdè affines & connexi adeò ut de facto quamvis à diſtinctis formis proveniant, nunquàm ſeparentur: Secundò quia, ut attigimus *tr. 2. lib. 2. c. 3. n. 8.* eſt dabilis una & eadem qualitas præſtans effectus luminis gloriæ & ſpeciei impreſſæ Dei, qui non ſunt inter ſe minùs diverſi, quàm effectus gratiæ & charitatis; ergo ſimiliter eſt dabilis, &c. Tertiò qnia licet *ex praced. num.* 56. ſit aliqua major ratio diſtinguendi potentias ab accidentali, quàm à ſubſtantiali natura; indiſtinctio tamen potentiarum à natura ſubſtantiali eſt vehemens indicium indiſtinctionis ſaltem divinitùs non repugnantis inter potentias & naturam accidentalẽ; cum igitur charitas ad gratiam ſe habeat ut potentia ad naturam accidentalem, jure præſumitur poſſibilis inter utramque indiſtinctio, & non repugnans forma apta præſtare utrinſque effectus: Quartò tandem, quia nulla eſt aſſignabilis contradictio & repugnantia in eo, quòd una eadémq; forma æquivaleat gratiæ & charitati in ordine ad utriuſque effectns ac munera.

Dices primo: qui diſtinguunt naturam ſubſtantialem à potẽtiis neque divinitùs dabilẽ admittunt naturam ſubſtantialem idemtificatam eum potentiis; ergo idem proportionaliter ſentiendum de natura accidentali, & per conſequens nos, qui de facto diſtinguimus realiter gratiam à charitate, tanquàm naturam accidentalem à potentia, non poſſumus deindè concedere dabilem eſſe divinitùs gratiam cum charitate idemtificatam. Sed contrà: Qui diſtinguunt naturam

66. ſubſtantialẽ à potentiis exiſtimant nullã ſubſtãtiam eſſe poſſe immediatè operativã, quòd ſi extendant ad potentiam abſolutam conſequenter loquuntur aſtruendo neque de potentia abſoluta eſſe dabilem naturam ſubſtãtialem realiter indiſtinctam à potentiis, non eſt eadem ratio de natura accidentali, cum accidens ex genere ſuo poſſit eſſe immediatè operativum; vndè etiam quando concederetur repugnare ſubſtantiæ, quod det eſſe & operari, non repugnaret hoc accidenti, & de facto calor, v.g. dat eſſe calidum, & dat calefacere: Hæc dicta ſint in principiis Thomiſticis, cæterùm in noſtris principiis inſtantia ex omni capite eſt de ſubjecto non ſupponente.

Dices ſecundò: forma, quæ per idemtitatem eſſet ſimul gratia & charitas; quatenùs eſſet gratia deberet ſubjectari in eſſentia animæ, quatenùs eſſet charitas in voluntate; atqui repugnat quod una & eadem forma ſubjectetur in duplici ſubjecto. Sed contrà: hæc pariter inſtantia vim aliquam habet ſolùm in principiis Thomiſticis diſtinguentibus realiter potentiã volitivam ab anima, & deſumentibus à ſubjecto multiplicationem numericam accidentium; nos qui nec diſtinguimus voluntatem ab anima, nec multiplicamus accidentia ex ſubjecto, ex primo capite concedimus abſolutè majorem, nec propterea forma illa eſſet in duplici ſubjecto, niſi formaliter & per rationem, ſicuti & forma ipſa eſſet formaliter ac per rationem duplex; ex ſecundo capite negamus abſolutè minorem loquendo præſertim de duplici ſubjecto ſubordinato, ut eſſent voluntas & anima, quando realiter diſtinguerentur. 67. Quodnam eſſet talis formæ ſubjectum.

Dices tertiò: forma æquivalens gratiæ & charitati, vel pariter æquivaleret fidei, vel non; neutrum dici poteſt; ergo nec dici poteſt; quod ſit dabilis forma æquivalens, &c. probatur minor; non poteſt dici, quod æquivaleret, quia ſecùs poſſet vnica forma æquivalere omnibus ſimul virtutibus infuſis, item quia ut æquivalens charitati deberet perſeverare ut æquivalens fidei deberet non perſeverare in patriã, ubi charitas non excidit, fides verò evacuatur; nec poteſt dici, quòd non æquivaleret, quia ſecùs ſe haberet ut natura volitiva per idemtitatem, non intellectiva; quæ natura *ex praced. n.* 57. repugnat, ergo. Sed contrà: aliud eſt, quod poſſit dari gratia idemtificata charitati, aliud quòd poſſit dari idemtificata charitati ſoli, non ſimul alicui alij habitui; primum, non ſecundum nos aſſerimus; & propter eſſentialem connexionem volitivi cum intellectivo libenter concedimus gratiam idemtificatam habitui charitatis fore ſimul idemtificatam alicui habitui pertinenti ad intellectum, vel ſcilicet habitui fidei, vel habitui ſcientiæ infuſæ, vel habitui luminis gloriæ; ideò ad inſtantiam neganda eſt minor, & ad probationem primæ partis admitto formam unicam poſſe æquivalere omnibus ſimul virtutibus, ut admittit Arriaga *tom. 5. diſput. 36. num.* 35. Vtrùm verò talis forma perſeveraret in patria, ubi certè non poſſet ad omnium virtutum actus, & ſingillatim ad illos fidei, inſervire? poſſet dici, quod non perſeveraret, ſed quod ei ſuccederet alia formã æquivalẽs gratiæ, charitati, ac lumini gloriæ: 68. Talis forma deberet ſibi idemtificare etiã fidẽ aut aliquẽ alium habitum intellectualem.

& quod ly *charitas nunquam excidit* procedit de via ordinaria, ſecundùm quam habemus charitatem ſeparabilem à fide, non de via extraordinaria, & in caſu inſolito charitatis cum fide identificatæ: Poſſet item dici quod perſeveraret, quia ad perſeverantiam habitus non eſt neceſſe, quod poſſit inſervire ad omnes ſuos actus; unde à pluribus de facto conceditur ſpei habitus in patriâ, ubi inſervire non poteſt ad actus deſiderij, ſed ſolùm amoris & gaudij circà beatitudinem.

69. Ex dictis habetur, ſicuti nos admittimus de poſſibili identitatem, quam de facto negamus; ità Adverſarios debere ſaltem de poſſibili admittere realem diſtinctionem, quam de facto negant inter gratiam & charitatem; & rectè utrumque in terminis aſſerit Arriaga *præcit. n. 35.* Ratio eſt, quia duo potiſſima Adverſariorum argumenta, nimirum auctoritas, & regula generalis non multiplicãdi ſine neceſſitate entitates, ſi quid probant, probant ſolùm quoad de facto.

---

§. VII.

Definitio gratiæ habitualis, aliaque nonnulla de ipſius eſſentia.

70. Gratia habitualis definitur dupliciter. ASSERT. 1. Gratia habitualis dupliciter potiſſimùm definiri poteſt; primò à priori ex Scripturâ, quòd ſit participatio divinæ naturæ; ſecundò a poſteriori ex ſcholaſticorum doctrinâ, quòd ſit qualitas ſupernaturalis permanens, conſtituens Amicum, hæredem, & filium adoptivum Dei, realiter diſtincta à quocumque virtutis habitu, etiam ab illo charitatis.

Probatur & explicatur utraque definitio recolendo hucuſque dicta; & quidem ſecunda eſt ex terminis clarior, prima tamen ſicuti eſt brevior ità eſt plauſibilior & magis etiam juxtà regulas rigoroſæ definitionis; præſertim in noſtris principiis, ſecundùm quæ termini in ipſa poſiti propriè & formaliter ſupponunt, ly ſcilicet *participatio* ſupponit pro participatione formali, non virtuali, ly *divina natura* ſupponit pro ipſa accepta phyſicè, non moraliter tantùm; & ſecundùm formale ac proprium conſtitutivum, non ſecundùm prædicatum aliquod ſecundarium aut commune, ut ſatis conſtat *ex præced.* §. 2. ſicuti etiam *ex* §. 5. *ſequentibus* conſtat propriè ſupponere particulas poſitas in ſecunda definitione; Vnde nihil eſt quod addamus pro prima præfixi tituli parte, pro ſecunda (translatis in librum ſequentem iis, quæ pertinent ad rationem formæ juſtificantis & ad oppoſitionem cum peccato) duo ſuperſunt expendenda nimirum unitas ſpecifica gratiæ habitualis in ſe ipſa, & ejuſdem perfectio comparativè ad res alias.

71. Propriè accepta non admittit poſſibilem diverſitatem ſpecificam, bene verò accepta minùs propriè. Aſſert. 2 Gratia habitualis præciſè & propriè accepta eſt una in ſpecie athomâ, & nec de potentia abſoluta ſunt dabiles plures gratiæ habituales, quæ ſpecie differant.

Dixi *præciſè & propriè accepta*; nam in gratia habituali minùs propriè & ſolùm æquivalenter tali, quæ ſcilicet ſibi idẽtificet charitatem aliaſve virtutes ſupernaturales, & ſit forma pluribus habitibus infuſis æquivalens, non nego poſſibilem ſpecificã diverſitatem; imò libenter concedo fore ab invicem ſpecie diverſas habituales gratias, quatũ una nullas, alia aliquas, alia omnes, alia iſtas, alia illas virtutes infuſas ſibi identificaret; ſicuti enim virtutes ipſæ ſpecie differunt, tùm ab invicem, tùm à gratia præciſè & propriè accepta, qualis eſt quæ de facto datur; ità transferunt ſpecificam diverſitatem in gratias, ſeu in formas, cum quibus identificantur, & has faciunt differre ſpecie ſaltẽ inadæquata: Cæterùm loquẽdo de gratia præciſè ac propriè, & ut contradiſtincta à virtutibus, aſſertum

Probatur 1 Gratia habitualis præciſè & propriè accepta eſt participatio divinæ naturæ ſub unicâ formalitate, & nec de potẽtia abſoluta ſunt dabiles plures gratiæ habituales, quæ ſint participationes divinæ naturæ ſub pluribus formalitatibus diverſis; ergo gratia habitualis præciſè & propriè accepta eſt una in ſpecie, &c. conſequentia patet, quia nõ poteſt diverſificari habitualis gratia, niſi diverſificetur eſſentiale conſtitutivum ipſius; hoc autẽ nihil eſt aliud, quàm participatio divinæ naturæ; antecedens probatur 72.
quia ex ſupradictis gratia eſt participatio divinæ naturæ ſub præciſa ratione naturæ, id eſt gradus intellectivi divini, ſeu principij radicalis operationum divinarum; & quoties ſupponatur eſſe participatio alterius divinæ perfectionis, ex hoc capite ſicuti non erit participatio naturæ, ità non erit natura participata, ſed virtus aut paſſio ipſius; adeoque non erit gratia habitualis præciſè & propriè accepta.

Dices: Natura divina eſt infinita & perfectiſſima: ergò poteſt diverſis modis participari, ergo poſſunt dari diverſæ participationes & diverſæ gratiæ: cõſequentia probatur, quia quoties res infinita participatur modo finito participatur inadæquatè, quæ autem participant inadæquatè de aliquo tertio poſſunt eſſe diverſa inter ſe, ſicuti & diſſimilia, quæ ſunt inadæquatè ſimilia alicui tertio: Confirmatur: alij habitus infuſi poſſunt eſſe ſpecie diverſi & nos ipſi *tr. 1. lib. 2. c. 5. n. 39.* inſinuavimus non repugnare lumen gloriæ etherogeneum, ergo etiam poſſunt eſſe ſpecie diverſæ habituales gratiæ, imò habemus non leve fundamentũ diverſificandi de facto gratiam habitualem in beatis, & in viatoribus; cum in illis ſit radix luminis gloriæ, in iſtis fidei, item in Chriſto, & in nobis; cum gratia habitualis Chriſti ſit productiva & influat in nos, noſtra non influat in alios; 73.
illa non præſtet, iſta præſtet filiationẽ adoptivam. Sed contrà: Natura divina vel ſumitur identicè, vel formaliſſimè, utroque modo eſt infinita, at primo modo eſt infinita in omni linea, ſecundo modo eſt infinita in unica linea & in unica formalitate ſui conſtitutiva; utroque modo ratione infinitatis

Natura divina quomodò ratione infinitatis poſſit participari diverſimodè?

ſicuti

ſicuti participatur inadæquatè, ità eſt participabilis diverſimodè, at primo modo eſt participabilis diverſimodè cum diverſitate ſpecificà & eſſentiali, ità participatur per virtutes infuſas, quæ certè participant identicè de divina natura, quia quidquid eſt in Deo eſt identicè natura Dei, ſecundo modo eſt participabilis diverſimodè diverſitate ſolùm individuali & graduali, & ità præcisè non aliter poſſunt eſſe diverſæ habituales gratiæ; nec quidquā ampliùs inſtantia evincit. Ad confirmationem dato antecedente negari poſſet conſequentia, quia alij habitus infuſi ſunt formæ relatæ ad objecta, gratia eſt forma abſoluta, ideò pro illis poſſet excogitari aliquod principium diverſitatis ſpecificæ, quod non militaret pro gratia; in re tamen exiſtimus falſum eſſe antecedens; & etherogeneitas, quā alibi inſinuavimus non repugnare in lumine gloriæ, quamvis non ſit purè gradualis, individualis tamen eſt, non

74. ſpecifica. Ad fundamentum aſtruendi de facto diverſitatem ſpecificam inter aliquas gratias habituales dico non ſolùm cauſam efficientem, ſed etiam cauſam formalem poſſe eſſe æquivocam & præſtare effectus formales ſpecie diverſos pro diverſa capacitate & diſpoſitione ſubjecti; ea hujus igitur diverſa affectione, non ex diverſitate formæ provenit, quòd gratia habitualis diverſos habeat effectus in beatis, in viatoribus, in nobis, in Christo; vel ſi ea parte ipſius gratiæ præſertim in Chriſto eſt aliqua diverſitas, moralis eſt, non phyſicâ; nec magis quàm moraliter habitualis gratia Chriſti in nos influit, quā de re latiùs *in tract. de Incarn.* Interim eandem numero, ne dum ſpecie formam poſſe ea diverſitate ſubjecti habere diverſos effectus patet in diverſis effectibus quos habet eadem anima in capite, in oculo, in corde, in pede, &c.

Cauſa etiā formalis poteſt eſſe æquivoca.

75. Exemplum hoc animæ favet pro re præſenti ſingulari opinioni quorundam apud Gabrielem à S. Vincentio *hic diſp. 1. q. 1. n. 9.* docentium gratiam habitualem datam hominibus poſt Incarnationem eſſe eandem numero in omnibus, eandemque gratiam, quæ eſt in Chriſto, replicari in nobis ſecundùm plures vel pauciores gradus, ſecundùm quod dicimur habere magis vel minùs intenſam gratiam.

Singularis opinio de gratia eadē numero in Chriſto & in omnibus.

Aſſert. 5. Gratia habitualis eſt perfectior reliquis omnibus habitibus infuſis.

Probatur: Gratia habitualis ad reliquos habitus infuſos ſe habet ut natura ad proprias paſſiones, ſed natura eſt perfectior ſuis paſſionibus; ergo gratia, &c. Confirmatur: Gratia habitualis eſt participatio Dei, quatenùs eſt radicale principium ſupernaturaliter operandi in quacumque linea, reliqui habitus ſinguli ſunt participationes Dei, quatenùs eſt principium operandi in determinata linea: ergo gratia eſt participatio Dei magis univerſalis & minùs limitata, quàm reliqui habitus: ergo illa eſt iſtis perfectior.

Dices hinc ſequi contrà ſuprà aſſerta, quod gratia non diſtinguatur realiter à charitate; hanc enim Apoſtolus 1. *Cor.* 13. verbis illis *maior horum eſt charitas* commendat tanquam reliquis omnibus à ſe diſtinctis perfectiorem, & meritò quia hæc ſola de Deo in recto dicitur 1. Ioan. 4. *Deus charitas eſt*, nec poteſt eodem modo dici Deus eſt gratia; niſi gratia ſit idem cum charitate.
Sed contrà: Apoſtolus commendat charita- 76.
tem ut majorem non comparativè ad gratiam, ſed comparativè ad alias virtutes, fidem præcipuè & ſpem, quas ibi ſimul cum charitate recenſet. Illud 1. *Ioan.* 4. intelligendum eſt de charitate increata, quā Deus diligit nos; ideò inſtantia eſt quoad utrumque membrum infirma, & abſolutè ſentiendum gratiam, quamvis realiter diſtinctam à charitate eſſe reliquis omnibus habitibus, ipſoquemet habitu charitatis, perfectiorem. Neque urgeas ſaltem non eſſe perfectiorem habitu luminis gloriæ, cum hunc nos ipſi *tract. 1. lib. 1. c. 3. num. 45.* poſuerimus perfectiorem eſſe viſione, quā tamen non eſt perfectior gratia, nam D. Thomas *q. 113. art. 9. in c.* ait *ſecundùm quantitatem abſolutam donum gloria eſt maius, quàm donum gratia iuſtificantis impium*; quod idem ſonat ac dicere, viſio, in quā gloria conſiſtit, eſt donum majus gratia ſimpliciter & abſolutè; ſeu eſt perfectior gratia. Contrà enim: etiam viſioni præferēda eſt gratiæ perfectio, quidquid in oppoſitum ſentiat Arriaga *diſp. 43. n. 8.* ductus tùm mox allatis verbis D. Thomæ, tùm ex eo, quod comparet gratiam ad
viſionem, tanquam medium ad finem. Ve- 77.
rùm D. Thomas ibi nomine gloriæ intelligit viſionem ſimul cum gratia, non viſionem præcisè; & ſenſus ipſius eſt quod glorificatio ſecundùm totum, quod includit, ſit donum majus juſtificatione, cæterùm loquendo de gratia & gloria, ſeu de juſtificatione & glorificatione, præcisè acceptis, res oppoſito modo ſe habet, unde S. Doctor *ibid.* ſubdit *Donum gratia impium iuſtificantis eſt maius, quam donum gloria beatificantis iuſtum.* Comparatio facta ab Arriaga non probat intentum, quia gratia habitualis, ſicuti eſt radix luminis gloriæ, ità & viſionis; ad hanc propterea ſe habet non ut purum medium ad finem, ſed ut natura ad paſſionem, & radix ſeu ſemen ad fructum; finem autem eſſe perfectiorem iis, quæ ſunt ad ipſum, verificatur ad ſummum de iis, quæ ſunt ad ipſum ut pura media.

Gratia habitualis eſt perfectior reliquis habitibus infuſis etiam illo charitatis.

Etiam habitu luminis & actu viſionis.

Ex his probatū manet habitualem gratiam 78.
nobiliorem eſſe & perfectiorem non ſolùm quolibet alio ſupernaturali habitu, verùm etiam quolibet ſupernaturali actu ex iis, qui de facto vel in via vel in patria exiſtunt, cū reſpectu omnium ſit radix & natura; & cum pariter ſit radix auxiliorum actualium & ſupernaturalium motionum, iſtis pariter perfectior eſt: Vlteriùs procedit Gabriel à S. Vincentio *hic diſput. 1. q. 2. 3. 4.* diſcurrendo per Chriſti ſanctorūque miracula, per maternitatē Deiparæ, per opus ipſū Incarnationis; & oſtendit hæc omnia in ratione ſanctitatis ab habituali gratia excedi; hanc tamen doctrinam ſaltem in Incarnatione, quæ gratiam

& ſanctitatem ſubſtantialem importat crediderim limitandam. Exiſtimo etiam aliqua limitatione indigere, quod cum Suarezio *lib.6. cap.13. num.9.* tradit Amicus *diſp.29. num.120.* docens nec de potentia abſoluta dabilem eſſe formã accidentalem habituali gratia perfectiorem: Enimverò eſſet gratia habituali præciſè & propriè accepta perfectior illa ſaltem forma accidentalis, quæ per identitatem æquivaleret gratiæ, & charitati, aliiſve virtutibus; quam quidem formam do potentia abſoluta non repugnare *præced.* §. oſtenſum eſt, & Amicus ipſe concedit *end. diſput.29. num.69.* Apponatur igitur limitatio dicendo nec de potentia abſoluta dabilem eſſe formam accidentalem, quæ non æquivaleat gratiæ, & ſit perfectior gratia de facto exiſtente.

Et cum aliqua limitatione etiam quolibet accidente ſupernaturali poſſibili.

79. Hinc à fortiori habetur gratiam habitualem eſſe perfectiorem quolibet accidente naturali, cum enim accidens ſupernaturale ſit ex genere ſuo perfectius accidente naturali; gratia quæ aut formaliter aut æquivalenter accepta eſt accidentium ſupernaturalium perfectiſſimum, non poteſt non eſſe perfectiſſimo, aliove quolibet naturali accidente perfectior. Non dubitant hic nonnulli, ad quos cum aliqua formidine accedit Suarez *præcit. cap. 13. num. 12.* non dubitant, inquam, facere gratiam ſimpliciter & abſolutè perfectiorem qualibet ſubſtantia, ſeu natura creata: Sed hoc pendet ab univerſali controverſia, quâ dubitari ſolet: Vtrùm ſit poſſibile accidens ſimpliciter & abſolutè perfectius ſubſtantia, præſertim intellectuali; quam quidem controverſiam non vacat expedire in præſenti, ideò ſufficiat dicere, vel omninò repugnare accidens ſimpliciter perfectius intellectuali ſubſtantia, vel talem de facto eſſe gratiam habitualem, utpotè quæ eſt accidens omnium accidentium poſſibilium perfectiſſimum.

A fortiori quolibet accidente naturali.

Et ſecundũ nonnullos qualibet creatâ ſubſtantiâ.

CAPUT II.

De cauſis efficiente, & materiali gratiæ habitualis.

1. Quoad cauſas formalem, & finalem, nihil alicujus momenti in præſenti occurrit; quoad formalem quidem, quia cum ipſa gratia habitualis ſit forma formalem ſui cauſam non agnoſcit; alioqui daretur forma formæ, quoad finalem verò, quia cum Tridentino *ſeſſ. 6. c. 7.* ſufficit aſſignare gloriam Dei & Chriſti, ac vitam æternam. gloriam Dei & Chriſti, tanquam cauſam finalem univerſalem & remotam, vitam æternam tanquam cauſam finalem particularem & proximam; quamvis deinde vita æterna in viſione beata conſiſtens gratiam reſpiciat non ut purum medium, ſed ut aliquid ſe ipſa nobilius *ex præced. num.77* Et ecce cur ex quatuor cauſarum generibus duo tantùm fuerint in titulo expreſſa, ſola quippè hæc duo ſpeciali indigent diſcuſſione, & licèt cauſa efficiens dividatur in phyſicam & moralem; principalem & inſtrumentalem; nec non etiam ſub ſe cauſam exemplarem contineat; nihilominùs cum noſtræ gratiæ cauſa tùm moralis & meritoria, tùm exemplaris ſit Verbum Incarnatum, inſtrumentalis ſit baptiſmus & reliqua ſacramenta, tranſmiſſis tranſmittendis ad proprios tractatus de Incarnatione & de ſacramentis, erit pro nunc reſpectu gratiæ explicanda dumtaxat cauſa phyſica principalis; unde breviter expediemus cauſam efficientem, aliquantulò plus immoraturi in cauſa materiali, ſub quâ diſpoſitivam complectemur.

---

§. I.

Quænam ſit cauſa efficiens phyſica principalis habitualis gratiæ?

ASSERT. Cauſa efficiens phyſica principalis habitualis gratiæ eſt ſolus Deus. Ita D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 112. *art.1. in 4. diſt.14. quæſt.2. art. 2. de verit. q.27. art.3.* cæterique Theologi cõmuniter nullo, quem viderim, excepto, & eſt veritas adeò certa ut Tannerus *diſput. 6. q.4. dub.1. num.8.* & Ioannes à S.Thoma *diſput.25.num.1.* exiſtimẽt eſſe de fide, Oviedus *tr. 8. controv. 2. n.6* & reliqui fatentur non poſſe ſaltem negari ſine ingenti temeritate. 2.

Efficiens phyſicum principale gratiæ habitualis eſt ſolus Deus

Probatur primò non ſolùm ex illo Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, ſed inſuper ex locis omnibus, quibus ſoli Deo tribuitur juſtificare & emundare hominem à peccato ut Rom. 3. *Quoniam unus eſt Deus qui juſtificat*, & cap. 8. *Deus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet?* Marci 2. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Iob 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine niſi tu, qui ſolus es?* Neque hæc loca intelligi poſſunt de cauſa principali primaria & independente, quia ſic nihil dicerent & nihil tribuerent Deo in ordine ad gratiam, quod eidem non conveniret in ordine ad alium quemcumque effectum. Confirmatur ex Tridentino *ſeſſ.6. c.7.* ubi recenſendo cauſas juſtificationis nullã aliam pro efficiente ponit præter Deum; egregia quoque ſunt, & ad intentum noſtrum accommodatiſſima verba Auguſtini *lib de peccat. meritis, cap.14.* dicentis, *Si quis dicere poteſt, ego juſtifico te, etiam dicere poteſt, crede in me.*

Probatur ſecundò: Nulla natura creata, aut per ſe ipſam præciſè, aut ut per qualitatem aliquam elevata poteſt eſſe cauſa efficiens phyſica principalis habitualis gratiæ: ergo ſolus Deus eſt cauſa efficiens, &c. conſequentia patet. 3.

Nec poteſt eſſe natura creata.

Antecedens quoad primam partem probatur ex eo, quod natura creata, quæ per ſe ipſam præciſè poſſet eſſe, cauſa efficiens, &c.

Aut per ſe ipſam.

&c. deberet per ſe ipſam præciſè continere omnem perfectionem habitualis gratiæ, deberet igitur in primis continere ſupernaturalitatem, adeoque deberet eſſe ſubſtantia ſupernaturalis, hæc autem in creatis repugnat ex alibi dictis; deberet inſuper continere per ſe ipſam, ideſt per propriam ſubſtantiam, participationem naturæ divinæ ut eſt in ſe; repugnat autem natura inferior, quæ ſubſtantialiter ſeu per propriam ſubſtãtiam participet, ut eſt in ſe, naturam ſuperiorem, jam enim natura illa eſſet non ſimpliciter inferior, ſed partim inferior, partim ſuperior; & in propoſito eſſet partim creata; partim divina; deberet tandem continere filiationem adoptivam Dei, & jus ad divinam hæreditatem, & ſuppoſitum habens talem naturam, quod nec Deus eſſet, nec Dominus divinæ hæreditatis, poſſet conferre aliis eſſe filium adoptivum & hæredem Dei; cum tamen nec in humanis poſſit quis tribuere filiationem adoptivam alterius, aut jus ad aliena bona.

4. Aut ut elevata per ſupernaturalem qualitatem.

Idem antecedens quoad ſecundam partem probatur primò, quia ut principium elevatum operetur in genere cauſæ principalis debet operari in ordine ad aliquem effectum, ad quem habeat ſpecialem connexionem & virtutem intrinſecam inchoatam juxtà ſupradicta *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 51. at nulla natura creata poteſt habere ex ſe ſpecialem connexionem & virtutem intrinſecam inchoatam reſpectu gratiæ habitualis, quia talis connexio & inchoata virtus reperitur ſolùm in ordine ad actus vitales, gratia autem habitualis non eſt actus vitæ; ergo: Secundò quia qualitas elevativa naturæ ad producendam principaliter gratiam, ad quam in tali naturâ nec inchoata virtus præexiſteret, deberet eſſe per ſe ipſam principaliter productiva gratiæ, atqui nulla qualitas ſupernaturalis eſt principaliter productiva gratiæ, nam nec talis eſt ipſa gratia, nec

Non item aut gratia ipſa.

alia qualitas diverſa à gratia: Non ipſa gratia, quia non eſt per ſe ipſam habitus operativus, & datur ad eſſe non ad operari; deinde quia gratia habitualis vel produceret aliam ſibi ſimilem in proprio ſubjecto, vel in ſubjecto extraneo; non in proprio ſubjecto quia ſic intenderet ſe ipſam, ex quo duo ſequerentur abſurda; primum eſt, quòd poſſet ſe ipſam in infinitum augere, ſecundum, quod ſimile ageret in ſimile; non in ſubjecto extraneo, quia nullum habemus veſtigium qualitatis ſpiritualis activæ tranſeunter, & ſpeciali ratione non poteſt talis cenſeri gratia, cum ſit participatio divinæ naturæ ut principij radicalis operationum immanentiũ intellectus & voluntatis; eſt igitur & ipſa forma immanens & aut nullatenùs immediatè operativa, aut operativa dumtaxat immanenter.

5. Aut qualitas diverſa a gratiâ.

Non eſt principaliter productiva gratiæ alia qualitas diverſa à gratia, primò quia talis qualitas eſſet habitus operativus, ergo actus ipſius, ſi quid producerent, deberent producere habitum operativum ſimilem ſuo principio, non verò gratiam; ſecundò quia talis qualitas, utporè diverſæ rationis à gratiâ, eſſet cauſa æquivoca gratiæ; cauſa autem æquivoca ut ſit principalis debet eſſe eminens ac perfectior effectu, & tamen ex alia parte *præced.* §. dictum eſt nullam de facto dari, nec dari poſſe qualitatem ſimpliciter à gratia diverſam, & gratia perfectiorem; ergo à primo ad ultimum nihil eſt præter Deum, cui ut efficienti principali tribui poſſit phyſica productio gratiæ.

Dices: Humanitati Chriſti tribuenda eſt ut efficienti principali phyſica productio gratiæ; atqui humanitas Chriſti eſt natura creata; ergo alicui naturæ creatæ non ſoli Deo tribuenda eſt, &c. Major probatur primò auctoritate Ioan. 1. *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, ubi D. Thomas *lect.* 10. addit gratiam & veritatem factam eſſe per Chriſtum, ſicut per Dominum & Auctorem, adeoque ſicut per cauſam principalem. Idem S. Doctor 3. *part. quæſt.* 8. *art.* 6. *ad* 3. ait Chriſtum juxta illud Io. 10. *Ego ſum oſtium* hoc ſibi jure retinuiſſe, quia in oſtio importatur principalis auctoritas & ſolus Chriſtus eſt, per quem acceſſum habemus in gratiam: item *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. ſic habet *Agens principale in baptizando eſt ipſe Deus per auctoritatem & ipſe Chriſtus ſecundum quod homo*. Eadem major probatur ſecundò ratione, humanitas Chriſti eſt elevata per aliquid nobilius noſtra gratia habituali; hac enim tùm gratia habitualis Chriſti, tùm multo magis gratia unionis nobilior eſt ac ſuperior; ergo verè poteſt eſſe noſtræ habitualis gratiæ cauſa phyſica principalis. Sed contra: nego abſolutè majorem, nec ullo modo accedo ad Medinam & Cabreram apud Gonetum *hic diſp.* 4. *art.* 1. *num.* 1. docentes humanitatem Chriſti eſſe cauſam principalem ſecundariã gratiæ ſanctificantis in omnibus juſtis, ad primam negatæ majoris probationem dico

6. Non eſt ita principalis cauſa gratiæ humanitas Chriſti.

Chriſtum, tùm ut Deum tùm ut hominem conſiderari poſſe, ſub utraque conſideratione habet in ordine ad cauſandam gratiã authoritatem aliquam & principalitatem; ſed ut Deus habet authoritatem & principalitatem agentis, ut homo authoritatem & principalitatem inſtrumenti, quatenùs ejus humanitas omnibus aliis inſtrumentis præcellit in eo, quod ſit inſtrumentum divinitati conjunctum, undè patet quomodo de Chriſto, tùm ut Deo, tùm ut homine, intelligi poſſit illud *Ioan.* 1. etiam quatenus corroboratum additamento D. Thomæ *ex lect.* 10. & *ex* 3. *p.* Ejuſdem S. Doctoris verba deſumpta *ex* 4. *ſent.* tribuunt Chriſto homini eſſe agens principale non phyſicum, ſed morale; *ibid.* enim ſubditur, *cujus meritum operatur in baptiſmo* Ad ſecundam probationem dico gratiam habitualem Chriſti non eſſe nobiliorem noſtrâ phyſicè loquendo; & quando nobilior eſſet atque perfectior, parùm referret, quia non propterea foret habitus operativus & elevans ad operandum; quâ de causâ etiam parùm refert, quòd gratiâ noſtrâ perfectior ſit gratia unionis: deindè quantacumque ſit perfectio principij elevantis, nequit natura elevari in genere cauſæ

principalis niſi ad effectum, ad quem ex ſe habeat activitatem ſemotam & ſpecialem connexionem intrinſecam, hanc verò non habet humanitas Chriſti reſpectu gratiæ habitualis.

Dices aliter: Homo concurrit ut cauſa phyſica principalis ad productionẽ actuum ſupernaturalium contritionis, dilectionis, viſionis Dei, &c. ergo poteſt eodem modo concurrere ad productionem gratiæ; probatur conſequentia primò, quia actus illi ſunt quoad ſubſtantiam ſupernaturales non minùs, quàm habitus gratiæ; ſecundò quia actus contritionis & dilectionis Dei ſunt ultima diſpoſitio ad gratiam, qui autem producit principaliter ultimam diſpoſitionem, producit etiam principaliter formam. Sed contrà: concedo antecedens; nego conſequentiam; diſparitas eſt, quia dantur tùm habitus ſupernaturalibus actibus perfectiores, tùm in ordine ad eoſdem actus activitas aliqua intrinſeca & ſpecialis connexio in potentiis vitalibus; quorum neutrum militat reſpectu gratiæ; & hoc titulo, non titulo ſupernaturalitatis negamus homini cauſalitatem principalem habitus gratiæ, non actuum contritionis, dilectionis, &c. ex quo habetur ſolutio ad primam conſequentiæ probationem: Ad ſecundam dico eſſe etiam

7. Qui principaliter cauſat ultimam diſpoſitionem non ſemper cauſat principaliter formã.

in naturalibus falſum aſſumptum illud *Qui producit principaliter ultimam diſpoſitionem producit, &c.* & exiſtimo à cauſa prima produci plures formas ſubſtantiales, quarum diſpoſitiones omnes inducuntur à cauſis ſecundis; eo tamen aſſumpto in naturalibus permiſſo diverſa eſt ratio de formis ſupernaturalibus educendis de potentia obedientiali, & in ordine ad quas ultima diſpoſitio moralis eſt, non phyſica, ut in caſu inſtantiæ.

8. Hucuſque poſita, ſi attentiùs perpendantur, non ſolùm de facto, verùm etiam de poſſibili procedunt, & ſuadent phyſicam productionem gratiæ ità eſſe proprium ſolius Dei opus, ut nec de potentia abſoluta dabilis ſit creatura ulla, cui aut connaturaliter aut obedientialiter competat cauſalitas phyſica principalis in gratiam, & re ipſa ità ſentiunt Ioannes à S. Thoma *diſp.* 25. *art.* 2. Gonetus *diſp.* 4. *art.* 1. Amicus *diſput.* 30. *n.* 9. Gabriel à S. Vincentio *diſput.* 1. *q.* 2. aliique plures apud Oviedum *tr.* 8. *controv.* 2. *num.* 7. contra Arriagam *diſput.* 48. *num.* 7. Madernum *quæſt* 6. *art.* 3. & alios nonnullos recentiores quibus annumerari ſolent quicumque ſuſtinent poſſibilem ſubſtantiam creatam ſupernaturalem; hæc tamen annumeratio, utrùm rectè fiat? extrà quæ-

9. Subſtantia ſupernaturalis creata adhuc forſè non foret principalis cauſa gratiæ.

ſtionem non eſt; nam licèt fateat ſubſtantiam creatam, quæ ſupponeretur habens ab intrinſeco virtutẽ principaliter cauſativam gratiæ, ſupponendam fore ſupernaturalem; non eodem modo exiſtimarẽ eam quæ ſupponeretur ſupernaturalis, ſupponendam habere ab intrinſeco virtutem principaliter, &c. adhuc quippè talis ſubſtantia non eſſet natura divina, ſed natura inferior; ex regula igitur generali, quà agens principale tribuere ſolùm poteſt participationem naturæ propriæ, non naturæ alienæ ſuperioris, negari adhuc poſſet ſubſtantiæ creatæ ſupernaturali principalis cauſativitas habitualis gratiæ, niſi hujus nomine abutendo dicatur habitualem gratiam eſſe omnem participationem naturæ ſubſtantialis ſupernaturalis, ſive divinæ, ſive non. Verùm quidquid ſit de activitate ſupernaturalis ſubſtantiæ in ordine ad gratiam, cum hæc ſubſtantia per nos non ſit poſſibilis, nihil poteſt ex ipſa inferri contrà nos pro ſe præſenti; ideò perſiſto in omnimoda repugnantia creaturæ potentis cauſare principaliter habitualem gratiam.

Dices virtus principaliter productiva gratiæ, utpotè reſpiciens effectum finitum, finita eſt, & utpotè eductiva eſt minor virtute creativa, nec aliud eſſe videtur, quàm participatio omnipotentiæ Dei ut Auctoris ſupernaturalis; atqui cõmunicabilis eſt creaturæ quælibet virtus finita, imò per nos virtus ipſa creativa; & non eſt major ratio, cur participatio tum naturæ, tum intellectus, tum voluntatis Dei ut Auctoris ſupernaturalis, ſit communicabilis creaturæ potiùs, quàm participatio omnipotentiæ; ergo verè eſt communicabilis creaturæ virtus principaliter productiva gratiæ. Sed contrà: ad 10.

10. Occurritur inſtantiis contra repugnantiã creaturæ cauſantis principaliter gratiã.

primam inſtantiæ partem dico virtutem productivam gratiæ, quamvis paſſivè & ex parte termini finita ſit, eſſe infinitam activè & ex parte principij, cum in hoc requirat eſſe divinum, dico inſuper non omnem virtutem finitam eſſe creaturæ communicabilem, alioqui quælibet creatura eſſet elevabilis ad quidquid eſt producibile virtute finita: Ad ſecundam præterquam argumentum à majori ad minus, vel è contrà, non valet, quando non ſiſtitur in eodem rerum genere, dico virtutem eductivam eſſe minorem creativã cæteris paribus, & quando utraque comparatur ad effectus naturales; ſecùs quando creativa ad naturales, eductiva ad ſupernaturales, imò ad ſupernaturalium maximum, cujuſmodi eſt gratia; tunc enim ut tradit Divus Thomas *quæſtion.* 113. *artic.* 9. *in c.* virtus eductiva à creativa exceditur ex parte modi agendi, non ex parte ejus quod fit; & hoc ſufficit, ut iſta, non illa, ſit communicabilis creaturæ. Ad tertiam dico omnes virtutes infuſas, quatenùs ſunt qualitates operativæ, eſſe participationes divinæ omnipotentiæ intrà ordinem ſupernaturalem, eſſe inſuper ejuſdem participationem quamlibet activitatem inſtrumentalem in ordine ad gratiam, vel in ordine ad miracula; nec neceſſe eſt admittere ullam participationem majorem.

11. In ordine ad principaliter produci à ſolo Deo.

Ex dictis habetur in ordine ad principaliter produci à ſolo Deo, non eamdem eſſe rationem de cæteris rebus ſupernaturalibus, ac de gratiã habituali; cum nulla alia res ſupernaturalis præter gratiam ſit, aut eſſe poſſit, forma omnium prima, nobiliſſima, & non operativa: Vndè quoad habitus virtutum infuſarum quidquid ſit, Verùm de facto phyſicè emanent tanquam paſſiones ab eſſentia à

Quid ſentiendum de habitibus

gratia

virtutum infuſarum?

gratia habituali, adeoque procedant ex virtute propriâ & principali ipſius, quidquid inquam ſit de hoc, de quo alibi; ſaltem non eſt negandum, quin ſicuti admittunt poſſibiles qualitates ſe ipſis nobiliores, ità in qualitate aliquâ poſſibili agnoſcant virtutē phyſicam, à quâ poſſint principaliter cauſari;

Quid de actibus eorumdem?

Quoad actus ſupernaturales, ſicuti omnes ſunt vitales, ità omnes de facto pendent à principiis viventibus creatis in genere cauſæ principalis, cum ex alibi dictis nec actus vitalis poſſit produci ſine vitali cócurſu, nec vitalis concurſus poſſit præſtari in genere

12\. cauſæ inſtrumentalis; Quoad gratiam actualem qui illam unicè collocant in actibus intellectus & voluntatis, in illuſtrationibus videlicet & piis affectionibus, tenentur juxtà mox dicta ex ratione generica actus vitalis agnoſcere reſpectu cujuſlibet gratiæ actualis concurſum principalem vitalis potentiæ, & licèt tales actus utplurimùm dicantur fieri in nobis ſine nobis, *ly* tamen *ſine nobis* excludit, ut alibi dictum eſt, noſtrum concurſum moralem & liberum, non phyſicum & neceſſarium.

Quid de gratiâ actuali?

Nos deindè qui *lib præced. cap.6. §.1.* gratiam actualem in motione divina collocavimus principaliùs, quàm in actibus illis indeliberatis, aliquam & principaliorem gratiam actualem de facto agnoſcimus eſſe à ſolo Deo; utrùm verò motio ſeu impulſus gratiæ actualis de facto procedens à ſolo Deo, de poſſibili non repugnat produci à creatura ſimul cum Deo principaliter concurrente; nec ex perfectione motionis, cum hæc in genere qualitatum ſupernaturalium ſit entitas valdè diminuta; nec aliundè video repugnantiam.

---

§. II.

Vtrùm habitualis gratia habeat cauſam materialem, ex quâ educatur?

13\. Circa creationem vel eductionē gratiæ mē. D. Thomæ & Scoti nō eſt omninò expreſſa.

ASSERT. Gratia habitualis verè habet cauſam materialem, ex quâ educitur; & nec creatur, nec concreatur. Colligitur ex D. Thomâ *hic q.110. art.2. ad 3. 1.p.q 45. art.4. & quæſt. unica de virtutib. in com. art.10. ad 13.* Quibus tamen in locis quia S. Doctor ſatis expreſsè non loquitur, & aliundè videtur oppoſitum tradidiſſe *quæſt.27. de verit. art.3.* cenſeri poteſt in hoc puncto non omninò indubitata ipſius mens; at negari nequit quin appareat in aſſertam opinionem valdè propenſa, ſicuti è contrà apparet ſaltem omninò propenſa in partem oppoſitam mens Scoti, ſi nec ipſa eſt ſufficienter expreſſa & aperta, ut ex Scotiſtis contendit Maſtrius *in 2. diſp.1. quæſt.1.* ubi etiam nobiſcum ſentit; quamvis, ut ipſe ait, quando id evulgavit commota fuerit ferè univerſa Scotiſtarum turba; dabo tamen Adverſariis Scotum, dummodò ipſi nobis D. Thomam concedant quoad alios Theologos ſtant pro noſtro aſſertn Ioannes à S. Thoma *diſp. 25. art.1. ad 2.* Gonetus *diſp.4. art.2.* Gabriel à S. Vincentio *diſp.11. q.3.* Vaſquez *1.p. diſp.174. num.10.* Suarez *hic lib 8. cap.2.* Valentia *diſp. 8. quæſt.4. punct.2.* Oviedus *tract.8. controv.2. punct.2.* Arriaga *diſp.48. num. 4.* Madernus *quæſt. 6. art. 2.* & cum Thomiſtis ferè omnibus ferè omnes etiam Recentiores contrà Alenſem *2. part. quæſt.9. memb.8.* Bonaventuram *in 2. diſt.26. art.2. quæſt.4. & in 4. diſt.1. quæſt.4.* Eſtium *in 4. diſt.1. §.5. ad 2.* Vegam *lib.7. in Trident. cap.7.* Cajetanum *1.2. quæſt.112. art.1. & 3. p. quæſt. 61. art.1.* Paludanum *in 4. diſt.1. quæſt.1. num.23. & 28.* Vulpium *tom.1. par.2. diſp. 3. art.1.* Pontium *diſp 26. quæſt.3.* Fabrum *in 4. diſt.2. cap.3.* & tùm omnes ferè Scotiſtas, tùm quam plures Antiquos, tùm aliquos etiam Neotericos; ex his omnibus quidam docent ſimpliciter gratiam creari; quidam ut Eſtius, Cajetanus, Paludanus volunt ſolum concreari.

Probatur primò: Gratia habitualis verè habet ſubjectum cui in fieri inhæret; ergo verè habet cauſam materialem, ex quâ, &c. 14.

Laudum tamen pro eductione.

conſequentia patet, quia educi nihil eſt aliud, quàm produci ex ſubjecto idest ſubjecto concurrente & præſtante cauſalitatem materialem, præſtat autem cauſalitatem materialem quoties ſuſtentat aliquid ſibi inhærens; antecedens probatur, quia ex unâ parte gratia habitualis eſt accidens, accidenti autem ex genere ſuo connaturale eſt habere ſubjectum, cui inhæreat tùm in fieri tùm in conſervari; ex alia parte in quæſtione de facto circà res ſupernaturales non minùs, quàm circà naturales, aſſerendum eſt quod eſt connaturalius; nec Deo etiam ut ſupernaturali Auctori tribuendus eſt ſine neceſſitate extraordinarius & miraculoſus modus operandi; ergo.

Dices nec inhærentiam eſſe connaturalem cuicumque accidenti, nec ex ipſa præcisè ſufficienter inferri eductionem de potentia ſubjecti: ratio primi eſt, quia ex una parte inhærentia, ſicuti non eſt connaturalis ſoli accidenti, ità non eſt neceſſe, quod ſit connaturalis omni; ex alia parte ut accidenti ſit connaturalis inhærentia debet eidem eſſe cōnaturale ſubjectum, dantur autem aliqua accidentia cui nullum ſubjectum eſt connaturale, eo quod nec ſubjectum elevatum ſupponant, nec ſubjectum non elevatum reſpiciant ut ſibi proportionatum; & talis maximè eſt habitualis gratia: Ratio ſecundi eſt, quia educi eſt quaſi extrà duci, adeoque eſt aliqua ratione præexiſtere in ſubjecto, non enim extrà ducitur niſi quod antecedenter intrà exiſtit; item educi de potentia ſubjecti eſt ſupponere potentiam naturalem paſſivam in ſubjecto, optimè autem poteſt forma aliqua inhærere abſque eo, quod in ſubjecto ullo modo præexiſtat, aut naturalem poten- 15.
tiam paſſivam ſupponat; ſic certè habitualis gratia nec præexiſtit, nec ſupponit, &c. Sed contrà: Ad primam partem inſtantiæ dico novum non eſſe quòd aliqua conveniant omni, non ſoli; quoad connaturalitatem ſubjecti dico cuilibet accidenti eſſe connaturale aliquod ſubjectum ſaltem connaturalitate nō

mutua,

mutua, quatenùs licèt ſubjectum non exigat tale accidens, accidens tamen ipſum exigat tale ſubjectum; & ſicuti connaturale eſt ſuperiori attingere inferius, non inferiori attingere ſuperius, ità connaturale eſt gratiæ inhærere animæ, non animæ ſuſtentare gratiam. Ad ſecundam partem inſtantiæ ſuppono ex phyſicis formas materiales non præexiſtere ſecundum aliquid ſui in materia, quod educitur igitur non præexiſtit in ſubjecto niſi potentialiter, quatenùs indiget ſuſtentatione & potentia paſſiva ſubjecti, ut ponatur extrà ſuas cauſas; quòd deindè hæc potentia naturalis ſit, vel obedientialis, parum intereſt; præter quod in principiis Scotiſticis rectè dicitur dari in anima potentiam naturalem paſſivam ad gratiam, cum juxtà Scotum comparando potentiam receptivam ad actum nulla detur ſupernaturalitas, & anima habeat potentiam paſſivam naturalem reſpectu ſupernaturalium formarum æquè ac reſpectu naturalium, quæ doctrina licet à nobis fuerit improbata *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 1 2. inſervit tamen ad hominem contrà Scotiſtas, dum aſſerunt defectum naturalis potentiæ in anima reſpectu gratiæ ad impugnandam iſtius eductionem.

16. Probatur ſecundò: Gratia habitualis nec creatur de facto, nec concreatur, ergo habet cauſam materialem, ex quâ educitur, conſequētia patet; antecedens probatur quoad primam partem, quia gratia habitualis non producitur ex nihilo ſubjecti, cum ſemper ſubjectum præſupponat, & ſubjectum mutet faciendo ipſum gratum, amicum Dei, &c. quoad ſecundam, quia concreari eſt ſimul cum alio creari, eademque actione produci, quâ aliud creatur; atqui in nobis gratia producitur abſque eo, quod quidquam aliud de novo creetur; ergo.

Gratia habitualis nō concreatur.

Dices contrà primam partem antecedentis: Anima rationalis in ſui productione ſemper ſubjectum præſupponit, & ſubjectum mutat faciendo ipſum animatum; & tamen creatur ſeu producitur ex nihilo ſubjecti quantùm ſufficit ad creationem; ergo idem ſentiendum de gratia; pro quâ etiam haberet ſpecialis ratio ex modo deſinendi, dum enim deſinit relinquit ſubjectum, & tamen annihilatur, de ea quippè D. Thomas *in* 2. *diſtinct.* 26. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 5. expreſsè ait *cum corrumpitur, ſimul etiam in nihilum redit*; ergo pariter dum producitur, quam-
17. vis ſubjectum ſupponat adhuc creatur. Sed contrà: Anima rationalis ex divina ordinatione non ex indigentiâ propriâ ſubjectum præſupponit ac mutat, ex ſe enim ſicuti ſubjecto non indiget in ſui conſervatione, ità nec in ſui productione, ex oppoſito res ſe habet in gratia, quæ ſubjectum præſupponit & mutat ex indigentiâ propriâ, undè per hoc quod à ſubjecto ſeparetur, deſtruitur non ſic anima. Illud, quod additur, falſum prorsùs eſt, & D. Thomas per ly *in nihilum* intelligit nihilum ſui, quod non ſufficit ad annihilari, niſi annihilari ſumatur latiſſimè, & in eo ſenſu, in quo idem S. Doctor *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 1. ait in mutationibus naturalibus formam annihilari; cæterùm quod gratia non annihiletur propriè & abeundo in nihilum ſimpliciter infertur ex ipſomet D. Thoma 1. *p. quæſt.* 104. *art.* 4. ubi docet de facto præſertim ex operibus gratiæ nihil redigi in nihilum, & evincitur ex eo, quod deſinit præcisè vi ſeparationis à ſubjecto.

Non deſinit per annihilationem.

Dices contrà ſecundam partem ejuſdem antecedentis: Saltem reſpectu Angelorum & primorum Parentum concedendum eſt, quod gratia fuerit concreata, cum enim hæc fuerit ipſis infuſa in inſtanti creationis, actio ipſorum creativa optimè potuit ſimul eſſe productiva ſeu concreativa gratiæ; & talis de facto debuit eſſe, tùm ne ponantur ſine neceſſitate duæ diſtinctæ actiones, ubi potuit ſufficere unica; tùm quia ad eductionem requiritur tranſmutatio ſubjecti, actio autem productiva gratiæ in illo primo inſtanti non potuit eſſe tranſmutativa ſubjecti, cum non potuerit ſubjectum præſupponere ſub privatione, aut ſub forma contraria gratiæ.
Sed contrà: admitto gratiam Angelis & primis Parentibus infuſam in inſtanti creationis, & permitto actionem illorum creativam potuiſſe eſſe concreativam gratiæ; at nego debuiſſe talem eſſe de facto, ratio eſt quia in quæſtionibus facti ſtandum eſt pro eo, quod eſt magis connaturale; gratiæ autem magis connaturale eſt educi, quàm concreari ut probatum eſt ex ratione generica formæ accidentalis: Ad primam rationem in oppoſitum dico in primis non potuiſſe æquè benè ſufficere unicam actionem, quia ea unica actione non fuiſſet producta gratia modo connaturali; dico inſuper nos non multiplicare actiones magis, quàm multiplicent Adverſarij; nam licèt nos diſtinguamus actionem quâ ſubjectum creatur, ab ea qua gratia producitur, ipſi verò non diſtinguant; nos tamen non diſtinguimus actionem, quâ gratia producitur, ab ea, qua ſubjecto unitur, ipſi verò diſtinguunt. Ad ſecundam rationem dico, vel ad actionem tranſmutativam ſufficere, quod ſubjectum præſupponatur ſub privatione formæ in ſigno aliquo naturæ & à quo, nec requiri quod ſub tali privatione præcedat pro inſtanti temporis & ſigno in quo; vel ad eductionem ſufficere, quod ſit actio tranſmutativa quantùm eſt de ſe, nec referre quod per accidens aliquando non tranſmutet. 18.

19. Probatur tertiò: Actus ſupernaturales habent cauſam materialem ex quâ educuntur; ergo idem dici poteſt (& eo ipſo quod dici poteſt, de facto dicendum eſt ut potè magis connaturale) de habitibus ſupernaturalibus, & in particulari de habitu gratiæ; antecedens non videtur poſſe negari; actus enim ſupernaturales ſunt vitales, & ideò immanentes ſuo principio, eique tanquam ſubjecto ità inviolabiliter affixi, ut nec divinitùs poſſint extrà ipſum produci aut conſervari; deindè actus hujuſmodi pendent in genere cauſæ efficientis principalis à potentia vitali creata, quidquid autem de facto producit præſertim in genere efficientis principalis

Ex eductione ſupernaturalium actuum infertur eductio ſupernaturalium habituum.

cipalis

cipalis virtus creata producit educẽdo: Conſequentia probatur, quia ex una parte in eductione actuum ſupernaturaliũ eluditur quidquid contrà eductionem ſupernaturalium habituũ afferri poteſt ex titulo ſpiritualitatis, & ſupernaturalitatis; ex aliâ parte carentia vitalitatis reperta in habitibus facit quidem, quòd non eſſentialiter educantur, ſicuti eſſentialiter educuntur actus; at non impedit quin educi poſſint, alioqui repugnaret eductio cuilibet qualitati mortuæ, cuilibet formæ non viventi: Non impediunt item eductionem cætera diſcrimina, quæ inter ſupernaturales actus & ſupernaturales habitus, præſertim verò habitum gratiæ poſſunt aſſignari.

Non impedit primò, quod gratia habitualis ſit forma præſtantiſſima, non ſic ſupernaturales actus; adeóque illa exigat produci per actionem præſtantiſſimam cujuſmodi eſt creatio, quamvis iſti producantur per actionem inferioris cujuſmodi eſt

20\. eductio. Non impedit, inquam, quia gratia habitualis eſt forma præſtantiſſima, accidentalis tamen, ideò exigit produci per actionem præſtantiſſimam accommodatam tamen conditioni accidentium, quod eſt idem ac dicere per præſtantiſſimam eductionem factam à Deo, ut ſupernaturali Auctore; unde etiam talis eductio titulo ſuæ ſingularis præſtantiæ proprium & ſingulare nomen infuſionis obtinuit.

Gratia non exigit creari titulo formæ præſtãtiſſimæ.

Non impedit ſecundò, quod gratia habitualis non ſupponat in ſubjecto potentiam paſſivam aliunde elevatam, ſicuti eam mediis habitibus elevatam ſupponunt ſupernales actus; adeóque illa non inveniat in ſubjecto potentiam eiuſdem ordinis cum ſe ipsâ, à quâ cauſari poſſit, ſicuti inveniunt ſupernaturales actus. Non impedit, inquam,

21\. quia habitus ſupernaturales elevant potentiam activam potiùs, quàm paſſivam, in ordine ad ſupernaturales actus; elevatione autem potentiæ activæ gratia non indiget, cum ſupponatur effectivè procedere à ſolo Deo; demus tamen habitus ad actus elevare etiam potentiam paſſivam, & ſe habere ut diſpoſitiones materiales; diverſa eſt ratio de gratiâ, quæ cum ſit forma prima, & natura in ordine ſupernaturali, non debet aliam formam elevantem præſupponere: Nec proptereà potentia ſubjecti eſt diverſi ordinis & improportionata ad exercendam cauſalitatem materialem in gratiam; licèt enim talis ſit, ſi conſideretur præcisè ut naturalis, ſecùs ſi conſideretur ut obedientialis, ſcilicet ut obediens Deo & faciens complexum cum ipſo tamquàm cum ſupernaturali Auctore, quâ ratione manet quidem naturalis ſecundùm eſſe entitativum, ſimplex, & abſolutum; at fit ſupernaturalis ſecundùm eſſe complexum & reſpectivum, quod habet in ordine ad principium activum, & hæc ſupernaturalitas ſufficit ad cauſandam materialiter ſupernaturalem formam; tum quia cauſalitas materialis eſt valdè imperfecta, cum per ipſam cauſa recipiat non tribuat perfectionem; tum quia per nos potentia naturalis per aſſiſtentiam extrinſecam Dei fieri poteſt proportionata ad cauſandum etiam effectivè aliquid ſupernaturale.

Neque titulo ſubjecti habẽtis potẽtiam paſſivam naturalem.

Non impedit tertiò, quòd gratia habitualis debeat principaliter produci à ſolo Deo, non ſic actus; non produceretur autem illa principaliter à ſolo Deo, ſi educeretur de potentiâ & dependeret a cauſalitate materiali ſubjecti creati; hæc quippè cauſalitas eſſet cauſalitas principalis, cum in genere cauſæ materialis inſtrumentalis cauſalitas aut non detur, aut ſolis materialibus diſpoſitionibus tribuatur. Non impedit, inquam, quia utrùm cauſalitas ſubjecti in 22.
gratiam eo, quòd obedientialis ſit dici debeat inſtrumentalis; an principalis eo, quòd nullam aliam principalem in ſuo genere connotet? multum habet quæſtionis de nomine, ut obſervat Oviedus *tract.* 8. *controverſ.* 2. *num.* 19. demus tamen Adverſariis id, quod ipſis magis favet, & dicamos cauſalitatem illam principalem eſſe, quid tùm? gratiam habitualem debere principaliter à ſolo Deo produci, verum eſt in genere cauſæ efficientis, quæ debet eſſe perfectior; non in genere cauſæ materialis, quæ ſolet eſſe imperfectior effectu. Neque dicas imo ex hoc ipſo quod cauſalitas cauſæ efficientis perfectior ſit; imperfectior verò cauſalitas cauſæ materialis, ſequitur gratiam habitualem, ſi ratione ſuæ perfectionis non poteſt eſſe principaliter à creaturâ in genere cauſæ efficientis, multo magis non poſſe eſſe principaliter ab eâdem in genere cauſæ materialis. Contrà enim: cauſalitas ſeù concurſus perfectior eſt concurſus major, adeóque inferens majorem dependentiam in effectu; concurſus igitur cauſæ efficientis, quâ major materiali, infert majorem dependentiam effectus à causâ efficiente, quàm à cauſa materiali; & dicere, gratia non poteſt eſſe à creatura in genere cauſæ efficientis, ergo neque in genere cauſæ materialis; ſeu non poteſt terminare cauſalitatem perfectiorem, ergo neque cauſalitatem imperfectiorem, eſt dicere, gratia ratione ſuæ perfectionis non poteſt dependere à creatura dependentiâ maiore, ergo neque dependentia minore; quæ illatio quàm falſa & frivola ſit, patet ex terminis.

Neque titulo productionis factæ à ſolo Deo.

Non impedit quartò quod pro creatione gratiæ habitualis, non pro creatione ſupernaturalium actuum militet moltiplex ſcripturæ auctoritas ſic *Pſalm.* 50. habetur *Cor mundum crea in me Deus*, id eſt crea in me gratiam, qua cor fit mundum. *Epheſ.* 2. fideles dicuntur *creati in Christo Ieſu in operibus bonis*, id eſt in quibus creata eſt gratia Chriſti, qua mediante fiunt bona opera. Epheſ. 4. *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt*, in quo ſcilicet Deus creavit gratiam, & virtutes, quibus homo novus redditur. Non impedit, inquam, quia in relatis 23.
& ſimilibus textibus creatio ſumi debet, vel pro creatione morali, vel pro productione quacunque etiam eductiva: Primum deſumitur ex D. Thoma *quaſt.* 110. *art.* 2. *ad* 3.

Neque titulo auctoritatis.

 dicente,

dicente, *Gratia dicitur creari ex eo, quòd homines ſecundum ipſam creantur, ideſt in novo eſſe conſtituuntur ex nihilo, ideſt non ex meritis*: Secundum conforme eſt ipſimet Scripturæ, in quâ certum eſt per creare non rarò ſignificari productionem quamcumque, ut cum dicitur Gen. 1. *Creavit Deus cete grandia. Creavit Deus hominem. Maſculum & fœminam creavit eos.* Vtrumque
24. corroboratur ex eo, quod Scriptura aliquando productionem gratiæ vocat generationem & juſtificatos genitos per gratiam ſeu renatos, ſic 1. Cor. 4. *In Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui* 1. Pet. 2. *Sicut modo geniti infantes.* Ioan. 3. *niſi quis renatus fuerit.* Huc etiam pertinent ea loca, quibus *ex cap. praced. num.* 6. Iuſti per gratiam dicuntur filij Dei, filiatio enim generationem ſupponit; Nec refert, quòd filiatio per gratiam ſit adoptiva, quia in adoptione divina adoptatus ex adoptante naſcitur, ut *ibid.* attigimus. Ne igitur Scriptura ſibi ipſi contradicat, dum aliquando per generationem, quæ ſpecies eductionis eſt, aliquando per creationem gratiam fieri inſinuat, neceſſe eſt aut generationem aut creationem minùs propriè accipi; potiùs vero creationem, in quam ex una parte quadrant duæ mox præmiſſæ explicationes, & contrà quam ex alia parte militant quæcumque toto hoc §. dicta ſunt.

Auctoritates Scripturæ contrà Adverſarios.

25. Neque dicas generationem propriè acceptam non poſſe convenire gratiæ, cum hæc ſit forma accidentalis, generatio autem propriè accepta dicatur tantùm de eductione formæ ſubſtantialis. Contrà enim: generatio propriè accepta eſt ex genere ſuo productio ſeu communicatio naturæ, & quia in naturalibus ſola ſubſtantia eſt natura, ideò in naturalibus solùm dicitur de productione ſubſtantiæ; cum tamen in ſupernaturalibus gratia habitualis ità forma accidentalis ſit, ut ſimul ſit propriè natura *ex cap. praced. num.* 20. nil mirum quod ipſius productio propriè dicatur generatio; quoad cæteros habitus ſupernaturales libenter concedam non produci per generationem, ſed per aliam eductionis ſpeciem, nimirum per alterationem, quæ ex genere ſuo eſt productio formarum accidentalium pertinentium ad naturam: non ſunt tamen deindè in hac alteratione, quæ ſupernaturalis eſt, ſcrupuloſè requirendæ omnes conditiones ſolitæ ineſſe alterationi naturali.

Habitus gratiæ educitur per generationem, cæteri habitus per alteratioǹe.

26. Supereſt hic inquirendum: Vtrùm gratia ſaltem de potentia abſoluta ſit per creationem producibilis? Negant aliqui exiſtimantes creari dumtaxat poſſe res ſubſiſtentes, gratiæ autem utpotè accidenti repugnat ſubſiſtere: Affirmant reliqui communiter nihil aliud ad creationem requirentes, quàm quòd res fiat abſque cauſalitate materiali, & independenter à ſubjecto, quâ ratione ſicuti de facto conſervatur à Deo quantitas in Euchariſtiâ, ità & conſervari & produci ab eodem poteſt aliud quodlibet accidens, quòd nec vitale ſit, nec modale, ſicuti nec vitalis, nec modalis eſt habitus gratiæ, aut aliquis alius habitus infuſus, de quo omni propterea ambigendum non eſt quin poſſit divinitùs creari creatione ſumpta pro productione rei abſque cauſalitate materiali & independenter à ſubjecto.

De potẽtiâ abſolutâ omnes ſunt producibiles per creationẽ.

§. III.

Quodnam ſit ſubjectum immediatum habitualis gratiæ?

ASSERT. Subjectum immediatum habitualis gratiæ eſt animæ eſſentia, ſeu ſubſtantia, accepta præciſè & ſecundùm ſe. 27.
Ità D. Thomas *hic quaſt.* 110. *art.* 4. *de verit. quaſt.* 27. *artic.* 6. *in* 2. *diſt.* 26. *quaſt.* 1. *art.* 3. & D. Bonaventurâ excepto omnes Auctores ſuprà relati pro habitu gratiæ realiter diſtincto ab habitu charitatis contrà *ibid.* relatos pro gratia realiter indiſtinctâ à charitate, hi enim docent immediatum utriuſque ſubjectum eſſe voluntatem.

Subjectum immediatũ gratiæ eſt animæ eſſentia & quomodò.

Dixi *ſubjectum* quod latiùs patet, quàm cauſa materialis; hæc enim ſupponit pro ſubjecto eductionis, illud complectitur etiam ſubjectum informationis; quod admittunt illi etiam, qui ponentes gratiam creari non agnoſcunt reſpectu ipſius cauſam materialem & ſubjectum eductionis, ut igitur loqueter præſcindendo à gratiæ creatione vel eductione, appoſui ly *ſubjectum* in tota ſua latitudine, cæterùm cohæretuer ad ſupradicta gratia reſpicit eſſentiam animæ, tanquam ſubjectum etiam ſtrictiore modo, ideſt tanquam ſubjectum eductionis & cauſam materialem.

Dixi *immediatum*, quia ſaltem mediatè ſubjectari gratiam in animæ eſſentia, indubitatum eſt, cum enim in hac ſubjectentur potentiæ, ſi gratia in potentia aliqua ſubjectetur, ex hoc ipſo mediatè, ideſt mediante potentia in eſſentia animæ ſubjectabitur. 28.

Dixi *Animæ eſſentia ſeu ſubſtantia accepta præciſè & ſecundum ſe*, quia niſi ità loquamur controverſia non habet locum in noſtris principiis, ſecundùm quæ non diſtinguimus realiter animæ potentias ab animæ eſſentiâ, adeoque realiter & identicè potentiæ & eſſentia ſunt unicum ſubjectum per ly igitur *præciſè & ſecundum ſe* ſignificatur eſſentia ut ſubjectum ſuo modo diverſum à potentiis, & ab ipſis præciſum. Quod dicitur de eſſentiâ animæ reſpectu gratiæ hominum extendendum eſt ad eſſentiam Angeli reſpectu gratiæ Angelorum. Aſſertum ſic explicatum

Probatur primò: Gratia habitualis perficit immediatè animæ eſſentiam, ſeu ſubſtantiam acceptam præciſè, & ſecundum ſe, ergo ſubjectum immediatum, &c. conſequentia patet, quia forma ſubjectatur ac informat perficiendo, & ſubjectum formæ eſt quod perficitur à forma; antecedens probatur, gratia habitualis ex ſupradictis eſt natura in ordine ſupernaturali, & quid prius 29.

virtutib os

virtutibus ac habitibus operativis; ergo perficit immediatè id, quod eſt natura, & quid priùs potentiis ac principiis operativis in ordine naturali, debet enim ſervari proportio inter perfectivum & perfectibile, nec perfectivum in genere naturæ poteſt exercere munus ſuum circà perfectibile in genere potentiæ; atqui id quod eſt natura & quid prius potentiis, &c. eſt eſſentia animæ præcisè & ſecundùm ſe accepta; ergo.

30. Probatur ſecundò: Subjectum immediatum habitualis gratiæ non eſt voluntas nec anima ut volitiva; ergo eſt eſſentia animæ accepta præcisè & ſecundùm ſe; antecedens probatur habitualis gratia non eſt principium immediatum & proximum operationum voluntatis, nec ut in voluntate immediatè ſubjectetur, ſufficit quod ſit operationum ipſius principium mediatum & remotum; primum conſequitur ad ſuprà aſſertam diſtinctionem realem habitus gratiæ ab habitu charitatis, ſecundum infertur ex eo, quod traditum eſt gratiam eſſe principium radicale & remotum operationum intellectus æquè ac operationum voluntatis, imò illarum priùs, quàm iſtarum; ſi igitur titulo principij radicalis & remoti deberet ſubjectari in aliqua potentia ſubjectaretur in potentia intellectiva æquè ac in volitiva, imò in illa priùs, quàm in iſta: At in re titulo principij radicalis & remoti operationum ſivè intellectus ſivè voluntatis debet habere pro ſubjecto immediato illud, quod eſt earumdem operationum principium radicale & remotum in ordine naturali; hoc autem eſt eſſentia animæ accepta præcisè & ſecundùm ſe.

Dices pro Scotiſtis: Gratia & gloria; item gratia & peccatum debent reſpicere idem ſubjectum; gratia enim & gloria ſe habent ut diſpoſitio & forma; eſſet autem diſpoſitio impertinens ad formam, ſi diverſum ſubjectum reſpiceret: Gratia & peccatum ſunt contraria, contraria autem utpotè quæ ab eodem ſubjecto ſe expellunt, idem ſubjectum reſpiciunt; atqui tum gloria, tùm peccatum, habent pro ſubjecto immediato voluntatem, cum gloria conſiſtat in Dei fruitione & amore, peccatum verò non ſit niſi voluntarium, ergo.

31. Sed contrà: Gloria ut aliundè ſuppono in Dei viſione, non in fruitione & amore conſiſtit adeoque habet pro immediato ſubjecto intellectum non voluntatem: Peccatum conſiſtit formaliter in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui, adeoque habet pro ſubjecto potentiam elicientem actum carentem debita rectitudine, quæ potentia non ſemper eſt voluntas, quamvis aliundè propter libertatem ad peccandum requiſitam debeat intervenire aliquis actus voluntatis; inſtantia igitur ex neutro capite probat Adverſariorum intentum quoad gratiam ſubjectandam in voluntate, quia tamen videtur ſaltem probare, quòd gratia debeat ſubjectari in aliqua animæ potentia, non in eſſentia; aliter me expedio negando abſolutè majorem; ad probationem primæ partis dico gratiam reſpectu gloriæ eſſe principium radicale, non diſpoſitionem; ad probationem ſecundæ partis dico contraria in toto rigore ſe expellere ab eodem ſubjecto, contraria minùs rigorosè, cujuſmodi ſunt gratia & peccatum, poſſe ſe expellere etiam à ſubjecto diverſo; dummodò diverſitas ſit tantùm in ſubjecto *quo* ſit verò unum & idem ſubjectum *quod*; unum ſcilicet & idem ſuppoſitum; quâ ratione permittendo gratiam eſſe diſpoſitionem ad gloriam rectè pariter diceretur diſpoſitionem & formam debere recipi in eodem ſubjecto, *quod*, at non requirere idem ſubjectum *quo*; hocque verum eſt etiam in naturalibus, ubi certè forma ſubſtantialis ſubjectatur in ſola materia & diſpoſitiones accidentales ad illam, vel cum Thomiſtis in toto compoſito, vel cum aliis multis in quantitate immediatè ſubjectantur.

Gratia & gloria, gratia & peccatum, non reſpiciunt idem ſubjectum immediatum.

---

§. IV.

An habitualem gratiam præcedat de facto aliqua diſpoſitio ex parte ſubjecti?

ASSERTIO. In parvulis non præcedit de facto habitualem gratiam ulla diſpoſitio ex parte ſubjecti. Hoc aſſertum colligitur ex multis Sanctis Patribus, & ſupponi à Theologis ſolet magis, quàm probari, eſt tamen contrà Cajetanum *q.* 1 1 2. *art.* 2. aſſignantem reſpectu parvulorum pro prævia diſpoſitione ad gratiam merita Chriſti, ſeu actum Chriſti ſupplentis actum parvulorum. Item contrà Capreolum *in* 4. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 1. & Paludanum aſſerentes præviam diſpoſitionem ad gratiam in parvulis eſſe characterem, vel quemdam alium ornatum a Deo productum. Tandem contrà plures Sectarios ſecutos Lutherum ſupponentem parvulos ſe diſponere ad gratiam per quemdam actum fiduciæ, ut referunt Pighius, Sotus, & Tannerus apud Oviedum *tract.* 8. *controv.* 2. *num.* 22. 32.

Gratia habitualis in parvulis nullam habet præviam diſpoſitionem.

Probatur: In parvulis non præcedit de facto aut actus, aut habitus, aut character, aut quidquam aliud diſponens ad habitualem gratiam, ergo in parvulis non præcedit de facto habitualem gratiam, &c. Probatur antecedens quoad actum; quia talis actus vel eſſet proprius parvulorum ut volunt Sectarij, & ſic in qualibet infuſione gratiæ parvulo facta fingitur ſpeciale miraculum quo per anticipationem uſus rationis aliove modo producitur actus ultrà vires potentiæ ordinariæ; vel eſſet alienus nimirum Chriſti Domini, ut ſenſit Cajetanus, & ſic poneretur pro diſpoſitione ex parte ſubjecti aliquid ipſi extrinſecum, & ſe tenens ex parte efficientis potiùs, quàm ex parte ſubjecti: Probatur antecedens quoad habitum, quia quilibet habitus ſupernaturalis in prima ſui infuſione conſequitur ad gra-

tiam, tanquam paſſio ad naturam, & po-
teſt quidem dici diſpoſitio comitans aut ſub-
ſequens, at non diſpoſitio præcedens; neque
dicas cum Goneto *diſp.4. num. 64.* aliiſque
pluribus Thomiſtis hujuſmodi habitus ſub-
ſequi gratiam in genere cauſæ efficientis, at
præcedere in genere cauſæ materialis; Con-
trà enim iſta prioritas & poſterioritas mu-
tua in diverſo genere cauſæ impugnabitur
infrà §.7. Probatur antecedens quoad chara-
cterem; quia in antiqua lege infundebatur
gratia parvulis abſque ullo charactere, &
in lege nova imprimitur quidem character
Sacramentalis; at procedens à gratia vel ip-
ſam comitans, non præcedens. Probatur tan-
dem quoad quidquam aliud animam ornans;
quia commentitium eſt, & ſine fundamento
excogitatum, nec explicari poteſt ſuperna-
turalis animæ ornatus, qui nec ſit character,
nec actus, nec habitus.

34. Aſſert. 2. In Angelis, in primis Parenti-
bus, in adultis Adæ poſteris; adeoque in om-
nibus habentibus uſum rationis, excepto
Chriſto Domino, præceſſit de facto, aut præ-
cedit habitualem gratiam aliqua diſpoſitio ex
parte ſubjecti. Hoc aſſertū ſolùm quoad Adæ
poſteros eſt proprium hujus loci, eſtque adeò
communiter receptum, ut quoad hanc par-
tem Scholaſtici omnes conſentiant; quoad
Angelos & primos Parentes res non eſt ſine
diſſidio, ſed à nobis ſupponitur ex proprio
tractatu de Angelis *lib. 3. cap. 1. §. 5.* ubi
tradidimus omnes Angelos (eademque ferè
eſt ratio de primis Parentibus) recepiſſe ab
initio creationis habitualem gratiam ex pro-
pria diſpoſitione. Quoad Chriſtum ex tra-
ctatu de Incarnatione conſtabit gratiam ha-
bitualem in ipſo fuiſſe tanquam naturalem
proprietatem gratiæ unionis, & ſicut ad
hanc nulla diſpoſitio præceſſit, ità nec ad
illam, jure propterea facta eſt Chriſti exce-
ptio, & licèt ipſe in Conceptionis inſtanti
perfectū rationis uſum habuerit, hunc adhuc
aliqualiter præceſſit collatio habitualis gra-
tiæ quia exercitium uſus rationis ſuppoſuit
naturam ſubſiſtentem, gratia autem habitua-
lis collata fuit cum gratia unionis, per quam
facta eſt natura ſubſiſtens: Vnde Deipára
Virgo, Ioannes Baptiſta, & ſi quis alius
habuit in matris utero infuſam gratiam, &
anticipatum uſum rationis, ac ſtatum adulti,
probabilius eſt gratiam recepiſſe ex propria
diſpoſitione, nec eſſe quoad hoc excipien-
dos a generali lege cæterorum adultorum,
cum pro ipſis nullatenùs militet ſpecialis ra-
tio exceptionis mox allata pro Chriſto.

Bene tamè de facto in omnibus adultis, excepto Chriſto Domino.

35. Non ſic excipi debet Deipara, Ioannes Baptiſta, aut alius quiſpiam.

Probatur jam aſſertum quoad adultos Adæ
Poſteros: Iuſtificationem impij ſemper de
facto præcedit ex parte ipſius, ſeu ex parte
ſubjecti, aliqua diſpoſitio; ſed omnis infu-
ſio gratiæ habitualis facta alicui adulto ex
Adæ Poſteris eſt juſtificatio impij; ergo in
adultis Adæ Poſteris omnem infuſionem gra-
tiæ habitualis de facto præcedit aliqua diſpo-
ſitio ex parte ſubjecti; minor patet, quia in
præſenti providētia & ſtatu elevationis qui-
libet adultus ex Adæ Poſteris eo ipſo, quod
gratiâ caret eſt impius, & ex propria vo-
luntate peccator: Major eſt propoſitio dog-
matica, & ut fidei veritas traditur in Tri-
dentino *ſeſſ. 6. cap. 5. 6. 7. & can. 9.* col- 36.
ligitur item ex pluribus Scripturæ locis exi-
gentibus ab impio ad obtinendam remiſſio-
nem peccatorum & ſalutem, tùm conver-
ſionem ad Deum; tùm plurium virtutum
actus puta fidei, ſpei, timoris, pœniten-
tiæ, ſic habetur Zachar. 1. *Convertimini
ad me & ego convertar ad vos.* Iſa. 45. *Con-
vertimini ad me & ſalvi eritis.* Rom. 3.
*Quem propoſuit Deus propitiatorem per fi-
dem* Rom. 8. *Spe ſalvi facti ſumus.* Eccle-
ſiaſt. 1. *Timor Domini expellit peccatum. Nam
qui ſine timore eſt non poterit juſtificari.* Luc.
13. *Si non habueritis pœnitentiam, omnes
ſimiliter peribitis.* Frequentes ſimiliter ſunt
in hanc rem & evidentes auctoritates San-
ctorum Patrum, quarum nonnullæ videri
poſſunt apud Valentiam *diſputat. 8. quæſt. 4.
punct. 2.* Tot auctoritatibus accedunt duæ
validiſſimæ rationes: Prima eſt, quòd cum
peccatum ab homine adulto non contraha-
tur, niſi dependenter à propria voluntate;
non niſi dependenter ab eadem debet re-
mitti, & gratia, per quam ſolam de fa-
cto remittitur, infundi. Secunda eſt, quòd
tranſeundo à peccato ad gratiam fit maxi-
ma mutatio ſtatus, cum ſtatus gratiæ &
ſtatus peccati maximè diſtent, inferant-
que maximè diverſum modum ſe habendi
per totam æternitatem, conditio autem prin-
cipij liberi & habentis uſum rationis, ut
habet homo adultus, poſtulat quod ſtatum
mutet ex propria electione, & modo li-
bero; nec Deus aliter adultum movet ad
ſui ſtatus mutationem, movet enim Deus
omnia ſecundum modum uniuſcujuſque, &
quemadmodum rectè tradit Divus Thomas
quæſt. 113. art. 3. in c. in eo, qui habet
uſum liberi arbitrij, non fit motio à Deo ad
juſtitiam abſque motu liberi arbitrij.

His univerſaliter poſitis videretur deſ- 37.
cendendum ſingillatim ad omnes particula-
res actus, quibus ad juſtificationem, ſeu ad
gratiæ ſuſceptionem diſponimur, ſtatuendo
quinam ex ipſis ſint diſpoſitiones proximæ,
quinam remotæ: quinam haberi debeant ex-
plicitè & formaliter, quinam ſufficienter ha-
beantur implicitè & virtualiter? quinam ſint
neceſſarij neceſſitate medij? quinam ſola ne-
ceſſitate præcepti? quinam requirantur ad
juſtificationem obtinendam in ſacramento,
quinam extrà ſacramentum? quinam dum-
taxat de lege ordinaria, quinam etiam de
potentia abſoluta? Verùm hæc omnia, ut-
potè quæ prolixiorem & aliundè mutuan-
dam doctrinam expoſcerent, ægrè huc poſ-
ſunt transferri, & repetenda ſunt ex tracta-
tibus tùm de virtutibus Theologicis, tùm de
virtute & ſacramento Pœnitentiæ, tùm
etiam ex ſequenti libro de juſtificatione, ubi
ſpecialiter expendetur in peccatore juſtifi-
cando neceſſitas diſpoſitionis & actus pro-
prij in ordine ad potentiam abſolutam: Hiſ-
ce tamen omnibus aliò tranſmiſſis non de-
ſunt adhuc circà diſpoſitiones ad gratiam
alia quædam hujuſce loci propria, & ſunt
potiſſimùm

potiſſimùm, utrùm diſpoſitiones de facto præcedentes habitualem gratiam moralea ſint an phyſicæ? Vtrùm requiſitæ ex naturâ rei, an ex divina inſtitutione? Vtrùm titulo infuſionis gratiæ ſecundùm ſe etiam nullo præexiſtente peccato; an ſolùm titulo expellendi præexiſtens peccatum gratiæ contrarium? Vtrùm tandem diſpoſitio ultima ad gratiam procedat effectivè ab ipſa gratia? Sit igitur

---

§. V.

Vtrùm diſpoſitiones de facto præcedentes habitualem gratiam morales ſint, an phyſicæ?

38. *Diſpoſitio præcedens gratiam habitualem non eſt phyſica.*

ASSART. Diſpoſitiones de facto præcedentes habitualem gratiã morales ſunt, non phyſicæ. Ità Richardus *in 4. diſt.* 17. *quæſt.*4. *ad* 1. Suarez *lib.* 8. *cap.*6. Oviedus *tract.*8. *controv.*2.*num.*30. Arriaga *diſp.*48. *ſect.*4. cæterique Theologi magis communiter contrà Alvarez *de auxil.lib.*7.*diſp.*66. *conc.*1. Gonetum *diſput.*4.*num.*65. & plures alios Thomiſtas, in modo tamen loquendi potiùs, quàm in re Adverſarios; nomine enim diſpoſitionis phyſicæ nihil videntur intelligere præter diſpoſitionem requiſitam ex natura rei à nobis infrà admittendam.

Probatur: Diſpoſitio phyſica in duobus potiſſimùm differt a diſpoſitione morali, primò in eo, quod diſpoſitio phyſica phyſicè & ex natura ſua exigat introductionem formæ adeò, ut ipſa poſita (quando proxima eſt & ultima) debeat neceſſitate quadam naturali forma introduci, nec ulla intercedat in tali introductione beneficentia, ſeu liberalitas, cum tamen diſpoſitio moralis reddat quidem ſubjectum aliqualiter ſaltem negativè proportionatum formæ at non exigat formam ea neceſſitate ulla introducendam, ſed ſolùm ex convenientiâ, & non ſine liberalitate ac beneficentia introducentis: Secundò in eo, quod diſpoſitio phyſica proxima & ultima ſemper remanet ſaltem ſecundùm aliquem ſui gradum cum forma introducta, cum tamen neceſſarium id non ſit in diſpoſitione morali: atqui diſpoſitiones de facto præcedentes habitualem gratiam, præſertim verò diſpoſitio ultima ſita in actu charitatis, non ſemper remanent cum gratia introducta, patet enim ad perſeverandum in gratia non eſſe neceſſarium perſeverare in actuali Dei amore; non item ulla naturali, ſeu phyſica neceſſitate exigunt introductionem gratiæ, quia ex eo, quod quis amet ſuper omnia Deum non habet jus ad amari à Deo, hoc quippè jus habetur ſolùm per infuſionem gratiæ *ex cap. præced. n.*41. *&* 60. haberet autem jus ad amari à Deo qui naturali ac phyſica neceſſitate exigeret à Deo introductionem, ſeu infuſionem gratiæ.

39. *Nec ulla eſt poſſibilis quæ phyſica ſit.*

Dubitatur hic: Vtrùm ſaltem poſſit eſſe diſpoſitio phyſica ad gratiam aliqua alia diſpoſitio diverſa ab iis, quæ de facto dantur? Reſpondetur negativè, & ratio eſt quia talis diſpoſitio phyſica nec eſſe poteſt per modum actus ſecundi, & qualitatis tranſeuntis, nec per modum actus primi & qualitatis habitualiter permanentis; ergo nullatenùs eſt dabilis; antecedens quoad primam partem infertur ex eo, quòd contrà quemlibet actum ſecundum excogitabilem militat, quòd mox dicebatur contrà actum charitatis; quoad ſecundam partem probatur; quia vel eſt dabilis aliquis habitus nullum alium habitum tanquam præviam diſpoſitionem phyſicam requirens, vel non; hoc ſecundùm dici nequit ſine proceſſu in infinitum; ſi primum dicatur; dico id nulli alij habitui tribui poſſe præterquam gratiæ; cum ipſa ſola ſit habitus omnium primus in genere ſupernaturali, & ſit participatio Dei in prædicato, quo nullum aliud prius in Deo ſupponitur. Deinde habitus, qui eſſet diſpoſitio phyſica ad gratiam vel tribueret jus ad amari à Deo, vel non: ſi ſic, eſſet ipſe habitus gratiæ, cui ſoli competit tribuere tale jus; ſi non, malè diceretur diſpoſito phyſica ad gratiam, quia de ratione diſpoſitionis phyſicæ eſt tribuere phyſicam exigentiam adeoque jus ad formam, non tribuit autem jus ad gratiam quod non tribuit jus ad amari à Deo: ergo.

---

§. VI.

Vtrùm diſpoſitiones de facto præcedentes habitualem gratiam requirantur ad ipſam ſecundùm ſe & ex natura rei?

ASSART. Aliqua ex diſpoſitionibus de facto præcedentibus habitualem gratiam requiritur ad ipſam ſecundùm ſe, & ex natura rei; non verò ſolùm aut ad expellendam formam contrariam peccati perſonalis, aut ex inſtitutione extrinſeca Dei. Ità in primis quicumque aſtruunt in ordine ad gratiam diſpoſitiones phyſicas; ex iis verò, qui in ordine ad eandem nobiſcum admittunt ſolas diſpoſitiones morales, Oviedus *præcit. controv.* 2. *num.*40. & alij apud ipſum *num.* 37. contrà Amicum *diſput.*30. *n* 34. & Turrianum *opuſc.*4. *diſput.*1.*dub.*1. volentes diſpoſitionem ad gratiam dari ſolùm pro expellenda forma contraria & libera averſione à Deo; item contrà Vaſquium 1.*part. diſput.*43. *num* 4. Tannerum *diſp.*6. *q* 4.*dub.*3. Lugam *diſput.*45. & alios plures nullam agnoſcentes diſpoſitionem, quæ ad gratiam requiratur ex natura rei: Aliqui tamen ex his Auctoribus nomine diſpoſitionis requiſitæ ex natura rei videntur intelligere ſolam diſpoſitionem phyſicam; undè ſi in re nihil aliud intendant, quàm gratiam diſpoſitione phyſicâ non indigere, in modo loquendi, non in modo ſentiendi ſunt Adverſarij.

40. *Aliqua diſpoſitio prærequiritur ad gratiam ſecundùm ſe & ex natura rei.*

Neque illicò opponas malè nos diſtinguere diſpoſitionem phyſicam a diſpoſitione

ex natura rei; nam eo ipſo, quòd diſpoſitio ex natura rei requiritur conducit ex natura rei, adeoque naturali neceſſitate ad formam; non importat autem quidquam ampliùs diſpoſitio phyſica.

Diſpoſitio requiſita ex natura rei non convertitur cum diſpoſitione phyſica.

41. Contra enim: Nego abſolutè diſpoſitionem ex natura rei requiſitam conducere ex natura rei ad formam, nam diſpoſitio ex natura rei requiritur per hoc, quòd exigatur à forma; conducit ex natura rei ad formam per hoc, quod exigat formam; optimè autem poteſt aliqua diſpoſitio exigi a forma abſque eo, quòd exigat formam; & ità præſertim evenire poſſe reſpectu gratiæ infertur ex eo, quòd gratia exigit habere naturam rationalem pro ſubjecto, & tamen natura rationalis non exigit habere gratiam pro formâ; cur igitur non poterit proportionaliter eadem gratia exigere pro diſpoſitione ex parte ſubjecti aliquid, quod non exigat introductionem ipſius gratiæ in ſubjectum, adeoque præſertim reſpectu gratiæ falſum eſt diſpoſitionem eo ipſo, quòd eſt neceſſaria ex natura rei, eſſe diſpoſitionem phyſicam.

42. Dixi in aſſerto *aliqua ex diſpoſitionibus*, &c. non enim contendo requiri, aut ad gratiam ſecundùm ſe, aut ex natura rei omnes actus, quibus de facto ad gratiam diſponimur: & primò quidem requiruntur non ad gratiam ſecundùm ſe, ſed ad expulſionem formæ contrariæ, omnes actus pœnitentiæ, & univerſaliùs omnes actus reconverſivi in Deum, adeoque ſupponentes averſionem à Deo: Secundò requiruntur ex divina inſtitutione, non ex natura rei actus, quibus diſponimur ad recipiendam gratiam vi ſacramentorum; ſicuti enim eſt ex inſtitutione divina, quòd conſequamur gratiam in Sacramẽtis, ità ex eadem inſtitutione eſt, quod conſequamur gratiam mediis actibus, quibus ſacramenta ſuſcipimus: Tertiò neque ad gratiam ſecundùm ſe, neque ex natura rei, imò neque ex divina inſtitutione, requiruntur quidam actus per accidens aliquando diſponentes ad gratiam, ad iſtam ſcilicet conſequendam utiles, at non neceſſarij; quales ſunt actus abſtinentiæ, humilitatis, eleemoſinæ, &c. Quod ſi quæras quænam in particulari ſint diſpoſitiones, ſeu actus, de quibus aſſertum procedit; dicam breviter eſſe actus ſupernaturales fidei & charitatis; nam nobiliſſimus habitus, cujuſmodi eſt gratia, ſi quam diſpoſitionem exigit, exigit nobiliſſimum actum cujuſmodi eſt actus charitatis; hic deinde in via non habetur ſine prævio actu fidei, ideò &c. Addunt aliqui requiri pariter per ſe & ex natura rei actum ſpei, at hoc eſt magis controverſum in ordine ad gratiam ſecundùm ſe, quamvis in ordine ad expellendum peccatum perſonale faciliùs admitti poſſit eſſe per ſe neceſſariam præviam ſpem veniæ ſeu remiſſionis obtinendæ.

Quænã in particulari ſint diſpoſitiones prærequiſitæ ad gratiam ſecundùm ſe & ex natura rei.

43. Probatur jam aſſertum: Gratiæ habituali ſecundùm ſe connaturalius eſt habere, quàm non habere aliquã præviam diſpoſitionem; ergo aliqua ex diſpoſitionibus de facto præcedentibus habitualem gratiam requiritur ad ipſam, &c. conſequentia non videtur poſſe negari, quia quod eſt connaturalius utique eſt connaturale, quod autem eſt connaturale non ponitur tanquam omninò ab extrinſeco adveniens, ſed tanquam ab intrinſeco debitum & conveniens ex natura rei: Antecedens probatur primò à poſteriori, quia quod de facto ſemper evenit debet cenſeri connaturalius, Deus enim, tùm in naturali, tùm in ſupernaturali ordine, exercet ſuam potentiam ordinariam connaturaliter, & juxtà rerum creatarum exigentiam; atqui de facto, ut conſtat *ex præced. n.* 34. gratia habitualis in quolibet ſubjecto capaci diſpoſitionia habet aliquam præviam diſ- 44.
poſitionem; ergo: Secundò à pari quia cuilibet formæ ſubſtantiali naturali connaturalius eſt habere, quàm non habere præviam diſpoſitionem: ergo idem ſentiendum de gratia, utpotè quæ eſt ſuo modo forma ſubſtantialis, & præſtat in ordine ſupernaturali id, quod in ordine naturali forma ſubſtantialis naturalis; corroboratur hæc paritas auctoritate D. Thomæ *q.* 112. *art.* 2. *in c.* dicentis *præexigitur ad gratiam aliqua gratia præparatio, quia nulla forma poteſt eſſe, niſi in materia diſpoſita*, ubi ly *nulla forma* certè de ſubſtantiali intelligitur, & ly *in materia diſpoſita* procedit de materia diſpoſita per diſpoſitionem requiſitam ex natura rei; hæc enim eſt diſpoſitio, ſine qua nulla forma ſubſtantialis poteſt eſſe in materia. Corroboratur inſuper ex eo, quod ratio, cur connaturale ſit & ex natura rei debitum formæ ſubſtantiali naturali habere præviam diſpoſitionem eſt, quia naturalis rerum ordo poſtulat, ut procedatur ab imperfectioribus ad perfectiora; atqui talis ratio æquè bene militat pro gratia, utpotè quæ eſt inter formas ſupernaturales perfectiſſima, non minùs, quàm forma ſubſtantialis inter naturales: ergo.

Dices primò contrà primam probationem antecedentis nec eſſe univerſaliter verum, quod gratia habitualis de facto ſemper habeat præviam diſpoſitionem, cum hac caruerit in Chriſto & careat in parvulis; nec, quando id eveniret reſpectu gratiæ, ſufficienter inferri, quod ſit gratiæ connaturalius & debitum ex natura rei; alioqui ex eo, quòd gratia de facto fuerit omnibus Angelis collata cum proportione ad perfectionem natu-
ralem, inferretur eſſe connaturalius & ex 45.
natura rei debitum gratiæ ità conferri. Sed contrà: Ad primam inſtantiæ partem dico nos non fuiſſe locutos de quolibet ſubjecto ſimpliciter, ſed de quolibet ſubjecto capaci diſpoſitionis, parvuli autem & Chriſtus Dominus non ſunt in gratiæ receptione capaces præviæ diſpoſitionis (ſubintellige moralis, de quâ loquimur) quia tùm in parvulis ut per ſe patet, tùm etiam aliqualiter in Chriſto ut attigimus *præced. num.* 34. gratiæ infuſio antecedit exercitium uſus rationis, ſine quo certè haberi nequit diſpoſitio moralis. Neque urgeas eo ipſo, quòd forma non exigit præviam diſpoſitionem in quolibet

ſubjecto

ſubjecto ſimpliciter, non exigit ipſam ex natura rei: Contrà enim tranſeat hoc de diſpoſitione phyſica, aliter ſentiendum de diſpoſitione morali, & ratio eſt quia quodlibet ſubjectum capax formæ eſt ſecundùm ſe capax diſpoſitionis phyſicæ ad ipſam, non ſic diſpoſitionis moralis. Ad ſecundam inſtantiæ partem dico aliud eſſe loqui de eo, quod de facto convenit gratiæ reſpectu omnia ſubjecti habentis uſum rationis & libertatis; aliud de eo, quod convenit gratiæ reſpectu omnium Angelorum; ex hoc ſecundo non rectè infertur illud omne, quod infertur ex primo, ideò inſtantiæ illatio eſt illegitima.

Dices ſecundò contrà ſecundam probationem ejuſdem antecedentis, paritatem adductam, ſicut & auctoritatem D. Thomæ nimia probare, probare ſcilicet quod gratia ex natura ſua prærequirat diſpoſitionem phyſicam, cum hanc prærequirant formæ ſub-
46. ſtantiales naturales. Sed contrà: ſi paritas quoad omnia procederet, utique nimis probaret; at procedit ſolùm in iis, in quibus eadem eſt ratio & nihil ex adverſo obſtat, ſicuti tamen aliquid ex adverſo obſtare reſpectu gratiæ pro diſpoſitione phyſicâ conſtat *ex §. præced.*

Dices tertiò diverſam eſſe rationem de gratiâ, ac de formis ſubſtantialibus naturalibus, primò quia iſtæ producuntur ab agente creato finitæ virtutis, gratia ab agente increato virtutis infinitæ; bene autem poſſunt prærequiri diſpoſitiones ad formam, quæ à finita; at non ad formam, quæ ab infinita virtute producitur: Secundò quia diſpoſitiones ex parte ſubjecti præcedentes formam ſubſtantialem habent ſua principia, à quibus connaturaliter inducuntur; actus autem, quos nos ponimus tanquam diſpoſitiones ad gratiam, præſertim actus charitatis non ſupponunt in ſubjecto ſuos habitus, à quibus
47. ſolis connaturaliter fiunt. Sed contrà: ad primam rationem diverſitatis dico optimè prærequiri poſſe diſpoſitiones etiam ad formam, quæ ab infinita virtute producitur, non minùs, quàm poſſit ad eandem prærequiri ſubjectum; perfectio autem agentis infiniti ſuprà finitum pro re præſenti conſiſtit in eo, quod agens finitum requirit diſpoſitiones etiam ex impotentia propria, vel ponendas ab alio agente; infinitum diſpoſitiones requirit ſolum ex conditione formæ aut ſubjecti, & ponendas à ſe ipſo; ut re vera diſpoſitiones ad gratiam à Deo ſpecialiter pendent. Ad ſecundam rationem juxtà doctrinam §. ſequentis fateor actus præcedentes gratiam, præſertim verò actum charitatis, procedere ab auxiliis actualibus non à propriis habitibus, hocque actibus illis eſſe minùs connaturale ſimpliciter & abſolutè; at non in noſtra hypotheſi, pro quo vide ſupradicta *in tract. de Angelis, lib. 3. c. 1. num.* 1n. & 21.

Dices quartò: Gratia habitualis ex natura ſua non poteſt præſupponere diſpoſitionem ullam moralem; atqui diſpoſitiones præcedentes gratiam per nos ſunt diſpoſitiones morales: ergo gratia habitualis ex natura ſua non poteſt ullam ex ipſis præſupponere, quod eſt idem ac dicere, ergo nulla ex diſpoſitionibus de facto præcedentibus habitualem gratiam requiritur ad ipſam ex natura rei; major probatur diſpoſitio moralis eſt diſpoſitio per modum impetrationis & meriti; atqui gratia habitualis, utpotè quæ eſt principium omnis meriti, non poteſt præſupponere aliquid ſe habens per modum meriti; ergo. Sed con- 48.
trà: nego majorem, ad probationem dico gratiam habitualem eſſe principium omnis meriti condigni, & ſub hac ratione non poſſe ullum meritum præſupponere; poſſe tamen præſupponere aliquid habens rationem meriti congrui, & hoc ſufficere ad tribuendam moralitatem actibus diſpoſitivis ad gratiam.

Gratia habitualis poteſt præſupponere meritū congruum.

Urgebis: quamvis abſque gratia habituali poſſit haberi aliquod meritum congruum, hoc tamen meritum nec poteſt prærequiri ad gratiam ex natura rei, nec ſufficit pro diſpoſitione ultima ad ipſam; ratio primi eſt, quia meritum etiam congruum debet eſſe ſupernaturale; gratia autem cum ſit radix omnium perfectionum ſupernaturalium non poteſt ex naturâ ſuâ prærequirere aliquid ſupernaturale: Ratio ſecundi eſt, quia ultima diſpoſitio ad gratiam infallibiliter conjungitur cum gratia meritum autem congruum non infallibiliter obtinet id, quod ſub ipſum cadit. Sed 49.
contrà: ad rationem primi dico gratiam eſſe primam radicem omnium perfectionum ſupernaturalium poſitivè, quatenùs habenti illam debent omnes perfectiones ſupernaturales concedi; non negativè, quatenùs non habenti illam debeant omnes negari: Neque addas gratia ex natura ſua non daret eſſe ſupernaturale, ſi ex naturâ ſuâ aliquid ſupernaturale præſupponeret: Contrà enim actus ſupernaturalis & actuale auxilium, quo talis actus elicitur, cum ſint quid tranſiens non pertinent ad eſſe, nec tribuunt ſtatum; ideò quamvis præſupponantur ad gratiam, adhuc iſta dat primum eſſe ſupernaturale: Ad rationem ſecundi dico in ultima diſpoſitione ad gratiam non eſſe attendendam ſolam rationem meriti congrui; ſed inſuper poſitam in ſubjecto omnem poſſibilem proportionem & aptitudinem ad gratiam, ut fit per actum charitatis; nec non divinam promiſſionem de conferenda gratia ſubjecto habenti talem proportionem & aptitudinem; licèt enim dicamus independenter ab extrinſeca inſtitutione Dei deberi gratiæ præviam diſpoſitionem, non eodem modo dicimus independenter ab extrinſeca inſtitutione deberi præviæ diſpoſitioni gratiam.

§. VII.

§. VII.

Vtrùm diſpoſitio ultima ad gratiam habitualem procedat effectivè ab ipſa gratia habituali?

50. Diſpoſitio ultima ad gratiã non efficitur à gratiâ.

ASsert. Diſpoſitio ultima ad gratiam habitualem nullo modo effectivè procedit ab ipſâ gratiâ habituali. Ità Scotus *in 4. diſt.* 14. *q.* 2. §. *De ſecunda.* Herincx *diſp.* 5. *q.* 5. Maſtrius *in* 2. *diſp.* 7. *q.* 7. *art.* 1. Faber *diſp.* 17. *de pœnit. c.* 2. Suarez *lib.* 8. *cap.* 12. Oviedus *tract.* 8. *controv.* 2. *punct.* 8. Arriaga *tom.* 5. *diſp.* 33. *ſect.* 3. Eſparza *lib.* 6. *quæſt.* 9. Madernus *quæſt.* 6. *art.* 7. Sylvius *quæſt.* 113. *art.* 8. §. *Quæritur primò.* Ioannes à S. Thoma *diſp.* 28. *art.* 2. Haequetus *controverſ.* 16. aliique nonnulli Thomiſtæ cum Scotiſtis omnibus & majori parte recentiorum contrà Cajetanum *quæſt.* 113. *art.* 8. Conradum, & Medinam *eod. art.* Ferrarienſem 4. *contrà Gentes, cap.* 153 Alvarez *de auxil. lib.* 7. *diſp.* 66. Gonetum *tract.* 9. *diſp.* 1. *art.* 8. Gabrielem à S. Vincentio *diſp.* 16. *quæſt.* 2. Valentiam *diſp.* 8. *q.* 3. *punct.* 4. *propoſ.* 5. & *q.* 5. *punct.* 4. Vaſquium *diſput.* 215. & nonnullos alios recentiores ſecutos majorem partem Thomiſtarum pro ſe aſſerentium D. Thomam, quem tamen pro nobis ſtare contendunt multi ex Auctoribus noſtri aſſerti, & ſingillatim Suarez *præcit. lib* 8. *cap.* 14. Arriaga *præcit. ſect.* 3. *ſubſec.* 1. & inter ipſos politiores ac rigidiores Thomiſtas Ioannes à S. Thoma *loco præcitato* unde quod ad ſummum poſſimus Adverſariis permittere eſt non ſatis in hac controverſia conſtare de ſancti Doctoris mente, ut infrà *num.* 55. & 56.

51. Dixi *diſpoſitio ultima*, quæ extrà Sacramentum eſt ſolus actus charitatis aut contritionis, & in re de hoc ſolo actu controvertitur, utrùm effectivè procedat ab habituali gratiâ? à qua certum eſt non procedere, regulariter loquendo, diſpoſitiones remotas, & non ultimas; cum iſtæ ſoleant præcedere tempore gratiam, & aliquandò etiam cum gratia non conjungantur; attritio pariter, quamvis dici poſſit ſecundùm quid, id eſt in Sacramento diſpoſitio ultima, tamen utplurimùm ipſa quoque præcedit tempore gratiam ſacramentalem, & inſuper quatenùs pars eſt Sacramenti ad eandem gratiam concurrit in genere cauſæ efficientis inſtrumentalis, nec poteſt à gratia effectivè procedere, niſi per mutuam cauſalitatem in eodem genere cauſæ, ne quidem ab Adverſariis conceſſam. Hine fit ſuppoſita inſtitutione ſacramentorum triplicem reſpectu gratiæ diſpoſitionem diſtingui poſſe, alteram ſimpliciter ultimam, quæ ſemper; alteram ſimpliciter remotam, quæ nunquam per ſe ipſam immediatè conjungitur gratiæ; alteram ſecundùm quid, & aliquandò, id eſt in Sacramento, ultimam; ſecundùm quid, & aliquandò, id eſt extrà Sacramentum, remotam: Prima ſunt actus charitatis aut contritionis: ſecunda actus eleemoſynæ, orationis, fidei, ſpei, &c. Tertia actus attritionis.

Diſpoſitio ad gratiam triplex.

Dixi *nullo modo effectivè procedit*, ut excluderem efficientiam gratiæ tùm immediatam, ſeu à gratia per ſe ipſam immediatè exercitam, quam quidem efficientiam excludunt quicumque aſtruunt habitum gratiæ nec eſſe operativum, nec realiter identificatum cum habitu charitatis; tùm mediatam exercitam ſcilicet à gratia mediis habitibus charitatis & pœnitentiæ, qui ſimul cum habitibus cæterarum virtutum, ſicuti reſpiciunt habitualem gratiam, tanquam radicem & naturam, ſeu eſſentiam, ità ab ipſa per phyſicam aut moralem ſaltem efficientiam emanant. Item ut excluderem efficientiam gratiæ non ſolùm acceptæ ſecundùm gradum ſpecificum, verùm etiam ſecundùm genericum; non ſolùm ſecundùm inexiſtentiam, verùm etiam ſecundùm exiſtentiam, &c. juxtà varias Adverſariorum evaſiones & limitationes, de quibus infrà. 52.

Dixi *ab ipſa gratia habituali*, non enim dubitari poteſt quin talis ultima diſpoſitio à gratiâ actuali procedat, cum hæc ex *præced. lib.* neceſſaria ſit ad quemlibet actum ſalutarem, & ad quodlibet ſalùtis initium, adeoque reſpectu juſtificationis ad quamlibet diſpoſitionem remotam, nedum ad ultimam & proximam. imò in homine deſtituto gratia habituali, & virtutibus infuſis, à duplici gratia actuali dependet diſpoſitio proxima, vel etiam remota ad gratiam habitualem; dependet enim à gratiâ actuali, quæ excitat ad operandum & quæ ad quemlibet actum ſupernaturalem in homine etiam juſto & habitibus infuſis inſtructo requiritur, ut dicebamus *lib. præced. c.* 4. § 3. dependet inſuper à gratia actuali, quæ ſupplet concurſum habituum, & quæ requiritur ſolùm, ubi deſiderantur habitus. 53.

Diſpoſitio ad gratiam habitualem pendet à gratia actuali dupliciter.

Probatur jam aſſertum primò ex D. Thoma 1. *part. q.* 62. *art.* 2. *ad* 3. ubi loquens de converſione, per quam aliquis præparat ſe ad gratiam habendam ait *& ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, ſed operatio Dei ad ſe animam convertentis:* Item 1. 2. *q.* 109. *art.* 6. *in c.* ubi loquens de præparatione voluntatis humanæ ad conſequendum donum gratiæ habitualis, ait *Ad hoc autem, quòd præparet ſe homo ad ſuſceptionem hujus doni, non oportet præſupponere aliquod aliud donum habituale in anima, quia ſic procederetur in infinitum; ſed oportet præſupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interiùs animam moventis.* Tandem *q.* 28. *de verit. art.* 8. ubi ait *quòd gratia non per aliquam operationem eſt cauſa remiſſionis culpæ*; eſſet autem per operationem cauſa remiſſionis culpæ, ſi contritio tali remiſſioni inſerviens effectivè procederet à gratia habituali, tanquam operatio ipſius: Eodem art. cum ſibi S. Doctor objeciſſet *Contritio eſt actus meritorius, ſed actus meritorius non eſt niſi à gratia, ergo gratia eſt cauſa contritionis*; reſpondet contritionem eſſe à gratiâ, ſicut ab informante, 54.

&

& tamen ſi ſenſiſſet ultimam diſpoſitionem

55\. à gratia effici debuiſſet abſolutè concedere gratiam eſſe cauſam contritionis. His & ſimilibus auctoritatibus occurrunt Adverſarij intelligendo S. Doctorem vel de præparatione imperfecta & diſpoſitione remota; vel de gratia habituali ſumpta per modum habitus & in facto eſſe, non de eadem ſumpta per modum motionis, ſeu auxilij & in fieri; utriuſque interpretationis fundamentum deſumunt ex eodem S. Doctore, primæ quidem *ex* 1. 2. *q.* 112. *art.* 2. *ad* 1. ubi duplex diſtinguitur præparatio ad gratiam, una ſimul exiſtens cum infuſione gratiæ, altera præcedens gratiam; & de hac dicitur, quod ſit præparatio imperfecta, & tamen ſit à Deo movente; ſecundæ verò *ex quaſt.* 113. *art.* 8. *in c.* ubi dicitur, quod *ipſa Dei moventis motio eſt gratia infuſio*, & quod in juſtificatione impij *primum eſt gratia infuſio, ſecundum eſt motus liberi arbitrij in Deum*, & clariùs *eod. art. ad* 2. de motu liberi arbitrij diſponente ſubjectum ad gratiam dicitur, quod *natura ordine præcedit conſecutionem gratia, ſequitur autem*

Afferuntur variæ auctoritates S. Thomæ, cujus mens in hac cōtroverſia non videtur ſufficienter expreſſa.

56\. *gratia infuſionem*. Nihilominus utraque hæc interpretatio locis ex ipſomet S. Doctore adductis corroborata impugnatur, prima quidem, quia licèt S Thomas diſtinxerit perfectam & imperfectam præparationem ad gratiam; in locis tamen à nobis adductis ex 1. *p.* & 1. 2. non rectè intelligitur de præparatione imperfecta, cum utrobique ſermo ſit de præparatione facta per converſionem ad Deum, converſio autem ad Deum eſt perfecta ad gratiam præparatio: Secunda etiam interpretatio impugnatur, quia acceptio gratiæ habitualis per modum motionis & auxilij eſt acceptio valdè impropria, adeoque immeritò tribuitur S. Doctori, qui dum locis per Adverſarios relatis ait *ipſa Dei moventis motio eſt gratia infuſio primum in juſtificatione impij eſt gratia infuſio; diſpoſitio ad gratiam ſequitur gratia infuſionem*, ſemper nomine gratiæ intelligit gratiam actualem, quæ cum ſit motio in nobis ſine nobis, & à ſolo Deo facta rectè dici poteſt infuſa; cæterùm ſi quid ulteriùs Adverſarij urgeant, evincetur ad ſummum in hac controverſia non ſatis conſtare de mente Angelica, at nobis ſufficiet ſaltem non habere contrarium S. Doctorem in re, pro qua præſcindendo etiam ab ejus auctoritate habemus validiſſimam probationem, Ideò aliter

57\. Probatur aſſertum ſecundò: Quod exercet realem cauſalitatem in aliud nullo modo effectivè procedit ab illo; ſed diſpoſitio ultima ad gratiam habitualem exercet realem cauſalitatem in ipſam: ergo diſpoſitio ultima ad gratiam habitualem nullo modo, &c. major, in quâ dixi *realem cauſalitatem* ad excipiendam cauſalitatē intentionalem cauſæ finalis propriam, quàm ſolam poteſt aliquid exercere in ſuum principium efficiens, quatenùs idem reſpectu ejuſdem optimè eſſe poteſt in intentione, ſeu ſecundùm eſſe intentionale, prius; in executione, ſeu ſecundùm eſſe reale, poſterius; major, inquam, ſupponitur ex repugnantia mutuæ cauſalitatis, & ex eo quòd communiter dici ſolet cauſam efficientem in nullo alio genere cauſæ, præterquam finalis, pendere poſſe à ſua operatione vel à ſuo effectu: Minor probatur primò, quia datur nobis habitualis gratia, non ut diſponamus ad ipsā id eſt conteramur, ſeu diligamus, ſed quia diſponimur id eſt cōterimur, ſeu diligimus, & conterimur ac diligimus, ut gratiā cōſequamur: Unde Tridentinū *ſeſſ.* 6. *can* 3. ait hominem ſperare & diligere ut oportet ut ei juſtificationis gratia conferatur, & *c.* 7. ait quod diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, item quod ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem datur, ſi autem gratia daretur, ut diſponeremur potiùs diſpoſitio eſſet ſecundùm proportionem gratiæ, quàm gratia ſecundùm proportionem diſpoſitionis: Minor eadem probatur ſecundò, quia ex ſupradictis ultima diſpoſitio ad gratiam duo habet, & quod ſe teneat ex parte ſubjecti ipſumque præparet, & quod ſe habeat per modum impetrationis ac meriti; ex primo capite exercet in gratiam cauſalitatem materialem, ex ſecundo cauſalitatem moralem, quæ ad efficientem reducitur: ergo.

Potiſſima ratio. & validiſſima probatio aſſerti.

Mirum eſt quot & quàm varias huic argumento reſponſiones Adverſarij excogitaverint. Reſpondent primò mutuam cauſalitatem repugnare dumtaxat in eodem genere cauſæ, ab ultima verò diſpoſitione in gratiam exerceri cauſalitatem materialem, à gratia in ultimam diſpoſitionem exerceri cauſalitatem effectivam, adeoque eſſe mutuam cauſalitatem in diverſo cauſæ genere. Reſpondent ſecundò non repugnare mutuam cauſalitatem ſecundùm diverſa prædicata, & hæc diverſa prædicata aliqui aſſignant in gratia dicentes gratiam, ſecundùm gradum genericum acceptam cauſare ultimam diſpoſitionem, ſecundùm gradum ſpecificum ab ultima diſpoſitione cauſari; aliqui aſſignant in ultima diſpoſitione dicentes actum contritionis, ſeu dilectionis ſecundùm entitatem eſſe effectum, ſecundùm rationem diſpoſitionis eſſe cauſam gratiæ; vel ſecundùm quod eſt à gratia eſſe gratiæ effectum, ſecundùm quod eſt à libero arbitrio eſſe gratiæ cauſam. Reſpondent tertiò gratiam in diverſo ſtatu poſſe eſſe priorem & poſteriorē ſuâ ultimâ diſpoſitione, priorem ſcilicet ut eſt in fieri, quâ ratione ſe tenet ex parte agētis, exercet munus motionis & auxilij, & importat præcisè infuſionē, ſeu exiſtentiā; poſteriorem ut eſt in facto eſſe, quâ ratione ſe tenet ex parte paſſi, exercet munus habitus, & importat cōſecutionē, ſeu inhærentiā: vel modo philoſophandi non multùm diverſo eſſe priorē ſecundùm ſe & ſecundùm quod terminat actionem quâ educitur; eſſe poſteriorē ſecundùm modum unionis, & ſecundum quod terminat actionem, quâ ſubjecto unitur, diſtinguēdo realiter ab invicem actionem eductivam & unitivam; Ad hanc reſponſionem pertinere videtur quod non-

58\. *Variæ reſponſiones Adverſariorum.*

nulli Recentiores aiunt gratiâ in ſtatu vago conſideratam eſſe priorem ultimâ diſpoſitione, in ſtatu determinato eſſe poſteriorem, docentes Deum decernere futuram contritionem dependenter ab auxilio actuali, vel ab habito vagè & indeterminatè, deinde intuitu contritionis ſic futuræ determinare pro ipſius principio habitum potiùs, quàm
59. actuale auxilium. Hæ reſponſiones quo plures ſunt, eo magis videntur à veritate, quæ unica eſt recedere, ipſaque pluralitate ſuſpicionem ingerunt falſitatis, & Inſuper ſingulæ ſeorſim impugnantur.

Impugnatio primæ reſponſionis. Impugnatur prima reſponſio quia aliundè ſuppono mutuam cauſalitatem realem repugnare etiam in diverſo genere cauſæ; & quando permitteretur repugnare ſolùm in eodem genere, adhuc reſponſio argumentum non ſolveret, quia ultima diſpoſitio ad gratiam exercet cauſalitatem materialem ſimul & effectivam, quatenùs ſe tenet ex parte ſubjecti, & ſimul ſe habet per modum impetrationis ac meriti; ſi igitur ab eadem gratià effectivè procederet inferretur mutua cauſalitas in diverſo ſimul, & in eodem genere cauſæ.

60. Impugnatio ſecundæ. Impugnatur ſecunda reſponſio, quia malè transfert diſtinctionem rationis ad cauſalitatem realem, & licèt ſecundùm prædicata diverſa realiter poſſit non repugnare mutua cauſalitas, ſecùs ſecundùm prædicata diverſa tantùm per rationem; qualia ſunt, quæ in reſponſione aſſignant Adverſarij, & certè nec ratio generica diſtinguitur realiter à ratione ſpecifica in gratia, nec ratio entitatis à ratione diſpoſitionis in actu contritionis, qui etiam indiviſibiliter eſt à libero arbitrio & ab eâ gratiâ, quam habet pro cauſa, non partim ab illo, partim ab iſta; nec priùs ab illo, quàm ab iſta. Deinde Impugnatur ſingillatim primus modus reſponſionis, quia cum ratio generica qualitatis ſupernaturalis reperta in gratia reperiatur in quolibet habitu infuſo, ultima diſpoſitio cauſari poſſet à quolibet habitu infuſo æquè ac ab habitu gratiæ, vel charitatis, ſi ab iſto cauſaretur præcisè ex vi rationis genericæ. Impugnatur ſecundus modus, quia cum actus contritionis per ſuam entitatem diſponat ſubjectum non poteſt eſſe prior gratia ſecundùm rationem diſpoſitionis, quin ſit etiam prior ſecundùm entitatem, & è contrà; eodemque pacto cuilibet effectui tribui poſſet prioritas in ſuam cauſam, dicendo calorem, v. g. eſſe quidem poſteriorem igne ſecundùm rationem effectus, at eſſe priorem ſecundùm entitatem. Impugnatur tertius modus, quia per actum provenientem à ſolo arbitrio, vel excluditur coëfficientia cujoſcumque gratiæ etiam actualis, & ſic reſponſio in pelagianiſmum lapſa poneret ultimam diſpoſitionem ad gratiam eſſe merè naturalem; vel excluditur ſola coëfficientia gratiæ habitualis, & ſic liberum arbitrium cum gratia actuali erit adæquatum principium actus contritionis, qui propterea fruſtrà ponetur denuò procedere ab habitu gratiæ; & ab iſto conſervari ad ſummum poterit, at non primò produci, cum prima productio nequeat ſupponere aliam productionem antecedenter factam à principio adæquato.

Impugnatur tertia reſponſio, quia gratia habitualis habet eaſdem cauſas in fieri, quas in facto eſſe; ſi igitur in facto eſſe eſt poſterior ultimâ diſpoſitione, quia ab ultima diſpoſitione cauſatur; ab iſta etiam cauſatur in fieri eademque eſt in fieri poſterior: Item non priùs ſe tenet ex parte agentis, quàm ex parte paſſi, quia actio per quam ſe tenet ex parte agentis, & paſſio per quam ex parte paſſi, ſunt una & eadem entitas: Non prius ſaltem prioritate reali importat exiſtentiam, quàm inhærentiam; non priùs Infuſionem, quàm conſecutionem; quia accidentis eſſe eſt ineſſe, & cum gratia educatur neceſſe eſt, quod in ipſiſſima ſui infuſione & cum primò exiſtit dependeat à ſubjecto in genere cauſæ materialis, quod eſt ſubjecto inhærere: Exercere munus motionis & auxilij valdè impropriè tribuitur habituali gratiæ, utpotè non ſe habenti tranſeunter; idque certè nihil aliod importare poteſt, quam concurſum effectivum, vel immediatè, vel mediante habitu charitatis ab ipſa præſtitum in actum, & ſic habitualem gratiam exercere munus motionis & auxilij eſt exercere munus principij efficientis, terminiſque ludendo, dum dicitur gratiam eſſe priorem ultimâ diſpoſitione, quatenùs exercet munus motionis & auxilij, præcisè dicitur eſſe illa priorem, quatenùs eſt illius principium efficiens: Accedit quod concurſus effectivus ſupponit exiſtentiam gratiæ in ratione habitus, quia ratio concurſus effectivi ſpectat ad operari, ratio habitus ſpectat ad eſſe, operari autem ſupponit eſſe; nequit igitur habitualis gratia præcedere ultimam diſpoſitionem in ratione motionis & auxilij, quin ſimul præce-

61. Impugnatio tertiæ.

dat in ratione habitus: Modus philoſophandi diſtinguens realiter actionem, quâ forma de ſubjecto educitur, ab actione, quâ forma ſubjecto unitur, poſſet non admitti; eo tamen admiſſo adhuc reſponſio non ſubſiſtit, eſto enim actio eductiva ab unitiva diſtinguatur, & gratia priùs illam, quàm iſtam terminet, adhuc ut præcisè illam terminat debet eſſe poſterior ſua ultima diſpoſitione; tùm quia in univerſum diſpoſitiones dantur ut forma in ſubjecto producatur, non præcisè ut ſubjecto uniatur, cum commune ſit omnibus formis ab agente naturali produci ad exigentiam ſubjecti diſpoſiti, tùm quia ſpecialiter ultima diſpoſitio ad gratiam exercet cauſalitatem moralem, quam ſi non exerceret reſpectu gratiæ in produci, neque exerceret reſpectu ejuſdem in uniri, nam ſuppoſita productione unio cum ſubjecto debetur naturali ipſius exigentiæ; fruſtrà igitur poneretur meritum reſpectu unionis, quod non fuiſſet poſitum reſpectu productionis: Quod ultimo loco afferebatur ex una parte eſt 62.

gratia omninò & ſine ullo aut auctoritatis, aut rationis fundamento excogitatum; ex alia parte continet doctrinam aut prorsùs falſam aut ſaltem difficillimam de effectu, qui à Deo decernatur & prævideatur futurus dependenter à principio vago, & qui poſtquam fuit ità præviſus fiat deinde in re exiſtens dependenter à principio determinato.

63. Sic impugnatis Adverſariorum reſponſionibus remanet in robore ſuo noſtra præallata probatio, quæ certè cum nulla evaſione, niſi difficillima, eludi aliqualiter poſſit, invictiſſima eſt & ſuſtinenda ex eo ſaltem capite, quod in ſe facilis ſit & conjiciat Adverſarios in doctrinas difficillimas, ad quas ſine neceſſitate accedere eſt proprias mentes ſine neceſſitate torquere, & voluntariè vexare

Dices non deeſſe talem neceſſitatem cum non deſit neceſſitas aſtruendi efficientiam gratiæ habitualis in actum dilectionis, aut contritionis, tanquam in ſuam ultimam diſpoſitionem: evincitur enim iſta neceſſitas primò ex eo, quod communiter dici ſolet ultimam diſpoſitionem eſſe à forma: Secundò ex eo, quod nos ipſi alibi docuimus efficientiam principij vitalis ſuppleri non poſſe per auxilium extrinſecum, efficientia autem gratiæ reſpectu actus dilectionis & contritionis eſt efficientia principij vitalis, quia tales actus ſunt vita ſupernaturalis in actu ſecundo, ſupponunt igitur principium vitale ſupernaturale, & hoc ſumptum radicaliter eſt gratia ſe habens, ut natura ſupernaturalis; ſumptum proximè ſunt habitus infuſi ſe habentes ut ſupernaturales potentiæ: Tertiò ex eo, quòd certum eſt meritum condignum gloriæ non poſſe eſſe independens à gratia habituali, actus autem dilectionis, ſeu contritionis ad hanc diſponens ultimò, eſt condignè meritorius gloriæ ex dicendis *lib. ſeq. c.* 8. §. 3. Quartò ex eo, quod non repugnat actum ultimò diſponentem ad gratiam eſſe effectivè à gratia; atqui ex eo præcisè, quod non repugnet aſtruendum eſt ità de facto, cum ex una parte neceſſe ſit aſtruere de facto quod connaturalius eſt, & ex alia parte connaturalius ſit actui eſſe ab habitu, quàm ab auxilio extrinſeco. Sed contrà.

64. Ad primam inſtantiæ partem dico loquendo de diſpoſitionibus præparantibus ſubjectum, & præcedentibus formam, ſolùm inter Adverſarios communiter dici, quod ultima diſpoſitio ſit à forma: Nihilominùs doctrinæ gratia ſciendum eſt in re hac dupliciter procedi poſſe, primò affirmando in qualibet generatione ſubſtantiali reſolutionem uſque ad materiam primam adeò, ut nulla accidentia nullæque diſpoſitiones ex præcedentibus in corrupto remaneant in genito, nec ad aliud diſpoſitiones præcedentes inſerviant, quàm ad expellendam formam antiquam; cæterùm in ipſo generationis inſtanti abſque eo, quod ulla diſpoſitio ſubjectum præparet ad formam novam, materia nuda de ſe ſit ſufficienter capax cujuſcumque formæ, & hoc modo diſpoſitio ultima, eum quâ ſcilicet ſimul eſt forma, efficitur quidem à forma, at eſt conſequens non præcedens, nec ullatenùs cauſat formam: Secundò negando reſolutionem uſque ad materiam primam, & aſtruendo in genito aliqua accidentia, ſeu aliquas diſpoſitiones ex præcedentibus in corrupto, & hoc modo diſpoſitio ultima eſt quidem præparans ſubjectum & præcedens formam, at efficitur à principio generante, non à forma genita; quomodocumque igitur ponantur ſe habere diſpoſitiones ad formam in naturalibus, diſpoſitio ultima vel eſt ſubſequens non præcedens formam, ſi à forma eſt; vel eſt à generante non à forma, ſi præcedens eſt; nunquam verò eſt præcedens formam, & procedens à forma.

Vltima diſpoſitionem eſſe à forma quomodò verificetur?

65. Ad ſecundam partem *ex cap. præced. n.* 15. & alibi dictis ſuppono nec habitum gratiæ eſſe principium vitale radicale, nec cæteros habitus eſſe principia vitalia proxima; neque oppoſitum rectè infertur ex eo quòd actus contritionis & dilectionis ſint vita ſupernaturalis in actu ſecundo, enimverò quâ tales contenti ſunt principio vitali ſupernaturali, ſeu ſupernaturalizato per aliquid extrinſecum, cujoſmodi eſt voluntas elevata per actuale auxilium, non autem requirunt principium vitale ſupernaturale per ſe ipſum quâ ratione ſupernaturales ſunt habitus gratiæ & virtutum infuſarum

66. Ad tertiam partem dico actum dilectionis, ſeu contritionis non eſſe condignè meritorium gloriæ ſub ea duratione, ſub quâ ultimò diſponit ad gratiam ut explicabitur *præcis.* §. 3. ubi etiam tradetur quomodò actus ultimò diſponens ad gratiam ſit condignè meritorius gloriæ abſque eo, quòd ſit vel eſſe poſſit condignè meritorius gratiæ

67. Ad quartam partem dico ſtante præſenti providentia & conſtitutione rerum repugnare actum ultimò diſponentem ad gratiam eſſe effectivè à gratia; quia repugnat divinitus & de potentia etiam abſoluta mutua cauſalitas conſequens ad talem actum: Non negaverim tamen in alia providentia, quâ res diverſimodè conſtituerentur, talem actum poſſe terminare productionem, ſecundùm quam in præſenti providentia efficeretur à gratia, poſſe ſcilicet produci ab habitu charitatis: Ratio eſt, quia in alia providentia conformiter ad ſuprà aſſertam ſeparabilitatem charitatis à gratia res poſſent ità conſtitui, ut habitus charitatis infunderetur antecedenter ad gratiam, & independenter à gratia; unde actus dilectionis à tali habitu procedens terminaret productionem, ſecundùm quam efficeretur mediatè à gratia in præſenti providentia & ſuppoſitione habitus charitatis ſemper à gratia profluentis, à gratia verò non efficeretur in providentia illa & ſuppoſitione charitatis à gratia non effluentis; tunc proptereà ſine mutua cauſalitate ultima diſpoſitio ad gratiam procederet ab habitu charitatis, ſecùs nunc; eadem eſt ratio de ultima diſpoſitione ſita in actu contritionis,

Vltimâ diſpoſitionem ad gratiam eſſe à gratia repugnat ſimpliciter.

In alia tamen providentia talis ultima diſpoſitio poſſet eſſe ab habitu charitatis.

tritionis, & comparata ad habitum pœnitentiæ. Neque dicas, in tali alia providentia actus dilectionis, aut contritionis non fore ultimam diſpoſitionem ad gratiam, quia non forent ultima diſpoſitio ad proprios habitus charitatis & pœnitentiæ qui ſunt paſſiones gratiæ; quod autem eſt ultima diſpoſitio ad formam eſt pariter ultima diſpoſitio ad paſſiones ipſius, & è contrà quod non eſt ultima diſpoſitio ad paſſiones formæ neque eſt ultima diſpoſitio ad formã. Contrà enim quod in actu primo eſt ultima diſpoſitio ad formam eſt pariter in actu primo ultima diſpoſitio ad paſſiones ipſius, & è contrà; at id neceſſe non eſt in actu ſecundo, cum iſto poſſit eſſe non adæquatus actui primo, ideò concedo quidẽ in illa alia providentia actus dilectionis & contritionis, utpotè à propriis habitibus procedentes, non fore diſpoſitiones ad proprios habitus; at nego ex hoc inferri, quòd neque eſſent diſpoſitiones ad habitum gratiæ.

Dubitatur hic: Utrùm in alia diverſa providentia ſit excogitabilis aliquis modus, quo ultima diſpoſitio ad gratiam poſſit ſine mutua cauſalitate eſſe non ſolùm ab habitu charitatis & pœnitentiæ, ut mox tradidimus & tradit ſimiliter Oviedus *præcit. punct.* 8. *n.* 12 r. verùm etiam ab habitu gratiæ.

68. Poſſet etiã ſuppoſita aliqua opinione non improbabili eſſe ab habitu gratiæ. Reſpondetur talem modum eſſe excogitabilem in opinione non improbabili diſtinguente realiter actionem eductivam formæ de ſubjecto ab actione unitiva ejuſdem cum ſubjecto; hac enim opinione ſuppoſita ſecundùm aliam providentiam, ſicuti poſſet Deus tùm producere, tùm unire gratiam ſubjecto abſque ulla prævia diſpoſitione, ità poſſet abſque prævia diſpoſitione producere & ex prævia diſpoſitione unire; ſicque diſpoſitio ut inſerviens unioni gratiæ cum ſubjecto poſſet effici ab eadem gratia antecedenter ad unionem productã; neque in ordine ad diverſam providentiã & potentiam abſolutam militant quæ ſuprà dicebantur *n.* 62. nam certè ſolùm de potentia ordinaria verificatur formas produci ad exigentiam ſubjecti diſpoſiti, & diſpoſitiones dari ad productionem æquè ac ad unionem formarum: item fruſtra poni meritum in ordine ad ea, quæ debentur exigentiæ naturali; ſicuti enim Deus de potentia abſoluta poteſt ſimpliciter non facere quod debetur exigentiæ naturali, ità poteſt ad illud faciendum velle moveri vel ab exigentia naturali ſimul & merito; vel etiam ab iſto tantùm, nullatenùs ab illa.

69. Neque aliunde dicas gratiam ex anima eductam, at nondum animæ unitam non poſſe cum ipſa anima conſtituere unum principium productivum actus vitalis, cum præſertim nos ipſi *in tract. de Angelis, lib.* 2. *c.* 2. *num.* 44. dixerimus proprium eſſe accidentium non conſtituere unũ principium, niſi cum ſubjecto, cui inhærent. Contrà enim ad conſtituendum cum anima unum principium actus vitalis ſufficit unio per modum comprincipij, nec requiritur per modum formæ informantis, ut patet in eſſentia divina ex alibi dictis conſtituente cum intellectu unum principium productivum viſionis; quod alibi dicebamus proprium eſſe accidentium, &c. accipiendum eſt tanquam magis connaturale, non tanquam eſſentiale; deinde ibi dicebamus requiri quod inhæreant, inhærere autem juxtà Philoſophiam, juxtà quam in præſenti loquimur, diverſum eſt ab uniri; & illud importat terminationem cauſalitatis, quam ſubjectum exercet in formam; iſtud importat cauſalitatem, quam forma exercet in ſubjectum.

Dubitatur inſuper: Utrùm præſcindendo à repugnantia mutuæ cauſalitatis poſſit adhuc ſufficienti ratione probari ultimam diſpoſitionem ad gratiam non procedere ab ipſa effectivè? Reſpondetur affirmativè, & prima ratio ſit, quia poſito actu dilectionis, tanquam diſpoſitione ultima, adhuc gratia habitualis eſt ſpecialis favor liberè ac liberaliter à Deo conceſſus, talis autem non eſſet, ſi ab ipſa deberet neceſſariò effici ultima diſpoſitio, poſito enim effectu neceſſariò prærequirente aliquã cauſam, poſitio cauſæ non cẽſetur ampliùs ſpecialis favor, nec poteſt concedi liberè ac liberaliter: Secunda ſit, quia qui diſponit ſe ad formam, præſertim moraliter, impetrando ipſam, ſupponitur incertus de forma conſequenda; fruſtrà enim ſollicitus eſſet impetrandi ab alio, quod certò jam poſſidet; atqui præhabens formam tanquã cauſam diſpoſitionis non poteſt ſupponi incertus de forma conſequenda; ergo qui ſe diſponit ad formã non præhabet formam, præhaberet autem ſi diſpoſitio eſſet à forma: Tertia ſit, conſenſus, qui in nobis eſt à prima gratia actuali, ſeu à vocatione, non eſt diſpoſitio ad primam gratiam actualem, cum ad hanc omnes concedant nullam dari diſpoſitionem; atqui à paritate rationis conſenſus ille dicendus eſſet diſpoſitio ad primã gratiam actualem, ſi dilectio quæ in nobis eſt à prima gratia habituali dicatur eſſe diſpoſitio ad primam gratiam habitualem: ergo dici non poteſt, quod talis dilectio ſit diſpoſitio ad gratiam habitualem, nec quod diſpoſitio ad gratiam ſit à gratia: Quarta ſit, actus quo exiſtens in gratia habituali ſe diſponit ad augmentum ipſius non eſt effectivè à tali augmento: ergo ſimiliter actus, quo quis ſe diſponit ad primam gratiam habitualem non eſt effectivè à prima gratia habituali; reſponderi ſolet diſparitatem eſſe, quia actus ille eſt meritorius augmenti, non ſic iſte primæ gratiæ habitualis cum D. Thomas *quæſt.* 112. *artic.* 2. *ad* 1. dicat *quod præparatio hominis ad gratiam habendam eſt quidem meritoria, ſed non gratia*; & Tridentinum *ſeſſ.* 6. *c.* 8. ſtatuat *nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt ipſam juſtificationis gratiam promereri*: Nihilominùs impugnatur reſponſio dicendo has auctoritates intelligendas eſſe de merito condigno & diſpoſitionem ad augmentum à diſpoſitione ad primam gratiam, non differre in eo quod illa, non iſta ſit meritoria, ſed in eo quod illa ſit meritoria augmenti de condigno, iſta ſit meritoria primæ gratiæ de congruo; 71.

70. De facto ultimam diſpoſitionẽ non eſſe à gratia ſufficiẽter probatur etiã præſcindẽdo à repugnãtia mutuæ cauſalitatis.

71. Talis diſpoſitio eſt meritoria gratiæ de congruo, non de cõdigno.

gruo;

gruo; quod diſcrimen pro præſenti difficultate Adverſariis nihil prodeſt, cum ſit de ratione meriti congrui æquè ac condigni non poſſe effectivè procedere ab eo, quod ſub ipſum cadit. Ad alias rationes mox adductas vix afferri poteſt aliqua reſponſio, quæ non reducatur ad ſuprà impugnatas *à num.60.*

Ex dictis de actibus dilectionis & contritionis in ordine, tùm ad habitum gratiæ, tùm ad habitus charitatis & pœnitentiæ infertur, quid ſentiendum ſit de cæteris virtutum infuſarum actibus in ordine ad proprios habitus, quoties ſcilicet ſunt diſpoſitiones ad ipſos præviæ; ab ipſis effectivè non eſſe ſed ab auxiliis actualibus ut magis patebit *ex ſequenti tract. de virt. Theolog.*

72. Quia divinus amor ſit poſterior.

Infertur inſuper aliquem amorem, quo Deus nos diligit, eſſe priorem, aliquem alium eſſe poſteriorem eo, quo nos diligimus Deum: Eſt poſterior amor ſpecialis amicitiæ, quo Deus neminem amat, niſi infundendo gratiam; cum hæc ſola ſit proprius effectus amoris diuini amicabilis *ex præced. cap.1. §.4.* imò ingrediatur conſtitutionem ipſius in ſententia aſtruente res ad extrà productas eſſe conſtitutiva partialia liberorum actuum Dei, ex quo capite Amicus *diſp.31. ſect.3.* rectè probat liberum amorem Dei ne ratione quidem præcedere infuſionem gratiæ; eſt igitur hic amor ſpecialis amicitiæ poſterior amore noſtro non minùs, quàm ſit iſto poſterior infuſio habitualis gratiæ ex hucuſque dictis; & ſuadent id ſingillatim tùm quæ ex Tridentino retulimus *præced. n.57.* tùm ex Scriptura verba illa Ioan.4. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* Zachar.1. *Convertimini ad me & ego convertar ad vos*; & id genus alia.

Quinam ſit prior amore noſtro?

Eſt prior amore noſtro amor communis benevolentiæ, quo Deus amat conferendo quodcumque bonum præſertim ſupernaturale, cum enim omnis noſter ſupernaturalis amor, & ille in particulari, qui habitualem gratiam præcedit, ſit poſterior gratia actuali *ex præced. n.53.* utique etiam eſt poſterior amore, quo Deus nobis gratiam actualem confert, adeoque hic amor Dei eſt prior amore noſtro, de hoc amore intelligi debet Auguſtinus *in Man. cap.20.* dicens *Amat Deus, ut ametur*; de eodem intelligi poteſt illud 1. Ioan.4. *Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos*; quamvis in ſenſu litterali ly *dilexit nos* importet dilectionem, non quâ Deus nobis dat gratiam, ſed quâ nobis dedit filium, qui ſenſus etiam eludit intentum Adverſariorum indè probantium amorem, quo Deus infundit habitualem gratiá nos amando eſſe priorem eo, quoties ad gratiam eamdem diſponimur amando Deum. Afferunt quidem pro ſe Adverſarij etiam aliquas alias auctoritates, quas expendit Oviedus *tract. punct.8. à num. 126.* ſed omnes ſufficientem & facilem habent ex dictis explicationem.

CAPUT III.

De inæqualitate, magnitudine, & certitudine gratiæ habitualis.

PRÆTER tres in titulo expoſitas habitualis gratiæ prærogativas tria alia difficilioris & amplioris indaginis ad gratiam habitualem pertinent, ipſius ſcilicet effectus, oppoſitio cum peccato, & augmentum; ſed quoad effectus aliquid jam dictum eſt *cap.5.* examinando quomodo gratia reddat participem divinæ naturæ, amicum, filium, &c. reliquum tradetur toto libro ſequenti, qui ſub titulo de Iuſtificatione & merito duos præcipuos gratiæ effectus profert; & quia explicando, quomodo habitualis gratia juſtificet, explicabitur quomodo peccatum expellat, eique opponatur; ſicuti & explicando quid cadat ſub bonorum operum merito, explicabitur quomodo per bona opera gratia augeatur, eodem ſequenti libro expedientur gratiæ oppoſitio cum peccato ejuſque augmentum; unde cætera, quæ circà habitualem gratiam deſiderantur, ſufficienter proponuntur ſub præfixo titulo, quo librum hunc abſolvimus. 1.

§. I.

An & quomodo gratia habitualis ſit inæqualis?

ASSERT.1. Gratia habitualis tùm in diverſis perſonis eodem tempore, tùm in eadem perſona diverſis temporibus inæqualis eſt. Eſt veritas fidei definita in Tridentino *ſeſſ 6. cap.7.* in Florentino *in litteris unionis tract. de Sacram. Euchar.* & antiquiùs tempore Siricij Papæ in Concilio Mediolanenſi contrà Iovinianum, qui exiſtimavit omnes juſtos habere æqualem gratiam eo quòd in patria ſit omnibus parata æqualis gloria, & in via omnia bona opera ſint æqualis meriti: Iovinianⁱ errorem de æqualitate gratiæ, ſeu juſtitiæ, in omnibus juſtis poſt mille & ampliùs annos excitavit ex diverſo tamen fundamento Lutherus exiſtimans omnes juſtificati per unam eamdemque juſtitiam Chriſti extrinſecè imputatam, Lutherum ſecuti ſunt aliqui alij Novatores, quamvis deindè Kemnitius, & Bucerus, ponentes cum Luthero juſtificationem in imputatione juſtitiæ Chriſti admiſerint juſtificationis inæqualitatem deſumendam ex inæquali fiducia, quâ quis credit ſibi magis vel minùs Chriſti juſtitiam imputari. 2. Dari in habituali gratiâ inæqualitatem eſt veritas fidei.

Probatur aſſertum primò ex Scriptura: Apocal. ult. *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc* 2. Cor.9. *Augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* 3.

Epheſ. 4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Confirmatur primò, tùm ex tribus jam memoratis Conciliis, tùm ex Sanctis Patribus frequenter, ex quibus duo dumtaxat loca refero gravem præ cæteris facientia auctoritatem, & elegantem inſuper rationem continentia: Primus locus ſit Auguſtini *epiſt.* 57. *ad Dardanum* dicentis *Deus totus adeſſe rebus omnibus poteſt, & ſingulis totus, quamvis in quibus habitat, habeant eum pro ſua capacitatis diverſitate, alij amplius, alij minùs, quos ſibi ipſe dilectiſſimum templum gratia ſua bonitatis ædificat. Vndè in omnibus ſanctis ſunt alij aliis ſanctiores, niſi abundantius habendo habitatorem Deum*: Secundus ſit Doctoris Angelici *quæſt.* 112. *art.* 4 *in c.* dicentis *Ex parte ſubjecti gratia poteſt ſuſcipere magis & minùs, prout ſcilicet unus perfectiùs illuſtratur à lumine gratiæ, quàm alius: Cujus diverſitatis ratio quidem eſt aliqua ex parte præparantis ſe* (& poſt nonnulla) *prima cauſa hujus diverſitatis accipienda eſt ex parte Dei, qui diverſimodè ſuæ gratiæ dona diſpenſat ad hoc, quod ex diverſis gradibus pulchritudo & perfectio Eccleſiæ conſurgat, ſicut etiam diverſos gradus rerum inſtituit ut eſſet univerſum perfectum.* Confirmatur ſecundò, ex eo, quòd electio omnium ad æqualem gloriam, æquale meritum omnium bonorum operum, imputatio juſtitiæ Chriſti, quæ fuerunt Ioviniano & Luthero fundamentum æqualis gratiæ, continent errorem contrà fidem, ut quoad primum tradidimus *tract.* 1. *lib.* 2. *cap* 6. §. 1 quoad ſecundum & tertium trademus *lib. ſeq.* ergo continet pariter errorem contrà fidem æqualitas gratiæ eo fundamento ſuffulta.

4. Probatur ſecundò: Gratia habitualis eſt capax intenſionis & augmenti; ergo eſt capax inæqualitatis, ergo inæqualis eſt juxtà inæqualitatem diſpoſitionum, vel in diverſis perſonis eodem tempore, vel in eadem perſona diverſis temporibus exiſtentium; ſicuti enim formis ex genere ſuo connaturale eſt conferri ſubjectis diſpoſitis, ità formis capacibus inæqualitatis connaturale eſt conferri inæqualiter ſubjectis inæqualiter diſpoſitis; antecedens probatur tùm à priori, quia gratia habitualis eſt qualitas, omnis autem qualitas eſt ex genere ſuo capax intenſionis & augmenti; tùm à poſteriori, quia ſi intendi & augeri gratia non poſſet poſt primam juſtificationem merita ac bona opera eſſent in ordine ad gratiam & gloriam inutilia.

Aſſert. 2. Gratia habitualis non eſt inæqualis in omnibus Perſonis; & in illis, in quibus eſt inæqualis, talis eſt inæqualitate graduali & intenſiva; non eſſentiali & ſpecifica; imò hanc habitualis gratia præcisè & propriè accepta nec divinitùs habere poteſt.

5. Probatur aſſertum & quoad omnes ſuas partes infertur ex alibi dictis, nimirum quod non ſit inæqualis in omnibus ex eo, quòd *præcis.* § 1. dictum eſt non eſſe inæqualem in omnibus gloriam, & talem non eſſe in illis, qui aut ex nullo merito, aut ex merito æquali illam conſequuntur: Quod in illis, in quibus eſt inæqualis, ſit talis inæqualitate graduali & intenſiva mox probatum eſt *num. præced.* ex ratione generica qualitatis: Quod non inæqualitate eſſentiali & ſpecifica habetur tùm à pari ex eo, quòd *præcis. cap.* 6. §. 2. negavimus inæqualitatem eſſentialem & ſpecificam in viſione ſeu in gloria, cujus gratia ſemen eſt, tùm multò magis ex eo, quod *præced. cap.* 1. §. 7. aſſeruimus gratiam habitualem eſſe unam in ſpecie athoma, & quia *ibid.* addidimus, loquendo de gratia habituali præcisè, nec de potentia abſoluta eſſe dabiles gratias habituales, quæ ſpecie differant, conſequens eſt ultima aſſerti pars, quòd inæqualitatem eſſentialem & ſpecificam gratia habitualis præcisè & propriè accepta, nec divinitùs habere poſſit. Neque dicas; ex eo quod gloria ſeu viſio de facto non admittat ſpecificam inæqualitatem infertur non admitti de facto ſpecificam inæqualitatem à gratia; ergo ſimiliter ex eo quod per nos gloria ſeu viſio admittat ſpecificam inæqualitatem de poſſibili *ex præcis.* §. 2. *num.* 10. inferendum eſt admitti de poſſibili ſpecificam inæqualitatem à gratia. 6.
Contrà enim: ex una parte viſio; cum ſit forma relata ad objectum, habet principium diverſitatis, quod non habet gratia conformiter ad ſupradicta *cap.* 1. *n.* 73. ex alia parte cum habitus latiùs pateant, quàm actus, & reſpicere poſſint actus ſpecie diverſos, ex diverſitate ſpecifica viſionis, quæ eſt actus, malè arguitur ad diverſitatem ſpecificam gratiæ, quæ eſt habitus.

Talis inæqualitas eſt intenſiva.

Specifica nec eſt, nec eſſe poteſt.

Dices: Gratia habitualis eſt natura, ſeu ſubſtantia in ordine ſupernaturali, ſed natura & ſubſtantia non ſuſcipit magis & minùs, & non eſt capax intenſionis aut inæqualitatis intenſivæ; ergo idem ſentiendum de gratia; ergo in gratia aut nulla, aut ſpecifica inæqualitas aſſerenda eſt, & confirmatur ex eo quod filiatio adoptiva, quæ eſt eximius gratiæ effectus, non videtur poſſe intenſivam inæqualitatem admittere, ſicuti neque hanc admittit filiatio naturalis. Sed contrà: Gratia habitualis eſt natura ſecundùm conceptum univerſaliſſimum, ſecundùm quem abſtrahit à ſubſtantia & accidente; eſt item ſubſtantia per imitationem & analogiam, non entitativè & ſecundum rem; ideò licèt ſubſtantia & natura ſubſtantialis intenſionem reſpuat, non ſic gratia, quæ re ipſa qualitas eſt & accidens, undè pariter licèt intenſionem non admittat filiatio naturalis, quæ ad veram ſubſtantiam terminatur, benè poteſt illam admittere filiatio adoptiva per gratiam inducta, quæ terminatur ad qualitatem.

§. II.

Vtrùm gratia habitualis habeat terminum intrinſecum magnitudinis?

7\. Gratiā non habere terminum intrinſecum magnitudinis eſt veritas fidei.

ASSERT. Gratia habitualis nullum habet terminum intrinſecum magnitudinis, nec ullus viator pervenit unquam ad gratiam tam magnam, ut non poſſit eam majorem reddere. Eſt veritas fidei contrà Begardos & Beguinas definita in Concilio Viennenſi ut refertur in Clementina *Ad noſtrum*; item in Tridentino *ſeſſ 6. cap.* 10. ubi ſine ulla deſignatione termini ſtatuitur juſtum obſervando mandata Dei & Eccleſiæ in juſtitia per Chriſti gratiam accepta creſcere, atque magis juſtificari.

Probatur primò ex Scriptura Eccleſ. 18. *Ne vereaeris uſque ad mortem juſtificari* Proverb. 4. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit uſque ad perfectum diem.* Apocal. ult. Qui *juſtus eſt, juſtificetur adhuc &c.* Confirmatur ex præmemoratis Conciliis Viennenſi & Tridentino; item ex Sanctis Patribus nos ſæpè hortantibus ad majorem ſemper majoremque progreſſum.

8\. Probatur ſecundò ratione à priori: Gratia habitualis non dependet ex naturali capacitate ſubjecti, nec producitur ab agente finitæ virtutis; ergo nullum habet terminum intrinſecū magnitudinis, nec ullus viator, &c. antecedens ſupponitur ex eo, quod ſuprà oſtenſum eſt gratiā habitualem educi de ſola potentia obedientiali ſubjecti, & produci à ſolo Deo agente infinito, undè etiā D. Thomas 2.2. q.24 *art.3. in c.* ait *Quantitas charitatis non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis; ſed ſolùm ex voluntate Spiritus Sancti diſtribuentis ſua dona prout vult*, conſequentia probatur, quia quod qualitates naturales ſint affixæ determinatæ intenſioni, nec poſſint ultrà octavum gradum creſcere, non aliundè provenit, quàm ex eo; quòd pendeant à naturali capacitate ſubjecti, & à determinata activitate agentis. Neque ſaltem in gratia Angelorum ſuſpiceris dependentiam aliquā à capacitate naturali ex eo, quòd fuerit illis collata cum proportione ad naturam, enim verò fuit illis ità collata, ut ſuppono ex proprio tractatu *l.3.c.1.§.4.* ex libertate & liberalitate Dei, non ex aliquo debito; & cum collatione ità facta optimè ſtat potuiſſe Angelos ipſos toto viæ ſpatio, etiamſi fuiſſet valdè diuturnum, magis ac magis in gratia creſcere. Confirmatur, nullus viator pervenit unquam ad ſtatum, in quo non poſſit ulteriùs mereri, ergo neque pervenit unquā ad gratiam, quam non poſſit ulteriùs augere; adeoque gratia habitualis nullum habet terminum intrinſecum, &c. antecedens patet, quia ſtatus viæ convertitur cum ſtatu meriti; conſequentia pariter patet, quia illud, quod primò & immediatè cadit ſub merito juſti, eſt gratiæ augmentum.

Dices: Quilibet viator habet in gratiæ magnitudine terminum extrinſecum, quem non poteſt attingere, ergo etiam habet terminum intrinſecum, quem non poteſt excedere; neq; enim intelligi poteſt, quomodo quis nullum habeat gradum, quem non poſſit excedere; & tamen gradum aliquem habeat, quem nō poſſit attingere; cum attingere ſit aliquid minùs, quàm excedere, & ad excedere ſupponatur; antecedens probatur ex gratia Deiparæ & Chriſti Domini, ad quam indubitatum eſt neminem poſſe pervenire. Sed contrà: ſi ſervetur proportio, utique nequit intelligi, quomodo quis nullum habeat gradum, &c. at inſtantia proportionem non ſervat, quia gradum intrinſecum cum extrinſeco confundit; & intelligi facilè poteſt, quomodo quis nullum habeat gradum intrinſecum, quem non poſſit excedere, habeat verò gradum extrinſecum, quem non poſſit attingere; ideò concedo antecedens, nego conſequentiam; neque enim contrà terminum extrinſecum, ut facilè patebit conſideranti, militant probationes prææallatæ contrà terminum intrinſecum; & difficile non eſt aſſignare modum, quo ille, non iſte terminus habeatur, dicendo nemini de lege ordinaria parata eſſe auxilia, quibus poſſit elicere actus ſeu opera valoris & meriti proportionati ad obtinendā gratiam tantæ intenſionis, quantæ intenſionis fuit gratia Deiparæ & Chriſti, ſed unicuique parata eſſe auxilia ad promerendam gratiam minorem ac correſpondentem gloriæ, ad quam quiſque electus eſt; quia tamen hæc auxilia ſunt pro toto vitæ ac viæ tempore diſtributa, poteſt ſemper viator mereri & conſequi majorem gratiam; imò nullus conſequitur totam illam, quam conſequi potuiſſet, quia nullus utitur omnibus auxiliis ſibi paratis, quibus ſi uteretur, ut poſſet, plura bona exequeretur, majoremque re ipſa mereretur & conſequeretur gratiam.

9\. Habet tamen terminum extrinſecum.

Explicatur modus habendi hunc terminum ſine illo.

10\. Duplex cauſa inæqualitatis & magnitudinis gratiæ.

Ex dictis habetur duplicem eſſe cauſam, cur gratia habitualis ſit major in uno, quàm in alio, & in quolibet poſſit eſſe toto viæ tempore major ac major? Prima cauſa radicalis & remota eſt Dei voluntas inæqualiter ſua dona diſpenſans, & per totum viæ ſpatium eorum incrementa diſtribuens propter pulchritudinem Eccleſiæ, propter conditionem ſtatus viæ, alioſque nobis occultos ſuæ tamen ſupernaturali providentiæ congruentiſſimos fines. Secunda cauſa immediata & proxima ſunt diſpoſitiones & merita, quæ majora ut plurimùm ſunt in uno, quàm in alio, & in quolibet majora ac majora eſſe poſſunt toto viæ tempore: Vtramque cauſam inſinuat D. Thomas 1.2. *q.112. art.4. in c.* verbis jam relatis *&* 2.2. *q.24. art.3. ad 1.* illis verbis *Virtus, ſecundum quam ſua dona Deus dat unicuique, eſt diſpoſitio vel præparatio præcedens, ſivè conatus gratiam accipientis: ſed hanc etiam diſpoſitionem vel conatum prævenit Spiritus Sanctus movens mentem hominis vel plùs vel minùs ſecundum ſuam voluntatem.*

§. III.

§. III.

Vtrùm aliquis teneatur aut poſſit certò credere ſe eſſe in gratiâ?

11. *Nemo tenetur credere ſe eſſe in gratiâ: & eſt veritas fidei.*

Assert. 1. Sine ſpeciali revelatione nemo tenetur certò credere ſe eſſe in gratia. Eſt certiſſima fidei veritas contrà Lutherum, Melanchthonem, Bucerum, Calvinum, & alios ejuſdem temporis hæreticos relatos à Bellarmino *controv. 3. lib. 3. de juſtificatione, cap. 3.* qui cum docuerint hominem juſtificari ſolâ certâ fide, quâ credit ſibi remiſſa eſſe peccata, docuerunt conſequenter ſine hac neminem eſſe juſtum, & unumquemque, ſicuti tenetur juſtus eſſe, ità teneri certò credere ſibi remiſſa eſſe peccata, quod per nos idem eſt ac eſſe in gratiâ: qua in re notat Valentia *diſp. 8. quæſt. 4. punct. 4. §. nec immeritò*, prædictos Sectarios aliquâ ex parte renovaſſe antiquam hæreſim Gnoſticorum & Novatianorum ſe appellantium mundos in ò ſe exiſtimantium adeò juſtos, ut peccatis inquinari non poſſint.

Probatur ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 9. & can. 12. 13. & 14* ubi Concilium omninò ſtatuit nec ſola fide, qua quis certò credit ſe abſolutum & juſtificatũ eſſe abſolutionẽ & juſtificationem perfici; neque ad hanc neceſſarium eſſe, ut quis certò id credat; & quidem quoad primum impugnabitur ex profeſſo Sectariorum error *lib. ſeq. cap. 1. §. 4.* quoad ſecundum improbabitur à fortiori *ſeq. aſſerto*, pro cujus tamen, ſicut & pro præſentis, pleniori intelligentia.

12. Adverte ſermonem hic eſſe de certitudine fidei divinæ, quam quidem fidem prædicti Sectarij duplicem aſſignant, alteram vocant hiſtoricam; & eſt illa, qua credimus myſteria à Deo nobis revelata; alteram vocant fidem promiſſionum, & eſt illa, qua credimus promiſſiones à Deo factas, & inter alias promiſſionem remittendi peccata ſpecialiter credenti ea ſibi eſſe remiſſa; primam fidem admittunt reperiri etiam in dæmonibus proptereáque audent dæmoniacam nuncupare, ſecundam tribuunt omnibus ac ſolis juſtis, & fidem juſtificantem dictitant. Aliter pro re præſenti diſtinguit duplicem fidem Catharinus *in opuſc. de certit. grat.* alteram Catholicam, quæ eſt de objecto univerſali omnibus revelato, & quod omnes tenentur credere; alteram peculiarem de objecto particulari revelato alicui, non cuilibet, & credibili pariter aut credendo ab aliquo, non à quolibet; addit deindè ſine ſpeciali & ut ipſe loquitur privilegiatâ revelatione poſſe quemlibet juſtum certò certitudine fidei peculiaris credere ſe eſſe in gratia, quamvis nec poſſit certò credere id ipſe de aliis, nec alij de ipſo, adeóque de exiſtentia alicujus in gratia non poſſit haberi certitudo fidei catholicæ.

13. Aſſert. 2. Sine ſpeciali & privilegiatâ revelatione nemo poteſt certò credere ſe eſſe in gratia, etiamſi ſermo ſit de certitudine fidei peculiaris, & non Catholicæ. Eſt veritas fidei contrà Sectarios jam relatos, quibus Gabriel à S. Vincentio *diſput. 12. quæſt. 2. num. 13.* addit Beguardos & Beguinas, necnon alios quoſdam, Catharos nuncupatos: eſt inſuper contrà Catharinum, qui licèt cum hæreticis non doceat certitudinem fidei de propriâ gratiâ, eſſe aut juſtificantem, aut neceſſariam ad juſtificationẽ, quatenùs tamen vult dari in quolibet juſto de propriâ gratiâ fidei certitudinem, ejus ſententia cenſeri ſolet erronea, ut obſervant Amicus *diſp. 34. n. 13.* Bellarminus *præcit. cap. 3.* cæterique Theologi communiter, quorum pro aſſerta veritate Catalogum texunt iidem Amicus & Bellarminus, addit iſte particularibus Theologis communia ſuffragia Academiarum Pariſienſis & Lovanienſis.

Nemo etiã ſine privilegiatâ revelatione id poteſt credere.

14. Probatur primò ex Tridentino *ſeſſ. 6. c. 9.* ubi caput concludit his verbis *Quilibet dum ſe ipſum ſuam que propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt, cum nullus ſcire valeat certitudine fidei cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Scio *Catharinum* pro ſe obſervare quod Concilium dixerit *formidare & timere poteſt* non *debet*, & hac obſervatione roborare limitationem, qua ly *certitudine fidei* reſtringit ad ſolam certitudinem fidei univerſalis & catholicæ juxtà doctrinam ex ipſo Catharino iam relatam: Sed impugnatur hæc limitatio quia Concilium loquitur de fide, *cui non poteſt ſubeſſe falſum*. talis autem eſt omnis fides divina etiam peculiaris, non ſola univerſalis & catholica; nec obſervatio à Catharino facta ei ſuffragatur, quia ly *poteſt* ſupponit pro licitè & jure poſſe, non ſtat autem cum poſſe certò credere poſſe licitè & jure formidare, licèt cum eo ſtet poſſe formidare illicitè & quomodocumque; nec pro ly *poteſt* congruè fuiſſet poſitum *debet*, quia importaretur obligatio actu ſemper formidandi, cum tamen quilibet juſtus habeat potentiam, at non obligationem formidandi de propriâ gratiâ; & teneatur credere ſe poſſe licitè formidare, at non teneatur actu formidare, plura enim licent, quæ non debentur, imò quæ nec expediunt.

15. *Auctoritas Scripturæ pro aſſertâ veritate.*

Probatur ſecundò ex Scripturâ Iob 9. *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me: Si innocentem oſtendero, pravum me comprobabit. Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Proverb. 20. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato.* Eccleſiaſt. 9. *Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, utrùm odio vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Eccleſiaſt. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* 1. Cor. 4. *Sed neque me ipſum iudico, nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui autem iudicat me, Dominus eſt; itáque nolite ante tempus iudicare, &c.* Quæ & alia plura ſimilia Scripturæ

loca

loca maximam habere pro aſſertâ veritate efficaciam tùm additis egregiis Sanctorum Patrum commentariis, ponderationibus, atque ſententiis, tùm præluſis variis Sectariorum & Catharini interpretationibus atque evaſionibus latè oſtendunt inter alios multos Valentia *præcit. punct.*4. & Bellarminus *præcit. lib.* 3. *cap.*4. *ad* 8.

Dices Scripturam aliis in locis ſtare pro certitudine gratiæ, nam *Rom.* 8. habetur, *Accepimus Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater; ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei*, atqui teſtimonium Spiritus ſancti facit certitudinem fidei, & habere adoptionem filiorum ſeù eſſe filium Dei eſt eſſe in gratiâ; ergo. Eod. cap. *Certus ſum quia neque mors, neque vita poterit nos ſeparare à charitate Dei*, non ſeparari autem à charitate eſt eſſe in gratiâ. 1. Cor. 2. *Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt ut ſciamus quæ donata ſunt nobis*; ſcire autem ex Spiritu Dei, quæ donata ſunt nobis, eſt habere certitudinem fidei divinæ de donis propriæ gratiæ; plures alias Scripturas afferunt Adverſarij, ut ipſarum ſaltem multitudine ſpeciem aliquam probabilitatis efficiant, quemadmodum loquitur Bellarm. *præcit. lib.* 3. *cap.* 9. Sed contra: Ad primam auctoritatem dico ly *teſtimonium reddit*, vel referri ad totam Eccleſiam; quæ proculdubio ex fide credit ſe habere vagè & indeterminatè in aliquibus ſuis membris ſpiritum adoptionis & gratiam remiſſivam peccatorum, vel ſi referatur ad ſingulos juſtos in particulari importare teſtimonium factum non per revelationem quâ gignatur certitudo fidei, ſed per excitationem cujuſdam ſuavitatis & pacis internæ quâ gignatur de exiſtentiâ in gratiâ certitudo conjecturalis. Ad ſecundam dico vel ly *certus ſum* pertinere ad certitudinem ſpei non ad certitudinem fidei, vel ly *nos* ſupponere prædeſtinatos in genere, de quibus habebat Apoſtolus, ſicut & nos habemus, certitudinem fidei, quod ſint perſeveraturi in charitate Dei. Ad tertiam dico nihil aliud ibi ſignificari quàm notitiâ & fide à Deo, non ab hominibus, accepta nobis conſtare dona & beneficia gratiæ electis in univerſum præparata. Reliquæ auctoritates ſivè ex Scriptura ſint ſivè ex Sanctis Patribus, in quibus utriuſque expendendis multus eſt Bellarminus *præcit. cap.* 9. *& ſequent. cap.* 10. Reliquæ, inquam, auctoritates, vel ſuſcipere facilè poſſunt aliquam ex mox allatis interpretationibus, vel directè pertinent ad errorem tribuentem juſtificationem ipſam certæ fidei de remiſſione peccatorum, & de his infrà *lib. ſeq. cap.* 1. §. 4.

15. Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

16. Probatur tertiò ratione: Nemo poteſt fide divina certò credere aliquid neque explicitè neque implicitè à Deo revelatum; atqui hanc vel illam particularem perſonam eſſe in gratia neque explicitè, neque implicitè à Deo revelatum eſt, niſi in caſibus, in quibus intervenit revelatio ſpecialis & privilegiata; ergo ſine ſpeciali & privilegiata revelatione nemo poteſt, &c. Major ſupponitur ex *tr. ſeq. de virt. Theolog.* Minor quoad revelationē explicitam evincitur ex eo quod præter pauciſſimos, de quibus infrà *n.* 31. reliquorum nominatim Scriptura nō meminit, nec de hoc vel illo in particulari Eccleſia proponit revelatū divinitùs eſſe, quod ſine peccato & in gratia exiſtat quoad revelationem implicitam probatur; illud eſt implicitè revelatum, quod evidenter continetur in revelato explicitè, vel tamquàm pars in toto, vel tamquàm paſſio in eſſentia, vel tanquàm particulare in univerſali; ſed nullo ex his modis, præſertim verò tertio, de quo ſolo poteſt eſſe controverſia, revelatum eſt hanc vel illam particularem perſonam eſſe in gratia, ſi enim hoc tertio modo id eſſet revelatum, maximè quia ex una parte revelatum eſt verè converſum ad Deum, verè pœnitentem, ritè ſuſcipientem Sacramentum eſſe in gratia; ex alia parte cuilibet juſto evidens eſſe poteſt ſe verè converti ad Deum, ſe verè pœnitere, ſe ritè ſuſcipere Sacramentum, adeóque ſe eſſe particulare contentum in illis univerſalibus, omnis verè converſus ad Deum eſt in gratia, &c. atqui hoc ſecundum falſum eſt; quia, ut aliundè ſuppono; nemo poteſt de lege ordinaria habere evidentiam aut de propriis actibus ſupernaturalibus, aut de actibus internis alienis, & tamen vera ad Deum converſio ac vera pœnitentia ſine propriis actibus ſupernaturalibus non habetur, & recta Sacramenti ſuſceptio requirit pariter tùm in quolibet adulto peccatore proprium ſupernaturalem actum, tùm alienum actum internum legitimæ intentionis in miniſtrante ſeù conficiente, ex quo capite Arriaga *diſp.* 49. *n.* 4. rectè obſervat miniſtrantem baptiſmum infanti magis certum eſſe poſſe de gratia infantis, quem baptizat; quàm ipſe, aut alius quilibet de gratia propria.

Quænã ſint à Deo revelata implicitè.

17. Dices: quamvis de lege ordinaria nequeat quis habere phyſicam aut metaphyſicam evidentiam quod ſit verè converſus ad Deum aut verè pœnitens, poteſt tamen de iis habere evidentiam aliquam ac certitudinem moralem, & tantam ſaltem quantam de eo quod hic Pontifex ſit legitimè electus; cum enim mea converſio, v. gr. ex mea pœnitentia à mea voluntate pendeat, legitima Pontificis electio à voluntate aliena, videntur mihi occurrere poſſe æquè certa, vel fortè etiam certiora ſigna de veritate propriæ converſionis quam de legitima electione Pontificis; atqui evidentia moralis de continentia alicujus particularis ſub univerſali explicitè revelato ſufficit ut tale particulare poſſit credi fide divinâ, ſicuti de facto fide divinâ credimus: hunc Pontificem eſſe verum Chriſti Vicarium, quamvis ſit evidens ac certum tantùm moraliter, quod hic Pontifex ſit legitimè electus, adeoque quod ſit particulare contentum ſub illo univerſali explicitè

TT 3 revelato,

revelato, omnis Pontifex legitimè electus eſt verus Chriſti Vicarius; ergo de continentia ſui ipſius ſub illo univerſali omnis verè converſus ad Deum eſt in gratia poteſt quis habere evidentiam ſufficientem ad cre-
18. dendum fide divina ſe eſſe in gratia. Sed contrà: an & quænam moralis evidentia de continentia particularis ſub univerſali revelato ſufficiat ad credendum fide divina illud particulare? examinabitur ſuo loco agendo de fide; pro eo verò, quod neceſſarium eſt ad inſtantiæ ſolutionem dico multo majorem evidentiam moralem haberi de legitimâ electione hujus Pontificis, quàm habere quis poſſit de veritate propriæ converſionis; cum legitima electio Pontificis, non propria alicujus converſio, ab Eccleſia proponatur, non valet igitur ab evidentia morali illius ad evidentiam moralẽ iſtius, quæ nõ niſi valdè tenuis eſſe poteſt, arguere. Aliter huic paritati occurrit Amicus *diſp* 34. *n.*38. dicens aliquã veritatẽ univerſalẽ revelari in ordine ad particularẽ notitiã hujus vel illius perſonæ, talis eſt illa, omnis Pontifex legitimè electus eſt verus Chriſti Vicarius; aliquam revelari in ordine ad alium finem, ſic illa, omnis verè converſus ad Deum eſt in gratia, revelata eſt ut unuſquiſque ſit ſollicitus de benè operando, & de convertendo ſe ad Deum, non ut conſtet quænam particularis Perſona ſit in gratia; addit deindè evidentiam moralem de continentiâ perſonæ ſub veritate univerſali ſufficere ad certitudinem fidei in primo caſu, non in ſecundo; quia in primo caſu, non in ſecundo particulares perſonæ implicitè ſubſtant providentiæ Dei revelantis.

Magis cuilibet cõſtat legitima electio Põtificis quã vera ſui ad Deum converſio.

19. Aſſert, 3. Ex ſpeciali & privilegiatâ revelatione poteſt quis certò credere ſe eſſe in gratia, & de facto ex tali revelatione aliqui id crediderunt.

Revelatione privilegiatâ poteſt quis certò credere ſe eſſe in gratiâ.

Dixi *ex ſpeciali & privilegiata revelatione* ut innuerem me ſumere revelationem ſpecialem non pro ut præcisè contradiſtinguitur à revelatione catholica, quomodo etiam Catharinus ſuprà improbatus admittit ex ſola ſpeciali revelatione poſſe aliquem certò credere ſe eſſe in gratia; ſed prout revelatio ſpecialis importat revelationem non ſolitam fieri de lege ordinariâ, nec communiter factam omnibus juſtis, ſed paucioribus ex privilegio, quomodo Catharinus non admittit requiri revelationem ſpecialem ad credendum ſe eſſe in gratia. Neque dicas obiter ex ipſo Catharino, Concilium Tridentinum *præcit. cap.* 9. ſtatuens neminem eſſe, qui de ſua gratia formidare non poſſit, ſicuti non excepit revelationem ſpecialem primo modo, ità nec excepit revelationem ſpecialem ſecundo modo & privilegiatam; ergo ſi prima exceptio eſt contrà Concilium & limitari ipſius verba non debent ad revelationem catholicam, erit contrà idem Concilium ſecunda exceptio, & limitatio verborum ipſius
20. ad revelationem non privilegiatam. Contrà enim privilegia ex propria ratione privilegij ſemper intelliguntur excepta, ideò exceptio revelationis privilegiatæ non poteſt eſſe contrà Concilium, ſicuti eſt exceptio revelationis ſpecialis non privilegiatæ & de lege ordinaria communiter factæ omnibus juſtis; accedit quòd ſuppoſita hac exceptione Concilium nihil ampliùs ſtatueret contrà hæreticos quoad punctum hic controverſum, cum nec hæretici voluerint dari de propria gratia in quolibet juſto fidem generalem & catholicam, quâ etiam alij id de ipſo credant; ſed particularem, quâ id credat ipſe ſolus.

Probatur aſſertum, & quidem quoad primam partem ſupponitur ex eo, quod alibi ſtatuetur ſpecialem & privilegiatã Dei revelationem ex genere ſuo ſufficere ad credendum fide divina; quoad ſecundam probatur ex eo, quod de nonnullis Sanctis refertur fuiſſe aliquando ex ſpeciali privilegio ipſis factam revelationem de propria gratia, refert id de B. Antonio Athanaſius *in eius vita* de B. Galla Gregorius *lib.*4. *dialogorum cap.*13. de B. Franciſco Seraphicus Bonaventura *in eius vita cap.*3. Magis indubitatum 21.
eſt factum fuiſſe privilegium revelationis de propria gratia Virgini Deiparæ *Luc.*1. dum eam Archangelus Gabriel ſalutavit *Ave gratia plena Dominus tecum* Magdalenæ *Luc.* 7. & Paralytico *Matth.*9. dum utrique Chriſtus dixit *remittuntur tibi peccata.* Davidi 2. *Reg.*12. dum ei dixit Natan *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, quæ quidem revelationes in Scripturâ contentæ, licèt jam ſint catholicæ & ab omnibus credendæ; ſunt tamen ſimul ſpeciales & privilegiatæ, tùm ratione Perſonarum quibus primò factæ ſunt, tùm ratione objecti nimirum exiſtentiæ in gratia, quæ neque omnibus, neque reſpectu omnium ſolet revelari, & re ipſa revelata ſolùm eſt reſpectu illorum, quos mox recenſuimus aliorumvè pauciorum inſignioris ſanctitatis; nec certè expediret omnes juſtos communiter habere revelationẽ & certitudinem propriæ gratiæ, quia juſti infirmioris imbecillioriſque virtutis facilè indè attollerentur in ſuperbiam dicente Gregorio lib.9. moral. cap.17. *Si ſcimus nos gratiam habere, ſuperbimus* & Auguſtino lib. de correptione & gratia cap.13. *In hoc loco tentationis tanta eſt infirmitas, ut ſuperbiam poſſit generare ſecuritas.*

Quinam de facto habuerint revelationem illam privilegiatam?

§. IV.

Vtrùm de propria gratia poſſit quis habere certitudinem aliquam minorem certitudine fidei divina?

ASSERT. I. Regulariter & de lege ordinaria nemo poteſt de propria gratia habere certitudinem Theologicam, nec item certitudinem naturalem phyſicam, nec ullam aliam certitudinem propriam & rigoroſam, cui non poſſit ſubeſſe falſum. 22.

Probatur in univerſum, quia certitudo rigoroſa, cui non poteſt ſubeſſe falſum ſivè Theologica ſit, ſivè naturalis phyſica, ſivè alia

De propriâ gratiâ nequit regulariter haberi certitudo ulli, cui nequeat ſubeſſe falſum.

alia quæcumque, eſt talis, ut non admittat potentiam ad formidandum ipſa retenta; ſed regulariter & de potentia ordinaria, ideſt ſine ſpeciali privilegio, quilibet habet potentiam ad formidandum de propriâ gratiâ juxtà relata verba Tridentini *ſeſſ. 6. cap. 9.* ergo regulariter & de lege ordinaria nemo habet de propria gratia certitudinem rigoroſam, cui non poſſit ſubeſſe falſum.

23\. Confirmatur primo ſpecialiter quoad certitudinem Theologicam eo, quia hæc eſt certitudo concluſionis deductæ ex duabus præmiſſis de fide aut ex una de fide alterâ naturaliter evidente, ut ſuppono *ex prolegom. cap.* 1. §. 7. *&* 8. atqui de propria gratia non poteſt regulariter deduci concluſio ex duabus præmiſſis de fide, alioqui de propria gratia haberetur certitudo fidei; quia concluſio ex duabus fidei præmiſſis eſt materialiter & ſpecificativè propoſitio fidei, licèt talis non ſit formaliter & ut deducta in ſententia negante fidem eſſe diſcurſivam; non item poteſt de propria gratia deduci concluſio ex una præmiſſa de fide, altera naturaliter evidente, neque enim aſſignabilis eſt hæc præmiſſa naturaliter evidens ſuppoſito quod juxtà ſupradicta *numer.* 17. non detur naturalis evidentia de recta ſuſceptione Sacramenti, de veritate propriæ converſionis in Deum, &c. ergo de propria gratia non poteſt haberi certitudo theologica. Confirmatur ſecundò quoad certitudinem naturalem phyſicam; quia non datur ullus effectus, nec ulla cauſa naturalis habens neceſſariam connexionem phyſicam cum propria gratia; multò minùs hæc poteſt naturaliter innoteſcere per ſe ipſam immediatè; ergo nullus eſt modus habendi de propria gratia certitudinem naturalem phyſicam.

24\. Poteſt de illâ haberi certitudo aliqua moralis, at non ſumma in tali genere.

Aſſert. 2. Poſſunt regulariter homines juſti habere de propria gratia certitudinem aliquam moralem atque conjecturalem majorem, vel minorem, pro diverſa ipſorum conditione, nunquam tamen ſummam, nec tantam; quantam habemus de eo, quod Roma aut Conſtantinopolis eſt; Cicero aut Virgilius fuit. Ità Valentia *diſp.* 8. *quæſt.* 4. *punct.* 4. Amicus *diſput.* 34. *num.* 19 Arriaga *diſput.* 49. *ſect.* 3 Hetincx *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *num.* 56. Ioannes à S. Thoma *diſput.* 24. *art.* 3. *num.* 8. Gonetus *diſput.* 5. *art.* 2. §. 1. cæterique Theologi communiter, quamvis illæ particulæ nunquam tamen ſummam nec tantam, &c. ſint contrà Sotum *in apologia contrà Catharinum cap.* 2. Vegam *lib.* 9. *in Tridentinum cap.* 46. alioſque nonnullos.

Dixi *majorem vel minorem* quia moralis vel conjecturalis certitudo admittit magis & minùs, ſeu latitudinem & gradus, quos placet tres aſſignare, nimirum infimum, medium, ſummum; infimam, mediam, ſummam certitudinem moralem conſtituentes:

25\. Certitudinis moralis tres gradus.

Infima eſt, quæ excludit anxietatem ac dubietatem, at non actualem formidinem, adeò ut animus uni quidem parti aſſentiatur nec hæreat ſuſpenſus & anceps in partem utramque, ſoleat tamen facilè ac meritò formidare, num vera potiùs ſit pars oppoſita? majorem hac certitudinem in nullo juſto agnoſcit Gabriel à S. Vincentio *diſputat.* 1 23 *quæſtio.* 3. exiſtimans talem eſſe expreſſam mentem D. Thomæ, & certè vix aliquid ampliùs admittunt reliqui Thomiſtæ. Media eſt, quæ excludit actualem formidinem, at non moralem potentiam formidandi, adeò ut animus ità uni parti hæreat, ut non ſoleat formidare de oppoſita, ſi tamen attentiùs & accuratiùs omnia perpendat occurrere poſſint motiva prudenter formidandi, mediam hanc certitudinem agnoſcunt Recentiores communiter in juſtis quibuſdam inſignioribus. Summa eſt quæ moralem potentiam formidandi excludit, adeò ut motiva aſſentiendi ſint adeò vehementia, oppoſita verò quomodocumque res diſcutiatur aut nulla ſint, aut adeò levia, ut prudens formido haberi non poſſit; hoc modo ſolet certa eſſe cognitio, quâ ſuos quis Parentes aut filios novit, quâ credit ea quæ publica & conſtanti fama, aut gravi plurimorum teſtimonio narrantur nullo præſertim contradicente. His præmiſſis.

Probatur & explicatur prima aſſerti pars. 26.

Juſtorum duæ claſſes.

Homines juſti aliqui vix attingunt infimam, aliqui perveniunt ad mediam certitudinem moralem de propria gratia; ergo poſſunt regulariter homines juſti habere de propria gratia certitudinem aliquam moralem, &c. antecedens probatur, quia aliqui homines poſt multa & frequentia peccata lethalia accedunt cum ſufficienti quidem, ut ſuppono, exigua tamen diſpoſitione ad Sacramentum, & deindè non habent quidem ampliùs conſcientiam peccati, at non experiuntur in ſe fervorem charitatis, pacem Spiritus, & alia hujuſmodi inſigniora indicia gratiæ; quæ ſolent reperiri in ſanctioribus viris, non ſolùm non habentibus conſcientiam lethalium, ſed nec frequenter committentium venialia plenè deliberata, magnamque moralem diligentiam adhibentium, ut Sacramenta, quæ frequentant & cum multa præparatione, & à Sacerdotibus de quorum vel intentione vel ordine nulla ſoleat eſſe ſuſpicio, ſuſcipiant: Ex his utriſque juſtis primi formant quidem probabile judicium de propria gratia, at vel ſimul actu formidant, vel ſaltem habent ingentia motiva prudenter formidandi; ſecundi non formant quomodocumque probabile judicium, ſed tale ut nec actu formident, nec formidare ſoleant, quamvis poſſint; illi igitur vix attingunt infimam, iſti perveniunt ad mediam moralem certitudinem de propria gratia, vel ſaltem (ne ex diverſa acceptione certitudinis moralis, graduumvè ipſius oriatur quæſtio de nomine) minorem illi, majorem iſti habent moralem certitudinem.

Dices: Major & media certitudo moralis excludens actualem formidinem eſt ingens quædam ſecuritas excludens actualem timorem, at hæc ſecuritas in nullo viatore quamvis inſigniter Sancto & juſto datur, quia unuſquiſque debet cum timore & tremore ſalutem ſuam operari, imò aliquando

qui ſanctior eſt magis timet, nam D. Hilarion vir provectæ & inſignis ſanctitatis morti proximus dixiſſe refertur *Egredere quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta propè annis Deo ſerviſti, & mortem times*, ergo in nullo juſto datur media illa certitudo moralis excludens

27. actualem formidinem. Sed contrà: ex occulta Dei diſpenſatione aliquando magis ſancti habent actu minorem ſecuritatem, minoremque certitudinem de propria gratia, ut habuit Hilarion morti proximus, regulariter tamen res aliter evenit; & aliquos Sanctos magnæ notæ ad eam pervenire certitudinem, & ſecuritatem, quæ omnem formidinem, omnemque timorem actualem excludant ſuadetur tùm ex illo 1. Ioan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem* tùm ex verbis D. Gregorij *lib. 6. regiſtri cap.* 187. dicentis, *Deum ſitiens anima priùs timore compungitur poſt amore. Antè enim ſemetipſam in lachrymis afficit, quia dum mala ſua recolit pro his perpeti ſupplicia æterna pertimeſcit. At verò cùm longa mœroris anxietate fuerit formido conſumpta, quædam iam de præſumptione veniæ ſecuritas naſcitur*; tùm aliis Scripturæ & Patrum auctoritatibus apud Valentiam *præcit. punct.* 4. circà initium.

In quolibet juſto debet eſſe timor actualis de gratiâ futurâ non de gratiâ præſenti.

Ad illud de timore & tremore, quo unuſquiſque debet ſalutem ſuam operari, dico procedere potiſſimùm in ordine ad perſeverantiam, & gratiam futuram; de quâ utique debet timere is etiam, qui nullatenùs formidat de gratia præſente.

28. Probatur ſecunda pars: Certitudo moralis ſumma & tanta, quantam habemus de eo quod, &c. excludit moralem potentiam formidandi ſeu excludit potentiam formidãdi prudenter; ſicuti nemo de facto poteſt prudenter formidare de eo, quod Roma vel Conſtantinopolis ſit; atqui regulariter & ſine ſpeciali privilegio nemo poteſt pervenire ad tantam certitudinem de propria gratia, ut excludat moralem potentiam formidandi, nec poſſit prudenter formidare, nam Tridentinum in verbis ſæpiùs memoratis *Quilibet de ſua gratia formidare & timere poteſt* ſicuti intelligi debet de formidare & timere licitè, ità pariter de formidare & timere prudenter; cùm præſertim formidinis timoriſque prudentis motivum contineant verba illa intermedia *dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit*, ubi nomine infirmitatis venit imbecillitas ad reſiſtendum tentationibus & pronitas ad peccandum, quam ſi quilibet juſtus expendat prudenter formidabit, num inciderit in aliquod peccatum ſibi occultum, ſicuti prudenter orat & petit mundari ab occultis; nomine indiſpoſitionis venit inſufficientia ſe diſponendi ad gratiam per vires naturales, ex quo capite habetur ſemper valida ratio formidandi, quod defectu ſufficien-

29. tis diſpoſitionis gratia infuſa non fuerit. Cõfirmatur: quia nullus, ni fallor, negabit publicam famam tot annorum & tot gravium virorum ore & ſcripto atteſtantium exiſtentiam urbis Romæ v.g. eſſe motivum vehementius credibilius, quàm eſſe poſſit quodlibet indicium & quælibet conjectura propriæ gratiæ, cui inſuper poſſunt ſemper ut ità dicam, contradicere propria indiſpoſitio & infirmitas; cùm exiſtentiæ Vrbis Romæ nemo contradicat; ergo à primo ad ultimum nemo poteſt regulariter habere de propria gratia certitudinem moralem ſummam, nec tantam, quantam habemus de eo, quod Roma ſit.

Dices: Tenemur accedere ad Sacramenta vivorum in ſtatu gratiæ; ergo non accedimus ad ipſa prudenter quoties poſſumus prudenter de tali ſtatu formidare; ergo ut poſſimus prudenter accedere, neceſſe eſt quod poſſimus habere de propria gratia certitudinem excludentem potentiam prudenter formidandi, adeoque certitudinem moralem ſummam. Sed contrà: tenemur accedere ad 30.
Sacramenta vivorum in ſtatu gratiæ prudenter putato & probabiliter exiſtimato, concedo; in ſtatu gratiæ vero & reali, aut evidenter noto, nego antecedens & conſequentiam. Neque urgeas: Quoties quis non eſt certus ſe accedere dignè ad Sacramentum, non accedit prudenter nec licitè, quia exponit ſe periculo accedendi indignè; atqui qui non eſt certus de ſtatu gratiæ vero & reali non eſt certus ſe accedere dignè ad Sacramentum vivorum, ergo. Contrà enim: quoties quis non eſt certus certitudine morali infima ſeu certitudine excludente dubiũ, concedo majorem; quoties quis non eſt certus certitudine morali ſumma, aut media, excludente potentiam formidandi, aut formidinem, nego: Et ratio eſt, quia certitudo moralis infima, quamvis ſit imperfecta ſpeculativè, eſt perfecta practicè, & reddit hominem ſimpliciter certum de bonitate operis, quamvis non de veritate.

Quænam certitudo ſtatus gratiæ requiratur in accedente ad Sacramenta vivorum.

Dices aliter: Saltem qui martyrium ſubeunt non poſſunt de propria gratia formidare, cùm de martyrio ipſo habeant certitudinem experimentalem & majorem adhuc de eo, quod per martyrium gratia conferatur; accedit quod Eccleſia non videtur eſſe magis certa de veritate martyrij & gratia martyris, quàm ſit Martyr ipſe, atqui Eccleſia eſt de hoc ità certa, ut formidare non poſſit neque enim formidare poteſt de gratia eorum, quos Sanctorum catalogo aſcribit, ut aſcribit Martyres; ergo. Sed contrà: ha- 31.
bent quidem Martyres certitudinem experimentalem dolorum, paſſionum, & mortis imminentis; at non habent ſummam certitudinem moralem motivi ad iſtorum tolerantiam ipſos impellentis & tamen ſine motivo veræ virtutis non datur verum martyrium; ſciunt inſuper per verum martyrium infallibiliter gratiam conferri, at non utrùm talis gratia antè mortem, an in ſolo inſtanti mortis conferatur? ideò martyr non eſt certus ſimpliciter de veritate proprij martyrij & de gratia per ipſum obtenta, niſi poſt mortem, quando jam martyrij fructum experitur, & pariter Eccleſia, ſicuti martyres non niſi jam mortuos aſcribit Sanctorum Catalogo, ità de vero ipſorum martyrio & de gratia

gratia per martyrium obtenta non niſi poſt ipſorum mortem omninò & ſimpliciter certa eſt.

52. Certitudo remiſſionis peccatorũ nõ eſt certitudo de peccatis ſibi remiſſis.

Ex dictis habetur primò aliud eſſe habere certitudinem de remiſſione peccatorum, aliud habere certitudinem de peccatis ſibi remiſſis: illud enim importat ſolùm quod aliquando peccata remittantur & quod detur tùm forma ipſorum remiſſiva, id eſt gratia; tùm media quibus poſſumus talem formam aſſequi, & ſunt potiſſimùm ſacramenta mortuorum, & actus contritionis, aut dilectionis: iſtud importat remiſſionem peccatorum factam hic & nunc in determinato ſubjecto, quod pendet à pluribus particularibus circumſtantiis valdè occultis; nil igitur mirum, quòd non eadem habeatur certitudo de utroque, ſed de primo habeatur certitudo fidei divinæ, tanquam de articulo contento in ſymbolo Apoſtolorum; de ſecundo verò haberi dumtaxat poſſit certitudo moralis, eaque non ſumma in tali genere.

53. Incertitudo prædeſtinationis major eſt, quàm incertitudo ſtatus gratiæ.

Habetur ſecundò multò minorem eſſe poſſe in quolibet certitudinem de propria prædeſtinatione, aut de perſeverantia finali, quàm de propria gratia; prædeſtinatio enim importat futuram gloriam, perſeverantia futuram gratiam; de objecto autem futuro ea in genere ſuo minorem habere poſſumus certitudinem, quàm de objecto præſenti cujuſmodi eſt propria gratia: Accedit quod pro incertitudine prædeſtinationis & finalis perſeverantiæ clariores ſunt Scripturæ auctoritates, quàm pro incertitudine exiſtendi in gratia ut videre eſt apud Bellarminum *præcit. lib. 3. de juſtif. c. 12.*

54. Incertitudo verò fidei & ſpei minor, quã incertitudo gratiæ.

Habetur tertiò quoad alios habitus infuſos habitum gratiæ comitantes eandem nos habere, tùm certitudinem, tùm incertitudinem, quam de gratia, ſolùm quoad habitus fidei & ſpei, qui ſæpè à gratia ſeparantur, gratiaque per aliud, quàm per infidelitatis aut deſperationis peccatum, deperdita non deperduntur, poſſumus habere aliquam certitudinem majorem; & quidem ſi quis ex ſpeciali revelatione ſemel ſit omninò certus de prima juſtificatione, & conſequenter de prima infuſione talium habituũ, ſicuti multo paucioribus modis poterit amittere habitus fidei & ſpei, quàm habitum gratiæ, ità multò certior impoſterùm eſſe poterit ſe habere fidem & ſpem, quàm ſe habere gratiam; ut magis patebit tractando de fide.

LIBER QUARTUS

DE IUSTIFICATIONE, & Merito.

SQUALERET terræ facies, cui ſplendidis ſydera aſpectibus non præſiderent; falleret illa omnem culturæ ſolertiam & operam, quoties Cœlum ſubduceret lucem, calorem, rorem, cæteroſque occultiores influxus; & quidquid nobis vel pretioſi fovent montium viſcera, vel frugiferi profert planities agrorum, terræ ipſi minùs, quàm Cœlo debemus; nec poſſum non mirari tanquam ruſticitatis & ignaviæ portentum, quòd Seneca teſte *Nemo Aratorum in terra Ægypti Cœlum reſpiciat*, in ſoli verò feracitatem ac opportunam Nili alluvionem quiſque refundat ſegetum copiam, frugumque ubertatem, adeò ut jure ex eorum mente prodierit illud

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Iovis; in ſolo tota eſt fiducia Nilo.

Refert hominis microcoſmus terræ conditionem in natura, Cœli imitationem in gratia; Iacet illa deformis & ſqualida, niſi iſta faveat & decore ſuo ſqualorem culpæ detergat; ſterileſcit natura deluditque ſpem omnem producendi fructus juſtitiæ ac meſſem meritorum, niſi ei vigorem ſuum gratia ſuppeditet, & vim quaſi cœleſtem imprimat virtutemque divinam; nec immeritò dixeris Ægypti Aratoribus deteriores illos de Pelagij grege ſectarios, qui corde terris defixo ad Cœlum oculos non attollunt, dum ſoli naturæ fidentes non norunt gratiam: At oſtendere, quàm ſordeſcat naturæ tellus gratiæ Cœlum reſpicientibus, & quantùm illa ſit vel ſuſcipiendis gloriæ ſeminibus, vel ferendis bonorum operum frugibus imparata, niſi accedat, benignéque arrideat gratia, in hujuſce libri argumentum, & in totius tractatus complementum aſſumimus.

CAPUT I.

De Iuſtificatione faciliora, & præambula.

1. Iuſtificatio eſt effectus gratiæ priùs, quàm meritum.

IUSTIFICATIO & meritum, quatenùs ſunt effectus habitualis gratiæ, ſervant inter ſe ordinem; & illa prior eſt, iſtud poſterius; quia gratia habitualis priùs ſe habet ut operans, quàm ut cooperans; item priùs dat jus ad gloriam ut hæreditatem, quàm ad eandem ut mercedem; juſtificatio juxtà ſupradicta *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 27. eſt effectus gratiæ habitualis ut operantis & reſpicit gloriam ut hæreditatem; meritum eſt effectus gratiæ habitualis ut cooperantis, & reſpicit gloriam ut mercedem; juſtificatio igitur præcedit meritum, & priùs quàm meritum eſt gratiæ effectus; jure propterea ſub præfixo libri titulo juſtificationem anteponimus merito, & illam illicò aggredimur. Ideò ſit

§. I.

Iuſtificationis ſignificationes & acceptiones variæ.

ASSERT. 1. Iuſtificatio tres potiſſimùm habet in Scriptura ſacra ſignificationes, & quoties agitur de juſtificatione impij facta à Deo aut de juſtificatione per Chriſtum, propria ipſius ſignificatio non eſt ea, quæ illi convenit modo forenſi. Hæ poſtremæ particulæ ſunt ſingillatim contrà ſectarios 2. Tres potiſſimùm habet in Scriptura ſignificationes.

Probatur & explicatur: Iuſtificatio in Scriptura aliquando ſignificat leges quæ continent & docent juſtitiam; ſic dicitur Pſalm. 118. *Iuſtificationes tuas cuſtodiam: Doce me iuſtificationes:* Aliquandò ſignificat effectionem & collationem juſtitiæ, vel etiam

etiam augmentum ipſius; ſic dicitur 1.Cor.6. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis.* Rom. 8. *Quos vocavit, hos juſtificavit.* Apocal. ult. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc:* Aliquandò ſignificat declarationem juſtitiæ, ſeu ſententiam quâ quis juſtus declaratur; ſic dicitur Proverb.17. *Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, uterque abominabilis eſt apud Deum.* Iſa.5. *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo;* vel etiam privatam atteſtationem, quâ quis ſe juſtum profitetur, ſic dicitur Luc.10. de quodam juriſperito *Qui volens juſtificare ſe ipſum,* & Iob 27. *Juſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram.* Porrò Lutherani & Calviniſtæ ſecundam juſtificationis ſignificationem non admittunt, & locis pro illa præallatis tribuunt tertiam ſignificationem, ſecundùm quam juſtificationem appellant vocabulum forenſe, eo quòd habeatur per ſententiam declaratoriam, quæ ſolet à Judice in foro pronunciari. Sed impugnantur, & ſimul

3. Ut ſupponit pro juſtificatione impij à Deo non habet ſignificationẽ forenſem.

Probatur aſſertum quoad poſtremas particulas, quia ex una parte juſtificatio non eſt vocabulum purè forenſe, cum ex ipſo vocis ſono importet juſtum facere potiùs, quàm præcisè juſtum declarare; unde Auguſtinus *lib. de ſpiritu & littera, c.26.* rectè ait *Quid eſt aliud juſtificati, quàm juſti facti:* ex alia parte Deus non poteſt hominem juſtum declarare, quin juſtum verè faciat; nam cum rectiſſimus æque ac ſapientiſſimus ſit non poteſt aliquem juſtum declarare, quin juſtus verè ſit, nec poteſt aliquis verè juſtus eſſe, quin à Deo talis factus ſit; ergo quoties agitur de juſtificatione impij facta à Deo propria ipſius ſignificatio non eſt ea, quæ illi convenit modo forenſi, & quâ puram declarationem, ſed quâ veram affectionem juſtitiæ importat ut magis oſtendetur infrà: Nec quidquam prodeſt Adverſariis, quòd hanc ſignificationem à nobis intentam juſtificatio non habeat apud Ciceronem, Terentium, alioſque profanos Latinæ linguæ Auctores, nam apud iſtos neque habet ſignificationem prætenſam à ſectariis, imò non invenitur verbum juſtificandi, ut notat Sylvius *q.113. art.1.* præter quod mirum non eſſet ethnicos profeſſores divinæ gratiæ prorsùs ignaros forenſem juſtificationis ſignificationem potiùs, quàm noſtram agnoviſſe; & ſufficit nobis quòd ſit ſono vocis accommodatior, pro aliquibus Scripturæ locis neceſſaria, à D. Auguſtino expreſsè tradita, & ab omnibus Catholicis recepta.

4. Statuto jam, quòd verbum juſtificare dictum de Deo reſpectu creaturæ rationalis ſignificat facere juſtitiam, & quod ly *facere* debeat ſumi in ſenſu proprio & rigoroſo, ſtatuendum ulteriùs eſt quid ſub eodem vocabulo veniat nomine juſtitiæ, quod quidem nihil aliud, quàm rectitudinem ſonat, cum eſſe juſtum ſit eſſe rectum & alicui regulæ commenſuratum; hinc juxtà multiplicem rectitudinem multipliciter juſtitia ſumitur: Sumitur primò pro rectitudine legis, ſeu ſcripta in libris leges continentibus, ſic præcepta & verba legis dicuntur juſtitiæ. Pſalm. 118. *Juſtitia Domini rectæ lætificantes corda:* Sumitur ſecundò pro rectitudine operum externorum & commenſuratione purè externa cum legibus, de quâ Chriſtus Matth.5. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus, quàm Scribarum & Phariſæorum:* Sumitur tertiò pro rectitudine conſurgente ex aggregato omnium virtutum, & dici ſolet juſtitia univerſalis, ſeu legalis, de quâ Philoſophus *lib.5. de moribus, cap.1.* ait *Juſtitia virtutes in ſe continet omnes:* Sumitur quartò pro rectitudine virtutis particularis, quâ homo rectè ſe habet ad alterum, & eſt una ex quatuor virtutibus cardinalibus, de quâ in proprio tractatu: Sumitur quintò pro rectitudine interna, quâ creatura rationalis rectè ſe habet ad Deum, tanquam ad primam regulam & ultimum finem, & hæc eſt juſtitia, de quâ in præſenti, quam Deus in homine facit; dum hominem juſtificat; unde etiam dicitur juſtitia Dei, ſeu ex Deo; quia à Deo ſpecialiter provenit, ſicuti dicitur juſtitia in fide, ſeu ex fide, quia à fide incipit; unde Apoſtolus *Philip. 3.* ait *Et inveniar in illo non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt juſtitia in fide,* ubi ly *juſtitiam meam* contraponitur juſtitiæ ex Deo, ly *quæ ex lege eſt* juſtitiæ ex fide; & ly *juſtitiam meam* juſtitiam non mihi inexiſtentem, ſed à me provenientem ſignificat, ly *quæ ex lege eſt* non juſtitiam legis in primo ſenſu de quo ſuprà, ſed juſtitiam provenientem ex ſola cognitione legis independenter ab auxilio gratiæ.

5. Quæ ſit juſtitia, quã Deus facit, dum juſtificat.

6. Juſtificationis propriè dictæ multiplex acceptio.

Aſſert. 2. Juſtificatio ſignificans ex mox dictis propriam effectionem, ſeu collationem rectitudinis internæ, quâ creatura rationalis rectè ſe habet ad Deum, accipitur adhuc multipliciter.

Accipitur primò vel quatenùs eſt operatio ſe habens per modum ſimplicis generationis, & ponens præcisè tranſitum à privatione, ſeu negatione juſtitiæ ad juſtitiam; vel quatenùs ſe habens per modum motus, ſeu mutationis à contrario aut quaſi contrario in contrarium, & ponens tranſitum ab iniquitate ad juſtitiam, à peccato ad gratiam: Primo modo facta eſt juſtificatio in Angelis, & primis parentibus; ſecundo modo fit in nobis, & in unoquoque noſtrum omnium prima eſt, quæ habet pro termino à quo peccatum originale, unde hanc tanquam primam & omnibus communem ſpecialiter deſcribit Tridentinum ſub titulo de juſtificatione impij *ſeſſ.6. c.4.* dicens, quod ſit *tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ,* quamvis abſolutè juſtificatio impij ſit omnis tranſlatio à peccato in gratiam.

Accipitur ſecundò, vel activè quatenùs ſe tenet ex parte Dei à quo fit, vel paſſivè quatenùs ſe tenet ex parte creaturæ in quâ recipitur; & hoc ſecundo modo, vel adæquatè, quatenùs importat totum progreſſum

eorum

eorum, quæ in juſtificatione fiunt, motum ſcilicet liberi arbitrij, remiſſionem peccatorum, collationem gratiæ, & infuſionem virtutum; vel formaliter, quatenùs importat illud dumtaxat, quod in homine fit tanquam effectus formalis & proprius formæ juſtificantis; & quo formaliter ac propriè homo fit juſtus, tùm poſitivè acquirendo internam rectitudinem, tùm negativè abjiciendo irrectitudinem & obliquitatem peccati. Poſtrema hæc acceptio ſicuti eſt illa, ſecundùm quam juſtificatio eſt effectus formalis gratiæ; ità illa eſt pariter, ſecundùm quam maximè pertinet ad præſens inſtitutum; & in hoc ſenſu infra priùs agemus de juſtificatione poſitiva, deinde de juſtificatione negativa. Interim rem totam ad breviſſimos terminos redigendo ex variis juſtificationis ſignificationibus & acceptionibus menti hæreat præ cæteris ea ſignificatio, ſecundùm quam eſt vera effectio rectitudinis internæ hominis in ordine ad Deum; eaque acceptio, ſecundùm quam talis effectio paſſivè ac formaliter ſumitur, & per modum motus, non mutationis ſimplicis, ſeu generationis qualiſcumque.

§. II.

Circà juſtificationem errores varij.

8. Quatuor claſſes errorũ circà juſtificationem.

ASSERT. Varij atque permulti circà juſtificationem errores aptè reducuntur ad quatuor claſſes, quas ſtatim refero.

Prima claſſis eſt non admittentium in juſtificatione ullam poſitivam juſtitiam, nec in illa aliquid aliud agnoſcentium, quàm remiſſionem peccatorum factam per condonationem quandam extrinſecam, aut non imputationem.

Secunda admittentium quidem juſtitiam poſitivam, ſed imputatam tantùm & extrinſecam, quam aliqui volunt eſſe juſtitiam Chriſti ſitam in bonis ipſius operibus & meritis; aliqui juſtitiam Dei ſumptam pro illa ipſa, quâ Deus eſſentialiter juſtus eſt.

Tertia ponentium juſtitiam partim intrinſecam, partim extrinſecam; adeò ut noſtra juſtificatio inchoata & imperfecta habeatur per virtutes nobis inhærentes, iſtæ tamen non ſufficiant ad juſtificandum ſine juſtitia, aut Chriſti, aut Dei nobis imputata: In hunc errorem communiter creduntur ex ignoratione incidiſſe Pighius & Auctores Antididagmatis Colonienſis; ſed Macedo *ſchola* 14. *cap.* 11. hos Doctores liberat, & exiſtimat ipſos nihil aliud docuiſſe quàm ad juſtificationem præter juſtitiam inhærentem requiri favorem Dei extrinſecum, quod non continet errorem adeò manifeſtum, cenſura tamen non caret ex infrà dicendis *c.* 3. *n.* 5.

Quarta ponentium quidem juſtitiam totaliter intrinſecam & inhærentem, ſed indiſtinctam à fide; cujus nomine intelligunt eam, quam vocant fidem promiſſionum, & diſtinguunt in generalem, quâ quis credit promiſſiones in genere, & in ſpecialem, quâ quis credit aut confidit eas ſibi in particulari applicari, & ſingulariter per Chriſtum ſibi non imputari peccata; ſpecialem hanc promiſſionum fidem vocant fidem juſtificantem, & aliqui cenſent eſſe actum intellectus, aliqui actum voluntatis, nempe fiduciam.

Horum errorum Auctores nominatim non refero, quia ſibimet non conſtant, ut familiare eſt hæreticis; & idemmet modò unum, modò alium juſtificationis modum videtur amplecti; ſufficiat ſcire totam hanc errorum maſſam eſſe ex Lutherano & Calviniano furfure compactam; & majoris hac de re eruditionis cupidus conſulat Hoſium *tom.* 2. *ſuorum operum lib.* 1. *de hæreſibus ſui temporis* Bellarminum *controverſ.* 3. *lib.* 2. *de juſtificat. cap.* 1. Vaſquium *diſput.* 202. *cap.* 1. &c. 9.

Eorundem errorum prima claſſis impugnabitur infrà *cap.* 3. reliquæ impugnabuntur *cap. ſeq.* oſtendendo de facto noſtram poſitivam juſtitiam, ſeu formam juſtificantem, eſſe ſolam gratiam habitualem nobis inhærentem; nihilominùs quia circà fidem controverti ſpecialiter ſolet, utrùm ſaltem ſit diſpoſitio præambula & prærequiſita ad juſtificationem? expedit hanc controverſiam ſub hoc primo capite complecti, & occaſione deinde hinc accepta aliquid addere contrà ſectarios probando fidem, quam ipſi ponunt pro forma juſtificante neque ut diſpoſitionem, neque aliter ad juſtificationem pertinere; ex quo remanebit etiam improbatus error exiſtimantium fidem in juſtificatione requiri ad apprehendendam & nobis applicandam juſtitiam Chriſti, & ad juſtificationem ſe habere ut inſtrumentum potiùs, quàm ut diſpoſitionem.

Statuamus igitur primò, an aliqua fides 10.
ſit ad juſtificationem neceſſaria, & quænam, fides ne promiſſionum, ut præſumunt ſectarij, an fides hiſtorica, ſeu potius catholica & dogmatica? ut enim obſervat Bellarminus *lib.* 1. *de juſtificat. cap.* 4. Catholici non utuntur nomine fidei hiſtoricæ ne videantur ſentire res geſtas in ſcripturis relatas credi propter ſolam auctoritatem ipſius hiſtorici; præter fidem promiſſionum & fidem dogmatum, rerumve geſtarum, tertiam fidem aſſignant hæretici nimirum miraculorum, ſeu quâ fiunt miracula; & de quâ intelligunt illud 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem itaut montes transferam:* Verùm hanc fidem prorsùs omittimus, cum eam nec hæretici ipſi ponant ad juſtificationem pertinere.

§. III.

§. III.

An & quænam fides ad juſtificationem requiratur?

11. Ad juſtificationem peccatoris adulti eſt neceſſaria fides.

ASSERT. 1. Ad juſtificationem peccatoris adulti omninò prærequiritur aliquis actus fidei. Eſt catholicum dogma, in quo conveniunt aliqui etiam ſectarij.

Dixi *peccatoris adulti*, ut exciperem tùm peccatores non adultos, tùm adultos nō peccatores; quoad illos enim certum eſt juſtificari abſque ullo proprio actu, adeoque abſque prævio actu fidei; quoad iſtos licèt cohærenter ad doctrinam poſitam *lib. præced. cap.* 2. §. 4. juſtificatio facta non fuerit ſine prævia diſpoſitione præſtita per actus fidei & charitatis; id tamen non eſt ità certum, nec ſpectat ad catholicum dogma; ſicuti ſpectat aſſertum, ut jacet, quod propterea

Probatur ex Scriptura Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Heb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum.* Rom. 5. *Juſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum.* Confirmatur ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *c.* 8. ubi fides dicitur eſſe *humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis*: & certè vel nulla prorsùs diſpoſitio ad gratiam juſtificantem, ſeu ad juſtificationem prærequiritur, quod ſaltem reſpectu peccatoris adulti dici non poteſt; vel ſi prærequiritur aliqua diſpoſitio, hæc debet collocari in actibus ſupernaturalibus, quorum primus eſt actus fidei.

12. Et tùm fides debet eſſe catholica, ſeu dogmatica.

Aſſert. 2. Fides neceſſaria ad juſtificationem peccatoris adulti non eſt præcisè fides promiſſionum, ſed eſt fides catholica, ſeu dogmatica, quam ſectarij hiſtoricam vocant. Eſt fidei dogma definitum in Tridentino *ſeſſ.* 6. *c.* 6. & 9. item *can.* 13. & 14. contrà plures ſectarios.

Probatur primò: fides neceſſaria ad juſtificationem eſt illa, quam definit Apoſtolus *Heb.* 11. illis verbis *eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*; atqui fides, quam Apoſtolus ſic definit, non eſt præcisè fides promiſſionum, ſed eſt fides catholica, ſeu dogmatica; tùm quia de ea ſtatim ſubdit *fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei*, quod ſpectat ad fidem dogmaticam, ſeu hiſtoricam; tùm quia ly *rerum ſperandarum* ly *non apparentium* aliquid univerſalius explicat, quàm divinas promiſſiones ſpecialemve Dei miſericordiam, ut latè oſtendit Bellarminus *lib.* 1. *de juſtificat. c.* 5. ergo fides neceſſaria ad juſtificationem peccatoris adulti non eſt, &c. Major probatur quia eo *c.* 11. Apoſtolus definit fidem, de quâ paulò poſt ait *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, & de quâ item paulò antè *c.* 10. dixerat *Juſtus autem meus ex fide vivit, quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ: Nos autem non ſumus ſubtractionis filij in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ*: atqui fides quâ acceditur ad Deum, quâ juſtus vivit, quæ eſt in acquiſitionem animæ, eſt fides neceſſaria ad juſtificationem, & quam ſectarij juſtificantem vocant; ergo fides neceſſaria, &c. eſt illa, quam definit, &c.

Probatur ſecundò: Fides promiſſionum ut præmiſimus *num.* 8. alia generalis eſt, alia ſpecialis: Fides promiſſionum generalis eſt pars fidei catholicæ, ac dogmaticæ, quâ credimus Deum remuneratorem, & hac ratione requiritur quidem ad juſtificationem, at quatenùs catholica, ac dogmatica eſt, non præcisè quatenùs eſt fides promiſſionum: 13.

Et nullatenùs poteſt eſſe fides promiſſionum ſpecialis.

Fides promiſſionum ſpecialis, de quâ habemus controverſiam cum ſectariis, eo modo quo ab iſtis aſtruitur, falſa prorsùs eſt & impertinens, imò contraria juſtificationi, quod ſic oſtendo: Hujuſmodi fides ſpecialis vel ſumitur pro actu intellectus, quo quis credit; vel pro actu voluntatis, quo quis confidit ſibi eſſe ſpecialiter applicatam Dei miſericordiam, & hac mediante remiſſa ſibi eſſe peccata; ſi ſumitur pro actu intellectus, eſſe ad ſummùm poteſt opinio, at non fides divina; cum neque explicitè, neque implicitè ſit cuilibet juſto à Deo revelatum ipſi eſſe ſpecialiter applicatam Dei miſericordiam, & remiſſa peccata, ut probatum eſt *lib. præced. cap.* 5. §. 5. Si ſumitur pro actu 14.
voluntatis, talis confidentia ſic nudè ſpectata, & nec certitudini fidei nec merito bonorum operum innixa, non poteſt eſſe vera fiducia, ſed vana præſumptio. Confirmatur: Fides, quâ quis credit, vel fiducia, quâ quis confidit ſibi eſſe remiſſa peccata eſt eſſentialiter poſterior juſtificatione: ergo non eſt fides illa, quæ ad juſtificationem prærequiritur, & ad eam ſe habet ut diſpoſitio prævia ac aliquo modo ut cauſa. antecedens probatur, eſt poſterius juſtificatione quidquid eſt poſterius remiſſione peccatorum: atqui fides illa eſt poſterior remiſſione peccatorum; falsò enim credo & perperam confido peccata mihi eſſe remiſſa, ſi dum ità credo & confido adhuc remiſſa non ſunt: Neque exiſtimandum eſt actum, quo ità credo & confido eſſe practicum & cauſativum ſui objecti eo ferè modo, quo verba ſacramentalia efficiunt quod ſignificant: exiſtimandum, inquam, id non eſt primò, quia talis cauſalitas eſt commentitia ac ſine fundamento excogitata, & convenire ad ſummum poteſt actui, quo quis credat aut confidat peccata ſibi remitti de præſenti, at non ſibi eſſe remiſſa de præterito: Secundò quia ſectarij, contrà quos agimus nec formas ipſas ſacramentales admittunt efficere quod ſignificant, & cauſare gratiam remiſſivam peccatorum: ergo multo minùs poſſunt ſimilem cauſalitatem excogitare in fide, &c.

Stabilito quòd fides ad juſtificationem requiſita ſit fides dogmatica ſumpta pro aſſenſu ad res revelatas, ut pleniùs innoteſceret quænam, ſeu qualiſnam ſit talis fides; inquirendum foret, circà quaſnam res revelatas in particulari & explicitè verſari de-

beat? at res hæc proprium ac opportuniorem locum habet in ſeq. tract. de virtut. Theolog. *lib.1.c.5.§.7.*

§. IV.

An aliqua fides ad juſtificationem ſufficiat?

15. Nulla fides ad juſtificationem ſufficit. ASSERT. Nulla fides ad juſtificationem ſufficit,& quocumque modo fides accipiatur, non ſolùm per ſe ipſam non juſtificat,ſed nec eſt ſe ſola ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem;nec etiam rectè dicitur juſtitiæ apprehenſio.Eſt dogma catholicum contrà noſtri temporis ſectarios, qui ferè omnes docent ſolam fidem juſtificare, quamvis deinde pauciores doceant juſtificare per ſe ipſam,cæteri autem velint juſtificare tanquam apprehenſionem juſtitiæ.

Probatur aſſertum & quidem quòd fides non ſufficiat ad juſtificationem tanquam apprehenſio juſtitiæ evincitur ex eo,quòd malè ſupponatur formam juſtificantem eſſe juſtitiam Dei aut Chriſti à nobis apprehenſam, ſeu nobis imputatam,de quo infrà,quòd item non ſufficiat tanquam forma ſe ſola juſtificans infertur à fortiori tùm ea eo, quòd mox probabitur ne quidem habere rationem formæ ſe ſola ad juſtificationem diſponentis, tùm ex eo quod *ſeq. cap.* ſtatuetur juſtificationẽ formalem de facto haberi per habitum, non verò per actum ullum, ne qui-
16. Nec ſe ſola ad juſtificationem diſponit. dem partialiter. Hic igitur probandum dumtaxat ſupereſt quod nulla fides ſit ſe ſola ſufficiens ad juſtificationem diſpoſitio: id autem probo primò,quia fidei tribuitur primus acceſſus ad Deum *Heb.11.* eſſe initium ſalutis ut loquitur Tridentinum *ſeſſ.6. c.8.* eſſe primam inclinationem ad ſalutem, ut ſcribit Clemens Alexandrinus *lib.2. ſtrom.* quæ & ſimilia fidei parùm quadrarent, ſi ipſa eſſet ſufficiens & tota ad juſtificationem ſalutemque diſpoſitio. Secundò quia Tridentinum *ſeſſ.6.c.6.* deſcribens modum, quo homo ad juſtitiam præparatur atque diſponitur, non ſolam fidam recenſet, ſed ſimul timorem divinæ juſtitiæ, Dei dilectionem,ſpem,odium peccati, & pœnitentiam. Tertiò quia ſi fides ſe ſola per modum ſufficientis diſpoſitionis juſtificaret, juſtificaret etiam ſeparata à charitate contrà illud 1. Ioan.2. *Qui non diligit manet in morte*; juſtificaret item ſine bonis operibus contrà illud Iacobi 2. *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſalvare illum?* quibus verbis omninò reprimitur jactantia eorum, qui de ſola fide gloriantur; nec non imprudentia Lutheri qui auſus eſt ſcribere *fides, niſi ſit ſine ullis etiam minimis operibus, non juſtificat, imò non eſt fides* ut refert Bellarminus *lib. 1. de ju-*
17. *ſtificat.c.12.* Quartò quia fides conducit,ſeu diſponit ad juſtificationem, ipſam impetrando ac promerendo, & reconvertendo ad Deum hominem per culpam averſum; atqui hoc nec ſe ſola, nec ſufficienter præſtat fides, nam aliæ etiam virtutes habent vim impetrandi, ac promerendi; & ex ipſis plures, maximè verò charitas, reconvertunt ad Deum magis,quàm fides: ergo; major probatur ex eo quod non eſt alius modus, quo fidea ad juſtificationem conducat, nam apprehenſio juſtitiæ, quam ſectarij fidei tribuunt, prætar quod, ut jam attigimus, eſt de ſubjecto non ſupponente, non ſufficienter ſalvat modum loquendi ſcripturarum quo dicimus per fidem & ea fide juſtificati; ly quippè *per* & *ex* vim aliquam juſtitiæ cauſativam, non puram juſtitiæ apprehenſionem denotat.

Dices plura eſſe loca Scripturæ, ex quibus infertur fidem ſe ſola ad juſtificationem ſufficere: Talia ſunt primò ea, quibus in juſtificationis negotio nominatur ſolùm fides omnibus aliis prætermiſſis ut Luc.7. *Fides tua te ſalvam fecit* Rom.5. *Iuſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum*: Secundò ea,quibus traditur omnem credentem juſtificari & ſalvari ut Rom.1. *Evangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti.*Rom.10. *Omnis qui credit in eum non confundetur.*Ioan.3. *Vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam*; quæ propoſitionea non eſſent infallibiliter veræ, quoties fides ſe ſola non ſufficeret ad juſtificationem & ſalutem: Tertiò ea, quibus à negotio juſtificationis & ſalutis excluduntur noſtra opera ut Rom. 3. *Arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis.* Galat.2. *Scientes quod non juſtificatur homo ex operibus legis.*Epheſ.2.*Gratia eſtis ſalvati per fidem, non ex operibus*: Quartò afferunt aliqui ex Luc.8. *Crede tantùm & ſalva erit*, & ſibi applaudunt de illa particula *tantùm*, ob quàm exiſtimant ſe inveniſſe teſtimonium omninò expreſſum pro fide ſe ſola juſtificante Sed contrà: Adverto 18. Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.
In univerſum fidei frequentiùs, quàm aliis diſpoſitionibus & requiſitis juſtificationem tribui in novo teſtamento primò, quia initio promulgationis Evangelij, ut fides faciliùs reciperetur, expediebat eam præ cæteris virtutibus commendari, nec poterat id meliùs præſtari, quàm eximiè magnificando ejus neceſſitatem & conducentiam ad ſalutem,ſecundò, quia fides eſt initium & fundamentum eorum omnium, quæ ad ſalutem conferunt: Neque urgas verba illa Rom. 1. *Evangelium virtus Dei eſt,&c.quia revelatur in Deo juſtitia ex fide in fidem*, quaſi per ly *ex fide* juſtificationis initium per ly *in fidem* tota juſtificationis perfectio fidei tribuatur: Contrà enim ut omittam alias expoſitiones, quas inſinuat Bellarminus *lib.1. de juſtificat. c.20.* ly *ex fide in fidem* importat progreſſum à fide imperfecta ad fidem perfectam, & ſenſus eſt revelari in Evangelio juſtitiam Dei, quæ incipit à fide informi ac imperfecta, & perducitur ad fidem charitate formatam ac perfectam. Adverto inſuper Auguſtinum *lib. 3. contrà duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 7.* diſtinguere juſtitiam legis à juſtitia ex lege, ſeu in lege quòd juſtitia legis importet opera à lege

præcepta

præcepta, facta tamen ſecundùm ſpiritũ gratiæ, & hæc juſtitia utilis eſt ad ſalutem; undè Apoſtolus habet Rom. 2. *Factores legis iuſtificabuntur*, & Rom. 8. *Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.* Iuſtitia ex lege, ſeu in lege importet opera à lege præcepta, facta ex ſola cognitione legis abſque inſtinctu fidei & ſpiritu gratiæ; & hæc juſtitia nullius valoris eſt ad ſalutem: His in univerſum poſitis percurro breviter ſingulas relatas auctoritates, &

19. Deſumptis tùm ex Scriptura. Ad primas dico ex ipſis ad ſummum inferri, quòd fides ſpecialiùs & frequentiùs nominetur in juſtificationis negotio, quàm reliqua ad juſtificationem requiſita, idque ob duplicem rationem mox adductam, non ob ſufficientiam ſolius fidei ad juſtificandum; alioqui Scriptura aliis in locis, licèt fortè paucioribus, malè tribueret juſtificationem amori, timori, ſpei, &c. *Luc.* 7. *Eccleſ.* 2. *Rom.* 8. &c.

Ad ſecundas dico intelligendas eſſe negativè adeò ut ſenſus ſit neminem juſtificari & ſalvari niſi credat; quod eſt per tales auctoritates importari neceſſitatem, non ſufficientiam fidei ad ſalutem; vel clariùs dicito illas procedere de fide formata, quod eſt idem ac dicere non de fide ſola, ſed de fide ſimul cum aliis virtutibus, præſertim verò cum charitate.

Ad tertias dico ibi per opera legis, aut etiam per opera abſolutè prolata intelligi ea, quæ habent duntaxat juſtitiam in lege, ſeu ex lege, non juſtitiam legis, id eſt non inſtinctum fidei & ſpiritum gratiæ.

Ad quartam dico Chriſtum ibi exigere ſolam fidem, non ad juſtificationem & ſalutem æternam; ſed ad impetrandam ſanitatem, ſeu excitationem miraculoſam filiæ jam defunctæ: unde verba illa non pertinent ad rem præſentem, ad quam ſi pertinerent probarent fidem unius ſe ſola ſufficere ad juſtificationem & ſalutem alterius, quod nec Adverſarij prætendunt.

Ex dictis habetur Scripturam in præſenti controverſia de fide juſtificante non ſolùm re ipſa, ſed neque apparenter favere ſectariis; iſti quippè prærogativam juſtificandi tribuunt ſpeciali fidei promiſſionum, eique ſoli; illa verò quoties juſtificationem ac ſalutem fidei tribuit, loquitur de fide catholica, ſeu dogmatica, quia loquitur de fide ſimpliciter dicta, qua creduntur veritates revelatæ; nec limitat ad fidem ſolam, cum nec ſectarij ipſi potuerint pro fide juſtificante eruere ex Scriptura teſtimonium aliquod continens particulam illam *ſola* aliamve

20. Tùm ex Patribus. æquivalentem. Neque dicas ſanctos Patres ſuppleviſſe talem particulam deſideratam & non expreſſam in ſacrâ Scriptura, idque ſignanter præſtitiſſe Origenem *in c.* 3. *epiſt. ad Rom.* ubi ità habet *Et dicit (Apoſtolus) ſufficere ſolius fidei iuſtificationem, itaut credens quis tantummodò, iuſtificetur; etiamſi nihil ab eo operis fuerit expletum:* Ambroſium *in cap.* 4. *eiuſd. epiſt.* dicentem, *Non ergo opus eſt lex quando impius per ſolam fidem iuſtificatur*, & in c. 9. *Sola fides poſita eſt ad ſalutem:* Chryſoſtomum *homil. de fide & lege naturæ* dicentem *Latro reddidit tantùm, & iuſtificatus eſt:* Teophylactum *in c.* 3. *epiſt. ad Galat.* dicentem *fides ſola habet in ſe iuſtificandi virtutem:* Leonem *epiſt.* 70. dicentem *Sola fides catholica vivificat & ſanctificat.* Contrà enim: in relatis aliiſque ſimilibus ſanctorum Patrum ſententiis ly *ſola* non ponitur ad excludendam neceſſitatem cujuſlibet alterius virtutis, aut gratiæ in ordine ad juſtificationem, ſed aliquandò ad excludendam neceſſitatem operis externi; ità ponitur in verbis relatis ex Origene & Chryſoſtomo; aliquãdò ad excludendam neceſſitatem operum cæremonialium legis veteris, ità ponitur in verbis relatis ex Ambroſio; aliquãdò ad excludendam quamcumque fidem falſam & ſectam hæreticorum, ità ponitur in verbis relatis ex Leone; aliquãdò ad ſignificandum nihil ſine fide ſufficere ad juſtificandum, & per ipſam ſolam haberi juſtificationem negativè, quatenùs ipſa ſola deficiente non habetur juſtificatio, ità ponitur in verbis relatis ex Theophylacto.

CAPUT II.

De iuſtificatione poſitivè accepta prout explicat formam, quæ iuſtificat de facto.

IAM ſuprà *n.* 7. memini juſtificationis poſitivæ & negativæ, eamque me huic præmiſſurum ſpopondi, ſto promiſſis; & quia in materia iuſtificationis plura bene admittuntur de poſſibili, quæ malè aſtruuntur de facto, clarioris ac facilioris doctrinæ gratia ab illis iſta ſecerno; & ſervatis in caput quartum iis, quæ circa juſtificationis poſitivæ modum in ordine ad abſolutam Dei potentiam dici poſſunt, ſub hoc capite expendo ea duntaxat, quæ eidem conveniunt ſecundùm præſentem providentiam, & potentiam Dei ordinariam; impugnando quæ malè, ſtabiliendo quæ bene dicuntur circà formam de facto iuſtificantem; & primùm breviter probando contrà hæreticos iuſtitiam inhærentem, deinde percurrendo quæ inter Catholicos controvertuntur de ipſa iuſtitia inhærente collocanda in actu, vel in habitu; in habitu uno, vel multiplici; in habitu ſolo, vel ſimul cum favore Dei extrinſeco. 21

§. I.

Vtrùm iuſtificatio poſitiva habeatur de facto per formam inhærentem?

ASSERT. Noſtra poſitiva juſtificatio habetur de facto nec per juſtitiam Chriſti nobis imputatam, nec per ſolam juſtitiam 22

eſſentialem Dei nos inhabitantem, ſed per formam nobis inhærentem. Eſt veritas fidei contrà hæreticos, & errores memoratos tùm *lib præced. c. 1. n. 5.* tùm *hoc lib. n. 8.*

Noſtra juſtificatio non habetur per juſtitiam Chriſti imputatam.

Probatur prima pars ex Tridentino *ſeſſ. 6. can. 11.* anathematizante eum, qui dixerit *homines juſtificari ſola imputatione juſtitiæ Chriſti.* Confirmatur primò ex eo, quòd juſtitia noſtra derivatur à juſtitia Chriſti; ergo non eſt ipſamet juſtitia Chriſti nobis imputata; probatur antecedens ex Ioan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus & gratiam pro gratia*, ex Rom. 1. *Per quem accepimus gratiam.* Confirmatur ſecundò ex eo, quòd noſtra juſtificatio, ſi conſiſteret in imputatione juſtitiæ Chriſti, haberet ſignificationem forenſem & impropriam jam impugnatam *præced. cap. §. 1.* & iterum impugnabilem ex eo, quia nulla ſit neceſſitas tribuendi noſtræ juſtificationi talem ſignificationem impropriam, ſicuti nulla eſt neceſſitas imputandi nobis juſtitiam Chriſti; quod enim dicunt Sectarij neceſſariam eſſe talem imputationem ex eo, quia peccata tegantur tantùm non tollantur, adeoque peccator nequeat evadere juſtus niſi juſtitia aliena, eſt errorem errore fulcire & rejicietur *cap. ſeq. §. 1.* Quod addunt ex Scriptura in qua *1. Cor. 3.* Chriſtus dicitur factus nobis *juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*, & Ierem. 23. vocatur *Iuſtus noſter*, ſeu juxtà textum hebræū *Iuſtitia noſtra*, non officit, quia talia verba meritoriè & cauſaliter; non imputativè & formaliter intelligenda ſunt; & Adverſarij, cū nullibi in Scripturâ reperiant imputationē juſtitiæ Chriſti, hanc non poſſūt inducere, niſi fictitiè & abſque omni auctoritatis æquè ac rationis fundamento.

3\. Nec per juſtitiam ſolam Dei inhabitantem.

Probatur ſecunda pars ex Tridentino *ſeſſ. 6. c. 7.* ſtatuente pro unica formali cauſa noſtræ juſtificationis *juſtitiam Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit*, ex quo obiter habetur legitimus ſenſus illorum verborum 1. Cor. 10. *Ignorantes juſtitiam Dei* (id eſt quâ Deus nos juſtos facit) *& ſuam* (id eſt ex ſuis propriis ac naturalibus viribus provenientem) *volentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* Confirmatur primò: recolendo ſupradicta *lib. præced. cap. 1. § 1.* contrà non diſtinguentes gratiam & charitatem à perſona Spiritus ſancti ſubſtantialiter nobis communicata, & ſpecialiter unita. Confirmatur ſecundò ex eo, quòd juſtitia Dei cùm ſit ſemper eadem & intenſionis ac remiſſionis incapax, ſi per eam ſolam formaliter haberetur juſtificatio, haberetur ſemper & in omnibus juſtis juſtificatio æqualis, imò omnes juſti æquarentur Deiparæ & ipſi Chriſto, quod blaſphemum & abſurdiſſimum eſt, licèt fuerit à nonnullis hæreticis admiſſum teſte Ruardo *in explicat. articuli de juſtificat. §. pro majori autem.* Nec

4\. rectè dicitur juſtos adhuc eſſe inæquales propter inæqualitatem fidei, quâ credunt juſtitiam Dei ipſos inhabitantem. Rectè, inquam, non dicitur, quia ſecundùm tales hæreticos fides eſt pura apprehenſio, & applicatio juſtitiæ, ſeu formæ juſtificantis; forma autem eadem & indiviſibilis quomodocumque applicetur præſtat eundem & æqualem effectum formalem.

Sed per formā inhærentem phyſicè.

Probatur tertia pars ex Tridentino *can. & cap. præcitatis* expreſsè requirente ad noſtram juſtificationē aliquid nobis inhærens. Confirmatur primò: Angeli & primi parentes fuerunt juſti per formam ipſis inhærentem, ergo nos pariter per formam nobis inhærentē juſtificamur, in juſtificatione enim recuperamus per Chriſtum quod in Adamo perdidimus; recuperamus igitur formam juſtificantem inhærentem, ſi talis fuit Adamo collata & in Adamo deperdita. Confirmatur 5.
ſecundò ex eo, quod excluſis jam juſtitia Dei & Chriſti non remanet aſſignabilis alia juſtitia, quæ non ſit forma nobis inhærens, & quidem phyſicè; nam licèt juxtà infrà dicenda *c. 4. §. 1.* de potentia abſoluta excogitabilis fortè ſit juſtitia capitis moralis, quæ nobis moraliter tantùm inhærens nos juſtificet; nulla tamen eſt ne quidem apparens ratio talem juſtitiam excogitandi de facto, & ſufficere quidem illa poteſt ad aliquam juſtificationem, at non ad eam, quæ de facto fit, & quâ, ut loquitur Tridentinum *præcit. c. 7.* homo renovatur interiùs per voluntariam ſuſceptionē gratiæ & donorum, & juſtitiam recipit unuſquiſque ſuam; proptereà Oviedus *tr. 8. contr. 1. n. 7.* rectè monet eſſe de fide certum dari de facto in noſtra juſtificatione juſtitiam non ſolùm nobis inhærentem, ſed etiam inhærentem phyſicè, ſaltem in prima ſui infuſione; quas poſtremas particulas addit, ne damnet ſententiam Vaſquij aſſerentem actum dilectionis Dei ſuper omnia eſſe formā ſanctificantem, eoque phyſicè tranſacto, per peccatum tamen non retractato, permanere hominē ſanctum & juſtum.

Et eſt contrà fidem, ſi de facto aſtruatur inhærens ſolùm moraliter.

Dices: ex Rom. 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ità & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi:* atqui culpa originalis, quæ nos per unius inobedientiam peccatores conſtituit, nobis inhæret ſolùm moraliter: ergo etiam moraliter ſolùm nobis inhæret juſtitia, quæ nos per unius obeditionem juſtos conſtituit.
Sed contrà: Senſus Apoſtoli eſt, quòd ex 6.
unius inobedientia originem traxerit culpa, ex unius obedientia originem traxerit juſtitia, & hoc ſufficit ad verificandam proportionem, ſeu paritatem importatam per illam particulam *ſicut*, quæ certe paritas extendenda non eſt ad modum, quo tùm habitualis culpa tùm habitualis juſtitia nobis inhæret, quia habitualis culpa non poteſt ab extrinſeco infundi & phyſicè inhærere; benè verò habitualis juſtitia, cum igitur culpa ſit capax ſolius inhærentiæ moralis, & juſtitia ſit capax inhærentiæ phyſicæ, ex morali inhærentia culpæ non rectè arguitur ad moralem inhærentiam juſtitiæ.

Poſſent hic pro veritate juſtitiæ nobis inhærentis congeri valdè multa, & valdè expreſſa Sanctorum Patrum teſtimonia, ſed quia ut refert Herincx *diſp. 4. quæſt. 2. num. 7.* ipſimet Sectarij fatentur Sanctos Patres in doctrina juſtificationis pro nobis ſtare, eoſque

que propterea in hâc controverſia non recipiunt neceſſe non eſt aliquem in particulari proferre, videat verò, qui velit, eorum non paucos apud Bellarminum *lib. 2. de juſtificat. cap. 8.*

---

§. II.

Vtrùm forma inhærens, quâ de facto juſtificamur, ſit qualitas permanens, & habitus?

7. *Forma de facto in Sacramento juſtificans eſt qualitas permanens & habitus.*

ASSERT. 1. Forma inhærens, quâ de facto juſtificamur in Sacramento, vel antè uſum rationis, vel cum ſola attritione, eſt qualitas permanens & habitus. Ità poſt Concilium Tridentinum Theologi omnes, quamvis cum aliquo inter ſe diſſidio in qualificanda aſſerti certitudine, quam nonnulli volunt eſſe ſolùm Theologicam, & oppoſitum cenſent temerarium dumtaxat aut ad ſummũ errori proximum; cæteri magis communiter ſentiunt eſſe fidei, & oppoſitum cenſent hæreſim, utriuſque ſententiæ Auctores latè enumerat Amicus *diſp. 29. ſect. 2.*

Probatur: Forma inhærens, quâ de facto juſtificamur in Sacramento vel antè uſum rationis vel cum ſola attritione, neque ſpectat ad aliud prædicamentum à qualitate, neque eſt qualitas tranſiens; ergo forma inhærens, quâ &c. eſt qualitas permanens & habitus: Antecedens quoad primam partem, de cujus certitudine procedit inſinuatum diſſidium inter Theologos, ex quibus negantes aſſertum eſſe certum de fide id non negant ex ea parte, qua aſtruit formam juſtificantem eſſe permanentem & habitualiter durantem; ſed ex ea, qua aſtruit eſſe qualitatem, ut obſervat Oviedus *hic controverſ. 1. num. 35.* Antecedens, inquam, quoad primam partem probatur inductione, nam talis forma neque ſpectat ad prædicamentum ſubſtantiæ, quia eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, quam aliundè ſuppono in creatis repugnare; neque ad prædicamentum quantitatis, quia quantitas non eſt forma, quæ convenire poſſit animæ rationali, eamque perficere; neque ad prædicamentum relationis, quia hæc reſultat, non infunditur, aut producitur per ſe, item quia recurreret difficultas in aſſignando prædicamentu, ad quod ſpectaret ratio fundandi talem relationem; neque ad prædicamentum actionis & paſſionis, quia actio & paſſio ſunt via ad formam, non forma, item quia recurreret difficultas in aſſignando prædicamento ad quod ſpectaret terminus illius actionis & paſſionis; neque ad prædicamenta ubi, & quando, quia forma qua juſtificamur abſtrahit à quocumque determinato loco & tempore; neque tandem ad prædicamenta ſitus & habere, quia hæc ſunt prædicamenta propria rerum materialium; ex omnium igitur prædicamentorum inductione conſtat formam inhærentem, qua de facto juſtificamur non ſpectare ad aliud prædicamentum à qualitate. Probatur modò antecedens quoad ſecundam partem, quòd ſcilicet talis forma non ſit qualitas tranſiens; nam vel eſſet actus hominis juſtificati, vel motio Dei juſtificantis; atqui neutrum dici poteſt, quia quando per baptiſmum juſtificamur antè uſum rationis, neque ſumus capaces actus proprij, neque motionis divinæ quæ ad actum datur; quando verò utentes ratione per baptiſmum aut pœnitentiam juſtificamur cum ſola attritione, habemus quidem actum proprium quo atterimur; at iſte actus non poteſt juſtificare formaliter, quia ſi hoc convenit alicui actui, convenit ſoli contritioni; habemus item motionem divinam, at ſi actus, ad quem datur, nos non juſtificat formaliter, multò minùs id præſtat motio, quæ eſt via ad actum; ergo à primo ad ultimum forma inhærens, qua de facto juſtificamur in Sacramento, vel antè uſum rationis, vel cum ſola attritione, eſt qualitas non tranſiens & actualis, ſed permanẽs & habitualis. 8.

9. *Idque meliùs dicitur habere certitudinem fidei, quam ſolũ Theologicam.*

Ex his non ſolùm manet ſufficientiſſimè probata aſſerta veritas, verùm etiam infertur ejus certitudinem meliùs dici de fide, quàm dumtaxat Theologicam, nam cum poſt Tridentinum de fide ſit omnem juſtificationem de facto haberi per formã intrinſecam ac inhærentem juſtificato, & evidenti inductione conſtet talem formam in juſtificatis antè uſum rationis, vel cum ſola attritione, non poſſe eſſe niſi qualitatem permanentem & habitualem, ſequitur aſſertam veritatem deduci poſt Tridentinum ex una præmiſſa fidei, alterâ evidente; omnis autem veritas ità deducta, ſi minùs formaliter & ut deducta, ſaltem materialiter & ſpecificativè habet certitudinem fidei. Dixi *poſt Tridentinum* nam olim circà juſtificationem parvulorum in baptiſmo, utrùm eis culpa præcisè remitteretur, an ſimul conferretur aliqua forma inhærens & fieret infuſio habituum? erat controverſia, in qua licebat utramlibet partem ſequi, ut evincitur *ex cap. Majores de baptiſmo* ubi Innocentius III. utramque ſententiam refert, & neutram damnat: Poſteà Concilium Viennenſe ſub Clem. V. juſſit quidem omnes ſequi ut probabiliorẽ ſententiam affirmantem fieri parvulis infuſionem habituum, at non prohibuit judicare probabilem ſententiam oppoſitam. Poſtremò Tridentinum tum *ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali* anathematizat negantes conferri in baptiſmate gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, tùm *ſeſſ. 6. cap. 7. & can. 11.* ſimpliciter ſtatuit omnem noſtrã juſtificationem haberi per formam inhærentem, ſolùm igitur poſt Tridentinum, non antè, certò conſiſtit in juſtificatione parvulorum infundi formam inhærentem, & conferri habitus; in juſtificatione, inquam, parvulorum, nam in juſtificatione adultorum neque etiam antiquitùs & antè Tridentinum fuit inter Catholicos dubitatum de habituum infuſione, ut rectè obſervant Suarez *lib. 6. cap. 3. num. 4.* Oviedus *controv. 1. num. 12.* Herinex *diſp. 4. quæſt. 3. num. 9.*

Quoad Parvulos tamen tantùm poſt, non antè Tridentinũ.

Aſſert. 2. Forma inhærens, qua de facto 10.

Sola qualitas permanens ſeu ſolus habitus juſtificat etiam extrà Sacramentum.

extrà Sacramentum juſtificamur cum actu contritionis dilectioniſvè Dei ſuper omnia, eſt unicè qualitas permanens & habitus non verò ipſe contritionis dilectioniſvè actus. Ità Ioannes à S. Thoma *diſp.17. art.1.* Gonetus *diſp.1. de juſtificat. art.3.* Gabriel à S. Vincentio *diſp.13. quæſt.5.* Bellarminus *lib.2. de juſtificat. cap.13.* Amicus *diſp. 33. ſect.3.* Oviedus *controv.1. punct. 2. & 7.* Eſparza *lib.5. quæſt.12.* Herincx *diſp 4 quæſt.3. & 5.* Madernus *quæſt.5. art.7.* cæterique Theologi magis communiter contrà Vaſquium *hic diſp 203.* Turrianum *opuſc.6. diſput.4.* Mezatium *tr. de gratia diſp.12.* Gaſparem Hurtadum *tract. de pœnit. diſp 2. difficult.7.* Ioannem Vincentium *de gratia Chriſti quæſt.1.* & licèt ex his nonnulli, præſertim Vaſquez videantur de poſſibili, tantùm non de facto, tribuere actui contritionis ſeu dilectionis vim formaliter juſtificandi, tamen eorum argumenta de facto militant æquè ac de poſſibili.

51. Dixi *eſt unicè qualitas permanens & habitus*: Primò ut conjungendo per particulam copulativam *&* qualitatem permanentem cum habitu innuerem me utrumque pro eodem ſumere, nec in præſenti ſolicitum eſſe loquendi de habitu, prout ſpectat ad primam ſpeciem qualitatis in toto rigore, & ſupponit pro ſolo habitu operativo, cujuſmodi propriè nō eſt gratia ſanctificans, quā propterea Amicus *diſp.29. ſect.4. n.134.* aliq; nonnulli volunt pertinere ad primā ſpeciem qualitatis, ut eſt diſpoſitio, non ut eſt habitus; in hac re non immoror, & aſſerendo formam juſtificantem eſſe habitum nihil aliud pro nunc intelligo, quàm eſſe donum permanens de genere qualitatis, ſeu eſſe permanentem qualitatem. Secundò ut per particulam reſtrictivam *unicè* exprimerem nos ità juſtificari per habitum, ut non ſimul juſtificemur per ullum actum; & quia ſpecialis eſt controverſia de actu contritionis & dilectionis, hunc ſignanter excluſi addendo particulas illas *Non verò*, &c. Porrò aſſertum quatenùs affirmat adultos extrà Sacramentum juſtificari per habitum eſt ferè in eodem gradu certitudinis ac aſſertum præcedens, & qui doceret eos juſtificari per ſolùm actum videretur de errore ſuſpectus, & ſaltem non effugeret notam temeritatis; undè Oviedus *hic controv.1. punct.2.* poſtquam pro Vaſquio laboravit in ſuſtinendo definitum non eſſe in Tridentino juſtificationem adulti extrà Sacramentum fieri per habitum, *num. 26.* fatetur fore temerarium modò aſſerere quòd per habitum non fiat: Idem aſſertum quatenùs negat adultos extrà Sacramentum juſtificari ſimul per actum habet longè inferiorem certitudinis gradum, & cōmuniter nulla inuritur nota opinioni docenti juſtificationem adultorum extrà Sacramentum haberi de facto per contritionem & per gratiam, tanquam per duplicem formam inhærentem actualem unam & phyſicè tranſeuntem, habitualem alteram & phyſicè permanentem. Aſſertum ſic explicatum

Quomodo cadat cenſura in opinionem oppoſitam.

52. Probatur primò: Forma inhærens, quâ de facto juſtificamur in Sacramento, vel antè uſum rationis, vel cum ſola attritione, eſt unicè qualitas permanens & habitus, ergo ſimiliter forma inhærens, quâ de facto juſtificamur extrà Sacramentū cum actu contritionis, &c. antecedens ſupponitur ex aſſerto præcedenti & admittitur ab Auctoribus Theologis, cum quibus modò res agitur; conſequentia probatur primò quia Tridentinum *ſeſſ 6. cap.7.* in quo certè ſtatuitur formam de facto juſtificantem eſſe non ſolùm inhærentem, verùm etiam permanentem, loquitur de juſtificatione facta extrà Sacramentum æquè ac de facta in Sacramento; alioqui ſi de hâc ſola loqueretur, de hâc ſola etiam, non de facta extrà Sacramentum eſſet certum, quòd fieret per formam inhærentem; Dicere verò Concilium 53. æquè loqui de utraque juſtificatione in ordine ad fieri per formam inhærentem, non in ordine ad fieri per formam permanentem, eſſet limitatio, quam Concilij verba paterentur quidem, ſi aliundè conſtaret ipſius neceſſitas; at dum hæc aliundè non conſtat, improbanda eſt limitatio illa tanquam inducta gratis & contrà generalem regulam non limitandi ſine neceſſitate auctoritates: Eadem conſequentia probatur ſecundò, quia eo ipſo, quòd in Sacramento unicè juſtificamur per habitum, conſequens eſt hunc habere ſe ſolo virtutem perfectè juſtificandi, fruſtrà igitur inquiritur alia forma, quæ ſimul cum habitu extrà Sacramentum juſtificet: Tertiò quia non ſolùm attritio, verùm etiam contritio non poteſt juſtificare formaliter ex infrà dicendis *c.4. §.2.* ergo non ſolùm dum juſtificamur cum attritione in Sacramento, verum etiam dum juſtificamur cum contritione extrà Sacramentum, juſtificamur unicè per habitum.

54. Probatur ſecundò. Forma inhærens quâ de facto extrà Sacramentum juſtificamur eſt conſtitutiva ſtatus, omnis enim juſtificatio impij eſt tranſitus à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, ut colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap.4.* ſed forma conſtitutiva ſtatus debet eſſe permanens, cujuſmodi eſt ſolus habitus, non verò actus contritionis, aut ullus alius actus viæ; (viæ, inquam, ut excipiam actum viſionis in patriâ, qui ſicuti eſt prima ratio conſtitutiva ſtatus omnium bonorum aggregatione perfecti, ità ex hoc capite non caret prærogativâ formæ juſtificantis) ergo forma inhærens, quâ de facto extrà Sacramentum juſtificamur eſt unicè qualitas permanens, &c. Minor probatur, quia ſtatus à ſtabilitate dicitur, eique motus & tranſitus opponuntur; importat igitur permanentiam nec conſtitui poteſt niſi per formam permanentem.

Iuſtificatio conſtituit ſtatum.

Dices: Status juſti opponitur ſtatui peccatoris; atqui ſtatus peccatoris conſtituitur per formam permanentem ſolùm moraliter, ideſt per non retractatum actum peccati, ergo ſimiliter per formam permanentem ſolùm moraliter ideſt per non retractatum actū contritionis ſeu amoris conſtitui poteſt ſtatus juſti. Sed contrà: ſtatus juſti verè oppo- 55.

nitur

Iuſtus habet ſtatum Phyſicum, Peccator ſtatum purè moralé.

nitur ſtatui peccatoris, at ſicuti *ex præcedenti num.6.* ab inhærentia morali culpæ non rectè arguitur ad inhærentiam moralem juſtitiæ; ità nec à ſola permanentia morali illius ad ſolam permanentiam moralem iſtius.

Probatur tertiò ſpecialiter quod contritionis dilectioniſvè actus non ſit forma de facto juſtificans. Contritio de facto eſt diſpoſitio ad formam juſtificantem; ergo non eſt forma de facto juſtificans alioqui eſſet diſpoſitio ad ſe ipſam, & aliquo modo cauſa ſui ipſius, cum diſpoſitio exerceat cauſalitatem aliquam in formam, ad quam diſponit; antecedens probatur ex Tridentino *ſeſſ.6. cap.6.* ubi inter diſpoſitiones quibus impius ad juſtitiam præparatur enumerantur actus dilectionis Dei & pœnitentiæ: nec rectè intelligitur Concilium de ſolo actu dilectionis & pœnitentiæ imperfectæ, qui attritio dicitur: Non rectè, inquam, quia loquitur de actibus neceſſariis in adulto ad conſequendam juſtificationem per baptiſmum, ad quam certè non eſt determinatè neceſſaria attritio & imperfecta pœnitentia conſequēs ad imperfectam dilectionem, ſed indeterminatè attritio vel contritio, imperfecta vel perfecta pœnitentia & dilectio; loquitur igitur Concilium de pœnitentia & dilectione in genere, prout à perfecta & imperfecta, à contritione & attritione præſcindit;

Contritio eſt diſpoſitio ad juſtificationem & ad formam juſtificantem.

16. hocque corroboratur ex eo, quod idem Concilium *ſeſſ.14. cap.4.* agens de contritione quâ homo poſt baptiſmum lapſus præparatur ad ritè ſuſcipiendum Sacramentum pœnitentiæ ait *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius*, ubi certè ly *contritionis motus* non ſupponit pro contritione imperfecta; hæc quippè non fuit quovis tempore neceſſaria ad impetrandam veniam peccatorum; & antè legem Evangelicam, ſicuti nullatenùs neque etiam in Sacramento ad talem veniam impetrandam erat ſufficiens, ità nullatenùs ad eamdem erat neceſſaria; cadunt igitur verba illa ſupra contritionem perfectam, quam Tridentinum ſtatuit eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad Sacramentum pœnitentiæ, non tamen unicam; cum *eod. cap.* poſteà loquens de contritione imperfecta, quæ attritio dicitur, ità habeat *& quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.*

17. Plura alia ad ejuſdem antecedentis probationem afferri poſſunt tùm ex Scriptura, in quâ ſæpè Deus promittit remiſſionem peccati conterenti ſe & ſe ad ipſum convertenti, ſignum eſt igitur remiſſionem peccati & formam juſtificantem eſſe quid conſequens ad contritionem & converſionem in Deum, tanquam ad diſpoſitionem; tùm ex Sanctis Patribus ex quibus præſertim D. Thomas pluribus in locis, expreſſiſſimè verò *quæſt.28. de veris. art. 8. ad 1. 2. & 4.* docet contritionem eſſe diſpoſitionem ad culpæ remiſſionem & ad gratiam.

Dices; conceſſo tandem abſolutè antecedente illo *Contritio eſt diſpoſitio ad formam juſtificantem* negari poſſe conſequentiam *ergo non eſt forma juſtificans*, vel diſtinguendò concedi, quòd non ſit forma juſtificans eadem, ad quam diſponit; negari verò, quòd nō ſit forma juſtificās diverſa: ratio eſt quia homo poteſt eſſe juſtus & ſanctus duplici diverſo titulo, & de facto Chriſtus talis eſt tùm per gratiam habitualem tùm per gratiā unionis: ex alia parte ſicuti loquēdo de duplici diverſa vita, vel de duplici diverſa virtute, diſpoſitio ad vitā poteſt eſſe vita, ſic vita ſenſibilis eſt diſpoſitio ad vitā rationalé; diſpoſitio ad virtuté poteſt eſſe virtus, ſic fides poteſt eſſe diſpoſitio ad ſpem, temperantia actus eſt diſpoſitio ad temperantiam habitum, cur ſimiliter loquendo de duplici diverſa ſanctitate ſeu forma juſtificante & ſanctificante dici non poterit quod una ſit diſpoſitio ad aliam, & tamen utraque ſit ſimpliciter ac perfectè forma juſtificās & ſanctificans.

18. Sed contrà: tranſeat negari poſſe conſequentiam in vi illationis præciſe, non ſic negari poteſt in ſubjecta materia, in quâ aliundè ſupponitur formam juſtificantem eſſe unicam primò ex eo quod Tridentinum *ſeſſ.6. cap.7.* ſtatuit unicam formalem cauſam noſtræ juſtificationis eſſe juſtitiam Dei & licèt ly *unicam* præcipuè ponatur ad ſtabiliendam ſolam formam juſtificantem intrinſecam & excludendam extrinſecam, tamen diſtinguere deindè duplicem formam juſtificantem intrinſecam actualem unam, habitualem alteram minùs quadrat eidem Tridentino ſubdenti talem unicam formam juſtificantem recipi ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, eſſe ſicut primam ſtolam in Adamo deperditam, debere conſervari ut perferatur antè Tribunal Chriſti, quæ habitui tantum rectè accommodantur, non actui: Secundò quià nullibi Sancti Patres & Concilia meminerunt duplicis formæ juſtificantis, & ità ſæpè dixerunt per juſtificationem nos præparari & diſponi ad juſtificationem, ut nunquam dixerint per illam nos juſtificari formaliter. Suppoſito igitur qoòd de facto forma juſtificans unica ſit, non duplex, ſic poteſt efficaciter inſtaurari noſtra ſuperior probatio: Vbi eſt unica forma juſtificans, diſpoſitio ad formam juſtificantem non eſt forma juſtificans; ſed de facto eſt unica forma juſtificans & ad hanc contritio eſt diſpoſitio, ergo de facto contritio non eſt forma juſtificans.

Forma, quâ de facto juſtificamur, eſt unica.

Vrgebis: Quamvis in Scriptura & Patribus non habeatur verbis omninò expreſſis nos juſtificari formaliter per contritionem aut dilectionē, habetur id ſæpè verbis æquivalentibus, quibus charitati tribuitur noſtra perfectio & ſanctitas, manſio Dei in nobis, remiſſio peccatorum, &c. ſic dilectio Dei *Rom.* 10. dicitur *plenitudo legis* & Coloſſ. 14. *vinculum perfectionis* ſic *Io.* 14. habetur *Si quis diligit me Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Proverb. 10. *Vniverſa delicta operit charitas* 1. Pet. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*: Sic ex Sanctis Patribus Auguſtinus

guſtinus *de natura & gratia cap.*42. docet charitatem eſſe noſtram juſtitiam & *cap.ult.* ità loquitur *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt; charitas provecta juſtitia eſt; charitas magna, magna juſtitia eſt.* Sed contrà:

19. Occurritur auctoritatibus Adverſariorum. transferri huc poſſunt quæ dicebamus *lib. præced. cap.*1. *num.*52. ad eaſdem ferè aliaſque ſimiles auctoritates ibi adductas pro identitate charitatis cum gratia; ſolùm obſervo verba mox relata *ex Io.*14. in ly *manſionem apud eum faciemus* continere juſtificationem factam per aliquid permanens, adeoque favere noſtro magis, quàm Adverſariorum intento.

Prætereo hic rationes alioqui non contemnendas, quæ contrà doctrinam hucuſque poſitam militant, arbitratus eis me faciliùs & commodiùs ſatisfacturum, dum poſtquam explicuero modum, quo de facto habetur juſtificatio negativa & peccatorum remiſſio, oſtendam neque etiam de potentia abſoluta poſſe aut poſitivam aut negativam juſtificationem haberi formaliter per contritionis dilectioniſvè actum; vide igitur infrà dicenda, *cap.*4. §.2.

§. III.

Vtrùm habitus, quo de facto juſtificamur, ſit ſimplex, & unicus; An compoſitus ex multis, aut multiplex?

20. Habitus de facto formaliter juſtificans nō eſt compoſitus ex multis. Assert.1. Habitus, quo de facto formaliter juſtificamur, eſt ſimplex, non ex multis compoſitus. Ità Cajetanus 1. 2. *quæſt.*110. *art.*4. Medina *eod. art.* favente D. Thoma *ibid.* item *quæſt.*111. *art.*2. & *de veritate quæſt.*27. *art.*5. *ad* 17. D.Thomam & Thomiſtas ſequuntur Suarez *lib.* 7. *cap.* 9. *num.*13.*&* 20.Tannerus *diſp.*6.*quæſt.*5.*dub* 2. *num.*36. Oviedus *controv.*1. *punct.*5. cæterique Theologi magis cōmuniter contrà Aureolum *in* 2. *diſt.*26. *quæſt. unica art.*1. collocantem formam juſtificantem in collectione omnium habituum ſupernaturalium: Item contrà Vegam *lib.*7.*in Trident. cap.*3.& Sotum *lib.*7. *de natura & gratia cap.*18. eamdem formam collocantes in collectione trium habituum fidei, ſpei, & charitatis: Tandem contrà Lorcam *diſp.*16. *de gratia* volentem habitum ſaltem charitatis, ſi ab habitu gratiæ diſtinguitur, ſimul cum iſto requiri ad noſtram juſtificationem.

Dixi *quo de facto formaliter juſtificamur* nbi per ly *formaliter* non ſolùm intelligo illud, quod quocumque modo juſtificat tanquam forma, ſed illud quod inter alias formas habet primariam, eſſentialem, & formaliſſimam juſtificandi rationem, & quo ſolo poſito habetur tota juſtificationis eſſentia, ideſt amicitia cum Deo, jus ad gloriam, expulſio peccati; quamvis non tota juſtificationis perfectio ſecundaria, accidentalis, & integralis; ad quam certè perfectionem pertinent omnes ſupernaturales habitus, imò & omnes ſupernaturales actus; hæc enim omnia communi quadam ac valdè generali ratione reddunt hominem juſtum & ſanctum, & ſunt ſuo modo participationes bonitatis ac ſanctitatis divinæ.

Probatur: eo formaliter juſtificamur, quo reddimur habentes primam radicem totius ſanctitatis atque juſtitiæ, amicitiam cum Deo & jus ad gloriam, quo item abſtergimus omnem peccati maculam; ſed hoc totum nobis præſtatur habitu gratiæ ſumpto ſecundum ſuum eſſe ſimplex, non ut faciente collectionem & complexum cum omnibus aut aliquibus habitibus virtutum infuſarum; ergo id, quo de facto formaliter juſtificamur, eſt habitus ſimplex, non ex multis compoſitus; major patet ex mox præmiſſa explicatione illius particulæ *formaliter*, minor ſupponitur partim *ex præced lib.cap.*1. §.2.3.*&* 4. partim *ex cap.ſeq.*§.2. Confirmatur ſpecialiter, quod habitus formaliter juſtificans non componatur formaliter ex virtutibus Theologicis fidei, & ſpei, nam habitus fidei & probabiliter etiam habitus ſpei non datur in patria, ubi tamen datur tota eſſentialis juſtitia, quæ datur in via. Confirmatur inſuper ex eo, quod eſſentia quælibet ex genere ſuo meliùs explicatur per ſimplicem, quàm per complexum conceptum; per illum enim meliùs, quàm per iſtum acceditur ad rationem primam & formaliſſimam contradiſtinctam à paſſionibus, proprietatibus, & accidentibus integrantibus adæquatam & materialem perfectionem rei; ergo dum hic agimus de eo, quo juſtificamur tanquam juſtitia eſſentiali & prima, meliùs id collocatur in habitu ſimplici, quàm in complexo & compoſito ex multis. Confirmatur 22.
tandem ex eo, quod Tridentinum *ſeſſ.*5. *in decreto de peccato originali* ſtatuit iſtud remitti per gratiam, quæ in baptiſmate confertur & *ſeſſ.*6. *cap.*4. docet juſtificationem impij eſſe tranſlationem in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum, & neutro in loco meminit alicujus alterius habitus, ad ſimplicem igitur gratiæ habitum reducit totam formæ juſtificantis eſſentiam.

Dices idem Concilium alibi aliorum habituum meminiſſe, nam *ſeſſ.*6. *cap.*7. explicat juſtificationem *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum*, Ecce virtutum omnium collectionem pro ſententia Aureoli; *eod. cap.* ait *in juſtificatione hæc omnia accipere hominem infuſa per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem*; Ecce trium virtutum Theologicarum collectionem pro ſententia Vegæ & Soti: *ead. ſeſſ. can.*11. anathematizat dicentem *homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate*, Ecce charitatis cum gratia conjunctionem pro ſententia Lorcæ. Sed contrà: *cit.cap.*7. Concilium explicat totum juſtificationis progreſſum ſeu juſtificationem adæquatam, non juſtificationis eſſentiam ſeu juſtificationem formalem; nos autem hāc ſolam collocamus in habitu ſimplici: *can.*11.
anathema

anathematizat excludentes à juſtificatione gratiã & charitatem, non excludentes ſolam charitatem; & conjungit gratiam cum charitate, non quia velit utramque ad juſtificationem formalem requiri, ſed quia vult non utramque à juſtificatione formali excludi, non exprimit autem excludi poſſe charitatem potiùs, quàm gratiam, ne videatur damnare identificantes charitatem cum gratia.

23. Nec eſt multiplex. Aſſert. 2. Habitus, quo de facto formaliter juſtificamur, eſt unicus, non multiplex; nec dantur duo aut plures habitus, quorum quilibet ſeorſim & ſe ſolo ſit forma juſtificans. Ita Theologi relati pro aſſerto præcedenti, cæterique communiter contrà Vaſquium *diſput.* 198. *cap.* 3 ubi problematicè permiſſa diſtinctione reali habitus gratiæ ab habitu charitatis docet hunc habitum etiam ut realiter ab illo diſtinctum eſſe formam ſimpliciter & adæquatè juſtificantem.

Probatur aſſertum, in quo ly *formaliter* debet ſumi eodem rigore, quo in aſſerto præcedente; probatur, inquam, repetendo in primis *ex præced. num* 18. definitionem Tridentini de unica formali cauſa noſtræ juſtificationis, quæ quidem definitio licèt ex proprio Concilij intento excludat ſolùm plures cauſas formales, quarum una intrinſeca ſit, altera extrinſeca, & ex contextu deindè verborum, ac modo loquendi plures etiam intrinſecas, quarum una habitualis ſit, altera actualis; negari tamen nequit, quin aliqualiter faveat excluſioni cujuſcumque pluralitatis formarum juſtificantium, quarum quælibet ſit habitualis.

24. Habitus charitatis nõ eſt ex ſe forma juſtificans. Probatur inſuper & efficaciùs ratione: Habitus charitatis ſeorſim & ſe ſolo non eſt forma juſtificans; ergo habitus, quo de facto formaliter juſtificamur, eſt unicus, non multiplex; eſt ſcilicet ſolus habitus gratiæ; nec dantur duo, aut plures habitus, &c. conſequentia patet, quia de nullo alio habitu viæ (ut pro nunc præſcindam ab habitu luminis gloriæ, de quo nonnihil attingam infra *cap.* 4. *num.* 37.) poteſt eſſe controverſia, cum habitus fidei & ſpei permaneant de facto in peccatore, & componantur cum peccato; habitus verò reliquarum virtutum, utpotè inferiores theologicis, non poſſint juſtificare magis, quàm virtutes theologicæ: Antecedens probatur primò, quia forma juſtificans, de qua in præſenti, eſt juſtitia eſſentialis & prima reddens juſtum ſimpliciter & in eſſendo; hujuſmodi autem non eſt habitus charitatis, qui utpotè virtus nos rectificat in ordine ad operari, nõ in ordine ad eſſe, & utpotè participatio Dei in linea voluntaria, non in linea naturæ & radice totius ſanctitatis, nos ſanctificat dumtaxat in determinata linea & ſecũdùm quid,
25. non ſimpliciter: Secundò, quia habitus charitatis ſeorſim & ſe ſolo nihil aliud præſtat, quàm reddere potẽtem amare Deũ amicabiliter & propter ſe ipſum; at hoc non eſt juſtificare formaliter, quia non eſt reddere Amicum; cum eſſe amicum ſit habere jus ad amari ab alio, non habere potentiam ad amandum alium, ut latiùs tradidimus *lib. præced. cap.* 1. §. 4. Tertiò, quia forma poſitivè juſtificans juſtificat etiam negativè; peccatum ſcilicet expellit eique opponitur, atqui hoc ex natura ſua non convenit habitui charitatis, nam poſſe amare aliquem optimè ex natura ſua componitur cum actuali vel habituali offenſa ipſius, ſicut è contrà poſſe offendere optimè componitur cum actuali vel habituali amore; ergo habitus charitatis, qui præſtat poſſe amare Deum, optimè ex natura ſua componitur cum peccato, quod eſt offenſa Dei.

Dices primò contra primam antecedentis probationem: Habitus charitatis ita eſt in ſe virtus, ut ſimul ei tanquàm radici debeantur cæteræ omnes virtutes; nam dicitur omnium virtutum forma, & actus ipſius ſicut imperat omnium præceptorum obſervantiam, ita imperat omnium virtutũ actus; ergo habitus charitatis rectè dici poteſt juſtitia eſſentialis ac prima, & radix totius ſanctitatis. Sed contrà: falſum eſt deberi charitati, tanquàm radici, cæteras virtutes, nec 26. Quomodò charitas ſit forma virtutum?
illa harum omnium eſt forma tanquàm radia, ſed tanquàm virtus; cæteræ ſcilicet virtutes formam à charitate recipiunt, non ſicut quod ab alio oritur formam & ſpeciem ab alio trahit, ſed ſicut ars, quæ inferior & ſub alia eſt, ab iſta recipit ſuorum actuum formam & modum, ut egregiè explicat D. Th. *in* 2. *diſt.* 26 *quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 5. Nec quidquam ampliùs, quàm quòd ſit virtus cæteris ſuperior, infertur ex eo quod imperet cæterarum virtutum actus. Deindè hoc univerſale imperium non eſt proprium virtutis charitatis, ſed convenit etiam ſpei, quæ quatenùs intendit conſecutionem ultimi finis habet jus imperandi omnia media ad ultimum finem conducentia, adeòque actus omnium virtutum.

Dices ſecundò contrà ſecundam antecedentis probationem: Habitus charitatis, de quo in præſenti, eſt habitus theologicus adeoque reſpiciens Deum; ergo eſt habitualis amicitia in ordine ad Deum; ergo non poteſt non conſtituere Amicum Dei habitualiter, quod ſufficit ad rationem formæ juſtificantis; nam gratia ipſa non conſtituit amicum plùs, quàm habitualiter. Sed contrà: concedo antecedens, diſtinguo conſequens, ergo eſt habitualis amicitia phyſica 27. Quomodò ſit habitualis amicitia.
ſumpta pro qualitate productiva amoris amicabilis erga Deum, concedo; ergo eſt habitualis amicitia moralis & ethica ſumpta pro iure exigendi amorem amicabilẽ à Deo, nego; & tamen hæc eſt amicitia, qua debet amicum conſtituere forma juſtificans, & quà de facto amicum conſtituit habitualis gratia; ideò, &c.

Dices tertiò contrà tertiam probationem: De facto nunquàm ſimul exiſtit peccatum cum habitu charitatis, ergo quia habitui charitatis convenit ex natura ſua peccatum expellere. Sed contrà: ex natura rei poſſet ſimul exiſtere peccatum cum habitu charitatis, non minùs quàm cum habitibus fidei 28. Quomodò non ſimul exiſtat cum peccato.
& ſpei, cum quibus de facto ſimul exiſtit; & quod non pariter ſimul exiſtat cum ha-

bitu charitatis provenit ex ordinatione Dei nolentis ſeparare charitatem à gratiâ, à quâ etiam ſeparare non vult habitus infuſos virtutum moralium; nec propterea quælibet virtus moralis infuſa dicitur ex natura ſua peccatum expellere & juſtificare formaliter.

---

§. IV.

Vtrùm habitus, quo de facto juſtificamur, habeat adjunctum favorem Dei extrinſecum?

29. Gratia habitualis juſtificat abſque favore extrinſeco.

ASSERT. Habitus, quo de facto juſtificamur, non habet adjunctum favorem Dei extrinſecum, quod eſt idem ac dicere, gratia habitualis ab intrinſeco & ex natura ſua juſtificat formaliter. Eſt aſſertum ſatis commune & ipſius tum propugnatores tum oppugnatores repetendi ſunt *ex lib. præced. cap.* 1. *num.* 25.

Probatur: Gratia habitualis neque ut formaliter juſtificat poſitivè, cauſando renovationem internam; neque ut formaliter juſtificat negativè cauſando remiſſionem peccati indiget favore Dei extrinſeco; ergo habitus, quo de facto juſtificamur, &c. antecedens quoad ſecundam partem ſupponitur ex infrà dicendis, quoad primam probatur; Renovatio poſitiva interna conſiſtit in participatione divinæ naturæ, in jure ad gloriam, in amicitia Dei; atqui hæc omnia præſtat habitualis gratia ab intrinſeco & ex natura ſua ut latè oſtenſum eſt *præcit. cap.* 1. §. 2. 3. & 4. ergo ab intrinſeco & ex natura ſua gratia habitualis poſitivè juſtificat cauſando renovationem internam, neque ad hoc indiget favore extrinſeco; & licèt ut tùm jus illud ad gloriam, tùm jus amicitiæ ſit inviolabile, requiratur actus liber Dei promittentis, & ſe ex fidelitate obligantis; talis tamen promiſſio, quantumvis Deo libera, non eſt favor extrinſecus, ſed connaturaliter debetur gratiæ; ſicuti, quantumvis Deo libera, non eſt favor extrinſecus, ſed connaturaliter debetur igni, voluntas concurrendi cum ipſo ad calefaciendum.

30. Nonnulli hic, ut cum maiori rigore ſuſtineant gratiam ex natura ſua & independenter à favore extrinſeco tribuere jus ad gloriam & ad amicabilem amorem Dei, identificant cum gratia promiſſionem, quâ Deus obliget ſe ad glorificandum & amandum amicabiliter eum, cui gratiam confert, adeò ut gratia habitualis ſit forma conſtituens Deum promiſſorem ſuæ gloriæ, & ſui amoris amicabilis. In hac doctrina poteſt in primis controverti poſſibilitas ſuppoſiti, nec facilè oſtendi poteſt non repugnantia in eo, quod Deus conſtituatur promiſſor per formã ſibi extrinſecam & adæquatè creatam; nec promiſſio videtur eſſe actio ſimpliciter ad extrà, ſicuti eſt creatio & productio, adeò ut poſſit Deus per effectum creatum conſtitui promittens eo modo quo conſtituitur creans & producens: Data verò poſſibilitate ſuppoſiti diſplicet adhuc doctrina, quia gratis ac ſine neceſſitate, imò ſine ullo auctoritatis aut poſitivæ rationis fundamento inducitur, & promiſſio connaturaliter debita gratiæ, quamvis non identificata cum gratia, ſufficit ut gratia det ex natura ſua jus ad rem, quæ dependere debet à promiſſione.

CAPUT III.

De juſtificatione negativè accepta, prout explicat remiſſionem peccatorum, quæ de facto fit.

TESTUTUM ſine te & putam juſtificationis vocem admittunt, imò ipſâ juſtificationis voce valdè abutuntur quicumque hanc collocant in ſola remiſſione peccatorum, remiſſionemque peccatorum explicant per ſolam non imputationem ſeu occultationem: Vtrumque eſt contrà fidem agnoſcentem in juſtificato, tùm novam formam poſitivam, tùm omnimodam lethalium deſtructionem ſeu abolitionem; & illud quidem jam oſtendimus; iſtud nunc aggredimur explicaturi in primis veritatem ſeu proprietatem remiſſionis peccatorum; deindè modum, quo talis remiſſio de facto per gratiam fit; & quæ de primo dicemus erunt venialibus peccatis communia, quæ de ſecundo non item; cum enim venialia non in omni gratiæ infuſione remittantur, ut remittuntur lethalia, non habent illa ex vi gratiæ eumdem cum iſtis remiſſionis modum; illorumque remiſſio, ſicuti non eſt ad juſtificationem neceſſaria, ità non eſt hujus loci propria, quamvis de ea hic tractent Oviedus *controv.* 5. Arriaga *diſput.* 47. Madernus *quæſt.* 7. *art.* 5. Herincx. *diſp.* 5. *quæſt.* 7. *&c.* 1.

---

§. I.

Vtrùm in juſtificatione impij de facto peccata remittantur verè & propriè.

ASSERT. In juſtificatione impij de facto peccata verè & propriè remittuntur, non raduntur tantùm, aut occultantur. Eſt dogma fidei contra Calvinum alioſque plures ex Sectariis. 2. Peccata in juſtificatione remittuntur verè & propriè.

Probatur primò ex Tridentino *ſeſſ.* 5. *in decreto de peccato originali*, ubi anathematizatur *qui per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari*: Eadem

autem

autem eſt ratio de reliquis peccatis, quæ & Tridentinum ipſum *ſeſſ. 6. cap. 7. & can. 11.* abſolutè ſupponit in juſtificatione remitti; & Sacra Scriptura ſæpè univerſaliter tradit auferri, deleri, amoveri, longè projici, noſque ab ipſis purgari, mundari, ſuper nivem dealbari; adeò ut tam exquiſita loquendi varietate uti videatur omnibus terminis, qui de induſtria excogitari potuiſſent ad exprimendam veram ac propriam peccatorum remiſſionem, quemadmodum obſervat & relatis variis tùm novi tùm veteris teſtamenti verbis comprobat Bellarminus *lib. 2. de juſtificat. cap. 7.* Confirmatur quia ex *1. Io. 3.* Filius Dei apparuit, ut diſſolvat opera Diaboli & ex *Rom. 5.* Chriſti donum majus eſt Adæ peccato; quod verum non eſſet, ſi opera Diaboli licèt occultata in nobis remanerent, & qui ex delicto Adæ verè excidimus à gratia, ex dono Chriſti non verè liberaremur à culpa. Tot & tam perſpicua Scripturæ teſtimonia Sectarij perperam contendunt infirmare uno vel altero ejuſdem Scripturæ loco, quem eo quod contineat *tegendi* & *imputandi* vocabula, quibus ipſi abutuntur, præſumunt pro ſe ſtare, hujuſmodi eſt illud Pſal. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*; Item 2. Cor. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum*: Verùm reſpectu Dei peccatum

3. Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

verè exiſtens, nec ignotum eſſe poteſt, nec impunitum; ideò reſpectu ipſius peccatum eſſe tectum & ad pœnam non imputatum idem eſt, ac eſſe deſtructum & ſimpliciter delatum; jure propterea ad ly *quorum tecta ſunt peccata* præmittitur *remiſſæ ſunt iniquitates*; ad ly *cui non imputavit Dominus peccatum* ſubſequitur *Nec eſt in ſpiritu ejus dolus, & illud non reputans illis delicta* conjungitur cum *mundum reconcilians ſibi.*

Adverte hîc obiter etiam inter homines, & humano modo loquendo, quædam tegi ut ſerventur, ſic in vaſe tegitur liquor operculo, ſic quodammodo tegitur ſecretum ſilentio; quædam tegi ut deſtruantur, ſic tegitur vulnus emplaſtro; primo modo à nobis, ſecundo modo à Deo peccata teguntur, undè Auguſtinus exponens prætallata verba Pſal. 31. rectè ait *Nec intelligatis peccata cooperta eſſe, quaſi ibi ſint & vivant; & Deus tegat, non ut; nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, medicus non curabit. Medicus tegit & curat, emplaſtro enim tegit. Sub tegmine medici ſanatur vulnus ſub tegmine vulnerati celatur vulnus.* Tegere igitur varias habet ſignificationes, & debet intelligi accommodatè ad res, de quibus dicitur; undè nimis inconſequenter arguit Kemnitius, dum ex eo, quod ly *tegit* Proverb. 12. *Homo aſtutus tegit ſcientiam* abſcondere & occultare ſignificet, non delere & deſtruere, infert eamdem habere ſignificationem reſpectu Dei tegentis peccata. In eodem ſenſu, in quo Deus dicitur peccata tegere, dicitur & charitas operire multitudinem peccatorum 3. & D. Thomas *in 4. diſtinct. 2 2. quæſt. 1. art. 1. ad 2.* appoſitè ſcribit *Charitas dicitur operire peccata Deo, qui omnia videt; undè oportet quod ea deſtruat.*

Probatur aſſertum ſecundò ex abſurdis errorem oppoſitum conſequentibus: Sequitur enim primò non dari in Eccleſia veram & propriam remiſſionem peccatorum, & eſſe falſum articulum ſymboli, quo credimus *unum baptiſma in remiſſionem peccatorum*; eſſe inanem poteſtatem à Chriſto conceſſam Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* eſſe vacua & egena novæ legis Sacramenta non minùs, quàm Sacramenta antiqua: Sequitur ſecundò Chriſtum non verè nos redemiſſe, non verè pro nobis ſatisfeciſſe, quod nimis injurioſum eſt myſterio Incarnationis: Sequitur tertiò neminem eſſe verè adoptatum in filium & acceptum in amicitiam Dei, neminem eſſe coram Deo verè ſanctum & immaculatum; adeoque tùm Deum ipſum nobis illudere, dum ſuos nos filios & Amicos vocat; tùm vana ſpe nobis blandiri Apoſtolum dicentem Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo* (ideſt in Chriſto) *ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus*: Sequitur tandem impios juſtificatos nihil aliud eſſe, quàm corvos nive coopertos, lupos ovinis pellibus conveſtitos, & ſepulchra dealbata plena oſſibus mortuorum.

4. Abſurda conſequentia Adverſariorum errorem.

§. II.

Vtrùm remiſſio peccatorum de facto fiat ex favore Dei extrinſeco, an præcisè ex vi habitualis gratiæ?

Assert. Remiſſio peccatorum non fit de facto ex favore Dei extrinſeco, neque talem favorem requirit, ut perficiatur & compleatur gratia. Eſt aſſertum inter Theologos communiſſimum, quod ut notat Oviedus *controv. 4. punct. 1. num. 7.* à nemine poteſt ſine temeritate negari, & licèt quoad poſtremas particulas oppoſitum olim tradiderint Albertus Pighius & quidam Canonici Colonienſes; ſunt hi quidem Catholici aliàs & pij Auctores, at in hac re non benè audiunt apud Scholaſticos. 5.

Adverto pro intelligentia terminorum aliud eſſe, quod peccatum remittatur per denominationẽ extrinſecam ſeu per extrinſecam imputationem juſtitiæ Chriſti; aliud eſſe quod remittatur per extrinſecum favorem ſeu per purè extrinſecam Dei condonationem; illud enim importat peccatum occultari ſolum & tegi, non verè remitti, iſtud importat peccatum verè remitti, deſtrui ſcilicet & aboleri, at non ad exigentiam ſeu ex vi alicujus formæ inhærentis peccatori, ſed ex benevolentiâ & condonatione purè extrinſecâ Dei. Aliud inſuper eſt gratiam indigere extrinſecâ lege ſeu extrinſecâ Dei ordinatione ad peccati remiſſionem, aliud indigere favore extrinſecæ condonationis; ordinatio enim illa ſe habet antecedenter ad peccati remiſſionem, & non impedit

Quomodo diſtant peccatum remitti per extrinſecam denominationé, per extrinſecã condonationem, & per gratiã dependẽter ab extrinſecâ Dei ordinatione.

quin gratia ſit, quamvis non ex natura ſua, totalis cauſa remiſſionis peccati; Condonatio autem extrinſeca formaliter ad talem remiſſionem ſe habet, & facit ut eamdem remiſſionem gratiæ infuſio aut concomitetur præciſe, nullatenùs cauſet, aut cauſet ſolùm inadæquatè & indigeat favore condonationis extrinſecè tanquam concauſa peccati expulſiva. Porrò quod in præſenti aſſerimus, eſt ad remiſſionem peccati gratiam non indigere favore divinæ condonationis, neque ut totali, neque ut partiali remiſſionis cauſâ & in hoc ſenſu aſſertum.

In remiſſione peccati nullus de facto intercedit condonationis favor extrinſecus.

6. Probatur: Remiſſio peccatorum de facto fit unicè & totaliter per habitum gratiæ; ergo de facto non fit ex favore Dei extrinſeco, neque talem favorem requirit, &c. ideſt neque totaliter, neque partialiter ab extrinſeco Dei favore cauſatur: antecedens probatur primò, quia remiſſio peccatorum fit unicè & totaliter per id, per quod tollitur totum, quod veram & propriam peccati rationem habet; atqui ex Tridentino in verbis præallatis *num.* 2. totum, quod veram & propriam peccati rationem habet, tollitur per gratiam, ergo remiſſio peccatorum de facto fit, &c. Secundò, quia per id fit de facto unicè & totaliter remiſſio peccatorum, per quod fit unicè & totaliter juſtificatio; cum illa in iſta includatur ut colligitur ex illis verbis Tridentini *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. Hanc diſpoſitionem juſtificatio ipſa conſequitur *quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio ſed & ſanctificatio*, &c. atqui juſtificatio fit de facto unicè & totaliter per habitum gratiæ, cum hæc ſub nomine juſtitiæ, quâ Deus nos juſtos facit, ſit ex mox *cit. cap.* 7. juſtificationis unica formalis cauſa; quod certè malè ſubſiſteret, ſi aut unicè, ut refert Oviedus ſenſiſſe Bucerum in colloquio Ratisbonenſi, aut ex parte ut videntur ſenſiſſe Pighius & Canonici Colonienſes, remiſſio peccatorum haberetur formaliter per favorem extrinſecum divinæ condonationis gratiâ ipſâ, aut concomitanter ſe habente, aut virtute ſolùm imperfecta & partiali peccatum expellente: ergo &c.

Dices: ſtante negatione divinæ condonationis non poteſt intelligi remiſſum peccatum; ergo ut peccatum remittatur neceſſaria omninò eſt divina condonatio; ergo gratia ut ſit formalis cauſa remiſſionis peccati perfici debet & compleri per favorem

Quivis re vera intercedat condonatio.

7. extrinſecum divinæ condonationis. Sed contrà: tranſeat antecedens, diſtinguo primum conſequens neceſſaria eſt divina condonatio vel liberaliter & per favorem extrinſecum, vel connaturaliter & ad intrinſecam alterius exigentiam poſita, concedo; neceſſaria eſt divina condonatio poſita liberaliter & per favorem extrinſecum, nego primam conſequentiam ſimul & ſecundam; unde non inficiamur remitti de facto peccatum dependenter à divina condonatione; ſed dicimus hanc eſſe debitam gratiæ, nec eſſe favorem extrinſecum, niſi fiat abſque infuſione gratiæ, quâ ratione nunquam de facto fit.

Urgebis: ex Tridentino *præcit. cap.* 7. *can.* 11. anathematizantur qui dixerit *gratiam quâ juſtificamur eſſe tantum favorem Dei*; ergo ex Tridentino innuitur gratiam, quâ de facto juſtificamur includere favorem Dei, quamvis non iſtum tantùm. Sed contrà: favor Dei alius eſt indebitus & liberaliter omninò conceſſus, alius eſt debitus ex ſuppoſitione gratiæ & cum gratia neceſſariò connexus; Tridentinum *cit. can.* 11. ſi inſinuat aliquem de facto favorem ſimul cum gratia concurrere ad peccati remiſſionē, non loquitur de favore indebito, cum quo non ſalvaretur gratiam eſſe, ut idem Tridentinum docuerat, formam unicè juſtificantem, & auferentem totum, quod veram ac propriam peccati rationem habet. verba igitur mox relata vel nullatenùs inſinuant aliquid cum gratia de Dei favore miſceri, vel ſaltem intelligenda non ſunt de favore indebito, qui ſolus à nobis in peccatorum remiſſione de facto negatur, & ſolus etiā venit nomine favoris extrinſeci ſimpliciter & abſolutè prolati.

Quæ dici poteſt Dei favor, at non indebitus, ideò nō omninò extrinſecus.

Ex hic habetur impio, qui per gratiam habitualem juſtificatur peccata remitti præciſè ex vi habitualis gratiæ, & hujus infuſioni eſſe debitam illorum remiſſionem ſeu expulſionem; & una ſimul divinam condonationem, ſi ſine hac nequeunt peccata remitti, ſeu expelli. Difficultas jam eſt in definiendo, quomodo ſit debita infuſioni gratiæ peccatorum remiſſio, quod eſt idem ac dicere quomodo gratia per ſe ipſam peccatum expellat, & quatuor occurrunt dicendi modi. 8.

Primus eſt, quod gratia peccatum expellat ſolùm ex ſpeciali ordinatione & inſtitutione Dei illam deſtinantis ad peccati expulſionem, quamvis nullam habeat ex natura ſua cum peccato oppoſitionem, hic modus traditur ab Auctoribus ſuprà relatis *lib. præced. cap.* 1. *num.* 25. pro ſententia requirente eamdem ordinationem & inſtitutionem, ut gratia conſtituat amicum, hæredem, & filium adoptivum Dei. 9. Secundus eſt, quod gratia habeat cum peccato oppoſitionem quamdam impropriam ſitam in eo, quod indecens & indecorum ſit gratiæ excellentiam cum peccato conjungi: hic modus traditur ab Ægidio *diſp.* 28. *de charit. num.* 102. Puteano 1.2. *quæſt.* 183. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 2. aliiſque nonnullis apud Oviedum *controv.* 4. *punct.* 1. *num.* 5. Tertius eſt, quod gratia habeat cum peccato oppoſitionem propriam, & quidem contradictoriam adeò ut peccatum expellat eſſentialiter & ea ratione, quâ forma quælibet expellit ſuam privationem; hic modus traditur à Thomiſtis communiter, & ab illis omnibus, qui cum Thomiſtis docent ex peccato actuali reſultare inimpedibiliter privationem gratiæ, & in hac privatione ut connotante præteritum actum peccati, ex quo reſultavit, conſiſtere formaliter & directè maculam peccati habitualis. Quartus eſt, quòd gratia habeat cum peccato oppoſitionem propriam ac contrariam, non contradictoriā, adeò ut peccatū expellat ea ratione, quâ una forma aliā ſibi contrariā, non quâ forma privationē,

ita

ità Vaſquez *hic diſput.* 91. *c.* 1. & *diſp.* 204. *cap.* 2. Suarez *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 3. Arriaga *diſput.* 45. *ſect.* 2. & *ſect.* 3. *ſubſec.* 6. Oviedus *controv.* 4. *punct.* 1. & reliqui recentiores magis communiter: Pro hoc dicendi modo

10. Gratia & peccatum non ſunt contraria propriè, & in toto rigore.

Adverte gratiam & peccatum, ſive actuale, ſive habituale, non poſſe propriè & in toto rigore dici formas contrarias: Contraria enim propriè & in toto rigore definiuntur eſſe ea, quæ ab eodem ſubjecto mutuò ſe expellunt, & ſub eodem genere maximè diſtant, adeoque debent & idem ſubjectum reſpicere, & ſub eodem genere contineri; peccatum autem & gratia habitualis idem ſubjectum non reſpiciunt *ex præced. lib. c.* 2. *num.* 31. multóque minùs ſub eodem genere continentur; cum gratia ſit generis & ordinis ſupernaturalis, peccatum naturalis, illa ſit forma phyſica, iſtud habitualiter ſumptum ſit pura moralitas: Cum hoc tamen ſtare poteſt, quòd gratia & peccatum ſe expellant eo modo, quo ſe expellunt formæ contrariæ; quatenùs ex una parte reſpiciunt idem ſubjectum *quod*, licèt non *quo*; & maximè ab invicem diſtant, licèt non ſub eodem genere; ex alia parte in genere cauſæ formalis & præſtando effectus formales ex natura ſua incompoſſibiles; ex quo capite duæ formæ ſubſtantiales, item actus infidelitatis & actus fidei divinæ, quamvis non ſint in rigore formæ contrariæ, quia illæ non maximè diſtant, iſti non ſunt ſub eodem genere, nihilominùs ſe expellunt formaliter & eo modo, quo formæ contrariæ. His poſitis ſit

---

§. III.

Quomodò remiſſio peccatorum ſit debita infuſioni gratiæ; ſeu quomodò gratia per ſe ipſam expellat peccatum?

11. Gratia non expellit peccatum ex ſpeciali inſtitutione Dei.

ASSERT. 1. Gratia habitualis non expellit peccatum ex ſpeciali inſtitutione & ordinatione Dei, neque ex hoc titulo eſt debita infuſioni gratiæ remiſſio peccatorum. Ità Thomiſtæ & major pars recentiorum contrà Auctores, quorum *præced. n.* 9. meminimus pro primo dicendi modo.

Probatur: Gratia habitualis ex natura ſua conſtituit hæredem, filium adoptivum, & amicum Dei, non ex ſpeciali ipſius Dei inſtitutione & ordinatione: ergo ſimiliter ex natura ſua, non ex ſpeciali Dei inſtitutione expellit peccatum; antecedens ſupponitur *ex lib. præced.* conſequentia probatur, gratia non poteſt conſtituere hæredem, filium adoptivum Dei, & amicum, quin expellat peccatum, quod adeò verum eſt, ut ſi juxtà infrà dicenda poſſit de potentia abſoluta peccatum non expellere, in tantum id verum ſit, in quantùm poſſit de potentia abſoluta non conſtituere hæredem, filium adoptivum, & amicum Dei; ergo ſi non indiget ſpeciali Dei inſtitutione & ordinatione ad conſtituendum hæredem, &c. neque illa indiget ad expellendum peccatum, ſed utrumque præſtat ex natura ſua.

Dices: Gratia habitualis ex natura ſua non eſt tantæ bonitatis, quantæ malitiæ eſt peccatum: ergo illa non poteſt ex natura ſua expellere totam peccati malitiam; indiget igitur, ut hanc totam expellat, inſtitutione & ordinatione Dei: Hoc idem aut ferè idem ſub aliis terminis ſic urgetur: Majoris æſtimabilitatis eſt remiſſio peccati, quàm infuſio gratiæ: ergo infuſioni gratiæ non eſt debita abſque ſpeciali Dei inſtitutione remiſſio peccati & ſicuti quando valor mercis eſt major, quàm ſit valor intrinſecus pecuniæ; ut eroganti pecuniam merx debeatur, requiritur inſtitutio Principis, quâ talis pecunia deſtinetur ad comparandam illam mercem, & pecunia tanti valoris evadat ex voluntate Principis, quanti valoris eſt merx ex natura ſua; ita proportionaliter augenda erit ex inſtitutione Dei æſtimabilitas gratiæ, ut hujus infuſioni debeatur peccati remiſſio majorem habens æſtimabilitatem ex natura ſua. Sed contrà: tranſeat antecedens, diſtinguo conſequens: ergo non poteſt expellere totam peccati malitiam per modum compenſationis, ſeu æqualis ſatisfactionis, concedo, per modum formæ contrariæ, nego; ut enim una forma aliam expellat, non requiritur in utraque perfectionis æqualitas, & actus ſcientiæ infinitè intenſus, ſi daretur, totus expelleretur per quemlibet erroris actum, ſicut & anima rationalis expellitur per formam cadaveris ſe ipsâ longè imperfectiorem. Nec majorem habet vim alter inſtantiæ modus, data enim minori æſtimabilitate gratiæ, quàm remiſſionis peccati, infertur ſolùm hanc illi non deberi ut retributioni, ſeu pretio, cum quo rectè ſtat deberi ut formæ peccato contrariæ, idque abſque eo quod ordinatione extrinſeca augeatur æſtimabilitas intrinſeca gratiæ, quæ propterea malè comparatur pecuniæ, cujus valor ex lege extrinſeca Principis major eſt, quàm ſit intrinſece. 12.

Infuſio gratiæ eſt minùs æſtimabilis, quàm remiſſio peccati.

Ad ulteriorem poſiti aſſerti probationem repetunt aliqui quod ſemel & iterum ex Tridentino relatū eſt de unica formali cauſa noſtræ juſtificationis, hinc inferentes, quòd ad peccatorum remiſſionem ſola gratia requiratur, non gratia ſimul & inſtitutio, ſeu ordinatio divina: Verùm hæc probatio non eſt efficax pro re præſenti, quia divina inſtitutio non ponitur ab Adverſariis, tanquam formalis cauſa remiſſionis peccatorum, ſed tanquam conditio requiſita ad hoc, ut gratia ipſa ſit cauſa formalis; eo ferè modo, quo inſtitutio ſacramenti non eſt cauſa efficiens gratiæ, ſed conditio prærequiſita, ut ſacramentum cauſa efficiens ſit: Pro quo inſuper recolatur *ex præced. n.* 5. quomodò aliud ſit gratiam indigere extrinſeca ordinatione, aliud ipſam indigere extrinſeca condonatione pro remiſſione peccati. 13.

Aſſert. 2. Gratia habitualis non expellit peccatum ex ſola indecentia, quam habet ad conjungi cum peccato, neque titulo talis 14.

Indecentia conjunctio.

nis gratiæ cum peccato nõ eſt ſufficiens ratio expulſionis peccati.

indecentiæ præciſè eſt debita infuſioni gratiæ remiſſio peccatorum. Ità Theologi communiter contrà Auctores *præced. n. 9.* relatos pro ſecundo dicendi modo

Probatur: Indecentia ad conjungi cum peccato non ſolùm reperitur in gratia, verùm etiam in quocumque habitu ſupernaturali, imò in natura ipſa rationali ejuſque potentiis, quodlibet enim morale bonum cum quolibet morali malo, quælibet moralis pulcritudo cum qualibet morali macula indecenter conjungitur; ergo ſi gratia expellit peccatum ex ſola indecentia, &c. non magis ex natura ſua illud expellit, quàm expellat habitus fidei alteriuſve virtutis, aut etiam perfectio propria naturæ rationalis & potentiarum ipſius, nec quòd de facto magis expelleret aliunde haberet, quàm ex ſpeciali ac liberali Dei inſtitutione. Nec refert quod ob majorem gratiæ perfectionem major fieret indecentia in conjunctione ipſius cum peccato: Non refert, inquam, quia ubi indecentia non eſt ſufficiens ratio expellendi, major indecentia non eſt ratio magis expellendi; & indecentia dum fit major intenditur in genere indecentiæ, at non poteſt mutare genus & pervenire ad repugnantiam, ſeu incompoſſibilitatem. Confirmatur: Deus neque phyſica, neque morali neceſſitate; neque ut naturalis, neque ut ſupernaturalis auctor, tenetur ad id, quod creaturis convenit ſolùm ex quadam decentia, alioqui teneretur ad id omne, quod ex parte objecti melius eſt contrà ſupradicta *tract. 1. lib. 4. c. 5. §. 2.* ergo ſi ſolùm ex quadam decentia convenit gratiæ non conjungi cum peccato; talis non conjunctio erit Deo omninò libera & liberalis, non autem gratiæ debita.

15. Gratia habitualis nõ expellit peccatum, ut forma privationẽ.

Aſſert. 3. Gratia habitualis non expellit peccatum per oppoſitionem contradictoriam & ea ratione, quâ quælibet forma expellit ſuam privationem. Ità Scotiſtæ, Nominales, & major pars recentiorum contra Auctores *præced. num. 9.* relatos pro tertio dicendi modo.

Probatur: Gratia habitualis non habet cum peccato oppoſitionem contradictoriam, nec ad peccatum ſe habet ut forma ad privationem: ergo gratia habitualis non expellit peccatum per oppoſitionem, &c. conſequentia patet, antecedens, in quo Adverſarij diſſentiunt, ſupponẽdum eſt ex eo, quod nos collocamus maculam habitualem, ſeu habituale peccatum in peccato ipſo actuali, ſeu in irrectitudine actus peccaminoſi ut moraliter perſeverante & fundante rationabilem Dei indignationem; non verò in privatione gratiæ habitualis ut connotante peccatum actuale præteritum, ex quo reſultaverit.

16. Sed ut una forma aliã formam contrariã.

Aſſert. 4. Gratia habitualis expellit peccatum per incompoſſibilitatem formalem, & oppoſitionem ſimilem oppoſitioni repertæ inter formas contrarias; & infuſioni gratiæ eſt debita remiſſio peccatorum eo modo, quo ex duabus formis contrariis introductioni unius eſt debita expulſio alterius. Ita Vaſquez, Suarez, Arriaga, Oviedus locis præcitatis *n. 9.* aliique plures recentiores, contrà eoſdem Auctores, contrà quos ſunt tria aſſerta præcedentia.

Probatur & quidem in primis negativè, quatenùs per præcedentia conſtat aſſignari non poſſe ullum alium modum, quo gratia de facto peccatum expellat; deindè poſitivè, quia expulſio peccati per incompoſſibilitatẽ formalem & oppoſitionem quaſi contrariam rectè tribuitur gratiæ, ut ſuprà attigimus *n. 10.* & optimè ſalvat quidquid pertinet ad juſtificationem prout de facto fit, ſingillatim verò hujus juſtificationis ſumptæ, prout includit etiam remiſſionem peccatorum, gratiam eſſe unicam & formalem cauſam, item gratiam eſſe formam juſtificantem ab intrinſeco & ex natura ſua: ergo verè gratia habitualis expellit peccatum per incompoſſibilitatem formalem, &c.

Dices: Peccatum non expellit formaliter, ſeu per incompoſſibilitatem formalem & in genere cauſæ formalis gratiam, ergo neque gratia expellit formaliter peccatum; conſequentia patet, quia oppoſitio, ſeu incompoſſibilitas formalis in actu primo ſemper eſt mutua; & nunquam invenientur duæ formæ, quarum una habeat pro effectu formali ſecundario exigere deſtructionem alterius, & hæc pariter non habeat exigere deſtructionem illius: Antecedens probatur; peccatum expellit gratiam effectivè ex D. Thoma 2. 2. *q. 24. art. 10. in c.* ergo non formaliter: Deinde peccatum expellit gratiam demeritoriè, ergo non formaliter; probatur hæc conſequentia, tùm quia cauſa demeritoria reducitur ad efficientem, non ad formalem; tùm quia eo ipſo, quod peccatum expellit gratiam demeritoriè, expulſio gratiæ eſt pœna peccati, non poteſt igitur eſſe effectus formalis ejuſdem, alioqui ut effectus formalis deberetur neceſſariò, ut pœna infligeretur liberè. Sed contrà: nego antecedens, ad cujus probationem ex D. Thoma dico S. Doctorem ibi per expellere effectivè intelligere totum id, quod non eſt expellere demeritoriè; & pro eodem ſumere expellere effectivè ac expellere formaliter, ſeu per incompoſſibilitatẽ formalem; & ratio eſt quia non eſt alius modus, quo una forma aliam effectivè expellat, niſi per incompoſſibilitatem ſui cum ipſa; quæ expulſio licèt in rigore ſit formalis, dicitur tamen etiam effectiva, quia ità fit in genere cauſæ formalis a forma, ut fiat in genere efficientis à principio producente effectivè formam; ſic calor per ſe ipſum expellit formaliter frigus, ignis per calorem expellit frigus efficienter, eademque ratione peccatum formaliter, peccator effectivè expellit gratiam.

17. Peccatum expellit gratiam effectivè ſũpto pro formaliter.

Ad aliam ejuſdem antecedentis probationem diſtinguo antecedens peccatum expellit gratiam demeritoriè in actu primo, quatenùs quantùm eſt de ſe conſtituit ſubjectum dignum privatione gratiæ, concedo, demeritoriè in actu ſecundo quatenùs gratia in re expellatur propter indignitatẽ moralem ſubjecti, & non potiùs propter incompoſſibilitatem formalem cum peccato, nego

18. Eandem expellit demeritoriè in actu primo, non demeritoriè in actu ſecundo

nego antecedens & conſequentiam; cujus probationes militant ad ſummum ex ſuppoſitione quod peccatum expelleret gratiam demeritoriè in actu ſecundo. Neque urgeas, ſi expulſio gratiæ eſt effectus formalis peccati, non ſolùm non eſt de facto, ſed nec eſſe poteſt pœna peccati, ergo non ſolùm non eſt in actu ſecundo, ſed nec in actu primo eſſe poteſt ex demerito peccati. Contrà enim: cum per nos, ex infrà dicendis de compoſſibilitate gratiæ cum peccato, expulſio gratiæ reſpectu peccati ſit effectus formalis impedibilis à Deo, optimè poteſt talis expulſio eſſe à Deo volita ut pœna peccati, ſaltem in ea hypotheſi, quâ impediretur ne eſſet ejuſdem peccati formalis effectus; imò etiam quando eſt formalis effectus poteſt ſimul eſſe pœna, quia ratione impedibilitatis eſt reſpectu Dei libera.

Dices inſuper: peccatum expellit gratiam moraliter, gratia expellit peccatum phyſicè, ergo peccatum & gratiæ non ſe expellunt formaliter; antecedens patet, quia peccatum ſecundùm propriam rationē formalem nihil phyſicum ponit in ſubjecto, & nihil phyſicum in ſe eſt; gratia verò eſt in ſe forma phyſica, phyſicè ſubjectum informat, & per talem phyſicam informationē peccatum expellit; conſequentiæ probatur, tùm quia formæ quarum una moralis ſit, altera phyſica, non ſunt contrariæ, cum non ſint ſub eodem genere; tùm quia oppoſitio, ſeu incompoſſibilitas formalis debet eſſe mutua, non eſt autem propriè talis, ſi moralis eſt ex parte unius extremi, phyſica ex parte alterius, non ejuſdē rationis ex parte utriuſque. Sed con-

19\. Modus ſuſtinendi quod peccatum de facto ſemper expellat phyſicè gratiam.

trà: Arriaga *hic diſp. 45. sect. 3. ſubſec. 6.* ait in ſententiæ docente libertatem & conſequenter malitiam eſſe intrinſecam & eſſentialem actui adeò ut actus malus intrinſecè & phyſicè differat à non malo; ait, inquam, malitiam eſſe aliquid phyſicum in peccato actuali quamvis non in habituali, & gratiam expelli phyſicè à peccato actuali quamvis non ab habituali; quia verò de facto expulſio gratiæ ſemper ab actuali peccato nunquam ab habituali procedit, ſemper quippè procedit de facto à peccato pro primo inſtanti quo peccatum eſt, peccatum autem quodlibet pro primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ eſt actuale, ſequitur juxtà hypotheſim & doctrinam Arriagæ peccatum de facto ſemper expellere gratiam phyſicè, & poſſe abſolutè negari inſtantiæ antecedens; placet tamen loqui univerſaliùs de peccato habituali æquè ac de actuali, & abſtrahendo ab eo quod malitia ſit intrinſeca & quid phyſicum in actu malo: Ideò

20\. Ad inſtantiam do antecedens, nego conſequentiam; cujus probationes ad ſummum evincunt gratiam & peccatum non eſſe formas contrarias in toto rigore, & contrarietate ut ità dicam Ariſtotelica, id eſt definita ab Ariſtotele quod jam admiſimus; at cum hoc ſtat ſe expellere formaliter, & habere incompoſſibilitatem formalem æqualem incompoſſibilitati repertæ inter formas Ariſtotelicè contrarias. Si quæras hic: Vtrùm oppoſitio quæ intercedit, & expulſio quæ exercetur inter gratiam & peccatum, dicenda ſit phyſica an moralis. Reſponderem dicendam eſſe phyſicam ex parte gratiæ, quæ per informationem phyſicam expellit, & per carentiā conſervationis phyſicæ expellitur, moralem ex parte peccati, quod non niſi moraliter informat dum expellit, & non niſi per carentiam conſervationis moralis deſinit informare dum expellitur, unde dicimus hic expulſionem moralem non eam, quæ fit aut meritoriè aut ex quadam decentia, ſed eam quæ cadit ſuprà formam moralem, licèt deinde formaliter non meritoriè; ex natura rei non ex pura decentia expellat & expellatur:

Meliùs tamen dicitur quod expellat moraliter; & quod expulſio quæ exercetur inter peccatum & gratiam ſit phyſica ex parte gratiæ, moralis ex parte peccati.

Porrò quòd expulſio moralis, ſeu ſupra formam moralem cadens, poſſit eſſe ex natura rei evincitur ex eo quia forma moralis optimè poteſt habere exigentiā aliquam ex natura rei, id eſt independenter à favorabili & extrinſeca benevolentia alienæ voluntatis; ſic dignitas Principis eſt forma moralis & tamen exigit ex natura rei obſequia ſubditorum, ſic quælibet imperfectio moralis ex natura rei exigit abeſſe à Deo & quidem non ſolùm connaturaliter, verùm etiam eſſentialiter.

Dices tandem: Peccatum non expellit gratiam, niſi movendo voluntatem Dei ad ſuſpendendum concurſum, quo gratiam conſervabat; atqui præſtare aliquid movendo ad ipſum voluntatem alienam eſt cauſare moraliter effectivè, non moraliter formaliter: ergo peccatum moraliter effectivè, non moraliter formaliter expellit gratiam. Sed contrà: eodem modo probaretur effectivè non formaliter, phyſicè non moraliter calorem expellere frigus, quia non expellit, niſi movendo voluntatem Dei ad ſuſpendendum concurſum conſervativum frigoris: Dico igitur voluntatem divinam moveri poſſe dupliciter, vel ex natura rei, ſeu ex naturali exigentia rerum, vel ex inſtitutione & lege aliqua extrinſeca, præſtare aliquid movendo ad ipſum voluntatem divinam ſecundo modo tranſeat quod ſit cauſare moraliter effectivè; at præſtare aliquid movendo ad ipſum divinā voluntatem primo modo non eſt cauſare moraliter, niſi quando forma quæ cauſat eſt moralis, non eſt nē cauſare effectivè, niſi quando quod divinam voluntatē movet, eam movet aliquid efficiendo; porrò peccatum, quatenùs eſt forma moralis, dicitur expellere gratiam moraliter, ut quia præciſè informando, non aliquid efficiendo, item ex naturali exigentia, non ex inſtitutione aut lege extrinſeca movet divinam voluntatem ad ſuſpendendum concurſum conſervativum gratiæ, hanc expellit formaliter. 21.

Iſta non expedit ulteriùs proſequi, quia ob diverſas de peccati conſtitutivo ſententias & varias acceptiones illorum terminorum expellere moraliter, expellere phyſicè, expellere formaliter, expellere effectivè, ut plurimùm de nomine magis quàm de re diſputatur; & facilè evenit Auctores eodem modo ſentientes diverſo modo loqui, & habere cum conſenſione animorum diſſidium

In

in vocibus, ut obſervat Oviedus *contrmasculinen.4. punct.2.n.28.*

---

§. IV.

Diſtinctio, & ordo inter remiſſionem peccatorum, & infuſionem gratiæ.

22. Expulſio peccati & infuſio gratiæ ſunt mutationes diverſæ & diſtinctæ realiter.

ASSERT. 1. Remiſſio ſeu expulſio peccati & infuſio gratiæ ſunt duæ diverſæ atque realiter diſtinctæ mutationes. Eſt aſſertum conſequens ad duo aſſerta poſita §. *præced. num.* 15. *&* 16.

Probatur: Illæ ſunt diverſæ & diſtinctæ realiter mutationes, quæ habent diverſos & realiter diſtinctos terminos à quibus & ad quos; atqui ſic ſe habent expulſio peccati & infuſio gratiæ, nam expulſio peccati habet pro termino a quo formam moralem, pro termino ad quem talis formæ carentiam; infuſio gratiæ habet pro termino à quo carentiã formæ phyſicæ; pro termino ad quem ipſam formam phyſicam; illa eſt mutatio moralis & facta à poſitivo ad privativum, iſta eſt mutatio phyſica & facta à privativo ad poſitivum; ergo. Confirmatur primò, tranſitus ſubjecti, ab una ad aliam formam importat duas diverſas & diſtinctas realiter mutationes; quarum una ſubjectum tranſit à forma antiqua ad carentiam ipſius, altera à carentia formæ novæ ad formam novam; atqui cum per nos gratia & peccatum ſint duæ formæ, dum in juſtificatione impij peccatum expellitur & gratia infunditur habetur tranſitus ab una ad aliam formam, ergo habentur duæ diverſæ & diſtinctæ realiter mutationes. Confirmatur ſecundò, ex Tridentino *ſeſſ.6.cap.7.* & alibi, juſtificatio non

23. eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, &c. atqui hic modus loquendi ſupponit remiſſionem peccatorum diſtingui à ſuſceptione gratiæ, & utramque ſimul eſſe aliquid ampliùs, quàm tranſitum à privatione gratiæ ad gratiam; & licèt Adverſarij occurrere poſſint dicendo eſſe aliquid ampliùs connotativè & antecedenter, non formaliter; negari tamen non poteſt, quin ſalvetur in modo loquendi Concilij major verborum proprietas, ſi ſupponatur remiſſionem peccatorum ſuperaddere infuſioni gratiæ aliquid non connotativè tantùm & antecedenter; ſed formaliter & ſimultaneè ſe habens.

24. Gratia & peccatum de facto neque pro uno inſtanti temporis ſimul ſunt.

Aſſert. 2. Nullus de facto datur ordo temporis inter infuſionem gratiæ & expulſionem peccati, aut inter commiſſionem peccati & expulſionem gratiæ; ſed uno eodémque temporis inſtanti infunditur gratia expellitur peccatum; vel committitur peccatum expellitur gratia. Ità omnes Theologi communiſſimè contrà Baium, qui docuit homini contrito conferri quidem ſtatim juſtitiam ſeu gratiam, at non remitti peccatum quouſque ſuſcipiat Sacramentum Baptiſmi aut pœnitentiæ adeoque ſenſit dari aliquando ordinem temporis inter infuſionem gratiæ & expulſionem peccati, & per aliquam temporis moram eſſe ſimul gratiam & peccatum: Verum hanc Baij exiſtimationem ut errorem damnarunt Pius V. & Gregor. XIII. Eſt inſuper aſſertum contrà Lorcam *diſp.* 40. *concl.* 3. docentem gratiam non expelli in eo inſtanti, quo peccatum committitur, ſed in inſtanti ſequenti, adeoque exiſtimantem dari ordinem temporis inter commiſſionem peccati & expulſionem gratiæ, & peccatum actuale per unum temporis inſtans ſimul eſſe cum gratia. Verùm ſingularis hæc Lorcæ opinio omnibus diſplicuit & Suario *lib.7. cap.*19. Cenſura opinionis oppoſitæ. *num.*5. Oviedo *controu.4. punct.*1. *num.* 11. aliiſque communiter abſurda, majorique cenſuræ obnoxia viſa eſt.

Probatur: formæ contrariæ & incompoſſibiles ità ſe expellunt, ut neque pro uno 25. temporis inſtanti ſimul exiſtant; & ratio à priori eſt, quia una forma expellit aliam per proprium effectum formalem, hunc autem quælibet forma præſtat in quolibet inſtanti, & non minùs in primo, quàm in aliis, adeoq; forma contraria & incompoſſibilis expellit aliam & non exiſtit cum alia in primo inſtanti, non minùs quàm in aliis; cum igitur gratia & peccatum ſint formæ incompoſſibiles, & ſuo modo contrariæ, ſeque expellentes per informationem, & per proprios effectus formales conſequens eſt quòd ſe expellant in quolibet inſtanti, & in primo æquè ac in aliis, ergo nullus de facto datur ordo temporis inter infuſionem gratiæ, &c. Confirmatur ſpecialiter contrà Baium, quia falsò exiſtimavit ad peccatorum remiſſionẽ eſſe neceſſarium Sacramentum in re ſuſceptum, nec ſufficere votum Sacramenti contentum in contritione, ex quo malè deduxit per contritionem extrà Sacramentum infundi gratiam, at non remitti peccata, & formavit propoſitionẽ illam inter alias damnatas, *Homo exiſtẽs in peccato mortali, ſivè in ſtatu damnationis, poteſt habere veram charitatem,* ex hac verò propoſitione damnata rejicitur obiter etiam Lorca, in cujus opinione talis propoſitio verificatur: nam homo peccans actualiter eſt homo exiſtens in peccato ſivè in ſtatu damnationis, atqui juxta Lorcam homo peccans actualiter adhuc habet gratiam, & conſequenter veram charitatem ergo juxta Lorcam verificatur propoſitio illa Baij *Homo exiſtens in peccato, &c.*

Porrò Lorca peſſimâ; ut Oviedus loqui- 26. tur, philoſophiâ deceptus eſt probando peccatum actuale eſſe ſimul cum gratia ex eo, quòd ſit ſimpliciter prius expulſione gratiæ, adeoque in eo priori in quo exiſtit præcedendo expulſionem gratiæ, non ſit expulſio gratiæ, ſed gratia ipſa ſimul cum peccato, addit autem non eſſe eandem rationem de frigore expellente calorem, quia vult frigus non eſſe ſimpliciter prius expulſione caloris, ſed ità eſſe prius in genere cauſæ formalis, ut expulſio ipſa ſeu abjectio caloris ſit in genere cauſæ materialis prior introductione frigoris; non ſic expulſio gratiæ ſit prior introductione

introductione actualis peccati. In toto hoc ratiocinio. Falſum eſt in primis quod in cæteris formis contrariis expulſio formæ antiquæ ſit in genere cauſæ materialis prior introductione formæ novæ, nam talis prioritas repugnat, cum repugnet ut aliunde ſuppono prioritas & cauſalitas mutua etiam in diverſo genere cauſæ; & quando prioritas illa non repugnaret, non eſſet magis neceſſaria inter alias formas, quàm inter gratiam & peccatum; cum ex parte ſubjecti qualibet alia forma non magis ſit impedimentum introductionis formæ contrariæ, quàm gratia ſit impedimentum introductionis peccati. Falſum eſt inſuper in eo priori, in quo peccatum exiſtit præcedendo expulſionem gratiæ, exiſtere gratiam ipſam non verò expulſionem, ſeu carentiam gratiæ: enimverò vel ly *in eo priori* importat prioritatem naturæ, & ſic in eo priori neque exiſtit gratia, neque carentia gratiæ, quia prioritas naturæ eſt prioritas cauſalitatis; neque gratia autem, neque carentia ipſius, habet cauſalitatem, ſeu prioritatem cauſalitatis in expulſionem gratiæ; vel ly *in eo priori* importat prioritatem temporis, & ſic eſt de ſubjecto non ſupponente dicere in eo priori in quo peccatum exiſtit præcedendo expulſionem gratiæ, eſt enim ſupponere quod peccatum actuale habeat prioritatem temporis reſpectu expulſionis gratiæ.

Impugnatur ratiocinium probans peccatum actuale & gratiam eſſe ſimul in primo inſtanti.

27\. Quòd ſi dicas in primo inſtanti temporis, quo eſt peccatum gratia expellitur, ergo gratia eſt, neque enim expellitur quod non eſt. Contrà; facilè occurram dicendo rectè expelli quod non eſt, dummodò immediatè anteà fuerit, imò in hoc conſiſtere expulſionem; conceſſo igitur antecedente, nego conſequentiam abſolutè, & dico in inſtanti temporis, in quo gratia expellitur, exiſtere expulſionem, ſeu carentiam gratiæ, non gratiam ipſam; & eſſe inſtans, in quo carentia gratiæ primò eſt, & gratia primò non eſt.

28\. Aſſert. 3. Datur de facto ordo naturæ inter infuſionem gratiæ & expulſionem peccati, vel commiſſionem peccati & expulſionem gratiæ: dum ſcilicet impius juſtificatur, infuſio gratiæ eſt natura prior expulſione peccati; dum juſtus peccat, commiſſio peccati eſt natura prior expulſione gratiæ. Ità quicumque docent infuſionem gratiæ & expulſionem peccati eſſe diſtinctas realiter mutationes; nam qui ponendo pro conſtitutivo peccati habitualis privationem gratiæ negant realem diſtinctionem unius mutationis ab alia, negant conſequenter realem prioritatem, quæ non datur niſi inter diſtincta realiter.

Gratia infunditur priùs naturâ, quàm peccatum expellatur.

Probatur: Ordo naturæ eſt ordo cauſalitatis; ſed datur de facto ordo cauſalitatis inter infuſionem gratiæ, &c. & gratia peccatori ſuperveniens in genere cauſæ formalis expellit peccatum, peccatum ſuperveniens juſto in genere cauſæ formalis expellit gratiam; ergo datur de facto ordo naturæ inter infuſionem gratiæ, &c. & dum impius juſtificatur infuſio gratiæ eſt natura prior expulſione peccati, &c.

Dices: prius eſt ſubjectum eſſe ab omni impedimento abſolutum & expeditum ad recipiendam formam, quàm quod formam recipiat; diſpoſitiones enim prærequiruntur ad receptionem formæ, & carentia impedimenti eſt diſpoſitio negativa; atqui peccatum eſt impedimentum gratiæ, ergo prius eſt quod peccator ſit expeditus à peccato, quàm quòd recipiat gratiam: ergo dum impius juſtificatur expulſio peccati eſt prior infuſione gratiæ: & confirmatur hoc ex eo, quia in impij juſtificatione fit tranſitus à peccato ad gratiam, adeoque expulſio peccati ſe habet ut deſertio termini à quo, infuſio gratiæ ut acquiſitio termini ad quem; atqui in omni motu deſertio termini à quo eſt prior acquiſitione termini ad quem ergo, &c. Idem proportionaliter diſcurſus formari poteſt ad probandum in lapſu juſti gratiæ expulſionem eſſe priorem commiſſione peccati. Sed contrà: nego majorem 29. ſaltem loquendo de impedimento formaliter auferibili per formam ipſam, quæ recipitur; ſicuti eſt formaliter auferibile peccatum per gratiam; eademque ratione negandum eſt prærequiri ad receptionem formæ diſpoſitiones ponibiles in genere cauſæ formalis per ipſam formam, ſicuti carentia peccati (ſive diſpoſitio negativa rectè dicatur, ſive non) eſt formaliter ponibilis per ipſam gratiam: Ad confirmationem deſum- 30. ptam ex analogia ad motum localem dico in iſto terminum *à quo* duo habere; & eſſe id, quod amittitur, & eſſe id unde motus incipit, in juſtificatione peccatum ſe habet ut terminus *à quo*, quatenùs eſt id quod amittitur, ſeu abjicitur, non quatenùs ſit id unde juſtificatio incipit; conceſſa igitur in hoc ſenſu majore, diſtinguo minorem, in omni motu deſertio termini *à quo*, ſi iſte ſit id unde incipit motus, eſt prior acquiſitione termini ad quem; concedo; ſi ſit præcisè id, quod in motu abjicitur, nego minorem & conſequentiam. Aliter etiam dici poteſt, deſertio termini *à quo* eſt prior acquiſitione termini *ad quem*, quando talis deſertio quomodocumque fit, tranſeat; quando talis deſertio fit ex vi formæ, quæ acquiritur in termino *ad quem*; & eſt effectus formalis ipſius, nego. Ratio igitur formalis termini *à quo* ſimpliciter & abſolutè eſt eſſe id, quod deſeritur, ſeu abjicitur, non verò aut eſſe initium mutationis, aut præcedere terminum *ad quem*.

Deſertio termini à quo non ſemper præcedit acquiſitionē termini ad quem.

Dices inſuper: Si infuſio gratiæ eſſet prior tempore, quàm expulſio peccati, eſſet ſimul tempore cum peccato: ergo ſi eſt prior natura eſt ſimul natura; atqui de facto infuſio gratiæ nullam prorsùs habet ſimultatem cum peccato, ergo de facto infuſio gratiæ non eſt prior natura, quàm expulſio peccati. Sed contrà: concedo antecedens, 31. nego conſequentiam, diſparitas eſt quia pro quolibet inſtanti temporis debet verificari, quod ſit aut peccatum aut carentia peccati; non ſic pro quolibet inſtanti naturæ, pro hoc enim poteſt præſcindi, tùm à peccato, tùm à carentia; & verè

Gratia & peccatum non ſunt ſimul naturâ.

præſcindendum eſt in propoſito, nbi ſicuti gratia cauſat peccati expulſionem, & hanc neque cauſat peccatum neque carentia peccati, ità gratia naturâ præcedit eandem expulſionem, & hanc neque naturâ præcedit peccatum, neque carentia peccati: Ex eo igitur, quòd gratia ſit natura prior, quàm expulſio peccati, non ſequitur quòd pariter peccatum ſit natura priùs, quàm ſui expulſio; adeoque nec ſequitur, quòd gratia & peccatum ſint natura ſimul: & quando hoc ſequeretur, ſequeretur inſuper quòd eſſent ſimul tempore, quia ſimultas naturæ infert ſimultatem temporis, infert enim duo ſimul exiſtere; non poteſt autem dari exiſtentia, quæ ſit pro inſtanti naturæ, non pro inſtanti temporis, alioqui aliquid exiſteret realiter & non in tempore. Hinc Oviedus *præcit. num.* 11. infert Lorcam dum 2.2. *in appendice ad diſput.* 22. *num.* 15. temperando quod docuerat *præcit. diſput.* 40. dixit ſimultatem gratiæ cum peccato actuali eſſe accipiendam pro eodem inſtanti naturæ non temporis; attuliſſe emendam pejorem priore peccato.

Simultas naturæ infert ſimultatem temporis.

32. Ex dictis habetur juſtum peccantem & tranſeuntem à ſtatu gratiæ ad ſtatum peccati priùs eſſe in gratia, quàm in peccato, (& fortè prioritas termini à quo reſpectu termini ad quem, de quâ ſuprà *num.* 30. ex communi loquendi modo importat præcisè quod res ſit prius in illo quàm in iſto, non quod priùs deſerat illum quàm acquirat iſtum) at non prius amittere gratiam, quàm committat peccatum; & dari reſpectu utriuſque mutationis ſimultatem temporis, prioritatem verò naturæ ſe tenere ex parte commiſſionis peccati, non ex parte amiſſionis gratiæ. Vbi adverte obiter naturæ prioritatem, quæ unico titulo cauſæ formalis ponitur inter infuſionem gratiæ & expulſionem peccati; duplici titulo, cauſæ ſcilicet formalis & efficientia poni poſſe inter commiſſionem peccati & expulſionem gratiæ, infuſio enim gratiæ non eſt operatio noſtra, ſicuti eſt operatio noſtra commiſſio peccati, ideò non poteſt illa habere rationem meriti, ſicuti poteſt iſta habere rationem demeriti; & iſti reſpectu expulſionis gratiæ, non illi reſpectu expulſionis peccati tribui poteſt cauſalitas meritoria, quæ in genere efficientis eſt, quamvis deinde non ſatis conſtet utrùm tribuenda ſit de facto? & utrùm Deus auferat gratiam peccanti etiam in pœnam & ob demeritum actus peccaminoſi; an ſolùm ob incompoſſibilitatem formalem malitiæ moralis cum gratia?

CAPUT IV.

De Iuſtificatione, tùm poſitiva, tùm negativa, in ordine ad potentiam abſolutam, & extraordinariam Dei.

DEus utpotè in operibus ad extrà liber, tùm in ſubſtantia, tū in modo, poteſt tū non facere, tùm aliter facere ea quæ facit; & cum juſtificatiò non ſolùm ſit opus divinum ad extrà, verùm etiam ſit opus maximè liberum, & maximè liberale; poteſt omninò Deus, tùm nos non juſtificare, tùm juſtificare aliter quàm juſtificet de facto; & certum in univerſum eſt potentiam abſolutam Dei habere juſtificationis modos diverſos ab iis, quibus de facto utitur potentia ordinaria, examinandum jam, quinam in particulari illi ſint & hoc quidem nequit meliùs præſtari, quā repetendo modos, quos de facto à juſtificatione prout de facto ſit excluſimus, & de ſingulis ſtatuendo, utrùm juſtificationi prout de potentia abſoluta fieri poteſt conveniat? ſicque primo loco occurrit, utrùm de potentia abſoluta juſtificatio poſitiva fieri poſſit per formam juſtificato non inhærentem, nec intrinſecam? quatenùs effectus poſitivi, quos de facto præſtat in juſto gratia phyſicè inhærens & interna, nimitùm eſſe participem divinæ naturæ, eſſe filium adoptivum, amicum & hæredem Dei, haberi poſſint per formam juſtificato extrinſecam, eique inhærentem tantùm moraliter ratione alicujus appropriationis & imputationis, per quam cenſeatur ipſius propria. In hoc ſenſu ſit 1.

§. I.

Vtrùm de potentia abſoluta juſtificatio poſitiva fieri poſſit per formam extrinſecam, & non inhærentem juſtificata?

2. ASSERT. I. Iuſtificatio poſitiva, quæ habetur de facto, aut cum ea proprietate & perfectione, quâ habetur de facto, neque etiam de potentia abſoluta haberi poteſt per formam extrinſecam, & non inhærentem juſtificato. Hoc aſſertum ſupponi à Theologis ſolet potiùs, quàm tradi in terminis, & facilè

Iuſtificatio, quæ fit de facto, neque de potentia abſoluta poteſt fieri per formā extrinſecā.

Probatur: Iuſtificatio, quæ habetur de facto, denominat juſtum intrinſecè, & reddit intrinſecè participem divinæ naturæ, intrinſecè filium adoptivum, intrinſecè hæredem, intrinſecè amicum Dei; atqui neque de potētia abſoluta effectus formales intrinſeci, & denominationes intrinſecæ haberi poſſunt à forma extrinſeca, & non inhærente; clarum enim eſt ex terminis illas dici denominationes intrinſecas, quæ ab intrinſecis;

fecis; illas extrinſecas, quæ ab extrinſecis formis proveniunt; & cum effectus formales ſint illi, quos præſtant formæ per ſe ipſas, ſeu per propriam informationem, quid innegabilius? quam formam non poſſe præſtare effectum formalem intrinſecum ſub-
3. jecto, cui ipſa eſt extrinſeca. Confirmatur ex eo, quod juſtificatio poſitiva cum ea proprietate & perfectione, quâ habetur de facto per gratiam inhærentem, conſiſtit maximè in participatione divinæ naturæ formaliter & phyſicè, ratione cujus juſtus eſt principium radicale proportionatum operationum omnium ſupernaturalium, & habens eſſe ſupernaturale, nec non filiationem adoptivam Dei magis propriam ea, quæ in humanis exercetur, quæ omnia conſtant ex *lib. præced. c. 1. §. 2. & 3.* atqui hæc non poſſunt haberi per formam extrinſecam; & licèt per aſſiſtentiam extrinſecam poſſit quis elevari ad ſupernaturaliter operandum, non tamen ad ſupernaturaliter eſſendum præſertim per modum naturæ, cujus univerſaliſſimus conceptus importat eſſe principiũ intrinſecum, natura enim univerſaliſſimè accepta definitur Principium motus & quietis in eo, in quo eſt: Deinde aliud eſt poſſe elevari per extrinſecam aſſiſtentiam, per quam fit elevatio in genere efficientis; aliud poſſe elevari per extrinſecam formam, per quam elevatio fiat in genere cauſæ formalis.

4. Aſſert. 2. Iuſtificatio poſitiva diverſa ab ea, quæ fit de facto, & non cum ea proprietate ac perfectione, quâ de facto fit, haberi poteſt de potentia abſoluta per formam extrinſecam & non inhærentem juſtificato phyſicè, ſed tantùm moraliter. Colligitur aſſertum ex Herincx *diſput. 4. q. 7.* aliiſque Scotiſtis, & inter recentiores ex Ripalda *tom. 2. de ente ſupernaturali, diſp. ult. ſect. 1.* Arriaga *hic diſp. 44. ſect. 4.* &c. & in ſenſu explicando cenſeri poteſt communiter receptum, quamvis non adeò communiter ſub propriis terminis expreſſum

Bene verò juſtificatio aliqua diverſa & minùs perfecta.

Probatur & explicatur: Habere jus ad divinam amicitiam & ad divinã hæreditatem abſque eo, quòd jus ad illam in participatione divinæ naturæ, & jus ad iſtam in adoptiva Dei filiatione fundetur, eſt juſtificatio aliqua poſitiva licèt diverſa ab ea, quæ de facto fit, & non cum ea proprietate & perfectione, quâ fit de facto; atqui jus ad divinã amicitiam & ad divinam hæreditatem abſque participatione divinæ naturæ, & adoptiva Dei filiatione, haberi poteſt de potentia abſoluta per formam extrinſecam, & non phyſicè, ſed tantùm moraliter inhærentem juſtificato; ergo juſtificatio poſitiva diverſa ab
5. ea, quæ &c. Major patet, quia habere jus ad divinam amicitiam & ad divinam hæreditatem eſt habere aliquos, non omnes effectus, in quibus juſtificatio poſitiva de facto conſiſtit, & ad quos juſtificatio negativa, ſeu peccatorum remiſſio conſequitur; ergo habere tale jus eſt juſtificatio aliqua poſitiva licèt diverſa ab ea, &c. Minor probatur, de potentia abſoluta poteſt quis conſtitui ſub alio, tanquam ſub capite morali in ordine ſupernaturali, adeò ut juſtitia & bonitas ſupernaturalis in hoc alio exiſtens cenſeatur ipſius propria & ei moraliter imputetur in ordine ad reddendum ipſum dignum divina amicitia & aſſumptum ad divinã hæreditatem; iſti enim effectus non ſunt ex genere ſuo tales, quin haberi poſſint per formã extrinſecam moraliter imputatam, nam et ſi in humanis bonitas Patrisfamilias & in ipſo ſolo phyſicè exiſtens moraliter afficit familiã totam, eamque reddit dignã ſpeciali amore, & voluntas in teſtatore exiſtens eique, in cujus favorem teſtatur extrinſeca, ſufficit ut is denominetur inſtitutus hæres & acquirat jus ad hæreditatem; ergo jus ad divinã amicitiam & ad divinam hæreditatẽ abſque participatione, &c. excipio autẽ à juſtificatione per formam extrinſecam participationem divinæ naturæ & filiationem adoptivã propter ſupradicta *n. 3.* & licèt Herincx *quæſt. præcit. n. 33.* admittat filiationem adoptivam Dei ſine forma intrinſeca haberi, ſicuti de facto ſine forma intrinſeca habetur in humanis; diſplicet id tamen, quia confundit inſtitutionem in hæredem cum adoptione in filium, & verè nõ poſſet ampliùs una ab alia reſpectu Dei diſtingui, ſi Deus poſſet adoptare per formã extrinſecam, & non participando effectivè ac in ſe propriã naturã, pro quo recuſãtur ſupradicta *præced. lib. c. 1. n. 23.*

Per formã extrinſecã haberi nequit naturæ divinæ participatio, aut filiatio adoptiva Dei.

Dices primò: Inſtitutio in hæredem, prout hic à nobis contradiſtinguitur ab adoptione in filiũ, nihil eſt aliud, quàm divina prædeſtinatio, quã homo ad gloriam eligitur; atqui divina prædeſtinatio nullo modo conſtituit hominẽ juſtum neque ad juſtificationẽ pertinet, cum conveniat etiã exiſtenti in peccato: ergo ex eo, quod inſtitutio in hæredem, ut contradiſtincta ab adoptione in filiũ & abſque tali adoptione, haberi poſſit per formam extrinſecã, malè infertur per formã extrinſecam haberi poſſe aliquã juſtificationem. Sed 6.
contrà: divina prædeſtinatio, quatenùs dici poteſt inſtitutio in hæredem, nunquã convenit exiſtenti in peccato, eſt enim inſtitutio in hæredem non quomodocumque, ſed finalis, id eſt pro tẽpore mortis & fine viæ, pro quo nullus prædeſtinatus eſt in peccato; quidquid deinde ſit de hoc, prædeſtinatio nõ eſt ea inſtitutio hæredis, de quã in præſenti, quam volumus fieri per formam phyſicè quidem extrinſecam inſtituto hæredi, ei tamen moraliter inhærentem propter connexionem ipſius cum ſuo capite morali habente formam illam ſibi inhærentem phyſicè.

Prædeſtinatio divina quomodò dici poſſit inſtitutio in hæredem.

Dices ſecundò: Hæc omnia favent ſectariis aſtruentibus nos juſtificari per juſtitiam Chriſti nobis extrinſecè imputatam, neque enim excogitari poteſt ulla perſona, cui aut inſit major juſtitia, aut magis aptè conveniat prærogativa noſtri capitis moralis. Sed con- 7.
trà: præter quod non favetur reprehenſibiliter ſectariis admittendo tantùm de poſſibili illud, quod ipſi aſtruunt de facto, dico juſtificationem ab illis excogitatam per imputationem extrinſecam juſtitiæ Chriſti eſſe longè diverſam ab ea, quam nos aſſerimus per formam extrinſecam haberi poſſe; primò

Quomodò juſtificatio per formã extrinſecã, quam poſſibilem aſſerimus, nõ

faveat ſectarus.

quia juſtificatio ab Adverſariis excogitata tegit dumtaxat non verè delet peccata, & facit hominem apparere ac reputari juſtum, gratum, & amicum Dei, non verè talem eſſet. Secundò, quia juſtitiam Chriſti, per quam tanquam per formã extrinſecam volunt nos juſtos denominari, non ponunt eſſe aliquid nobis moraliter inhærens, & in Chriſto phyſicè permanens; volunt enim nobis imputari juſtitiam operum, ſeu meritorũ Chriſti, quæ & eſt in Chriſto quid phyſicè tranſiens, & ut nobis moraliter inhæreret requireretur tranſlatio noſtrarum voluntatum in voluntatem Chriſti, cujus tranſlationis non meminere ſectarij. Econtrà juſtificatio, quæ à nobis aſſeritur dabilis per formam extrinſecam, peccata verè deleret & nos verè gratos ac Dei amicos redderet, & haberetur per formam, tùm inhærentem nobis moraliter, tùm permanentem phyſicè in noſtro capite morali. Ad illud, quod addebatur prærogativam noſtri capitis moralis nulli alij aptiùs, quàm Chriſto Domino tribui poſſe, dico Chriſtum de facto eſſe noſtrum caput morale perfectiori modo, quàm foret in hypotheſi illa poſſibili; quia eſt cauſa moralis illius juſtificationis perfectioris, quæ de facto fit, & tanquam caput in nos omnes influit gratiam habitualem, quã ut forma phyſicè intrinſeca juſtificamur; ideò quòd non ſit caput morale in ordine ad juſtificationem minùs perfectam factibilem per formam extrinſecam non derogat excellentiæ Chriſti, cui ex alia parte talis capitis prærogativa, quamvis non repugnet, non eſt tribuenda de factò, ſicuti nec eſt de facto aſſerenda in nobis juſtificatio per formam extrinſecam.

Chriſtus eſt noſtrum caput morale, quia in nos influit.

8. Confirmatur aſſertum & tota doctrina hucuſque tradita: Ex eo quod fuerimus de facto conſtituti ſub Adamo, tanquam ſub capite morali in ordine ad culpam originalem, per actum exiſtentem in Adamo phyſicè, in nobis verò ſolùm moraliter, verè evadimus digni inimicitia Dei & pœna æterna; ergo ſimiliter poſſumus conſtitui ſub aliquo capite morali in ordine ad juſtificationem, & per formam phyſicè exiſtentẽ in tali capite, in nobis verò ſolùm moraliter reddi verè digni amicitia Dei & æterna gloria; non enim apparet, cur malum debeat eſſe efficacius bono in ordine ad tribuendos nobis ſuos effectus formales; aut cur, qui habuimus morale caput in malo, habere proportionaliter non poſſimus morale caput in bono?

Adam fuit noſtrum caput morale, quia fuerunt in ipsũ tranſlatæ noſtræ voluntates.

Dices ex Arriaga *præcit. ſect. 4. num. 14.* effectum formalem peccatoris provenire ab operatione libera, effectum formalem juſti provenire à forma phyſica, rectè autem poſſumus conſtitui ſub uno capite morali in ordine ad operationẽ liberam abſque eo, quod inferatur poſſe nos ſimiliter conſtitui ſub uno capite morali in ordine ad formã phyſicam; transfuſio enim voluntatum in voluntatem unius capitis confert ad hoc, ut operationes liberè provenientes à voluntate capitis cenſeantur etiam provenire à voluntatibus in eam transfuſis, eadem verò transfuſio impertinenter ſe habet ad formã phyſicam, quæ non eſt operatio voluntatis: Accedit quòd nos ipſi *præced. c. 2. n. 6.* diximus ex morali inhærentia culpæ malè argui ad moralem inhærentiã juſtitiæ, & tamen hoc arguendi modo utitur mox poſita confirmatio. Sed contrà: ut ab hoc poſtremo incipiam, 9.
ex eo quòd culpa capitis de facto inhæreat moraliter membris inferri poteſt, vel quod de facto etiam moraliter membris inhæreat juſtitia capitis, vel quod poſſit in alia providentia moraliter inhærere; primã illationem alibi damnavimus, ſecundam continet mox poſita confirmatio, ideò non loquimur inconſequenter: Ad diſparitatem deindè, quam inſtantia confirmationi opponit, dico in primis eam ut fatetur Arriaga *ibid. n. 15.* ad nihil inſervire contrà opinionẽ tribuentem prærogativam formæ juſtificantia actui charitatis & contritionis, qui ſicuti eſt operatio libera non minùs, quàm actus peccati, ità dum eliceretur phyſicè à voluntate capitis cenſeretur elici moraliter à voluntatibus in eam transfuſis non minùs, quàm de facto actus peccati originalis, &c. Allata igitur 10.
diſparitas non infirmat vim noſtræ illationis quoad juſtitiam actualem, nec probat quod juſtitia actualis phyſicè extrinſeca non poſſit inhærere moraliter & conſtituere actualiter juſtum eum, cui moraliter tantùm inhæret; hinc nos arguimus ad juſtitiam habitualem & dicimus, juſtitia actualis phyſicè exiſtens in capite eſt diſpoſitio, ad quam infallibiliter conſequitur juſtitia habitualis eidem capiti phyſicè inhærens; ergo eadem juſtitia actualis moraliter exiſtens in membris erit diſpoſitio, ob quam juſtitia illa habitualis phyſicè inhærens capiti fiet moraliter inhærens membris, ſicque transfuſio voluntatum in voluntatem capitis immediatè conferendo ad habendam moraliter juſtitiam actualem capitis, mediatè confert ad eodem modo habendam ejuſdem capitis juſtitiam habitualem.

11. Hinc fit formam extrinſecam, quam de potentia abſoluta aſſerimus juſtificare poſſe, eſſe præcipuè ipſummet habitum gratiæ, qui licèt de facto juſtificet ſolùm ſubjectum, cui inhæret phyſicè, & reſpectu cujus eſt forma phyſicè intrinſeca, de potentia abſoluta, ſecundùm quam ultrà inhærentiam phyſicam habere poſſet inhærentiam moralem, ultrà juſtificationem quam tribueret ſubjecto ſuæ phyſicæ inhæſionis, aliam juſtificationẽ minùs quidem propriam minuſque perfectam, at non inſufficientẽ ad expellendum peccatum & ad conferendum jus ad amicitiam & hæreditatẽ Dei, tribueret ſubjecto ſuæ inhæſionis moralis. Vtrùm verò ſit dabilis aliqua alia forma permanens apta juſtificare ſubjectum, cui eſſet phyſicè extrinſeca, pendet ab eo quod ultrà gratiam admittatur aliqua alia forma permanens perfectè juſtificativa ſubjecti, cui phyſicè inhæret; ſi enim hæc forma admittitur, non videtur ei negandũ poſſe juſtificare ſine phyſica inhærẽtia, quoties ſupponatur inſtitui caput morale, cui talis forma inſit, & ratione cujus poſſit moraliter imputari iis, quibus phyſicè non inhæret.

Gratia habitualis de potentia abſoluta juſtificare poteſt etiã ut forma extrinſeca.

Dubitatur

12. Dubitatur hic: Vtrùm juſtificatio poſitiva minùs perfecta, quàm hucuſque diximus haberi divinitùs poſſe per formam extrinſecam phyſicè, intrinſecam moraliter; Vtrùm, inquam, talis juſtificatio haberi divinitùs poſſit per formam extrinſecam etiam moraliter? puta per actum purè extrinſecum divinæ benevolentiæ, & independenter ab omni formâ creatâ exiſtente in aliquo capite morali. Dixi *juſtificatio poſitiva*, quia quoad juſtificationem negativam & remiſſionem peccati, an & quomodo per condonationem Dei purè extrinſecam haberi poſſit? eſt diverſa quæſtio examinanda infrà §.6. quoad juſtificationem verò poſitivam, quæ pro re præſenti importat dignitatem, ac jus ad amorem Dei amicabilem, & ad divinam hæreditatem reſpondeo negativè, aliud enim eſt eſſe dilectum à Deo, aliud eſſe dignum Dei dilectione; aliud eſſe acceptum ad hæreditatem, aliud eſſe dignum hæreditate; primæ denominationes haberi ex genere ſuo

13. poſſunt ab actibus purè extrinſecis; ſecundæ non item; ubi adverte obiter prædeſtinationem ad gloriam de facto dici poſſe propriam inſtitutionem hæredis, in quantum eſt ſimul præparatio gratiæ dantis jus finale ad hæreditatem; cæterùm ſi ſumatur deſtinatio ad gloriam præciſa à præparatione gratiæ, eſſet acceptatio ad hæreditatem non correſpondens juri hæreditario & præviæ inſtitutioni hæredis, ſed facta purè liberaliter. Neque dicas, Prædeſtinatio ad gloriam etiam ut præciſa à præparatione ſeu collatione gratiæ eſt promiſſio hæreditatis; atqui promiſſio confert promiſſario jus ad rem promiſſam; ergo prædeſtinatio etiam ut præciſa, &c. confert prædeſtinato jus ad gloriam; ergo ex vi actus divini purè extrinſeci poteſt homo habere jus ad divinam hæreditatem. Contrà enim: prædeſtinatio ad gloriā eſt voluntas dandi gloriam, ſeu hæreditatem, non promiſſio hæreditatis; ideò quando etiam promiſſio conferret promiſſario jus aliquod ad rem promiſſam, non idcircò prædeſtinatio ut eſt actus Dei prædeſtinantis conferret prædeſtinato jus aliquod ad gloriam.

---

§. II.

Vtrùm de potentia abſoluta juſtificatio fieri poſſit per aliquem actum, & ſignanter per actum charitatis?

14. Actus charitatis neque de potentiâ abſolutâ poteſt juſtificare formaliter perfectè.

ASSERT. I. Per actum aliquem viæ, & ſignanter per actum charitatis neque de potentia abſoluta haberi poteſt formalis & perfecta juſtificatio poſitiva. Ità Ioannes à S. Thoma *diſp.* 27. *art.* 1. *num* 12. Gonetus *diſp.* 1. *de juſtificat. art.* 4. §.4. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 13. *quæſt.* 6. Oviedus *controv.* 1. *punct.* 7. Arriaga *tom.* 5. *diſp.* 32. Madernus *quæſt.* 5. *art.* 7. aliique Theologi magis communiter contrà Vaſquium, Turrianum, Meratium, Gaſparem Hurtadum, & Ioannem Vincentium locis ſuprà relatis *cap.* 2. *n.* 10.

Dixi *per actum aliquem viæ*, ut exciperem actum beatæ viſionis in Patriâ, de quo infrà *num.* 31. Dixi *& ſignanter per actum charitatis*, quia de hoc uno, ſivè ſumpto ſecundùm ſe præcisè, ſivè ut contento in actu contritionis perfectæ, eſt ſpecialis ratio dubitandi, & quidquid probat noſtrum intentum contrà actum charitatis militat à fortiori contrà omnem alium actum viæ.

Dixi *formalis & perfecta juſtificatio poſitiva* ut per ly *formalis* excluderem juſtificationem, tùm diſpoſitivam & inchoatam, tùm meritoriam & in genere cauſæ efficientis, non in genere cauſæ formalis: Item ut per ly *perfecta* excluderem juſtificationem aliquam minùs perfectam, quæ habeatur cum aliquo favore Dei extrinſeco, & per formam ſolùm moraliter inhærentem, quatenùs de potentia abſoluta poſſet Deus per favorem extrinſecum annectere actui charitatis jus ad ſuum amorem amicabilem & ad gloriam; non tantùm pro eo tempore, pro quo elicitur & phyſicè exiſtit phyſiceque inhæret elicienti; verùm etiam pro eo; pro quo ratione non retractationis moraliter permaneret & moraliter elicienti inhæreret; adeò ut ſuppoſito favore extrinſeco homo per talem actum phyſicè tranſactum & moraliter permanentem conſtitueretur verè amicus Dei & verè hæres; quamvis nec particeps divinæ naturæ, nec Dei Filius propter ſupradicta *num.* 5. quod eſſet conſtitui verè juſtum; at non ea perfectione & proprietate, quâ de facto conſtituimur juſti per gratiam habitualem. Tandem ut per ly *poſitiva* exciperem juſtificationem negativam, ſeu abſterſionem peccati, de quâ ſeorſim agam *aſſert.* 2. Interim aſſertum mox poſitum & explicatum 15.

Poteſt tamen modo aliquo minùs perfecto verè conſtituere Dei Amicū, & hæredem.

Probatur primò: Actus charitatis non habet ab intrinſeco, & ex natura ſua, vim præſtandi formalem & perfectam juſtificationem poſitivam; ergo neque de potentia abſoluta haberi per ipſum poteſt formalis & perfecta juſtificatio poſitiva; conſequentia patet, quia ex una parte vis juſtificandi, de quâ in præſenti debet convenire actui charitatis ab intrinſeco, cum debeat ei convenire in genere cauſæ formalis, quod eſt idem ac dicere per propriam entitatem; ex aliâ parte quod convenit ab intrinſeco, convenit de potentia ordinaria æquè ac de abſoluta; potentia enim ordinaria deeſſet in neceſſariis, ſi aliquid ab intrinſeco debitum tribueretur per ſolam potentiam abſolutam: Antecedens probatur primò, quia actus charitatis talem juſtificationem de facto non præſtat, ut oſtenſum eſt *præced. cap.* 2. §.2. atqui hoc non provenit ex aliquo impedimento extrinſeco; ergo provenit ex eo quod non habet ab intrinſeco, & ex natura ſua, vim id præſtandi; minor probatur, ſi aliquod eſt impedimentum extrinſecum, maximè habitus gratiæ in genere efficientia præcedens actum charitatis, ratione cujus præcedentiæ fiat, ut actus charitatis de facto inveniat ſubjectum jam juſtificatum, 16.

nec poſſit in ipſo de novo præſtare quod jam antecedenter præſtitum eſt; ſed hoc impedimentum non ſubſiſtit, quia etiamſi habitus gratiæ in genere efficientis præcederet actum charitatis quod ex ſupradictis falſum eſt; tamen actus ipſe præcederet habitus in genere cauſæ materialis, & ex parte ſubjecti; quoad juſtificationem igitur præſtandam ſubjecto adhuc prioritas eſſet in actu potiùs, quàm in habitu; at demus habitum eſſe ſimpliciter priorem; non ne prima gratia eſt ſimpliciter prior augmento? & tamen augmentum gratiæ non impeditur ne præſtet effectum formalem poſitivè juſtificandi;

17. Quod ſi dicas primam gratiam & ejus augmentum eſſe eiuſdem rationis, habitum verò reſpectu actus eſſe formam diverſam & ſuperiorem, ideò paritatem non currere; impugnaberis facilè in Chriſto Domino, in quo gratia unionis eſt non ſolùm prior, verum etiam ſuperior gratiâ habituali, nec propterea per ſuam juſtificationem impedit juſtificationem iſtius, ratio à priori eſt, quia una forma non impedit effectum formalem alterius, niſi ſit ei contraria, & incompoſſibilis.

Vna forma nõ impedit effectum formalem alterius niſi ſit contraria alteri.

Idem primum antecedens probatur ſecundò: Præſtare iuſtificationem poſitivam formalem & perfectam eſt reddere iuſtum in eſſendo & iuſtitiâ primariâ ac radicali, ad quam conſequantur omnia alia dona quæ homo infuſa recipit, dum iuſtificatur; atqui actus charitatis non habet ab intrinſeco & ex natura ſua vim reddendi hoc modo iuſtum; cum enim ſit operatio non poteſt ab intrinſeco & ex natura ſua reddere iuſtum niſi in operando, & cum ſit operatio voluntatis non niſi in operando per voluntatem; cum item ſit in ordine ſupernaturali participatio Dei ſecundum voluntatem, non ſecundum naturam, utique non poteſt nos reddere conſortes divinæ naturæ & conſequenter nec filios adoptivos; cum filiatio adoptiva Dei ex ſæpiùs dictis fundetur in divinæ naturæ conſortio.

Dices hinc rectè probari, quòd actus charitatis nequeat iuſtificare eo modo, quo habitus gratiæ, & æquè perfectè; at eum hoc rectè ſtare, quòd poſſit iuſtificare verè & propriè conſtituendo verè & propriè amicos Dei & hæredes, quamvis non participes divinæ naturæ & filios adoptivos; ſicuti ex doctrina §. præcedentis poteſt pariter verè amicos Dei & hæredes, non participes divinæ naturæ & filios cõſtituere forma phyſicè extrinſeca & intrinſeca ſolùm moraliter.

18. Sed contrà: dici in primis poſſet ex parte ſubiecti tantùm non ex parte formæ participationem divinæ naturæ & filiationem adoptivam ſeparari poſſe ab amicitia Dei & iure hæreditario; non poſſe ſcilicet dari formam, quæ habeat ab intrinſeco vim præſtandi duos tantùm poſteriores effectus, non duos priores; quamvis poſſit dari ſubiectum, quod duos tantùm poſteriores effectus, non duos priores ſuſcipiat; qua ratione ex eo, quod actus charitatis ab intrinſeco non tribuat conſortium divinæ naturæ & adoptionem, ſufficienter inferretur neque ab intrinſeco tribuere poſſe divinam amicitiam & jus hæreditarium: Hoc tamen etiam probatur aliundè ex eo, quod actus charitatis nihil aliud formaliter præſtat, quàm conſtituere nos diligentes Deum; atqui per hoc quod diligamus Deum non acquirimus jus ad amicabilem Dei redamationem, neque ad hæreditatem ipſius; ex genere enim ſuo amor utcumque perfectiſſimus unius ergà alterũ non tribuit jus exigendi redamationem ab altero & ſuccedendi in bonis alterius; neque ullus ſanæ mentis credidit ex benevolentia ſubditi in Regem oriri in iſto obligationem redamandi amicabiliter ſubditum & inſtituendi ipſum Regni hæredem.

Vrgebis: licèt amor ex genere ſuo non tribuat amanti jus exigendi redamationem, hoc tamen jus tribuit ex ſua ſpeciali prærogativa Dei amor, eo quod habeat annexam promiſſionem quâ Deus promittit diligentibus ſe ſuam redamationem Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Ioan. 14. *Si quis diligit me diligetur à Patre meo*; ex promiſſione autem oritur in promiſſarin jus exigendi rem promiſſam.

19. Sed contrà: ſi inſtantia aliquid probaret noſtrum amorem ergà Deum ex favore extrinſeco divinæ promiſſionis, non ab intrinſeco & ex natura ſua exigere redamationem Dei ergà nos, quod non ſufficeret pro Adverſariorum intento: Verùm neque hoc probat, quia verbis ex Scripturâ relatis aliiſque ſimilibus nihil aliud continetur, quàm connexio actus charitatis cum habitu gratiæ tanquam ultimæ diſpoſitionis cum forma, adeò ut Deus dicatur diligere diligentes ſe, quatenùs per actum dilectionis diſpoſitis confert habitum gratiæ, quæ eſt vinculum divinæ amicitiæ & dat jus ad divinum amorem.

20. Probatur ſecundò aſſertum ex eo, quia juſtificatio poſitiva formalis & perfecta infert juſtificationem negativam ſeu abſterſionem peccati; quamvis enim ex infrà dicendis juſtificatio negativa ſine potentia, id eſt remiſſio peccati ſine interiore renovatione haberi poſſit, non ſic è contrà haberi poteſt juſtificatio poſitiva ſine negativa & renovatio interior ſine remiſſione peccati, undè gratia habitualis non poſſet cum peccato componi, ſi non poſſet carere effectu poſitivè juſtificandi; juſtificatio igitur poſitiva infert juſtificationem negativam ſeu abſterſionem peccati; atqui actus charitatis non eſt forma ab intrinſeco, & ex natura ſua peccati abſterſiva ſeu negativè iuſtificans, ut oſtendetur *ſeq. aſſert.* ergo neque eſt forma ab intrinſeco & ex natura ſua iuſtificans poſitivè, adeoque per actum charitatis neque de potentia abſoluta haberi poteſt, &c.

Iuſtificatio negativa haberi poteſt ſine juſtificatione poſitiva, non è contrà.

21. Aſſert. 2. Neque de potentia abſoluta haberi poteſt iuſtificatio negativa per actum charitatis, tanquam per formam ab intrinſeco & ex natura ſua peccati abſterſivam. Hoc aſſertum eoſdem, quos aſſertum ſuperius, habet tùm Adverſarios tùm Patronos; imò ex his aliqui ut Arriaga *præcit. diſp.* 32. item Amicus *hic diſp.* 33. *ſect.* 3. ſicuti magis

ex

ex profeſſo actom charitatis ſeu contritionis comparant ad negativam, quam ad poſitivam juſtificationem, ità magis expreſsè ſtant pro præſenti, quàm pro præcedenti aſſerto.

Actus charitatis non eſt incompoſſibilis cum peccato habituali.

Probatur: Actus charitatis non eſt forma ab intrinſeco & ex natura ſua incompoſſibilis cum peccato habituali; ergo non eſt forma ab intrinſeco & ex naturà ſuâ peccati abſterſiva ſeu expulſiva, & nec de potentiâ abſolutâ talis eſſe poteſt, quia quod convenit alicui rei dependenter à totâ potentiâ abſolutâ non convenit ei ab intrinſeco & ex natura ſua; ergo neque de potentiâ abſolutâ haberi poteſt juſtificatio negativa, &c. antecedens probatur; Actus charitatis non eſt forma ab intrinſeco & ex naturâ ſuâ contradictoriè, aut contrariè oppoſita peccato habituali; non contradictoriè, quia peccatum habituale per nos eſt moralitas poſitiva, non privatio; nec ſi involvit aliquam privationem, hæc eſt privatio actus charitatis, quia ſicuti hunc actum non tenemur ſemper elicere, ità carentia ſeu privatio ipſius non eſt ſemper peccaminoſa: Non item contrariè aut quaſi contrariè opponitur actus charitatis cum habituali peccato; in iſto enim vel attenditur ratio offenſæ per quam redditur Deus indignatus, & ſub hac ratione forma ex parte hominis contraria peccato non poteſt eſſe niſi ſatisfactio condigna, actus autem charitatis non eſt condigna pro lethali ſatisfactio ut ſuppono ex tractatu de Incarnatione; vel attenditur ratio malitiæ ſeu maculæ per quam fœdatur ac deturpatur anima, & ſub hac ratione forma contraria peccato debet animam poſitivè ſanctificare ſanctificatione perfecta, actus autem charitatis hoc non præſtat cum ex ſupradictis non præſtet per ſe ipſum formaliter perfectam juſtificationem poſitivam; ergo à primo ad ultimum actus contritionis ſeu charitatis neque oppoſitionem neque incompoſſibilitatem habet cum habituali peccato.

Nec contradictoriè.

Aut contrariè ei opponitur.

22.

Dices primò: Actus charitatis eſt forma incompoſſibilis cum peccato actuali; ergo etiam cum peccato habituali, quod nihil aliud eſt, quàm peccatum ipſum actuale moraliter perſeverans; antecedens probatur, qui elicit actum charitatis præfert amicitiam Dei amori cujuſlibet objecti Deo contrarij, vult obſervare omnia Dei præcepta, & Deo in omnibus placere; qui actu lethaliter peccat, poſtponit amicitiam Dei amori alicujus objecti creati, tranſgreditur aliquod Dei præceptum, & Deo ſimpliciter diſplicet; atqui illa cum iſtis incompoſſibilia ſunt, ergo actus charitatis eſt forma incompoſſibilis cum peccato habituali. Sed contrà: etiam propoſitum melioris vitæ & voluntas non peccandi, quamvis habeatur ut re vera haberi poteſt ſine actu contritionis aut dilectionis eſt actus incompoſſibilis cum peccato actuali, & tamen non eſt incompoſſibilis cũ peccato habituali, nec eſt forma peccati habitualis abſterſiva; eſt igitur illegitima inſtantiæ illatio, conceſſo propterea antecedente, nego abſolutè conſequentiam, plùs enim requiritur ad auferendum habituale, quàm ad impediendum actuale, quia iſtud præcisè ſe tenet ex parte peccatoris, illud importat jus acquiſitum Deo adversùs peccatorem, & quando dicitur nihil aliud eſſe, quàm ipſum peccatum actuale moraliter perſeverans, ſenſus eſt quod non ſuperaddat peccato actuali aliquid phyſicum, cum quo ſtat ſuperaddere aliquid morale, & reperiri in peccato habituali moralitatem aliquã in peccato actuali non repertam, ratione cujus moralitatis non ſufficiat actus charitatis ad excludendum habituale, ſicuti ſufficit ad excludendum actuale peccatum.

23. Non omnis forma incõpoſſibilis cum peccato actuali, eſt incompoſſibilis cum habituali.

Urgebis: Peccatum habituale nihil eſt aliud, quàm habitualis à Deo averſio & ad creaturam converſio; & iy *habitualis* nihil aliud importat, quàm non retractationem præteritæ actualis à Deo averſionis, & ad creaturam converſionis, atqui actus charitatis per ſe ipſum formaliter convertit hominem ad Deum, & avertit à quolibet objecto creato contrario amicitiæ Dei, adeoque implicitè retractat præteritam à Deo averſionem & ad creaturam converſionem; ergo actus charitatis habet oppoſitionem & incompoſſibilitatem cum peccato habituali, etiam quatenùs dicit habitualitatem ac moralem perſeverantiam. Sed contrà: præterita à Deo averſio & ad creaturam converſio duplici titulo perſeverat moraliter ſeu habitualiter in peccatore: Primus eſt voluntarietas, ratione cujus cenſetur velle permanere in adhæſione & affectione ad creaturam; ſecundus eſt obligatio paſſiva, ratione cujus remanet obſtrictus juri activo, quod Deus adverſus peccatorem acquiſivit ad exigendam ab ipſo ſatisfactionem offenſæ: Porrò ad abſtergendum peccatum habituale non ſufficit auferre permanentiam ipſius quoad voluntarietatem, niſi ſimul auferatur quoad obligationem paſſivam; per retractationem verò ſicut & per actum charitatis aufertur ſolùm permanentia voluntarietatis, non permanentia obligationis paſſivæ; ad hanc enim auferendam omninò requiritur, quòd aut Deus cedat juri ſuo per condonationem, aut homo tale jus extinguat per condignam ſatisfactionem; eo ferè modo, quo quia votum permanet non ſolùm ratione voluntarietatis, quâ fuit liberè emiſſum; verùm etiam ratione obligationis paſſivæ ob jus Deo acquiſitum ad exigendam rem votò promiſſam, per hoc quod vovens votum retractet delet moralem permanentiam ipſius quoad voluntarietatem, non quoad paſſivam obligationem, & ad hanc auferendam requiritur aut relaxatio, per quam Deus juri ſuo cedat, aut impletio rei promiſſæ, per quam jus Deo acquiſitum extinguatur; ſic etiam in humanis contractibus propter jus acquiſitum alteri contrahentium, non ſufficit unius contrahentis retractatio ad ipſos ſimpliciter diſſolvendos: Ex his omnibus fit inſtantiam falsò ponere quod ly *habitualis* nihil aliud importet quàm non retractationem, &c.

24. Quid ſit peccatum perſeverare habitualiter.

25. Votum cur ſolà voventis retractatione non ceſſet.

Dices ſecundò: Actus charitatis ſeu contritionis eſt forma ab intrinſeco ut ex natura

ſua

ſua conſtituens Sanctum, juſtum, & amicum Dei; ergo eſt forma ab intrinſeco & ex natura ſua incompoſſibilis cum peccato habituali, & ipſius abſterſiva, conſequentia patet, quia peccatum habituale præſtat effectus oppoſitos, nec alia de causâ abſtergitur per gratiam habitualem, niſi quia iſta conſtituit Sanctum, juſtum, &c. antecedens probatur quoad primam partem, quia actus charitatis verè eſt aliqua Sanctitas, & quidem valde perfecta; cum contineat & excedat alios omnes actus ſupernaturales; quoad ſecundam, quia eſſe juſtum eſt rectè ſe habere ad Deum tanquàm ad primam regulam; actus autem charitatis utpote qui facit hominem eſſe unum ſpiritum cum Deo maximè Deo unit tanquàm primæ regulæ, unde etiam hominem determinat ad eliciendas omnes ſuas operationes tali primæ regulæ æquales & commenſuratas; quoad tertiam quia actus charitatis eſt converſio amicabilis creaturæ ad Deum, neceſſe eſt igitur, quòd per talem actum creatura deſinat eſſe inimica Dei, & quod pariter Deus deſinat eſſe inimicus creaturæ, tùm quia ſecùs ferretur in ipſam modo improportionato, tum quia ei conferendo actum contritionis confert maximum bonum, amat igitur, non odio

26. habet; amicus eſt, non inimicus. Sed contrà: dici communiter ſolet actum charitatis ſeu contritionis conſtituere Sanctum, juſtum, & Amicum Dei diſpoſitivè, tranſeunter, actualiter; non formaliter, permanenter, habitualiter; & hoc ſecundum requiri ad formam peccati abſterſivam, quam quidem diſtinctionem ratam pro nunc habeo, ut tamen res meliùs percipiatur aliqualiter expendo probationem antecedentis quoad ſingulas partes. Ideò

Ad primam dico actum charitatis eſſe ſanctitatem aliquam, ut ità dicam, tranſcendentem & in eo genere, in quo omnis actus & habitus ſupernaturalis ſanctificat, eſt quidem deinde in tali genere ſanctitas valdè excellens, non tamen pervenit ad perfectionem ſanctitatis eſſentialis & formalis; ſumendo formale, non prout importat quidquid ſanctificat tanquam forma qualiſcumque, ſed prout contradiſtinguitur à diſpoſitivo, aut integrali, quemadmodum attigimus jam *præced. cap.* 2. *num.* 20. Neque dicas; actus charitatis eſt ſanctitas ſufficiens ad formaliter expellendum veniale, quod certè cum ſit cum gratia habituali compoſſibile per iſtam formaliter non expellitur; ergo multo magis idem actus charitatis eſt ſanctitas ſufficiens ad formaliter expellen-

27. dum lethale. Contrà enim; actus charitatis vel non expellit veniale plus quàm diſpoſitivè & meritoriè diſponendo ſcilicet ad gratiæ augmentum & promerendo Dei condonationem, vel ſi expellit veniale formaliter, id præſtat titulo ſatisfactionis & ut forma condignè ſatisfactoria, non titulo ſanctitatis & ut forma perfectè ſanctificans.

Actus charitatis quomodò expellat veniale.

Ad ſecundam dico pariter actum charitatis reddere juſtum juſtitia quadam tranſcendente communi omnibus virtutum actibus; horum enim quilibet importat rectitudinem conformitatem, & æqualitatem cum prima regula; eminet quidem deindè talis conformitas in actu charitatis, qui non ſolùm eam habet in ſe, verùm etiam determinat ad eam habendam in aliis operationibus, hoc tamen neque eſt proprium talis actus cum conveniat propoſito non peccandi, neque eſt ſufficiens ad abſterſionem habitualis peccati, cujus injuſtitia non eſt inæqualitas aliqua actualis, ſed moralis perſeverantia inæqualitatis præteritæ, propter jus ex ipsâ acquiſitum Deo, quod jus non aufertur per actum charitatis *ex præced. num.* 25. non aufertur, inquam, immediatè & formaliter, ſed ſolùm diſpoſitivè ac mediatè, mediante ſcilicet habitu gratiæ, ad quem diſponit. Neque dicas: ex doctrina *præcit. num.* 25. neque per ipſam gratiam habitualem auferretur formaliter jus Deo acquiſitum adverſus peccatorem, cum gratia ipſa habitualis non ſit, aut condigna ſatisfactio, aut Dei condona-

tio. Contrà enim: gratia habitualis, quamvis non ſit per ſuam entitatem condigna ſatisfactio, aut Dei condonatio, eſt tamen ex natura ſua connexa cum Dei condonatione, quod ſufficit ut habeat pro effectu formali ſecundario auferre jus, &c. eſt inſuper ſecundùm præſentem providentiam connexa cum condignâ ſatiſfactione, quatenùs ſecundùm præſentem providentiam eſt gratia Chriſti & moraliter dignificata ex valore operum, quibus Chriſtus condignè pro peccatis ſatisfecit. 28.

Ad tertiam recolo *ex li. præced. c.* 3. §. 4. differre inter ſe eſſe amicum, eſſe amantem, eſſe amatū; actus porò charitatis, quatenùs habet Deū pro objecto, conſtituit hominem amantem; quatenus eſt objectum divini actus, & bonū a Deo communicatum, conſtituit hominem amatum, at neutro modo conſtituit formaliter amicum, quia neutro modo dat jus exigend. à Deo amorem ſimpliciter, & reſpectu talis juris ſicuti diſpoſitivè tantùm ſe habet, ità diſpoſitivè tantùm ſe habet ad conſtituendum hominem Dei amicum. 29.

Quod dicebatur *actum charitatis eſt converſio amicabilis* verum eſt diſpoſitivè, non formaliter; vel etiam eſt converſio amicabilis eo modo, quo eſt amor amicabilis omnis amor contradiſtinctus ab amore concupiſcentiæ, & quo amatur perſona rationalis propter ſe ipſam, qui quidem amor dicitur amor amicitiæ ſeu amicabilis quia datur, ubicumque datur amicitia, non quia ubicumque datur, detur amicitia; ſeu quia convenit omnibus, non quia cōveniat ſolis amicis.

Quomodò ſit amor amicabilis ſeu amicitiæ & non conſtituat amicum.

Quod dicebatur *per talem actum creatura deſinit eſſe inimica Dei*, ſi ly *inimica* ſumatur impropriè pro odio habens permitti poteſt, ſi ſumatur propriè pro odio digna falſum eſt, multo magis falſum eſt, quod, ut ſubdebatur *Deus pariter deſinat eſſe inimicus creaturæ*, in Deo enim perſeverat non præcisè jus odio habendi, ſed actuale odium; nec propterea fertur in creaturam modo improportionato, quia fertur in ipſam per modum odio habentis propter peccatum habi-

tuale

tuale in ipſâ permanens, non propter actum charitatis quo ab ipſâ diligitur; imò propter hunc libenter admitto, quod feratur in eamdem per modum amantis, & non odio habeat ſed amet, quamvis non amicabiliter, quia bonum quod confert eſt bonum ſecundùm quid non ſimpliciter.

30. Ex his habetur iſtos terminos Sanctus Iuſtus, Amicus, item Injuſtus, Inimicus, multipliciter ſumi ac poſſe inter æquivoca recenſeri; & omnia ferè, quæ ex hiſce terminis contrà nos formantur, argumenta, æquivocatione laborare, & ſolâ vocum ponderatione ac germanâ explicatione ſolvi; ideò operæ pretium fuit in præcedentis inſtantiæ ſolutione terminos illos ſingillatim expendere eorumque varias ſignificationes delibare.

Dices tertiò: Actus viſionis in patriâ eſt forma ab intrinſeco & ex naturâ ſuâ incompoſſibilis cum peccato habituali, & ipſius abſterſiva *ex præced. tract. de Beatitud. lib. 2. cap. 3. §. 6.* atqui contrà actum beatæ viſionis militant ea omnia; quæ hucuſque deduximus contra actum charitatis; ergo vel inconſequentes loquimur, vel non obſtantibus hucuſque deductis tenemur concedere charitatis non minùs, quàm viſionis actui incompoſſibilitatem cum peccato habituali, & vim ipſum abſtergendi; minor probatur, quia actus viſionis neque contradictorie opponitur habituali peccato, neque eſt condigna pro eodem ſatisfactio, neque eſt perfecta & formalis animæ ſanctificatio, & quidem hoc poſtremum, quod ſolum videtur indigere probatione, oſtendo repetendo *ex præced n. 17.* Sanctificationem animæ perfectam & formalem eam eſſe, quâ homo redditur ſanctus ſeu juſtus in eſſendo & juſtitiâ primariâ ac radicali ſecùm trahente omnia alia ſupernaturalia dona, quâ item cõſtituitur filius adoptivus & particeps naturæ Dei; actus autem viſionis cum ſit operatio non poteſt reddere juſtum & ſanctum, niſi in operando; cum item ſit participatio Dei ſecundùm intellectum, non ſecundùm naturã, nequit conſtituere filium adoptivum & par-

31. ticipem naturæ, &c. Sed contrà: ut incipiam ab ultimâ inſtantiæ parte nõ aſſentior Amic. *hic diſp. 33. ſect. 2.* docenti viſionem eſſe participationem divinæ naturæ in eſſe intentionali, & per hoc videntem verè conſtitui ex vi viſionis filium adoptivum Dei, doctrinã hanc non approbo; & libenter concedo Adverſariis viſionem per ſe ipſam nos non reddere filios adoptivos & participes naturæ Dei, & nos non ſanctificare eâ ratione & perfectione, qua ſanctificat habitualis gratia; contendo tamen adhùc nos ſanctificare ſanctificatione ſufficienti ad abſtergendum habituale peccatum; pro quo adverto ex ſupradictis eſſe Dei amicum & hæredem à filiatione adoptiva & participatione divinæ naturæ ſeparari poſſe, ſaltem ex parte ſubjecti; addo jam ſeparari etiam poſſe ex parte formæ, & viſionem beatam ex ſe formaliter, quamvis nec filiationem adoptivam, nec participationem divinæ naturæ tribuat, conſtituere tamen hæredem & Amicum Dei; hæredem quidem quia eſt ipſa formalis poſſeſſio divinæ hæreditatis; amicum verò, quia ſe habere jus ad divinam hæreditatem importat habere jus ad amorem Dei amicabilem & eſſe Dei amicum, utique à fortiori id præſtabit habere poſſeſſionem ejuſdem hæreditatis; deindè amor, quo quis vult alium eſſe ſummè felicem & poſſidere omnia ſua bona, utique eſt amor conſtituens Amicum; atqui talis eſt amor, quo Deus tribuit viſionem beatam; ergo.

Viſio beata non conſtituit filium adoptivum & participẽ naturæ Dei.

Benè tamen Dei ami. & & hæredẽ.

Hinc ad totam inſtantiam directè dico actum viſionis beatæ eſſe ab intrinſeco & ex natura ſua incompoſſibilẽ cum peccato habituali primò, quia ut tradebatur *præcit. §. 6. n. 77. & 79.* continet ex parte noſtri retractationem voluntarietatis qua peccatũ commiſſum eſt, & exigit ex parte Dei tamquàm ſibi debitã condonationem offenſæ; ac primũ quidem ex mox dictis convenit etiam actui charitatis, ſecundũ non item; quia actus charitatis in via eſt tranſiens, non permanens ſicuti eſt actus viſionis in patria, & inſuper nõ eſt poſſeſſio hæreditatis divinæ imò ipſius Dei, nec reddit hominem felicem, ut præſtat actus viſionis, ex quo capite charitatis actus in patriâ, quamvis ſit permanens, non eſt bonũ adeò excellens, ut det jus ad amorem amicabilem, & exigat ab intrinſeco condonationem offenſæ: Secundò, quia actui viſionis licèt non conveniat ratio formæ ſanctificantis eo modo, quo gratiæ ut benè probat inſtantia convenit tamen magis, quàm actui charitatis, & modo ſufficienti ad abſtergendum peccatum, cum quo certè eſt incompoſſibilis amicitia Dei & poſſeſſio divinæ hæreditatis ſummæque felicitatis; hoc autem utrumque formaliter per ſe ipſum præſtat actus viſionis. 32.

Continet retractationem peccati, & exigit ex parte Dei condonationem ipſius.

Eſt forma ſanctificãs, licèt minùs perfecta, quã gratia.

Dices quartò: Actus dilectionis ſupernaturalis in præſenti ſtatu naturæ elevatæ non eſt minoris efficaciæ & deterioris conditionis, quàm fuiſſet actus dilectionis naturalis in ſtatu naturæ puræ; atqui actus dilectionis naturalis fuiſſet in ſtatu naturæ puræ forma ab intrinſeco, & per ſe ipſam abſterſiva peccatorum, quæ in illo ſtatu committerentur contrà Deum naturæ Auctorem; ergo ſimiliter, &c. Minor probatur, quia ex una parte certum eſt homini in pura natura non defuturum medium & remedium peccati abſterſivum, ex alia parte tale medium non fuiſſet gratia habitualis, donumvè aliud ſupernaturale ut Gonet. *diſp. 1. de juſtific. n. 6.* refert ſenſiſſe nõnullos Thomiſtas arbitrantes id eſſe ex mente S. Doctoris *q. 28. de verit. art. 2. ad 5.* ubi ait: *ſi à ſolo ſtatu naturæ decidiſſet homo, nihilominùs tamen ad expiationem infinitæ offenſæ donum divinæ gratiæ requireretur*: Non item fuiſſet habitus aliquis naturalis tribuens participationem naturæ Dei & filiationem adoptivam Ipſius in ordine naturali eo modo, quo eadem de facto tribuit in ordine ſupernaturali habitus gratiæ, ut cum Herice videtur ſentire Amicus *hic diſputat. 33. num. 208.* Non primum; quia per talem gratiam homo extraheretur: 33.

Actus charitatis in purã naturã eſſet forma abſterſiva peccati.

purâ naturâ, adeoque ſervato puræ naturæ ſtatu non haberet medium reſurgendi à peccato, & peccando redderet ſibi impoſſibilem conſecutionem naturalis beatitudinis; nec oppoſitum inſinuant verba relata ex D. Thoma, quia in illis S. Doctor nomine gratiæ divinæ intelligit ſpeciale auxilium ordinis naturalis, ſeu gratiam actualem naturalem, quam nos etiam ſuprà agnovimus neceſſariam ad amandum ſuper omnia Deum ut naturæ auctorem. Non ſecundum, quia ſine neceſſitate excogitatur habitus ille naturalis, cum participatio naturæ Dei in ordine naturali, & jus ad beatitudinem naturalem habeatur per ſubſtãtiam ipſam rationalis ſeu intellectualis naturæ, quæ etiam per intellectum & voluntatem eſt ſufficienter potens imò propenſa ad benè moraliter operandum, & ad imitandas operationes naturales naturæ divinæ, ad quod inſuper redditur propenſior per habitus acquiſitos virtutum moralium; fruſtrà igitur excogitatur in pura natura aliquis alius habitus, ſeu qualitas permanens ordinis naturalis, de quâ etiam non ſatis conſtaret, utrùm infunderetur in inſtanti conceptionis, an initio uſus rationis, an ſolùm quando eſſet facienda abſterſio alicujus peccati? ſupereſt igitur ut in purâ naturâ mediũ & remedium peccatorum abſterſivum eſſet ſolus actus naturalis contritionis ſeu dile-
34. ctionis. Sed contrà: admitto totam probationem minoris, licèt videri poſſit non admodum efficax ex ea parte, quâ impugnat habitum naturalem, tribuentem in ſuo ordine participationem divinæ naturæ ſpecialiorem eâ, quam habet natura rationalis per propriam ſubſtantiam; admitto, inquam, probationem minoris, minoremque ipſam, & ad inſtantiam dico ſecundùm quid ac in ordine ad abſterſionem peccati actũ dilectionis ſupernaturalis in præſenti ſtatu eſſe minoris efficaciæ & deterioris conditionis, quàm fuiſſet dilectio naturalis in naturâ purâ: Neque hoc quidquam obeſt ordini ſupernaturali, imò ei multum favet, & provenit ex ipſius perfectione; nimirum ex eo quod illud, quod eſt optimum in ordine naturali, non ſit ſimiliter optimum in ordine ſupernaturali; ſed habeat ſuprà ſe aliquid meliùs; ſic actus dilectionis nihil admittit meliùs ſe in ordine naturali, in quo habitus ſunt imperfectiores actibus, admittit verò verò in ordine ſupernaturali, in quo habitus ſunt actibus perfectiores; hinc fit in ordine naturali hominem conſtitui ſimpliciter bonum ex vi actus, in ordine ſupernaturali ex vi habitus, nihil igitur mirum in illo ordine ex vi actus, in iſto ex vi habitus eſſe formaliter debitam remiſſionem & condonationem peccati. Neque dicas per aliquid tranſiens cujuſmodi eſt actus dilectionis etiam naturalis hominem non poſſe conſtitui bonum ſimpliciter. Contrà enim: actus dilectionis naturalis, utpotè continens & efficiens virtute ſua habitum, dici poteſt eminenter permanens, non ſic actus dilectionis ſupernaturalis, ſuo habitu, multoque magis habitu gratiæ imperfectior, & ad utrumque diſponens tantùm, neutrum verò continens aut virtute ſua efficiens.

Diſcrimen dilectionis naturalis à ſupernaturali in ordine ad abſtergendũ peccatum

---

§. III.

Vtrùm de potentiâ abſolutâ juſtificatio fieri poſſit per alium habitum à Gratiâ?

ASSERT. I. Per habitum ſimpliciter alium, & adæquatè diſtinctum à gratia, neque de potentia abſoluta fieri poteſt juſtificatio in ea proprietate & perfectione, qua de facto fit per habitum gratiæ. Ità Theologi communiter contrà Vaſquium relatum *præced. cap. 2. num. 23.* 35.

Repugnat habitus ſimpliciter alius à gratia, juſtificans æquè perfectè, ac gratia.

Dixi *per habitum ſimpliciter alium, & adæquatè diſtinctum à gratiâ*, ut excluderem habitum de potentia abſoluta *ex lib. præced. cap. 1. §. 6.* non repugnantem, qui ſimul eſſet charitas, & gratia & qui per cõſequens eſſet habitus ſolùm ſecundum quid alius, & inadæquatè diſtinctus à gratia; hujuſmodi habitus ſicuti eſſet gratia & aliquid ampliùs, ità totum id, quod gratia, & aliquid ampliùs præſtando juſtificaret ea tota perfectione, quâ juſtificat gratia de facto exiſtens, & aliquid adderet; juſtificationi ſcilicet in eſſendo, & factæ per modum naturæ, adderet juſtificationem aliquam in operando, & factam per modum potentiæ ſeu virtutis; quæ omnia ſufficientiſſimè conſtant recolenti ſupradicta *præcit. §. 6.*

Dixi *in ea proprietate & perfectione quâ de facto, &c.* nam cum minori aliquâ perfectione, cum jure tamen ad gloriam & amicitiam Dei, haberi poſſe juſtificationem per alium habitum à gratia, nimirũ per habitum luminis gloriæ mox oſtendetur in ſequenti aſſerto, interim aſſertũ præſens ità explicatũ

36. Probatur: Nullus habitus ſimpliciter alius, & adæquatè diſtinctus à gratia, poteſt juſtificare per modum naturæ ſupernaturalis, & radicis aliarum omnium perfectionum ſupernaturalium, nec non tribuendo participationem divinæ naturæ phyſicè & formaliter; hæc enim ſunt prædicata gratiæ propria, & nomine tantùm, non re, diſtingui poſſet à gratia habitus, cui talia prædicata tribuerentur, etiãſi hujuſcemodi habitus excogitaretur ut dabilis tantùm de potentia abſoluta; ergo per habitum ſimpliciter alium & adæquatè diſtinctum à gratia, neque de potentia abſoluta, &c. Confirmatur: inter habitus adæquatè diſtinctos à gratia non videtur excogitabilis ullus perfectior & ad juſtificandum aptior habitu charitatis in viâ, & luminis in patriâ; atqui nec habitus charitatis, nec habitus luminis, juſtificare poteſt in ea proprietate & perfectione, quâ juſtificat habitus gratiæ; ergo per habitum ſimpliciter alium & adæquatè diſtinctum, &c. minor quoad habitum charitatis colligitur *ex præced. c. 2. §. 9.* quæ enim ibi afferebantur ad probandũ talẽ habitũ non habere vim juſtificandi de facto, probant ipſum neque de potentia abſoluta

poſſe

poſſe ab intrinſeco & formaliter juſtificare; cum nihil conveniat ab intrinſeco & formaliter, quin conveniat de potentia ordinaria æquè ac de abſoluta; eadem minor quoad habitum luminis conſtat ex iis, quæ ſtatim ſubjicio.

37. Habitus luminis gloriæ verè juſtificat licèt minùs perfectè quàm gratia.

Aſſert. 2. Per aliquem habitum ſimpliciter alium à gratia, nimirum per habitum luminis gloriæ haberi poteſt, & de facto habetur in patriâ juſtificatio, non quidem in ea proprietate & perfectione, quâ de facto fit per gratiam; ſufficiens tamen ad conſtituendum Dei amicum, ad dandum jus ad gloriam, & ad abſtergendum peccatum. Ità communiter Auctores tribuentes viſioni beatæ prærogativam formæ ſanctificantis & incompoſſibilitatem cum peccato, quorum meminimus *in tract. de Beatitud. lib. 2. cap. 3.* §. 6.

Probatur & explicatur: Ex unâ parte lumen gloriæ utpote pertinens ad operari, non ad eſſe; & participans de Deo in lineâ intellectus, non in lineâ naturæ; item utpotè ſe habens ad gratiam, tanquam paſſio ad naturam *ex præced. lib. cap. 1. n. 76.* non poteſt tribuere juſtificationem primariam & in eſſendo, nec reddere participem divinæ naturæ & filium adoptivum, quæ tamen omnia præſtat habitualis gratia; non poteſt igitur juſtificare ea proprietate & perfectione, quâ de

38. facto habitualis gratia juſtificat; ex alia parte habitus luminis eſt perfectior actu viſionis, alibi enim diximus habitus per ſe infuſos eſſe ſuis actibus perfectiores; dat jus ad viſionem, habenti enim lumen connaturalis eſt ac debita viſio; neque ad hanc poteſt Deus negare concurſum ſine violentiâ; dando igitur jus ad viſionem quæ eſt beatitudo & gloria noſtra, dat jus ad gloriam, & tùm ratione talis juris, tùm ratione propriæ perfectionis, quâ viſionem ipſam excedit, conſtituit amicum, ſeu tribuit jus ad amorem Dei amicabilem; amor enim, quo quis vult alteri maximum bonum & vult ipſum eſſe ſummè felicem, non poteſt non eſſe amicabilis, & permanentia talis boni ac juris ad ſummam felicitatem non poteſt non exigere ejuſdem amoris amicabilis continuationem, ſeu perſeverantiam; amicitia deindè divina & jus ad gloriam infert peccati abſterſionem; ergo à primo ad ultimum per aliquem habitum ſimpliciter alium à gratiâ, nimirum per habitum luminis gloriæ, &c.

Dices: Ille ſolus amor eſt verè amicabilis, quo unus facit alterum ſibi æqualem, quantùm poteſt, eique communicat omnia ſua bona; & ille ſolùm eſt conſtitutus amicus alterius, qui eſt redditus, quantùm reddi poteſt, æqualis alteri; atqui homo redditus æqualis Deo quantùm poteſt ſolùm per participationem naturæ ipſius, & hanc habet per habitum gratiæ non per habitum luminis; ergo ſolùm per habitum gratiæ, non per habitum luminis conſtituitur Dei amicus; & ſolus ille amor Dei ad hominem eſt amicabilis qui fertur in hominem per gratiã elevatum ad æqualitatem cum Deo, ſicuti & ſolus hominis ad Deum amor eſt amicabilis, qui provenit ab homine ad talem æqualitatẽ elevato, alius verò quicumque amor Deum inter & hominẽ poterit eſſe amor benevolentiæ, non amicitiæ; & quoties mutuus ſit, erit amor mutuò amantium, non amor amicorum, quia non amor æqualium. Sed contrà:

39. Minùs etiã perfectè quã gratia amicum conſtituit.

dico amorem amicabilem perfectiſſimũ eſſe eum, quo quis quantùm poteſt facit alterum ſibi æqualem, eſſe tamen amorem amicabilem, licèt minùs perfectum, etiam illum, quo quis communicat alteri fruitionem & poſſeſſionem omniũ ſuorum bonorum, & alterũ ſibi reddit quantùm poteſt æqualem in felicitate, licet non in natura; poſſeſſio autem ac fruitio omnium divinorum bonorum, nec non æqualitas in felicitate cum Deo, habetur in actu primo per lumen gloriæ, in actu ſecundo per viſionem beatam, ideò tùm per lumen, tùm per viſionem homo conſtituitur Dei amicus, licèt non in eo toto rigore; in quo conſtituitur Dei amicus per gratiam.

40. Formæ juſtificantis tres gradus.

Ex dictis habetur in ordine ſupernaturali triplicem formam juſtificantem ſeu ſanctificantem diſtingui poſſe; alteram perfectiſſimã & propriiſſimam, per quam juſtus & ſanctus dicitur qui particeps eſt divinæ naturæ, filius adoptivus, amicus, & hæres Dei; alteram minus propriam, conſtitutivam duntaxat amici ac hæredis, & abſterſivam peccati; alteram impropriiſſimam & imperfectiſſimam; quæ eſt quidẽ in ſe aliqua juſtitia & aliqua ſanctitas adeò tamen tenuis & tranſcendens, ut nec Amicum hæredemvè cõſtituat, nec peccatum ab intrinſeco abſtergat. Primò modo ratio formæ juſtificãtis ità eſt propria gratiæ habitualis, ut nulli alij creatæ aut creabili qualitati, ſivè actus ſit, ſivè habitus, convenire poſſit. Tertio modo ratio formæ juſtificantis eſt communis cuilibet actui & habitui ſupernaturali. Secundo & medio modo ratio formæ juſtificantis in via quidem nec cõvenit nec convenire poteſt alicui alij à gratiâ, in patriâ tamen convenit tùm habitui luminis gloriæ tùm actui beatæ viſionis, undè beatus triplici titulo eſt Dei amicus, nimirũ titulo gratiæ habitualis, titulo luminis, & titulo viſionis; eodemque triplici titulo habet vim expulſivã peccati, & licèt de facto nullum peccatum expellatur aut per viſionem, aut per lumen gloriæ; expelleretur tamen in hypotheſi, quâ aliquis exiſtens in peccato aſſumeretur immediatè ad videndum Deum. Neque dum hoc ſecundo modo tribuimus tũ viſioni tùm lumini prærogativam formæ juſtificantis, nobis adverſatur Tridentinũ quod ut ſæpiùs ſuprà attigimus ſtatuit eſſe unicam cauſam formalem noſtræ juſtificationis; non inquam adverſatur, quia loquitur de cauſa formali noſtræ juſtificationis in via, item noſtræ juſtificationis perfectiſſimæ per quam reddimur filij adoptivi & participes naturæ Dei, non præcisè amici & hæredes aut poſſeſſores hæreditatis ipſius.

§. IV.

Vtrùm de potentia abſoluta fieri poſſit infuſio gratiæ ſine juſtificatione negativa & remiſſione peccatorum?

41. *Gratia habitualis poteſt divinitùs eſſe cũ peccato habituali.*

ASSERT. De potentia abſoluta fieri poteſt infuſio gratiæ ſine juſtificatione negativa & remiſſione peccatorum; ſeu quod idem eſt, divinitùs poſſunt ſimul exiſtere in eodem ſubjecto gratia habitualis & peccatum habituale. Ità Scotus *in 4. diſt.* 16. *q.* 1. Major *ead. diſt. quæſt. unica.* Gabriel *in 4. diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 2. Suarez *hic lib.* 7. *cap.* 20. Tannerus *diſp.* 6. *quæſt.* 5. *dub.* 3. Oviedus *controv.* 4. *punct.* 3. Arriaga *diſp.* 46. *ſect.* 4. *ſubſec.* 2. aliique plures Recentiores cum Scotiſtis & Nominalibus contrà Capreolum *in* 1. *diſt* 10. *quæſt.* 3. *art.* 2. Cajetanum 1. 2. *quæſt.* 113. *art.* 2. Ioannem à S. Thoma *hic diſp.* 27. *art.* 3. Gonetum *diſput.* 1. *artic.* 5. Gabrielem à S. Vincentio *diſputat.* 14. *quæſt.* 4. cæteroſque Thomiſtas & ex Recentioribus Vaſquium *diſputat.* 204. Amicum *diſputat.* 32. *ſect.* 1. Eſparzam *lib.* 5. *quæſt.* 9. Maderum *quæſt.* 7. *art.* 4. alioſque non paucos.

Et multo magis cum actuali.

Dixi *& peccatum habituale*, ex quo deindè à fortiori quoad compoſſibilitatem de potentia abſoluta cum gratiâ idem ſentiendum de peccato actuali, adeò ut ſicut in præſenti aſſerimus exiſtentem in peccato poſſe recipere gratiam non remiſſo peccato, ità pariter ſentiendum ſit exiſtentem in gratia poſſe committere peccatum non amiſſa gratia, quod ſecundum ut refert Oviedus *præcit. punct.* 3. *num.* 46. admittunt nonnulli etiam ex iis, qui primum negant; inter quos Lorca, licèt hic Auctor exceſſerit aſtruendo de facto & non ſolùm de poſſibili, ſimultatem gratiæ cum peccato actuali pro aliquo inſtanti, quam ſingularem quoad de facto opinionem retulimus jam & rejecimus *cap. præced. num.* 25.

42. Probatur primò: Infuſio gratiæ neque eſt identificata, neque eſt inſeparabiliter connexa cum remiſſione peccatorum; ergo illa divinitùs poteſt eſſe ſine iſta, ac per conſequens de potentia abſoluta fieri poteſt infuſio gratiæ, &c. antecedens quoad primam partem ſupponitur ex eo quod *cap. præced. num.* 22. aſſertum eſt remiſſionem peccati & infuſionem gratiæ eſſe duas diverſas atque diſtinctas realiter mutationes; nec certè poſſunt eſſe una & eadem mutatio niſi (quod aliundè falſum ſuppono) privatio gratiæ ſit aut conſtitutivum eſſentiale peccati habitualis, aut fundamentum eſſentialiter prærequiſitum ad moralitatem aliquam ejuſdem conſtitutivam; quâ ratione, quia poſitio alicujus formæ eſt formalis ablatio ſuæ privationis, infuſio gratiæ eſſet formaliter ablatio peccati habitualis, adeoque eſſet identificata cum ablatione ſeu remiſſione ipſius; aliter verò haberi nequit talis identitas, cum unius formæ poſitio nequeat eſſe formaliter alterius formæ ablatio, alioqui quid poſitivum, ut eſt unius formæ poſitio, eſſet formaliter quid negativum, ut eſt alterius formæ ablatio: Hinc fit conformiter ad ſua principia, falſa tamen, loqui eos, qui peccatum habituale, non actuale; conſtituentes ex privatione gratiæ, non agnoſcunt deindè eamdem gratiæ repugnantiam cum actuali, quam cum habituali peccato.

Gratiæ infuſio non identificatur cum remiſſione peccati.

43. *Neque eſt eadem inſeparabiliter connectitur.*

Idem antecedens quoad ſecundam partem probatur, quia ex nullo capite habetur ratio connexionis inſeparabilis inter infuſionem habitualis gratiæ, & remiſſionem habitualis peccati. Non habetur primò ex parte gratiæ, aut infuſionis ipſius, quia gratia ipſiuſvè infuſio non connectitur cum remiſſione peccati niſi exigendo ipſam; atqui hæc exigentia non eſt tanta, ut cogat Deum ad ipſam implendam; ergo non eſt tanta ut inferat connexionem divinitùs inſeparabilem inter infuſionem gratiæ & remiſſionem peccati. Non habetur ſecundò ex parte peccati aut remiſſionis ipſius, quia remiſſio peccati *ex ſeq.* §. poteſt haberi aliter, quàm per infuſionem gratiæ, non connectitur igitur inſeparabiliter cum gratiæ infuſione; & quando etiam peccati remiſſio per ſolam gratiæ infuſionem haberi poſſet, inferretur quidem inſeparabilitas remiſſionis peccati ab infuſione gratiæ; at poſſet ſimul ſtare ſeparabilitas infuſionis gratiæ à remiſſione peccati, non enim omnis duorum inſeparabilitas mutua eſt. Non ex parte ſubjecti, quia ex parte iſtius datur capacitas ad gratiam independenter à remiſſione peccati, alioqui nõ poſſet infundi gratia, niſi ubi eſt peccatum aliquod remittendum, quod falſum eſſe evincitur ex infuſione gratiæ facta Angelis & primis Parentibus; datur verò eadem capacitas etiam ubi ſubjectum eſt habituali peccato affectum, quia peccatum habituale excludit gratiam non implendo aut auferendo capacitatem ſubjecti, ſed exigendo ipſius gratiæ non infuſionem; at hæc exigentia non eſt infinita, nec tanta, ut nequeat Deus contrà eam operari, eaque non obſtante gratiam infundere. Non denique ex parte Dei, quatenùs ſeparatio infuſionis gratiæ à remiſſione peccati inferat aliquod indecens, ſeu aliquod malum morale repugnans Deo, puta quòd peccatum penderet ex eodẽ ſpeciali ac ſupernaturali Dei cõcurſo, ex quo fieret peccati cũ gratia conjunctio, quod conſervaretur à Deo contrà exigentiam gratiæ, & quando Deus ob talem exigentiam teneretur ipſum remittere ac deſtruere, adeoque quod perſeverantia peccati eſſet tanquam Auctori imputanda Deo, ſicuti quodlibet malum imputatur, tanquam Auctori, ei qui tenetur impedire & non impedit: At neutrum ex his 44.
ſequitur; ad primum enim dico ut fiat miraculum in conjunctione peccati cum gratia ſufficere, quod concurſus Dei miraculoſus ac fortior exerceatur circà gratiam, eam infundendo contrà exigentiam permanentiæ peccati, & in ea impediendo plures

effectus

effectus ipſi connaturales, de quibus infrà *num.* 51. Ad ſecundum dico conſervationem peccati contrà exigentiam gratiæ eſſe adhuc reſpectu Dei indirectam & permiſſivam; neque enim Deus influxum aliquem poſitivum in peccati conſervationem impendit, dum ipſum conſervat contrà exigẽtiam gratiæ: Nec quidquam refert, quod ob talem exigentiam teneatur peccatum remittere, ſeu non conſervare; enimverò ly *tenetur* ſignificat ſolùm diſpoſitionem & legem ordinariam propriæ providentiæ, quam Deus poteſt ſine indecentia violare, ut de facto violat negando igni, v. g. concurſum ad calefactionem, non verò ſignificat obligationem provenientem ex juſtitia, aliave virtute, ex quo capite qui tenetur impedire aliquod malum, & non impedit cenſetur talis mali auctor.

45. Probatur ſecundò: poteſt divinitùs eſſe in ſubjecto cauſa formalis ſine ſuo effectu formali ſecundario; ſeu expulſio, ſeu remiſſio peccati reſpectu gratiæ eſt effectus formalis ſecundarius: ergo poteſt divinitùs eſſe in ſubjecto gratia ſine expulſione, ſeu remiſſione peccati, ac per conſequens de potentia abſoluta fieri poteſt infuſio gratiæ ſine juſtificatione negativa, &c. Major conſtat inductione omnium cauſarum formalium; Minor probatur, quia gratia & peccatum per nos ſunt formæ contrariæ, & peccati expulſio eſt aliquid negativum cum ſit ablatio, ſeu privatio formæ poſitivæ, licèt moralis; expulſio autem unius formæ reſpectu alterius ſibi contrariæ eſt effectus formalis ſecundarius, ut patet in calore reſpectu frigoris; effectus item negativus reſpectu formæ poſitivæ, cujuſmodi eſt gratia, non poteſt eſſe niſi ſecundarius.

Expulſio peccati reſpectu gratiæ eſt effectus formalis ſecũdarius.

Dices ex Amico *præcit. ſect.* 1. *n.* 29. cauſam formalem poſſe eſſe ſine ſuo effectu formali ſecundario, quando iſte eſt ſeparabilis ab effectu formali primario; remiſſionem autem peccati non eſſe ſeparabilem ab effectu formali primario gratiæ; effectus enim formalis primarius gratiæ eſt conſtituere juſtum, ſanctum, amicum, hæredem ac filium adoptivum Dei, divinæque naturæ participem; quæ certè ſicuti non poſſunt cum peccato conjungi, ità nec ab ipſis poteſt peccati remiſſio ſeparari; non poſſunt, inquam, illa cum peccato conjungi, quia ſecus idem homo eſſet ſimul juſtus & injuſtus, amicus Dei & inimicus, dignus æterna gloria, & dignus æterna pœna æternæque gloriæ carentia, &c. Ratio à priori eſt, quia peccatum & gratia dato, quòd inter ſe non opponantur contradictoriè, ſaltem dicunt ordinem ad extrema contradictoria, & ſe habent ut aſſenſus & diſſenſus, ſcientia & error, amor, & odium; quæ licèt in ſe ſint formæ poſitivæ, nec contradictoriè opponantur, nequeunt etiam divinitùs ſimul componi propter ordinem, quem dicunt ad extrema contradictoria, quatenùs licèt nec aſſenſus nec diſſenſus, v.g. ſit in ſe carentia, ſed uterque ſit in ſe actus poſitivus; aſſenſus tamen dicit ordinem ad veritatem, diſſenſus ad carentiam veritatis. Sed contrà: 46.
non deſunt qui exiſtiment poſſe divinitus ſimul componi etiam ea, quæ dicunt ordinem ad extrema contradictoria, dummodò cum talibus extremis eſſentialiter non connectantur, ſic docent poſſe ſimul exiſtere aſſenſum & diſſenſum, v. g. quia, licèt aſſenſus dicat ordinem ad veritatem, diſſenſus ad carentiam veritatis, non tamen eſſentialiter connectitur aſſenſus cum veritate, diſſenſus cum carentia veritatis; eadem ratione dici poſſet dignitatem, quàm gratia tribuit in ordine ad æternam gloriam, poſſe componi cum dignitate, quam peccatum tribuit in ordine ad carentiam ejuſdem æternæ gloriæ, quia dignitas proveniens à gratia in ordine ad æternam gloriam non connectitur neceſſariò & eſſentialiter cum ipſa æterna gloria: Ex hoc capite Oviedus *præcit. punct.* 3. *n.* 60. arbitratur, quòd attentâ præcisè vi argumentorum, quæ ſumuntur ex oppoſitione effectuum, ſuſtineri poſſet poſſibilis ſimultas non ſolùm gratiæ & peccati, verùm etiã effectuum utriuſque, adeò ut idem homo denominari ſimul poſſet æterna gloria & æterna pœna, Dei odio & Dei amore dignus; addit verò attenta materia eſſe aliter reſpondendum nec concedendam eſſe poſſibilem ſimultatem inter enumeratos effectus gratiæ, & peccati. Quidquid ſit de his ſubtilitatibus admitto ſimpliciter non poſſe ſimul 47.
componi enumeratos effectus gratiæ & peccati. Pro inſtantiæ verò ſolutione

Adverto juſtificationem poſitivam, quâ homo redditur juſtus, ſanctus, amicus, hæres, filius adoptivus, & particeps naturæ Dei, eſſe aliqua ratione priorem juſtificatione negativa, quâ homo à peccato liberatur; juſtificatio enim poſitiva omninò comitatur infuſionem gratiæ, quæ infuſio natura præcedit peccati expulſionem *ex præced. cap. num.* 28. Eſt inſuper juſtificatio poſitiva effectus magis proprius gratiæ, quàm juſtificatio negativa; quia juſtificatio poſitiva prædictas omnes denominationes complectens nec poteſt fieri aliter, quàm per gratiam, nec unquam ſine ipſa de facto invenitur collata gratia; juſtificatio verò negativa tùm aliter fieri poteſt quàm per gratiam, tùm ſine ipſa de facto invenitur collata gratia Angelis ac primis parentibus. Hinc fit juſtificationem 48.
poſitivam comparativè ad juſtificationẽ negativam rectè dici effectum gratiæ primarium; at non eſt talis ſimpliciter & abſolutè, eaque ratione quâ effectus primarius formæ dicitur is ſolus, qui eſt omninò inſeparabilis à forma, hac enim ratione ſola informatio eſt effectus gratiæ primarius, cum ſola informatio ſit effectus omninò primus & inſeparabilis, ut patet ex eo quod gratia poſita in lapide, v.g. informat, non ſanctificat. Neque dicas primò informationem eſſe effectũ genericum & communem cuilibet formæ, non ſpecialem & proprium gratiæ. Contrà enim: informatio in genere eſt effectus genericus formæ, non informatio talis & exigens ſpeciales effectus ſecundarios; ſic informatio formæ ut exigentis, v. g. dealbare eſt

Juſtificatio poſitiva eſt effectus primarius gratiæ comparativè ad juſtificationem negativam, non ſimpliciter.

effectus formalis primarius albedinis;ut exigentis calefacere eſt effectus formalis primarius caloris;ut exigentis juſtificare eſt effectus formalis primarius gratiæ. Neque dicas ſecundò juſtificationem & ſanctificationem nihil aliud eſſe quàm informationem juſtitiæ & ſanctitatis, nec aſſignari poſſe quid addat ſanctificatio ſuprà informationē ſanctitatis. Contrà enim: juſtificatio & ſanctificatio eſt informatio juſtitiæ & ſanctitatis in actu exercito; non præcisè informatio ejuſdem in actu ſignato; informatio verò in actu exercito ſupra informationem in actu ſignato addit in noſtris principiis diverſum ac novum complexum eo modo, quo diverſum ac novum complexum addit informatio ſuprà penetrationem localem formæ cum ſubjecto; addit deinde conſequenter novos effectus formales quos nos dicimus ſecundarios, & qui, ut de novo conſurgant, non requirunt novam formam, ſed contenti ſunt novo modo ſe habendi prioris formæ & juxtà noſtra principia novo complexo prioris formæ cum ſubjecto. His animadverſis

49. Quomodò differant ſanctificatio, & ſanctitatis informatio.

Ad inſtantiam nego remiſſionem peccati non eſſe ſeparabilem ab effectu formali primario gratiæ, & admittendo non poſſe cum peccato componi eſſe juſtum, ſanctum, amicum, &c. nego hæc pertinere ad effectum formalem gratiæ ſimpliciter & abſolutè primarium, quamvis pertineant ad effectum ejuſdem primarium comparativè ad juſtificationem negativam, & remiſſionem peccatorum, ut mox explicatum eſt; propterea cum Arriaga *præcit. ſubſec.2. n.22.* Oviedo *præcit. punct.3. n.60.* aliiſque ferè omnibus noſtri aſſerti Auctoribus exiſtimo hominē, qui de potentia abſoluta haberet peccatum ſimul & gratiam, non fore ſimul divinæ naturæ participem & peccatorem, amicum & inimicum Dei, dignum æternâ gloriâ & æterna pœna, ſed ſolùm peccatorem, inimicum Dei, dignum æterna pœna, &c. & habiturum quidem ex vi gratiæ exigentiam aliorum effectuum oppoſitorum, impeditam tamen ab actu exercito ob peccatum à Deo non remiſſum.

50. Gratia exiſtens in peccatore non ordinaret habitualiter ipſum ad Deū tanquam ad finem ultimum.

Hinc obiter confirmatum manet quod inſinuavimus *in tract. de beatitud. lib.1. c.2. num.77.* exiſtentem in gratiâ & in peccato non habiturum duos ultimos fines, creaturam ſcilicet & Deum, ſed ſolùm creaturam ex vi peccati, & gratia in tali caſu exigeret quidem ordinationem ſui ſubjecti ad Deum, tanquam ad ultimum finem, at talem ordinationem in actu exercito non præſtaret propter impedimentum peccati. Obſervandum tamen, quòd, quando in præſenti admitteretur hominem ex vi gratiæ habitualiter ordinari ad finem ultimum increatum, & ex vi peccati ad finem ultimum creatum, non eſſet hoc repugnans doctrinæ, quam eo alio loco tradebamus aſtruentes repugnantiā ordinationis etiam habitualis ad duos fines ultimos; enimverò ordinatio ad Deum, quæ in præſenti hypotheſi haberetur ex vi gratiæ, eſſet ordinatio quaſi innata & homini involuntaria, nec eſſet ad finem quem homo ſibi ipſi conſtituiſſet & elegiſſet; alibi autem ſermo erat de ordinatione elicita, voluntaria, & ad duplicem finem; quem utrumque ſibi ipſi homo eligeret & conſtitueret.

Hinc inſuper manent aſſignati effectus poſitivi exigiti quidem à gratia, impedibiles tamen divinitùs & ſeparabiles, adeoque connaturales ipſi, quia exigiti; non eſſentiales, quia impedibiles: hujuſmodi ſcilicet ſunt eſſe juſtum, ſanctum, Dei amicum, & alij ſemel & iterum in totius inſtantiæ ſolutione repetiti. 51.

Dices aliter contrà aſſertum: Eſt dabilis forma ſanctificans, cui repugnet exiſtere in eodem ſubjecto cum peccato: ergo talis eſt de facto gratia habitualis; conſequentia non videtur poſſe negari ſuppoſita doctrina §. præcedentis, ſecundùm quam gratia habitualis de facto exiſtens eſt propriiſſima & perfectiſſima forma ſanctificans, quæ dari poſſit, unde Arriaga *præcit. ſubſec.2. n.21.* inconſequētiæ arguit Suarium eo quod non admittat poſſibilem gratiam altioris ordinis ea quæ datur de facto; & in iſta non agnoſcat repugnantiam ad ſimul componi cum peccato; antecedēs probatur primò, quia hoc quod eſt habere repugnantiam ad ſimul exiſtere cùm peccato non arguit perfectionem infinitam, cum per nos conveniat de facto actui beatæ viſionis quæ tamen perfectionis infinitæ non eſt: Secundò quia dabile eſt aliquod peccatum, cui repugnet eſſe cum qualibet forma ſanctificāte, talis eſſet actus, quo quis evidenter ſciens ſe carere qualibet forma ſanctificante complaceret ſibi in tali carentia: ergo ſimiliter dabilis eſt aliqua forma ſanctificans, cui repugnet ſimul exiſtere cum quolibet peccato, eadem enim eſt contrariorum ratio. Sed contrà: nego antecedens, vel claritatis gratiâ diſtinguo, eſt dabilis forma ſanctificans, cui alio titulo repugnet, &c. concedo; cui titulo formæ ſanctificantis repugnet, &c. nego antecedens & conſequentiam; ad primam antecedentis probationem, quidquid ſit de perfectione infinita, ad quam etiamſi noſtra habitualis gratia perveniret non propterea eſſet cum peccato ſimpliciter incompoſſibilis, dico repugnantiam ſimul exiſtendi cum peccato provenientem à ratione formæ ſanctificantis arguere formam ſanctificantem diverſæ ſpeciei à noſtra gratia habituali; repugnat autem juxtà noſtra principia talis forma ſanctificans, ſaltem quæ accidentalis & creata ſit, quod addiderim propter unionem hypoſtaticam, cum quâ certè repugnat peccati ſimultas, at illud quod in unione hypoſtatica habet rationem formæ ſanctificantis eſt quid ſubſtantiale & increatum, nimirum perſonalitas Verbi & natura divina: Ad exemplum viſionis beatæ ex dictis ſuo loco habetur ipſam titulo formæ beantis & peccatum retractantis, non titulo formæ ſanctificantis eſſe cum peccato incompoſſibilem.

52. Repugnat qualitas creata quæ titulo formæ ſanctificantis ſit incompoſſibilis cum peccato.

Ad ſecundam antecedentis probationem dico non eſſe dabile peccatum, cui repugnantia proveniente à ratione formali aut peccati aut formæ ſanctificantis repugnet eſſe cum

53. Aliquod peccatum poteſt eſſe

Incompoſſibile cum gratia titulo extrinſeco & communi actibus bonis, non titulo proprio.

cum quâlibet forma ſanctificante ; quamvis ſit dabile peccatum cui id repugnet titulo aliquo extrinſeco ac impertinéter ſe habente ad rationem formalem peccati, & certè actum peccaminoſum complacentiæ de evidenter ſibi nota carentia formæ ſanctificantis cum forma ſanctificante repugnare titulo impertinenter ſe habente ad rationem formalem peccati evincitur ex eo, quod æquè cum forma ſanctificante repugnat diſplicentia de carentia ipſius evidenter nota ut præſente, & tamen hujuſmodi actus nihil habet pertinens ad rationem formalem peccati, cum bonus ſit & nullatenùs peccaminoſus.

54. Plura alia urgeri hic poſſent contrà aſſertam compoſſibilitatẽ habitualis gratiæ cum peccato ; at quæcumque alicujus momenti ſunt facilè poſſunt ex dictis ſolvi ; reducuntur enim vel ad oppoſitionem contradictoriam gratiæ & peccati, vel ad incompoſſibilitatem effectuum formalium utriuſque, illam impugnavimus *præced. num.* 42. illam à *num.* 45. ad 50. & ſive ex primo, ſive ex ſecundo capite argumenta deſumantur, ſunt de ſubjecto non ſupponente, ſeu nituntur falſo ſuppoſito ; nam argumenta deſumpta ex primo capite ſupponunt gratiæ privationem pertinere ad formale conſtitutivum habitualis peccati, deſumpta ex ſecundo capite ſupponunt gratiam habitualem habere pro ſuo effectu formali ſimpliciter primario reddere juſtum, ſanctum, amicum, & participem naturæ Dei ; primi autem falſitatem aliunde ſuppoſuimus, falſitatem ſecundi hoc §. jam tradidimus, ideò &c.

Præcipua Adverſariorum argumenta in præſenti ſunt de ſubjecto non ſupponente.

§. V.

Vtrùm de potentia abſoluta fieri poſſit remiſſio peccatorum ſine infuſione gratiæ?

55. Poteſt fieri peccatorũ remiſſio ſine gratiæ infuſione.

ASSERT. De potentia abſoluta fieri poteſt etiam in præſenti ſtatu elevationis remiſſio peccatorum ſine infuſione gratiæ. Ità major Theologorum pars contrà eos, qui docent in præſenti ſtatu elevationis privationem gratiæ eſſe formale conſtitutivum habitualis peccati, juxtà quam doctrinam in ſchola thomiſtica ſatis communem ſimul cum Thomiſtis noſtro aſſerto adverſantur ex recentioribus Eſparza *lib.* 5. *quæſt.* 8. aliique nonnulli

Dixi *in præſenti ſtatu elevationis*, quia in pura natura ſecundùm potentiam etiam ordinariam peccatum deberet ſine gratiæ infuſione remitti, imò ſalva remanente puritate illius ſtatus non poſſet remitti per gratiæ infuſionem, gratia quippè infundi non poteſt, niſi naturam elevet, ac per conſequens extrahat à ſua puritate ; & ratiò ulterior eſt, quia ponentes privationem gratiæ eſſe conſtitutivam habitualis peccati in ſtatu naturæ elevatæ, non ponunt eandem privationem fore peccati conſtitutivam in ſtatu naturæ puræ.

Probatur : De potentia abſoluta fieri poteſt etiam in præſenti ſtatu elevationis ſine infuſione gratiæ juſtificatio poſitiva, imperfectior quidem ea, quæ fit de facto per gratiam, conſtituens tamen amicum Dei, & tribuens jus ad gloriam, aut etiam ipſius gloriæ poſſeſſionem ; ergo multo magis fieri poteſt ſine infuſione gratiæ remiſſio peccatorum, juſtificatio enim negativa à fortiori infertur ex poſitiva, & forma per ſe ipſam exigens amicitiam Dei & gloriam, non poteſt per ſe ipſam non exigere peccatorum remiſſionem ; antecedens ſupponitur ex ſuprà aſſertis §. 1. & 3. ubi tradebamus poſſe aliquem juſtificari aut per gratiam ſubjecto extrinſeco inhærentem non ſibi ipſi de novo infuſam, aut per formam ſanctificantem diverſam à gratia, nimirum tùm per habitum luminis gloriæ, tùm per actum beatæ viſionis ; & in tantùm Adverſarij omninò requirunt habitualem gratiam ad remiſſionẽ peccati, & in illius morali carentia iſtius permanentiam collocant, in quantum nullam aliam formam ſanctificantẽ agnoſcunt, præter gratiam inhærentem : Vnde aliqua alia forma ſanctificante ſuppoſita difficultas agitanda eſt ſub terminis univerſalioribus, quærendo, utrùm peccatorum remiſſio fieri poſſit ſine omni forma ſanctificante, & juſtificatio negativa ſine omni juſtificatione poſitiva ? adeò ut quis de peccatore fiat non peccator abſque eo quòd fiat ullo modo juſtus, ſanctus, & amicus Dei ; hocque idem eſt ac quærere utrùm peccatum remitti poſſit per puram condonationem Dei extrinſecam, in quâ celebri controverſia

Vtrùm verò etiam ſine omni forma juſtificante ?

56. Partem negantem ſuſtinent Albertus *in* 4. *diſt.* 17. *art.* 10. *ad* 1. Richardus *ead. diſt. art.* 4. *q.* 1. *ad* 1. Capreolus *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 3. Cajetanus *hic q.* 113. *art.* 2. Ioannes à S. Thoma *diſp* 27. *art.* 2. Gonetus *diſput.* 1. *de juſtificat. art.* 4. §. 2. Gabriel à S. Vincentio *diſput.* 14. *q.* 2. Valentia *diſput.* 8. *quæſt.* 5. *punct.* 5. Vaſquez *diſput.* 206. *cap.* 2. & 3. Amicus *diſput.* 33. *ſect.* 1. Eſparza *lib.* 5. *q.* 8. Madernus *q.* 7. *art.* 3. aliique plures recentiores cum Thomiſtis omnibus pro ſe afferentibus S. Doctorem *hic q.* 113. *art.* 2. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 3. *lib.* 3. *contra Gentes, c.* 157. *de veritate ; q.* 28. *art.* 2. quibus in locis ut evincant ſermonem eſſe etiam in ordine ad potentiam abſolutam, urgent ſpecialiter *ex præcit. q.* 113. verba illa *& ideò non poſſet intelligi remiſſio culpæ, ſi non adeſſet infuſio gratiæ*, nec non *ex præcit. q.* 28. illa alia *ad ſanandam prædictam averſionem requiritur gratiæ & charitatis infuſio, ſicut ad ſanationem cæcitatis requiritur reſtitutio potentiæ viſivæ*, ad ſanationem autem cæcitatis reſtitutio potentiæ viſivæ requiritur etiam de potentia abſoluta, & quæ non poſſunt aliter intelligi, neque de potentia abſoluta poſſunt aliter eſſe.

Quinam negent ?

57. Partem affirmantem ſuſtinent D. Bonaventura *in* 4. *diſt.* 17. *p.* 1. *diſt. art.* 1. *quæſt.* 1. Alenſis *ead. diſt. memb.* 4. *art.* 6. Scotus *in* 1. *diſt.* 17.

Quinam affirment ?

diſtinct.17. q.2. §. de ſecundo articulo, in 2. diſt.28. §. Ad quæſtionem, in 4. diſt.1. q 6, §. contra iſtam concluſionem, & *diſt.16. q.2. §. Reſpondeo*, & *§. Ad argumenta.* Gabriel, Ochamus, & Mayronus *in 1. diſt. 17.* Suarez *hic lib.7. c.12.* Tannerus *diſp.6. quæſt.5. dub.4.* Granadus *tract. 8. diſput.5. ſect.2.* Oviedus *controv.4. punct.4.* Arriaga *diſp.46. ſect. 3. ſubſec. 1.* Sylvius *q. 113. art.2. q.5.* & recentiores alij quamplurimi cum Scotiſtis & Nominalibus, quamvis aliqui, inter quos Suarez non omninò univerſaliter loquantur; ſed excipiant originale peccatum, hocque, ſaltem prout nunc contractum eſt, velint in gratiæ privatione conſiſtere, nec poſſe ſine gratiæ infuſione remitti

58. In ferendo de hac controverſia judicio attendendum maximè eſt ad conſtitutivum habitualis peccati; & certè qui pro tali conſtitutivo aſſignant privationem gratiæ, aut alterius cujuſcumque formæ juſtificantis, valdè cohærenter docent repugnare etiam divinitùs peccati remiſſionem abſque omni forma juſtificante factam: Nec placet, quod cum aliis nonnullis inſinuat Oviedus *præcit. punct.4. n. 83.* dicens carentiam quidem gratiæ auferri non poſſe niſi per gratiam, ejuſdem tamen gratiæ privationem auferri aliter poſſe, nimirum per hoc quod tranſeat in negationem; adeoque etiam in ſententia aſſignante privationē illam pro conſtitutivo peccati, poſſe talem privationem auferri & peccatum per eam conſtitutum deleri abſque forma juſtificante, & interveniente ſolo actu extrinſeco Dei, quo revocetur ordinatio hominis in finem ſupernaturalem, quatenùs adveniente tali revocatione ceſſaret in homine debitum habendi gratiam, cujus carentia propterèa deſineret eſſe carentia formæ debitæ ſubjecto, & tranſiret

59. à privatione in negationem. Non placet, inquam, quia ut rectè occurrit Gonetus *præcit. art.4.n.64. & 79.* carentia gratiæ ut, quouſque manet, maneat in ratione privationis, ſufficit quod fuerit privatio & carentia formæ debitæ, quando inducta eſt, & ſicuti quod lex, quæ in tranſgreſſione obligabat, poſt tranſgreſſionem deſinat obligare, non impedit quin tranſgreſſio habitualiter perſeveret ut culpabilis, & ut exiſtens contrà obligationem legis, ità quod gratia, quæ in amiſſione erat debita, poſt amiſſionem deſinat eſſe debita, non impedit, quin amiſſio habitualiter perſeveret, ut privatio & ut carentia formæ debitæ; data igitur hypotheſi hominis peccantis in ſtatu elevationis, & poſt peccatum à Deo poſiti extrà talem ſtatum ac tranſlati ad ſtatum puræ naturæ; talis homo non tranſiret à gratiæ privatione ad gratiæ negationem, ſed haberet duplicem gratiæ carentiam, alteram per modum privationis ex vi peccati in natura elevata commiſſi & non remiſſi, alteram per modum negationis ex vi tranſlationis ad naturam puram

60. Hinc fit Auctores pro negante præſentis controverſiæ parte relatos principij falſitate, non inconſequentiæ vitio laborare; falſum ſcilicet à nobis cenſeri quod conſtitutio peccati habeatur per gratiæ privationē, cæterùm ex tali conſtitutione rectè inferri quod peccatum remitti nequeat per puram condonationem extrinſecam, & verè non poſſe cum illa iſtam cohærere; expendamus jam modum, quo talis condonatio cohærere poſſit cum conſtitutione peccati aliter, quàm per gratiæ privationem explicata juxtà Auctores relatos pro parte affirmante, ex quibus Scotiſtæ peccatum habituale collocant in ſolo pœnæ æternæ reatu, ſeu in ſola obligatione ſubeundi æternam pœnam: Recentiores verò magis communiter diſtinguunt reatum pœnæ à culpa, ſeu macula habituali, & hanc collocant in peccato actuali præterito, ut moraliter perſeverante in negatione divinæ condonationis, ſeu (quod in idem recidit, aptiùs tamen rem explicat) in debito paſſivo ſubeundi indignationem iramve divinam, cui negationi addunt nonnulli negationem retractationis ex parte peccatoris, ſeu debitum retractandi; adeò ut aut utraque, aut alterutra ex his duabus negationibus perſeverante perſeveret moraliter, ſeu habitualiter peccatum actuale præteritum; & quidem hoc ſecundo modo ſentientes ſuſtinere poſſunt remiſſionē peccati, quæ fiat ſine forma juſtificante, at non quæ fiat ſine omni actu peccatoris, & per condonationem puram; ſentientes verò primo modo, volentes ſcilicet in negatione retractationis præcisè non perſeverare peccatum habituale, & iſtud conſiſtere duntaxat in actione peccaminoſa præterita ut perſeverante in debito paſſivo indignationis Dei, ſeu carentia condonationis, videntur facillimè ſuſtinere peccati remiſſionem puta Dei condonatione, & nulla peccatoris aut per actum proprium aut per formam juſtificantē mutatione phyſica interveniente factibilem; nihil enim prima facie clarius, quàm per puram condonationem ſufficienter auferri condonationis carentiam, & per actum extrinſecum quo quis ſuo juri activo cedit ceſſare in altero debitum paſſivum juri illi activo correſpondens: Nihilominùs, ſi in ſubjecta materia res intimiùs attentiuſque introſpiciatur, occurrunt difficultates graviſſimæ, duæ præſertim

Auctores partis negantis falſitate principij laborāt, cæterū loquuntur conſequēter.

Auctore partis affirmantis premuntur duplici graviſſima difficultate.

61. Prima deſumitur ex ratione generica entium, ſeu denominationū moralium, In quibus nequit fieri mutatio ſine mutatione aliqua phyſica; cum enim omne morale fundetur in phyſico, & quaſi per neceſſariam reſultantiam ex ipſo conſurgat, nequit aut poni aut tolli quid morale, niſi aut ponatur aut tollatur quid phyſicum; per puram autem condonationem extrinſecam, cum nec Deus nec peccator phyſicè mutetur, non apparet, quomodò poſſit iſte mutari moraliter, & nec acquirendo nec amittendo ullam formam phyſicam amittere moralitatem illam, per quam conſtituebatur in eſſe peccatoris.

62. Secunda deſumitur ex propria ratione actuum liberorum Dei, qui ſecundùm communiorem ſententiā habent libertatem purè

activam

activam & immutativam objecti extrinſeci, nec poſſunt explicari niſi per mutationem factam in creaturis & per novum effectum ad extrà; ſive deinde talis mutatio & talis effectus pertineat ad conſtitutionem ipſius divini actus, ſive ut nobis ſuo loco magis placuit ſit quid neceſſariò conſequens actũ aliunde conſtitutum: Hoc ſuppoſito cum divina condonatio ſit actus liber Dei, debet ei correſpõdere aliqua ſpecialis mutatio ad extrà & quidem phyſica; non ſolùm quia per actum condonationis Deus eſt phyſicè volens, ſed multo magis quia nulla mutatio moralis habetur ſine mutatione phyſica: Non eſt igitur dabilis Dei condonatio purè extrinſeca, & ex vi cujus peccator phyſicè non mutetur.

His non obſtantibus placet amplecti affirmativam propoſitæ controverſiæ partem, quam mox in terminis comprobabo nec deinde inſolutas prætermittam duas præcedentes difficultates.

---

§. VI.

Utrùm de potentia abſoluta fieri poſſit remiſſio peccatorum abſque ulla mutatione phyſica peccatoris, & per puram Dei condonationem?

63. Peccata poſſunt divinitùs remitti per puram Dei condonationem.

ASSERT. Remiſſio peccatorum, prout importat juſtificationem minùs perfectam & negativam præciſè, fieri poteſt de potentia abſoluta per puram Dei condonationem & abſque mutatione phyſica peccatoris; quamvis non abſque mutatione phyſica alicujus creaturæ. Ità, exceptis ſaltem poſtremis particulis, quæ non ſolent ab Auctoribus expreſsè apponi, ità, inquam, D. Bonaventura, Scotus, Scotiſtæ, Nominales, & quampluřes recentiores contrà Thomiſtas & recentiores non paucos, ut ſuprà retulimus *n.* 56. & 57.

Dixi *Remiſſio peccatorum, prout importat juſtificationem minùs perfectam & negativam præciſè*, per quam ſcilicet homo præciſè tranſit à peccatore & inimico Dei in non peccatorem & non inimicum, ad differentiam remiſſionis peccatorũ, quæ fit de facto cum tranſitu hominis à peccatore & inimico in juſtum, & amicum; & de remiſſione peccatorũ facta cum tali tranſitu intelligendus eſt S. Thomas, quoties ut retulimus *præced. n.* 56. videtur docere, quod neque de potentia abſoluta poſſit peccatum remitti ſine gratiæ infuſione

Explicatur D. Thomas.

Dixi *quamvis non abſque mutatione phyſica alicujus creaturæ*, ut aditum aperirem pro ſolvendis difficultatibus oppoſitis, de quibus infrà *n.* 69. & 70.

64. Probatur primò: Remiſſio peccati prout importat juſtificationem minùs perfectam, & negativam præciſè, habetur per deſtructionẽ illius moralitatis, ratione cujus actio præterita peccaminoſa permanet, quæ quidem moralitas addit per nos actioni præteritæ debitum paſſivum terminandi indignationem divinam vel negationem divinæ condonationis, ut loquuntur aliqui alij explicantes concretum per abſtractum, ſeu debitum non condonatum per non condonationem debiti; atqui talis moralitas & tale debitum paſſivum auferri poteſt per purã Dei condonationem abſque mutatione phyſica peccatoris: ergo remiſſio peccatorum, prout importat, &c. fieri poteſt de potentia abſoluta, &c. Major patet, quia certè ad peccati remiſſionem non requiritur ablatio actionis peccaminoſæ præteritæ, alioqui eſſet impoſſibile peccatũ aliquod remitti, ſicuti eſt impoſſibile actionem præteritam, non præteriiſſe, ſeu auferri præteritionem præceſſionemve ipſius, ex duobus igitur conſtituentivis habitualis peccati, nimirùm ex actione phyſicè præterita, & morali permanentia ipſius, auferri ſolùm poteſt moralis permanentia, & hæc ſola ablata intelligi debet ablatũ ac remiſſum habituale peccatum; probatur minor

Quid deſtruatur in remiſſione peccati.

65. ad extinguendam obligationem aliquam paſſivam ſufficit pura voluntas extrinſeca obligatarij, ſeu ejus, quem obligatio reſpicit, abſque mutatione phyſica perſonæ obligatæ; ſic voluntas extrinſeca legiſlatoris ſufficit ad extinguendam in ſubditis obligationem paſſivam exequendi res lege præceptas, voluntas extrinſeca perſonæ offenſæ ad extinguendam in offendente obligationẽ paſſivã ſatisfaciendi, voluntas extrinſeca promiſſarij ad extinguendã in promiſſore obligationẽ paſſivam perſolvendi rem promiſſam; ex quo capite Deus, qui eſt promiſſarius reſpectu voventis, ſeu voto aliquid promittentis, poteſt ei relaxare obligationem voti abſque phyſica ipſius mutatione.

Dices inter homines ſufficere puram voluntatem extrinſecam obligatarij ad extinguendam, &c. quia talis voluntas extrinſeca eſt actus phyſicè mutans ipſum obligatariũ; ideò inter homines mutatio moralis perſonæ obligatæ per hoc, quod ſit ſine mutatione phyſica ipſius, non eſt ſine mutatione phyſica ſimpliciter; inter Deũ autẽ obligatariũ & creaturam obligatã, cum Deus in ſe ſit phyſicè immutabilis, mutatio moralis creaturæ obligatæ eſſet ſine mutatione phyſica ſimpliciter, ſi eſſet ſine mutatione phyſica ipſius creaturæ: ſicque per voluntatẽ extrinſecam & abſque phyſica mutatione perſonæ obligatæ extingui poteſt obligatio ab una creatura in alia, non à Deo in creatura: Nec oppoſitũ infertur ex relaxatione voti à Deo facta abſque phyſica mutatione voventis; enimverò talis relaxatio fit ſaltẽ cũ phyſica mutatione alicujus perſonæ Dei vicem gerentis Deique nomine loquentis, præter quod ut plurimũ ſupponitur phyſica mutatio materiæ, quæ ex parte voventis ſe tenet. Sed cõtrà: ex doctrina ipſiuſmet inſtantiæ habetur pro extinguenda obligatione non requiri mutationem phyſicam in eo, in quo obligatio extinguitur, & in univerſum poſſe alicui ſubjecto advenire mutationem moralem abſque eo quod eidem adveniat mutatio phyſica, quamvis non abſque eo quod fiat aliqua mutatio phyſica in rerum natura; Quod deinde inſtantia infert pro

66. Mutatio moralis poteſt eſſe ſine mutatione phyſica in eodem ſubjecto at non ſine mutatione phyſica ſimpliciter

obligatione à Deo extinguenda mutationem phyſicam ex eo, quod non poſſit eſſe in Deo obligatario, & obligationem extinguente, debere eſſe in ſubjecto obligato obligationemque exuente eſt invalida & gratis facta illatio; cur enim non ſufficiet mutatio phyſica in aliquo tertio?

67. Probatur ſecundò: Peccatorum remiſſio fit de facto per condonationem Dei poſitam ad exigentiam gratiæ & gratiæ debitam: ergo de potentia abſoluta fieri poteſt per condonationem Dei puram, poſitam ſcilicet ex mero Dei beneplacito & abſque ulla exigentia gratiæ alteriuſve formæ inhærentis peccatori; antecedens à nobis ſæpè inſinuatum eſt in ſuperioribus, præſertim verò *cap. præced. n.7.* & ut obſervat Oviedus *hic con-*

Nulli peccati remiſſio de facto fit ſine Dei condonatione.

trov.4. punct.86. quicumque non conſtituit peccatum ex privatione gratiæ, ſicuti debet diſtinguere mutationem, quâ quis de non habente gratiam fit habens gratiam ab ea, quâ de peccatore fit non peccator; ità pro hac ſecunda debet admittere ſpecialē actum divinæ voluntatis, qui ſit peccati condonatio, conſequentia probatur quia Princeps poteſt non rogatus & nullo exigente facere favorem quem facit rogatus & ad alicujus exigentiam: ergo Deus poteſt liberaliter & ex nullius formæ exigentia facere favorem condonationis, quem de facto facit ex debito & ex exigentia gratiæ; eſt enim Deus & in ſe magis liberalis, & à quacumque exigentia aliena minùs dependens, quàm ullus Princeps creatus.

Dices: condonatio peccati poſita ad exigentiam gratiæ habet aliquod objectum diſtinctum à ſe ipſa, nimirùm effectus gratiæ ab ipſius gratiæ informatione ſeparabiles & cum peccato incompoſſibiles, de quibus ſuprà *n.47.* quos effectus gratia exigit præſtare, & dum eos Deus ad exigentiam gratiæ vult, indiviſibiliter vult deſtruere peccatum cum ipſis incompoſſibile, dum item eos ponit indiviſibiliter eodem actu deſtruit ac condonat peccatum. Condonatio verò pura non poſita ad exigentiam alterius nequit habere aliud objectum, quàm auferre carentiam ſui ipſius, in qua carētia ſita eſt permanentia peccati, atqui (quod tanquā clariſſimè verum urget Eſparza *hic q.9. art. 7.*) nullus actus voluntatis ſive divinæ ſive creatæ per hoc præcisè, quod auferat carentiam ſui ipſius, præſtare poteſt aliquem ſpecialem effectum, ſive poſitivum, ſive negativum; ergo condonatio pura & non poſita ad exigentiam gratiæ præſtare nequit remiſſionem peccati, licet hanc præſtare poſſit cōdonatio

68. ad exigentiam gratiæ poſita. Sed contrà: Oviedus *præcit. controv.4. punct. 5.* latè refert plures modos aſſignandi objectū divinæ condonationis, dico breviter etiam quando pura eſt, & non ad exigentiam gratiæ poſita non reſpicere præcisè ablationē propriæ carentiæ, ſed ablationem obligationis paſſivæ in peccatore exiſtentis, adeò ut Deus purè condonans non præcisè dicat, aufero carentiam meæ condonationis, ſed inſuper aufero obligationē paſſivam quā peccator habet ad ſubeundam meam indignationē. Neque dicas: hoc bene perciperetur, ſi talis obligatio paſſiva conſervaretur poſitivo Dei influxu, ad cujus ſubtractionē deficeret, at cū ſit pura quædā moralitas nullum Dei influxū per ſe ipſam terminās, non apparet quomodò Deus poſſit dicere aufero obligationem paſſivam, &c. abſque eo quod ponat aut deſtruat aliquod phyſicum, ad cujus aut poſitionem aut deſtructionem moralitas illa paſſivæ obliga-

tionis deſinat. Contrà enim: hinc non probatur aliquod phyſicū debere aut poni aut deſtrui in ipſo peccatore, & in eo ſubjecto, in quo obligatio extinguitur; ſufficiet igitur aut poni aut deſtrui aliquod phyſicum in rerum natura; quod neceſſarium eſſe non negamus, imò fatemur omninò, proptereaque collocavimus in aſſerto particulas illas *quamvis non abſque mutatione phyſica alicujus creaturæ:* & hinc etiam ſolvi poteſt utraque difficultas ſuperiùs propoſita *n.61.* & *62.* 69.

Ad primam igitur difficultatem poſitam ſub *n.61.* admitto non poſſe fieri mutationē moralem ſine aliqua mutatione, ſeu diverſitate phyſica; at dico non eſſe neceſſe quod utraque mutatio fiat in eodem ſubjecto, & per conſequens peccatorē mutari poſſe moraliter abſque eo, quod ipſe mutetur phyſicè. Si quæras deindè, quænā & in quonam ſubjecto mutatio phyſica facienda ſit, ad hoc ut peccator mutetur in ſe moraliter, non phyſicè, & tranſeat præcisè in non peccatorem: Dicerem non poſſe à nobis determinatè aſſignari; eſſet enim liberū Deo in alia rerū providentia deſtinare hanc vel illā mutationem phyſicā à parte rei inducendā, ad quā ſequatur moralis mutatio peccatoris in non peccatorē; poſſet v.g. deſtinare opus aliquod à tertia perſona præſtitū nomine peccatoris etiā ipſo peccatore prorsùs inſcio; vel novam aliquam qualitatē Angelo tutelari impreſſam; vel deſtructionem alicujus entis, phyſici in rerum natura, adeò ut Deus diceret quodammodò, intendo condonare homini peccatum deſtruendo tale ens phyſicū vel imprimendo Angelo tutelari talem qualitatē, &c. Nec refert nullam eſſe connexionē inter iſtas mutationes, & tranſitum hominis à peccatore in non peccatorem: Enimverò, quamvis nulla ſit connexio ex natura rei, eſſet tamen connexio ex divina inſtitutione; mutatio autem moralis optimè poteſt ſequi ad phyſicam, cum quâ connectatur ſolùm ex inſtitutione, aut divina, aut humana.

Ad ſecundam difficultatem poſitam ſub 70.
n.62. dico propriam rationem actuum liberorum Dei eſſe valdè extraneam huic materiæ, & quādo admitteretur cōdonationē peccatorum, non quâ eſt actus peccatorum remiſſivus, ſed quâ eſt actus Dei liber omninò ſequi/re mutationem aliquam phyſicam peccatoris, patū id aut nihil referret ad controverſiam præſentem: In re tamen addo neque ea propria ratione liberorū actuum Dei evinci Adverſariorum intentum; aliud enim eſt, quod condonatio quatenùs eſt liber actus Dei importet mutationem aliquā phyſicam extrà Deum, aliud eſt quod importet

mutatio

talem mutationem phyſicam in peccatore; tranſeat illud primum ioferri ex conditione actus divini liberi, hoc ſecundum nec ex tali conditione infertur, ut per ſe patet, alioqui omnis actus divinus liber deberet mutare phyſicè peccatorem, neque item infertur ex remiſſione peccati & morali mutatione peccatoris in non peccatorem, quia jam oſtenſum eſt pro hac mutatione morali ſufficere mutationem phyſicam alterius ſubjecti à peccatore diverſi.

71\. Varij modi remiſſionis peccatorũ de potentia abſoluta.

Es dictis habetur de facto & ſecundùm præſentem providentiam unico modo, id eſt per gratiam peccatori infuſam peccata remitti, de poſſibili verò & ſecundùm diverſam providentiam remitti poſſe variis modis, nimirum vel per habitum luminis, qui abſque habituali gratia peccatori infundatur, vel per actum beatæ viſionis, ad quam peccator immediatè aſſumatur; vel per formam ſanctificantem peccatori ineſiſtentem ſolùm moraliter, & phyſicè exiſtentem in ejus capite morali; vel tandem abſque omni forma ſanctificante per puram condonationem Dei extrinſecam: Tribus prioribus modis remiſſio peccatorum fieret ſimul cum aliqua juſtificatione poſitiva, licèt minùs perfecta eâ, quæ fit de facto; poſtremo modo fieret abſque omni prorſùs juſtificatione poſitiva, & eſſet juſtificatio negativa pura ac præciſiſſima.

Circà hanc juſtificationem negativam puram ac præciſiſſimam, factam abſque omni mutatione phyſica peccatoris, ſupereſſent aliquæ difficultates deſumptæ ex eo, quòd ad remiſſionem peccati ſit neceſſarius actus aliquis peccatoris, ſed his difficultatibus à fortiori ſatisfiet *ſeq.* §. 8. ubi oſtendetur de potentia abſoluta non eſſe talem actum in peccatore neceſſarium, neque etiam ad juſtificationem poſitivam: Interim magis pertinet ad condonationam Dei extrinſecam quærere

---

§. VII.

Utrùm de potentia abſoluta remitti poſſit & condonari peccatum pro inſtanti, quo committitur.

72\. ASSERT. Propriè loquendo neque de potêtia abſoluta remitti poteſt & condonari peccatum pro inſtanti, quo committitur. Hoc aſſertum apud pauciores in terminis agitatur, videtur tamen magis communiter ſupponi contrà Lugum de pœnit. *diſput.* 7. *ſect.* 8. *num.* 126. & ex parte contrà Oviedum *hic controv.* 4. *punct.* 6.

Implicat peccatum propriè remitti pro inſtãti, quo committitur.

Probatur: Implicat peccatum, aut quatenùs actuale, aut quatenùs habituale propriè remitti & condonari pro inſtanti, quo committitur; ergo propriè loquendo neque de potentia abſoluta remitti poteſt, &c. probatur antecedens; peccatum quatenùs actuale pro inſtanti, quo committitur, eſſentialiter eſt; quatenùs habituale pro inſtanti, quo committitur, eſſentialiter non eſt; atqui implicat peccatum propriè remitti & condonari pro inſtanti, quo aut eſſentialiter eſt aut eſſentialiter non eſt: ergo implicat peccatum aut quatenùs actuale aut quatenùs habituale propriè remitti, &c. Major quoad 73.
primam partẽ patet; quia peccatum actuale eſſe nihil eſt aliud, quàm ipſum committi; ſeu poni & actu exiſtare actum peccaminoſum; ſicuti igitur peccatum pro inſtanti, quo committitur, eſſentialiter committitur, adeò ut in ſenſu compoſito non poſſit non committi; ità eſſentialiter actuale eſt; quoad ſecundam etiam partem videtur ſola indigere terminorum explicatione, cùm verò peccatum quatenùs habituale importat actuale præteritum, non præſens; adeoque quatenùs habituale eſſentialiter non eſt pro inſtanti, quo actuale præſens eſt non præteritum; cum igitur peccatum committi dicat peccatum actuale præſens non præteritum, omninò deducitur peccatum, quatenùs habituale, eſſentialiter non eſſe pro inſtanti, quo committitur: Minor probatur; peccatum propriè remitti & condonari eſt peccatum deſtrui, & ex vi remiſſionis, ſeu condonationis primò non eſſe, implicat autem aliquid deſtrui, & ex vi deſtructionis primò non eſſe pro inſtanti, quo eſſentialiter eſt; quia ſic pro eodem inſtanti eſſet ſimul & non eſſet aut pro inſtanti, quo eſſentialiter non eſt; quia pro tali inſtanti non eſſe nequit advenire ex vi deſtructionis, cum aliunde jam eſſentialiter ſupponatur.

Peccatũ habituale, quando actuale cõmittitur, eſſentialiter non eſt.

Dices primò pro peccato actuali: De potentia abſoluta poteſt Deus non habere indignationem & odium circà peccatorẽ actũ peccantem; ſicuti enim poteſt cedere juri quod habet ad indignationem & odiũ contrà eum, qui peccavit, ità non eſt cur non poſſit eidem juri cedere contrà eum, qui actũ peccat; atqui Deum non habere indignationem & odium circà peccatorẽ actu peccantem eſt remitti peccatum actuale pro inſtanti, quo committitur, eſt enim committi peccatum remiſſum jam & condonatum: ergo.
74\. Sed contrà: nego in primis majorem, Deus enim ratione ſuæ infinitatis, ſicuti, ut ſuppono ex tractatu de Deo, neceſſariò amat omne bonum & omne amabile, ità neceſſariò odit omne malum & omne odibile; & res bonas exiſtentes dicitur amare liberè; quia poteſt ab ipſis auferre exiſtentiam, non quia poſſit iiſdem negare amorẽ non ablata exiſtentia; ità proportionaliter malum culpæ exiſtens dicitur odiſſe liberè, quia poteſt impedire exiſtentiã, non quia poſſit ſubtrahere odiũ ex ſuppoſitione exiſtentiæ. Neque exiſtimes Deum neceſſariò odio habentẽ peccatum non neceſſariò odio habere peccatorem. Contrà enim: ad ſummũ non neceſſariò odio habet peccatorem ſecundùm ſe & ſecundùm entitatem peccato ſubſtractam; ſed imperceptibile eſt, quod odio habẽdo peccatum non odio habeat peccatorẽ ratione peccati & ut eſt concretum ex peccato, tanquã ex parte, conſurgens: Ad majoris negatæ

Deus neceſſariò odit peccatum & peccatorẽ.

probatinnem dico paritatem nobis favere, nam ſicuti Deus poteſt cedere juri, quod habet ad odium contrà eum qui peccavit, at non pro inſtanti quo peccavit; ità poteſt eidem juri cedere contrà eum qui peccat,
75. at non pro inſtanti quo peccat: Deinde data majore, negari poſſet minor dicendo Deum non habere indignationem & odium contrà actu peccantem, & juri ſuo contrà ipſum cedere eſſe impeditionem peccati habitualis, non remiſſionem actualis pro inſtanti, quo committitur, utpotè quod non conſiſtit in jure paſſivo, ſeu obligationn ſubeundi indignationem & odium Dei, ſed in fundamento phyſico talis juris.

Dices ſecundò pro peccato habituali ex Oviedo: Eo inſtanti, quo peccatum actuale committitur, poteſt Deus cedere juri, quod habet ad indignationem & odium pro inſtanti ſequenti: ergo eo inſtanti, quo committitur actuale poteſt Deus remittere ac deſtruere habituale remiſſione quadam ac deſtructione anticipata; Nec refert quod, ut in aſſerti probatione urgebatur, eo inſtanti, quo actuale committitur, habituale non ſit; hoc enim probat non poſſe habituale eo inſtanti deſtrui deſtructione ordinaria, cum quo ſtat deſtrui poſſe deſtructione extraordinaria & anticipata; ſicuti etiam in humanis poſſunt extraordinaria & anticipata ſolutione extingui debita futura, & antequam ſint: Deinde poſſe habituale peccatum deſtrui ac remitti eo inſtanti, quo non eſt, evincitur ea peccatis ſemel remiſſis, quæ certè ampliùs non ſunt & tamen poſſunt iterùm ſecundò ac tertiò remitti; ſicuti igitur peccato habituali ut remittatur ſufficit fuiſſe etiamſi ampliùs non ſit, cur proportionaliter non ſufficiet futurum eſſe etiamſi nondum ſit; poſſe autem peccata ſemel remiſſa ſecundò & tertiò remitti probatur ex eo, quod peccata ſemel confeſſa poſſunt ſemel & iterum in confeſſione exponi, & ſemper ſunt ſufficiens materia ab-
76. Impedire eſſe & deſtruere eſſe quomodò differant. ſolutionis, quà peccata remittuntur. Sed contrà: Adverte impedire eſſe & deſtruere eſſe alicujus rei differre in eo, quod licèt utrumque terminetur ad non eſſe, deſtruere ſupponit eſſe & facit rem tranſire ab eſſe ad non eſſe, impedire non ſupponit eſſe & facit rem permanere in non eſſe; & certè qui impedit aliquid fieri non deſtruit id, quod fieri impedit; non deſtruit, v. g. calorem in ſubjecto qui impedit ne producatur in ſubjecto calor, quamvis ſic impediendo faciat non eſſe in ſubjecto calorem alioqui futurum ex ſuppoſitione agentis approximati; poteſt hoc exemplificari etiam in ſubjecta materia, nimirùm in peccatis, dum enim Eccleſia docet B. Virginem fuiſſe præſervatam ab originali, ſeu fuiſſe in ipſa impeditum originale, intendit docere aliquid diverſum, quà quod originale fuerit in B. Virgine remiſſum & condonatum etiam in primo conceptionis inſtanti; non niſi quia intendit pro nullo prorsùs inſtanti originale in B. Virgine extitiſſe; ſentiendum igitur abſolutè deſtrui non poſſe niſi quod antecedenter ad deſtructionem exiſtit, & ex vi deſtructionis primò non eſt. His animadverſis.

Ad inſtantiam concedo antecedens, nego 77.
conſequentiam, vel diſtinguendo dico, quod poteſt Deus remittere ac deſtruere habituale impropriè, prout ly remittere ac deſtruere confunditur, cum impedire; at non propriè, prout ly remittere ac deſtruere ab impedire contradiſtinguitur juxtà mox præmiſſa, & juxtà id etiam, quod bene in in-
ſtantia ex aſſerti probatione urgebatur; ad 78. Quomodò aliqua debita anticipatè deſtruantur?
impugnationem verò deſumptam ex debitis, quæ anticipata ſolutione in humanis extinguuntur antequam ſint, dico extingui hujuſmodi debita antequam ſint quodammodò objectivè & ſecundùm rem quæ debetur, non antequam ſint entitativè & ſecundùm ſe; qui v. g. ex contractu hodie inito obligat ſe ad ſolvenda centum cras, ſi hæc centum hodie eroget, dicitur anticipata ſolutione extinguere, ſeu deſtruere debitum; at anticipatio eſt ſolùm in ordine ad objectum debiti, non in ordine ad debitum ipſum, & debitum deſtruitur antequam ſit quodammodò objectivè, non antequam ſit in ſe; qui enim hodie ſe obligat ad ſolvenda centum cras, debet hodie centum, quamvis non debeat hodie centum ſolvenda hodie, ſicque quamvis centum ſint futura & craſtina, debitum ipſa ſolvendi eſt præſens & hodiernum; ideò nil mirum, quod poſſit hodie deſtrui, nec dum hodie deſtruitur,
deſtruitur propriè antequam ſit. Ad ſecun- 79. Quomodò peccata jam remiſſa iterum remittantur?
dam impugnationem deſumptam ex peccatis jam remiſſis, & præteritis excogitari poſſet in ordine ad deſtrui aliqua diſparitas inter non eſſe debiti præteriti, & non eſſe debiti futuri; quatenùs de debito præterito, quod deſtrueretur quando ampliùs non eſſet, adhuc verificaretur eſſe præceſſiſſe ad non eſſe, hoc autem non poſſet verificari de debito futuro, quod deſtrueretur antequam eſſet. Hac tamen cogitatione prætermiſſa dico debitum præteritum, deſtructum, & ampliùs non exiſtens, deſtrui propriè non poſſe; & in ſacramento peccata ſemel remiſſa, ſi verè ſunt remiſſa, iterùm remittuntur ſignatè, quatenùs ponitur gratia habens vim ipſorum remiſſivam, non exercitè quatenùs gratia vim ipſorum remiſſivam exerceat; ſunt verò ſufficiens materia ſacramentalis abſolutionis, quia cum non conſtet de vera ipſorum remiſſione rectè poteſt, ſaltem ſub conditione implicita, ſi verè remiſſa non ſint, de ipſis verificari forma remiſſiva, ſeu abſolutoria; præter quod ſæpè ſunt verè, remiſſa quoad culpam, non quoad omnem pœnam, nec quoad omnem de ipſis conſcientiæ ſolicitudinem, & fortè etiam ex hoc capite poſſunt ſæpiùs ſubjici abſolutioni ſacramentali: Sed hæc ſpectant ad tractatum de pœnitentia.

§. VIII.

§. VIII.

Vtrùm de potentia abſoluta poſſit non ſolùm remitti peccatum, ſed etiam infundi gratia peccatori abſque omni ipſius actu?

8u. ASSERT. De potentia abſoluta verè poteſt non ſolùm remitti peccatum, verùm etiam infundi gratia peccatori abſque omni ipſius actu. Conveniunt in hoc aſſerto ultrà Auctores ſuprà relatos pro remiſſione peccati abſque mutatione phyſica peccatoris Thomiſtæ & alij plures, præſertim verò ex Recentioribus Vaſquez *hic diſp.* 207. *cap.* 3. Oviedus *controv.* 2. *punct.* 9. Soarez *lib.* 7. *cap.* 21. Arriaga *diſp.* 46. *ſect.* 3. *ſubſec.* 2. Eſparza *lib.* 5. *quæſt.* 11. Madernus *quæſt.* 6. *art.* 8. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 14. *q.* 3. &c. contrà Sotum *in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 1. *art.* 2. Conradum 1. 2. *quæſt.* 113. *art.* 3. Amicum *hic diſput.* 32. *ſect.* 2. alioſque nonnullos.

Adverte pro aſſerti intento non ſufficere, quòd oſtendatur ſine prævio peccatoris actu poſſe utcumque gratiam infundi etiam nimirum, ut cum peccato, cum quo per nos verè conjungi poteſt, conjungendam; quâ ratione quando concederetur Adverſariis ſine actu retractativo & reconverſivo in Deũ neque divinitùs poſſe peccatum remitti, malè indè inferretur non poſſe ſine eodem actu infundi peccatori gratiam. At loquimur de infuſione gratiæ non utcumque, ſed ut non conjungendæ cũ peccato & ut in actu exercito præſtantis effectum formalem juſtificandi poſitivè & negativè; quâ ratione ex eo, quod non eſſet ſine retractatione auferibile peccatum, valeret inferre non eſſe ſine eadem retractatione conferibilem gratiã: Vt igitur præſenti intento ſatisfiat ſuſtinendum eſt, quod de potentia abſoluta poſſit ſine actu peccatoris tùm peccatum remitti tùm etiam gratia infundi; & licèt primum conſequens ſit ad ſuprà aſſertam peccati remiſſionem factibilem abſq; mutatione phyſica peccatoris, expedit tamen id ulteriùs comprobare. Ideò

81. Probatur aſſertum. Cum nullo actu peccatoris eſſentialiter connectitur, aut remiſſio peccati, aut infuſio gratiæ; ergo de potentia abſoluta verè poteſt non ſolùm remitti peccatum, verùm etiam, &c. antecedens duas habet partes, & majoris claritatis gratia expedit probare quamlibet ſeorſim præmonendo tamen, quòd ly *cum nullo actu* ſupponit ſpecialiter pro actu contritionis aut charitatis, & probando cum iſto non connecti remiſſionẽ peccati infuſionemvè gratiæ erit ſufficienter probatum cum nullo connecti; præmonendo inſuper ly *peccatoris* ſupponere pro peccatore adulto; peccator enim non adultus, & nondum aſſecutus rationis uſum, proprij actus capax non eſt, undè parvulos abſque omni proprio actu obtinere in baptiſmo remiſſionem originalis & habitualem gratiam, nec ab Adverſariis negatur, nec ullo modo negari poſt Tridentinum poteſt. His præmonitis.

82. *Remiſſio peccati nõ eſt eſſentialiter voluntaria peccatori.* Probatur antecedens quoad primam partem, ſcilicet quoad remiſſionem peccati: Remiſſiò peccati noo eſt eſſentialiter voluntaria peccatori; ergo cum nullo actu peccatoris eſſentialiter connectitur, conſequentia procedit ad hominem contrà Adverſarios requirentes actum aliquem, quo auferatur voluntarietas peccati, quod eſt idem ac dicere quo reddatur voluntaria peccati ablatio ſeu remiſſio; antecedens probatur permanentia in peccato non eſt eſſentialiter voluntaria peccatori, alioqui deſtrueretur & deſineret per hoc præcisè, quod deſineret eſſe voluntaria, adeoque remitteretur peccatum per hoc præcisè, quod quis ipſum contritionis actu retractaret, & redderet involuntarium; ergo neque eſt eſſentialiter voluntaria peccatori non permanentia in peccato ſeu peccati remiſſio; quod enim à voluntate non pendet in ſui non eſſe, utique ab eadem non pendet in ſui non eſſe: neque his obſtat tritum illud *Peccatum non eſt niſi voluntarium*; hoc enim procedit de peccato actuali & prout phyſicè fit, non de habituali & prout moraliter permanet: Neque rursùs obſtat quod peccatum habituale includat ipſummet actuale; includit enim actuale non ut præſens & exiſtens phyſicè in ſeipſo quâ ratione eſt voluntarium, ſed ut præteritum & exiſtens moraliter in obligatione paſſiva ſubeundi Dei indignationem & odium.

Dices ex his rectè probari, quod peccatum habituale non ſit voluntarium voluntarietate actuali, quatenùs exercitè pendeat ab aliquo actu voluntatis; at cum hoc ſtat, quod ſit voluntarium voluntarietate habituali, ad quam auferendam neceſſe eſt poni voluntarietatem contrariam, & hæc nequit aliter poni, quàm per actum retractativum prioris voluntarietatis, nam in moralibus cenſetur quis permanere habitualiter in volitione ſeu intentione ſemel elicita, quouſque eam non retractat eliciendo volitionem ſeu intentionem oppoſitam; ergo ſemper ſubſiſtit, quod habituale peccatum non poſſit auferri ſine actu peccatoris, & quòd ipſius remiſſio ſit eſſentialiter voluntaria. Sed

83. *Voluntarietas peccati habitualis tolli poteſt per gratiã.* contrà dici in primis poſſet voluntarietatem habitualem peccati ſufficienter auferri per voluntarietatem contrariam æquivalenter & eminenter contentam in gratia, utpotè quæ cum ſit quaſi innata converſio in Deũ æquivalet converſioni elicitæ & formaliter voluntariæ habitæ per actum retractativum peccati: hoc non improbo at non planè ſatisfacit noſtris principiis, ex quibus intendimus abſque actu peccatoris remitti poſſe peccatum independenter ab infuſione gratiæ, & per puram Dei condonationem: Ideò aliter ad inſtantiam dico dupliciter intelligi poſſe quod peccatum habituale ſit voluntarietate habituali voluntarium, vel quatenùs

ut plurimùm & regulariter ità ſit, vel quatenùs ità ſit eſſentialiter, adeò ut voluntarietas habitualis in ſenſu ab inſtantia intento accepta ſit habitualis peccati conſtitutiva; primo, non ſecundo modo peccatum habituale eſt voluntarium voluntarietate habituali, ideò nil mirum, quòd tali voluntarietate ſublata per voluntarietatem contrariam & retractationem poſſit adhuc permanere habituale peccatum, vel è contrà poſſit iſtud auferri illâ per voluntarietatem contrariam & retractationem non ſublatâ.

Vrgebis: Peccatum habituale eſt ipſum peccatum actuale moraliter permanens; atqui peccatum actuale eſt eſſentialiter voluntarium; ergo peccatum habituale eſt voluntarium moraliter permanens, adeoque habet pro conſtitutivo ſi non voluntarietatem habitualem, ſaltem voluntarietatem moralem; & ad hanc tollendam erit neceſſaria aliqua voluntarietas oppoſita, & per conſequens aliquis actus voluntatis ex parte peccatoris.
84. Sed contrà: dummodò termini non confundantur, & diſtinguendo voluntarium habituale à voluntario morali, illud ut explicat Oviedus 1. 2. *tr. 2. controv. 1. punct. 6.* collocetur in actu voluntario non retractato, iſtud in effectu morali actus voluntarij, facilè concedam peccatum habituale conſtitui voluntarietate morali; hæc quippè nihil eſt aliud, quàm conſtitui paſſivâ ad divinam indignationem ſubeundam obligatione, ut ex actu peccaminoſo voluntario relicta; at falſum deindè eſt ad tollendam voluntarietatem moralem requiri aliam voluntarietatem; nam etiam obligatio ex voto relicta eſt moraliter voluntaria voventi, & tamen ſine ipſius actu poteſt auferri.

Di: tamen voluntarij habitualis à voluntario morali.

85. Probatur inſuper antecedens quoad eamdem primam partem: Retractatio peccatoris in charitatis vel contritionis actu contenta, neque eſt forma peccati remiſſiva, neque eſt conditio aut diſpoſitio eſſentialiter prærequiſita ad talem formam; ergo nec cum retractatione & per conſequens nec cum nullo alio actu peccatoris eſſentialiter connectitur peccati remiſſio: Prima antecedentis pars ſupponitur *ex præced.* §. 1. Secunda pars mox probabitur *ſeq. num.* 87. Accedit quod, ut remiſſio peccati eſſentialiter connecteretur cum retractatione non ſufficeret hanc eſſe præcisè formam ipſius remiſſivam, aut prærequiri eſſentialiter ad talem formam; ſed deberet eſſe forma unicè remiſſiva, aut ad formam unicè remiſſivam eſſentialiter prærequiri, nam effectus formalis non connectitur eſſentialiter, niſi cum forma, quam reſpicit ut unicam ſui cauſam formalem, & quoties idem effectus formalis poteſt eſſe à pluribus formis, cum nulla determinatè connectitur eſſentialiter; retractatio autem certè nequit aſſeri forma unicè remiſſiva, ſeu cauſa formalis unica remiſſionis peccati; quia ſecùs contrà Tridentinum negaretur gratiam habitualem eſſe formam peccati remiſſivam; & quando item retractatio eſſentialiter prærequireretur ad gratiam, adhuc non prærequireretur ad formam unicè remiſſivam, cum talis per nos non ſit habitualis gratia in ordine ad potentiam abſolutam; & ſaltem ad formam remiſſivam peccati alicui capiti morali, non peccatori ipſi inhærentem, non requireretur, ut diſpoſitio, retractatio elicita à peccatore; diſpoſitio enim datur ad formam in eodem, non in diverſo ſubjecto recipiendam.

Dices ex Amico *præcit. ſect. 2. num.* 81. retractationem ad peccati remiſſionem requiri, nec ut formam ipſius remiſſivam, nec præcisè ut diſpoſitionem ad talem formam; ſed ut formam tollentem non quidem peccatum ipſum, benè tamen fundamentum peccati ſitum in eſſentiali dependentia à libera voluntate peccatoris. 86. Sed contrà: dependentia à libera voluntate nihil eſt aliud, quàm voluntarietas; eadem igitur ratione, quâ ſuprà dicebatur voluntarietatem non eſſe eſſentialem peccato habituali ut tali, dicendum eſt in præſenti non eſſe eidem eſſentialem dependentiã à libera voluntate; Quod ſi fortè per fundamentum peccati habitualis intelligas peccatum actuale, vel intelligis ipſum ut phyſicè præteritum & ſic dicit quidem eſſentialem dependentiam à libera voluntate ſed præteritam, & nullatenùs auferibilem; vel intelligis ipſum ut moraliter perſeverans, & ſic eſt quidem effectus eſſentialiter relictus à libera voluntate, at in ſua morali perſeverantia, quæ nihil eſt aliud quàm paſſiva obligatio ſubeundi divinum odium, ab eadem libera voluntate non ampliùs eſſentialiter pendet.

87. Probatur jam antecedens quoad ſecundam partem, ſcilicet quoad infuſionem gratiæ: Gratia non connectitur cum ullo actu peccatoris, niſi tanquam cum prævia diſpoſitione morali, ergo cum nullo actu peccatoris eſſentialiter connectitur gratiæ infuſio; antecedens patet, quia gratia non reſpicit actus peccatoris, niſi tanquam aliquid ſe tenens ex parte ſubjecti, proprium autem eſt diſpoſitionis ex parte ſubjecti ſe tenere; quidquid deindè ad gratiam ſe habet ut diſpoſitio eſt diſpoſitio moralis, cum ſuo loco dictum ſit non eſſe dabilem reſpectu gratiæ ullam diſpoſitionem phyſicam; conſequentia probatur, nulla forma eſſentialiter connectitur cum ſuis diſpoſitionibus phyſicis, & ſicuti divinitùs poſſunt cõſervari in ſubjecto accidentia ſine omni forma ſubſtantiali, ità multo magis forma ſubſtantialis ſine omni accidentali, ergo pariter, imò à fortiori nulla forma eſſentialiter connectitur cum ſuis diſpoſitionibus moralibus, & in particulari non connectitur eſſentialiter gratia cum ullo actu peccatoris, ſi cum iſto non connectitur, niſi tanquam cum diſpoſitione morali. Nec refert, quod ex ſupradictis diſpoſitiones ad gratiam, quamvis ſolùm morales, requirantur tamen ad ipſam ex natura rei: Non refert, inquã, quia requiri ex natura rei eſt requiri cõnaturaliter, nõ eſſentialiter.

Infuſio gratiæ non cõnectitur eſſentialiter cum ullo actu ex parte ſubjecti.

Dices: Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* docet juſtificationem impij fieri per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, ergo gratia non voluntariè & nullo prævio voluntatis actu ſuſcepta

88. cepta impium non juſtificat. Sed contrà: illatio eſt prorsùs inefficax, non minus quàm ſi diceretur, homo per calorem voluntariè ſuſceptum calefit, ergo per calorem non voluntariè ſuſceptum non calefit, ad inſtantiam igitur poſſet negari conſequentia conceſſo abſolutè antecedente, dicto tamen Tridentinum loqui de juſtificatione, prout fit de facto, non prout etiam de potentia abſoluta fieri poteſt, certè enim in ordine ad potentiam abſolutam non quadrât quæ ibidem de juſtificatione ſubduntur, quod ſit ſuſceptio donorum, quod ipſius menſura ſit propria cujuſque diſpoſitio; alioqui gratia aut ſine cæteris donis, aut ultrà diſpoſitionis menſuram infuſa, neque de potentia abſoluta juſtificaret. Solùm item in ordine ad de facto & ad potentiam ordinariam, non in ordine ad potentiam abſolutam procedit quod habet Innocentius III. cap. *Majores* de baptiſmo ubi loquens de peccato actuali hocque ſumens ut ab originali; non ut ab habituali perſonali contradiſtinguitur, ait *Quod conſenſu contrahitur, ſine conſenſu minimè relaxatur.*

Juſtificatione fieri per voluntariā ſuſceptionem gratiæ verum eſt tantùm de facto.

89. Præter quod adverto obiter propoſitionem hanc ſumptam ex terminis, & abſtrahendo à ſubjecta materia, neque etiam de lege ordinaria eſſe univerſaliter veram juxtà mentem Adverſariorum, nam in humanis plures obligationes ex Perſonæ obligatæ conſenſu contractæ ſine ejuſdem conſenſu relaxantur, & creditor v. g. aut promiſſarius debitori & promiſſori invito, nedum non conſentienti, poteſt debitum promiſſionemvè relaxare. Vndè propoſitio, ut ex terminis ſit univerſaliter vera, debet ſignificare conſenſum non relatum ad eamdem perſonam, adeò ut ſenſus ſit *Quod alicujus conſenſu contrahitur ſine ejuſdem conſenſu minimè relaxatur*; ſed conſenſum utcumque ſivè ejuſdem Perſonæ ſivè diverſæ, adeò ut ſenſus ſit *Quod conſenſu contrahitur, ſine aliquo utcumque conſenſu non relaxatur.*

Quod conſenſu contrahitur, ſine conſenſu minimè relaxari, quomodo verificetur.

CAPUT V.

De merito, quid ſit, & quotuplex; & an detur apud Deum?

1. MERITI & merendi vocabulum ex primæva ſui inſtitutione ad malum æquè ac ad bonum indifferens, non rarò in malam partem uſurpatum repetitur in Scriptura & Patribus, nam ex Scriptura habetur 2. Paralip. 19. *Iram quid ut Domini merebaris.* Iob. 6. *Peccata mea, quibus iram merui.* Heb 10. *Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia*: Ex Patribus Auguſtinus meriti mali ſeu meriti malorum operum meminit *lib. de gratia & libero arbitrio cap. 5. & 6. lib 83. quæſtionum quæſt. 68.* & inſuper tres integros libros inſcripſit *de peccatorum meritis.* Poſtquam tamen Lutherus & Calvinus de merito in bonam partem accepto contemptim admodùm & abjectè ſentientes negarunt noſtris operibus omnem veram rationem boni meriti apud Deum; & Calvinus relatus ab Amico *hic diſp. 35. n. 1.* eo devenit, ut auſus fuerit Scholaſticos & Sanctos Patres carpere, quod faſtuoſum meriti nomen cum magno orbis detrimento introduxerint; Catholici ut huic impudentiæ vehementiùs obſiſterent, cœperunt malorum operum merito tribuere proprium ac ſpeciale nomen demeriti, meritum verò in bonam duntaxat partem accipere; undè jam uſus præſertim in Scholis obtinuit, ut meriti vox ſemper benè ſonet ac ſolis bonis operibus applicetur, nec certè aliter ſumi poteſt in præſenti, ubi agendum eſt de merito, tanquam de gratiæ effectu.

Meriti ſignificatio Primæva.

Meriti ſignificatio uſitata.

Meritum juxtà hanc uſitatam & præſenti intento accommodatam ſignificationem acceptum variè à variis definitur aut deſcribitur. Ex Scoto in 3. diſt 18. quæſt. unica; *Eſt aliquid acceptatum vel acceptandum in alio pro quo ab acceptante est aliquid retribuendum illi, in quo eſt quaſi debitum illi pro illo merito, vel alteri pro quo meruit*: ex Gerſone parte 4. in deſcriptionibus terminorum ad Theologiam utilium, *Eſt actus laudabilis factus ad bonum alterius verè vel interpretativè ſeu reputativè, pro quo exigitur præmiū*: ex Valentia hic diſp. 8. quæſt. 6 punct. 1. *Eſt opus liberum, bonum ad alterum aliqua ratione ſpectans, quod proindè ſecundum modum aliquem æquitatis ſivè juſtitiæ aliquo munere ab altero compenſari debeat.* Hæ definitiones non omninò diſplicent, carent tamen prærogativa brevitatis, & conſtant aliquibus prædicatis controverſis, quæ ſatius eſt hoc in limine non exprimere, ideo terminis brevibus & incontroverſis deſumptis tùm ex Magiſtro *in 2. diſt. 27.* tùm ex D. Thoma 1. 2. *q. 21. art 3. in c. & q. 114. art. 1.* definiri poteſt *Opus retributione ; ſeu remuneratione dignum vel opus exigitivum recompenſationis*; prioribus terminis utuntur Gonetus *diſp. 2. de juſtificat. num. 1.* & Gabriel à S. Vincentio *hic diſp. 18. quæſt. 1.* poſterioribus Eſparza *lib. 3. q. 10. art. 1.* & Madernus *q. 9. art. 1. n. 2.* Hæ definitiones quæ ſicut & reliquæ prææallatæ explicant meritum in concreto, ſumptum pro opere meritorio, facile accommodantur ad meritum in abſtracto, ſumptum pro quadam affectione operis moraliter boni dicendo, quod ſit *dignitas retributionis* vel *recompenſationis exigentia* vel *jus ad præmium*: Si verò in his videatur eſſe vitium aliquod obſcuritatis ex nimia brevitate habes inter has breviores & prææallatas prolixiores definitionem quaſi mediam ex Averſa *hic q. 114. ſect. 1.* ubi meritum in abſtracto dicitur *valor moralis actionis bonæ ad conſequendum præmium*, & per conſequens meritum in concreto eſt *actio bona habens valorem moralem, &c.* 2.

Meriti definitiones variæ.

Definitio meriti in abſtracto.

His ratione methodi breviter præmiſſis de merito in communi, prout abſtrahit à Deo & homine, à ſupernaturali & naturali agēdū hic eſt ex profeſſo de ſolo merito, præſertim ſupernaturali, hominis apud Deum. Ideò ſit

§. I.

§. I.

Quid & quotuplex eſſe poſſit meritum hominis apud Deum?

3. Definitio meriti hominis apud Deum.

ASSERT. 1. Meritū hominis apud Deum eſt opus humanum dignum retributione divina: vel eſt opus humanum bonum habens valorem moralem ad conſequendum præmium apud Deum. Colligitur aſſertum ex Magiſtro & D. Thoma & ſub prioribus terminis habetur ex Goneto & Gabriele à S. Vincentio, ſub poſterioribus ex Averſa locis mox adductis *præced. num. 1.*

Probatur & explicatur: Dicitur *opus humanum* non ſolùm, quia agitur merito hominis, ſed etiam ut per ly *humanum* indicetur libertas in opere meritorio requiſita, penes quam libertatem diſtinguere ſolent Theologi inter opus humanum & opus hominis. Dicitur *bonum habens valorem moralem*, ut per ly *bonum* diſtinguatur opus meritorium à demeritorio, & per ly *habens valorem moralem* inſinuetur meritum attendi penes moralem non penes phyſicam operis bonitatem, ſicque ſecernatur opus meritorium ab opere mercenario, quo unus alteri locat operas ſuas, quæ deindè ſivè benè ſivè malè moraliter fiant, habent valorem, ſed pretium tamen ſeù ſtipendium, non ad præmium. Dicitur *ad conſequendum præmium apud Deum*, ut per ly *ad conſequendum præmium* aſſignetur correlativum meriti, & expreſſiùs diſtinguatur actio meritoria à cæteris actionibus humanis, quibus vel contractus celebrantur, vel deprecatoriè aliquid obtinetur; per ly verò *apud Deum* definitio meriti in communi contrahatur ad meritum ſpeciale, quod verſari poteſt inter homines & Deum, unáque ſimul innoteſcat meritum debere eſſe ad alterum, & perſonam merentem debere eſſe à perſona præmiante diverſam; undè D. Thomas *præcit. q. 21. art. 3. & 4.* docet actum bonum habere rationem meriti ſecundùm retributionem juſtitiæ ad alterum, ſeu ſecundùm quod ordinatur ad alterum. Porrò prior definitio in ly *dignum retributione divina* breviùs licèt obſcuriùs hæc omnia continet; nam retributio divina ſignificat præmium conſequendum apud Deum, eſſe verò dignum importat bonum habens valorem moralem; nec in diverſa ſignificatione ſumitur ab aliis præmemoratis Auctoribus eſſe exigitivum, utrique enim intelligunt eſſe exigitivum exigentiâ morali, quam rectè uſurpaveris, ut ſynonimam cum dignitate & valore morali.

4. Diviſio meriti.

Aſſert. 2. Meritum hominis apud Deum rectè dividitur in naturale, & ſupernaturale; in condignum, & congruum. Vtramque diviſionem communiter admittunt quicumque agnoſcunt in homine apud Deum veram rationem meriti contrà Sectarios impugnandos § *ſeq.*

In naturale & ſupernaturale.

Probatur & explicatur. Prima diviſio fundatur in duplici ratione tùm in Deo tùm in homine reperta; Deus enim eſt tum naturalis tùm ſupernaturalis Auctor, & qua naturalis Auctor naturalia, qua ſupernaturalis ſupernaturalia bona largitur; homo item habet tùm naturam & principia naturaliter operandi, tùm elevationem & principia operandi ſupernaturaliter; rectè igitur diſtinguitur in homine apud Deum duplex meritum; alterum naturale quod ſit opus humanum naturale dignum retributione divina ordinis naturalis; alterum ſupernaturale quod ſit opus humanum ſupernaturale dignum retributione divina ordinis ſupernaturalis.

5. In condignum & congruum.

Secunda diviſio fundatur in diverſitate valoris ſeù dignitatis humanorum operum; quæ quidem dignitas aliquandò tanta eſt ut adæquet exiſtimationem valoremque præmij à Deo reddendi, aliquandò minor adeò ut habeat cum tali præmio proportionem, ejuſdémque ordinis cum illo ſit, at non perveniat ad perfectam cum ipſo æqualitatem; hinc meritum hominis apud Deum rectè diſtinguitur in meritum condignum, quod ſit opus humanum dignum dignitate ſeù valore perfectè æquali cum divina retributione, & in meritum congruum quod ſit opus humanum dignum dignitate proportionis & imperfectæ inæqualitatis; adeò ut ad ſupplendum quodammodò id, quod deeſt perfectæ æqualitati, accedat aliquis favor & aliqua liberalitas Dei remuneratoris.

6.

Meritum condignum ſubdividunt aliqui in illud, cujus æqualitas eſt conjuncta cum rigore juſtitiæ adeò ut pariat in præmiante obligationem juſtitiæ ad retribuendum, & in illud cujus æqualitas eſt pura commenſuratio cum præmio abſque eo, quod obliget ex juſtitiâ retribuentem. Verùm quidquid ſit, utrùm meritò ex genere ſuo convenire poſſit juſtitiæ rigor, quod negat Vaſquez *hic diſput. 213. cap. 5.* dicens non dari ex merito quod datur ex juſtitia, eo quia iſtud detur tamquam pretium, non tamquàm præmium; tamquàm debitum labori, non tamquàm debitum dignitati operis; quidquid, inquam, de hoc ſit, allata ſubdiviſio cadere ad ſummum poterit in meritum unius hominis apud alium, non ſic in meritum hominis apud Deum, qui juxtà noſtra principia poſita *tract. 1. lib. 1. cap. 10.* nullam in ſe patitur obligationem ex juſtitia: Vndè juxtà hæc principia à fortiori rejiciendi ſunt qui ad omne meritum condignum juſtitiæ rigorem requirunt. Quod ſi apud aliquem Sanctum Patrem invenies meritum condignum eſſe meritum juſtitiæ, dicito latiùs uſurpari juſtitiæ nomen ad ſignificandum id, in quo utcumque ſervatur perfecta æqualitas; non verò ſtrictiùs ad ſignificandum id, ex quo oritur rigoroſa obligatio juſtitiæ ſpecialis; & hinc pariter habes S. Doctorem *quæſt. 114. art. 1. in c.* dum diſtinguit meritum in illud, quod eſt juſtum ſimpliciter; & in illud, quod eſt juſtum ſecundùm quid; nomine juſti intelligere æ-

Meritum condignum ſaltem ut eſt hominis apud Deum non importat rigorem juſtitiæ.

quum

quum ſeu æquale, adeoque meritum juſtum ſimpliciter coincidere cum merito ſervante æqualitatem perfectam id eſt, condigno, & juſtum ſecundùm quid cum ſervante æqualitatem imperfectam, id eſt, congruo.

Ex quatuor præaſſertis meriti membris ſeu differentiis ad rem præſentem ſpectat ſpecialiter meritum ſupernaturale & condignum; hoc quippè eſt in quod maximè invehuntur Sectarij, & de hoc procedent ferè omnia quæ in ſequentibus ſtabilienda & diſcutienda occurrent; in primis verò ipſum *An ſit.* Ideò ſit

---

§. II.

An detur verum proprium, & condignum meritum hominis apud Deum?

7. ASSERT. I. Datur verum & proprium meritum hominis apud Deum. Eſt dogma fidei contrà Lutherum, Calvinum, & cæteros Novatores, contra quos latè agunt Bellarminus *controv. 3. lib. 5. de juſtificat.* Valentia *hic diſp. 8. quæſt. 6. punct. 2.* Amicus *diſp. 35. ſect. 1.* Oviedus *controv. 1. punct. 3.* Madernus *quæſt. 9. art. 2.* Eſparza *lib. 3. de act. hum. quæſt. 30.* & reliqui apud iſtos.

De fide eſt dari verum meritum hominis apud Deũ.

Probatur primò ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 16.* ubi ait juſtificatis hominibus proponenda eſſe Apoſtoli verba: *Abundate in omni opere bono ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino:* & deindè *Bene operantibus uſque in finem & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa: & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda:* Poſteà *can. 26. & 32.* anathematizatur qui dixerit juſtos non debere pro bonis operibus expectare & ſperare æternam retributionem à Deo, aut per bona opera non verè mereri augmentum gratiæ;
8. vitam æternam, &c. Confirmatur ex Scriptura, in quâ habetur frequentiſſimè vitam æternam dari, ut mercedem, ut retributionem, ut coronam, ut præmium, ut bravium; quæ omnia ſicuti ſunt correlativa noſtri meriti, ità ipſum efficaiter inferunt; præter quod nec deſideratur in eadem Scripturâ ipſummet meriti nomen Sectariis adeò exoſum nam *Eccleſiaſt. 16.* dicitur *Omnis miſericordia faciet locum unicuique ſecundùm meritum operum ſuorum* & Heb. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus* quod idem ſonat ac *promeremur Deum.* Familiarius eſt meriti nomen in voluminibus Sanctorum Patrum, quorum plura teſtimonia videri poſſunt apud Bellarminum, Valentiam, & Amicum locis præcitatis, ubi etiam reperies in particulari relatas eas Scripturas, quas mox nos ſolùm univerſaliter inſinuavimus.

Nec quidquam Adverſariis proſunt alia nonnulla Scripturæ & Patrum teſtimonia, quæ videntur præmemoratis oppoſita; cujuſmodi ſunt ex Scripturâ illud Iſ. 55. *Venite emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac.* Luc. 17. *Cum feceritis hæc omnia, dicite, ſervi inutiles ſumus quod debuimus facere fecimus.* Epheſ. 2. *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos ſed ſecundum ſuam magnam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Ex Sanctis Patribus Baſilius in Pſal. 114. *Manet ſempiterna requies illos, qui in hac vita legitimè certaverũt, non ob eorũ merita factorũ, ſed de munificentiſſima Dei gratia.* Gregor. l. 9. moral. c. 14. *Si opus virtutis exercuero ad vitã non ex meritis, ſed ex venia convaleſcõ.* Auguſtinus in Pſal. 70. *Cum præmium veneris ſua dona coronabit, non merita tua.* lib. de gratia & libero arbitrio cap. 9. *Vt intelligeremus non pro meritis noſtris Deum nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducere.* Non proſunt, inquam, Adverſariis hæc & id genus alia, quia ubicumque Scriptura & Patres noſtra bona opera deprimunt, loquuntur de ipſis in ordine ad primam gratiam, & prout fiunt ex ſolis naturæ viribus; ſicuti & ubicumque in Deo ſua dona largiente puram miſericordiam agnoſcunt, vel loquuntur de Deo largiente primam gratiam, vel prædicant miſericordiam ex quâ pendent merita; non ex quâ detur gloria ſuppoſitis meritis. Alias pro re præſenti expoſitiones, ſicuti & iſtas attentiùs expenſas, ipſorumq; Sanctorũ Patrũ verbis corroboratas habes apud Bellarminũ *præc. l. 5. c. 5. & 6.* 9.

Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

Probatur ſecundò ratione deſumpta, tùm ex parte hominis, tùm ex parte Dei; ex parte hominis, quia ei valde honorificum eſt apud Deum mereri, & obtinere ex proprio merito ſupernaturalia bona juxtà doctrinam D. Thomæ *3. p. quæſt. 19. art. 3.* dicentis nobiliùs haberi, id quod habetur per meritum, quàm id quod habetur ſine merito. Ex parte Dei, quia ipſe eſt caput & Princeps humanæ Reipublicæ in ſupernaturali æquè ac in naturali ordine; cujuſlibet autem Reipublicæ caput & Principem decet afficere præmiis eos, qui communitati proſunt & in ea benè ſe gerunt, quando præſertim poteſt id fieri ſine publici, ut ità dicam ærarij, detrimento, ut fieri poteſt à Deo, cujus ærariũ eſt inexhauſtum, & poteſt infinita ac innumera præmia ſuppeditare abſque eo, quod minuatur. Confirmatur: Divina ſapientia omnia 10.
diſponit ſuaviter, omniaque promovet ad fines ſuos modo ſingulis congruente, congruentiſſimum autem eſt naturæ rationali & liberæ ad ſuum finem promoveri dependenter ab operibus liberis, & per præmia præſtita benè utentibus propria libertate, ſupplicia verò illata eadem abutentibus. Confirmatur inſuper ex eo, quod Sectarij ad oppoſitum ſentiendum ducuntur falſo prorsùs principio, nimirùm ex eo, quod non agnoſcant in natura lapſa liberum arbitrium, nec item opus ullum habens intrinſecam bonitatem: Nec minùs falſum eſt quod addunt nos injuriam facere, tùm Deo quaſi cum ipſo partientes laudem boni operis bonæque voluntatis, tùm Chriſto quaſi aut ſuperflua

Occurritur falſis rationibus Adverſariorũ.

aut

aut inſufficientia reputantes ipſius merita: Quoad utrumque autem facilè impugnantur; quoad primum quidem, quia nullus Catholicus ſibi ſoli tribuit partem ullam boni operis, ſed hoc totum indiviſibiliter tribuit Deo ut cauſæ primæ ac principaliori, ſibi ut cauſæ ſecundæ ac minùs principali; quoad ſecundum, quia è contrà merita noſtra eximiè commendant in natura lapſa efficaciam & neceſſitatem meritorum Chriſti, ſunt enim horum effectus, adeoque non requiruntur, quia merita Chriſti inſufficientia ſint, nec illis poſitis iſta ſuperfluunt, cum cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati, & meritis Chriſti debeamus ac tribuamus, quidquid meritis noſtris obtinemus.

11. *Datur in homine apud Deū meritum condignum*

Aſſert. 2. Datur in homine apud Deum meritum condignum vitæ æternæ. Hoc aſſertum ſub his terminis non eſt de fide ut præcedens, quia vox *condigni* nec in Tridentini definitione nec in Scripturâ reperitur; traditur à Theologis pro aſſerto præcedente relatis & ab aliis communiter, inter quos Suarez *hic lib.* 12. *cap.* 1. *num.* 52. ait eſſe concluſionem Theologicam ſatis certam, Amicus *præcit. ſect.* 1. *num.* 5. ait ex fidei principiis probabiliſſime deduci, & Tannerus *diſput.* 6. *quæſt.* 6. *dub.* 1. *num.* 7. addit concluſionem oppoſitam etſi vocibus tantum differentem, meritò temerariam videri poſſe, jure autem apponit ly *etſi vocibus tantum differentem*, quia Durandus *in* 2. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *num.* 12. *& diſt.* 41. *quæſt* 2. *num.* 5. Gregorius *in* 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. *art.* 2. Burgenſis *in additionibus ad Lyranum in Pſal.* 35. aliique nonnulli Catholici ſoliti referri pro opinione non admittente in juſtis ullum meritum condignum vitæ æternæ, in re vix differunt à doctrina communi, quamvis differant in modo loquendi & explicandi meritum condignum, ad quod propriè acceptum Durandus videtur requirere obligationem ex juſtitia, & triplex meritum diſtinguere, alterum ſimpliciter proprieque condignum alterum ſimpliciter proprieque congruum, alterum medium quod Durandus ipſe vocat condignum largo modo & quaſi congruum comparativè ad propriè condignum; idem meritum medium quidam alij vocant neque ex congruo, neque ex condigno, ſed ex digno; at hoc nimis leve eſſe ait Bellarminus *præcit. lib.* 5. *cap.* 16. Vndè

Cenſura opinionis oppoſitæ.

tandem crediderim Auctores Catholicos relatos tanquam hujus communis aſſerti Adverſarios, etſi fortè ex eo; quod non adverſentur in re, poſſint eſſe immunes à temeritatis cenſura, ſaltem ex eo, quod ſine neceſſitate recedant ab uſitato loquendi modo, non effugere notam levitatis.

12. Probatur aſſertum ex eo quod ſolum meritum condignum eſt ſimpliciter ac propriè meritum; tam celebris igitur Tridentini definitio, & tot Scripturæ ac Patrum teſtimonia, quæ pro merito hominis apud Deum, in ordine ad vitam æternam præſertim, afferuntur, degenerarent in ſenſum improprium, quando in homine apud Deum meritum vitæ æternæ non concederetur eſſe condignum. Confirmatur ſpecialiter ex nomine mercedis, quo tùm Scripturâ ſæpè, tùm Tridentinum *præcit. cap.* 16. æternam vitam ſignificat, merces autem communiter accipitur pro compenſatione æquali & ſimpliciter debita, adeoque correſpondet merito condigno: Deindè idem Tridentinum *præcit. can.* 32. ſtatuens juſtum verè mereri augmentum gratiæ & vitam æternam, dum addit ad mereri ly *verè* ſatis inſinuat ſe non loqui de merito congruo, quod vix habet veram meriti rationem, & convenit etiam peccatori in ordine ad primam gratiam, non ſoli juſto in ordine ad gratiæ augmentum & gloriam. Confirmatur inſuper ex conditionibus meriti condigni ſequenti capite ſtatuendis, quæ facile erunt conſideranti obviæ in merito hominis juſti apud Deum; ſicut & ex iiſdem ſucceſſivè tradendis ſucceſſivè conſtabit ſolutio eorum, quæ contrà aſſertam meriti condignitatem afferri poſſent in præſenti, ubi propterea ſufficiat duntaxat contrà ipſam inſinuare verba Pauli *Rom.* 8. exiſtimantis *quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*; item axioma Theologicum, quo dici ſolet *Deus ultrà condignum præmiat, citrà condignum punit*, ſubintellige, in alia vita.

13. *Quomodo paſſiones hujus temporis non ſint condignæ ad futuram gloriam.*

Reſpondetur autem ad primum non poſſe eſſe pro aſſerta veritate ſuſpectam mentem Apoſtoli alibi apellantis gloriam, bravium, mercedem, coronam juſtitiæ, quæ certè ſupponunt ex parte noſtra perfectam, propriamque condignitatem; dicito igitur in loco mox relato noſtras operationes & ſignanter paſſiones externas ſumi ſecundùm eſſe phyſicum & ut præcisè ſubſunt viribus arbitrij; non ſecundum valorem moralem & ut dignificantur per gratiam; vel ut alij loquuntur ſecundum entitatem, non ſecundum virtutem quaſi ſeminalem, idest derivatam à gratia, quæ eſt gloriæ ſemen. Amicus *præcit. ſect.* 1. *num.* 13. eadem verba intelligit de condignitate quoad durationem, ſecundum quam ſolam Apoſtolum comparare paſſiones hujus temporis cum futura gloria infert ex nomine *temporis* quo utitur, potiò ſine condignitate quoad durationem dari poſſe in iiſdem paſſionibus condignitatem quoad valorem & virtutem probat *ex* 2. *Cor.* 4. ubi idem Apoſtolus ait *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ* (videlicet ob brevem durationem) *ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Reſpondetur ad ſecundum; vulgare illud dictum, de quo Oviedus *hic controv.* 5. *punct.* 9. *num.* 89. ait neſciri undè dimanaverit, negari à Vega *quæſt.* 5. *de iuſtificat.* nihilominùs admittendum omninò eſt præſertim poſtquam teſte Bellarmino *præcit. lib.* 5. *cap.* 19. fuit à Pio V. damnata hæc inter alias Baij propoſitiones *Opera bona iuſtorum non accipient in die iudicij extremi ampliorem mercedem, quàm iuſto Dei iudicio mereantur accipere*; illo igitur vulgari dicto ſivè axiomate ſimpliciter admiſſo variæ ſunt ipſius interpre 14.

Quomodo Deus ultrà condignum

præmiet, citrà condignum puniat.

interpretationes ; in primis enim qui cum Scotiſtis, & Nominalibus ponunt condignitatem noſtrorum meritorum haberi ex Dei ordinatione dicunt, ultrà condignum præmiari merita juſtorum conſiderata ſecundum condignitatem, quam habebant antecedenter ad Dei ordinationem vel quam habuiſſent, ſi fuiſſent, ut poterant, ad minus præmium ordinata: Qui verò juxta infrà aſſerenda §. agnoſcunt condignitatem in juſtorum operibus independenter ab omni extrinſeca ordinatione vel dicunt primò condignitatem habere quoſdam latitudinis gradus, & Deum præmiare ultrà condignum, punire citrà condignum, quatenùs præmiat ultrà aliquem quamvis non ultra ſummum, & punit citrà aliquem quamvis non citrà infi-

15. mum gradum condignitatis: Vel dicunt ſecundò præmio & pœna accidentali, non præmio & pœna eſſentiali Deum ultrà condignum præmiare & citrà condignum punire: Vel dicunt tertiò ſervata æqualitate geometricâ tùm præmij cum merito, tùm pœnæ cum demerito, excedi arithmeticè meritum à præmio, quatenùs plus eſt boni in ſtatu beatitudinis, quàm in noſtris operibus meritoriis; è contra excedi pœnam à demerito, quatenùs minus mali eſt in pœna inferni, quàm in noſtris operibus peccaminoſis, ut enim communiter dicitur, malum culpæ eſt majus malo pœnæ, ſicque arithmetice dumtaxat Deum ultrà condignum præmiare, citrà condignum punire: Vel dicunt quartò Deum ſuprà gradus gloriæ debitos merito condigno aliquot alios addere purè liberaliter, & ſic ultrà condignum præmiare ; ex ſua verò miſericordia condonare aliquos gradus pœnæ debitæ peccatis, & ſic citrà condignum punire: Vel dicunt quintò Deum præmiare ultrà condignum, quatenùs dat in hac vita juſtis plura auxilia & dona ſupernaturalia ultrà condignitatem meritorum; quibus auxiliis & donis eliciuntur actus meritorij ; & gloria deindè talibus actibus correſpondens dicitur data ultrà condignitatem meriti, mediatè quodammodo & remotè, quamvis non immediatè & proximè ; punire verò citrà condignum, quatenùs in hac vita remittit peccatoribus pœnam debitã carendi pluribus auxiliis, ad quorum carentiam ſequeretur diuturnior in peccato permanentia, vel etiam lapſus in plura peccata, adeoque reatus majoris pœnæ ; & ob hanc majorem pœnam quaſi mediatè & remotè condonatam dicitur deindè peccator puniri in inferno circà condignum: Vel dicunt ſexto Deum præmiare ultra condignum in eo ſenſu, in quo ſuprà dicebatur non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.

16. De omnibus his modis ut breviter judicium meum ſubdam, dicerem aut tertium, aut quintum, eſſe cæteris præferendum ; nam primus, ſecundus, & quartus continent doctrinam voluntariè & gratis aſſertam: Sextus verò eſt quidem omnium expeditiſſimus & doctrinam continet aliundè probatam; at juxtà ipſum nequit deindè proportionaliter explicari ſecunda pars axiomatis de punitione citrà condignum ; unde non plenè ſatisfacit, niſi forte apud eos, qui prima axiomatis parte admiſſâ negarent ſecundum, quam non eſſe in eodem cum prima certitudinis gradu obſervat Bellarminus *præcit. c. 19.* ubi addit ipsâ ab Auguſtino *l. 21. de civit. c. 24.* tolerari potiùs, quàm approbari.

Secunda præcedẽtis axiomatis pars nõ eſt in eodem gradu certitudinis cum primâ.

CAPUT VI.

De conditionibus requiſitis ad meritum apud Deum.

SICUT meritum tria potiſſimùm reſpicit, nimirum Perſonam merentẽ, à quâ procedit; perſonam præmiantẽ, in quam refertur ; & opus, quod denominat ; ita conditiones ad ipſum requiſitæ poſſunt ſe tenere, vel ex parte merentis, vel ex parte præmiantis, vel ex parte operis. Inter cõditiones ſe tenẽtes ex parte mentis occurrunt præcipuè ſtatus viæ, & ſtatus gratiæ, ſeu ſanctitatis ; inter ſe tenentes ex parte Dei præmiantis acceptatio ſeu ordinatio ad præmium ; inter ſe tenentes ex parte operis libertas, bonitas, ſupernaturalitas, ratio poſitivi, ratio indebiti alio titulo, intenſio, duratio, & aliæ hujuſmodi humanorum actuum affectiones ; ex quibus tamen aliquæ requiruntur & conducunt ad majus meritum potiùs, quam ad meritum præciſè, & iſtas ſeorſim elucidabimus *ſeq. cap. 7.* Interim ſit 1.

§. I.

An & quomodo ad meritum apud Deum requiratur ex parte merentis ſtatus viæ?

ASSERT. 1. Certum eſt de facto ad meritum apud Deum requiri ex parte merentis ſtatum viæ. Ità D. Thomas *1. p. q. 62. art. 9. & 2. 2. quæſt. 13. art. 4. ad 2.* Scotus *in 3. diſt. 18. quæſt. unica*, cæterique Theologi omnes ſecuti communem conſenſum Sanctorum Patrum, fidelium, & Eccleſiæ. 2.

Ad meritũ apud Deũ requiritur de facto ſtatus viæ.

Probatur ex Scripturâ: Eccleſiaſt. 9. *Mortui nihil noverunt ampliùs, nec habent ultrà mercedem* ; Ad Galat. 6. *dum tempus habemus, operemur bonum.* Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius qui miſit me ; donec dies eſt : venit nox quando nemo poteſt operari*, ubi nomine noctis communiter Sancti Patres mortem intelligunt & ly *operari* referunt ad operari meritoriè, ſicut & in relatis verbis Apoſtoli ly *tempus* referunt ad tẽpus hujus vitæ, de quo idem Apoſtolus *1. Cor. 7.* ait *tempus breve eſt*. Confirmatur ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 16.* ubi agens de merito bonorum operum conjungit tempus benè operandi cum tempore ſperandi, ait enim, *benè*

operantibus uſque in finem & in Deo ſperantibus, &c. certum eſt autem tempus ſperandi eſſe ſolùm tempus viæ; ſubdit inſuper juſtificatis nihil deeſſe, quò minùs cenſeantur pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, promeruiſſe, &c. ly autem *pro hujus vitæ ſtatu* idem ſonat ac *pro ſtatu viæ*, nam reſpectu hominis ſtatus vitæ mortalis juxtà præſentem Dei

Status viæ quid?

providentiam convertitur cum ſtatu viæ, quæ dicitur relatè ad terminum, & ex genere ſuo prout abſtrahit ab eo, quod in homine vel in Angelo reperiatur, importat indifferentiam ac libertatem conſequendi æternam gloriam aut æternam pœnam; talem autem indifferentiam & libertatem habet homo juxtà præſentem ordinariamque providentiam toto & ſolo tempore vitæ mortalis.

3. Dubiū incidens de Enoch & Eliā,

Occurrunt hic, & aliquam nobis ingerunt difficultatem Enoch & Elias, qui ex una parte degunt vitam mortalem in ſtatu conjunctionis animæ ad corpus & tempore Antichriſti ad communem vivendi rationem redeuntes verè morientur pro Chriſto; ſunt igitur in ſtatu viæ & meriti; ex alia parte cum in ea vita mortali, quam nunc degunt, ſint permanſuri uſque ad Antichriſti adventum in fine mundi per actus meritorios tam diuturno temporis ſpatio continuatos & multiplicatos longè excederent merita & gratiam aliorum omnium Sanctorum. In hac difficultate (cum nihil habeatur ab Eccleſia definitum, & diviſa ſit gravium Doctorum auctoritas) unicuique permittitur abundare in ſenſu ſuo: Qui libentiùs ſenſerit Enoch & Eliam non eſſe in ſtatu meriti habet pro ſe Suarexium *hic lib.* 12. *cap.* 15. *num.* 11. *& tom.*2. *in* 3.*p. diſp.*55. *ſect.* 2. Vaſquium *hic diſp.*216. *num.*35. Oviedum *controver.*4. *punct.*2. *num.* 29. Maderum *q.*9. *art.*10. *num.*12. Herincx *diſp.*1. *quaeſt.*1.*n.*8. Eſparzam *lib.* 3. *de act. hum. quaeſt.*35. *art.*8. & alios plures, cum quibus ad primam rationem dubitandi dicere poteſt pro merito & ſtatu viæ requiri vitam mortalem, ſed ſub lege & communi conditione mortalitatis, ſubjectam ſcilicet incōmodis corporis mortalis & incorruptibilis, quæ ſubjectio ſicuti in Enoch & Elia ſuſpenſa quodammodo eſt & interrupta uſque ad tempus Antichriſti; ità in iiſdem ſuſpenſus & interruptus

4. cenſeantur ſtatus viæ & meriti: Qui è contrà maluerit agnoſcere in Enoch & Elia continuatum ac permanentem ſtatum meriti habet pro ſe Viegam *in cap.*11. *Apocal. comment.*5. *ſect.*4. Henriquez *lib. ult. de fine hominis cap.*23. Abulenſem 4. *Reg.*2.*quaeſt.*54. Hacquetum *hic controv.*8. Gabrielem à S. Vincentio *diſp.* 19. *quaeſt.* 5. cæteroſque ex Carmelitana familia & ità ſentiendo ad ſecundam rationem dubitandi vel dici poteſt Enoch & Eliam in ſtatu illo tranſlationis, quem nunc habent, elicere actus ſolùm valdè remiſſos & modiciſſimi meriti, Deo ſic ſpecialiter ordinante & diſtribuente per tempus longiſſimum bona opera abſque eo quod æquent brevi tempore conſummata merita Præcurſoris & Apoſtolorum, vel concedendum eſt ipſos exceſſuros ſola B. Virgine excepta omnium aliorum Sanctorum merita, ut abſolutè concedunt Viegas & Gabriel à S. Vincentio, quibus favet Gonetus *hic diſp.*5. *art.*2. *num.*36. dicens mirum non eſſe, quod Apoſtolos & Ioannem Baptiſtam ſint in gloria æquaturi illi, qui futuri ſunt ſecundi Chriſti adventus Præcurſores & Apoſtoli, nec non facti glorioſi Martyres *Antichriſtum* (ut loquitur Tertullianus) *ſanguine ſuo extinguent*. Qui tandem noluerit unam controverſiæ partem alteri præferre, ſed nihil definiendo ad utramque ſe habere problematicè, habet pro ſe Pereiram *tom.*1. *in Geneſ. lib* 7 *diſp. de Elia & Enoch*, Turrianum *opuſc.*8.*diſp.*2.*dub.*7. Tannerum *diſp* 6. *quaeſt.*6. *dub.*1. *&c.* Sentiat igitur unuſquiſque pro arbitrio, quo ego ad primum ſentiendi modum, ſaltem tanquam magis communiter receptum, propendeo.

Aſſert. 2. Statua viæ requiritur ad meri- 5.

Status viæ ad meritum apud Deū requiritur ſolùm ex divina ordinatione.

tum ex ordinatione & voluntate Dei extrinſeca; non ex natura rei & ab intrinſeco, ſeu non ex eo, quòd opera viatoris ratione ſtatus viæ habeant aliquam ſpecialem perfectionem ex natura rei & ab intrinſeco neceſſariam ad merendum apud Deum. Ità Ioannes à S. Thoma *hic diſp.*29. *art.*1. *num.*8. Gonetus *diſp.*2. *art.*2. *num.*52. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 19. *art.* 4. Suarez *lib.* 12. *cap.*15. Amicus *diſp.*35. *ſect.*2, *num.*15. Arriaga *diſp.* 54. *ſect.* 5. Oviedus *controv.* 4. *punct.*5. *num.* 20. Herincx *diſp.*1. *quaeſt.*1, *num.*7. cæterique tùm Thomiſtæ, tùm Scotiſtæ, tùm Recentiores magis communiter contrà Vaſquium *hic diſp.*216. *cap.*4. Turrianum *opuſc.*8. *diſput.*1. *dub.*3. Meratium *diſp.*14. *ſect.* 1. Eſparzam *lib.* 3. *de act. hum. quaeſt.*35. *art.*6. Madernum *quaeſt.*9. *art.*10. alioſque nonnullos volentes contemptum liberum & arduum, commodi temporalis proprium ſtatus viæ requiri ex natura rei in opere meritorio: Item contrà Abulenſem requirentem ex natura rei in merente apud Deum potentiam libertatemvè peccandi, quæ in juſtis extrà viam non datur: Verùm hoc fundamentum facilè corruit in Chriſto, in quo agnoſcimus cum impeccabilitate omnimoda perfectiſſimum meritum; ſufficiet igitur aſſertum probare contrà opinionem ac fundamentum Vaſquij, Turriani, &c. contrà quos

Probatur primò: Status viæ nullam con- 6.
fert bono operi peculiarem perfectionem, aut æſtimabilitatem, ab intrinſeco & ex natura rei neceſſariam ad meritum, ergo ſtatus viæ requiritur ad meritum ex ordinatione & voluntate Dei extrinſeca, non ex natura rei, &c. conſequentia patet; antecedens probatur, tùm quia opus, in quo cætera ſint paria, non eſt minùs perfectum & minùs æſtimabile ex eo, quod fiat à juſto comprehenſore potiùs, quàm à juſto viatore, tùm quia ſanctitas perſonæ operantis, bonitas, ſupernaturalitas, libertas operis, & reliqua ex infra dicendis requiſita ab intrinſeco & eſſentialiter ad meritum apud Deum, non ſunt propria ſtatus viæ, & poſſunt quantùm

eſt

eſt de ſe reperiri tùm in animabus Purgatorij, tùm in beatis; ergo ſtatus viæ nullam confert bono operi peculiarem perfectionem, &c.

Dices: Ad meritum apud Deum requiritur ab intrinſeco & ex natura rei liber quidam, & aliqualiter arduus contemptus commodi temporalis incompoſſibilis cum honeſtate boni operis, & hic contemptus eſt proprius ſtatus viæ; confert igitur ſtatus viæ hunc contemptum bono operi, tanquam peculiarem perfectionem, aut æſtimabilitatem ab intrinſeco & ex natura rei neceſſariã ad meritũ apud Deum; unde opus à juſto comprehenſore præſtitum eſſe poterit aliunde perfectius abſolutè & æſtimabilius, quàm præſtitum à juſto viatore, at defectu prædicti contemptus nullo modo erit perfectum & æſtimabile relatè ad præmium; ſicuti actus amoris divini conſequens ad beatam viſionem eſt abſolutè perfectior actu amoris conſequentis fidem, & tamen ille defecto libertatis nullam habet perfectionem relatè ad præmium à Deo conferendum, habet verò hanc perfectionem amor liber conſequens fidem. Sed contrà: admitto contemptum liberum & arduum alicujus commodi temporalis, ſeu paſſionem alicujus incommodi cum facultate ipſum vitandi, eſſe quid proprium ſtatus viæ, quia ut quoad hoc bene diſcutrit Eſparza *pract. q.31. art.4.* Beati neceſſariò fruuntur omnibus commodis, nec propter aliquod bonum opus exercendum debent ullius ſui commodi jacturam ſubire, & commodum ipſum contemnere: Damnati neceſſariò ſubſunt omnibus incommodis, neceſſariò omnibus commodis carent, nec propter aliquod opus bonũ exercendum debent aut pati ullum incommodum ab ipſis vitabile aut contemnere ullum commodum ab ipſis fruibile; exiſtentes in Purgatorio ſubſunt inevitabiliter moleſtiis & pœnis, ſeu incommodis à Deo taxatis, nec ex amore honeſtatis ſentiunt incommodum aliquod, quo carerent ab amore abſtinendo: Exiſtentes pariter in limbo nullum ſubeunt incommodum, nec ullum à ſe abdicant commodum propter honeſti proſecutionem, contrà quam nullis à fomite ſtimulis, nullis tentationibus, nullis difficultatibus vexantur. Hac igitur inductione ductus admitto ſolum ſtatum viæ ſaltem loquendo ſecundùm præſentem providentiam ità reſpicere commoda, & incommoda temporalia, ut pro ſua libertate poſſit illa comparare, iſta vitare; vel propter honeſtatem illa contemnere, iſta tolerare; & conſequenter proprium eſſe ejuſdem ſtatus contemptum liberum & arduum alicujus commodi temporalis incompoſſibilis cum opere honeſto, aut liberam & arduam tolerantiam alicujus temporalis incommodi ab opere honeſto inſeparabilis, at nego talem contemptum aut talem tolerantiam ab intrinſeco, & ex natura rei, requiri ad meritum apud Deum, alioqui qui bene operando non attenderet ad contemptum ullius commodi temporalis, aut in tali commodo contemnendo nullam haberet difficultatem, ſed

7.
Propriũ eſt ſtatus viæ poſſe vitare incommoda, & cõtemnere commoda temporalia.

8.
Meritum apud Deũ non requirit cõtemptum tẽporalis commodi.

facilitatem majorem, quàm in eodem amplectendo non operaretur meritoriè apud Deum; ex quo capite ſæpè fruſtrarentur omni merito viri ſanctiores, quibus ſæpè vix in mentem veniunt temporalia aut commoda aut incommoda; & facilè, imò delectabiliter, præferunt incommoda commodis. Deinde ad opus meritorium ex genere ſuo non requiritur quod ſit moleſtum, incommodum, & difficile merenti; ſed quod ſit per ſe æſtimabile, & placens præmianti: ergo idem ſentiendum de merito apud Deum.

Dices tamen iterum: Meritũ apud Deum eſt nobis ignotum naturaliter, & notum ſolùm ex divina revelatione contenta in ſacris Scripturis; in quibus recenſentur ut meritoria vitæ æternæ ſola opera habentia rationẽ aliquam violentiæ, certaminis, agonis, atque victoriæ; atqui nemo violentiam patitur, certamen ſuſtinet, in agone conſtituitur, victoriam conſequitur, ſine difficultate & incommodo: ergo quidquid ſit de opere meritorio ex genere ſuo, ſaltem opus meritorium apud Deum debet eſſe moleſtum, incommodum, & difficile merenti: Major probatur ex Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* 2. Tim. 2. *Qui certat in agone, non coronatur, niſi legitimè certaverit.* 1. Cor. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem,* quibus & ſimilibus teſtimoniis valdè efficaciter probari hujus inſtantiæ intentũ exiſtimat Eſparza *pract. lib. 3. q. 31.* Sed contrà: ex D. Thoma 1. *part. q. 61. art. 4. ad* 1. & *de veritate, q. 26. art. 6. ad* 12. duplex diſtingui poteſt difficultas, ſeu arduitas, in bene operando; altera proveniens ex magnitudine & præſtantia operis ſuperantis vires & potentiam naturalem operantis, hac ratione eſt difficile & arduum omne opus ſupernaturale, altera proveniens ex impedimentis extrinſecis, aut reſiſtentia contrarij; hac ratione eſt difficile & arduũ opus, quod præſtari nequit ſine jactura alicujus commodi aut tolerantia alicujus incommodi temporalis: Difficultas & arduitas primo modo eſt de conceptu meriti apud Deum; quia meritum de quo in præſenti debet eſſe opus ſupernaturale, ad quod naturæ difficile eſt & arduũ pervenire, cum debeat ſe ipſam quodammodò ſuperare, & ſuprà ſe elevari; difficultas & arduitas ſecundo modo non eſt de conceptu meriti apud Deum, quamvis poſſit ad ipſum occaſionaliter conferre, in quantùm eſſe poteſt occaſio majoris conatus in merente. Adducta Scripturæ teſtimonia fortè poſſent non incongruè referri ad difficultatem & arduitatem primo modo, adeò ut homo propter ſupernaturalitatem operis dicatur quandam ſibi vim inferre ſe ipſum ſuperare, & certare in agone: Meliùs tamen conceditur illa referri ad difficultatem & arduitatem ſecundo modo, at non ideircò ſuadent intentum Adverſariorum, ſed ſolùm explicant illud, quod ſecundùm præſentem providentiam utplurimùm evenit, & quod ad omne ferè hominis meritum confert, quãvis duntaxat ut occaſio, non ut ratio eſſentialis.

9.

10.
Difficultas requiſita in merito apud Deũ quænam?

Non repugnat Beatis proficere in beatitudine eſſentiali.

11. Probatur aſſertum ſecundò ex eo, quod *tract. de Angelis, lib. 3. c. 3. §. 1.* aſſertum eſt Angelos jam beatos potuiſſe ſecundùm aliā providentiam mereri augmentum ſuæ beatitudinis, quod neque ipſis, neque ulli alij beato convenire poſſet, ſi ad meritum requireretur eſſentialiter contēptus arduus commodi; nam licet ſecundùm aliam providentiam poſſint ſtatui commoda aliqua & incōmoda dependentia à voluntate beatorum, hæc tamen (ut ſuppono *ex tract. de beatitud. lib. 3. c. 2. n. 57.*) non poſſent eſſe niſi leviſſima & ferè imperceptibilia, quorum contemptus propterea aut delectus non poſſet eſſe arduus, ut ad meritum requiritur in Adverſariorū ſententia. Confirmatur ex eo, quod D. Thomas 1. *part. q. 62. artic. 9.* ad probandum Angelos non poſſe in beatitudine eſſentiali proficere merendo augmentū ipſius non aliam affert rationē, quam quod debeat ipſis præfigi determinatus gloriæ gradus, ne Dei intentio feratur in aliquid indeterminatum & proceſſurum in infinitum; atqui hæc ratio probat quidem ex natura rei non debere tempus meriti in infinitum extendi, at non probat debere limitari ad ſtatum viæ; ergo quod de facto tale tempus limitetur ad ſtatum viæ, ex ordinatione Dei extrinſeca provenit, non ex natura rei.

Ratio D. Thomæ, ob quam non proficiunt de facto.

Dices: ordinatio divina debet eſſe prudentiſſima & rationabilis: ergo debet eſſe juxtà naturam rerum, ſuprà quas cadit, ergo quod tempus meriti limitetur ad ſtatum viæ non poteſt provenire ex ordinatione divina,

12. quin ſimul proveniat ex natura rei. Sed contrà: Vt ordinatio divina ſit prudentiſſima & rationabilis ſufficit, quod ſit juxtà fines à Deo intentos, nobis ſæpè occultos; ideò concеſſo antecedēte poſſet negari abſolutè conſequentia, poteſt tamen etiam diſtingui, ergo debet eſſe juxtà naturam, id eſt juxtà congruentiam & convenientiam rerum, ſuprà quas cadit concedo, debet eſſe juxtà naturam, id eſt juxtà eſſentiam, nego; & dum dicimus ſtatum viæ non requiri ad meritum ex natura rei intendimus non requiri ex eſſentia meriti, ſeu non eſſe talem ſtatū eſſentialem merito, cæterùm non inficiamur requiri ad meritū ex congruentia & convenientia adeò ut convenientior ſit & congruentior ad merendum, quàm ſtatus termini & beatitudinis, eſt porrò congruentior & convenientior primò, quia ob commoda, & incommoda, dependenter à cujuſlibet libertate in ſtatu viæ non in ſtatu termini occurrentia; plures ille, quàm iſte continet merendi occaſiones: Secundò, quia in ſubjecto habente ex natura ſua capacitatem demerēdi conveniens eſt meritum dari ſolùm pro eo tempore, pro quo dari poteſt demeritum, & è contrà: tertiò, quia meritum ſupponit imperfectionem, ſupponit enim carentiam ejus, quod debet in præmium obtineri; non convenit igitur ſtatui beatitudinis, qui petit eſſe omnium bonorum aggregatione perfectus: quartò, quia certum eſt meritum non poſſe per totam beatitudinem protendi, alioqui ut *præced. num.* dicebatur non haberemus præfixum determinatum gloriæ gradum; ergo ne habeamus ſtatum beatitudinis etherogeneum, congruum eſt quod non mereamur in beatitudinis initio, aut per certa intervalla in beatitudinis ſtatu.

Congruentiæ ob quas ex divina ordinatione requiritur ad meritū ſtatus viæ.

Ex dictis habetur ſtatum, ſeu ſpatium meriti & demeriti poſſe ex diverſa Dei ordinatione diverſis præſcribi terminis ab iis, quibus præſcribitur de facto; in hominibus ſcilicet, in quibus habet de facto pro termino exitum ab hac vita mortali, finiri poſſe paulò ante, aut paulò poſt talem exitum; & in Angelis, in quibus habuit de facto pro termino ingreſſum in beatitudinē, aut in damnationem, finiri poſſe paulò ante, aut paulò poſt talem ingreſſum, ità tamen ut poſt ingreſſum in beatitudinem duraret capacitas merendi aliquod aliud bonum à beatitudine eſſentiali, aut etiam beatitudinis eſſentialis augmentum; at non ſubſtantiam ipſam beatitudinis eſſentialis, abſolutè enim repugnat beatitudinem cadere ſub meritis ipſam ſubſequentibus, imò etiam præcedentibus tantùm naturâ, ut ſuppono *ex tract. de Angelis, lib. 3. cap. 3.* 13.

Status, ſeu ſpatiū meriti & demeriti eſt indifferens ad varios terminos.

Duo poſſunt hic dubia ſupereſſe: Primum eſt, utrùm ſtatus viæ de facto requiratur non ſolùm ad merendum ſibi, verùm etiam ad merendum aliis? Secundum eſt, utrùm beati, qui ſecundùm aliam providentiam poſſent ſibi mereri beatitudinis eſſentialis augmentùm, dicendi eſſent viatores ſimul & comprehenſores, in via ſimul & in termino in ordine ad diverſa; ſicuti Chriſtus in hac vita mortali dicebatur comprehenſor in ordine ad beatitudinem animæ, quâ fruebatur; viator in ordine ad beatitudinem corporis, quam merebatur.

Ad primū negant Vaſquez 1. 2. *diſp.* 216. *c.* 4. Gabriel à S. Vincenno *diſput.* 1. *q.* 4. *num.* 46. aliique nonnulli putantes tùm beatos tùm animas in Purgatorio exiſtentes per actus, quos de novo eliciunt nobis promereri ſupernaturalia dona, imò & ſibi illos beatitudinem aliquā accidentalem, iſtas aliquam refrigerationem ex Angelorum viſitatione, aut ex revelatione eorum, quæ in mundo pro ipſarum liberatione fiunt, reſultantem. Verùm multò communior eſt ſententia oppoſita nullum prorsùs de facto agnoſcens meritum extrà viam, & beatis, concedens facultatem impetrandi tantùm, non merendi; favet plurimùm huic ſententiæ D. Thomas *in 4. diſt. 45. q. 3. art. 3. ad 4.* dicens *licèt ſancti non ſint in ſtatu merendi ſibi, poſtquam ſunt in patria, ſunt tamen in ſtatu merendi aliis, vel potiùs ex merito præcedenti alios iuvandi; hoc enim apud Deum viventes meruerunt, ut eorum orationes exaudirentur poſt mortem*, ſubdit deinde diſcrimen impetrationis à merito, & clariùs 2. 2. *q.* 83. *art.* 11. *ad* 1. ait de ſanctis in patria *Eorum orationes habent efficaciam impetrandi ex præcedentibus eorum meritis, & ex divina acceptatione*, ubi adverte obiter per ly *& ex divina acceptatione* inſinuari, quomodò poſſint in patria aliquid impetrare parvuli qui ſine propriis meritis deceſſerunt? Ad primum 14.

Status viæ de facto requiritur etiam ad merendum aliis.

igitur

igitur dubium reſpondendum affirmativè ſaltem propter auctoritatem D. Thomæ, & aliorum plurium apud Oviedum *controv.4. punct.2.n.30.*

15. *Beatus potens ſibi mereri adhuc eſſet ſimpliciter cōprehenſor, non viator.* Ad ſecundum, ſi nomine viæ intelligatur tendentis quælibet in bonum acquirendum, utique beati habentes facultatem merendi augmentum beatitudinis eſſent comprehenſores quoad beatitudinis ſubſtantiam, viatores quoad ejuſdem augmentum: At via, prout conſtituit ſtatum viatoris, eſt illa dumtaxat, quâ quis tendit in ſuæ ſalvationis aut damnationis ſubſtantiam, ſicuti hæc ſubſtantia eſt ſimpliciter & abſolutè terminus, prout conſtituit ſtatum ſtatui viæ oppoſitum; ideò ad dubium reſpondetur beatos in illa hypotheſi dicendos fore dumtaxat comprehenſores & in termino: Quoad Chriſtum Oviedus *præcit. punct.2. n.25.* non dubitat ei negare propriam rationem viatoris; potuit tamen dici viator majori ratione, quàm beati in noſtra hypotheſi, quia ipſe tendebat in ſubſtantiam beatitudinis corporis, quamvis non animæ; item quia agebat vitam mortalem cum unione ad corpus corruptibile, quod de facto in nobis convertitur cum ſtatu viæ; neutrum autem ex his haberent beati, qui ſecundùm aliam providentiam poſſent ſibi mereri; &c.

---

§. II.

An & quomodò ad meritum apud Deum requiratur ex parte merentis ſtatus gratiæ & ſanctitatis?

16. *Statū gratiæ de facto requiri ad meritū condignū apud Deum eſt veritas fidei.* ASSERT. 1. Ad meritum condignum vitæ æternæ aliorumve donorum ſupernaturalium certum eſt de facto requiri ex parte merentis ſtatum gratiæ & ſanctitatis. Ità Magiſter *in 2. diſt.27.* D. Thomas 1.2. *q.114. artic.2.* eſtque & fuit; ut loquitur Bellarminus *lib.5. de juſtificat. c.12.* ſententia cōmunis in ſcholis Catholicorum Theologorum, imò certa de fide aſſeritur expreſsè à Valentia *hic diſput.8. q.6. punct.3.* Gabriele à S. Vincentio *diſput.19.q.3.* aliiſque permultis; nec ullus in contrarium aſſertur præter Michaëlem Bajum in propoſitionibus à Pio V. & Gregorio XIII. damnatis, inter quas hæ duæ referuntur, *Pelagij ſententia eſt opus bonum citrà gratiā adoptionis factum non eſſe regni cæleſtis meritorium. Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiant per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantùm ex eo quod ſunt conformia legi.*

Probatur aſſertum primò auctoritate, tùm duorum ſummorum Pontificū damnantium propoſitiones mox relatas, tùm Concilij Tridentini *ſeſſ 6.* ubi *cap.16.* docet vitam æternam reddendam tanquā mercedem bonis operibus, eſſe promiſſam tanquam gratiam filiis Dei; item Chriſtum influere in juſtificatos virtutem, ſine quâ bona opera nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent, & *can.32.* ſtatuit merita eſſe bona opera juſtificati, quæ ab eo fiunt per Dei gratiam. Solent etiam pro aſſerta veritate afferri ex Scriptura verba illa Ioan. 15. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis* ſubintellige per gratiam: Alia Scripturæ loca ſicut & egregia pro eadem veritate Auguſtini teſtimonia refert Bellarminus *præcit. cap.12.* & Valentia *præcit. punct. 3.*

Probatur ſecundò ratione: Homo exiſtens in peccato nequit apud Deum de condigno mereri vitam æternam aliave dona ſupernaturalia: ergo ad meritum condignum vitæ æternæ aliorumve donorum, &c. conſequentia patet, quia de facto non datur ſtatus medius inter ſtatum gratiæ & ſtatum peccati; ad illud igitur, ad quod in homine non ſufficit ſtatus peccati, requiritur de facto ſtatus gratiæ; antecedens probatur, tùm quia exiſtens in peccato habet meritum æternæ mortis, cum quo nequit conjungi meritum condignum æternæ vitæ; tùm quia exiſtens in peccato nequit condignè mereri gratiam & propriam juſtificationem, cum Tridentinum *ſeſſ.6. c.8.* expreſsè habeat *Nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur:* ergo a fortiori nequit condignè mereri vitam æternam & propriam glorificationem, quia deinde cætera dona ſupernaturalia ad gratiam juſtificationis & ad vitam æternam, vel conferunt tanquam prærequiſita, vel conſequuntur tanquam acceſſoria, tantam habent cum illa connexionem & proportionē, ut nequeant ſine eadem ſub condignum meritum cadere. Hæc probatio eſt validiſſima & ſufficientiſſima pro intento aſſerti ad de facto & ad præſentem ſtatum naturæ lapſæ limitati; ut tamen univerſaliùs & à fortiori procedatur, mox oſtendo pro merito condigno donorum ſupernaturalium non ſolùm eſſe prorsùs improportionatum ſtatum peccati, ſed nec eſſe ſufficientem ſtatum medium inter gratiam & peccatum, qualem haberet homo in natura vel pura vel integra, & divinitùs habere poteſt etiam in lapſa juxtà noſtra principia non conſtituentia pro hoc ſtatu eſſentiam peccati in privatione gratiæ. 17. *Et ad tale meritū non ſolùm eſt improportionatus ſtatus peccati.* *Sed nec eſt ſufficiens ſtatus medius inter gratiam & peccatum.*

18. Probatur tertiò: Ad meritum condignum vitæ æternæ requiritur valor & dignitas geometricè æqualis cum ipſa vita æterna; ſed ad hujuſmodi valorem & dignitatē geometricè æqualem requiritur ex parte merentis ſtatus gratiæ & ſanctitatis; ergo ad meritum condignum vitæ æternæ aliorumve donorum ſupernaturalium, &c. major ſupponitur ex diſcrimine meriti condigni à congruo; Minor probatur, vita æterna eſt præmium permanens, durans & conſtitutivum ſtatus; eſt item in ſupremo gradu ſupernaturalitatis, hæc enim attenditur penes connexionem proportionatam cum Deo ut eſt in ſe, viſio autem beata, ſeu vita æterna eſt immediata & formalis attingentia, imò poſſeſſio Dei ut eſt in ſe; ergo ad valorem

&

& dignitatē geometricè æqualem cum tali præmio requiritur opus habens dignitatem, tùm permanentem & conſtitutivam ſtatus, tùm maximè accedentem ad ſupremum gradum ſupernaturalitatis, hujuſmodi autē non eſt opus non dignificatum habituali gratia, quæ ſola in via conſtituit ſtatum ſanctitatis & dignitatis apud Deum; ſola item præſtat perfectiſſimam ac ſummam elevationem ſupernaturalem utpotè forma ſupernaturalis nobiliſſima & per modum naturæ ergo.

19. *Opus ut meritoriū penſatur ex ſubjecto magis, quā ex objecto.* Confirmatur: dignitas operis in ordine ad meritum magis attenditur penes ſubjectum, quàm penes objectum, ergo ut opus aliquod ſit condignè meritorium vitæ æternæ non ſufficit dignitas vitæ æternæ proportionata in objecto, quatenùs opus procedat ex motivo ſupernaturali, & ex ſupernaturalitate objectiva ſit ſupernaturale etiam in ſe; ſed inſuper requiritur dignitas vitæ æternæ proportionata in ſubjecto, id eſt ſupernaturalitas & elevatio ſubjecti, quæ quidem non aliter habetur, quàm per gratiam habitualem; requiritur igitur ad meritū condignum vitæ æternæ gratia habitualis in merente: Antecedens probatur tùm à poſteriori ex operibus Chriſti, quæ ex objecto & in entitate ſunt ejuſdem rationis cum noſtris, & tamen quia ex dignitate ſubjecti ſunt infinitè digniora noſtris, ſunt noſtris pariter infinitè magis meritoria; tùm à priori quia opus eſt meritorium apud alterū, quamvis quis cum proprio opere ſe ipſum offert ac ſubjicit alteri, cum meritum ſaltem apud Deum includat obſequiū relucens in voluntaria ſubjectione perſonæ; reflectitur igitur quodammodò opus meritorium ſuprà ſubjectum, ſeu ſuppoſitum operans, non ſic ſuprà objectum; adeoque debet ipſius dignitas attendi penes ſubjectum magis, quàm penes objectum.

20. Tota hæc probatio, & præſertim poſtrema ratio à priori directè evertit fundamentum Baij in propoſitione ſuprà relata non requirentis gratiam ad opus meritorium ex eo, quod ratio meriti in opere tota proveniat à conformitate ipſius ad legem, ſeu ab obedientia legis; quæ conformitas & obedientia quia reperiri, ut ipſe aiebat, æquè poteſt in operibus exiſtentis in peccato, ac in operibus exiſtentis in gratia, illius æquè ac iſtius opera aſſerebat eſſe meritoria, ut obſervat Vaſquez *diſput.* 215. *c.*4. *num.*32. Nec Bajo quidquam favent nonnulla loca Scripturæ promittentis vitam æternam obedientiæ legis, ſeu obſervantiæ mandatorum, ut cum dicitur Eccleſ. 15. *Si volueris mandata ſervare conſervabunt te*, & Matth. 19. *Occurritur auctoritatibus Scripturæ.* *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: Non favent, inquam, quia obſervantia mandatorum includit dilectionem Dei ſuper omnia quæ non habetur ſine gratia habituali ſaltem ſubſequente ad ipſam tanquam ad ultimam diſpoſitionem: Deinde talia loca poſſunt intelligi de obſervantia meritoria, & ſupponente hominem in ſtatu gratiæ.

21. *Status gratiæ requiritur ad meritū condignum etiā de potētia abſoluta.* Aſſert. 5. Status gratiæ & ſanctitatis ad meritum condignum, de quo ſuprà, requiritur ex natura rei, & ab intrinſeco, imò eſſentialiter, adeò ut nec de potentia abſoluta haberi poſſit tale meritum niſi detur ex parte merentis habitualis gratia, aut forma alia eminentiùs ſanctificans. Ità Thomiſtæ communiter, licèt vix expreſsè loquantur de potentia abſoluta, expreſsè id præſtant Gabriel à S. Vincentio *diſp.*19. *q.*3. *num.*37. Amicus *diſp.*35. *num.*11. Oviedus *controv.*5. *num.*12. Arriaga *diſp.*54. *num.*5. & alij plures contrà Scotiſtas & Nominales non agnoſcentes in merito apud Deum dignitatem ullam intrinſecam, & ex iis, qui talem dignitatem de facto admittunt, contrà Suarium *lib.*12. *c.*14. Tannerum *diſp* 6. *q* 6. Granadum *controv.* 3. *tract.* 12. *diſp.*2. aliosque nonnullos eandem dignitatem non requirentes de potentia abſoluta.

In creatura pura & nō unita hypoſtaticè divinitati. Dixi *aut forma alia eminentiùs ſanctificans* propter gratiam unionis, quæ ſicuti eminenter continet & tanquam propriā paſſionem ac proprietatem trahit gratiam habitualem, ità rectè dicitur forma eminentiùs ſanctificans, nec dubito quin per ſe ipſam præciſè præſtare poſſit totam illam condignitatem in ordine ad meritum, quam præſtat gratia habitualis; quamvis videatur oppoſitum ſenſiſſe Gabriel à S. Vincentio *precit. num.*37. ubi inquirens an ſuppoſitum Verbi poſſit ſupplere gratiæ defectum, ità quod ſi Chriſti Domini humanitas ſine gratia ſanctificante fuiſſet divinitati copulata, potuiſſet habere operationes meritorias? reſpondet utrumque eſſe valde probabile.

Probatur: Status gratiæ & ſanctitatis ad meritum condignum, de quo ſuprà, requiritur, ut ei tribuat geometricam æqualitatem valoris & dignitatis cum præmio; ſed hæc æqualitas ad meritum condignum requiritur ex natura rei, & ab intrinſeco, imò eſſentialiter; eſt enim id, quo meritum condignum eſſentialiter differt à congruo; ergo ſtatus gratiæ & ſanctitatis ad meritum condignum, de quo ſuprà, requiritur ex natura rei, & ab intrinſeco, imò eſſentialiter, &c. 22.
Major conſtat ex doctrina præcedentis tertiæ probationis poſitæ ſub *num.*18. & 19. ea quā etiam facilè conſideranti innoteſcit æqualitatem illam geometricam tribui ab habituali gratia, non quomodocumque, ſed ex natura rei & ab intrinſeco; tribuitur enim in genere cauſæ formalis, & per effectus formales quos ipſa præſtat in ſubjecto; certum eſt autem fieri ab intrinſeco & ex natura rei quod fit in genere cauſæ formalis. Hocque inſuper magis conſtabit *ex ſeq.* §. quo ſtatuetur gratiam habitualem non indigere ulla extrinſeca Dei ordinatione, ut reddat noſtra opera condigna & geometricè æqualia præmio ſupernaturali.

Dices hinc non probari, quod nequeat aliter, quàm per gratiam haberi condignitas meriti apud Deum; aliud enim eſt quòd gratia (ut evincit probatio) talem condignitatem tribuat ex naturā ſuā, aliud quòd ipſa ſola poſſit eam tribuere; & ſicuti cum eo, quòd gratia ſit forma ab intrinſeco & ex naturā ſuā remiſſiva peccati, benè per nos

ſtat,

ſtat, quòd peccati remiſſio haberi poſſit tùm per voluntatem Dei extrinſecam, tùm per aliquam aliam formam intrinſecam, nimirum per actum beatæ viſionis, aut habitum luminis gloriæ; ità cum eo, quòd eadem gratia ſit ab intrinſeco, & ex naturâ ſuâ, condignificativa meriti apud Deum, benè ſtabit quòd meriti condignificatio haberi poſſit per extrinſecā Dei ordinationem, vel ſaltem per aliam formam ſanctificantem; undè Vaſquez *diſp.* 206. *n.* 26. licèt ad meritum de condigno requirat ſtatum ſanctitatis intrinſecæ, contentus eſt ſanctitate actuali provenienti ab actu charitatis, qui per ipſum eſt forma ſanctificans, & data hypotheſi formæ ſanctificantis in tali actu ſavet Vaſquio, Oviedus *pracit. controv.* 5. *num.* 15.

23\. Sed contrà: licèt attentâ præcisè vi illationis non rectè probetur ſolam gratiam condignificare poſſe meritum apud Deum ex eo, quod ipſa illud condignificet ab intrinſeco & ex natura rei; rectè tamen id probatur attenta perfectione condignificationis, quam gratia tribuit elevando ſubjectum meriti ad participationem divinæ naturæ, ad filiationem adoptivam, & ad ſupremum gradum ſupernaturalitatis, qui in viâ haberi poſſit à pura creatura; hæc enim condignificationis perfectio non aliter, quàm per gratiam haberi poteſt, & tamen eſſentialis eſt merito condigno vitæ æternæ, utpotè quæ, ut jam attigimus, eſt in ſimpliciter ſummo ſupernaturalitatatis gradu; & quando reſpicere poſſet ut condignum meritum aliquod habens condignificationem minorem ea, quam de facto gratia tribuit, reſpiceret ut excedens & ſuprà condignum meritum condignificatum per gratiam: Ex his eruitur poſitiva inſtantiæ impugnantia, ne dum ſolutio, & ſimul

24\. *Omnis dignitas & elevatio poſſibilis in purâ creaturâ eſt minor ea, quæ habetur per gratiam habitualē.*

Probatur aſſertum ſpecialiter quoad poſtremas particulas, nimirùm, quoad ly *adeò ut nec de potentia abſoluta haberi poſſit tale meritum*, &c. In pura creatura, & præſcindendo à gratia unionis, omnis dignitas & elevatio etiam per potentiam abſolutam dabilis ex parte merentis eſt minor & imperfectior ea dignitate & elevatione, quā præbet gratia habitualis; ergo omnis hujuſmodi dignitas & elevatio eſt inſufficiens ad meritum condignum, de quo in præſenti, & per conſequens nec de potentia abſoluta haberi poteſt tale meritum, niſi ex parte merētis detur habitualis gratia, antecedens deducitur *ex praced. lib. c.* 1. *§.* 7. ubi oſtenſum eſt gratiam habitualem eſſe formam perfectiorem omnibus, quæ dari poſſint in ordine ſupernaturali; item *ex praced. c.* 4. *§.* 1. 2. *&* 3. ubi licèt aſſerta ſit poſſibilis juſtificatio, aut per gratiā non phyſicè inhærentem, aut per aliam formam à gratia, ſemper tamē additum eſt talem juſtificationem fore imperfectiorē ea, quæ habetur per gratiam habitualē phyſicè inhærentem, & hac ſola nō illa juſtificatione conferri filiationem adoptivam & participationem naturæ Dei; prima conſequentia probatur dignitas & elevatio, quam præbet de facto habitualis gratia eſt præcisè ſufficiens, non ſuperabundans, ad meritum condignum, de quo in præſenti; ergo dignitas & elevatio ea dignitate & elevatione minor ac imperfectior eſt minor ſufficiente, ſeu eſt inſufficiens ad idem meritum cōdignū, & per conſequens ad iſtud eſt inſufficiens omnis alia dignitas, ſi omnis alia dignitas eſt minor ac imperfectior ea dignitate, quæ habetur per gratiam.

Dices primò: dignitas per quam gratia habitualis inhærens condignificat meritum apud Deum conſiſtit præcisè in eo, quod conſtituat Dei amicum; atqui per nos ex *pracit. cap.* 4. tùm forma phyſicè extrinſeca, tùm aliqua forma inhærens alia à gratia poteſt conſtituere Dei amicum, ergo tùm forma phyſicè extrinſeca, tùm aliqua forma inhærens alia à gratia ſufficit ad cōdignificandum meritum apud Deum. Sed contrà: Gratia habitualis conſtituit Dei amicum amicitiâ perfectiſſima & ſummâ, quæ propter filiationem adoptivam filialis eſt ex parte noſtra, paterna ex parte Dei, & propter elevationem factam per modum naturæ elevat nos ad ſupremū gradū ſupernaturalitatis & æqualitatis cum Deo: Hoc genere amicitiæ amicū non conſtituit forma phyſicè extrinſeca aut intrinſeca alia à gratia, quæ dat præcisè jus ad gloriam tamquàm hæredi liberaliter inſtituto, non tamquàm hæredi ut ità dicam nato ſeù filio: Hinc ad inſtantiam directè dico dignitatem, per quam gratia habitualis condignificat meritū, conſiſtere in eo quod conſtituat Dei amicum non amicitiâ quacumque, ſed amicitiâ ſumma & perfectiſſima modo explicato; & hæc non aliter quàm per gratiam phyſicè inhærentem haberi poteſt; licèt aliter haberi poſſit amicitia aliqua inferior & imperfectior. 25

Omnis itē cum Deo amicitia per aliam formam eſt minor amicitiâ per gratiam.

Dices ſecundò, aut non eſſe neceſſariam ad meritum condignum amicitiam illam ſummā & perfectiſſimam, aut quod de iſta deeſt in conſtituto amico per aliam formam à gratia ſuppleri poſſe per voluntatem extrinſecam Dei, ſicuti per volūtatem extrinſecā Principis ſuppleri poteſt & augeri valor monetæ, adeò ut vilis materia puta nummus coriaceus tanti æſtimetur, & valeat, quanti materia pretioſa puta; nummus aureus. Sed contrà: falſa eſt prima inſtantiæ pars ex jā dictis, præſertim *praced. n.* 23. falſa 26 eſt pariter ſecunda pars, quia cōdignitas meriti ad præmium attenditur penes æqualitatem perfectionis intrinſecę veram & realem; perfectio autem intrinſeca vera & realis haberi nequit per extrinſecam voluntatem; confirmat hoc Arriag. *pracit. diſp.* 54. *n.* 6: ex dignitate ſeu perfectione requiſita ad ſatisfactionem condignam pro peccato, quam quidem dignitatē nequit Deus in pura creatura ſupplere per ſuam extrinſecam voluntatem, & per iſtam facere, quod opera non dignificata intrinſecè à divina perſona ſint condignè pro lethali ſatisfactoria: Quoad monetā diverſa eſt ratio, quia monetæ valor non attenditur penes aliquid ipſi intrinſecū, ſed penes inſtitutionē hominū ad placitū ipſi imponentium ſignificationem tanti vel tanti

Cur valor pecuniæ nō valor meriti augeri & mutari poſſit per volūtatem extrinſecam.

valoris potiùs, quã tribuentiũ valorẽ ipſum, licet deinde in commerciis & cõmutationibus ſupponatur moneta pro illomet valore, quem ſignificat tantùm, non continet: Porrò ex humana inſtitutione & juregentium facultas imponendi huic vel illi monetæ, ſeu materiæ in monetam excuſſæ ſignificationem tanti vel tanti valoris tranſlata eſt in voluntatem Principis, ideò &c.

§. III.

An & quomodò ad meritum apud Deum requiratur ex parte Dei promiſſio, ſeu ordinatio extrinſeca?

27. ASSERT. 1. Ad meritum condignũ apud Deum non requiritur ex parte Dei promiſſio, ſeu ordinatio extrinſeca, tanquam ratio conferens aliquem valorem bono operi. Ità Thomiſtæ communiter, & ferè omnes recentiores, contrà Scotum *in 1. diſt.* 17. *q.* 3. *& in* 3. *diſt.* 19. Gregorium *in* 3. *diſt.* 37. *q.* 3. *art.* 3. *dub.* 2. Gabrielem *in* 4. *diſt.* 49. *art.* 1. *&* 3. Herincx *hic diſp.* 6. *n.* 43. Coninchum x.2. *diſput.* 8. *dub.* 3. Ripaldam *tom.* 1. *de ente ſupernaturali*, *diſp.* 16. *ſect.* 1. alioſque nonnullos recentiores ſanctos Scotiſtas & Nominales.

Promiſſio vitæ æternæ alia intrinſeca gratiæ, alia extrinſeca.

Dixi *promiſſio, ſeu ordinatio extrinſeca*, quia in ordine ad præmium vitæ æternæ, de quo in præſenti duplex Dei promiſſio, ſeu ordinatio diſtingui poteſt; una intrinſeca gratiæ & ei eſſentialis ſita in connexione & proportione, quam ex ſua natura habet gratia cum vita æterna; altera extrinſeca gratiæ & ei accidentalis ſita in actu poſitivo libero Dei, quo promittitur vita æterna pro operibus à gratia habituali procedentibus, taliaque opera antequã fiant acceptantur ad vitam æternam; ubi adverte obiter promiſſionem præmij ex genere ſuo differre ab acceptatione, ſeu ordinatione ad præmium in eo, quod illa ſemper antecedat, iſta ſit indifferẽs ad hoc ut antecedat, vel ſubſequatur opus meritoriũ, unde in humanis Principes ſæpè acceptant ad præmium obſequia, quibus, antequam exhiberentur, nulla erat facta promiſſio; non ità tamen evenit in Deo, cujus ſicut omnis actus antecedit opera noſtra, ità omnis ordinatio eſt antecedens, ac proptereà in ipſo nulla eſt ratio diſtinguendi acceptationẽ ordinationemve ad præmium à præmij promiſſione. Porrò promiſſio divina, quam nos diximus eſſentialem & intrinſecam gratiæ, ab aliquibus dicitur etiã phyſica & naturalis; illa verò, quam nos diximus accidentalem & extrinſecã, ab iiſdem dicitur etiam moralis & poſitiva; & hæc ſola quomodocumque vocetur eſt ſimpliciter ac propriè promiſſio, illaque alia meliùs diceretur innata exigentia, quàm promiſſio.

28. Dixi *tanquam ratio conferens aliquẽ valorem*, ut locũ relinquerẽ ſtatuendi in ſequentibus: Verùm Dei promiſſio ad meritũ requiratur aliquo alio titulo; & ut directè concludẽ contrà Scotiſtas, Nominales, cæteroſque Auctores præmemoratos, qui, ut malè illis quidã imponunt, non aſtruunt promiſſionem Dei extrinſecã conferre totũ valorem bonis operibus, ſed aliquẽ duntaxat; & aliquem, licet ſupernaturali præmio inadæquatum & inſufficiẽtem, agnoſcunt bona opera aliundè accipere, nimirum à dignitate habitualis gratiæ, ab honeſtate objecti, &c.

Probatur: Opus bonũ hominis juſti habet ex ſe valorẽ æqualem & adæquatũ præmio ſupernaturali; & quãdo aliquid de tali valore deeſſet non poſſet ei cõferri ex promiſſione, ſeu ordinatione Dei extrinſeca: ergo ad meritũ condignum apud Deum non requiritur ex parte Dei, &c. conſequentia patet, antecedens conſtat duplici parte; & ſicuti quælibet eſt etiã ſeorſim efficax ad inferendũ intentũ, ità expedit utrãque ſeorſim cõprobare.

Probatur igitur prima pars antecedentis: Opus bonũ hominis juſti utpotè condignificatum & quaſi conveſtitũ gratia habituali, habet in ſe totum valorẽ gratiæ habitualis; ſed hæc habet valorẽ æqualem & adæquatum præmio ſupernaturali, nimirũ vitæ æternæ, & à fortiori cuicũque alij ſupernaturali dono: ergo opus bonum hominis juſti, &c. Minor probatur, quia gratia habitualis ex ſupradictis eſt forma omnium prima & perfectiſſima in ordine ſupernaturali; eſt ſemẽn vitæ æternæ, imò per modũ radicis & ſeminis eſt ipſamet vita æterna juxtà illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*; conſtituit in ſupremo gradu ſupernaturalitatis habitualis, ſicuti ex jam dictis vita æterna eſt in ſupremo ac ſũmo gradu ſupernaturalitatis actualis. Neque dicas, cũ his omnibus adhuc gratia habitualis per ſe ipſam non habet rationẽ meriti reſpectu vitæ æternæ: ergo neque poteſt talem rationem meriti in opera refundere. Contrà enim: adhuc gratia non habet per ſe ipſam rationem meriti aliundè, quàm ex defectu valoris, concedo; defectu valoris, ſeu æqualitatis cũ præmio, nego; ergo non poteſt rationẽ meriti in opera refundere quoad omnia ad meritũ requiſita, cõcedo, quoad æqualitatem, ſeu condignitatem valoris cum præmio, nego. Neque urgeas: præmium vitæ æternæ, utpotè quod importat poſſeſſionem ipſiuſmet Dei, eſt infinitum & valoris infiniti; non ſic habitualis gratia: ergo hæc cum illo non habet æqualitatẽ, ſeu condignitatem valoris. Contrà enim: Vita æterna, quamvis importet poſſeſſionem Dei infiniti, non importat poſſeſſionẽ Dei infinitã, ideò non eſt præmiũ infinitum, & quando permitteretur eſſe præmium infinitũ, adhuc gratia, quamvis non haberet cum ipſo æqualitatem commenſurationis aritmethicæ, haberet tamen æqualitatem proportionis geometricæ, quæ ſufficit ad meriti condignitatem. 29.

Gratia habitualis eſt æqualis valoris cum vita æterna & præmio quolibet ſupernaturali.

Probatur ſecunda antecedentis pars: Valor meriti in ordine ad præmium attenditur penes intrinſecam operis perfectionem ac dignitatem, hæc autem non poteſt conferri per promiſſionem extrinſecam; & ſicuti ex eo, quod quis promittat rem pretioſam pro re vili, valor intrinſecus rei vilis non augeſcit, 30.

Promiſſio extrinſeca nullũ addit valorẽ operi in ordine ad præmiũ.

nec

nec adæquat valorem rei pretioſæ; ità ſi opera noſtra reſpectu æternæ vitæ eſſent vilia & improportionata, non redderentur proportionata & æqualia ex eo, quod illis Deus vitam æternam promitteret, unde nec poſſet illis vitam æternam promittere per modum condignæ retributionis, ſed ſolùm per modum largitionis liberalis. Confirmatur: Bona opera antiquorum Patrum valoris ex ſe inſufficientis & inæqualis in ordine ad promerendam Incarnationem; actus item reconverſivi peccatoris in Deum valoris pariter inſufficientis & inæqualis in ordine ad promerendam peccati remiſſionem, non creſcunt in valore nec perveniunt ad meritum condignum illa Incarnationis, iſti remiſſionis peccati, ex eo quod Deus illis Incarnationem, iſtis remiſſionem peccati promiſerit: ergo ſi quid valoris deeſt in opere, non poteſt id conferri ex Dei promiſſione. Neque dicas in operibus ſanctorum Patrum & in actibus reconverſivis peccatoris deeſſe proportionem etiam inchoatam, cùm illa non ſint in eodem ordine cum Incarnatione, iſti non proveniant à perſona conſtituta in Dei

31. amicitia. Contrà enim; negari non poteſt proportio inchoata ubi reperitur meritum congruum ſicuti reperitur in operibus ſanctorum Patrum reſpectu Incarnationis; & in actibus reconverſivis contritionis, dilectionisve Dei ſuper omnia reſpectu remiſſionis peccati; Vnde defectus proportionis inchoatæ ad ſummum infirmat argumentum quo aliqui inferunt in Adverſariorum ſententia etiam actus bonos naturales, imò indifferentes, poſſe ex divina promiſſione acquirere valorem condignum præmio ſupernaturali.

32. Præcipuam hujuſce probationis vim Adverſarij conantur infringere paritate pecuniæ, cujus valor augetur ex voluntate extrinſeca Principis. Verùm paritatē non currere oſtenſum jam eſt ſuperiùs *n.* 16. Stet igitur promiſſionem Dei extrinſecam ad meritum condignum non requiri titulo augendi valorem noſtrorum operum, & ulteriùs procedamus inveſtigando, utrùm requiratur aliquo alio titulo; præſertim verò ut conſurgat in creatura jus exigendi & in Deo obligatio præbendi præmium; ex quo capite ad meriti condigni complementum exiſtimant requiri divinam promiſſionem. Sylvius *hic q.*114. *art.*2. *quæſito* 4. Ioannes à S. Thoma *diſp.*29. *art.*1. *n.*16. Gabriel à S. Vincentio *diſput.* 19. *q.*7. Suarez *lib.*12. *c.*17. Amicus *diſp.*35. *n.*55. Bellarminus *lib.*5. *de juſtificat.* c.14. cæterique Theologi magis communiter contrà Vaſquium *hic diſput.* 214. Turrianum *opuſcul.* 8. *diſput.* 1. *dub.*3. Gonetum *diſput.*2. *n.*58. Oviedum *controv.*4. *punct.*5. Madernum *q.*9. *art.*9 & quoſdam alios

33. In hoc diſſidio obſervat Oviedus multùm miſceri quæſtionis de nomine, ex eo quòd meritum, non eadem ratione ab omnibus accipiatur; & verè cum meritum ſit moralis cauſa præmij, ſicuti cauſa quælibet in ordine ad ſuos effectus habet diverſos ſtatus, & poteſt diverſimodè accipi; ità & meritum in ordine ad quod conſiderari poteſt, vel in actu primo remoto, & cum impedimento actus ſecundi, vel in actu primo proximo, ſed cum indifferentia ad actum ſecundum; vel in actu primo proximo habente connexionem neceſſariam cum actu ſecundo; vel in actu ſecundo & in actuali conjunctione cum effectu, id eſt cum præmio: Difficultas jam eſſe poteſt, utrùm ad veram rationem meriti ſufficiat, quòd reſpiciat præmium ut cauſa in actu primo proximo cum indifferentia ad actum ſecundum, id eſt ad actualem conjunctionem cum ipſo præmio, an inſuper requiratur, quod habeat cum tali actu ſecundo neceſſariam connexionē? exiſtimo non requiri; poteſt enim ſine tali connexione ſalvari vera ratio cauſæ, ut patet in cauſis liberis, poterit igitur ſine eadem ſalvari vera ratio meriti reluccentis in eo, quòd ſit vera moralis cauſa præmij; nec apparet ad quod aliud genus cauſæ, quam meritoriæ pertinere poſſit cauſalitas, quà opus propria dignitate & valore movendo alienam voluntatem inducit collationem alicujus boni, reſpectu cujus opus illud præhabeat indifferentiam, non neceſſariam connexionem. Hac obſervatione præmiſſa ſit

Meritū ſumitur quadrupliciter in ratione cauſæ.

34. Aſſert. 2. Ad meritum condignum apud Deum non requiritur ex parte Dei promiſſio, ſeu ordinatio extrinſeca tanquam ratio inducens debitum remunerandi. Hujus aſſerti, tùm propugnatores, tùm oppugnatores habentur *præced. n.*32.

Probatur: Sine eo debito remunerandi, quod poteſt induci ex Dei promiſſione, ſeu ordinatione extrinſeca, habetur perfectè & completè meritum condignum apud Deum: ergo ad meritum condignū apud Deum non requiritur, &c. conſequentia patet, antecedens probari ſolet triplici paritate; prima deſumpta ex operibus Chriſti, quibus nimia derogaretur, ipſis non concedendo rationem meriti condigni independenter ab extrinſeca Dei lege; ſecunda deſumpta ex noſtris operibus peccaminoſis, quæ nulla indigent ordinatione ad pœnam, ut veram habeant rationē demeriti; tertia deſumpta ex humanis; ubi poteſt unus apud alium benemereri abſque ulla alterius promiſſione, & qui Reipublicæ multum profuit conſuevit dici de Republica benemeritus, etiamſi nullam Reſpublica præmium ei promiſerit: Verùm hiſce paritatibus parùm fido, quia & ægrè poſſunt probari ipſarum aſſumpta ſi negentur, ut negantur magis communiter ab Adverſariis; & aſſumptis admiſſis facile eſt aſſignare diſcrimina eludentia vim illationum; ad primam enim paritatem fortè dici poſſet opera Chriſti; ut ſpecialiter dignificata per hypoſtaſim Verbi, non eſſe Deo debita, & ut talia fundare poſſe jus exigendi à Deo præmium, non ſic opera noſtra, quæ quomodocumque ſumantur pluribus titulis Deo debentur; ad ſecundam rectè diceretur demerentem conſtitui debitorem pœnæ, merentem conſtitui creditorem præmij apud alterum, rectè autem poteſt quis ſine alterius promiſſione & pacto conſtitui apud ipſum debitor potiùs, quàm creditor; ad

Meritū condignū apud Deum non requirit promiſſionem Dei extrinſecā.

Malè tamē id probatur aliquibus paritatibus.

tertiam diverſitas eſſe poſſet, quòd in humanis opera præſtita in utilitatem alterius poſſunt in ipſo inducere debitum gratitudinis, pro quo non requiritur ulla antecedens promiſſio, tale debitum nequit Deus contrahere, cui quidquid præſtamus pluribus titulis debemus, debitum autem gratitudinis non inducitur niſi in eo, cui præſtatur aliquid nullo titulo debitum; ſicque in merito apud homines potiùs, quã in merito apud Deum, poteſt abſque promiſſione extrinſeca induci debitum remunerandi. Hiſce igitur paritatibus prætermiſſis magis efficaciter, & magis directè

35. Probatur illud primum antecedens: Debitum remunerandi, quod poteſt induci ex promiſſione Dei extrinſeca, eſt debitum aut juſtitiæ in ſententia admittente Deum poſſe obligari creaturæ ex rigoroſa juſtitia, aut fidelitatis in ſententia non agnoſcente in Deo poſſibilem talem obligationem juxtà alibi à nobis tradita, ſed ſine debito remunerandi, aut ex juſtitia, aut ex fidelitate, habetur perfectè & completè meritum condignũ apud Deum: ergo ſine eo debito remunerandi, quod poteſt induci ex promiſſione, &c. Minor probatur ſine neceſſaria & infallibili connexione cum collatione præmij habetur perfectè & completè meritum condignum, quod *ex præced. n. 33.* nihil eſt aliud, quàm cauſa moralis in actu primo proximo potens cauſare præmij collationem, cauſa autem moralis ut ſit in actu primo proximo potens cauſare non requirit neceſſariam & infallibilem connexionẽ cum actu ſecundo, quemadmodum confirmari poteſt in opere impetratorio, quod ob eandem rationem habet perfectam & completam rationem impetratorij abſque neceſſaria & infallibili connexione cum re impetranda; atqui debitum remunerandi, aut ex juſtitia, aut ex fidelitate, non poteſt requiri ad meritum condignum apud Deum, niſi ad inducendam neceſſariam & infallibilem connexionem illius meriti cum collatione præmij à Deo facienda: ergo ſine debito remunerandi, aut ex juſtitia, aut ex fidelitate, &c.

Dices primò: Non eſt perfectum & completum meritũ ſine jure exigendi præmium, & ſine eo quod faciat præmium debitũ merenti, unde meritũ dici ſolet jus exigitivum præmij, & adulti exiſtentes in gratia dicuntur habere jus ad gloriam non ſolùm ut hæreditatem; verùm etiam ut mercedem, quod jus ad gloriam ut mercedem non correſpondet niſi operibus meritoriis; atqui jus exigendi præmium à Deo non poteſt eſſe ſine debito remunerandi ex parte Dei, & hoc debitum non poteſt eſſe aliud, quàm obligatio, aut ex juſtitia, aut ex fidelitate, adeoque quàm obligatio inducta ex promiſſione. Sed

36. *Quomodò meritum ſit jus ad præmium.* contrà: omnis aptitudo ſicuti eſt aliqua exigentia, ità eſt aliquod jus, cui correſpondet debitum latè acceptum, prout dici poteſt debitum alteri illud omne, quod ei proportionatum & conveniens eſt; in hoc ſenſu & non aliter meritum eſt jus, & præmium eſt debitum; merens habet jus exigendi, alter habet debitum retribuendi præmium; quia tamen hæc juris acceptio eſt minùs propria, minùs propriè loquuntur qui meritũ vocant ſimpliciter & abſolutè jus exigendi præmiũ; unde nos ad vitandam hanc loquendi improprietatem meritum ſuprà definivimus opus dignum retributione, non jus exigitivũ retributionis: Hinc ad inſtantiam in ſubjecta materia dicito jus exigendi præmium à Deo non poſſe eſſe ſine debito remunerandi ex parte Dei, ſervata tamen proportione adeò ut jus latè acceptum non poſſit eſſe ſine debito latè accepto, & jus ſtrictius non poſſit eſſe ſine debito ſtrictiore poſſit verò eſſe ſine debito ſtrictiore jus latè acceptum, & per conſequens jus noſtri meriti, quod eſt jus latius, poſſit eſſe ſine debito orto in Deo ex promiſſione, quod eſt debitum ſtrictius.

Vrgebis: ſi ad meritum ſufficeret jus latius modo mox explicato & mereri aliquod præmium apud alterum eſſet ſolùm exhibere alteri opus dignum & æquale tali præmio, ſimile jus ſufficeret pariter ad emptionem, & qui offerret alteri juſtum pretium pro equo v. g. diceretur equum ab altero emere, & jure emptionis facere ſibi debitum alienum equum, quod tamen eſt apud omnes falſum. Sed contrà: in omnium ſententia emptio dat jus magis ſtrictum, quam det meritum, & cum illa ſit contractus mutuus utique requirit utriuſque contrahentis, emptoris ſcilicet & venditoris, voluntatem; non valet igitur arguere ab emptione ad meritum, nec a merito ad emptionem. 37.

Dices ſecundò: de facto noſtris meritis debetur gloria & præmium æternum ex divina promiſſione: ergo quia hæc requiritur ad tribuendam noſtris operibus perfectam & completam rationem meriti, alioqui inanis eſſet & ſuperflua; antecedẽs probatur primò ex Scripturâ Iacobi 1. *Iuſtus accipiet coronã vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Heb. 6. *Imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promiſſiones.* Matth. 20. *Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno:* Secundò ex Tridentino *ſeſſ. 6. c. 16.* ubi vita æterna dicitur proponenda *tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis operibus & meritis fideliter reddenda:* Tertiò ex ſanctis Auguſtino & Thoma, nam ſanctus Auguſtinus *ſerm. 16. de verbis Apoſtoli* ait de Deo *Debitor factus eſt non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod placuerit promittendo,* ſanctus Thomas *hic q. 114. art. 1. in c.* ait *Meritum hominis apud Deum eſſe non poteſt, niſi ſecundùm præſuppoſitionem divinæ ordinationis.* Sed contrà: exiſtimare aliquis poſſet omnes relatas auctoritates rectè intelligi de promiſſione gratiæ intrinſeca ac indiſtincta à voluntate conferendi gratiã: Verùm, licèt de tali promiſſione procedant verba ex D. Thoma relata, quibus immediatè ſubdit ipſemet S. Doctor *ità ſcilicet ut id homo conſequatur à Deo per ſuam operationẽ quaſi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit,* quod eſt idem ac dicere, ad quod Deus ei gratiam dedit; licèt inquàm verba D. Thomæ de promiſſione intrinſeca 38.

proce

De facto datur promiſſio Dei extrinſeca de remunerandis noſtris meritis.

procedant, non ſic eidem promiſſioni quadrant reliqua teſtimonia; & concedendum omninò eſt Deum de facto eſſe ex pacto & promiſſione extrinſeca obſtrictum ad retribuendam gloriam bonis operibus ex gratia procedentibus: at aliud eſt dari in Deo extrinſecam præmij promiſſionem & debitum ex promiſſione ortum, aliud talem promiſſionem & tale debitum requiri ad conſtituendam, aut ſaltem complendam rationem meriti in noſtris operibus. Unde

39. Ad inſtantiam diſtinguo antecedens, de facto noſtris meritis debetur gloria & præmium æternum ex divina promiſſione etiam, concedo; tantùm, nego; vel jure fidelitatis & ſtricto, concedo; jure meriti & lato, quod Vaſquez appellat jus ſtudioſæ actionis, nego; dico enim de facto eſſe debitam noſtris meritis gloriam & eſſe debitam innegabiliter; quod ſit debita habetur ex pura ratione meriti, quod ſit debita innegabiliter & ex fidelitate habetur ex ratione promiſſionis; quâ præciſa adhuc gloria eſſet debita, negabiliter tamen & cum aliqua indifferentia, at eſſe hoc modo debitum ſufficit ad completam rationem meriti.

Dices tertiò: ex ſupradictis quòd bonæ operationes ſupernaturales & liberæ extrà ſtatum viæ non habeant rationẽ meriti provenit ex ordinatione & voluntate extrinſeca Dei; ergo ex ordinatione pariter & voluntate extrinſeca provenit, quòd eædem operationes habeant rationem meriti in via, nec certè videtur poſſe ſine inconſequentia dici, quod ad meritum nulla requiratur ordinatio extrinſeca, & quod extrà viam deſit

40. meritum defectu ordinationis extrinſecæ. Sed contra: ordinatio ad præmium alia eſt poſitiva, quâ Deus ſtatuit aut promittit præmiare, & hujus poſitio non requiritur ad meritum, ejuſdemque defectus meritum non impedit; alia eſt negativa, quâ Deus ſtatuit & manifeſtat ſe nolle præmiare, & ratione hujus ordinationis extrinſecæ bona opera extrà viam non habent rationem meriti, quia ſe habent ut cauſa in actu primo remoto & cum impedimento perpetuo actus ſecundi, quod non eſt retinere ſimpliciter & abſolutè rationem cauſæ, ut ſuprà obſervavimus *numer.* 33. Ad inſtantiam igitur concedo antecedens intellectum de ordinatione negativa, nego ſi intelligatur de ordinatione poſitivâ, & nego pariter conſequentiam, quæ de ordinatione poſitiva procedit. Ad illud quod additur dico nos non docere deeſſe extrà viã meritum defectu ordinationis extrinſecæ; imò docemus deeſſe ex vi talis ordinationis ſed negativæ; & aliud eſt non ordinari ad præmium; aliud ordinari ad non præmium; hoc, non illud, eſt contrà rationem meriti. Neque exiſtimes videri poſſe iniquam ordinationem, quâ Deus ſtatuat non præmiare bona opera quantùm eſt de ſe præmio digna. Contrà enim: ad ſummum objici poſſet aliqua ordinationis iniquæ exiſtimatio, ſi opera quantùm eſt de ſe præmio digna non eſſent Deo aliis titulis debita, qua propter facilè admitterem iniquam fore legem, quâ

Meritum extrà viam non deficit ex non ordinatione ad præmiũ, ſed ex ordinatione ad nõ præmium.

Princeps creatus decerneret nullo præmio afficere obſequia ſibi præſtita, ex quibus plura eſſe ſolent nullo titulo debita.

Dices quartò: Noſtra bona opera, quamvis procedentia ex gratia non ſunt apud Deum meritoria ab intrinſeco & ex natura ſua; ergo ſunt talia ſolùm ex pacto & ordinatione extrinſeca, antecedens probatur, quia inter damnatas Baij propoſitiones ſecunda ità habebat: *Sicut opus malum ex ſua natura eſt mortis æternæ meritorium, ſic opus bonum ex ſua natura eſt vitæ æternæ meritorium*, quemadmodum refertur Bellarminus *lib. 5. de juſtificat. cap.* 14. & Herincx *diſp.* 6. *quæſt.* 3. *num.* 41. Sed contrà: diſtinguo antecedens, non ſunt meritoria ab intrinſeco & ex natura ſua, adeò ut non excludant de facto extrinſecam Dei promiſſionem, concedo; adeò ut omninò indigeant extrinſeca promiſſione nec poſſint ipſam excludere, nego antecedens, & conſequentiam: Quando deindè antecedens abſolutè concederetur, nihil ei officeret propoſitionis Bajanæ damnatio, quâ damnatur in opere bono non abſolute eſſe meritorium ex natura ſua; ſed comparatio ipſius cum opere malo in tali eſſe meritorio, quæ cõparatio deficit præſertim in eo, quod opus bonum non eſt meritorium ex natura ſua vitæ æternæ ut procedens ex ſolis naturæ viribus; ſicuti ut ex iſtis ſolis procedens eſt mortis æternæ ex natura ſua meritorium opus malum, in quo ſenſu procedebat comparatio in Bajo damnata, ut colligitur tùm ex alia propoſitione ejuſdem Baij relata à Bellarmino *præcit. cap.* 14. tùm ex eo, quod ipſe ex ſupradictis *num.* 26. negabat neceſſitatem habitualis gratiæ ad condignè merendum apud Deum. 41.

Quomodo ex naturâ ſuâ opus bonum nõ ſit meritorium vitæ, ſicut opus malum mortis.

Ex dictis habetur retributionem meritorum, quæ de facto eſt in Deo actus tùm juſtitiæ remunerativæ quatenùs ſervat æqualitatem præmij cum merito, tùm fidelitatis quatenùs implet pactum promiſſionemvè præmiandi; fore actum juſtitiæ remunerativæ tantùm, non fidelitatis, ſi pactum & promiſſio præmiandi ex parte Dei non præceſſiſſet; nam abſque pacto & promiſſione, ſicuti noſtra opera adhuc eſſent verè merita, ità gloria adhuc eſſet verè præmium, & gloriæ collatio adhuc eſſet vera remuneratio, ſeu verus actus remunerativæ juſtitiæ; conformiter autem ad ſupradicta *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. de non admittenda in Deo particulari & ſtricta juſtitia, intelligo nomine juſtitiæ remunerativæ ſpeciem quamdam juſtitiæ generalis providentialis ſeu gubernativæ, quæ diverſa ſit à juſtitia particulari & rigoroſa ſivè commutativa ſivè diſtributiva eo proportionaliter modo, quo *præcit. cap.* 10. §. 6. ab eadem particulari juſtitia ponebatur diverſa, & Deo concedenda, juſtitia vindicativa ſeu punitiva. 42.

Retributio meritorum qualis actus ſit in Deo.

§. IV.

An, quæ, & quanta libertas requiratur ex parte operis ad meritum condignum apud Deum?

43\. Libertas requiſita ad meritũ debet eſſe à neceſſitate, non duntaxat à coactione.

43\. ASSERT. I. Ad meritum condignum apud Deum requiritur ex parte operis libertas, non ſolùm à coactione, ſeu ſpontaneitas; verùm etiam à neceſſitate, ſeu indifferentia; hocque non ſolùm de potentia ordinaria, verùm etiam de potentia abſoluta: Prima pars eſt de fide præſertim poſt ab Innocentio X. damnatas quinque propoſitiones Ianſenianas inter quas tertia ità habet *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate ſed ſufficit libertas a coactione*: Secunda pars communiſſimè traditur à Theologis aut potiùs ſupponitur, licèt ſit contrà Holcot *in 1. diſt.* 17. Aliacenſem *ead. diſt.* Gabrielem *in 3. diſt.* 18. Majorem & Almainum *ead. diſt.* alioſque nonnullos Nominales.

Probatur prima pars primò ex Conſtitutione Innocentij X. jam memorati; & ex pluribus teſtimonijs, tùm Scripturæ, tùm multo magis Sanctorum Patrum perſpicuè negantium omne meritum, ubi non eſt in utramque partem libertas: & D. Thomas *quæſt.6. de malo art. unic. in c.* id tanquam adeò certum ſuppoſuit, ut poſtquam meminit quorundam ponentium in humana voluntate ſolam libertatem à coactione ità habeat: *Hæc opinio eſt hæretica tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus*. Pro reliquis auctoritatibus videri poteſt Bellarminus *lib.5. de iuſtificat. cap.* 10.

Probatur ſecundo ratione, quia meritum importat moralitatem & laudabilitatem, moralitas autem & laudabilitas non dantur ſine indifferentiæ libertate; cum ſoli actus liberè eliciti ſint in genere moris, & ea ſolùm, quæ poſſunt aut non fieri aut aliter fieri, ſint objectum laudis. Confirmatur: nemo meretur per id, cujus non eſt Dominus; meremur enim ſubjiciendo aliquid alteri, nec poſſumus jure ſubjicere niſi ea, quorum ſumus Domini, Dominium autem importat libertatem indifferentiæ, quia importat poſſe diſponere de re pro libito, & ut tradi ſolet proprio loco, ſoli actus liberi ſunt propriè humani, quia ſoli actus liberi ſunt ſub hominis Dominio: Tandem vulgatum illud Ariſtotelis 3. Ethic. cap.5. *Naturalibus neque meremur neque demeremur*, non aliundè traxit originem, quàm ex eo quòd circà naturalia caremus Dominio & libertate indifferentiæ.

44\. Idque etiã in ordine ad potentiam abſolutam.

44\. Probatur ſecunda pars: quia rationes mox adductæ non fundantur in aliqua ordinatione extrinſeca, ſed in eſſentiis & principiis intrinſecis rerum; adeoque militant etiam de potentia abſoluta; auctoritates item præmemoratæ, utpotè valdè univerſales & abſolutæ, non ſunt ſine gravi neceſſitate limitandæ ad potentiam ordinariam. Neque dicas Chriſtum meruiſſe etiam in materia præcepta, in quâ tamen utpotè impeccabilis non aliam habebat libertatem, quàm à coactione; poterit igitur & aliqua pura creatura de potentia ſaltem abſolutâ mereri cum ſola libertate à coactione. Contrà enim: quomodo in Chriſto concilientur impeccabilitas, meritum, & libertas eſt ſpecialis difficultas diſcutienda *in tract. de Incarnat.* interim ſupponendum ipſum ea ratione, quâ meruit, habuiſſe libertatem à neceſſitate. Neque dicas inſuper actus liberos à coactione tantum, non à neceſſitate, dummodò habeant, ut verè habere poſſunt, bonitatem ac ſupernaturalitatem poſſe eſſe meritorios; ſi minùs ex ſe; ſaltem ex divina acceptatione ſupplente quodammodo id quod ipſis tribueret libertas à neceſſitate; & ſicuti de facto Deus acceptavit ad Martyrij coronam mortem Innocentium puerorum, neceſſariam illis non liberam ne quidem libertate à coactione; ità à fortiori acceptare poterit ad præmium operationem aliquam à coactione liberam, licèt non à neceſſitate. Contrà enim: falſum eſt 45.
actus tantùm à coactione liberos poſſe habere bonitatem, ſi ſermo ſit de bonitate morali, quæ ſola eſt ſufficiens ad meritum; falſum eſt inſuper aut ex divina acceptatione ſuppleri poſſe id, quod tribueret libertas, aut Deum acceptare poſſe ad præmium operationem aliundè non meritoriam, ratio primi eſt, quia nequit ab extrinſeco ſuppleri id, quod requiritur ab intrinſeco & ex natura rei; ratio ſecundi, quia præmium eſt eſſentialiter correlativum ad meritum, & hoc ſolùm poteſt ad illud acceptari: Nec refert, quod Deus poſſit aliquid promittere etiam pro operatione non libera; enimverò hoc quod promitteretur eſſet donum, non præmium; & ad ipſum operatio non libera ſe haberet ut conditio, non ut meritum: Quoad pueros Innocentes dico ipſorum mortem non fuiſſe meritoriam, ipſos verò dici acceptatos ad martyrij coronam, quatenùs ex ſpeciali privilegio conſecuti ſunt gloriam, quam martyres conſequuntur, & quæ reſpectu iſtorum eſt propriè corona & ex meritis, non ſic reſpectu illorum.

Sancti Innocentes quomodo ſine morte meritoriâ fuerint acceptati ad martyrij coronam.

Aſſert. 2. Libertas ex parte operis requiſita ad meritum condignum apud Deum debet eſſe plena & perfecta, nec ſufficit imperfecta & ſemiplena, præſertim proveniens ex defectu plenæ advertentiæ. Ità Suarez *hic lib.12. cap.13. num.3.* Oviedus *controv. 2. punct.1. n.6.* & alij plures Recentiores

Dixi *præſertim proveniens ex defectu plenæ advertentiæ*, quia quando imperfectio libertatis in actu honeſto provenit ex vehementi inclinatione ad honeſtatem ratione diuturnæ conſuetudinis, vel intenſi habitus, circà actus honeſtos, aliqui diverſimodè ſentiunt, ac ſentiant quando illa provenit ex defectu plenæ advertentiæ ſeu perfectæ cognitionis; & contendunt actum bonum, qui ratione conſuetudinis, vel habitus vehementer ad ipſum inclinantis, eliciatur cum libertate imperfecta, 46.

imperfecta, eſſe æquè meritorium, ac ſi cum libertate perfectâ eliceretur, hocque ne bona conſuetudo & bonus habitus vergant in detrimentum operantis, propter ſpecialem hanc rationem dubitandi appoſui ly *præſertim, proveniens*, &c. cæterùm non intendo re ipſa limitare aſſertum, cujus probationes mox afferendæ de qualibet libertate ſemiplena, undecumque talis ſit, procedunt.

47. Probatur: Libertas ſemiplena in actu pravo non eſt ſufficiens ad condignè merendam æternam mortem; ergo neque in actu bono ad condignè merendam æternam vitam, ſeu ad meritum condignum apud Deum, cujus nomine venit in præſenti ſolum meritum præmij ſupernaturalis & ad æternam vitam per ſe conducentis; antecedens patet; quia condignitas æternæ mortis reperitur in ſolo peccato lethali, ad quod committendum libertas ſemiplena non ſufficit; & licèt nonnulli velint peccata commiſſa cum imperfecta deliberatione proveniente ex pravo habitu, quo modo ſæpè proferuntur blaſphemiæ & juramenta; poſſe habere malitiam lethalem & tantam, quantam haberent cum deliberatione perfecta; nihilominùs hæc exiſtimatio vel rejicienda eſt ut omninò falſa, vel ipſius Auctores intelligendi ſunt malitiam lethalem reducere; non ad actum ipſum imperfectè deliberatum, ſed in affectum perfectè liberum de pravo habitu retinendo, aut non abjiciendo: Probatur conſequentia; quia cum ex genere ſuo plura requirantur ad meritum bonum, quàm ad meritum malum; debet etiam aut major; aut eadem ſaltem libertas ad illud, ac ad iſtud requiri. Confirmatur: Actus, qui cum perfecta libertate elicitus eſſet de congruo meritorius gratiæ, per hoc præcisè, quod eliciatur cum libertate imperfecta, de congruo meritorius non eſt; ergo actus, qui cum perfecta libertate eſſet gratiæ meritorius de cōdigno; cum libertate imperfecta meritorius de condigno non eſt; & per conſequens ad merendam gratiam de condigno libertas imperfecta & ſemiplena non ſufficit; conſequentia patet; quia meritum condignum nequit eſſe contentum minori libertate, quàm congruum; antecedens probatur, quia actus, qui in peccatore eſt ultima diſpoſitio ad gratiam; & per quem ſolùm habetur meritum congruum gratiæ, nequit ad hanc eſſe ultima diſpoſitio & per conſequens nec meritum congruum, ſi eliciatur cum libertate imperfecta; rectè enim obſervat Oviedus *præcit. punct. 1. num. 5.* tutum non fore aſſerere peccatorem adultum poſſe de facto juſtificari ſinè proprio actu perfecto libero; cum Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 5.* verbis illis *ut qui per peccata à Deo averſi erant*, &c. *eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando; diſponantur*, omninò inſinuet converſionem & diſpoſitionem peccatoris ad gratiam debere poni liberè libertate ejuſdem rationis cum ea, quâ fuerat à Deo averſus, avertitur autem homo à Deo ſola libertate plena & perfecta, ut jam tetigimus.

Libertas ſemiplena nō ſufficit in juſto ad meritum condignum gloriæ.

Nec in peccatore ad meritum congruum primæ gratiæ.

Dubitatur hic: Vtrùm libertas ſemiplena ſufficiat ſaltem ad merendum condignè apud Deum præmium aliquod temporale? adeò ut in juſto opus quod cum plena libertate fuiſſet meritum condignum præmij æterni; cum libertate ſemiplena remaneat meritum condignum præmij temporalis; ſicuti peccatum ex objecto grave, quod fit cum plena libertate eſt lethale & habet condignitatem ad pœnam æternam, cum libertate ſemiplena eſt veniale & habet condignitatem ad pœnam temporalem. Vrget paritas & licèt ex eo, quod plus in univerſum requiratur ad meritum, quàm ad demeritum, negari utcumque poſſit illatio à ſufficientia libertatis ſemiplenæ pro cōdigno merito pœnæ temporalis ad ſufficientiam ejuſdem pro condigno merito temporalis præmij, & inſuper Oviedus *num. 8.* nitatur pro re præſenti afferre aliquod ſpeciale diſcrimen; nihilominùs quia ex una parte per nos meritum condignum non inducit obligationem ex genere ſuo adeò gravem & ſtrictam, ut Oviedus ſupponit, cum poſſit illud ſalvari cum indifferentia aliqua ad præmium; ex alia verò parte nihil cogit denegare omne prorsùs meritum condignum actibus imperfectè liberis, allata paritate vehementer moveor & impellor ad proponendum in affirmativam ad dubium reſponſionem. 48.

Ad ſummū ſufficit in juſto ad meritum condignum præmij temporalis.

Aſſert. 3. Libertas ex parte operis requiſita ad meritum condignum apud Deum debet eſſe libertas voluntatis propriæ formaliter; nec ſufficit voluntatis alienæ, in quam propria ſit tranſlata & quaſi depoſita moraliter: Hoc aſſertum, quamvis ſub propriis terminis tradatur à paucioribus, videtur tamen ferè ab omnibus ſupponi, & Oviedus *hic controv. 2. punct. 2. num. 17.* merito condigno provenienti à voluntate formaliter aliena & dumtaxat moraliter propria ità innuit favere nonnullos doctos Recentiores, ut ſimul addat tale meritum eſſe novum & inauditum inter Theologos.

Probatur: Per actum liberum elicitum phyſicè ab alio, à ſe verò ſolùm moraliter, non poteſt quis apud Deum, condignè mereri; ergo libertas ex parte operis requiſita ad meritum condignum, &c. conſequentia patet, quia mereri per libertatem voluntatis alienæ; in quam propria ſit tranſlata, nihil eſt aliud quàm mereri per actum liberum, qui ità ſit alienus phyſicè; ut ſit proprius moraliter; ſicuti nos peccaſſe per libertatem voluntatis Adæ nihil eſt aliud; quàm peccatum fuiſſe actum Adami phyſicè, noſtrum moraliter, & ab illo phyſicè; à nobis moraliter elicitum; antecedens probatur, talis actus etiamſi ſupponatur habere conſtitutum in gratia tùm principium eliciens phyſicè; tùm principium eliciens moraliter, adhuc tamen reſpectu illius, à quo moraliter tantùm eliceretur, non reciperet ab habituali gratia valorem condignum; non enim hujuſmodi valorem reciperet à gratia habituali principij phyſici, quia dignitas principij phyſici prodeſt actui ſolùm relatè ad ipſum principium phyſicum, 49.

Actus liber ſolū moraliter ſeu in alio tanquā in capite morali non eſt condignè meritorius apud Deum.

non

non relatè ad principium morale, alioqui non conſtitutus in gratia per actum moraliter à ſe, phyſicè à principio in gratia conſtituto elicitum, condignè mereretur, & meritum quod habere non poſſet per actum à ſe provenientem phyſicè, poſſet habere per actum à ſe provenientem ſolùm moraliter: Non item valorem illum reciperet à gratia habituali principij moralis, quia actus non recipit cæteris paribus à principio morali tantam æſtimabilitatem & tantum valorem, quantum recipit à principio phyſico; dignitas enim principij moralis eſt actui extrinſeca, ſicuti eſt eidem actui extrinſecum ipſum principium morale; atqui actus à principio phyſico in gratia conſtituto recipit valorem præcisè condignum, non condigno majorem; ergo à principio morali licèt in gratia conſtituto recipere dumtaxat poteſt
50. valorem non condignum, ſed condigno minorem. Confirmatur: Si voluntas puri hominis eſſet tranſlata in voluntatem Chriſti, adhuc actus Chriſti non eſſent ex dignitate Chriſti infiniti valoris reſpectu talis hominis, à quo elicerentur moraliter; nec ſi voluntas Chriſti eſſet tranſlata in voluntatem puri hominis, actus hujus hominis reſpectu Chriſti, quem haberent pro principio morali, eſſent infiniti valoris aut tanti, quanti fuerunt actus qui de facto Chriſtum habuerunt pro principio phyſico; ergo actus Chriſti relatè ad principium à quo moraliter ſolum eliciantur ex nullo capite habent tantum valorem, quantum relatè ad principium à quo eliciantur phyſicè, ergo ſimiliter actus hominis in gratia conſtituti relatè ad principium morale ex nullo capite habere poſſunt eam condignitatem, quam habent relatè ad principium phyſicum, & actus phyſicè alieni, moraliter proprij, utpotè qui relati ad principium phyſicum non excedunt condignitatem meriti apud Deum, relati ad principium morale neceſſe eſt, quod talem condignitatem non attingant.

Dices juxtà allatam probationem non in defectum libertatis, ſed in defectum dignitatis ſeu valoris moralis, refundi rationem formalem & proximam, ob quam non eſt
51. condignè apud Deum meritorius actus liber ſola libertate voluntatis alienæ. Sed contrà: non tenemur quidquam ampliùs probare pro intento aſſerti, quo concludimus libertatem voluntatis alienæ eſſe inſufficientem ad meritum condignum; at non addimus talem inſufficientiam provenire ex imperfectione illius libertatis, imò libenter concedimus provenire aliundè, hinc enim deindè facile eſt aſſignare cur per actum malum ſolùm moraliter proprium poſſemus, ut patet in culpâ originali, condignè mereri æternam pœnam, non ſic proportionaliter per actum bonum æternum præmium; cum tamen non major libertas videatur requiri ad condignitatem æterni præmij, quàm ad condignitatem æternæ pœnæ; facilè, inquam, eſt aſſignare pro ratione defectum dignificationis actus, quæ ſolùm ad meritum præmij, non ad meritum pœnæ requiritur, & dato, quod cæteris paribus non major libertas requiratur ad præmium, quàm ad pœnam, libertas ſufficiens ad pœnam, poteſt eſſe inſufficiens ad præmium; ſi illa ex ſua propria conditione nequeat conjungi cum aliquo, quod ad præmium requiratur, non ad pœnam.

Circà libertatem requiſitam ad meritum apud Deum nonnulla alia poſſent examinari, duo verò potiſſimum: Primum eſt, utrum ad tale meritum ſufficiat libertas inter extrema omninò æqualia? adeò ut neceſſitatus ad eliciendum unum ex duobus actibus omninò æqualibus mereatur eligendo & eliciendo hunc præ illo: Secundum eſt, utrum ad idem meritum ſufficiat libertas mediata & remota? adeò ut meritorius ſit actus imperatus, qui nullam habet libertatem immediatam & proximam ratione ſui, ſed præcisè mediatam & remotam ratione actus imperantis. Primum dubium negativa, ſecundum affirmativa ſolet reſponſione reſolvi, quia tamen in neutro occurrit quidquam alicujus momenti pertinens ad meritum apud Deum, magis quam ad communem rationem meriti, neutrum hic ſigillatim expendo; & pro primo videri poſſunt Puente Hurtado *diſp. 26. de Incarn. §. 89. & 99.* Lugo *ibid. diſp. 26. ſect. 10. num. 137.* Eſparza *lib. 3. de act. hum. quæſt. 19.* Oviedus *hic controv. 2. punct. 4. &c.* pro ſecundo attingetur aliquid *cap. ſeq. §. 6.* dum ſtatuetur, utrùm actio externa, ſeu executio operis conducat ad majus meritum. 52.

---

§. V.

An, & qua bonitas requiratur ex parte operis ad meritum apud Deum, utrùm undequaque honeſta, utrùm ſupernaturalis?

ASSERT. 5. Certum eſt ex parte operis requiri ad meritum apud Deum bonitatem moralem & honeſtam: Eſt aſſertum communiſſimum, & 53.

Probatur facilè, quia meritum ex genere ſuo importat moralem valorem, moralemvè dignitatem, importat igitur moralem bonitatem, quæ cum nequeat reſpectu Dei nullam ex rebus creatis utilitatem percipientis eſſe æſtimabilis & digna, quâ utilis, neceſſe eſt quod ſit talis præcisè, quâ honeſta; ergo certum eſt ex parte operis requiri, &c. Confirmatur ex eo quod, apud Deum præſertim, qui eſt legitimus rerum omnium æſtimator nec poteſt, aut ex errore intellectus, aut ex defectu voluntatis, in aliquo non honeſto ſibi complacere, opus malum & honeſtati oppoſitum eſt pœna dignum, non præmio, opus in individuo indifferens ſi admittatur ſicuti, quia caret malitia non meretur pœnam, ità quia caret bonitate non meretur præmium; ſupereſt igitur quòd meritorium ſit ac præmio dignum ſolum opus habens moralem & honeſtam bonitatem.

Ad meritū, præſertim apud Deū, requiritur bonitas moralis ac honeſta.

Difficultas

Difficultas iam eſt : Vtrùm opus meritorium debeat eſſe bonum ſpecificativè, adæquatè, & ſub omni ratione; an verò ſufficiat quod bonum ſit reduplicativè & quâ meritorium? adeò ut licèt nequeat eſſe meritorium ſub ratione mali, poſſit ſimul eſſe ſub ratione boni meritorium, ſub ratione mali demeritorium,in qua difficultate.

Poteſt quis apud Deum ſimul mereri præmiû æternum & pœnam temporalé.

54. Adverto in primis aliud eſſe, quòd idem homo mereatur ſimul & demereatur; aliud quod idem actus meritorius ſimul ſit & demeritorius; primum optimè poteſt ſine ſecundo evenire, quatenùs poteſt quis ſimul elicere plures actus quorum unus ſit undequaque bonus, meritòrius, ac reddens merentem; alter undequaque malus,demeritorius,ac reddens demerentem; & licèt meritû æternæ vitæ neque etiam per diverſos actus poſſet in eodem ſubjecto componi cum demerito æternæ mortis, nihil tamen prohibet illud componi cum demerito pœnæ temporalis,& de facto juſtus, qui eliciendo, v.g. ſupernaturalem actum fidei,haberet aliundè effectum ad culpam aliquam venialem; et illum actû mereretur de condigno argumêtum gratiæ & ſimul per iſtum affectum demereretur pœnam temporalé;item peccator, qui eum inani gloria materialiter ac concomitanter ie habête, ſuſcipit pœnitentiæ Sacramentum, per inanem gloriam condignè demeretur pœnam têporalem, & unâ ſimul per actum, quo ſe ultimò diſponit ad juſtificationem, meretur de congruo gratiam.

55. Adverto inſuper Auctores admittentes eumdem actum etiam ſupernaturalem poſſe ſimul eſſe bonum & malum;bonum quidem bonitate intrinſecâ,malum malitiâ extrinſecâ, valdè conſequenter admittere eumdem actum etiam apud Deû poſſe ſimul eſſe meritorium,& demeritorium; meritorium quidem ratione bonitatis intrinſecæ, demeritorium ratione malitiæ extrinſecæ; & certè quidquid in contrarium ſentiat Suar. *hic lib.* 12.*c.*4.*n.* 10. & Lorca *diſp.* 18. non apparet major repugnantia in actu ſimul meritorio & demeritorio,quàm in actu ſimul bono & malo,& malitia, quæ afficiendo actû poteſt nô impedire bonitatem,& relinquere omnes conditiones requiſitas ad hoc ut actus ſit proptiè ac ſtrictè bonus etiam in ordine ſupernaturali; poterit pariter non impedire meritum, & relinquere omnes conditiones requiſitas ad hoc ut actus ſit meritorius præmij etiam ſupernaturalis, undè reipſa Ripald. *de ente supernat. diſp.* 50.*ſect.*7. Martin. *hic q.* 114 *art.*1.*dub.*3. Madern. *q.* 9.*a.* 8. Ovied. *contr.*3.*punct.*6. & ferè quicumq; alij affirmantes eumdem actum poſſe ſimul eſſe bonum & malum non renuunt fateri poſſe ſimul eſſe meritorium & demeritoriû; ſicuti è contrà nequeunt hoc aſtruere, qui illud negant;negant autem Valent. 1.2.*diſt.* 5.*q.*1.*punct.*2. Vaſq. 1.2.*diſt.*53.*c.*4. & *diſp.* 54.*c.*3. Suar. *de fid diſp.*6.*ſect.*7. Pallavicin. 1.2.*diſp.*6.*q* 2. *art.*10. Eſparza *lib.*3. *de act. hum. q.*28. Bannez 2.2.*q.*4.*a.*5.*dub.*2.& alij plures.

56. His animadverſis ad difficultatem dico breviter eius ſolutionem pendere ab eo, quòd actus ſupernaturalis bonus ex fine intrinſeco poſſit nec ne eſſe malus ex fine extrinſeco, & propriâ bonitate ac ſupernaturalitate retentâ elici ex vi & ex motione actus imperantis pravi? in quo ſicuti *ex tr. ſeq. lib.* 1.*cap.*5.§.4. Suppono eſſe negativè ſentiendum, ità & negativè occurrendo præſenti difficultati exiſtimo actum meritorium apud Deum non poſſe non eſſe adæquatè bonum, & repugnare quod in ſe côponat duas rationes, ſub quarum altera meritorius, ſub altera demeritorius ſit.

At nô uno eodemque actu.

57. Aſſert. 2. Certum eſt ex parte operis requiri ad meritum apud Deum bonitatem ſupernaturalem. Eſt dogma fidei contrà errorem Pelagianorum,& Semipelagianorum, volentium poſſe nos per proprias naturæ vires, omnique ſupernaturalitate circumſcriptâ operari meritoriè & ut oportet ad ſalutem,aut ſaltem ad initium ſalutis; & quidem Pelagiani ſupponuntur locuti de merito condigno,quoad Semipelagianos controvertitur de quonam merito,condigno ne an congruo loquerentur? & controverſia reddit ſuſpectam & hiſce temporibus non immunem à cenſura opinionem quorumdam Catholicorum antiquorum apud Ripaldam *tom.* 1. *de ente ſupernaturali diſp* 17. qui admiſere actum elicitum ſolis naturæ viribus, adeoque purè naturalem, poſſe eſſe de congruo meritorium apud Deum.

Ad meritû apud Deû requiritur ex parte operis ſupernaturalitas.

Probatur ex Tridentino *ſeſſ.*6.*c.*16.*&* 16. item *can* 26. *&* 32. quibus in locis opera meritoria ſeu merita noſtra in ordine ad ſalutem dicuntur eſſe facta in Deo, eſſe dona Dei,eſſe per Dei gratiam,non eſſe ſine virtute quam jugiter Chriſtus influit tamquàm caput in membra & vitis in palmites: Quæ omnia ſicut & plura ſparſim dicta *praced. lib.*2. de neceſſitate ſupernaturalis auxilij ad opera ſalutaria, quod eſt idem ac dicere apud Deum meritoria omninò evincunt meritum apud Deum ſeu meritum præmij ſupernaturalis requirere ex parte operis ſupernaturalitatem,bonitatemvè ſupernaturalem,pro quo inſuper præſto eſt efficax ratio, meritum enim ad præmium ſe habet, tùm ut medium ad finem, tùm ut cauſa efficiens ad effectum,tùm aliquando ut diſpoſitio ultima ad formam; atqui medium cum fine, cauſa efficiens cum effectu, diſpoſitio ultima cum formâ debet habere proportionem & eſſe in eodem ordine: nec tale eſſe poteſt meritum præmij Supernaturalis, niſi & ipſum ſupernaturale ſit; ergò: Militat tota hæc probatio etiam pro merito congruo, habet tamen majorem aliquam vim pro condigno, ut potè quod exigit habere cum præmio non proportionem quamcumque, ſed æqualitatem.

58. Varij modi explicandi talem ſupernaturalitatem.

Sic univerſaliter ſtabilita neceſſitate ſupernaturalitatis in merito ſupernaturalis præmij remanet ſtabiliendum, utrùm talis ſupernaturalitas debeat eſſe intrinſeca, qualis eſt quæ convenit actibus virtutum per ſe infuſarum; an ſufficiat extrinſeca, quæ reperiri poteſt in actibus virtum moralium aquiſitarum per hoc quod vel fiant ex imperio ſupernaturali alicujus virtutis

 inſuſæ

infuſæ præſertim charitatis, vel etiam præcisè eliciātur ab homine juſto & elevato per gratiam ad eſſe ſupernaturale? & quidem primo modo actus virtutum moralium acquiſitarum poſſe eſſe meritorios merito denominativo, extrinſeco, & indiſtincto à merito actus ſupernaturalis imperantis, certum & incontroverſum eſt; an verò meritorij eſſe poſſint etiam merito intrinſeco, & diverſo à merito ſupernaturalis imperij? affirmant Suarez *hic l.12.c.11.* & à fortiori quicumq; in illis actibus, ut meritorij ſint, non prærequirūt ſupernaturale imperium, ſed volunt ſufficere, quod habeant ex parte ſubjecti concomitantiam gratiæ cæterorumq; habituum ſupernaturalium, ut latè defendit Grabriel à S. Vincentio *diſp.21.q.3.* pro ſe referens Sotum *l.3. de natura & gratia c.4.* Capreolum *in 2.diſt. 40.q.1.a.2.conc.3.&c.* vel quod procedant ex ſpeciali auxilio naturali quidē quoad ſubſtantiam, ſupernaturali tamen quoad modū, quatenùs ſit collatum per Chriſtum, quâ ratione in actibus naturalibus virtutū moralium agnoſcunt independenter à ſupernaturali imperio merit[illegible] ſupernaturalis præmij Vaſq. *diſp.217.c.2.&* 190.*c.18.* Meratius *diſp.14. ſect.4.* Amicus *diſp.35.num.100.&c.* Contrà hos dicendi modos ſit

59. Aſſert.3. Actus naturales virtutū moraliū acquiſitarum non habent ſupernaturalitatem ſufficientem ad meritum apud Deum ex eo præcisè, quod fiant ab homine habente gratiam; neque ex eo quod procedant ab auxilio actuali ſupernaturali quoad modum & per Chriſtum; ex eo verò, quod imperentur ab aliqua virtute infuſa, præſertim à charitate, habent quidē ſupernaturalitatem ſufficientē ad meritum at non condiſtinctum à merito actus imperantis: Breviter: Vt actus ſit apud Deum meritorius merito proprio & ſibi intrinſeco debet eſſe ſupernaturalis intrinſecè & in ſubſtantia. Ità Scotus *in 2.diſt.41.q. unica.* Durandus *in 2.diſt.40.q.2.* Sylvius *hic q.114.art.4.q.2.* Oviedus *controv.3. punct.1.* Arriaga *diſp.53.ſect.3.* Eſparza *lib.3. de act. hum.q.32.art.21.& l.4. de gratia q.7.* Madernus *q.9.art.6.* Herinex *diſp.6.q.2.n.19.* cæterique Theologi magis communiter, contrà Auctores mox relatos *præced. num.58.*

60. Probatur aſſertum primò in univerſum, quia meritum apud Deum in præſenti ſumitur pro merito præmij ſupernaturalis, quâ ratione meritorij ſunt ſoli actus ſalutares ſeu facti ut oportet ad ſalutem, atqui actus ſalutares & facti ut oportet ad ſalutem ſunt ſoli actus ſupernaturales intrinſecè & in ſubſtātia, & credere v.g. ut oportet eſt credere actu ſupernaturali, & ad quem Concilia & Sancti Patres requirunt actualem gratiam ordinis ſimpliciter ſupernaturalis, ut colligitur ex dictis *præced. l.2.* ſparſim, præſertim verò *c.4.§.2.& 3.* ergo ut actus ſit meritorius apud Deum debet eſſe ſupernaturalis extrinſecè & in ſubſtantia ac per conſequens actus naturales virtutum moralium acquiſitarū, &c. Confirmatur ex eo, quod ſemel admittendo in actibus naturalibus meritum apud Deum ceſſat neceſſitas ponendi actus ſupernaturales in ſubſtantia & ad quos requiratur auxilium ſimpliciter ſupernaturale; ex objectis enim ſupernaturalibus præcisè neceſſitas illa non oritur, cum *ex præcit. c.4. §.1.* dari poſſit fides naturalis circa ſupernaturalis myſteria, ſpes naturalis circà ſupernaturalem beatitudinem, &c. & ut monet Arriaga *præcit. ſect.3.n.21.* Concilia & Sancti Patres pro evincendis actibus & auxiliis ſupernaturalibus nō inculcāt ſupernaturalitatē objectorū, ſed ſalutaritatem actuum ſeu ipſos eſſe meritorios ſalutis ac factos, ut oportet ad ſalutē.

Soli actus ſupernaturales intrinſecè & in ſubſtantiâ ſunt meritorij apud Deum.

Probatur aſſertum ſecundò in particulari quoad primam partem, nimirùm quoad illas 61. particulas *ex eo præcisè quod fiant ab homine habente gratiam*: Actus naturales virtutum moralium acquiſitarum ex eo præcisè, quod fiant ab homine habente gratiam non excedunt lineā actuum elicitorū ſolis naturæ viribus, gratia enim reſpectu talium actuum ſe habet purè concomitanter, non cauſaliter; nec ad ipſos concurrit magis, quàm peritia cantandi in muſico ædificāte concurrat ad conſtructionē ædificij; atqui ſine ſuſpicione pelagianiſmi dici non poteſt actus elicitos ſolis naturæ viribus eſſe apud Deū meritorios, ſeu habere ſupernaturalitatē ſufficientē ad meritum; ergo talē ſupernaturalitatē non habent actus naturales ex eo præcisè, quod fiāt, &c.

Non ſic actus naturales, quâvis eliciti ab homine habente gratiam.

Dices actus naturales ex eo præcisè, quod fiant ab homine habente gratiā referri habitualiter in finem ſupernaturalē, item dignificari ab habitu gratiæ, & propterea excedere lineā actuum elicitorum ſolis naturæ viribus. Sed contrà primò: cum *ex præced. l.1.c.1. n.9.* problematicū ſit, utrùm Pelagius admiſerit habitualem gratiam? illi ſaltem, qui ſentiunt admiſiſſe, non ſatis hac inſtantia delent pelagianiſmi ſuſpicionem, nec poſſunt oſtendere non fuiſſe admiſſam à Pelagio relationē habitualem in finem ſupernaturalem, & dignificationem, per quam ipſi aſtruunt actus naturales hominis juſti non poſſe dici elicitos ſolis naturæ viribus: Contrà ſecundò: 62.
falſum eſt actus naturales ex eo præcisè, quod fiāt &c. referri habitualiter &c. habitus enim ſupernaturalis non refert habitualiter in ſuū finē, nec dignificat id quod nullo modo afficit, & ad quod purè cōcomitanter, nullatenùs cauſaliter ſe habet; alioqui in muſico ædificāte cōſtructio ædificij dicēda eſſet referri habitualiter in finē muſicæ & in æſtimabilitate ac dignitate creſcere ex cantandi peritia: Ratio à priori eſt, quia quod purè concomitanter ſe habet perindè eſt, ac ſi non eſſet.

Vrgebis ex Gabriele à S. Vincentio *præcit. q.3. n.52.* eſſe valdè probabile, quod actus naturales in homine habente gratiam recipiant à gratia modum phyſicum ſupernaturalem, & dato, quod hunc modum non recipiant, recipere ſaltem aliquid morale, ſicutī in Chriſto omnia opera & omnes actus etiam naturales virtutum moralium abſq; eo, quod reciperēt ab unione hypoſtatica aliquid phyſicum, recipiebant aliquid morale tribuens dignitatem, & æſtimabilitatem meritoriam infinitam, malè igitur ſupponitur gratiam habitualem relatā ad actus naturales qui eli-

cimtur

eliciuntur ab homine juſto ſe habere purè con-
63.] comitanter. Sed contrà: modus ille phyſicus rejiciendus eſt, tùm ut innominatus hucuſque & inauditus, tùm ut improducibilis à gratia, quæ non eſt habitus immediatè operativus, & quando permitteretur, non eſſet habitus, adeoque referret in finem ſupernaturalem actualiter, aut virtualiter; non habitualiter, ut vult Gabriel à S. Vincentio. Paritas Chriſti Domini eluditur ex eo, quòd ad omnia ipſius opera dignitas unionis hypoſtaticæ formaliter ſeu cauſaliter ſe habebat; talis enim dignitas erat ipſa perſonalitas Verbi, & hæc utpotè conſtitutiva Perſonæ Chriſti formaliter ac cauſaliter ſe habebat ad omnes Chriſti operationes ex regula generali, quâ operationes ſunt ſuppoſitorum; dignitas verò gratiæ habitualis in homine juſto materialiter & concomitanter, non formaliter & cauſaliter, ſe habet ad actus naturales ideò &c. Neque dicas: gratia habitualis dignificat ſubjectum, & principium talium operationum. Contrà enim: dignificat quidem, at non relatè ad tales operationes; ideò ratione ſubjecti & principij non dignificat operationes ipſas; non dignificat, inquam, relatè ad tales operationes, quia relatè ad ipſas concomitanter ſe habet, ut ſemel & iterum dictum eſt.

64.

Aut procedentes ab auxilio actuali ſupernaturali quoad modum & per Chriſtum.

Probatur aſſertum tertiò in particulari quoad ſecundam partem, nimirùm quoad illas particulas *Neque ex eo quòd procedant ab auxilio actuali ſupernaturali quoad modum & per Chriſtum*: Actus naturales ex eo, quod procedant ab auxilio actuali ſupernaturali quoad modum & per Chriſtum, quamvis ſint indebiti viribus naturalibus, non tamen ſunt ordinis ſuperioris ad naturam, ergo adhuc ſunt improportionati præmio apud Deum; quod non ſolùm eſt naturæ indebitũ, ſed etiam eſt ordinis ſuperioris: Neque dicas hinc non probari quod tales actus nequeant eſſe meritorij apud Deum ex ſpeciali ordinatione & lege extrinſeca. Contrà enim: ſpecialis ordinatio & lex extrinſeca nihil conferre poteſt ad meritum condignum, ut jam oſtenſum eſt; ad meritum verò congruum ſupplere quidẽ poteſt illud, quod deeſt æqualitati inter meritum & præmium, at non poteſt ſupplere proportionem & ordinem; alioqui etiam actus naturales, qui ex ſolo concurſu generali Dei, non ex ſpeciali gratia Chriſti, procederent eſſent meritorij de con-
65. gruo apud Deum. Confirmatur: in pura natura eliciuiſſet homo aliquos actus virtutum moralium dependenter ab auxilio actuali ſpeciali, quod fuiſſet gratia Dei; hi certè actus non fuiſſent meritorij præmij ſupernaturalis, quia hoc eſt contrà naturæ puritatem, & natura ſeipſam ſuperaret, ac extrà proprium ſtatum quodãmodò proſiliret, ſi promereretur quid ſupernaturale; arguo jam ſic: actus naturales eliciti ex gratia Dei, quamvis ſint ſupernaturales quoad modum, & omninò ſimiles actibus naturalibus elicitis ex gratia Chriſti, non ſunt proportionati præmio ſupernaturali, nec poſſunt eſſe meritorij ipſius, atqui gratia Chriſti ex alibi dictis non eſt auxilium ſuperius aut validius quàm ſit gratia Dei; ergo actus naturales eliciti ex gratia Chriſti nequeunt ſimiliter, &c.

Dices ex Amico *prec. diſp. 35. n. 101.* actus naturales ut procedentes ex gratia Chriſti eſſe meritorios apud Deum ratione meritorũ ipſius Chriſti, quatenùs hoc ipſo quod dantur nobis per Chriſtum ſpecialia auxilia ad opus bonum exercendum, tale opus moraliter conjungitur cum Chriſto, ut cum capite; Chriſtus moraliter influit in tale opus ut caput in membra, ut vitis in palmites; illud ipſemet offert Patri, ut opus ſuorum membrorum conjunctum moraliter cum operibus propriis, adeoque ei cõmunicat moralem dignitatem & valorẽ propriorũ meritorũ. Confirmatur; quidquid nobis datur per Chriſtũ, datur in ordine ad præmium ſupernaturale & ſalutem æternam, cum ad hanc ſolam nobis obtinendam ſit mortuus; ergo quidquid operamur ex auxilio dato per Chriſtũ nobis prodeſt ad ſalutem, & ad meritũ præmij ſuper-
naturalis. Sed contrà: hæc doctrina in primis 66. nimis probat, probat enim opera ſupernaturalia hominis juſti eſſe de facto apud Deum meritoria ſuprà condignũ, nam ſi procederẽt ex gratia Dei eſſent condignè meritoria, cũ igitur ex gratia Chriſti, ex quâ de facto procedunt, eis accedat valor ingens & ſufficiens ad reddenda apud Deum condigna ea opera, quæ aliundè talia non ſunt, opera aliundè cõdigna tali valore ſuperaccreſcente neceſſe eſt fieri ſuprà condignũ: Deinde dicere quod ex ſe præciſe moralis conjunctio cũ Chriſto ut capite dignificet noſtra opera in ordine ad meritũ eſt valdè favere opinioni docẽti poſſe aliquẽ mereri per actũ a ſe elicitum ſolùm moraliter, quod improbatũ eſt *prec. n. 49.* Ad inſtantiam directè dico conjunctionẽ illam moralem noſtrorũ operum cũ meritis Chriſti, ſicuti eſt valdè extrinſeca, ità addere noſtris operibus extrinſecã quamdam dignitatem inſufficientẽ ad meritum; præter quod ſi aliquid adderent in ordine ad meritũ, id adderent juxtà conditionẽ operum; operibus ſcilicet naturalibus in ordine ad meritum præmij naturalis; ſolis verò operibus ſupernaturalib. in ordine ad meritũ præmij ſupernaturalis & ſalutis. Ad confirmationẽ dico quidquid nobis datur per Chriſtũ primariò & per ſe, dari in ordine ad ſalutẽ æternam; nõ ſic quidquid nobis datur ſecundariò & quaſi per accidẽs; pro quo recolantur ſupradicta *lib. 2. c. 1. §. 4.*

Probatur aſſertum quartò in particulari 67. quoad tertiam partem, nimirùm quoad illas particulas *ex eo verò quòd imperentur ab aliqua virtute infuſa, &c.* Actus naturales ex eo, quod imperentur ab aliqua virtute infuſa, non habent ſupernaturalitatem condiſtinctam à ſupernaturalitate actus imperantis; ergo quamvis in actu imperante verè ſecundum ſe ſupernaturali & apud Deũ meritorio habeant ſupernaturalitatẽ ſufficiẽtẽ ad meritũ, hoc tamẽ meritũ nequit eſſe cõdiſtinctũ à merito actus imperãtis; alioqui cõveniret operi naturali ſecundũ ſua intrinſeca, & per cõſequẽs ſecundũ quod eſt naturale; ergo actus naturales ex eo, quod imperẽtur &c.

Actus naturales facti ex ſupernaturali imperio ſunt meritorij ſolo merito imperij.

Dices ex Amico *præcit. diſp. 35. num. 313.* Actus imperatus facit unum moraliter cum actu imperante, ergo actus naturalis imperatus à ſupernaturali facit unum moraliter cum actu ſupernaturali, & ratione talis unionis ac conjunctionis evehitur ad ſphæram imperantis, & ad participandam in juſto eamdem gratiæ dignitatem, quam participat actus imperans; ac per conſequens ad habendam

68. propriam & ſibi intrinſecam rationem meriti. Sed contrà: conjunctio moralis inter actum naturalem imperatum & ſupernaturalem imperantem ſolùm per denominationem extrinſecam illum elevat ad iſtius ſphæram, & ad participandam in juſto dignificationem gratiæ; hoc autem ſufficit quidem ad meritum denominativum & indiſtinctum à merito actus imperantis, at non ad meritum proprium & diſtinctum. Neque urgeas: actus internus imperatus liber ſola libertate imperantis poteſt habere meritum proprium & condiſtinctum à merito actus imperantis; ergo ſimiliter actus imperatus ſupernaturalis & dignificatur ſola ſupernaturalitate & dignitate imperantis poteſt habere meritum proprium. Contrà enim: actui per ſe ipſum meritorio eſſe poteſt extrinſeca libertas, non ſupernaturalitas; primò, quia libertas, non ſic ſupernaturalitas, eſt ex genere ſuo accidentalis & extrinſeca cuicumque actui; ſecundò, quia libertas non requiritur ad ponendam proportionem inter meritum & præmium, quemadmodum requiritur ſupernaturalitas in merito apud Deum; iſta propterea pertinet ad ſubſtantiam meriti apud Deum, illa poteſt eſſe pura conditio.

Cur extrinſeca libertas, non extrinſeca ſupernaturalitas ſufficiat actui meritorio apud Deū.

Dices inſuper ex noſtra doctrina majorem partem bonorum operum, quibus exercentur etiam juſti, reddi inutilem ad ſalutem, experientia enim conſtat etiam juſtos ut plurimùm operari per actus bonos ordinis naturalis abſque imperio ſupernaturali, imò abſ-

69. que cogitatione ulla ſupernaturalis motivi. Sed contrà: inſtantia ad ſummum inferret noſtram doctrinam duram eſſe in praxi, & virtutum moralium contemptui inducendo potiùs, quàm exercitio promovendo accommodatam ſi requireremus ad quodlibet opus meritorium imperium ſupernaturale charitatis, at ut magis *ex ſeq. §.* conſtabit contenti nos ſumus imperio ſupernaturali quocumq; hocque virtuali, quo non adeò frequenter carent actus boni naturales in hominibus fidelibus, præſertim juſtis, habetur enim tale imperium per quodlibet deſiderium efficax propriæ ſalutis, obſervantiæ mandatorum, imitationis Chriſti, dignæ ſuſceptionis Sacramentorum, &c. Hæc deindè omnia & ſimilia, etiam virtualiter permanentia, ſi juſto deſint; adhuc contemptui habere nequit opera bona ordinis naturalis, quia vitio ſuo, non vitio operum, tribuere debet, quòd ad ſalutem poſitivè non conferant, & præterea non ſunt adhuc inutilia, merentur enim magna præmia temporalia, & proſunt ad ſalutem negativè removendo peccata quæ ſunt ſalutis obſtacula.

Iuſti ferè ſẽper operantur ex imperio & motivo ſupernaturali.

§. VI.

An, & quanam relatio ſeu ordinatio charitatis requiratur ex parte operis ad meritum apud Deum?

ASSERT. 1. In actibus ſupernaturalibus virtutum infuſarū nec actualis nec virtualis, & in aliquo ſenſu nec habitualis relatio ſeu ordinatio charitatis requiritur ad meritum apud Deum. Ità Sylvius *hic quaſt. 114. art. 4. quæſit. 2.* Sotus *lib. 3. de nat. & gra. cap. 4.* Capreolus *in 2. diſt. 40. quaſt. 1. art. 1. concl. 2.* Suarez *hic lib. 12. cap. 9.* Vaſquez *diſp. 217. cap. 2.* Amicus *diſp. 35. num. 95.* Oviedus *controv. 3. num. 35.* Madernus *q. 9. art. 5.* Gabriel à S. Vincentio *diſp. 21. n. 17.* Arriaga *tom. 5. diſp. 34. ſect. 2.* & alij plures præſertim ex Recentioribus contrà Scotum *in 2. diſt. 41. quaſt. unica,* Gabrielem *ead. diſt. quaſt. unica art. 3. dub. 2.* Durandum *in 2. diſt. 40. q. 2.* Herincx *diſp. 6. n. 19.* Io. à S. Thoma *diſp. 30. art. unico.* Gonet. *diſp. 2. art. 6. §. 4.* Bellarminum *de juſtificat. lib. 5. cap. 15. &c.* 70.

Dixi *& in aliquo ſenſu nec habitualis*, pro quo adverte relationem ſeu ordinationem charitatis, tùm actualem, tùm virtualem, ſumendam eſſe in præſenti eo proportionaliter modo, quo paſſim ſumitur in moralibus, tùm actualis, tùm virtualis intentio; adeò ut detur ex parte operis actualis ordinatio ſeu actuale imperium charitatis, quando opus exercetur ex vi actus charitatis formaliter exiſtentis in ſe ipſo; detur virtualis ordinatio ſeu virtuale imperium, quando opus exercetur ex vi actus charitatis exiſtentis virtualiter & in ſuo effectu: ordinatio verò habitualis ſumitur dupliciter, nimirùm vel pro ordinatione indiſtincta ab habitibus gratiæ & charitatis, quæ informando ſubjectū, dicatur ordinare ipſum & omnia quæ in ipſo ſunt in Deum habitualiter; vel pro ordinatione diſtincta ab habitibus, & ſita in actu charitatis, quo quis aliquando omnia ſua opera ordinavit in Deum, & quamvis talis actus, nec in ſe ipſo, nec in ullo ſuo effectu perſeveret, nunquam tamen fuit retractatus; ordinatio habitualis in Deum indiſtincta ab habitibus gratiæ & charitatis, vel ſaltem ab habitu gratiæ ex ſuprà dictis §. 2. requiritur ad omne meritum condignum apud Deum, ly *igitur in aliquo ſenſu nec habitualis* debet intelligi aut ſolum relatè ad meritum congruum, aut de ſola ordinatione habituali accepta ſecundo modo & diſtincta ab habitibus. Sic explicatum aſſertum.

Ordinatio ſeu imperium charitatis triplex.

71. Probatur: Actus ſupernaturales virtutum infuſarum poſſunt eſſe apud Deum meritorij abſque eo, quòd in eliciente ipſos exiſtat aut extiterit ullus actus charitatis: ergo in actibus ſupernaturalibus virtutum infuſarū, &c. conſequentia patet ex præmiſſa aſſerti explicatione; antecedens probatur, actus ſupernaturales virtutum infuſarum habent, tùm bonitatem, tùm ſupernaturalitatem ex

In operibus ſupernaturalibus non requiritur ad meritū ordinatio ulla per actum charitatis.

motivo

motivo & objecto proprio independenter ab actu charitatis; & in juſtis ea eo præciſè, quod fiant ea habitibus infuſis propriarum virtutum, ſunt mediatè ſaltem à gratia, quam propterea reſpiciunt ut ad ſe ipſos cauſaliter ſe habentem, & ex conſequenti ut dignificantem: ergo tales actus habent ea ſe præciſè ſufficientem proportionem ad meritum congruum, & in juſtis inſuper æqualitatem dignitatemque requiſitam ad meritum condignum; nec quidquam illis deeſt ut poſſint eſſe apud Deum meritorij abſque eo, quod in eliciente ipſos, &c. Confirmatur: Meritum apud Deum reſolvitur per aliquos ex Adverſariis in ſolum actum charitatis, & iſti fatentur cæterorum virtutū etiam infuſarum actus ex ſe præciſè valere ad obtinendum præmium accidentale; at non ad eſſentiale; cum tamen hoc ſolùm ſit proprius terminus meriti apud Deum ſimpliciter & abſolutè prolati; atqui nulla eſt neceſſitas reſolvendi, & plurima eſt ratio non reſolvendi meritum apud Deum in ſolum actum charitatis: ergò ſentiendum non eſt juxtà hanc Adverſariorum doctrinam, ſed juxtà eam, quæ in aſ-

72. ſerto traditur: Minor quoad ſecundam partem ſuadetur primò ea eo, quia reſolvendò in actum charitatis totum meritum cæterarum virtutum infuſarum, nihil ampliùs in ordine ad præmium vitæ æternæ tribuitur cæteris virtutibus infuſis, quàm conveniat virtutibus moralibus acquiſitis, quarū actibus negari nequit meritum vitæ æternæ denominativum, & participatum ab actu charitatis ipſos imperantis: ſecundò & validiùs (ea enim, quæ ſpectant ad meritum vitæ æternæ utpotè ex divina nobis revelatione innoteſcentia auctoritatibus meliùs, quàm rationibus ponderantur) ex teſtimoniis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quibus frequens eſt & familiare tribuere omnibus noſtris bonis operibus ſaltem ſupernaturalibus ſimpliciter & abſolutè rationem meriti apud Deum, & videtur etiam hoc eſſe ſecundùm communem fidelium ſenſum, quibus rudioribus præſertim & idiotis vix venit in mentem, nec ſine aliqua aurium offenſione inſinuaretur, cætera omnia bona opera juſtorum carere propria vitæ æternæ mercede, & hanc unicè reſpondere actui charitatis: Minor eadem quoad primam partem ſufficienter conſtabit occurrendo Adverſariorum inſtantiis.

Dices igitur primò neceſſitatē reſolvendi in actum charitatis totum meritum apud Deum haberi ex Scripturâ; quæ aliquandò commendat charitatem ſuper omnes alias virtutes ſic Coloſſ. 3. *Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*; aliquandò inſinuat reliqua bona opera ſine charitate nihil prodeſſe, ſic 1. Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum*, &c. *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*; aliquandò promittit vitam æternam ſoli charitati ut 2. Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, &c. *ſed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Iacob. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Eadem neceſſitas clariùs habetur ex Patribus, præſertim verò ea D. Thoma, cujus plura illuſtria in hanc rem teſtimonia congerit Gonetus *præcit.* §. 4. dum præ cæteris profero, primū deſumptum ea 4. diſt. 49. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 4. *Vis merendi eſt in omnibus virtutibus ex charitate, & ideò diverſitas in merendo tota reducitur ad diverſitatem charitatis*; ſecundum deſumptum ex 1. part. quæſt. 95. art. 4. in c. *Quantitas meriti ex duobus penſari poteſt, uno modo ex radice charitatis & gratiæ, & talis quantitas meriti reſpondet præmio eſſentiali: Alio modo penſari poteſt quantitas meriti ex quantitate operis; quæ quidem eſt duplex*, &c. *utraque tamen quantitas meriti reſpondet præmio accidentali.* Sed contrà:

73. Quæ commendant charitatē ſuper alias virtutes inferunt majorem in charitate, quàm in aliis vim merendi; at optimè poteſt eſſe charitati ſua commendatio ſuaque vis merendi, eaque major; ſua tamen etiam aliis virtutibus. Quæ inſinuant reliqua ſine charitate nihil prodeſſe procedunt de charitate habituali; quâ deficiente deeſt & habitualis gratia, ſine quâ reliqua nihil proſunt de condigno ad ſalutem. Quæ promittunt vitam æternam charitati, non adjiciunt particulam ullam taxativam, ſeu excluſivam, quâ talis promiſſio ad charitatis actus limitetur excluſis aliis; imò his etiam alibi eadem æterna vita promittitur, præſertim ſub nomine Regni Cœlorum, ſub quo *Matth.* 5. promittitur pauperibus ſpiritu, & patientibus perſecutionem propter juſtitiam; item *Matth.* 25. exercentibus opera miſericordiæ *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, eſurivi enim & dediſtis mihi manducare*, &c. Quæ ſubduntur ex D. Thoma

74. evincunt eſſe difficilem in hac re S. Doctoris mentem, intelligi tamen poteſt eo modo, quo mox dicebamus intelligendam eſſe ſacram Scripturam, ubi inſinuat cætera nobis ſine charitate nihil prodeſſe, interim fateor ea auctoritate præſertim D. Thomæ aliquid probabilitatis habere opinionem oppoſitam & certè reddi ab omni cenſura immunem, & miror Soarium *præcit. lib.* 12. *c.* 8. *num.* 9. eam appellare improbabilem & intolerabilem, multoque magis Arriagam *præcit. ſect.* 2. *num.* 6. ſuſpicantem, quòd alicui videatur erronea.

Occurritur auctoritatibus Adverſariorum.

Malè imuritur ulla cenſura ſententiæ Adverſariorum.

Dices ſecundò illam eandem neceſſitatem haberi ea variis rationibus. Prima ſit: Ad meritum præmij eſſentialis, ſeu vitæ æternæ, requiritur, quod actus tendat in Deum ut in ultimum finem ſupernaturalem; nullus autem actus alterius virtutis poteſt taliter in Deum tendere niſi ex imperio charitatis, quia Deus ut ultimus finis ſupernaturalis, ſeu ut in ſe ſummum bonum ſupernaturale eſt objectum propriū & ſpecificativum charitatis, & nulla virtus poteſt ferri in objectum proprium & ſpecificativum virtutis ſuperioris, niſi ex ejus imperio. Secunda: Quæ ſunt remotiora à fine nequeunt ipſum attingere, niſi mediante eo quod immediatius & propinquius eſt; atqui actus charitatis eſt inter omnes actus virtutum imme-

DDdd 3 diſtinc

diatior & propinquior ultimo fini : ergo alij actus virtutum nequeunt ultimum finem attingere, ſeu in ipſum tendere (ut tamen requiritur ad hoc ut ſint apud Deum meritorij) niſi mediante actu & imperio charitatis. Tertia : Meritum condignum vitæ æternæ eſt etiam meritum condignū incrementi charitatis, hoc autem meritum convenit ſolis actibus elicitis aut imperatis à charitate ; hi quippè ſoli ſunt elicitivè, aut imperativè æqualis perfectionis cum tali incremento. Quarta: Si in juſto actus ſupernaturales aliarum virtutum ex ſe mererentur de condigno aliquod incrementum gratiæ & gloriæ, actus quilibet charitatis mereretur incrementum infinitum, nam inter unum actum ſupernaturalem alicujus virtutis moralis ex infimis, & actum quemlibet charitatis mediant infinitæ ſpecies actuum moralium omnes inter ſe inæquales, ac per conſequens meritorij omnes inter meriti inæqualis majoris & majoris ; actus igitur quilibet charitatis utpotè his omnibus actibus nobilior mereretur incrementum his omnibus majus, adeoque infinitum. Sed contrà.

75. Occurritur rationibus Adverſariorum.

Ad primam rationem dico actum ſupernaturalem per hoc præcisè, quod fiat ex ſupernaturali motivo & propter ſupernaturalem honeſtatem tendere implicitè in Deum ut in ultimum finem ſupernaturalem ; nec quidquam ampliùs requiri ad meritum vitæ æternæ abſtrahendo à condigno & congruo; ad condignum deinde requiritur ſpecialis ordinatio ſubjecti in Deum, at hæc non eſt neceſſe, quod habeatur per actum elicitum, ſed ſufficit ea, quæ indiſtincta eſt ab habitibus gratiæ & charitatis : Diſtinguenda eſt igitur propoſitio illa, *Ad meritum vitæ æternæ requiritur, quod actus tendat in Deum*, &c.

Ad ſecundam dico, quæ ſunt remotiora ordine cauſalitatis non poſſe finem attingere, niſi &c. ſecùs quæ ſunt remotiora duntaxat ordine nobilitatis, ſeu dignitatis ; prout in ratione aut medij aut meriti remotiores ſunt reſpectu finis ultimi actus cæterarū virtutum ; propinquior verò & immediatior actus charitatis ; cum ex alia parte omnes eſſe poſſint ordine cauſalitatis immediati & æquè propinqui, quatenùs omnes poſſunt, tùm in ratione medij, tùm in ratione meriti, immediatè & ex ſe præcisè ad finem ultimum conducere.

76. Ad tertiam dico actus ipſos charitatis ſecundùm ſe non eſſe æquales perfectionis cum incremento proprij habitus, cum ut aliundè ſuppono habitus infuſi ex genere ſuo ſint perfectiores propriis actibus; aliundè igitur petenda eſt æqualitas cum tali incremento ad meritum condignum requiſita, petenda ſcilicet eſt ex condignificatione habitualis gratiæ ; at hæc in juſto afficit omnes actus ſupernaturales, non eos ſolos, qui eliciuntur aut imperantur à charitate ; niſi velis dicere à charitate imperatos eos omnes actus, qui imperantur à voluntate formata & informata per charitatis habitum; quà ratione Sylvius *præcit. quæſit. 2.* aliique nonnulli intelligunt auctoritates pro merito condigno requirentes charitatis imperium, & in particulari verba D. Thomæ *hic q. 114. art. 4. in c.* expreſsè dicentis, *Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundùm quod earum actus à charitate imperantur.*

Ad quartam nego ſequelam, cujus probatio patitur difficultatē in primis in eo, quòd ſupponit poſſibiles infinitas ſpecies actuum inæqualium interjacentes inter actum alicujus virtutis ex infimis & actum quemlibet charitatis, ex infinitis enim ſpeciebus ità interjacentibus coaleſceret infinitum clauſum terminis; admiſsâ deinde ut poſſibili tali infinitate actuum dici poteſt in ipſis meritum creſcere geometricè & per partes proportionales; non arithmeticè & per partes æquales adeoque excedi poſſe à merito actus charitatis, quamvis non infinito ; ſicuti ob eandem rationem infinitæ cognitiones inæquales, & circà objecta perfectiora & perfectiora in infinitum, exceduntur à cognitione intuitiva Dei abſque eo, quod hæc infinita ſit ; unde revocanda huc eſt communis ſolutio ſolita adhiberi argumento calculatorio quod fit ad probandam infinitatē in viſione Dei, imò quod fieri etiam poteſt (& eſt valida retorſio inſtantiæ contrà Adverſarios) ad probandam infinitatem meriti in aliquo actu charitatis ex inſignioribus, quo quis vellet, v. g. infinitos denarios in eleemoſynam erogare ; hic quippè actus non eſt meriti infiniti, & tamen excedit meritum infinitorum actuum inæqualium, quibus quis vellet in eleemoſynam dare duos, vel tres, vel quatuor denarios, &c. 77.

Aſſert. 2. In actibus naturalibus virtutum moralium acquiſitarum requiritur ad meritum apud Deum virtuale imperium, ſeu virtualis ordinatio alicujus virtutis infuſæ ; at non eſt neceſſe quod ſit charitatis. Aſſertum hoc quatenùs ad meritum in actibus naturalibus requirit virtuale imperium alicujus virtutis infuſæ eſt illorum omnium, qui hujuſmodi actibus negant meritum proprium & intrinſecum contrà Auctores ſuprà memoratos *n. 58.* quatenùs negat neceſſitatem imperij charitatis, eoſdem & propugnatores & oppugnatores habet, quos aſſertum præcedens. 78.

Probatur facilè: Actus naturales virtutum moralium acquiſitarum ſunt ex *præced. n. 59.* meritorij apud Deum ſolo merito denominativo & participato ab actu imperante : ergo ad meritum apud Deum requirunt imperium, tùm quod in ipſos aliquo modò influat & ex hoc capite debet eſſe ſaltem virtuale, quod enim neque in ſe, neque in ſuo effectu tanquam in propria virtute, exiſtit, nequit in aliud influere, tùm quod ſupernaturale ſit & per ſe ac ex ſe meritorium, & ex hoc capite debet eſſe imperium, ſeu actus alicujus virtutis infuſæ, at non eſt neceſſe quod ſit charitatis, quia per nos ex doctrina hucuſque tradita, ſicuti non ſolius charitatis, ſed cujuſlibet infuſæ virtutis actus ſunt per ſe & ex ſe meritorij, ità & hi omnes

In operibus naturalibus requiritur ad meritum ordinatio ſaltem virtualis per actum ſupernaturalem.

nes

nes merito denominativo & à ſe participato poſſunt reddere meritorios actus naturales quos imperant: ergo in actibus naturalibus virtutum moralium acquiſitarum requiritur ad meritum, &c.

---

§. VII.

An aliquid poſitivum requiratur ex parte operis ad meritum apud Deum, nec poſſit iſtud haberi per puram omiſſionem?

79. Omiſſio pura non poteſt eſſe apud Deū meritoria. ASSERT. Ad meritum apud Deum omninò requiritur proprius & poſitivus voluntatis actus, nec meritoria eſſe poteſt omiſſio pura, quamvis ſupponatur eſſe voluntaria & libera. Ità Suarez *hic lib.* 12.*c.* 2. *n.* 5. Vaſquez *diſp.* 189.*n.* 123. Oviedus *controv.* 3. *punct.* 2. Arriaga *diſp.* 53. *ſect.* 2. Gonetus *diſput.* 2. *n.* 24. Gabriel à S. Vincentio *diſput.* 19.*q.* 1. Madernus *q* 9. *art.* 7. Herincx *diſp.* 6. *n.* 21. cæterique Theologi communiter, quibus præit D. Thomas 1. 2. *q.* 21. *art.* 3. *&* 4. & clariùs *q.* 71. *art.* 5. *ad* 1. contrà Ripaldam *de ente ſupernaturali tom.* 1. *diſp.* 70. *ſect.* 2. Caramuelem relatum à Gabriele à S. Vincentio, ex Scotiſtis Herreram & Franciſcum Felicem relatos ab Herincx, item quoſdam alios recentiores, quibus favet Ruiz de Providentia *diſput.* 37. *ſect.* 2. agnoſcens in purà omiſſione meritum præmij naturalis.

Dixi *proprius & poſitivus voluntatis actus*, quia hic ſolus opponitur puræ omiſſioni, à quâ nullus excludit actum intellectus cognoſcentis, cum nullus contendat poſſe dari voluntariū ſine cognitione, & voluntarium omiſſivum dici ſoleat voluntarium ſine omni actu, non intellectus tamen, ſed voluntatis.

80. Dixi *quamvis ſupponatur eſſe voluntaria & libera*, quia in hac ſola hypotheſi datur controverſiæ locus, & Auctores re ipſa nullam admittentes in pura omiſſione libertatem, à fortiori tenentur nullum in eadem admittere meritum; imò nequeunt cum aliqua ratione dubitandi inquirere, utrùm omiſſio pura poſſit eſſe meritoria? niſi diſputationis gratia loquendo contrà proprium ſenſum ſupponant illam poſſe eſſe voluntariam, ac liberam.

Probatur aſſertum ſic explicatum: Si quæ pura omiſſio voluntaria ut ſupponitur ac libera, eſſe poteſt apud Deum meritoria, talis maximè erit ea, quâ omittitur opus prohibitum; ſeu quâ quis omittit id, quod tenetur omittere; atqui hujuſmodi omiſſio non eſt apud Deum meritoria: ergo ad meritum apud Deum omninò requiritur proprius & poſitivus actus; nec meritoria eſſe poteſt, &c. Major evincitur ex eo, quod pro ſola omiſſione, quâ omittitur opus prohibitum, militant Adverſariorum fundamenta ſumpta aut à paritate omiſſionis demeritoriæ, quâ omittitur opus præceptum; aut ab auctoritate Scripturæ *Eccleſ.* 31. ubi commendatur & ad beatitudinem deſtinatus declaratur is, *qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus facere mala & non fecit*, quod eſt idem ac dicere qui omiſit opera prohibita; aut ab honeſtate relucente in objecto omiſſionis prædictæ, utpotè terminatæ ad præſtandam obſervantiam legi & obedientiam legiſlatori, nequit autem aſſignari ſimilis honeſtas in ullius alterius omiſſionis objecto; nam omiſſio operis præcepti ad malum terminatur, nimirum ad tranſgreſſionem legis; omiſſio operis cadentis ſub conſilio terminatur ad negationem oppoſitam perfectioni adeoque malam potiùs, quàm bonam, omiſſio operis indifferentis, nec ad bonum, nec ad malum terminatur, opus enim indifferens eſt quod ſive fiat ſive non fiat nec bonum nec malum eſt; à primo igitur ad ultimum, ſi quæ omiſſio eſſe poteſt apud Deum meritoria, eſt ea ſola, quâ omittitur opus prohibitum, & obtinebitur aſſerti intentum ſi oſtendatur hanc talem non eſſe: Ideò

Minor probatur primò: Pura omiſſio, quâ omittitur opus prohibitum, neque merito denominativo & aliundè participato; neque merito proprio & ſibi intrinſeco poteſt eſſe apud Deum meritoria; non primo modo, quia ſupponeret aliquem actum meritorium imperantē, omiſſio autem ſupponens actum imperantem, adeoque per actum poſitivum imperata, deſinit eſſe omiſſio pura; Non ſecundo modo, quia ad meritum proprium & ſibi intrinſecum ſicuti ex ſupradictis requiritur ſupernaturalitas propria & intrinſeca in actibus poſitivis, ità & in puris omiſſionibus; ſupernaturalitatem autem propriam & ſibi intrinſecā nequit habere pura omiſſio operis prohibiti, quia nequit eſſe ex ſupernaturali motivo, ut enim voluntas, ſive operando, ſive omittendo ſe exerceat ex motivo ſupernaturali, non ſatis eſt quod iſtud ſit cognitum & per cognitionē propoſitum, niſi ſimul ſit volitum & à voluntate intentum; alioqui ſæpè operaremur ex pluribus diſparatis & quandoque contrariis motivis; cum ſæpè circà eandem operationem plura diſparata & quandoque cōtraria motiva per cognitionem proponantur, atqui omiſſio pura nequit reſpicere motivum ſupernaturale volitum & à voluntate intentū; ex eo enim præcisè quod motivum ità reſpiciat non eſt ampliùs pura, cum non ſit ampliùs ſine omni actu voluntatis: & hinc obiter infertur omiſſionem puram neque poſſe eſſe bonam & honeſtam honeſtate naturali; diſcurſus quippè mox adductus probat omiſſionē puram non poſſe eſſe ex ullo motivo, & tamen ad exercitium voluntatis honeſtum requiritur quod ſit ex motivo honeſto, nec ſufficit quod attingat honeſtatem niſi attingat ſub ratione honeſtatis; & ex hoc capite cenſeo puram omiſſionem neque præmij naturalis poſſe eſſe meritoriam, quamvis oppoſitam Ruizij opinionem probabilem reputent ex Auctoribus præcitatis Oviedus *num.* 22. & Arriaga *n.* 25.

Minor eadem probatur ſecundò evertendo

Side notes (right margin): 81. Nec merito denominativo nec, merito proprio. — 82. — Nec item merito præmij naturalis.

præjacta

præjacta Adverſariorum fundamenta ſpecialiter fulcientia meritũ omiſſionis, quâ omittitur opus probibitum; & primum quidem
83. fundamentum deſumptum à paritate demeriti reperti in omiſſione, quâ omittitur opus præceptum evertitur ex eo, quod plùs requiritur ad meritum, quàm ad demeritum; & licèt hinc illicò non inferatur illud plùs debere eſſe rationem poſitivi, infertur tamen in univerſum malè argui à demerito ad meritum; ratio deindè ſpecialis cur pro merito potiùs, quàm pro demerito, requiratur actus poſitivus, eſt quia ad demeritum, ſeu peccatum ſufficit eſſe de objecto malo etiamſi non ſit ex malo motivo, ad meritum verò, ſeu honeſtum exercitiũ voluntatis non ſufficit eſſe de objecto bono, niſi ſimul ſit ex bono, imò (loquendo de merito apud Deum) ex ſupernaturali motivo; non poteſt autem voluntas, ut mox probatum eſt, ex aliquo motivo exerceri purè omittendo, & ſine proprio actu poſitivo.

84. Secundum fundamentum deſumptum ab auctoritate evertitur ex eo, quod aliud eſt eſſe laudabilem & meritoriã non tranſgreſſionem præceptorum, aliud eſt talem eſſe non tranſgreſſionem factam purè omittendo; illud, non iſtud infertur ex relatis verbis Eccleſiaſtici, & ex multis locis Scripturæ adductis pro ſua ſententia à Ripalda, in quo propterea Oviedus *præcit. punct. 2. num. 26.* jure commendat copiam magis, quàm juſtitiam eruditionis. Porrò non tranſgreſſio præceptorum, & fuga, ſeu omiſſio mali, quam ultrò concedimus eſſe laudabilem & apud Deum meritoriam, ea eſt, quæ à poſitivo voluntatis actu ex honeſto, ac ſupernaturali motivo imperatur; non quæ habetur ſine omni actu, ſine omni motivo, & purè omittendo. Neque dicas ad non tranſgrediendum præceptum etiam per puram omiſſionẽ aliquando, id eſt quando urget gravis tentatio, neceſſaria eſt actualis gratia; ſed quidquid procedit ab actuali gratia laudabile eſt & meritorium; ergo aliquando laudabilis eſt & meritoria etiam non tranſgreſſio præcepti, quæ habeatur per puram omiſſionem; major probatur ex eo, quod ſuprà *lib. 2. c. 3. n. 28.* dictum eſt neque negativè & per purã omiſſionem vinci poſſe ab homine lapſo gravem tentationẽ ſine actuali gratia. Contrà enim:

85. negari in primis poteſt ad non tranſgrediendum per puram omiſſionem præceptum (ſubintellige negativum, cum de præcepto affirmativo perſpicuum ſit ejus non tranſgreſſionem, ſeu ejus obſervantiam ſolo actu poſitivo, non purâ omiſſione haberi poſſe) quando urget gravis tentatio, neceſſariam eſſe actualem gratiam, hæc quippè non requiritur ad non tranſgreſſionem peccaminoſam, ſicuti eſt peccaminoſa non tranſgreſſio facta per puram omiſſionem gravi tentatione urgente eo, quod in tali caſu purè omittens exponit ſe periculo conſentiendi tentationi, & potiùs ipſe à tentatione vincitur, quàm tentatio ab ipſo vincatur ut dicebamus *præcit. num. 28.* unde in rigore quærendo: Utrùm per puram omiſſionem poſſit vinci gravis tentatio ſine actuali gratia? fit quæſtio de ſubjecto non ſupponente, quia per puram omiſſionẽ nullatenùs poteſt gravis tentatio propriè vinci, cum non vincatur tentatio, cui ſolùm peccando reſiſtitur, ut attigimus *præcit. c. 3. num. 3.* In eo deindè quod *ead. num. 28.* addidimus puram omiſſionem, ſi urgente gravi tentatione eſſe poſſit non peccaminoſa, requirere actualẽ gratiam, non intendimus quòd gratia actualis requiratur ut influens in ipſam puram omiſſionem, quâ duntaxat ratione poſſet conducere ad eam reddendam meritoriam; ſed ut influens in cognitionem retrahentem à conſenſu tentationis reddendo talem cognitionem intenſiorem, vividiorem, efficaciorem.

Pura omiſſio urgente gravi tentatione peccaminoſa potiùs eſt, quàm meritoria.

Quâ ratione poſſit requirere actualem gratiam.

Tertium fundamentũ deſumptum ab honeſtate objecti evertitur primò ex eo quod honeſtas relucens in objecto præcepti negativi ſecundùm ſe eſt naturalis; cum ut attigimus *lib. 2. c. 4. num. 27.* nullum præceptum negativũ ſit ſupernaturale ex parte objecti; eſt igitur honeſtas illa inſufficiens ad meritum præmij ſupernaturalis, de quo in præſenti: at neque ſufficiens eſt ad meritum præmij naturalis, quia eſt honeſtas objecti terminativi; meritum autem debet inſuper habere honeſtatem objecti motivi, ſeu ex motivo honeſto procedere, quod nequit convenire omiſſioni puræ. 86.

CAPUT VII.

De conditionibus requiſitis, aut conducentibus ad majus meritum apud Deum.

NONNULLA, quæ præcedenti capite tractari adhuc poterãt, conſultò omiſſa ſunt tanquam aut ſub præſentis capitis titulo opportuniùs proponenda, aut ex iis deinde quæ in utroque capite dicta fuerint adeò facilè deducenda, ut non videantur ſpeciali diſcuſſione indigere. Porrò quod primo loco in præſenti occurrit, eſt 1.

§. I.

Utrùm major gratia habitualis requiratur, aut conducat ad majus meritum?

Major gratia in operante non infert meritum majoris præmij.

ASSERT. Major gratia habitualis non requiritur, imò nec conducit ex ſe præciſe ad meritum majus, ſeu ad meritum majoris præmij. Ità Zumel *hic q. 114. artic. 8. diſp. 5. §. Ad argumenta*, Cabrera *3. p. q. 2. diſp. 14. num. 41.* Vaſquez *3. part. diſput. 6. cap. 4. num. 24.* Arriaga *hic diſp. 55. ſect. 4.* Maderuus *quæſt. 9. art. 11.* & alij apud ipſos contrà Sylvium *hic q. 114. art. 8. quæſit. 1.* Valentiam *diſput. 8. q. 6. punct. 3. §. Nihilominùs,*

minùs, Suarium *lib.* 12. *c.* 22. Granadum *tr.* 11. *diſp.* 2. *ſect.* 1. Oviedum *contr.* 5. *punct.* 2. &c.

Dixi *ex ſe præciſè*, nam quatenùs major gratia regulariter ſecum affert uberiora & intenſiora auxilia, quibus ſanctiores viri præ minùs ſanctis ſolent in frequentiores & intenſiores actus virtutum erumpere, non negamus majorem gratiam ad majus majoriſve præmij meritum conducere; at ut conducat ex ſe præciſè, debent eſſe cætera paria, adeò ut ejuſdem virtutis actus æquè intenſus, & æquè perfectus, ſi elicitur ab habente majorem gratiam, ſit magis meritorius; minùs verò meritorius, ſi ab habente gratiam minorem.

2. Dixi *ad meritum majus, ſeu ad meritum majoris præmij*, quia meritū majus latiùs patet, & ſumi poteſt pro merito magis condigno, ſeu habente majorem magiſve intenſam condignitatem in ordine ad idem præmium, & in hoc ſenſu non ſumimus in præſenti meritum majus; ſed ſtrictiore modo; prout converti poteſt cum merito præmij majoris. Neque dicas condignitas meriti, utpotè quæ ex ſupradictis nihil eſt aliud, quā æqualitas ipſius cum præmio conſiſtit in indiviſibili, malè igitur hic permittimus condignitatem majorē, nec rectè dicimus meritū majus ſumi poſſe pro merito magis condigno. Contrà enim: condignitas meriti eſt æqualitas, non arithmetica tamen, ſed geometrica, quæ non eſt adeò rigoroſè collocanda in indiviſibili; dico igitur talem condignitatē conſiſtere in indiviſibili quoad ſpeciem; quatenùs nulla dignitas ſpecie diverſa à dignitate gratiæ habitualis poteſt condignificare & adæquare meritum præmio ſupernaturali; non conſiſtere in indiviſibili quoad gradus, quatenùs talis condignificatio & adæquatio in ſe gradus non admittat, nec haberi poſſint in ordine ad idem præmium plures gradus condignitatis.

Meritum majus & meritum majoris præmij aliqualiter differunt.

9. Probatur: Mēſura præmij majoris, vel minoris, non ſumitur ex menſura majoris, vel minoris gratiæ: ergo major gratia habitualis non requiritur, imò nec conducit, &c. conſequentia patet, quia majorē gratiā requiri aut cōferre ex ſe præciſè ad meritū majoris præmij ſupponit quantitatē præmij eſſe cōmenſurandā quantitati gratiæ, quod eſt illius mēſurā ab iſta deſumi; antecedens probatur primò, quia in Scripturâ æternæ vitæ præmium promittitur operibus, non gratiæ; quantitas igitur illius ex menſura perfectionis operū, non ex menſura intenſionis gratiæ deſumēda eſt; ſecundo quia ſi menſura præmij majoris vel minoris ſumitur ex mēſura gratiæ, ſequitur habentē gratiā ut quatuor quocūque bono opere utcūque vulgari & remiſſo mereri præmiū ut quatuor, & opere deinde utcumque heroico & intenſo non mereri præmiū majus; hoc autē in contemptū deduceret bona opera ardua, intenſa, & heroica: ſequitur inſuper virum ſanctiorem actu remiſſiſſimo mereri præmium majus, quàm mereatur minùs ſanctus actu intenſiſſimo: ſequitur tandē ex duobus habētibus ex æquo ingentia merita, & valdè magnā ſanctitatem unum promeriturum præmium duplo majus, & obtenturum duplo plures gradus gloriæ, quàm alterum, per hoc præciſè, quod ille non iſte in fine vitæ eliciat tenuiſſimū aliquem infimæ virtutis actum; quæ omnes ſequelæ licèt non contineant abſurditatem palpabilem ſunt tamen parùm conformes communi fidelium ſenſui, adeoque non admittendæ facilè & ſine gravi neceſſitate, quali non urgemur in Adverſariorum ſententiam ſequelas illas inferentem.

Dices primò ad primam & ſecundam ſequelam, quamvis ſuppoſita eadem, æqualive gratia opus heroicū aut intenſum non ſit de condigno meritorium præmij majoris, quàm opus vulgare & remiſſū, eſſe tamen meritoriū majoris præmij de congruo, ideò non deduci in contemptum opera ardua, intenſa, ac heroica, item virū minùs ſanctū actu intenſiſſimo minùs quidem mereri de condigno, quā mereatur ſanctior actu remiſſo; at illum magis mereri de cōgruo quod valde temperat ſequelæ duritiē. Sed contrà: inſtantia hæc ſeu reſponſio ſupponit in homine habente gratiam meritum aliquod congruum præmij eſſentialis, quod falſum eſt, cum opus ſupernaturale hominis in gratia conſtituti habeat ſecundùm ſe totum omnes conditiones requiſitas ad meritum condignum. 4. Occurritur primæ reſponſioni Adverſariorum.

Dices ſecundò ad tertiā ſequelam, majorē gratiā reddere actum meritoriū majoris præmij in geometrica, non in arithmetica proportione adeò ut quot ſunt gradus gratiæ in merente, tot debeantur gradus præmij actui meritorio; propterea malè inferri, quòd ex duobus in ingēti ſanctitate & merito æqualibus unus ſit promeriturus præmium duplo majus alio per hoc præciſè, quod ille nō iſte eliciat in fine vitæ actum aliquē tenuiſſimū. Sed contrà: diſcurſus Adverſariorum volentium, quòd ſicut ſe habeat dignitas gratiæ ad meritū, ità ſe habeat major dignitas ad majus ſeu majoris præmij meritum, valdè infirmatur dicendo meritum majoris præmij correſpondere majori gratiæ in geometrica, non in arithmetica proportione; damus hoc tamen; adhuc ſequitur ex duobus illis æquali ſanctitate & merito inſignibus unū actu tenuiſſimo promeriturū præmiū, ſi non duplo majus, ſaltem plurimùm excedens, & à duplo majore parùm diſtans, quod non videtur admodùm credibile, nec facilè concedendum. 5. Occurritur ſecūdæ reſponſioni.

Dices tertiò: quidquid ſit de his ſequelis, negari non poteſt in univerſum dignitatem perſonæ conferre ad meritū, & in particulari gratiam conferre ad meritum condignū apud Deum: ergo nec poteſt negari majorē dignitatem perſonæ conferre ad majus meritum, & majorem gratiam ad majus meritum condignū apud Deum; probatur hæc conſequētia primò, quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ità magis ad magis; ſecundò, quia gratia confert ad meritū dignificando opus per modum formæ, quod autem præſtatur ab aliqua entitate per modum formæ eò majus eſt, quò major eſt forma, & hic faciunt ad rem verba D. Thomæ *in* 2. *diſtinct.* 29. *q.* 1. *art.* 4. *in corp.* dicentis *Quanto majori charitate & gratia actus informatur, tanto magis eſt meritorius.* Tertiò, quia ſi major dignitas

perſonæ non conferret ad majus meritũ, ex infinita dignitate perſonæ Chriſti malè probaretur infinitum eſſe ipſius meritum, & tamen hac probatione utuntur Theologi communiter, imò & Clemens VI. in Extravag. *Vnigenitus de pœnit. & remiſſ.* item D. Cyrillus *in Epiſt. ad Maximum*, & alij SS. PP. qui ut concludant infinitatem meriti & ſatisfactionis Chriſti aſſumunt hoc principiũ; Quod ex majori dignitate merentis & ſatisfaciẽtis major eſt in operibus valor meritorius & ſatisfactorius. Sed contrà: diel in

6. Occurritur his Fundamentis & rationibus Adverſariorũ.

primis poteſt majorem gratiam conferre ad majus meritum condignum, ſi ly *majus meritum condignum* ſignificet meritum magis condignum ejuſdem præmij, & ſenſus ſit creſcente gratia creſcere condignitatem ad præmiũ, ſecus, ſi ly *majus meritum condignum* ſignificet meritum condignum majoris præmij & ſenſus ſit creſcẽte gratia creſcere præmij magnitudinẽ. Neque dicas, meritum magis condignũ idem eſt ac meritũ ſuprà condignum; atqui nulla pura creatura poteſt apud Deum mereri ſuprà condignũ: ergo malè inducitur meritum magis condignũ, nec poteſt in hoc ſenſu admitti in creatura apud Deum unum meritum majus alio: Contrà enim meritum ſuprà condignũ non eſt præcisè meritũ magis condignum, quia non eſt meritum majus condigno gradualiter, ſed eſt meritum majus condigno eſſentialiter, proveniens ſcilicet à forma, ſeu dignitate eſſentialiter majore ea, à quâ provenit meritum condignum; & in tantùm nulla pura creatura poteſt apud Deũ mereri ſuprà condignum, in quantum nulla poteſt mereri per formã eſſentialiter perfectiorem, & dignitatem majorem dignitate gratiæ, per quam meretur ſolùm de condigno ut nos ipſi attigimus *cap. præced. n* 24. Hæc doctrina valde arridet Arriagæ, nec mihi improbatur; quia tamen videtur continere nonnihil quæſtionis de nomine, aliam ſolutionem adhibeo, & aliter

7. Ad inſtantiam reſpondeo concedo antecedens, diſtinguo conſequens, quod verum eſt ſi major dignitas ac major gratia, tota in opus influat totaque applicetur operi, ſecùs ſi non tota influat nec tota applicetur; dignitas enim quæ remanet otioſa & purè materialiter ſe habens nihil operi confert ad meritũ, ſicuti de facto juxtà ſupradicta §. 5 gratia nihil confert ad meritum actibus bonis naturalibus, in ordine ad quos ſe habet materialiter & ut dignitas otioſa; non cauſaliter & ut dignitas influens. Porrò ad opus ſupernaturale remiſſum datur remiſſum auxilium & remiſſus concurſus proprij habitus virtutis infuſæ, & quia his mediantibus influit & applicatur gratia, conſequens eſt quod gratia intenſa in opus remiſſum remiſsè influat nec tota applicetur. Hinc ad primam conſequentiæ probationẽ dico proloquium illod rectè procedere quando cætera ſunt paria; at non ſunt paria in caſu noſtro, quia gratia ſimpliciter accepta ſemper ſimpliciter influit in opus ſupernaturale, gratia autem major non ſemper influit magis: Ad ſecundam dico gratiam dignificare opus per modũ formæ non utcumque, ſed aliquo modo influentis; adeoque dignificare ſecundùm menſurã influxus; unde & de majori charitate & gratia non utcumque, ſed influente, intelligenda ſunt verba relata ex D. Thoma: Ad tertiam dico per-

8. Cur infinita dignitas Chriſti cõferat ad meritũ infinitum, non major dignitas gratiæ ad meritum majus.

ſonæ divinæ dignitatem, utpotè quæ non cõſtat gradibus, indiviſibiliter totã in quodlibet morale Chriſti opus influere, unde etiã actus naturales ipſius, non ſolos ſupernaturales ex ſupradictis *n.* 61. dignificat, quia ad utroſque ſe habet influxivè & cauſaliter; ex infinita igitur dignitate perſonæ in Chriſto rectè probatur infinitas meriti, quia eſt infinita dignitas tota indiviſibiliter applicata & influens, libenter autem concedimus in univerſum ex majori dignitate influente & applicata reddi majus meritum. Dici inſuper poteſt, & redit in doctrinam præcedentis primæ reſponſionis, ex majori dignitate merentis majorem eſſe valorem operis meritorij, quando dignitas illa eſt major eſſentialiter & ſecundùm ſpeciem, adeò ut mutet ſtatum merentis, non quando eſt major accidentaliter & ſecundùm intenſionem, nec mutat ſtatum merentis; & ex hoc etiam capite rectè ſuſtinetur ab infinita dignitate Chriſti valere illationem ad meritum infinitum, non ſic à majori dignitate intenſioris gratiæ ad meritum majus.

---

§. II.

Vtrùm gratia Chriſti conferat ad majus meritum quàm conferret gratia Dei?

9. Gratia ex eo quod ſit Chriſti non confert ad majus meritum.

ASSERT. Gratia ex eo præcisè, quod ſit Chriſti, ſeu per Chriſtum, non confert ad majus meritum, nec actus elicitus ex gratia actuali & condignificatus gratia habituali, quæ utraque ſit gratia Chriſti, eſt apud Deum magis meritorius, quam ſi eadem utraque gratia eſſet gratia Dei. Ità Vaſquez *hic diſput.* 214. *c.* 7. Oviedus *controv.* 5. *punct.* 9. Arriaga *diſp.* 54. *ſect.* 5. Ripalda *de ente ſupernaturali, diſput.* 16. *n* 4. &c. contrà Sylvium *hic q.* 154. *art.* 8. *quæſit.* 2. Suarium *lib.* 12. *c.* 19. Amicum *diſp.* 35. *n* 27. Coninchum *diſp.* 8 *dub.* 3. Cajetanum, Richardum, Hoſium, Vegam, & alios

Dixi *ex eo præcisè quod ſit Chriſti*, nam ſi gratia Chriſti conſideretur ut intenſior ac major, & intenſiora ac uberiora auxilia complectens, adeoque ut conducens ad plura & excellentiora virtutum opera, quàm conduxiſſet gratia Dei, quæ non exiſtentibus Chriſti meritis veriſimiliter fuiſſet minor ac remiſſior, & pauciora ac remiſſiora ſecum ferens auxilia; ſi, inquam, gratia Chriſti eo modo conſideretur ut conducens ad plura & excellentiora virtutum opera, utique conſequenter conducit ad majus meritum; at non eſt hic ſenſus controverſiæ, ſed debent eſſe cætera paria, & debet comparari gratia Chriſti cum alia æquali gratia Dei in ordine ad idem opus.

Probatur; Gratia Chriſti, ſeu per Chri- 10.

ſtum

ſtum non eſt ſpecie diverſa à gratia Dei, nec perfectior intrinſecè, ergo non confert ad majus meritum, nec actus elicitus ex gratia actuali, &c. antecedens conceditur communiter & ſupponitur aliundè, conſequentia probatur, quia *ex praced.* §. dignitas merentis auget meritũ tunc ſolùm quando eſt major eſſentialiter & ſecundùm ſpeciẽ, & cum per nos gratia etiam intrinſecè perfectior, ſed ſolùm gradualiter, non conferat ad majoris præmij meritum, multò minus ad id conferet gratia perfectior ſolùm extrinſecè, ſicuti eſt ſolùm extrinſecè perfectior gratia Chriſto comparata ad gratiam Dei.

Dices noſtra bona opera ex eo, quòd per gratiam Chriſti fiant, ab ipſo Chriſto ſpecialiter offerri æterno Patri, ut expreſsè tradit Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 8.* dicens de Chriſto, *In quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ qui ex illo vim habent, & ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre:* Item eſſe moraliter opera Chriſti, tanquam noſtri Capitis moralis in nos tanquam in ſua viva membra, & tanquam viris in palmites jugiter influentis ex eod. Tridentino *ſeſſ. 6. c. 16. & can. 32.* atqui noſtrorum operum oblatio à Chriſto facta, & eorundem moralis unio cum Chriſto ejuſque meritis reddit ea digniora, gratiora Deo, & magis acceptabilia: ergo noſtra bona opera ex eo, quòd per gratiam Chriſti fiunt, ſunt magis meritoria; & certè mirum eſſet propter moralem conjunctionẽ mulieris cum viro, hujus nobilitatem & dignitatem in illam redundare, imò res ipſas ratione & ſenſu deſtitutas per contactũ & conjunctionẽ moralem ad perſonas ſacras Sanctorũve reliquias majorem æſtimabilitatem ac dignitatem acquirere; nobis verò noſtriſque bonis operibus nullam dignitatem, nullum valorem accreſcere ex morali, & ea quidem eximia, conjunctione cum Chriſto.

11\. Sed contra: Dignitas requiſita & condecens ad meritum apud Deum eſt ſola dignitas intrinſeca merenti & operi meritorio, ut dictũ eſt *cap. praced.* ſæpiùs, præſertim verò *n. 30. & 66.* noſtra autẽ bona opera ex eo quod à Chriſto offerãtur, & cum ipſo ejuſque meritis moraliter conjungantur, participant quidem ſpecialem dignitatem, at extrinſecam; ideoque imparẽ ad augendam in ipſis rationem meriti, quamvis valdè proportionatam ad terminandum majorem Dei affectũ majoremque beneficentiam, quod longè diverſum eſt; neque etiam eſt dignum majore præmio quidquid eſt dignum majore amore, cum omnis bonitas rectè dicatur digna amore, ſeu amabilis, non ſic digna præmio, ſeu remunerabilis.

Ex conjunctione morali cum Chriſto, ut Capite, noſtra opera habent ſpecialem dignitatem extrinſecam, non intrinſecam.

Urgebis: veriſimile eſt Deum moveri ad præmianda noſtra bona opera etiã ex dignitate, licèt extrinſeca, quam habent à conjunctione morali cum Chriſto, hoc enim redundat in quãdam excellentiam Chriſti, & meritorum ipſius; atqui mereri apud Deũ nihil eſt aliud, quàm movere ipſum ad præmiandũ; ergo noſtra bona opera ſunt apud Deum meritoria ex dignitate, licèt extrinſeca, quã habent, &c. ac per conſequens habent ſpecialem, majoremque rationẽ meriti ex eo, quod fiant per gratiã Chriſti. Sed contrà: Neganda eſt major abſolutè, dicẽdo dignitatẽ illam extrinſecã movere tantùm poſſe ut amentur, at non ut præmientur noſtra bona opera; & quamvis utrũque Chriſto debeamus, primũ tamen ideſt quòd noſtra bona opera moveãt ad præmiũ, ei debemus ratione dignitatis intrinſecæ ex ipſius meritis nobis collatæ, non ratione dignitatis extrinſecæ ex conjunctione morali cum ipſo in nos reſultantis. 12

Ex his habetur nos nõ participare à Chriſto duplicẽ quodammodò merendi rationem, alteram provenientẽ à gratia nobis collata ex ipſius meritis, alteram à conjunctione morali cum ipſo tanquam cum Capite; ſed priorem dũtaxat rationem nobis ad meritũ inſervire, ſufficere hanc tamen ut dicamur mereri in Chriſto, ſeu per Chriſtum. Neque dicas, ſi in nobis ratio merendi eſſet gratia Dei non diceremur mereri in Deo, ſeu per Deũ; ergo ex eo, quod ratio merẽdi ſit gratia Chriſti, non rectè dicimur mereri in Chriſto, ſeu per Chriſtũ, ſed aſſignari debet conjunctio moralis aut aliquid aliud, ratione cujus verificetur nos in Chriſto mereri. Contrà enim: Gratia Dei non eſt ex Dei meritis neque à Deo ut merẽte, ſicuti eſt à Chriſto ut merente & ex Chriſti meritis gratia Chriſti; propterea merendo ex gratia Chriſti jure dicimur mereri in Chriſto, quamvis merendo ex gratia Dei non jure dicamur mereri in Deo.

---

§. III.

Utrùm ad meritum requiratur certa intenſio actus, & intenſio major conducat ad meritum majus?

Assert. 1. Abſolutè & nulla facta comparatione ad habitum præexiſtentẽ non requiritur ulla certa & determinata intenſio actus ad meritum apud Deum. Ità omnes communiſſimè adeò ut teſte Suario *lib. 12. c. 8. n. 4.* inter conditiones ad meritum requiſitas nemo abſolute deſignaverit ullam, certam & determinatam actus intenſionem, quamvis minimam. 13

Non requiritur ad meritũ ulla certa intẽſio actus abſoluta.

Probatur, quia cũ intenſio actus abſolutè accepta poſſit eſſe tùm in infinitum major verſus maximum, tùm in infinitum minor verſùs minimum, nulla poteſt ne quidem apparens ratio occurrere pro determinanda in ordine ad meritum hac potiùs, quàm illa, intenſione; & tamen ſine ſolido, aut rationis, aut auctoritatis, fundamẽto non eſt inducenda ulla ſpecialis conditio pro merito apud Deum, pro quo inſuper non eſſe neceſſariam ullam determinatam intenſionem abſolutam cõſtabit à fortiori ex eo, quod mox ſtatuetur nec neceſſariam eſſe ullam determinatam intenſionem comparativam, ſeu reſpectivam ad habitum præexiſtentem, circà quam

Adverte actus bonos & ſalutares in homine juſto poſſe eſſe, aut intenſiores, aut 14

 æquales,

æquales, aut remiſſiores habitibus infuſis gratiæ & virtutum, qualeſcumque ſint in omniū ſententia aliquid merentur, nimirum aut præmium accidentale, aut præmium eſſentiale quoad novum titulum; at difficultas & controverſia eſt, utrùm pariter qualeſcūque ſint mereantur aliquid de præmio eſſentiali ſimpliciter & quoad ſubſtantiam accepto? Qui negant & volunt actus remiſſiores ſufficere ad merendum augmentū habituum præexiſtentium, requirunt conſequenter ad meritum apud Deum determinatā intenſionem reſpectivā, quæ ſcilicet relata ad habitus præexiſtentes ſit ipſis, aut major, aut æqualis: Qui è contrà illud affirmant, & volunt per actus etiam remiſſiores meritoriè augeri habitus præexiſtentes intēſiores, nullam determinatam intenſionē nequidem reſpectivam agnoſcunt in merito apud Deum.

Vtrùm requiratur certa intenſio reſpectiva?

15. Porrò pro prima ſententia referuntur D. Bonaventura *in 2. diſt. 40. art. 2. q. 3.* Durandus *in 1. diſt. 17. 2. p. diſt. q. 8. n. 7.* Bannes *2. 2. q. 14. art. 6. & in relect. de augm. charit.* Altiſiodorenſis *lib. 3. ſum. tract. 76. cap. unico q. 3. & 5.* Abulenſis *in c. 7. Matth q. 70.* aliique nonnulli cum aliquo tamen inter ſe diſcrimine, nam D. Bonaventura actibus aut remiſſioribus aut etiam æqualibus concedit ſolum meritum præmij accidentalis, quod ipſe collocat vel in conſecutione ſpecialis aureolæ, vel in remiſſione alicujus pœnæ tēporalis, vel in interna delectatione de opere exercito. Durandus meritum negat ſolis actibus remiſſioribus, non æqualibus, & ſolùm in ordine ad augmentum gratiæ & charitatis, non in ordine ad augmentū gloriæ; majus enim eſt, ait, mereri augmentum charitatis, quàm vitam æternam; quia per actū, per quem meremur augmentum charitatis, meremur vitam æternā & aliquid aliud, ſcilicet charitatis augmentum, non è converſo. Bannes actibus remiſſioribus ità negat augmentum gratiæ & gloriæ ut tamen *relect. pracit.* eis concedat majus præmium eſſentiale, vult enim actibus remiſſioribus reſpondere præter præmium accidentale gloriam eſſentialem, at eandem quæ erat jam antecedenter debita, & quæ abſque eo, quòd fiat in ſe major, habeat rationem majoris præmij eſſentialis per hoc, quod reddatur debita pluribus & novis titulis.

Varij modi dicendi pro ſentētia affirmativa.

16. Pro ſecunda ſententia referuntur Auctores multò plures, at non ſine multo inter ſe diſcrimine; ex iis enim, qui cōcedunt actibus remiſſioribus augmentū præmij eſſentialis, non ſolùm in ratione præmij, ſed etiā in ratione qualitatis, aliqui volunt tale augmentū nunquā conferri ante inſtans mortis, ità cum ſuis Scotus *in 4. diſt. 21. q. 1. §. Aliud quod & diſt. 22. quæſt. unica, §. Per idem patet* Richardus *in 1. diſt. 17. art. 2. q. 3. & in 2. diſt. 27. art. 2. q. 2.* Alvarez *de aux. lib. 7. diſp. 60. n. 54.* Gabriel à S. Vincentio *hic diſp. 22. q. 6.* Gonetus *tract. de virt. Theol. diſp. 10. n. 150.* & plures Thomiſtæ præſertim ex recētioribus. Aliqui volunt quidem tale augmentum non conferri ſtatim poſt elicitos actus remiſſiores, differre tamen ſolùm quouſque juſtus ad illud ſe diſponat erumpendo in fervētiorem ac intenſiorem actum, ità Capreolus *in 1. diſt. 17. q. 2. art. 3.* Cajetanus *1. 2. q. 114 art. 8.* Conradus *eod. art.* & poſtremus hic Auctor addit juſtum cariturū ſemper augmento illo, ſi nunquam ad ipſum in via per ferventiorē actum ſe diſponat, reliqui docent in hac hypotheſi juſtum recepturum tale augmentum in termino, ſeu in inſtanti aut mortis aut glorificationis, in quo ſe diſponet per actum ferventiorē. Aliqui hoc idem ſentiunt præcisè quoad augmentum charitatis, quoad augmentū gratiæ admittunt ipſum dari ſtatim ac actus etiam remiſſiores eliciuntur, ità Victoria *relect. de augm. charit. p. 1. n. 4.* Sotus *in 4. diſt. 15 q. 2. art. 2. & lib. 2. de nat. & grat. c. 27.* Medina *1. 2. q. 52. art. 3.* Tandem aliqui ſimpliciter & abſolutè docent cuilibet actui meritorio etiam remiſſiori illicò conferri in hac vita augmentum gratiæ & charitatis, & in alia vita deindè augmentū gloriæ independenter ab omni actu ferventiore; ità Major *in 4. diſt. 22. quæſt. unica* Gabriel *in 1. diſt. 17. q. 4. art. 3.* Suarez *hic lib. 9. c. 3.* Vaſquez *diſput. 220. c. 3.* Amicus *diſput. 35. ſect. 8.* Oviedus *controv. 3. punct. 4.* Arriaga *diſp. 51. ſect. 2.* Madernus *q. 8. art. 1.* Averſa *q. 114. ſect. 18.* Eſparza *lib. 6. de virtut. Theolog. q. 42.* & cæteri recentiores magis communiter cum ſchola Nominalium.

Varij modi dicendi pro ſentētia negativa.

In hac opinandi varietate qui meritum præmij eſſentialis metiūtur ex ſolo actu charitatis, de hoc ſolo controverſiam hanc agitant, eāque propterea transferunt in tractatum de virtutibus Theologicis ad quæſtionē de charitate, & ibi inquirunt, an & quomodò actus charitatis ſuo habitu præexiſtente remiſſior mereri poſſit ipſius augmentum? at nos qui ex ſupradictis vim præmij eſſentialis meritoriam independenter ab actu charitatis agnoſcimus in actibus cæterarū virtutum, nulla facta ſpeciali mentione actus charitatis univerſaliter examinamus; quomodo actus remiſſior, cujuſcūque virtutis ſit, poſſit mereri augmentum habituum gratiæ, & charitatis ac per conſequens deindè cæterarum etiam infuſarum virtutum; de hoc tamen conſectario agemus ſingillatim infrà *cap. ſeq. §. 2.* interim pro eo quod attinet ad rem præſentem ſit 17.

Aſſert. 2. Etiam reſpectivè, & facta comparatione ad habitum præexiſtentē, non requiritur ulla certa & determinata intenſio actus ad meritū apud Deū; ſeu quod in idem recidit, juſtus quocumque remiſſiore virtutis actu meretur augmentū gratiæ & charitatis; hocque ei confertur ſtatim poſt actum ipſum remiſſiorem elicitum. Ità Nominales ac recentiores magis communiter, & quoad primam partem Scotiſtæ pariter ac Thomiſtæ ferè omnes contrà reliquos, de quibus ſuprà *n. 15. & 16.* 18.

Præfertur ſententia negativa, & non requiritur ad meritum ulla certa intenſio reſpectiva.

Probatur prima pars, quòd ſcilicet juſtus quocumque remiſſiore virtutis actu mereatur augmentum gratiæ & charitatis; probatur, inquam, primò variis auctoritatibus Scripturæ, Concilij Tridentini, & ſanctorum Patrum, quæ univerſaliter & illimitatè proponunt

ponunt mercedem, juſtitiæ incrementum, retributionem in Cœlo, & æternum gloriæ pondus cuilibet bono operi, cuilibet virtutis actui in gratia & ex gratia facto, & ſæpè etiam loquuntur expreſsè de operibus exiguis ac remiſſis, ut cum dicitur Matth. 10. *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ non perdet mercedem ſuam.* 2. Cor. 4. *Momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus, &c.* & cap. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet:* Auguſtinus etiam, ut alios Sanctos Patres omittam *lib. de ſancta Virginitate cap. 46.* expreſsè ait *Multa ſunt dona & alia aliis clariora, & aliquando unus fructuoſius eſt donis paucioribus ſed potioribus, alter inferioribus ſed pluribus;* quæ & ſimilia nec patiuntur limitationem meriti ad ſolos actus intenſiores, nec commodè intelliguntur de merito aut ſolius præmij accidentalis, aut eſſentialis præciſè ut debiti novo titulo, nam neutrum venit nomine præmij abſolutè prolati; & in particulari ly *æternum gloriæ pondus* aliquid ampliùs explicat, quàm aut accidentalem gloriæ perfectionem aut novum titulum ipſam habendi, titulumque præmij potiùs, quàm præmium. Reliquas auctoritates in particulari referunt, expendunt, & urgent Arriaga, Vaſquez, & multi alij Auctores locis præcitatis.

19. Probatur eadem pars ſecundò ratione. Intenſio habituum gratiæ & charitatis non poteſt eſſe impedimentum meriti; atqui eſſet impedimentum meriti, ſi juſtus quocumque remiſſiore virtutis actu, habente ut ſupponitur alias omnes conditiones ad meritum requiſitas, non mereretur augmentum illorum habituum; ergo juſtus quocumque remiſſiore virtutis actu, &c. major non videtur poſſe negari, alioqui homo ſanctior eſſet pejoris conditionis in merendo, & reſpectu ejuſdem actus prodeſſet ad meritum gratia remiſſa, obeſſet gratia intenſa, quod eſt eidem qualitati per hoc quod intenſior fiat tribuere effectum oppoſitum: Minor probatur, juſtus aliquis non mereretur augmentum talium habituū præciſè ex eo, quod haberet eos intenſiores; & actus ut quatuor v.g. non eſſet meritorius ex eo præciſè, quod procederet ab habitibus magis intenſis quā ut quatuor; undè cæteris omnibus exiſtentibus paribus eſſet meritorius actus ut quatuor, non eſſet meritorius actus ut ſex, ſi ille tres; iſte ſeptem gradus intenſionis præſupponat in habitibus; ergo intenſio habituum verè eſſet impedimentum meriti, ſi juſtus non mereretur quocumque remiſſiore virtutis actu.

Sed quocū que remiſſior actus etiā ad habitum intenſiorem relatus, meritorius eſt.

Dices ex Durando; non benè uti habitū eum qui non erumpit in actum proportionatum & æqualem intenſioni ipſius; ideò ex una parte non eſſe dignum accipiendis, qui non benè utitur acceptis; & ex alia parte ſolùm per accidens & ex defectu utentis intenſionem habitus afferre impedimentum merito. Sed contrà: aliud eſt non ità benè, aliud non benè uti habitu; is qui non elicit actum æqualis intenſionis cum habitu tranſeat, quod non ità benè utatur nec ità benè operetur, ac ſi eliceret actum intenſionis æqualis; adhuc tamen benè utitur, adhuc benè operatur, quia nullum habet præceptum adæquandi intenſionem habitus, nec per hoc quod non adæquet ullam malam circumſtantiam apponit actui, adhuc igitur meretur cū ad merendum ſufficiat facere quod bonum eſt, nec neceſſe ſit facere quod eſt melius: Quod dicebatur non eſſe dignum accipiendis qui non benè utitur acceptis, verum eſt, ſi ly *non benè* idem ſignificet ac malè; ſecùs ſi idem ac non melius; at in propoſito nec juxtà Durandum ly *non benè* idem ſignificare poteſt ac malè; nam ipſe concedit non benè utentem mereri vitam æternam, quàm certè non promeremur malo uſu gratiæ & charitatis.

20. Iuſtus per actum remiſſiorem adhuc benè utitur habitu.

Probatur eadem pars tertiò ſpecialiter oſtendendo; quod ad meritum non requiratur actus intenſior habitu præexiſtente: Actus hujuſmodi ſecundùm quod eſt intenſior producitur modo minùs connaturali & magis extraordinario; producitur enim dependenter à principio actuali; extrinſeco, & tranſeunte, non habituali, intrinſeco & permanente, cum habitus nequeat concurrere ad intenſionem actus majorem propriâ, atqui non eſt ſuavitati divinæ providentiæ conſentaneum nec ſine maxima neceſſitate dicendum; quòd Deus à juſto & amico exigat & requirat ad meritum eos actus, in quos modo dumtaxat operandi minus conſueto, ac magis extraordinario poteſt erumpere; ergo. Accedit quod juſtus, qui ſemel elicuiſſet actum virtutis valdè intenſum ex difficultate & quaſi diffidentia eliciendi intenſiorem, nimium retraheretur à cæteris virtutum actibus etiam intenſis, ſi ex illis nullum eſſentiale præmium expectaret, nimis item durum eſt eum, qui aliquando habuit actum dilectionis ut octo v.g. multiplicando deindè ſæpè ac diù ejuſdem intenſionis actus non augere ſui præmij eſſentialis meritum. 21.

Oſtenditur ſpecialiter non requiri ad meritum actum intenſiorē.

Dices hæc, dura licèt & difficilia, eſſe tamen neceſſaria propter generalem doctrinam, quâ ſimile à ſimili aut à minùs intenſo non intenditur; quâ item habitus naturales & acquiſiti per remiſſiores aut æquales actus non augeſcunt. Sed contrà: generalis doctrina, quâ ſimile non intenditur à ſimili aut à minùs intenſo, non eſt transferenda à phyſicis ad moralia, quia in phyſicis non in moralibus principium operans intendit aſſimilare ſibi paſſum: Neque urgeas in phyſicis cauſa æquivoca, quamvis non intendat aſſimilationem adhuc debet eſſe perfectior ſuo effectu; ergo in moralibus actus meritorius debet eſſe intenſior habitu licèt producat ipſum æquivocè, & non intendendo aſſimilationē. Contrà enim: actus etiam intenſior eſt imperfectior ſuo habitu ſupernaturali, adeoque inſtantia probat actum etiam intenſiorem non poſſe eſſe cauſam meritoriam habitus; in phyſicis igitur cauſa æquivoca debet eſſe perfectior effectu, quia debet hunc per ſe ipſam producere & eminen- 22.

Cur cauſa phyſica, nō moralis, debeat eſſe æqualis aut perfectior effectu?

ter præcontinere; non ſic debet effectum præcontinere cauſa moralis & meritoria ut potè quæ producit effectum per aliud principium quod movet, non per ſe ipſam. Neque urgeas adhuc meritum condignum debet eſſe æquale; ergo actus meritorius de condigno ſaltem titulo condignitatis debet eſſe æqualis nec poteſt eſſe remiſſior habitu, cujus augmentum meretur. Contrà enim, meritum condignum debet eſſe æquale non æqualitate accidentali, entitatis & intenſionis; ſed æqualitate quaſi ſubſtantiali, dignitatis, ac proportionis; & hanc habet quilibet virtutis actus per hoc quod in gratia & ex gratia fiat. Ad illud, quod addebatur de habitibus naturalibus & acquiſitis quicumque eos collocant in coordinatione ſpecierum facilè negabunt eos non augeſcere per actus remiſſiores, nam iſti non minùs quàm actus intenſiores poſt ſe relinquunt ſpecies: Demus tamen Adverſariis quod ſupponunt; diſparitas in promptu eſt, quia habitus naturales & acquiſiti per ſuos actus augentur phyſicè, unde recurrit quidquid mox dicebatur contrà illationem à phyſicis ad moralia.

Cur habitus infuſi, non acquiſiti, augeantur per actus remiſſiores.

23. Probatur jam ſecunda pars, quod ſcilicet augmentum gratiæ & charitatis pro quocumque remiſſiore virtutis actu conferatur ſtatim poſt actum ipſum remiſſiorem elicitum: Nec ſentiendum eſt ſine aliqua neceſſitate, & rationabili cauſa, differri augmentum gratiæ & charitatis debitum actibus remiſſioribus; nec aſſignari poteſt ulla neceſſitas & rationabilis cauſa illud differendi; ergo augmentum gratiæ & charitatis pro quocumque remiſſiore virtutis actu confertur ſtatim; antecedens quoad primam partem patet, quia illaudabile eſt fraudare ad tempus operarios mercede & benè merentes præmio, quoties nulla eſt ſpecialis cauſa ſeu nullum impedimentum, ſicuti nullum eſt pro gratia & charitate; quamvis aliquod ſit pro præmio æternæ gloriæ, cui ne ſtatim cõferatur obſtat tùm ſtatus viæ & vitæ mortalis, tùm ſæpè aliqua temporalis pœna poſt mortem perſolvenda; idem antecedens quoad ſecundam partem probatur, quia pro tali neceſſitate & cauſa aſſignari non poteſt primò modus connaturalis operandi, ſecundum quem actus remiſſior non intendit habitum præexiſtentem intenſiorem, ac proptereà augmentum habituum gratiæ & charitatis differatur (& hæc videtur eſſe mens Scoti) uſque ad ingreſſum gloriæ, cui cum debeat eſſe æqualis gratia & charitas; tunc Deus conferendo augmentum gloriæ debitum actibus remiſſioribus tenetur ſimul cõferre augmentum gratiæ & charitatis: aſſignari, inquam, hoc non poteſt, quia jam oſtenſum eſt actum remiſſiorem, quamvis non augeat phyſicè, augere poſſe moraliter & meritoriè habituum intenſiorem: Accedit quod, quando augmentum gratiæ & charitatis daretur ſolùm titulo ſervandæ æqualitatis cum gloria, non propriè daretur in præmium præcedentium actuum remiſſiorum, & recideretur in ſententiam Durandi illorum actuum merito tribuentis ſolum gloriæ augmentum.

Secundò pro eadem neceſſitate & cauſa aſſignari non poteſt indiſpoſitio ſubjecti per ſolum actum ferventiorem auferibilis, quem quidem actum ferventiorem Alvarez *præcit. num.* 24. vult elici ſolùm in ingreſſu gloriæ ſeu in primo inſtanti glorificationis; Gabriel à S. Vincentio *præcit. q.* 6, *num.* 109. docet elici in inſtanti mortis ſeu ſeparationis animæ à corpore, etiamſi in pluribus hoc inſtans non ſit inſtans glorificationis; aliqui alij exiſtimant ſaltem aliquando elici in decurſu viæ. Porrò iſti omnes Auctores contendunt indiſpoſitionem ſubjecti ad recipiendum augmentum habitus eſſe auferibilem per ſolum actum ferventiorem, ac intenſiorem ipſo habitu; quia diſpoſitio minùs intenſa non eſt proportionata & commenſurata formæ intenſiori, & habitus infuſi ſicuti juxtà menſuram diſpoſitionis primò cõferuntur, ità juxtà eandem augentur, nec poſſunt de lege ordinaria eſſe diſpoſitione intenſiores quoad augmentum, cum nequeant eſſe eadem intenſiores quoad primam collationem. Sed impugnatur hæc doctrina, quia ipſius Auctores malè & contrà ſupradicta à nobis *lib. præced. cap.* 2. §. 5. ſupponunt noſtros actus eſſe diſpoſitiones phyſicas ad gratiam cæteroſque ſupernaturales habitus, cum tamen re vera ſint diſpoſitiones tantum morales; adeoque non ſit in ipſis quærenda major proportio in ratione meriti; cum ſub utraque ratione moraliter concurrant. Neque dicas: quod noſtri actus ſint diſpoſitiones morales non facit gratiam poſſe eſſe ipſis intenſiorem quoad primam ſui productionem; ergo pariter non facit poſſe eſſe iiſdem intenſiorem quoad augmentũ, adeoque non facit poſſe augeri per actus remiſſiores. Contrà enim: quòd diſpoſitiones ſint morales facit ipſas non requiri ad gratiæ conſervationem; in gratia igitur, quæ augetur, attendi poteſt tùm gratia præexiſtens quæ conſervatur, tùm augmentum ſuperveniens quod de novo producitur; gratia præexiſtens præſenti diſpoſitione, quia diſpoſitio moralis eſt, non indiget; actus proptereà remiſſior qui ſi eſſet diſpoſitio phyſica diſponeret ad conſervationem gratiæ præexiſtentis, ex eo quod ſit diſpoſitio moralis diſponit tantùm ad productionem ſupervenientis augmenti, quod ſecundum ſe acceptum non eſt illo actu remiſſiore intenſius, & ſic ſervatur ſemper ſuo modo proportio inter diſpoſitionem & gratiam, tùm quoad primam productionem, tùm quoad augmentum. Breviter; diſpoſitio phyſica pro augmento formæ debet eſſe intẽſior forma præexiſtente, quia debet ſimul diſponere ad conſervationem formæ præexiſtentis & ad introductionem augmenti; non ſic debet eſſe intenſior diſpoſitio moralis, quæ diſponit ſolùm ad introductionem augmenti. 25.

Cur diſpoſitiones morales potiùs, quàm phyſicæ poſſint eſſe remiſſiores ſua forma.

26. Impugnatur eadem doctrina aliter ſic: Qui poſt plures actus remiſſiores erumpit in actũ ferventiorem, & præexiſtente habitu intenſiorem, per hunc actum vel ſe diſponit dumtaxat

Actus ferventior nequit diſponere ad au-

gmentum gratiæ debitum actibus remiſſioribus.

taxat ad augmentum gratiæ correſpondens merito ipſiuſmet actus ferventioris, vel ſe diſponit ſimul ad augmentum correſpondens merito præcedentium actuum remiſſiorum; ſi primum, ergo actus remiſſiores neq; etiam quando ſuccedit actus ferventior conſequuntur augmentum ſibi debitum, ac per conſequens fruſtrantur pro ſemper ſuo præmio; ſi ſecundum, ergo taliter ſe diſponens per actum ferventiorem conſequitur augmentũ gratiæ ultrà menſuram & intenſionem diſpoſitionis; quæ utraque conſequentia eſt contrà Adverſarios; quorum propterea major pars vult augmentũ correſpondens actibus remiſſioribus differri uſque ad actum intenſiorem in alia vita eliciendum, qui utpotè extra viam non ſit meritorius; ſed ſolùm diſpoſitivus ad augmentum debitum meritis præcedentibus: Verùm durus eſt hic ſermo

Impugnatur prima reſponſio.

primò propter nimiam gratiæ prorogationem, ad quam admittendam compelluntur Adverſarij ex ſola propriæ doctrinæ difficultate, non ex aliquo ſolido fundamento auctoritatis, aut rationis: ſecundò propter maximam intenſionem, quam deberet habere actus ille ferventior in homine, qui in via eliciiſſet plurimos actus remiſſiores: tertiò quia actus ille ſi nullo modo eſſet meritorius, male diceretur diſpoſitivus ad gratiam, ad quam per nos non datur diſpoſitio niſi moralis:

27\. Reliqua Adverſariorum pars, quæ difficultatibus hiſce perterrita admittit augmẽtum gratiæ correſpondens actibus remiſſioribus obtineri per quemcumque actum ferventiorem in via elicitum, vult hunc actum diſponere ad augmentum gratiæ non ſolùm in virtute propria, ſed etiam in virtute præcedentium actuum remiſſiorum, ideoque augmentum utriſque actibus correſpondens non eſſe ultrà menſuram diſpoſitionis. Verùm libenter audirem ab his Auctoribus, quid ſit actum ferventiorem diſponere in virtute præcedentium actuum remiſſiorum, & cur non eodem modo dicant actum remiſſiorem non expectato ferventiore actu diſponere ſufficienter ad augmentum, ſi minùs ſe ſolo, ſaltem in virtute præcedentium actuum, quibus homo obtinuerat primam gratiæ productionem; pro quo facient ad rem quæ infrà dicentur de reviviſcentia meritorum *cap. 10. num. 12.*

28\. Supereſt hic impugnanda celebris ac familiaris apud Thomiſtas diſtinctio, quâ gratiam (eodem modo loquuntur de charitate) dicunt accipi poſſe vel moraliter & in eſſe gratiæ; vel phyſicè & in eſſe qualitatis ſeu habitus; & augmentum ipſius, quamvis actibus remiſſioribus non ſtatim detur phyſicè & in eſſe qualitatis, ſtatim dari moraliter & in eſſe gratiæ, quatenùs juſtus per actus remiſſiores ſtatim reddatur acceptus ad majorem gloriam, & ad majorem amicitiam; quo ſecundo diſtinctionis membro exiſtimant ſe eludere omnes auctoritates & rationes militantes pro veritate à nobis aſſerta.

Fertur judicium de Thomiſticâ

Nihilominùs hæc diſtinctio, ſimpliciter quidem & ex terminis non diſplicet, at malè uſurpatur in re præſenti: Non diſplicet ſimpliciter & ex terminis, quia facilè agnoſco

diſtinctione gratiæ in eſſe moris & in eſſe phyſico.

in gratia tùm phyſicam entitatem tùm moralitatem, hancque adjuncto ab illa ſeparabilem & de facto ſeparandam, ſi gratia ut poteſt aut componeretur cum lethali, aut collocaretur in ſubjecto irrationali. Malè uſurpatur in re præſenti primò, quia non ſicuti phyſica entitas poteſt eſſe ſine ſua moralitate, ità poteſt eſſe moralitas ſine ſua phyſica entitate; alioqui ſicut aliquod phyſicum poteſt eſſe ſine omni morali, ità aliquod morale poſſet eſſe ſine omni phyſico: ſecundò, quia ratio, ob quam Thomiſtæ in re præſenti cum gratiæ moralitate non ponunt ipſius phyſicam realitatem, eſt carentia diſpoſitionis proportionatæ ad talem phyſicam realitatem; at hæc ratio corruit ex jam dictis: Tertiò, quia ſi augmentum gratiæ in eſſe moris & gratiæ habetur abſque inhærentia phyſicæ qualitatis, non eſt cur idem dici nequeat de prima gratiæ collatione? quod eſſet favere Sectariis negantibus juſtitiam phyſicè inhærentem; & certè ſi homo per actus remiſſiores ſit juſtior & gratior per gratiam ſolum in eſſe moris auctam, cur non ſit etiam juſtus & gratus per gratiam ſolùm in eſſe moris primò collatam.

29\. Aſſert. 3. Major intenſio, ſivè ſumatur per comparationem actus ad habitum præexiſtentem, ſivè per comparationem unius actus ad alium etiam infrà intenſionem habitus præexiſtentis, conducit ad majus meritum præmij eſſentialis, juſtus ſcilicet quocumque actu meritorio, quò intenſior eſt, eo meretur majus augmentum gratiæ & charitatis. Prima pars eſt communiſſimè recepta: Secunda eundẽ habet tùm Patronos tùm Adverſarios, quos prima pars aſſerti præcedentis.

Major intenſio actus meritorij conducit ad majus meritum.

Probatur facilè quoad utramque partem. Omnis intenſio ſeu omnis gradus actus meritorij conducit ad meritum præmij eſſentialis; ergo omnis intenſio major, ſeu omnis major pluralitas graduum, in actu meritorio conducit ad majus meritum præmij eſſentialis, adeoque ad id conducit major intenſio, ſivè ſumatur per cõparationem actus ad habitum, ſivè per comparationem unius actus ad alium etiam infrà intenſionem habitus; antecedens patet ex eo, quod juxtà præcedentem doctrinam actus quomodocũque remiſſus, ac per conſequens etiam in unico gradu exiſtens, poteſt eſſe meritorius & conducens ad meritum præmij eſſentalis; neceſſe eſt igitur, quod omnes & ſinguli gradus actus meritorij conducant ad meritũ; conſequentia probatur, quia ubi cætera ſunt paria, ut ſuppono paria eſſe in ſubjecta materia, ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ità magis ad magis, nec poteſt intenſio major ad majus meritum non conducere aliter, quàm per hoc quod aut intenſio ipſa, aut aliqua ſaltem pars ipſius ad meritum non conducat; undè etiam ſuprà dicebamus gratiam majorem non magis dignificare actum remiſſum, quia ſecundum aliquam ſui partem non dignificat talem actum. Confirmatur actus magis intenſus æquivalet, tùm pluribus minùs intenſis, tùm uni minùs intenſo 30.

diutiùs

diutiùs continuato; ſed tùm actus minùs intenſi per hoc quod ſint plures, tùm actus unus minùs intenſus per hoc quod ſit diutiùs continuatus, conducunt ad majus meritum præmij eſſentialis ut habetur partim ex mox dictis, partim ex infrà dicendis §.5. ergo ad idem majus meritum conducit actus magis intenſus quomodocumque comparetur; pro cujus inſuper radicali & plena intelligentia ſit

§. IV.

Quanam proportione correſpondeat major gratia majori intenſioni actus; & undè ſumenda hac major intenſio?

31. Ex majori intenſione actus gratia magis augetur geometricè, nō arithmeticè. ASSERT. 1. Geometrica, non arithmetica proportione correſpondet major gratia majori intenſioni actus, & probabile eſt nullum prorsùs actum mereri tot gradus gratiæ, quot habet in ſe gradus intenſionis. Suſtinent, aut ſaltem valdè favent huic aſſerto, Amicus *hic diſp.*35. *num.*124. Oviedus *controv.*5. *punct.*7. Coninchus *diſp.*22. *de charit. dub.*4. Moncæus *in diſput. ſelectis diſp.*8. *cap.*12. *&c.* contrà Tannerum *hic diſp.*6. *q.*6. *n.*511. Suarezium *relect. de reviviſcentia meritorum diſp.*2. *ſect.ult.* alioſque nonnullos Recentiores concedentes perfectiſſimis charitatis actibus tot gradus gratiæ in præmium, quot ſunt in actibus ipſis gradus intenſionis, & à fortiori contrà Arriagam *hic diſp* 51.*ſect.*5. id concedentem quibuſlibet actibus infimarum virtutum, ità ut deindè actus virtutum nobiliorum, præſertim charitatis, plures mereantur gradus gratiæ, quàm habeant in ſe gradus intenſionis.

Adverte aſſertum hoc facilè probari in ſententia docente intenſionem tùm gratiæ tùm cæterarum qualitatum fieri per gradus heterogeneos, & inæquales; in hac enim ſententia, eum gradus quo poſteriores ulteriores ſunt, eo ſint perfectiores ac perfectiores; certum eſt quatuor gratiæ gradus ſuccedentes aliis eſſe majoris valoris, quàm quatuor gradus primos, adeoque actum meritorium ut quatuor non poſſe mereri augmentum gratiæ ut quatuor, quia quatuor gradus actus meritorij eſſent quatuor primi, quatuor autem gradus augmenti ſunt quatuor gradus ſuccedentes aliis; hinc Coninchus & Moncæus ſuſtinentes heterogeneitatem graduum, & hac ratione utentes volunt conſequenter actum meritorium intēſum ut quatuor mereri quidem ſemper idem gratiæ augmentum quoad valorem, quoad gradus tamen mereri tanto pauciores, quantò gratia præexiſtens eſt intenſior, quia pauciores gradus ſupervenientes gratiæ intenſiori quoad valorem & perfectionem compenſant ſeu adæquant plures ſupervenientes gratiæ minùs intenſæ. Illationem hanc & argumentationem non improbarem, ſi fundamentum ſubſiſteret; at expedit probare intentum independenter à graduum etherogeneitate; Ideò aliter

Probatur aſſertum: Si aliquis actus mereretur tot gradus gratiæ, quot habet in ſe gradus intenſionis aliquis alius mereretur plures gradus gratiæ, quàm habeat in ſe gradus intenſionis; atqui hoc ſecundùm non rectè dicitur, ergo nec illud primum; ergo probabile eſt nullum prorsùs actum mereri &c. 32. cumque ex alia parte quilibet actus intenſior mereatur majorem gratiam, neceſſe eſt quod mereatur majorem cum proportione geometrica & inæquali, non arithmetica & æquali ad gradus intenſionis propriæ; Minor patet, quia circà meritum gratiæ, quod nobis vix aliundè, quàm ex divina revelatione innoteſcit, non rectè dicitur quod caret auctoritatis ſaltem Theologicæ fundamento, quo certè caret præmium condignum intenſius actu meritorio, cum communiter Theologi doceant meritum ut quatuor v.g. non eſſe condignum præmio majore, quàm ut quatuor; & ratio etiam in promptu eſt, quia meritum condignū nequit excedi à ſuo præmio, meritum autem ut quatuor perſpicuum eſt excedi à præmio majore, quàm ut quatuor. Sequela majoris probatur actu quocumque, qui mereretur tot gradus gratiæ, quot haberet in ſe gradus intenſionis, eſſet dabilis alius actus magis perfectus, quamvis non magis intenſus; nam eadem ſervata intenſione actus virtutis ſuperioris eſt perfectior actu virtutis inferioris, & inter ipſos actus virtutis omnium nobiliſſimæ, ſcilicet charitatis, amor Dei ut quatuor eſt magis perfectus magiſque meritorius, quàm amor proximi ut quatuor; imò dato quocumque amore Dei ſub quacumque finita intenſione eſt dabilis ſub eadem intenſione alius Dei amor magis perfectus magiſque meritorius ex majori, aut libertate, aut difficultate, aliavè ſimili circumſtantia ad majorem perfectionem majuſvè meritum conducente; ſubſiſtit igitur propoſitio illa, actu quocumque qui mereretur tot gradus, &c. atqui actus magis perfectus, & non magis intenſus eo, qui mereretur tot gradus gratiæ quot haberet in ſe gradus intenſionis, mereretur plures gradus gratiæ, quàm haberet in ſe gradus intenſionis, ut conſideranti patet, ergo ſi aliquis actus mereretur tot gradus gratiæ, &c. Hoc argumentum ſpecialiſſimam vim habet contrà Arriagam admittentem actui meritorio infimæ virtutis deberi tot gradus gratiæ, quot habet in ſe gradus intenſionis; cum enim tali actu ſub eadem intenſione ſit ferè incomparabiliter perfectior actus nobiliſſimus virtutis ſupernæ, ſcilicet charitatis, ſequitur hunc actum promereri gradus gratiæ ferè incomparabiliter plures, quam habet in ſe gradus intenſionis; quod certè mirum eſt & parùm credibile.

33. Sub eadem intenſione poſſunt dari actus magis, & minùs perfecti.

Dices in hoc nos nihil aliud debere mirari, quàm excellentiam actus charitatis; cæterùm ſuppoſito, quod juxtà ſupradicta quicumque actus remiſſior ſit meritorius gratiæ, primus gradus ſeu primum indiviſibile actus ſpectantis ad aliquam infimam virtutem

tutem

tutem debet mereri, nec poteſt minùs mereri, quàm unum gradum ſeu unum indiviſibile gratiæ; cur ergo ſecundus gradus, ſeu ſecundum indiviſibile illius actus, non merebitur alium gradum, ſeu aliud indiviſibile gratiæ? ſicque ulteriùs procedendo cur non ſemper tot promerebitur actus ille gradus gratiæ quot habet in ſe gradus intenſionis?

34. Sed contrà; iuxtà mea principia philoſophica continuum intenſivum æquè ac extenſivum partibus proportionalibus diviſibilibus in infinitum, non finitis indiviſibilibus conſtat; undè eſt locutio de ſubjecto non ſupponente attingere indiviſibilia pro gradibus, tùm actus meritorij, tùm gratiæ, hi enim gradus, quamvis prout ſumuntur tamquàm partes determinatæ & totæ ſimul, ſumantur indiviſibiliter, in re tamen diviſibiles ſunt, ſicque primo gradui actus ſpectantis ad aliquam virtutem infimam optimè poteſt correſpõdere aliquid minus, quàm unus gratiæ gradus; vel ſaltem poteſt correſpondere gradus gratiæ minor, ſi velis quãlibet gratiæ partem gradum appellare: Ecce quomodò cum eo; quod intenſio gratiæ non correſpondeat arithmeticè intenſioni actus; rectè ſuſtinetur minimum quemcumque ad remiſſiſſimum infimæ virtutis actum mereri aliquid gratiæ etiam ſtatim conferendæ; & ex hoc capite malè Arriaga reputat ſuam ſententiam valdè ex Tridentino confirmari.

Intenſio nõ fit per gradus indiviſibiles.

Accedit quod, ut fatetur ipſemet Arriaga *præcit. ſect.* 3. *num.* 24. etiam datis indiviſibilibus Zenonis in continuo intenſivo probabiliter dici poteſt actum virtutis infimæ ſuo primo indiviſibili mereri aliquid gratiæ, quamvis non integrum indiviſibile; ſicuti indiviſibile argenti datâ Zenonis opinione adhùc debet æquivalere ad aliquid auri, v.g. quamvis non ad integrum indiviſibile; dicendum igitur eſſet actum illum ſuo primo indiviſibili mereri noſtro modo concipiendi decimam, v.g. partem unius indiviſibilis gratiæ adeò ut quando fuiſſet aut decies repetitus aut conjunctus cum aliis novem actibus ſibi ſimilibus conſequeretur unum gratiæ indiviſibile.

Ex his habes nobis non conſtare, quot determinatè gradus augmenti gratiæ correſpondeant huic vel illi actui vel tantæ intenſionis; ſed ſolùm indeterminatè, quod quò plures ſunt in actu gradus intenſionis, plures ſint in gratiâ gradus augmenti, & hi plures gradus tot ſemper & iidem ſint, ſivè magis intenſo, ſivè minùs intenſo habitui superveniant, negata enim graduum etherogeneitate pauciores gradus supervenientes majori intenſioni non ſunt perfectiores & æquivalentes pluribus intenſioni minori supervenientibus, ut jam ſuprà attigimus, *num.* 31.

35. Aſſert. 2 Major intenſio actus conducens ad majus meritum apud Deum ſumenda eſt ex majori intenſione gratiæ actualis, ſeu ſupernaturalis auxilij ad actum concurrentis. Ità Alvarez *de aux. lib.* 7. *diſp* 62. Mader. *hic quæſt.* 8. *art.* 3. *num.* 10. & quicumque in quæſtionibus de Deo majorem intenſionem beatæ; viſionis metiuntur penes majorem intenſionem luminis.

Major intẽſio actus meritorij provenit à majori gratia actuali.

Probatur: Major intenſio actus conducens ad majus meritum neque ſumitur ex majori perfectione aut conatu naturalis potentiæ, neque ex majori intenſione habitus gratiæ aut alicujus virtutis infuſæ; ergo ſumitur ex majori intenſione gratiæ actualis, ſeu ſupernaturalis auxilij; conſequentia patet ex ſufficienti enumeratione partium; antecedens quoad primam partem probatur ex eo, quod major intenſio actus conducens ad majus meritum præmij ſupernaturalis, de quo unicè hic agitur, debet eſſe ſupernaturalis; ad hanc autem materialiter omninò ſe habet major perfectio, majorvè conatus naturalis potentiæ, imò naturalis potentia, qua talis, nequit in ſupernaturalem perfectionem ac intenſionem actus conatum ullum adhibere ut perſpicuum fiet recolenti ſupradicta *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. §. 4. dum probaretur inæqualitatem perfectionis naturalis intellectum nihil conferre ad inæqualitatẽ beatæ viſionis.

Non à majori perfectione naturalis potentiæ.

36. Idem antecedens quoad ſecundam partem probatur ex eo; quod intẽſio actus meritorij non ſemper commẽſuratur intenſioni alicujus habitus, & juſtus ſæpè meretur per actus, aut intenſiores; aut remiſſiores propriis habitibus; cujus rei ratio à priori eſt quòd habitibus infuſis in via utimur, cum volumus, & quantùm volumus; nec ipſis neceſſitamur, ſicuti per habitum luminis neceſſitamur in patria ad eliciendã viſionem ipſi commenſuratam, undè nil mirum quod *præcit.* §. 4 inæqualitatem intenſivam viſionis retulerimus in inæqualitatem habitus luminis, non ſic verò nunc referamus inæqualitatem intenſivam ſupernaturalium actuum viæ in inæqualitatem propriorum habituum. Neque dicas: ex eo quod habitibus infuſis viæ utamur, cum volumus, & quantùm volumus, videtur deduci inæqualitatem actuum refundendam eſſe in noſtram voluntatem, qua applicamur ad utendum magis vel minùs infuſis habitibus. Cõtrà enim: præter quod deficit inſtantia in actibus habitu præexiſtente intenſioribus, ad quos ſecundùm intenſionem, quâ excedunt habitum, habitu præexiſtente non utimur; præter hoc, inquam, falſa eſt aliundè generaliter deductio, quia habitibus viæ utimur quidem, cum volumus, & quantùm volumus, at ex actuali gratiâ habemus quod eis uti & tantùm uti velimus, ut ſatis ſuperque conſtat ex ſuprà traditis de neceſſitate actualis gratiæ prævenientis omnem motum ſalutarem noſtræ voluntatis.

Nec à majori intenſione alicujus habitus infuſi.

37. Dubitatur hic, Utrum actuale auxilium non ſolùm ſit ratio majoris intenſionis ſupernaturalium actuum; verùm etiam reſpectu eorumdem poſſit dici tota ratio agendi? Latè hoc ſub propriis terminis tractat Eſparza *lib.* 4. *de gratia*, *quæſt.* 18. dico breviter actuale auxilium ſi ſumatur, ut ſupponit potentiam elevatam, non rectè dici totam rationem agendi, benè verò ſi ſumatur, quatenùs ſupplere poteſt habitum, & ſupponete potentiã nõ elevatam; pro quo mutatis

Gratia actualis an ſit tota ratio agendi actus ſupernaturales.

mutandis transferenda hæc ſunt, quæ *præcit. lib.5. cap.3. §. 3.* dicebamus de tota ratione agendi in lumine gloriæ reſpectu viſionis.

Mirabitur quis, & fortè etiam ægrè ferret nos in tota hucuſque agitata controverſia de intenſione gratiæ facienda per actus, aut quoſcumque, aut ſolùm intenſiores, nihil ex D. Thoma in medium protuliſſe; Verùm conſultò id egimus eo quod S. Doctor variè, nec ſatis perſpicuè videatur hac de re locutus; nam *in 1. diſt. 17. quæſt. 2. art.3. ad 2.* ait *Quilibet actus charitatis in quantum eſt informatus tali habitu ordinatur ad præmium ſubſtantiale: non tamen ad augmentum præmij, ſicut nec ad augmentum charitatis* & ad 5. *Ad multitudinem actuum non ſequitur de neceſſitate augmentum præmij, ſubſtantialis*: Eadem ferè habet *in 2. diſt.27. quæſt.1. art.5. ad 2. & in 3. diſt.18. quæſt.1. art.5. ad 4.* E contrà modo loquendi valdè diverſo & ferè oppoſito utitur 1. 2. q. 114. *art.8. ad 3.* dicens *Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, ſicut & gratiæ conſummationem, quæ eſt vita æterna: ſed ſicut vita æterna non ſtatim redditur, ſed ſuo tempore, ità nec gratia ſtatim augetur, ſed ſuo tempore* & 2. 2. quæſt. 24. art.6. ad 1. *Quilibet actus meretur charitatis augmentum, non tamen ſtatim augetur, ſed quando aliquis conatur ad hujuſmodi augmentum*: Ex hac in loquendo varietate & ferè contrarietate liquido conſtat cuicumque quoad rem præſentem opinioni opponi poſſe aliquod D. Thomæ teſtimonium explicatione indigens.

38. Mens D. Thomæ nō videtur ſatis perſpicua de hoc.

39. Quatenùs nobis adverſari poteſt, explicatur.

Pro opinione à nobis aſſerta dicito teſtimonia adducta ex libris ſententiarum procedere de actu charitatis, quo homo ſe diſponit ad primam gratiam, non verò de actu charitatis qui elicitur ab homine juſto: Teſtimonia adducta ex ſumma quatenùs tribuunt augmentū gratiæ & charitatis cuilibet actui meritorio expreſsè nobis favent, quatenùs addunt tale augmentum non ſtatim dari à Thomiſtis ſolent intelligi de tali augmento in eſſe qualitatis & habitus; at in noſtra opinione quæ talem explicationem non patitur, explicabilia vix ſunt; dici tamen utcumq; poteſt S.Doctorē non intendere, quod gratia & charitas non ſtatim augeatur quoad eſſe phyſicum & ſubſtantiale; ſed quod non ſtatim, & ſolùm quando ſuccedit actus ferventior, augeatur quoad eſſe intentionale, ſeu quoad facilitatem & inclinationem operandi provenientem non ex entitate habitus infuſi, utpotè qui datur ad ſimpliciter poſſe, non ad facilè; ſed ex ſpeciebus experimētalibus, quas actus relinquunt, & hæ ſpecies non augent facilitatem intentionalem præexiſtentem quouſque ſupervenìat actus omnibus actibus præexiſtentibus intenſior, pro quo videatur Eſparza *lib 6. de Virtutib. Theolog. quæſt.42. ad 2.*

---

§. V.

Vtrùm perſeverantia actus conducat ad majus meritum, & ille augeat gratiam toto tempore quo durat?

ASSERT. Major perſeverantia, ſeu major continuatio actus meritorij conducit ad majus meritum, & ille toto tempore quo durat magis, ac magis, gratiam auget. Ita Theologi ferè omnes, & valdè ex profeſſo inter alios Amicus *hic diſputat. 35. ſect.9.* Oviedus *controv. 3. punct. 5.* Moncæus *in diſputationibus ſelectis diſp.8. cap.13. 14.15. 16.* Gabriel à S. Vincentio *diſp.21. quæſt.5.* contrà Bannez 2.2. *quæſt.24. art.6. dubit.3. concl.2.* & ex parte contrà Victoriam *relect. de augm. charit.* docentem continuationem actus, ut conducat ad majus meritum, debere eſſe notabilem, item contrà alios quoſdam ſuppreſſo nomine memoratos à Suarezio *relect. de reviviſc. merit. diſp. 2. ſect.5. num.36.* 40.

40. Major perſeverantia in actu meritorio auget meritū gratiæ & gloriæ.

Probatur primò ex Scriptura 1. Cor.13. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*; ubi merces, quæ abſolutè poſita gratiam gloriamque ſignificat, promittitur juxtà menſuram laboris, & major majori labori; atqui in cōtinuatione operis meritorij eſt peculiaris labor, & in majori continuatione major. Confirmatur ex Sanctis Patribus, quibus familiare eſt commendare tanquam magis ſalutaria magiſque proficua bona opera diutiùs continuata; audiatur pro nunc ex omnibus unus Cyprianus *Epiſt.16. ad Sanctos Confeſſores* dicens *Ad faſtigia celſiora morâ ipsâ paſſionis aſcenditis, longoque temporum ductu glorias veſtras non trahitis, ſed augetis, &c.*

Probatur ſecundò ex communi ratione perſeverantiæ, quæ perficit rem in ſuo genere, & ſicuti melius eſt eſſe quàm non eſſe, ità melius eſt eſſe diuturno quàm brevi tempore; nam eſſe diuturno tempore importat eſſe pro aliqua mora, pro qua eſſe brevi tempore importat non eſſe. Confirmatur primò: in duratione & perſeverantia pari, unius v.g. quadrantis, unus actus intenſus ut quatuor, vel duplex actus intenſus ut duo eſt magis meritorius, quam actus unus intēſus, ut duo, ſed actus unus intenſus ut duo ex eo præcisè, quòd duplici duret quadrāte æquivalet, tùm actui ut quatuor, tùm duplici actui ut duo duranti uno quadrante, eſt magis meritorius, quàm ſi duret uno quadrante, quod enim eſt æquivalens & æquale actui magis meritorio utique eſt magis meritorium. Confirmatur ſecundò paritate actus mali, qui ex eo, quòd magis duret, eſt magis demeritorius majorique pœnâ puniendus; & licèt permanentia in peccato ex eo, quod non ſit circumſtantia mutans ſpeciem non afferat malitiam in confeſſione Sacramentali ſpeciatim exprimendam, quia tamen eſt circumſtantia aggra- 41.

vans

vans reddit malitiam in eadem ſpecie graviorem, & auget pœnæ demeritum; ergo à pari, &c. eſt autem valdè efficax & opportuna hæc paritas etiam ex eo quod, quemadmodum conſideranti mox patebit, egregiè deſerviat ad infringendas & retorquendas omnes ferè difficultates contrà veritatem aſſertam militantes, quarum aliquæ graviſſimæ ſunt.

42. Prima difficultas proponitur ſic. Si duratio ſeu continuatio actus augeret meritum; quilibet actus meritorius determinato tempore durans haberet meritum infinitum, nam in quolibet determinato tempore dantur infinita inſtantia, vel infinitæ partes proportionales; actus igitur determinato tempore durans, dum continuatè augeretur, tot acquireret novos gradus meriti, quot ſunt vel inſtantia vel partes in tali determinato tempore, adeoque acquireret infinitos gradus conſtituentes infinitum meritum: Cujus difficultatis vis poteſt etiam paulò aliter proponi dicendo, actus ille æquivaleret quoad meritum omnibus actibus æqualis cum ipſo intenſionis, qui poſſent exerceri omnibus inſtantibus illius determinati temporis; at iſti actus eſſent infiniti, ſicuti ſunt infinita illius determinati temporis inſtantia; ergò æquivaleret actibus meritoriis infinitis & haberet infinitum meritum.

43. Seconda ſic: Creetur ab æterno Angelus in gratia, qui ab æterno eliciat actum meritorium; iſte actus haberet durationem infinitam, ergo ſi ex duratione creſcit meritum, haberet meritum infinitum, & certè talis actus tot haberet gradus meriti, quot dies durationis; atqui haberet infinitos durationis dies, imò & menſes, & annos; duratio enim infinita continet infinities omnes durationes finitas; ergo haberet infinitos gradus meriti ſeu infinitum meritum.

44. Tertia ſic: Si actus quò majori tempore durat eo majoris præmij eſſet meritorius, omiſſio operis præcepti eo eſſet demeritoria minoris pœnæ, quo minori tempore poſſet præceptum impleri, ſicut & pœnæ eo majoris, quò majus tempus deberet inſumi in præcepto implendo; ergo omiſſio operis præcepti, quod poſſit impleri quocumque minori & minori tempore in infinitum, ſicuti poſſunt impleri præcepta de actibus internis de quibus ad aliquod determinatum tempus continuandis nihil nobis de facto præcipitur; omiſſio, inquam, talis operis præcepti eſſet demeritoria pœnæ minoris & minoris in infinitum, quod eſt idem ac dicere pœnæ impoſſibilis & chymericæ, ad quam non datur demeritum; atqui hoc eſt abſurdiſſimum; ergo & id undè ſequitur.

Præter tres iſtas graviſſimas difficultates duas alias leviores affert Baones. Prima eſt, quod actus continuatus & actus inſtantaneus, vel actus magis durans & actus minùs durans, differunt ſolum accidentaliter; ergo ſolùm in ordine ad præmium accidentale, non in ordine ad præmium eſſentiale, unus poteſt eſſe magis meritorius quàm alter. Secunda eſt, quòd ex duobus inæqualiter perſeverantibus in actu meritorio, habentibus tamen æquale quoad omnia propoſitum perſeverandi, uterque meretur æquale præmium eſſentiale, voluntas enim pro opere reputatur, quando deeſt facultas operis implendi; ergo major perſeverantia ſaltem actualis & exercita actus meritorij non auget meritum præmij eſſentialis. Sed contrà: ut ab his levioribus me expediam, dico in primis utramque hanc difficultatem retorſionem pati in actu demeritorio, & priorem inſoper retorqueri ſpecialiter poſſe in libertate & intẽſione, quæ quò majores ſunt ad majus præmium eſſentiale conducunt, & tamen actus magis intenſus & actus minùs intenſus, actus magis liber & actus minùs liber, differunt ſolùm accidentaliter: Directè deindè ad priorem difficultatem concedo antecedens, nego conſequentiam; aliud quippè eſt præmium accidentale, aliud præmium accidentaliter diverſum; ex illo antecedente ad ſummum infertur hoc ſecundum, quod à nobis non negatur, præmium enim eſſentiale magis intenſum; quod meretur actus continuatus vel magis durans, verè differt ſolùm accidentaliter à præmio eſſentiali minùs intenſo, quod meretur actus inſtantaneus vel minùs durans, & nullus dialecticus ignorat, quantùm diſcrepent mereri præmium accidentale, & mereri præmium accidentaliter diverſum; item mereri præmium eſſentiale & mereri præmium eſſentialiter diverſum: ad poſteriorem difficultatem, *ex ſeq.* §. conſtabit quandonam & quomodo voluntas pro opere reputetur, interim loquendo de operibus, in quibus id verificatur, in quibus ſcilicet propoſitum ſeu voluntas operandi ſine operis executione tanti eſt meriti, quanti cum executione, dico duos habentes æquale propoſitum quoad omnia, etiam quoad ipſiuſmet propoſiti durationem, verè promereri æquale præmium eſſentiale; at impropriè dicentur inæqualiter perſeverare in actu meritorio per hoc, quod deindè inæqualiter perſeverent in executione propoſiti; hæc quippè executio non habet ampliùs proprium meritum, ideoque etiam nil mirum, ſi major vel minor in executione perſeverantia ad majus vel minus meritum non conducat. 45. Occurritur levioribus difficultatibus in contrarium.

Procedo jam ad tres difficultates antecedenter propoſitas, quæ licèt graves & moleſtæ, eo quod excitent quæſtionem compoſitionis continui, quæ ſicuti Philoſophorum torquet ac premit ingenia, ità non poteſt non etiam Theologis torturam aliquam ac moleſtiam afferre, quoties rebus Theologicis intermiſcetur; licèt, inquam, graves ac moleſtæ, nituntur tamen argumentis, quæ ſicuti eodem modo probarent tùm non aggravari demeritum in continuatione actus mali; tum non creſcere meritum præmij accidentalis in continuatione actus boni, ità poſſunt ex hoc ſecundo capite contra Bannezium, ex primo capite contrà veritatem manifeſtam retorqueri, & ſic convinci falſitatis; quod 46. Occurritur difficultatibus gravioribus.

rectè haberetur pro ſufficienti ſolutione, quando omnes aliæ ſolutiones deeſſent, non deſunt tamen, imò à multis multæ afferuntur ut videre eſt præſertim apud Moncæum & Oviedum locis præcitatis. Interim.

47. Occurritur primæ. Ad primam difficultatem propoſitam num. 42. ſuppono compoſitionem continui ex partibus proportionalibus, & d co actum in ſui continuatione augeri per gradus proportionales, & ſicuti in quolibet determinato tempore partes proportionales ſyncathegorematicè infinitæ finitam faciunt, non infinitam, durationem; ità in act meritorio gradus proportionales hiſce pa ibus correſpõdentes conſtituere finitum, non infinitum meritum. Ad eandem difficultatem aliter ibidem propoſitam dico in primis actus, qui poſſunt eo determinato tempore exerceri, non eſſe infinitos, ſed tantùm finitos in infinitum, ſeu non tot quin plures, nam actus diverſi non poſſunt exerceri, niſi in diverſis determinatis temporis partibus: hæ autem in quolibet determinato tempore poſſunt quidem aſſignari finitæ in infinitum & non tot quin plures, at nunquam infinitæ, deindè unum actum aliquo determinato tempore durantem æquivalere multis æqualis intenſionis, qui poſſent eo tempore exerceri verum eſt cum aliqua limitatione, ideſt quoad meritum correſpondens durationi, non quoad meritum correſpondens entitati, & ratio eſt quia qui eodem intervallo temporis elicit multos actus majorem libertatem exercet circà entitatem ſingulorum, quàm continuatè exerceat circà entitatem unius, qui in uno actu perſeverat; perſeverantia enim ipſa inclinat ad perſevarantiam ulteriorem, & eo magis inclinat, quo eſt magis continuata.

48. Occurritur ſecundæ. Ad ſecundam difficultatem data hypotheſi actus meritorij, puta actus charitatis, qui fuiſſet ab æterno productus & haberet durationem infinitam dico, quidquid ſit an neceſſariò admitti debeat; ſaltem ſine abſurdo admitti poſſe in tali actu meritum infinitum, cui ſcilicet deberetur in præmium aut gratia & gloria infinitè intenſa, ſi hæc infinita intenſio eſſet poſſibilis; aut gratia & gloria ſyncathegorematicè infinita, ideſt major & major in infinitum, adeò ut non poſſet Deus illi merito tantam gratiam retribuere, quin adhuc poſſet dignè retribuere majorem: Nec propterea meritũ illius actus adæquaret meritum actuum Chriſti Domini; ratio eſt quia creatura per illum actum ſolum condignè mereretur quamcumque gratiam & gloriam ſibi; Chriſtus per ſuos actus condignè meretur quamcumque gratiam & gloriam aliis; item quidvis aliud, etiam unionem hypoſtaticam alterius divinæ Perſonæ.

49. Occurritur tertiæ. Ad tertiam difficultatem dico in actu durante per aliquod tempus attendi poſſe tùm entitatem ipſam ſeu ſubſtantiam actus, tùm continuationem ſeu durationem; utrique ſuum meritum correſpondet; & primum quidem meritum correſpondet actui in primo inſtanti, & ſemper unum ac idem eſt; ſecundum correſpõdet actui ſucceſſivè & ſucceſſivè augetur; eodem proportionaliter modo loquor de omiſſione actus præcepti & dico aliam pœnam correſpondere omiſſioni actus conſiderati ſecundum ſubſtantiam, aliã omiſſioni ejuſdem conſiderati ſecundum durationem, ſeu ut duraturi; illam eſſe pœnam determinatam & ſemper eandem; iſtam eſſe majorem vel minorem prout actus debet magis vel minus durare; loquendo deindè de omiſſione actus quocumque minori & minori tempore duraturi dico tali omiſſioni correſpondere pœnam minorem & minorem, imò nullam, ſi ſermo ſit de pœna correſpondente omiſſioni actus ut duraturi; eidem tamen omiſſioni correſpondet pœna certa & determinata, ſi ſermo ſit de pœna correſpondente omiſſioni actus conſiderati ſecundum ſubſtantiam: juxtà hanc doctrinam diſtinguendum eſt, tùm antecedens, tùm conſequens, difficultatis tertio loco propoſitæ; quæ poteſt eodem ferè modo & formari & enodari in omiſſione actus præcepti, aut ſub intenſione determinata, aut ſub quacumque intenſione minore & minore indeterminatè.

---

§. VI.

Vtrùm externa executio operis conducat ad majus meritum?

Aſſert. I. Externa executio operis ut plurimùm conducit ad majus meritum occaſionaliter & ratione alterius, quatenùs ſcilicet eſt occaſio majoris, aut continuationis, aut intenſionis, aut efficaciæ in actu interno: Supponitur hæc veritas à Theologis communiſſimè & ſola indiget explicatione. Ideò 50.

Probatur & explicatur: juxtà vulgarem acceptionem externa operis executio ſupponit pro illis ſolis actibus, qui fiunt in externa materia & à potentiis, quas communiter externas dicimus; at juxtà acceptioné Theologicam complectitur omnes actus aliarum potentiarum à voluntate, qui ex voluntatis imperio executioni mandantur; hi omnes actus in genere moris rectè dicuntur externi quia genus moris attenditur præcipuè penes libertatem convenientem formaliter ſoli voluntati; actus igitur aliarum potentiarum ex eo, quod ſint extrà voluntatem & externi voluntati, ſunt externi principio formaliter libero, adeoque ſunt externi ſimpliciter in genere moris; ſoli verò actus voluntatis ſunt in eodem genere interni ſimpliciter: Portò 51. aſſertum in re procedit de externa executione, ſeu de externo actu juxtà acceptionem Theologicam, nihilominùs majoris claritatis gratia utemur duntaxat exemplis ſpectantibus ad acceptionem vulgarem, ſecundum quam ſunt actus externi meritorij largitio eleemoſynæ, flagellatio voluntaria, jejunium, & ſimilia; hos actus dicimus utplurimùm conducere occaſionaliter ad

Actus externus & internus in genere moru quid?

Externus auget occaſionaliter meritum interni.

ad majus meritum, & ſaltem utplurimùm eum, qui interno propoſito jejunandi re ipſa conjungit externum jejunium occaſionaliter magis mereri, quàm ſi externum jejunium non conjungat; nam vel non conjungit ex propria libertate & ſic ceſſat propoſitum jejunandi, quod in executione jejunij perſeveraret, imò perficeretur ex complacentia jejunij, aut ex victoria alicujus difficultatis in actuali jejunio occurrentis, quæ non fuiſſet adeò explicitè & vividè apprehenſa antecedenter, vel non conjungit ex impedimento extrinſeco, & ſic etiam regulariter ceſſat propoſitum jejunandi, quia impeditus ab executione ſolet deſiſtere ab intentione, ſaltem efficaci & abſoluta; aut ſi propoſitum non ceſſat, ei non ſupervenit ulla perfectio, nec ulla major ad motivum honeſtum adhæſio ex victoria difficultatis in executione occurrentis; ergo utplurimùm is, qui cum interno propoſito jejunandi conjungit externum jejunium diutiùs continuat, magiſque intendit, ac perficit ipſum propoſitum, adeoque per externũ jejunium quatenùs eſt occaſio majoris continuationis, aut intenſionis, aut efficaciæ in propoſito, ſeu imperio interno, magis meretur; eademque eſt ratio de cæteris externis operibus comparatis ad proprium actum internum, quo imperantur, eadem item eſt proportionaliter ratio de operibus externis peccaminoſis & malis in ordine ad demeritum.

52. Et hæc quidem certa ſunt ac incontroverſa, non ſic incontroverſum eſt: Vtrùm idem opus externum bonum aut malum, occaſionaliter dumtaxat & ratione actus interni, an etiam formaliter & ratione ſui, ſeu ex ſe præcisè meritum aut demeritum augeat? adeò ut importet meritum aut demeritum aliquod ſibi intrinſecũ, & contradiſtinctum à merito aut demerito actus interni? pendet autem hæc controverſia ab illa alia, quã ſuo loco quæri ſolet, utrùm actus externus habeat bonitatem aut malitiam moralem ſibi intrinſecam, & actui interno ſuperaddat bonitatem aut malitiã non objectivam tantùm, ſed formalem, in quâ controverſia, tùm aliqui recentiores, tùm Scotiſtæ diviſi ſunt, & Scotus ipſe videtur affirmare *quodlib.* 18. *art.* 3. videtur verò negare *in* 2. *diſtinct.* 42. *q.* 4. ſicut & abſolutè negat D. Thomas 1. 2. *q.* 20. *art.* 4. & *in* 2. *diſtinct.* 40. *q.* 1. *art.* 3. quem ſequuntur Thomiſtæ & major pars recentiorum; undè juxtà hanc partem negantem, quàm verè ſequendam eſſe ſupponimus, ſit

53. At non formaliter & ratione ſui præcisè.

Aſſert. 2. Externa executio operis formaliter & ratione ſui præcisè non conducit ad majus meritum; nec importat meritũ ullum ſibi proprium & contradiſtinctum à merito actus interni. Ità Thomiſtæ ex mente D. Thomæ locis præcitatis, item Oviedus *hic controv.* 2. *punct.* 6. Eſparza *lib.* 3. *de act. hum. q.* 38. Herincx *diſput.* 3. *q.* 6. & alij plures contrà aliquos tùm Scotiſtas tùm recentiores tribuentes actui externo propriam, ſpecialemque bonitatem moralem; & inſuper contrà Ripaldam *tom.* 2. *de ente ſupernaturali, diſp.* 68. *ſect.* 5. ſuſtinentem in actu externo proprium & ſpeciale meritum abſque propria & ſpeciali bonitate.

Probatur: externa executio operis non habet ullam libertatem ſibi propriam, & contradiſtinctam à libertate actus interni; ergo non importat ullum meritum ſibi proprium, ac per conſequens formaliter & ratione ſui præcisè non conducit ad meritum maius; antecedens patet, quia libertas contradiſtincta à libertate actus interni (quod, ut jam attigimus, eſt idem ac dicere actus voluntatis) deberet eſſe libertas reperta extrà voluntatem, extrà quam tamen certum eſt non dari libertatem formalem ac propriam; conſequentia probatur ex eo, quod ad meritum, ſicut & ad bonitatem moralem maximè requiritur libertas; externa igitur executio operis ex eo, quòd non habeat ullam libertatem ſibi propriam ſicut ut aliundè ſuppono non habet ullam ſibi propriã bonitatem moralem, ità nec habet ullum ſibi proprium meritum. Confirmatur: externa executio 54
operis utplurimũ eſt impedibilis ab extrinſeco: ergo non eſt imputabilis ad proprium ac ſpeciale meritum, aut demeritum; hoc enim utrumque maximè requirit, quòd ab intrinſeco ac voluntarium ſit, nec voluntas poteſt aut præmiis moveri aut ſuppliciis retrahi niſi in ordine ad ea, quæ ſunt in ipſius poteſtate: Deinde quis diceret toto animo anhelantem ad alterius occiſionem minùs peccare minuſve demereri ex eo, quod armis per vim ſpolietur; aut pecuniis præparantem ex efficaci intenſione eleemoſynæ minùs mereri ex eo, quod violenta detenſione manuumve alligatione impediatur? Certè qui talia diceret haberet contrà ſe ſanctos Patres, ex quibus Auguſtinus *lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 3. ait *Si cui non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena; planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minùs reus eſt, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur.* Richardus de S. Victore *lib.* 2. *de ſacrament. p.* 14. *c.* 6. ait, *Vbi aliquid datur & ubi nihil datur, differens meritum eſſe non poteſt, ſi æqualis utrimque voluntas habeatur.* Chryſoſtomus homil. 19. in Matth. *Voluntas eſt, quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo; opera autem ſunt teſtimonia voluntatis.* Tandem Bernardus epiſt. 77. *Quid planius, quàm quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit neceſſitas.*

Dices primò has auctoritates acceptas, ut verba ſonant, ſicut & allatas rationes nimis probare; probant enim primò eum, qui haberet voluntatem merendi tantum, quantum Apoſtoli, aut etiam alij omnes ſancti; verè tantum mereri, quantum ipſi meruerunt; item eum, qui vellet millies pro Chriſto mori æquè mereri, ac ſi millies moreretur, & non ſolùm unius, ſed mille martyrum gloriam æquare; probant ſecundò eſſe contemptibilia & inutilia omnia opera externa, cum ſine ipſis actus interni ſint valoris & meriti æqualis ac cum ipſis; probant tertiò cæteris ſanctis Patribus, imò ſibi ipſi adverſari

verſari Augnſtinum dum *lib.* 53. *de Trinit. c.*5. ait *Mala voluntate vel ſola quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, quâ mala voluntatis deſiderium impletur.* Sed contrà: ad

55. Qualis debeat eſſe voluntas operis ut pro opere reputetur?

primum dico volnntatem pro facto repurari, & tanti eſſe meriti, quanti factnm ipſum, quando eſt efficax & ex ſe ſuffieiens ad factum inducendum; hujuſmodi non eſt volnotas mereodi tantum, quantum Apoſtoli ant omnes ſancti; neque enim poteſt eſſe efficax, eum ſit de objecto moraliter impoſſibili; mnltò minus eſt ex ſe ſuffieiens ad indncenda ea opera, quibus ſancti meruerunt, plures enim omninò actus voluntatis requirerentur ad tot operum executionem, eadem ratione pluries mori eſt objectum moraliter impoſſibile, & eo modo, qno poſſibile eſt plures ad ipſius executionem volnntates requiruntur, nee ſufficit nniea ideò, &c. Hinc

Voluntas martyrij in quonâ reputetur pro martyrio ipſa, in quonam non?

facilè occurritur aliis non diſſimilibus inſtaottis, qoæ formari poſſunt in voluntate cliciendi infinitos actns meritorios, elargiendi infinitam eleemoſynam, &c. ſolùm in martyrio ſpecialiter obſervandũ eſt duo debere in ipſo diſtingui, nimirùm illud, quod correſpōdet proprio martyrij merito & operi operantis, & illud quod aut noo datur ut præminm, ſed præcisè ut ſignom & character, aur eorreſponder operi operato; quoad primum poteſt quis efficaei martyrij deſiderio æqnare unius, lieèt non plurium Martyrum gloriam, & in hoc ſenſu Eeeleſia rectè canit de B. Martino, *O ſanctiſſima anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit.* Quoad ſecundum nil facit contrà rem præſentem voluntate martytij non obtineri id totum, quod obtinetur martyrij conſummatione; puta non obtineri aureolam, nec eam portionem gloriæ eſſenrialis, quæ datur, ſi quæ datur, ex opere operato.

56. Opera externa quo modò ſint utilia & æſtimabilia, quàvis non importent proprium meritum?

56. Ad ſecundum dico adhuc eſſe valde utilia ac æſtimabilia opera externa primò, quia lieèt non ſint meritoria merito proprio & ſibi intrinſeco, talia ſunt merito denominativo & partieipato ab actibus internis: ſecundò, quia ut præaſſertum eſt ferè ſemper conducunt ad majus meritum actnum internorum, imò ſæpè ſnnt ad tale merienm neceſſaria, cum ſæpè ſine operibus externis nequeant eſſe efficaces actus interni: Tertiò, qoia opera externa qnando non eſſent utilia & æſtimabilia titulo meriti, eſſent talia aliis titulis, nimirùm titulo obſervantiæ præceptorum, titulo exbibendi Deo cultum ſenſibilem, &c.

Ad tertium dico mala voluntate miſernm verè reddi poteſtate miſeriorem; at oecaſionaliter dumtaxat, non formaliter; ideò ſieuti noſtrum primum aſſertum non contradicit ſecundò, ità nec Auguſtinns relatis verbis contradieit ſibi, ant aliis ſanctis Patribus.

Dices ſecundò malè à nobis ſnpponi, quod actus externus noo habeat propriam bonitatem moralem contradiſtinctam ab ea actus interni, & inſnper hoc dato adhuc poſſe ſuſtineri proprium meritum primò, quia meritum attenditur ex ratione obſeqnij magis, quàm ex ratione bonitaris; ratio antem obſequij ergà Deum major eſt in opere externo, qnod eertè per ſe ipſum exeitar majorẽ Dei hooorationem & landem: Seenodò, quia actus internus ſimul eũ externo quidquid ſit, an habeat majorem rationem bonitatis? babet omnioò majorem rationem ſatisfactionis? ergo babere pariter poteſt majorem rationem meriti: Tertiò, quia ad meritum proprium in actu imperato ſnffieit libertas actùs imperantis, alioqui quando voluntas per actnm reflexum ſibi ipſi efficaciter imperat actnm aliquem directum, eliceret hune actum directum ſine proprio merito: ergo actus externi, utpotè qui ſunt liberi libertate actus interni imperantis, habent libertatem ſufficientem ad proprium meritum. Sed contrà: alterius loci eſt oſten-

57. In merito apud Deũ nequit eſſe ratio obſequij major quàm ratio bonitatis.

57. dere quod benè ſopponamus actum externũ non habere propriam bonitatem, &c. quoad ea verò, quæ urgentur dato ſuppoſito, ad primum dico verum obſequium præſertim reſpectn Dei, qui externis apparentiis nee decipitur nec delectatur, debere eſſe morale & liberum, nec poſſe ereſcere ratinoem obſequij non ereſeente ratione moralis bonitatis, & per hoc quod opus externum conducat ad excitandam Dei laodem & bonoratioocm infertur, quod ſit cauſa majoris obſeqnij in aliis, non quod ſit majus obſequiũ io ſe; ant qnod reddat magis merentem magiſve obſequentem eum à quo fit; alioqui noſtrum meritum penderet ab iis, qoæ in noſtra poteſtate non ſuot & Coneionator, v. g. eadem concione magis vel minùs mereretur per hoc præcisè, quod plures vel pauciores ex ea proficerent, ad bonam frugem ſe converterent, Deum glorificarent.

58. Opus externũ magis conducit ad ſatisfactionem, quàm ad meritum.

58. Ad ſecundum tranſeat antecedeos, nego conſeqnentiam; diſparitas eſt qnia ſatisfactio fnodatur in pœoalitate, qnæ potiſſimùm reperitur in opere externo, meritum fundatnr in morali honeſtate quæ reſidet in actn interno: Item ſatisfactio, utpotè qui ſobſtituitur ſatiſpaſſioni, eſt paſſio potiùs, quàm actio, meritum eeontrà eſt actio, cum cauſa meritoria pertineat ad genus efficientis; paſſio antem potiùs, quàm actio, poteſt creſcere qnaſi ab extrinſeco, & per libertatem non propriam; ideò &c.

59. Ad tertium Eſparza *pracit. q.* 38. *art.* 5. negat antecedens, vult enim eandem eſſe rationem ſpoliandi proprio merito ac demeritò actus ioternos efficaciter omninò & determinatè imperatos; atqne ſpoliandi eodem actiones exteriores: Oviedus verò *pracit. controv.* 2. *punct.* 3. vult non eſſo eandem rationem & affirmat ſufficere ad meritũ actus interni libertatem actus imperantis, qoam vocat libertatem remotam; quia, inqnit, actus internus imperatus poteſt eſſe honeſtus intrinſecè & ex objecto, & habere bonitatem contradiſtinctam à bonitate actus imperantis, quamvis non babeat cootradiſtinctam à libertate actus imperantis libertatem; non ſic ſe habet actus externus, qui unnquam

eſt

eſt eſſentialiter ac ab intrinſeco honeſtus; ſed poteſt ſecundùm ſe bene & malè fieri & ab actu imperante habet non ſolùm quod ſit liber, ſed etiam quod ſit bonus; juxta hanc doctrinam dici poteſt ad meritum proprium in actu efficaciter imperato ſufficere libertatem imperantis, ſi actus imperatus ſit internus & aliundè bonus; ſecùs ſi externus & aliundè indifferens; juxtà eandem doctrinam deſiderium, ſeu imperium efficax actus interni non eſt tanti meriti ſe ſolo, quanti cum actu ipſo interno; licèt ſit tanti meritj ſe ſolo, quanti cum actu ipſo externo deſiderium efficax actus externi, & hinc Herincx *præcit. q. 6. num. 44.* ait deſiderantem mereri, quantum meruit D. Paulus v.g. non tantundem in re mereri quia objectum talis deſiderij non eſt præcisè aliquis actus externus, ſed innumeri actus interni; quæ ratio militare poteſt ad eludendas multas alias Adverſariorum inſtantias contrà veritatem à nobis aſſertam; & propterea quoad præſens punctum de merito actus interni libentiùs ſentirem cum Oviedo & Herincx, quàm cum Eſparza; & modo mox explicato diſtinguerem potiùs, quàm negarem propoſitionem illam, *Ad meritum proprium in actu imperato ſufficit libertas actus imperantis.*

Actui interno libero ſola libertate imperantis poteſt concedi proprium meritum.

CAPUT VIII.

De objecto, ſeu materia meriti.

1. OBJECTUM, ſeu materia meriti, eſt illud omne, quod cadit ſub meritum, ſub meritum, inquam, hominis apud Deum præſertim códignum, ſub quod ex huculque dictis ſufficientiſſimè conſtat cadere poſſe augmentum gratiæ & gloriæ; nihilominùs abs re non erit ſub propriis terminis id obiter recurrere, ut ſimul ſtatuamus, quomodò ſub idem meritum cadat augmentum cæterorum ſupernaturalium habituum gratiam conſequentium: Deinde ſggrediemur reliquam magis controverſam meriti materiem, nimirùm primam gratiam, primam gloriam, reparationem lapſus futuri, perſeverantiam finalem, &c.

§. I.

An & quomodò homo iuſtus mereatur augmentum gloriæ, gratiæ habitualis, & virtutum infuſarum?

2. ASSERT. 1. Certum eſt hominem juſtum per bona opera ex gratia procedentia ſibi condignè mereri augmentum gloriæ, & gratiæ habitualis.

Certum eſt juſtum ſibi condignè mereri augmentũ gratiæ & gloriæ.

Dixi *certum eſt* & intelligo de certitudine ſaltem Theologica, nam de certitudine fidei res eſt aliqualiter controverſa propter vocem *condignè* non repertam in Tridentino *ſeſſ. 6. c. 16.* item *can. 24. 26. & 32.* quibus in locis definit aſſertam veritatẽ, quemadmodum jam attigimus *præced. c. 5. n. 11.* Volunt inſuper nonnulli cum Vaſquio *diſp. 210. c. 7.* deficere aſſertum à certitudine fidei propter vocem illam *habitualis*, quæ pariter in Tridentino non reperitur, & ideò Vaſquez conformiter ad ſua principia, quibus exiſtimat hominẽ poſſe juſtificari formaliter per proprios actus, nec ad fidem pertinere, quod juſtificetur de facto per habitum; fatetur quidem eſſe de fide, quod juſtus per bona opera acquirat augmentum gratiæ & ſanctitatis; at non, quod nomine hujus gratiæ & ſanctitatis veniat aliquid habituale; nos tamen ſicuti ſuprà *lib. 3. c. 1. num. 2.* & *lib. 4. c. 2. num 9.* agnovimus ut fide certum gratiam quâ juſtificamur eſſe habitualem; ità hic agnoſcimus ut fide certum habitualem eſſe gratiam & ſanctitatem, quæ in juſtis per bona opera augetur. Aſſertum igitur prout complectitur ly *condignè*, eſt Theologicè certum, & oppoſitum eſt errori proximum, aut temerarium, aut ſaltem notandum levitatis, ſi reducatur ad ſolam diverſitatem modi loquendi juxtà ſupradicta, *aci num. 1.*. omittendo verò ly *condignè* remanet de fide contra Jovinianum, qui in gratia & gloria ſicuti non admiſit inæqualitatem, ità nec augmentum *ex lib præced. c. 3. n. 2.* item contrà Lutherum, Calvinum, & cæteros Novatores negantes noſtris operibus omne meritum apud Deum *ex præced. c. 5. §. 2.*

Cenſura opinionis oppoſitæ.

3. Probatur: ex iis, quæ locis mox memoratis contrà Jovinianum, item contrà Lutherum & Calvinum attigimus, certum eſt gratiam & gloriam admittere augmentum, & nos poſſe apud Deum condignè mereri; conſideranti deinde conditiones in noſtris operibus requiſitas pro merito apud Deum liquidò apparebit illas omnes in ordine ad gloriæ & gratiæ augmentum cõvenire actibus, ſeu operibus à juſto ex gratia elicitis; ergo certum eſt hominem juſtum per bona opera ex gratia procedentia, &c. per bona, inquam, opera ex gratia procedentia, quo indefinito loquendi modo inſinuatur non requiri in hujuſmodi operibus ullam determinatam, aut intenſionem, aut extenſionem, ſeu durationem, quamvis deinde opus bonum, quò intenſius eſt aut diuturnius, eò ad majus gratiæ augmentũ promerendum conducat ut ex profeſſo tradidimus *cap præced. §. 3. 4. & 5.* quo ex loco recolenda ſunt multa, quæ poſſent hic deſiderari circà modum & tempus, quo confertur augmentum gratiæ noſtris actibus meritoriis præſertim remiſſioribus debitum, & dumtaxat ſupereſt ſtabiliendum, utrùm idem ſentiendum ſit de augmento cæterorum ſupernaturalium habituum, ſeu virtutum infuſarum. Ideò ſit

4. Aſſert. 2. Juſtus per ſe loquendo condignè meretur augmentum omnium virtutum infuſarum, ſeu omnium habituum ſupernaturalium, quoties condignè meretur augmẽtum habitualis gratiæ. Ità Suarez *hic lib. 9.*

Juſtus quoties meretur augmẽtum gratiæ, meretur au.

cap. 4.

*cap.4.*Amic.*diſp.*35.*ſect.*10. Herincx *diſp.*6. *quæſt.*4.*num.*66. cæterique Theologi magis communiter contrà illos in primis, qui ut retulimus *cap præced.num.*16.volunt actibus remiſſioribus augeri in hac vita duntaxat habitum gratiæ, non habitum charitatis; deindè contrà Præpoſitum *q.*114.*n.*71. alioſque nonnullos concedentes quidē charitatem ſemper ſimul augeri cum gratia, at exiſtimantes reliquas virtutes augeri ſingulas ſolis actibus propriis; tandem cōtrà Vaſq. *diſp.*210.*c.*6.*n.*56. hoc limitātem ad habitus fidei & ſpei, adeò ut reliquæ virtutes quolibet actu meritorio, fides & ſpes ſolis actibus propriis reſpectivè augeantur.

Augmentum omnium virtutum infuſarum.

Excipiendæ aliquo caſu tamen in particulari fides & ſpes.

Dixi *per ſe loquendo* quia contingere poteſt in aliquo juſto habitus fidei & ſpei eſſe intenſiores habitibus gratiæ & cæterarum virtutum, quatenùs quis exiſtens in peccato per actus fidei & ſpei valdè auxerit tales habitus hoſque propterea habeat valdè intenſos & deindè diſponendo ſe ad juſtificationem actu remiſſo recipiat remiſſam & diſpoſitioni commenſuratam habitualē gratiam, in hoc caſo probabile eſt fidem & ſpē non augeri actibus aliarum virtutum, donec gratia & aliæ virtutes pervenerint ad æqualem cum fide & ſpe intenſionem; cæterùm per ſe loquēdo, & ſuppoſito quod juſtus habeat, ut habere regulariter ſolet, gratiam ejuſdem intenſionis cum fide & ſpe non minùs, quàm cum reliquis virtutibus, de fide etiam & ſpe aſſertum procedit, &c.

5. Probatur: ex Tdrident *ſeſſ.*6.*can.*24. per bona opera augetur juſtitia accepta; atqui juſtitia quam in juſtificatione accipimus juxtà mentem ejuſdem Concilij *ead. ſeſſ.c.*7. importat ſimul cum habitu gratiæ cætera ſupernaturalia dona, & præcipuè fidem, ſpem, charitatem, ergo hæc omnia ſimul cum gratià meritoriè augentur per bona opera; ac per conſequens juſtus per ſe loquendo condignè meretur augmentum omnium virtutum, &c. Confirmatur ratione, quia ex una parte opus condignum augmēto gratiæ eſt etiam condignum augmento omnium virtutum; ex alia parte, connaturale eſt ſervari proportionē & æqualitatem inter gratiam & virtutes; ratio primi eſt, quia virtutes non ſunt ſuperioris ordinis, aut perfectioris conditionis, quàm ſit gratia, imò in hâc potiùs, quàm in illis, eſt aliqua eminentia & præponderantia perfectionis; ratio ſecundi, quia gratia ad virtutes ſe habet ut natura ad potentias, ut eſſentia ad paſſiones, ſeù proprietates; connaturalis autem eſt proportio & æqualitas cujuſlibet naturæ ad ſuas potentias, cujuſlibet eſſentiæ ad ſuas paſſiones, adeò ut creſcente perfectione in natura creſcat ſimiliter in potentiis, &c.

Dices fidem & ſpem utpotè permanentes in peccatore non eſſe ſemper connexas cum gratia, ideò minùs propriè comparari cum gratia, ut potentias cum natura, ut paſſiones cum eſſentia; & ſicuti fides & ſpes propriis actibus augentur in peccatore independenter à gratia, ita congruum eſt, quod ſolis propriis actibus augeantur in juſto; alioqui eſſent melioris conditionis, quàm reliquæ virtutes, ſi ſicut reliquæ virtutes in juſto augerentur actibus tum propriis tùm alienis, & inſuper in peccatore actibus propriis. Sed contrà: licèt fides & ſpes non ſemper connectatur cum gratia, gratia ſemper connectitur cum fide & ſpe; quod ſufficit ut gratià auctâ connaturaliter augeantur fides & ſpes. Ad illud quod additur 6. dico fidem & ſpem, ſicuti præ reliquis virtutibus ſunt melioris conditionis in eo, quod ſicut reliquæ exiſtant in juſto, & ipſæ non reliquæ permaneant in peccatore, ità nil mirum, ſi melioris pariter ſint conditionis in eo, quod ſicut reliquæ augeantur in juſto actibus tùm propriis, tùm alienis, & inſuper ipſæ, non reliquæ augeantur in peccatore actibus propriis.

Dices aliter: Habitus operativi connaturaliter poſtulant creſcere operationibus ſibi ſimilibus & actibus propriis; ergo licèt gratia, quæ habitus operativus non eſt, creſcat quolibet actu meritorio, virtutes tamen, quæ ſunt habitus operativi, non creſcerent, niſi ſingulæ actibus propriis & ſibi ſimilibus. Sed contrà: Verùm eſt antecedens 7. de habitibus operativis, qui per actus creſcunt phyſicè ut creſcunt habitus acquiſiti: non ſic de illis, qui per actus creſcunt ſolùm moraliter & meritoriè, ut creſcunt habitus infuſi, pro quo recolātur ſi præd. *c.præc.n.*22.

Cur habitus acquiſiti creſcant per ſolos actus proprios, infuſi etiam per alienos?

Urgebis: habitus fidei & ſpei per proprios actus creſcunt etiam in peccatore; ergo per proprios actus creſcunt phyſicè, non moraliter tantùm & meritoriè; cum nullus actus peccatoris poſſit eſſe apud Deum meritorius: ob hanc rationem Medina 1. 2. *quæſt.*52.*ar.*2.exiſtimat actibus fidei & ſpei probabiliter tribui vim augendi phyſicè proprios habitus. Sed contrà: concedo an- 8. tecedens nego conſequentiam, actus enim peccatoris, licèt nequeat eſſe meritorius de condigno, benè poteſt talis eſſe de congruo, nec magis quàm de congroo per proprios actus creſcunt in peccatore fides & ſpes. Cæterùm quod nec fidei & ſpei, nec aliarum infuſarum virtutum habitus, per proprios actus phyſicè augeantur ſeù intendantur, evincitur primò ex concordi conſenſu Theologorum, quorum longam ſeriem texit Amicus *hic diſp* 35 *ſect.*7.*n.*171. ubi etiam addit ſe neminem legiſſe contrà abſolutè ſentientem: Evincitur ſecundò ex multiplici ratione: Prima ſit, quia ſi poſſent per proprios actus phyſicè intendi, poſſent per eoſdē phyſicè produci, gradus enim, ſecundū quos qualitas quælibet producitur, aut ſūt eiuſdē rationis aut ſunt imperfectiores iis, quibus intenditur: ſi autē poſſent per proprios actus phyſicè produci, infunderentur per accidens, non per ſe: Secunda, quia ut ſæpiùs dictum eſt habitus infuſi imitantur potētias, ſeù ſunt potentiæ in ordine ſupernaturali, & excedunt in perfectione ſuos actus. potētiæ autē etiam in naturalibus per proprios actus non augētur phyſicè: & univerſaliter quod eſt perfectius nequit per

Cur habitus infuſi per proprios actus non augeātur phyſicè?

phyſicam

phyſicam efficientiam accipere perfectionis incrementum ab imperfectiore: Tertia, quia in patria actus ſupernaturales, quamvis careant ratione meriti, habent tamen omnem perfectionem phyſicam quam in via; ſi igitur haberent activitatem phyſicam in ordine ad intendendos proprios habitus, iſtos intenderent etiam in patria.

9. Ex dictis habetur ſicut gratiæ, ità & omnium ſupernaturalium habituum augmentum juſtos conſeſtim obtinere quocumque actu meritorio, cujuſcumque intenſionis & cujuſcumque virtutis ſit; & ſi qui alij habitus præter illos virtutum in via ſimul cum gratia infunduntur, eoſdem ſimul cum gratia quocumque actu meritorio augeri ſentiendum eſt: Vtrùm deindè re vera aliqui alij habitus gratiam comitentur? non eſt præſentis inſtituti, & Auctores ferè ex æquo dividuntur, ut videre eſt apud Amicum *hic diſp. 29. ſect. 7.*

---

§. II.

Vtrùm principium meriti poſſit cadere ſub meritum, & homo poſſit ſibi mereri primam gratiam, aut actualem, aut habitualem?

10. Principiū meriti nec de potentia abſoluta cadere poteſt ſub meritum.

ASSERTIO. Principium meriti neque de potentia abſoluta poteſt cadere ſub meritu, cujus eſt principiū. Ità D. Thomas *3. p. q. 2. art. 11. in c.* Sylvius *hic q. 114. art. 5.* Vaſquez *1. p. diſp. 91. c. 6. & 3. p. diſp. 21. c. 5.* Oviedus *hic controv. 7. punct. 7.* Arriaga *diſput. 56 ſect. 1.* Gabriel à S. Vincentio *diſput. 20. q. 1.* Eſparza *lib. 3. de act. hum. q. 55. art. 5.* & cæteri Theologi magis communiter contrà Suarezium *3. p. diſput. 10. ſect. 4.* Raguſam *diſp. 41. de Incarnat. §. 4.* Granadum *hic controv. 8. tract. 12. diſp. 4.* Coninchum *2. 2. diſp. 8. dub. 7.* & quoſdam alios recentiores, quibus ex antiquis addere potes Magiſtrum & Altiſiodorenſem in tract. de Angelis *lib. 3. c. 3. num. 3.* relatos pro opinione tribuente Angelis beatitudinem ex meritis ſubſequentibus.

Probatur: Neque de potentia abſoluta dari poteſt mutua cauſalitas præſertim in eodem genere cauſæ, ſed ſi principium meriti caderet ſub meritum cujus eſt principium, daretur mutua cauſalitas in genere efficientia, cum cauſa meritoria ad genus efficientis pertineat; & principium meriti exerceat in meritum efficientiam aliquam ſaltem remotam; quando tamen principium aliquod meriti ſolùm in genere cauſæ formalis ſe haberet ad meritum, adhuc probatio ſubſiſteret, propter mutuam cauſalitatem, ut ſuppono repugnantem etiam in diverſo cauſæ genere; ergo à primo ad ultimum, principium meriti neque de potentia abſoluta poteſt cadere, &c. Porrò ut hæc probatio magis prodat vim ſuam, & ſimul evaſionibus Adverſariorum occurram, eam explico ampliùs, & extendo ſic.

11. Principium meriti neque ſub meritum antecedens, neque ſub meritum ſubſequens cadere poteſt; non ſub meritum antecedens, quia meriti antecedētia non poteſt eſſe principium; alioqui antecederet meritum antecedens, neque in hoc eſt immorandum, cum Auctores aſtruentes principium meriti cadere poſſe ſub meritum ſoleant confugere ad merita ſubſequentia; & quidem duobus potiſſimùm modis: Primus eſt dicentium merita ſubſequentia conſiderari poſſe in intentione, & ut in intentione prævila ſicuti præcedunt executionem ſuorum principiorum, ità movere poſſe divinam voluntatem ad talem executionem; ſicque principium meriti ſecundùm propriam executionem cadere poſſe ſub meritum ſubſequens, conſideratum tamen in intentione, & hunc dicendi modum valdè commendat ac latè defendit Suarez: Secundus eſt dividentiū meritum in meritum remunerandum, & in meritum ſolvendum, ſeu per modum pretij & ſolutionis, quod etiam vocant meritum in ſpe, meritum recompenſativum; nomine meriti remunerandi intelligunt hi Auctores meritum communiter à cæteris admiſſum, & de hoc merito concedunt non poſſe habere præmium pro principio; nomine meriti ſolvendi, ſeu recōpenſativi intelligunt opus ſperatum quodammodò, ſeu prævisum futurum, ſi anticipatè confeteatur principium pro tali opere requiſitum; vel intelligunt opus, cujus intuitu & ſub cujus ſpe datur tanquam præmium aliquid, quod debet eſſe comprincipium ipſius operis & ſub hoc meritum ſubſequens contendunt cadere poſſe principium ipſiuſmet meriti; ità præcipuè Coninch. Verùm impugnatur uterque meritorum ſubſequentium modus & conſequenter oſtenditur principium meriti non poſſe cadere ſub meritum ſubſequens.

Duplex modus ſuſtinendi principium meriti cadens ſub meritum.

12. Impugnatur primus modus primò, quia in actibus divinæ voluntatis ordo executivus non eſt diſtinctus & poſterior ordine intentivo ex dictis *tr. 1. lib. 5. c. 3. n. 16.* merita igitur in intentione prævila, ſicuti non poſſunt movere divinā voluntatē ad intentionem, ità nec ad executionem ſui principij; & quamvis ut in intentione prævila tempore præcedant ſuorum principiorum executionē, hanc tamen nequeunt præcedere cauſalitate meritoria: Secundò, & eſt impugnatio efficacior, meritum ut intentū ſolummodò, ſeu ut prævisum exiſtens in intentione poteſt quidem exercere cauſalitatem finalem, at non cauſalitatem meritoriam; quia quod cauſat ut intentum cauſat ut ſit, cauſa autem meritoria debet cauſare quia eſt, aut fuit, aut erit, & per conſequens ut exiſtens in executione; pro quo expedit *ex præcit. lib. 5. cap. 4. num. 16.* recolere diſcrimen, quod verſatur inter cauſam finalem, moralem, & efficientem phyſicam.

Impugnatur primus modus inducens merita cauſantia in intentione.

13. Impugnatur ſecundus modus primò, quia Concilia & ſancti Patres meminerunt ſolius meriti remunerandi, & præmium conſueverunt appellare remunerationem, retributionem, non verò mercem aut venditionem;

Impugnatur ſecundus modus inducens merita per modum ſolutionis.

abutuntur igitur Adverſarij nomine meriti, dum illud extendunt ad ſignificandum aliquid, quod remunerandum non ſit, & quod detur tanquã ſolutio pro re vendita, aut pretium pro merce jam accepta; non exhibeatur tanquam liberale obſequium dignum remuneratione & retributione ab alio facienda: Secundò, quia opus ſperatum, cujus intuitu, ſeu ſub cujus ſpe aliquid confertur tanquam principium illius, exercet reſpectu talis principij cauſalitatẽ finalem cauſando ut ſit, non quia eſt; atqui illud, quod cauſat finaliter & ut ſit, non habet rationem meriti: ergo illud, quod Adverſarij vocant meritum recompenſativum & in ſpe eſt in rẽ cauſa finalis, non meritoria; finis, non meritum: Neque hic repetendum eſt decantatum exemplum Principis, qui poteſt conferre militi equum & arma in præmium boni uſus futuri, & ſub ſpe victoriæ reportandæ dependenter ab equo & armis; repetendum, inquam, hic non eſt, ſed ſupponenda ſolutio *ex præcu, c.4. n. 19.* & *ex eod. cap. num.* 20. obiter recolendum, cur merx poſſit aliquo modo eſſe principiũ pretij potiùs, quàm præmium principiũ meriti. In univerſum verò amplior oppugnatio meriti recompenſativi habetur apud Oviedum *hic controv.* 1. *punct.* 4. per plures §. §.

14. Vtrque prædictus modus nititur falſo ſuppoſito.

Ex his conſtat utrumque modum mox impugnatum niti falſo ſuppoſito, ſeu eſſe de ſubjecto non ſupponente; in primò enim malè ſupponitur meritum ut exiſtens in intentione poſſe exercere cauſalitatem meritoriam; in ſecundò malè dividitur meritum in meritum remunerandum, & meritũ recompenſativum: Quòd ſi res attentiùs conſideretur, ſecundus modus in primũ recidit, quia dum merita recompenſativa dicuntur merita in ſpe, illis (ut jam attigimus) tribuitur cauſalitas finalis, quæ eſt propria rei ut exiſtentis in intentione, ac per conſequens dicitur merita compenſativa cauſare ut exiſtentia in intentione; ſicque ſecundus modus eadem prorsùs ſuppoſiti falſitate laborat quã primus, & auget non minuit primi difficultates; undè quando ad alterutrum eſſet accedendum, in primum potiùs, quàm in ſecundum propenderem.

15. Non poteſt homo ſibi mereri primam gratiam.

Aſſert. 2. Non poteſt homo ſibi promereri gratiam primam habitualem, & multo minùs primam actualem. Ità D. Thomas *in* 2. *diſt.* 27. *art.* 4. *cont. Gent. lib.* 3. *c.* 149. 1. 2. *q.* 114. *art.* 5. & tùm omnes Thomiſtæ *ead. q.* 114. tùm reliqui Theologi unanimiter, inter quos ut videre eſt apud Oviedum *hic controv.* 7. *punct.* 1. *num.* 4. plures exiſtimant eſſe veritatem de fide, & certè loquendo de facto res eſt ſaltem indubitata & fidei proxima; at loquendo de potentia abſoluta, poteſt quis duplici via in oppoſitum ferri; primò exiſtimando primam gratiam poſſe cadere ſub meritum naturale, ſoliuſque naturæ viribus præſtitum, & hac via in oppoſitum ferri eſſet hæreſis pelagiana; ſecundò exiſtimando opera ſupernaturalia procedentia à prima gratia poſſe eſſe ipſius primæ gratiæ meritoria, & qui hac via ſaltem quoad potentiam abſolutam ſentiret aſſerti oppoſitum non

Cenſura ſententiæ oppoſitæ.

eſſet ulla gravi cenſura notandus, ſicuti eadem non notantur qui ſimpliciter ſentiunt principiũ meriti cadere poſſe ſub meritum. Præterea illi, qui docent actum charitatis eſſe ex ſe formã ſanctificantem, ſi ſimul doceant talem actũ à gratia habituali non procedere, poſſunt ſine principio meriti cadente ſub meritum aſtruere quod prima gratia habitualis cadat ſub meritum condignum actus charitatis, utpotè qui juxtà illos Auctores eſſet actus perſonæ habentis perfectã ſanctitatem, propter quam ſolam nos requirimus habitualem gratiam pro merito condigno; poſſet igitur hac via ſpecialiter ſuſtineri meritum condignum primæ gratiæ habitualis, quamvis non formæ primò ſanctificantis, nec primæ gratiæ actualis; idque nulli videretur cenſuræ obnoxium, ſicuti nulli eſt cenſuræ obnoxia doctrina tribuens actui charitatis prærogativam formæ ſanctificantis præſertim relatè ad potentiam abſolutam, ut attigimus *præced. c.* 2. *num.* 11. & colligitur *ex c.* 4. §. 2.

16. Major eſt repugnantia meriti reſpectu primæ gratiæ actualis, quàm reſpectu primæ habitualis.

Dixi in aſſerto *& multo minùs primam actualem* non ſolùm, quia ex mox dictis ſine principio meriti cadente ſub meritum excogitabilis eſt aliqua via, quã ſpecialiter induceatur meritum condignũ primæ gratiæ habitualis, non primæ actualis; verùm etiam quia quando per principium meriti cadens ſub meritum defenderetur primam gratiam, tùm habitualem, tùm actualem cadere poſſe ſub meritum, cujus quælibet reſpectivè eſſet principium; habitualis quidem caderet ſub meritum condignum, at actualis ſolùm ſub congruum; quia illa condigni, iſta ſecundùm ſe dumtaxat congrui meriti poteſt eſſe principium. Accedit quòd de facto & juxtà noſtram quoque doctrinam prima gratia actualis nec ſub condignum nec ſub congruum meritum cadit; prima verò habitualis quamvis non cadat ſub meritum condignum, cadit ſub congruum, de quo infrà *cap. ſeq. num.* 15. Interim aſſertum ſic explicatum

17. Vere tamẽ repugnat meritum reſpectu utriuſque.

Probatur: Homo neque dependenter, neque independenter à gratia habituali poteſt condignè mereri primam gratiam habitualem. Item neque dependenter, neque independenter à gratia actuali poteſt aut condignè aut congruè mereri primam gratiam actualem: ergo non poteſt homo ſibi promereri primam gratiam habitualem, & multò minùs, &c. probatur antecedens merendo primam gratiã habitualem dependenter ab habituali, primã actualẽ dependenter ab actuali, principium meriti caderet ſub meritum, quod repugnat *ex præced. n.* 10. Merẽdo condignè primã habitualẽ independenter ab habituali, ad meritũ condignum præmij ſupernaturalis non requireretur eſſẽtialiter in pura creatura ſtatus gratiæ habitualis contrà ſupradicta *c.* 6. *n.* 21. Merendo aut condignè aut congruè primã actualẽ independenter ab actuali, gratia caderet ſub meritũ aut condignũ aut congruũ operis purè naturalis, quod pelagianũ eſt & contrà neceſſitatem actualis gratiæ ſuprà ſtabilitã toto *lib.* 2. ergo à primo

ad

ad ultimum homo neque dependenter, neque independenter, &c. Confirmatur aſſerta veritas ex Tridentino *ſeſſ.6. c.5. & 8.* nimirùm quoad primam gratiam habitualem *ex cap. 8.* verbis illis *gratis autem juſtificari ideò dicamur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur*: quoad primam actualem *ex c.5.* ubi habetur; *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab eius vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.*

18. *Etiam in ordine ad potentiam abſolutam.* Ex his infertur, quòd prima gratia actualis ſub nullum prorsùs meritum, & prima habitualis ſaltem ſub condignum nequeat cadere, verificari etiam relatè ad potentiam abſolutam, nam etiam relatè ad iſtam verificantur per nos tres propoſitiones, in quas reſolvitur tota aſſerti probatio; & prima quidem eſt quod *Principium meriti non cadat ſub meritum*: Secunda quod *ſola gratia habitualis condignificet meritum apud Deum*: Tertia aliis duabus certior & de fide quod *Gratia non detur ex merito operis purè naturalis.*

Dubitatur hic: Vtrùm prima infuſio reliquorum habituum ſupernaturalium æquè ac prima infuſio gratiæ habitualis nequeat ſub noſtrum meritum condignum cadere?

19. Reſpondetur affirmativè quoad potentiam ordinariam, negativè quoad abſolutam; ratio primi eſt, quia reliqui habitus ſupernaturales ſecundùm potentiam ordinariam ſemper ſimul infundūtur cum gratia, nec ipſos condignè promeremur niſi condignè promerendo gratiam; ſicuti igitur prima infuſio gratiæ ità prima infuſio reliquorum ſupernaturalium habituū antecedit omne noſtrum meritum condignum; & licèt fides & ſpes aliquando primò infundantur ſine gratia, nunquam tamen gratia primò infunditur ſine fide & ſpe, quod ſufficit ut noſtrum meritum condignum nunquam antecedat primam infuſionem ipſius fidei & ſpei. Ratio ſecundi eſt, quia abſolutè loquendo gratia ſine reliquis habitibus ſufficiēter condignificat meritum in ordine ad præmium ſupernaturale; ſi igitur Deus infunderet alicui gratiam non ſimul infuſis reliquis habitibus, poſſet iſte per actus ex gratia elicitos condignè promereri primam infuſionē reliquorū habituum. *Non ſic de potentia abſoluta repugnat meritum condignū primæ infuſionis reliquorum habituum.*

Dubitatur inſuper: Vtrùm ſicuti quod eſt principium meriti, & naturâ prius merito non poteſt cadere ſub meritum; ità nec poſſit ſub meritū cadere illud, quod eſt ipſo merito prius tempore, quamvis non natura?

20. Negant Theologi magis cōmuniter dum in tract. de Incarnat. docent gratiam collatam primis parentibus poſt lapſum, & antiquis Patribus, qui Chriſtum præceſſerunt, fuiſſe ex Chriſti meritis, aliqui tamen inter quos Lugus *de Incarn. diſp.27. ſect.3.* & Eſparza *de Incarn. q.41. & de act. hum. q.35.* contendunt ſpecialem eſſe rationem de Chriſto, & huic ſoli, non puræ creaturæ concedi poſſe meritum condignum in ordine ad præmium præexiſtens, & tempore præcedens; potiſſimū autem argumentū, quo iſti Auctores ducuntur, eſt quia ſi præmiū poſſet præcedere meritum puræ creaturæ, poſſet etiā pœna præcedere demeritum; ſi poſſet conferri gratia ratione futuri boni operis, poſſet etiam infligi pœna ratione futuri peccati, quod licèt nonnulli recentiores opinentur admitti poſſe, id mihi videtur intolerabile propter unanimem in oppoſitū Doctorum auctoritatem, communēque hominū apprehenſionē, quæ ut ait Oviedus *hic controv. 5. punct. 8. n.104.* ſi virum Theologum non compeſcat, ne devoret ea, quæ communiter abſurda reputantur, magnam ſibi quiſque opinandi licentiā faciet; meliùs idcircò Oviedus *ibid.* inter meritum & demeritum pro re præſenti diſparitatem aſſignat ſitam in eo, quòd conferens præmium ſe habet tanquam debitor reddens remunerationē à ſe debitā merenti tanquam creditori, infligens pœnā ſe habet tanquam creditor exigens ſatiſpaſſionem ſibi debitā à demerente tanquam à debitore; liberū autem eſt debitori anticipare ſolutionem, non ſic creditori anticipare exactionem; eodem igitur modo liberum erit præmianti dare præmium anticipatum & prius merito, non ſic punienti infligere pœnam anticipatam & priorem demerito.

21. *Non item repugnat meritum, quod ſit tempore poſterius ſuo præmio.* Propter hanc diſparitatem, quâ ſufficienter occurritur validiori Adverſariorum argumento; item propter merita Chriſti, quibus de facto collata fuerūt plura præmia anticipata & tempore præexiſtentia; tandem propter repugnantiam mutuæ cauſalitatis; quæ militat contrà meritum ſuo præmio poſterius natura, non contrà poſterius tempore; propendeo in negativam dubij propoſiti ſolutionem, & exiſtimo de potentia abſoluta poſſe aliquid reſpectu puræ creaturæ cadere ſub meritum, quo ſit prius tempore, quamvis non quo ſit prius natura. Cætera, quæ præter pœnæ paritatem opponunt Adverſarij, minoris momenti ſunt, & abundè ſoluta reperies apud Oviedum *præcit. punct. 8.*

---

§. III.

An & quomodò homo poſſit ſibi mereri primam gloriam?

ASSERT. 1. Per ultimā diſpoſitionem ad primā gratiam homo condignè meretur primā gloriā. Ità D. Thomas *hic q.112. art. 2. ad 1.* quem ſequuntur Conradus, Cajetanus, Medina, cæterique Thomiſtæ ferè omnes, item Sylvius *hic q.114 art.5. in fine,* Suarez *lib. 12. c.28.* Vaſquez *diſp.119. c.2.* Oviedus *contr.7. punct.2.* Arriaga *diſp.56. ſect.5. ſubſec.3.* Eſparza *lib.3. de act. hum. q 32. art.28.* Bellarminus *lib.5. de juſtif. c.20.* Averſa *hic q.114. ſect.16.* Herincx *diſp.6. q.4. n.56. &c.* contrà Vegā *opuſc. de juſtif. q.6. ad 9.* Lugum *de Incarn. diſput.6. ſect.3. n 59.* Lorcam *hic q.114. art.5. diſp 49.* Gabrielem à S. Vincentio *diſput. 20. q.3.* alioſque nonnullos, quorum ſententiam probabilem reputant aliqui 22.

Meritū condignū primæ gloriæ ſuſtinetur ſolùm ut magis probabile.

etiam ex Auctoribus relatis pro ſententia oppoſita à nobis aſſerta ut Sylvius, Arriaga, Henuex; qui propterea hanc amplectuntur, dumtaxat ut probabiliorem, non ut unicè probabilem, quod judicium eſſe valdè rationabile conſtabit infrà *n. 26. & 27.*

23. Dixi *per ultimam diſpoſitionem ad primam gratiam*, ut innuerem meritum primæ gloriæ concedendum eſſe ei ſoli, qui ſe aliquandò per proprium actum diſponit ad primā gratiam; undè ſi quis hanc in baptiſmo ſine proprio actu & ſine rationis uſu ſuſcèperit imposterum non amittat; per bona opera decurſu vitæ præſtita nunquā primam gloriam promerebitur; quia talia opera ſemper præmiabuntur novo augmento gratiæ & gloriæ, & in hoc totam ſuam condignitatem ac vim meritoriam inſument: Condignè igitur meretur primam gloriam is dumtaxat, qui juſtificationem & primam gratiam ex propria diſpoſitione conſequitur: Verùm deinde nomine talis diſpoſitionis veniat ſolus actus contritionis & dilectionis, an etiam attritionis; quando hæc in ſacramento inſervit pro ultima ad juſtificationem diſpoſitione, pauci in terminis tractant & licèt ex eo quod communiter in ordine ad condignū primæ gloriæ meritum fiat expreſſa mentio ſolius contritionis & dilectionis, videatur tacitè excludi attritio; Arriaga nihilominùs *precit. ſect. 5. num. 41.* vult eandem quoad hoc eſſe rationem de attritione, quando phyſicè perſeverat in ipſo juſtificationis inſtanti, nam quando quis in ſacramento juſtificatur ex attritione phyſicè tranſacta concedit & ipſe talem attritionem eſſe ſufficientem pro diſpoſitione ad primam gratiam, at non pro merito condigno ad primam gloriam; & hinc ſaltem fit diſponentem ſe ad primam gratiam per attritionem non ſemper promereri condignè primam gloriam, ſicuti ſemper promeretur diſponens ſe per contritionem, ex quo fortè capite habetur ſufficiens ratio, cur abſolutè & expreſsè Auctores conſueverint ſoli contritioni tribuere meritum condignum primæ gloriæ.

Vtrùm tribus poſſit attritioni? pauci tractant.

Dixi *condignè meretur*, nam quoad congruè res eſt extrà controverſiam ſuppoſito, quòd juxtà infrà dicenda detur meritū congruum primæ gratiæ, nullus enim negat eo modo quo cadit ſub meritum prima gratia, cadere pariter primam gloriam; cum prima gloria primæ gratiæ, non minùs, quàm ſecunda gloria ſecundæ gratiæ correſpondeat.

24. Dixi *primam gloriam*, eam ſcilicet quæ

Prima gloria quid?

importat primos gloriæ gradus, quæ contradiſtinguitur à gloriæ augmento, & quæ, ut mox dicebam, primæ gratiæ correſpondet; cæterùm quoad gloriam ſecundam, ſeu gloriæ augmentum, imò gloriam ſimpliciter & abſolutè prolatam, conſtat jam ex dictis dari in homine meritum condignum, non quidem ſitum in ultima diſpoſitione ad primam gratiam, bene tamen in quolibet opere meritorio ipſam ultimam diſpoſitionem & primam gratiam ſubſequente. Aſſertum ſic explicatum

Probatur: Datur ſaltem in aliquo homine & aliquandò meritum condignum primæ gloriæ; ſed hujuſmodi meritum nequit in alio collocari, quàm in ultima diſpoſitione ad primam gratiam: ergo per ultimam diſpoſitionem ad primam gratiam homo condignè meretur primam gloriam: Minor patet, hujuſmodi enim meritum nequit collocari nec in aliqua diſpoſitione remota & non ultima; quia contra hanc militaret à fortiori quidquid militare poteſt contra diſpoſitionem ultimam, nec in aliquo opere ſubſequente diſpoſitionem ultimam & primam gratiam; quia quodlibet tale opus, ut jam vidimus, eſt meritorium ſecundæ, non primæ gloriæ; & licèt Eſparza *precit. q. 9. al. art. 26.* conetur aſſignare in operibus ſubſequentibus juſtificationem & primam gratiam, aliquod peculiare primæ gloriæ meritum, impugnabitur quoad hoc infra *num. 29* ſupereſt igitur quod meritum illud nequeat in alio collocari, quàm in ultima diſpoſitione: Major probatur primò omnibus illis Scripturæ locis, quibus abſolutè traditur gloriam, ſeu vitam æternam dari ex meritis, ſeu ut coronam & mercedem, quæ locutiones eſſent valde impropriæ, ſi nulli & nunquam daretur ex merito condigno tota gloria, ſicuti non daretur ex condigno gloria tota, ſi taliter non daretur gloria prima: ſecundò ex Tridentino *ſeſſ. 6. can. 32.* ſtatuente *hominis juſtificati bona opera verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum*, ubi ly *vitam æternam*, ne otiosè ſit poſitum, debet ſignificare aliquid aliud à gloriæ augmento; ſignificat, igitur gloriam totam, etiam primam: Tertiò ex D. Thoma *q. 112. art. 2. ad 1.* dicente *quod præparatio hominis ad gratiam habendam, quædam eſt ſimul cum ipſa infuſione gratiæ; & talis operatio eſt quidem meritoria, ſed non gratiæ quæ jam habetur, ſed gloriæ, quæ nondum habetur.*

25. Ejus meritum condignum probatur.

26. Dices memorata Scripturæ loca, quatenùs tradunt ex meritis dari gloriam potiùs intendere, quod nullum meritum careat præmio gloriæ, quàm quòd nullus gradus gloriæ careat merito; & cum etiam per nos in majori hominum parte, ſcilicet in illis omnibus, qui aut nunquam juſtificantur ex propria diſpoſitione, aut juſtificantur ex attritione phyſicè præterita, primus gloriæ gradus, ſeu prima gloria careat merito; loca illa, quæ abſoluta & univerſalia ſunt, ſi quid juxtà noſtrū intentū probarent, probarent nimiùm; nimiū etiā probarent verba Tridentini, utpotè quæ non ſunt limitata ad opera hominis juſtificati ex propria diſpoſitione habente phyſicè cum juſtificatione coëxiſtentiam, cui ſoli nos concedimus primæ gloriæ meritum: Deinde opera hominis juſtificati propriè ſunt actus ſubſequentes juſtificationem, non ultima ad eandem diſpoſitio & præparatio: Concilium igitur poſuit ly *vitam æternam* & ſimul *gloriæ*, ſeu vitæ æternæ *augmentum*, non ad ſignificandam prioribus verbis gloriā primam, ſed ad majorem explicationē & emphaſim, ad quem finem pariter interpoſuit ly *& ipſius vitæ æternæ conſecutionem*: Deindè ad ly

vitam

vitam æternam addidit, *& gloriæ augmentum*, ut exprimeret gloriam ità cadere ſub meritum, ut ſit futura inæqualis juxtà inæqualitatem meritorum, quod à pluribus hæreticis negabatur. Quoad D. Thomam, dum excludit gratiam, quæ jam habetur, implicitè includit ejuſdem gratiæ augmentum, quod nondum habetur, & conſequenter nomine gloriæ intelligit gloriã ſecundam correſpondentem gratiæ augmento, non gloriam primam, undè allatam S. Doctoris auctoritatem nobis adverſari exiſtimat Gabriel

27. à S. Vincentio *præcit. quæſt. 3. num. 26*. Sed contrà: ut ab hoc poſtremo incipiam, dico: malè tribui S. Doctori & malè ſupponi, quod præparatio ad primam gratiam, ut ſimul eſt cum prima gratia, ſit meritoria augmenti; alioqui etiam præparatio ad augmentum, ut ſimul eſt cum infuſione augmenti eſſet meritoria augmenti ulterioris, & ſic in infinitum: Quoad ſacram Scripturam & Tridentinum Concilium inſtantia ad ſummum ſuadet non deeſſe Adverſariis rationabiles explicationes auctoritatum, quibus ipſos impetimus; at ſemper ſtat eas nobis magis favere, adeoque ex hoc capite ſententiam noſtram eſſe probabiliorem, quamvis oppoſita non careat omni probabilitate.

Vrgebis: ſaltem memorata ſcripturæ loca, & relata Tridentini verba, intelligenda ſunt potiùs de operibus juſtificationem ſubſequentibus, quàm de ultima ad eandem diſpoſitione, & præparatione, ergo meritum condignum primæ gloriæ, ſi datur, in operibus ſubſequentibus non in ultima diſpoſitione collocandum eſt, antecedens probatur: quia ex una parte opera ſubſequentia magis propriè, quàm ultima diſpoſitio, dicuntur eſſe opera hominis juſti & juſtificati, & in illis collocando meritum condignum primæ gloriæ univerſaliter verificatur omnes adultos poſſe iſtam promereri; ex alia parte perſpicuum eſt opera illa eſſe apud Deum con-

28. dignè meritoria: Nec refert, quod condignitatem meritoriam, quam habent, inſumant in promerenda tùm ſecunda gratia tùm ſecunda gloria, & primam gloriam jam debitam ſupponant, enimverò hanc ſupponunt debitam debito fruſtrabili & quaſi conditionato ſub conditione finalis perſeverantiæ, adeò ut propterea quidquid conducit ad finalem perſeverantiam, ſimul promereatur primam gloriam, reddendo magis abſolutum & quodammodo magis firmum jus ad ipſam; atqui bona opera ſubſequentia juſtificationem conducunt ad perſeverantiam finalem, nam augent habitus per ſe infuſos, qui quò intenſiores ſunt, eò reddunt hominem magis diſpoſitum ad finaliter perſeverandum in gratia; item excludunt opera mala ſibi oppoſita & finalis perſeverantiæ impeditiva, ſicque quò plura ſubſequuntur juſtificationem bona opera eò plura removentur perſeverantiæ impedimenta; & eò homo redditur ad hanc expeditior; ergo. Sed contrà: nego antecedens, ad cujus probationem dico in primis ultimam diſpoſitionẽ prout ſimul exiſtit cum juſtificatione modo infrà aſſignando *num. 34.* optimè dici opus hominis juſti & juſtificati; dico inſuper, quod quando meritum condignum primæ gloriæ collocaretur in operibus juſtificationem ſubſequentibus, adhuc non verificaretur univerſaliter omnes adultos primam gloriam promereri, aliqui enim decedunt nullo bono opere poſt juſtificationem, & poſt ultimam diſpoſitionem elicito; dico tandem

29. Meritum condignũ primæ gloria male ab aliquibus tribuitur operibus juſtificationem ſubſequentibus.

abſolutè meritum condignum primæ gloriæ non poſſe tribui operibus juſtificationem ſubſequentibus, & rationem habeo quod in inſtantia afferebatur de condignitate talium operum inſumpta, & ut ità dicam conſumpta in promerenda gratia & gloria ſecunda; ad impugnationem dico, quod mereri quodammodo confirmationem, & majorem firmitatem juris ad primam gloriam, non eſt mereri primam gloriam, niſi impropriiſſimè: Accedit quod juxtà doctrinam, quam impugnatio objicit, meremur primam gloriam merendo perſeverantiam in gratia, adeoque meremur illam ſolùm de congruo, ſicuti ſolùm de congruo meremur iſtam *ex ſeq. cap. 5. §.*

30. Varij modi explicandi condignificationem ultimæ diſpoſitionis à gratia?

Reliquum eſt ſtatuere, quomodo ultima diſpoſitio poſſit dignificari per gratiam habitualem, ut requiritur ad meritum condignum primæ gloriæ; imò cujuſcumque ſupernaturalis præmij, & licèt juxtà opinionem Thomiſticam docentem ultimam diſpoſitionem procedere effectivè à gratia, ad quam diſponit & eſſe in diverſo genere cauſæ eadem gratiâ priorem ac poſteriorem, facilè dicatur talem diſpoſitionem ſub ratione operationis meritoriæ, ſicuti eſt poſterior gratia in genere cauſæ tùm efficientis tùm formalis, ità optimè poſſe à gratia condignificari; nequit tamen hoc ſuſtineri in noſtris principiis, ſecundùm quæ diſpoſitio ultima nullatenùs eſt à gratia, ad quam diſponit, in nullo genere cauſæ eam ſubſequitur, imò eſt de congruo meritoria ipſius, adeoq; prior in genere cauſæ etiam efficientis; ideircò Auctores iſta nobiſcum principia amplectentes excogitarunt alios dicendi modos, ex quibus tres tanquam principaliores recenſeo.

31. Primus docet eum, qui ex propria diſpoſitione juſtificatur, quamvis per hoc præcisè non mereatur primam gloriam condignè condignitate operis meritorij, mereri tamen ipſam condignè condignitate perſonæ merentis, quatenus ex vi ultimæ diſpoſitionis habet in ordine ad primam gloriam meritum, quamvis non condignum in ſe, nec informatum gratiâ ratione ſui, conjunctum tamen cum condignitate ſubjecti, & cum ſubjecto gratia informato: Ità Eſparza *præcit. art. 18.* Sed hic modus re verâ non ſalvat in ipſa ultima diſpoſitione meritum condignum primæ gloriæ, & licèt tolerabilis ſit ſimul cum alia doctrina ejuſdem Eſparzæ tribuentis condignum primæ gloriæ meritum operibus juſtificationem ſubſequentibus; nos tamen, qui doctrinam hanc rejecimus, negaremus in re omne meritum condignum primæ gloriæ, ſi admitteremus hunc

modum ſentiendi circà meritum diſpoſitionis ultimæ.

52. Secundus docet, ut actus dignificetur à gratia & conſurgat meritum condignum etiam condignitate operis meritorij, ſufficere quod actus ſeu opus ſit ſimul tempore cum infuſione gratiæ; & taliter ſe habet ultima diſpoſitio, utpotè quæ naturâ tantùm, non tempore infuſionem gratiæ præcedit: Ità Arriaga *præcit. ſubſec.3. num.49.* & Herinex *præcit. quæſt.4. num.60.* item Madernus *hic quæſt.9. art.18.* Hic dicendi modus placuit aliquando in manuſcriptis, ſed jam attentiùs expenſus diſplicet, quia licèt ad condignitatem meriti ſufficiat opus eſſe ſimul tempore cum gratia, quando gratia exiſtens ſimul tempore eſt, aut eſſe poteſt, prior natura, ſecùs tamen quando gratia eſt natura poſterior, adeoque nec eſt, nec eſſe poteſt, pro eodem inſtanti temporis natura prior, ut evenit in gratia comparata ad ultimam diſpoſitionem pro primo inſtanti temporis, quo hæc exiſtit: ratio eſt quia quando gratia non poteſt eſſe prior natura ſe habet merè materialiter ad opus, & iſtud dici quidem poteſt procedere ab homine per gratiam dignificato, at non ut dignificato; quod requiritur ad meritum condignum, alioqui etiam opera naturalia hominis in gratia conſtituti eſſent condignè meritoria, pro quo recolantur ſupradicta *præced. cap. n.7.*

53. Tertius docet ultimam diſpoſitionem in primo ſuæ exiſtentiæ ſeu durationis inſtanti eſſe naturâ priorem gratiâ, non ſic in ſecundo & reliquis inſtantibus, in quibus nullam ampliùs exercet cauſalitatem in gratiam, utpotè dependentem à diſpoſitionibus in fieri tantùm, non in conſervari; hinc infertur ultimam diſpoſitionem conſideratam in ſecundo inſtanti non reſpicere gratiam, ut naturâ poſteriorem; ac per conſequens nullum habere impedimentum, quo minùs poſſit à gratia dignificari, & quominùs ſic dignificata mereatur primam gloriam in ſecundo inſtanti, quam meruiſſet in primo, ſi in primo potuiſſet per gratiam dignificari: Ità Bellarminus *præcit. cap.10. in fine,* Oviedus *præcit. punct.2. num.27.* aliique nonnulli, ad quos accedo: Ideò ſit

54. Aſſert. 2. Vltima diſpoſitio ad primam gratiam pro ſecundo, non pro primo, ſuæ exiſtentiæ inſtanti habet condignitatem meritoriam primæ gloriæ, adeoque per ultimam diſpoſitionem ſolùm ut in ſecundo inſtanti exiſtentem homo condignè meretur primam gloriam.

Aſſignatur modus legitimus talis condignificationis.

Probatur: In ultima diſpoſitione ad gratiam admittenda eſt condignitas meritoria primæ gloriæ; hæc condignitas nec poteſt attendi ſolùm ex parte merentis, nec poteſt ex parte ipſius ultimæ diſpoſitionis haberi pro eo inſtanti, pro quo gratia eſt natura poſterior eadem ultima diſpoſitione; atqui pro primo inſtanti gratia eſt natura poſterior, ſecùs pro ſecundo; ergo ultima diſpoſitio ad primam gratiam pro ſecundo, non pro primo &c. majoris & minoris propoſitionis membra omnia probata ſunt in præcedentibus; conſequentia currit & inſuper confirmatur poſitivè oſtendendo meritum talis ſecundi inſtantis eſſe meritum primæ gloriæ; oſtenditur autem ſic: Meritum ſecundi inſtantis eſt meritum illius gloriæ, quam ultima diſpoſitio promeruiſſet in primo inſtanti, ſi in primo inſtanti potuiſſet dignificari; atqui ſi in primo inſtanti potuiſſet dignificari meruiſſet primam gloriam; ergo meritum ſecundi inſtantis eſt meritum primæ gloriæ; major probatur, pro ſecundo inſtanti eſt eadem ſubſtantia actus, quæ fuit in primo, ſeu eſt eadem ultima diſpoſitio quoad ſubſtantiam; atqui meritum correſpondens ſubſtantiæ actus eſt unum & idem pro omnibus inſtantibus, pro quibus actus exiſtit, ut attigimus *cap. præced. num. 49.* ergo meritum ſecundi inſtantis prout correſpondet ſubſtantiæ actus eſt idem quod fuiſſet in primo inſtanti, ſi potuiſſet eſſe in primo inſtanti dignificatio.

Dices hunc dicendi modum eſſe obnoxium iiſdem, quibus ſuperiores difficultatibus, imò & pluribus: primò enim non ſalvat meritum condignum primæ gloriæ in omnibus adultis, cum facilè contingat aliquos juſtificari ex propria diſpoſitione habente unicum exiſtentiæ inſtans: Secundò ultima diſpoſitio ut in ſecundo inſtanti exiſtens eſt juſtificatione poſterior, adeoque tribuimus meritum primæ gloriæ operi juſtificationem ſubſequenti, cui ſuprà dicebamus tribuendum eſſe meritum ſolius gloriæ ſecundæ: Tertiò ad ultimam diſpoſitionem etiam pro ſecundo inſtanti exiſtentem gratia ſe habet purè materialiter, non cauſaliter; actus enim idem perſeverans immobiliter, pendat ab iiſdem principiis, nec poteſt produci effectivè ab uno, conſervari effectivè ab alio: Quartò ultima diſpoſitio pro ſecundo inſtanti ſupponit primam gloriam jam debitam, ut correſpondentem primæ gratiæ; ergo non poteſt illam promereri, neque enim Deus præmiat bono aliàs debito: Quintò non meremur gloriam, niſi merendo gratiam; atqui per ultimam diſpoſitionem in ſecundo inſtanti, aut nullam, aut ſecundam gratiam meremur; ergo per eandem meremur, aut nullam, aut ſecundam gloriam. Sed contrà: 53.

Ad primam difficultatem dico eſſe moraliter impoſſibile, quod actus aliquis perfectè deliberatus qualis debet eſſe ultima diſpoſitio, exiſtat pro unico inſtanti, quod ſi hoc contingat, erit caſus extraordinarius & rariſſimus; pro quo nulla eſt neceſſitas ſuſtinendi in quolibet adulto, quamvis ex propria diſpoſitione juſtificato, meritum condignum primæ gloriæ. 54.

Occurritur difficultatibus Adverſariorum.

Ad ſecundam, ultima diſpoſitio ut in ſecundo inſtanti exiſtens eſt juſtificatione poſterior quoad durationem, non quoad ſubſtantiam; & ei nos ratione ſubſtantiæ tribuimus meritum condignum primæ gloriæ, non ratione durationis, imò ratione iſtius non inficiamur deberi aliquod tùm gratiæ tùm gloriæ augmentum; ergo opera juſtificationem ſubſequuntur & quoad duratio-

nem

nem & quoad ſubſtantiam; ideò nihil eis debetur, niſi augmentum.

Ad tertiam dico ad ultimam diſpoſitionem in ſecundo inſtanti gratiam non ſe habere cauſaliter in actu ſecundo propter rationem in inſtantia adductam, ſe habere tamen cauſaliter in actu primo & æquivalenter quatenùs non eſt *natura* poſterior, & poteſt ſub eadem duratione producere effectivè (ſubintellige efficientia morali & mediata ratione habituum virtutum à gratia moraliter effluentium) actum æquivalentem & ſimilem ei, qui conſervatur, quod ſufficit, ut actum qui conſervatur dignificet, ſicuti ob eandem cauſalitatem in actu primo & æquivalentem gratia in juſto exiſtens dignificaret actum; reſpectu cujus Deus impediret concurſum habitus virtutis, & talem concurſum actuali auxilio ſuppleret.

35. Ad quartam, Deus non præmiat bono aliàs debito titulo meriti, & ex hoc capite ſuprà diſplicuit Bannez aſſignãs pro præmio actus remiſſioris gratiam & gloriam jam antecedenter debitam merito actus ferventioris; cæterùm rectè Deus præmiare poteſt bono aliàs debito titulo non meritorio; eſt enim valde expetibile habere titulo meriti quod titulo meriti debitum non eſt, at non eſt expetibile habere titulo unius meriti quod titulo alterius meriti jam eſt debitum; dico igitur ultimam diſpoſitionem in ſecundo inſtanti ſupponere primam gloriam jam debitam titulo hæreditatis, at non titulo ullius meriti condigni; ideò, &c.

Ad quintam; propoſitio illa *non meremur gloriam, niſi merendo gratiam*, ſi ſignificet nos mereri gloriam tantùm mediatè & ut correſpondentem gratiæ, eſt abſolutè falſa; ſi ſignificet concomitantiam gratiæ & gloriæ in ratione præmij, vera eſt de augmento, non de primo gradu, ſeu de gratia & gloria ſecunda, non de gratia & gloria prima.

---

§. IV.

An homo poſſit ſibi condignè mereri reparationem poſt lapſum?

36. *Homo non poteſt ſibi condignè mereri reparationem lapſus futuri.*

ASSERT. Homo nec de potentia ordinaria, nec de potentia abſoluta, poteſt ſibi condignè mereri reparationem poſt lapſum futurum. Prima pars eſt indubitata, & cenſetur de fide: Secunda pars ſupponi ſolet, non explicitè tractari, & eſt contrà Arriagam *hic diſp.* 16. *ſect.* 4. Arriaga excepto cæteri Theologi nullam faciunt in hac re exceptionem potentiæ abſolutæ, ſed ſimpliciter docent non poſſe hominem condignè mereri, &c. Ità D. Thomas *hic quæſt.* 114. *art.* 7. *& in* 2. *diſt.* 27. *art.* 4. *ad* 3. Sylvius *eod. art.* 7. Ioannes à S. Thoma *diſp.* 31. *art.* 2. Gonetus *diſp.* 2. *art.* 8. Gabriel à S. Vincentio *diſp.* 20. *quæſt.* 4. Valentia *diſp.* 8. *quæſt.* 6. §. 3. Oviedus *controv.* 7. *punct.* 3. Bellarminus *lib.* 5. *de juſtificat. cap.* 22. *&c.*

Dixi *poſt lapſum futurum*, quia ſermo eſt de merito condigno, quod proprium eſt hominis juſti; hic autem non poteſt comparari ad reparationem lapſus niſi futuri; nam ſi compararetur ad lapſum, aut actualem; aut præteritum non reparatum, eo ipſo juſtus non eſt. Aſſerimus igitur hominem eo tempore, quo juſtus eſt, nullatenùs poſſe condignè mereri ut, ſi impoſterum à juſtitia deficiat & in peccatum labatur, reſtituatur ſibi juſtitia & à peccato reſurgat. In hoc ſenſu.

Probatur prima pars ex Ezechiel. 18. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, &c. omnes injuſtitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur.* Confirmatur ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. dicente, *nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ipſam juſtificationis gratiam promeretur.* 37. *Nec etiam de potentiâ abſolutâ.*

Probatur ſecunda, & à fortiori corroboratur prima pars ratione: Nec de potentia abſoluta eſt dabile meritum condignum circà præmium quod nequeat conferri niſi indigno ac inimico, & niſi quando vis meritoria ſuſpenſa eſt ac interrupta; atqui reparatio poſt lapſum futurum eſt præmium hujuſmodi: nequit enim conferri niſi homini exiſtenti in lethali; quod certè reddit hominem indignum ac inimicum, & mortificando præcedentia merita condigna ſuſpendit ac interrumpit omnem ipſorum vim meritoriam; ergo nec de potentia abſoluta eſt dabile meritum condignum circà reparationem proprij lapſus futuri: Major probatur quia eſt repugnantia meo videri ex terminis nota, quod præmium condignè conferatur merenti indigno, & quod cauſetur à merito, quando vis meritoria ſuſpenſa eſt ac interrupta, quod eſt idem ac dicere, quando non cauſat, ut magis conſtabit confutando evaſiones & reſponſiones Arriagæ ex quo

Dices: Si Deus de potentia abſoluta in hominis juſti optione relinquat eligere pro actu ſupernaturali, quod vellet præmium, dummodò non excederet condignitatem & valorem actus, & homo juſtus loco augmenti gratiæ eligat in ſui actus ſupernaturalis præmium dationem auxilij efficacis ad reſurgendum à peccato caſu, quo poſteà in lætale labatur; verè in tota hac hypotheſi homo juſtus ſibi mereretur de condigno reparationem lapſus futuri, & tamen hypotheſis nihil involvit de potentia abſoluta repugnans; ergo. Sed contrà: omittendo pro nunc reliqua dico nullum actum ſupernaturalem à juſto elicitum habere condignitatem & valorem æqualem cum auxilio ſupernaturali efficaci dando in ſtatu peccati, nam contrà talem dationem recurrit tota præcedens probatio; undè ſentiendum prorsùs eſt hominem juſtum nec immediatè merendo primam gratiam habitualem, quâ reſurgat formaliter, nec etiam merendo præcisè auxilium actuale efficax, quo reſurgat effectivè, poſſe ſibi condignè mereri reparationem ſeu reſurrectionem poſt futurum lapſum. 38. *Occurritur evaſionibus Arriagæ oppoſitum ſentientis.*

Urgebis primò: Homo juſtus poteſt ſibi condignè mereri auxilium ſufficiens ad reſurgendum à futuro peccato, cum enim tale auxilium

auxilium poſſit aliis titulis deberi, imò debeatur de facto homini exiſtenti in peccato, non eſt, cur nequeat eidem homini deberi titulo præcedentis meriti condigni: atqui auxilium efficax non eſt valoris ſaltem notabiliter majoris, quàm auxilium ſufficiens, nam major utilitas illius provenit ex bono uſu & operatione hominis, cui datur, non ex aliqua perfectione intrinſeca ipſius auxilij; ergo homo juſtus poteſt ſibi condignè mereri
39. auxilium etiam efficax ad reſurgandum. Sed contrà: falſa eſt utraque præmiſſa; falſa eſt major, quia cum peccato optimè cohæret ſtatus viæ & exercitium libertatis, non ſic vigor meriti condigni; ideò homini exiſtenti in peccato non poteſt titulo meriti condigni deberi auxilium ſufficiens ad reſurgendum; quamvis tale auxilium poſſit fortè dici eidem debitum titulo viæ ac libertatis, quam Deus ex ſuavitate ſuæ providentiæ vult permanere in peccatore: falſa eſt minor, quia nititur falſo ſuppoſito, nimirum ſcientiæ mediæ & opinioni docenti gratiam actualem efficacem non eſſe phyſicè diverſam & phyſicè majorem gratia ſufficienti; & hoc omiſſo ſaltem negari non poteſt, quin ſit notabiliter major in æſtimabilitate morali, & in ratione beneficij aut præmij.

Vrgebis ſecundò impugnando id, quod dicebatur de vigore meriti condigni non permanente cum peccato, ſeu de vi condignè meritoria per ſubſequens peccatum ſuſpenſa; urgebis, inquam, & dices verum id eſſe dumtaxat ſecundum potentiam ordinariam, ſecundum quam noſtra bona opera dant jus præmij conditionatum & ſub conditione perſeverantiæ in gratia; ſecùs ſecundùm potentiam extraordinariam, ſecundum quam poſſent dare jus præmij omninò abſolutum Deo decernente conferre præmium auxilij efficacis ad amorem ſui ſuper omnia in inſtanti mortis omninò infallibiliter, omninò abſolutè, & independenter ab eo, quòd non futurus, aut futurus ſit, lapſus aliquis
40. lethalis antè tale inſtans. Sed contrà: poteſt quidẽ Deus decernere auxilium efficax omninò infallibiliter, omninò abſolutè conferendum; at quòd auxilium ità decernatur & conferatur, erit ex liberalitate & favore extrinſeco, non ex condignitate meritoria alicujus actus à juſto eliciti, quæ attendenda eſt penes intrinſecum actus valorem, nec poteſt ſecundum potentiam abſolutam eſſe major aut minor, quàm ſit ſecundùm ordinariam; in quo loquimur conformiter ad doctrinam generalem, ſecundum quam ſuprà aſſerebamus promiſſionem ordinationemvè Dei extrinſecam nullum conferre valorem meritorium noſtris operibus.

Mitto alia, quibus Arriaga nititur ſuæ opinionis probabilitatem oſtendere, quia omnia facilem habent partim ex dictis, partim ex dicendis §. *ſeq.* impugnationem; & cum noſtrum in re præſenti aſſertum magis faveat principiis fidei & communi auctoritate fulciatur, non expedit torquere ingenium in ſubtilitatibus & effugiis, queis aliqualiter poſſit ſuſtineri oppoſitum: Accedit quod in quæſtionibus de potentia abſoluta ſtandum eſt; ut ſæpiùs diximus, pro impoſſibilitate potiùs, quàm pro poſſibilitate; & univerſaliter ex eo, quod non appareat evidens repugnantia, non rectè infertur rem eſſe poſſibilem, niſi ſimul pro poſſibilitate militet fundamentum aliquod poſitivum non contemnendum.

Neque afferas pro fundamento poſitivo orationes & preces, quas juſtus poteſt ordinare ad obtinendam propriam reparationem poſt lapſum, quæ orationes utpotè procedentes ab homine juſto facilè habere poſſunt omnes conditiones meriti condigni; nec videntur habere præmium magis proportionatum ea reparatione, ad quam obtinendam ordinantur. Contrà enim, fundamentum hoc procederet de facto, nedum de poſſibili; cum non requiratur potentia extraordinaria, ut juſtus orationes aut etiam alia opera meritoria ordinet ad obtinendam propriam reparationem poſt lapſum; dico igitur juſtum ſic orantem condignè mereri, at augmentum gratiæ, non reparationem poſt lapſum; nec proptereà eſt omninò inutilis ordinatio ad talem reparationem obtinendam, conducere enim ad hanc poteſt per modum impetrationis, aut etiam per modum meriti congrui; de quo infrà *cap. ſeq.* §. 3. 41. *Occurritur poſitivo Adverſariorũ fundamento.*

§. V.

An homo poſſit ſibi condignè promereri finalem perſeverantiam in gratia?

ASSERT. 1. Iuſtus in peccatum mortale prolapſurus neque de potentia abſoluta poteſt ſibi condignè mereri finalem perſeverantiam in gratia. Hoc aſſertum eamdem habet certitudinem, quam aſſertum præcedens, ex quo infertur, & facilè. 42. *Ex ſuppoſitione lapſus futuri nec de potentiâ abſolutâ poteſt juſtus ſibi condignè mereri finalẽ perſeverantiam.*

Probatur: Iuſtus in peccatum mortale prolapſurus non poteſt ſibi mereri finalem perſeverantiam in gratia, niſi mereatur reparationem lapſus futuri, nam illa iſtam ſupponit reſpectu juſti in mortale prolapſuri; atqui ex præcedenti aſſerto neque de potentia abſoluta poteſt quis ſibi condignè mereri reparationem lapſus futuri; ergo juſtus in peccatum mortale prolapſurus neque de potentia abſoluta, &c. Verùm iſte non eſt proprius & germanus ſenſus præfixi tituli, pro quo *ex præced. lib. 2. cap. 5.*

Recolendum eſt perſeverantiam finalem, quæ etiam dici ſolet perſeverantiæ donum differre à perſeverantiæ habitu; de quo, ſi ageretur, eſſet eadem ratio ac de cæteris habitibus infuſis, quo juxtà ſupradicta *n. 4. & 19.* Suppono regulariter loquendo cadere ſub idem meritum aut condignum aut congruum, ſub quod cadit habitualis gratia. Recolendum inſuper perſeverantiam finalem aliquandò unico inſtanti perfici; aliquandò habere initium & progreſſum à fine & conſummatione diſtinctum, adeoque 43.

ad

ad diviſibile tēporis ſpatium extendi: Quando unico inſtanti perficitur, ipſa primæ gratiæ infuſio eſt finalis perſeveſantia, & ſicuti *ex præced.* §. 1. nemo poteſt ſibi condignè mereri infuſionem primæ gratiæ, ità à fortiori nec perſeverantiam finalem unico inſtanti conſtantem: Quando habet initium & progreſſum, ſi ſumatur quoad initium importat primam gratiam, tum actualam quà quis excitatur & movetur ut ad juſtificationem ſe diſponat, tum habitualem quà quis juſtificatur: ideò de merito perſeverātiæ quoad initium non aliter ſentiendum, quàm de merito primæ gratiæ tùm actualis, tùm habitualis: ſi ſumatur quoad progreſſum, importat conſervationem ſeu continuationem gratiæ, ac per conſequens vitationem lethalium talem conſervationem ſeu continuationem impedientium ac interrumpentium; ſi ſumatur quoad finem & conſummationem importat conjunctionem gratiæ cum morte ſeu cum vltimo viæ inſtanti & in tali inſtanti unicè conſiſtit donum finalis perſeverātiæ formaliter ac propriiſſimè acceptum: Hinc legitimus ſenſus præſentis difficultatis eſt, Vtrùm nullà factà ſuppoſitione futuri lapſus homo in gratia ac perſeverantiæ finalis initio iam conſtitutus poſſit ſibi mereri condignè talis perſeverantiæ conſummationem, id eſt, quod ſtatim à Deo rapiatur; aut etiam progreſſum, id eſt, vitationem omnium lethalium pro eo, ſive brevi, ſivè diuturno tempore, quo in via eſt permanſurus.

Aſſert. 2. Etiamſi nulla fiat ſuppoſitio lapſus futuri adhùc nequit juſtus ſaltem de potentia ordinaria ſibi condignè promereri finalem perſeverantiam quoad progreſſum; multoque minùs quoad conſummationem. Eſt aſſertum communiſſimum & certiſſimum adeò ut à Lorca, Goneto, aliiſque nonnullis exiſtimetur de fide, Arriaga *diſp.* 56. *ſect.* 2. *num.* 14. Gabriel à S. Vincent. *diſp.* 20. *quæſt.* 6. *num.* 61. cæterique ferè omnes non abſolvunt quidem oppoſitum ab omni cenſura, at non cenſent eſſe contrà fidem.

44. Prætendēdo à lapſu futuro cadē non poteſt juſtus condignè promereri ſaltem de potētia ordinaria.

Probatur: Mereri perſeverantiam finalem quoad progreſſum eſt mereri auxilia efficacia ad vitandum pro aliquo ſpatio tēporis omnia lethalia, mereri eamdem quoad conſummationem eſt mereri auxilium efficax ad cōjungendam gratiam cum morte; atqui, etiamſi nulla fiat ſuppoſitio lapſus futuri, adhùc nequit juſtus ſaltem de potentiâ ordinaria ſibi cōdignè promereri auxilia efficacia ad vitandū, &c. multoque minùs auxilium efficax ad conjungendum gratiā cum morte; ergo. Minor quoad hoc poſtremum auxiliū probatur in primis ex eo quod *præc. c.* 5. *n.* 8. aſſeruimus huiuſmodi auxilium eſſe gratiam actualem ſpecialiſſimam, non eſſet autem talis ſi ſub meritum condignum caderet; probatur deindè etiam quoad alia auxilia efficacia primò quia præmium condignum de potentia ordinaria datur infallibiliter, & tamen juſtus non habet infallibiliter auxilia efficacia ad vitanda pro aliquo determinato tempore lethalia, alioqui eſſet incongruum monitum illud Apoſtoli, 1. Corinth. 1. *Qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat*, & Philipp. 2. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini*, nec ipsâ peccandi experientiâ conſtaret talia auxilia pluribus juſtis ſæpè deeſſe: ſecundò quia de potētia ordinaria quodlibet meritum juſti occupatur & adæquatè compenſatur augmento gratiæ & gloriæ, ergo nullum auxilium efficax poteſt ſub tale meritum condignè cadere: Neque dicas eodē modo probaretur nullum auxilium ſufficiēs cadere ſub condignū meritum hominis juſti. Contrà enim: auxilium ſufficiens eo modo, quo poteſt eſſe præmium, eſt debitum gratiæ, ideò cadit ſub meritum eo modo, quo gratia & ſimul cum gratia; ſecùs de auxilio efficaci quod poſita habituali gratia adhuc non debetur; dixi eo modo, quo poteſt eſſe præmium, id eſt quatenùs eſt auxilium ſufficiens non neceſſarium ad ſalutem aut ad vitandum lethale; nam auxilium taliter neceſſarium non datur ex merito, nec propriè intuitu gratiæ; ſed omnibus etiam exiſtentibus in peccato proviſum eſt ex generali providentià, qua Deus in via vult hominem eſſe liberum in ordine ad finem ſupernaturalem, ad quem eſt elevatus.

45. Auxilia ſufficientia neceſſaria ad ſalutem non dantur ex merito.

Dices: augmentum gratiæ habitualis eſt majus præmium, quàm aliquod auxilium actuale efficax; & perpetuitas gloriæ, quàm perpetuitas ſeù perſeverantia gratiæ; atqui juſtus condignè meretur tum augmentum gratiæ habitualis, tùm perpetuitatem gloriæ; ergo à fortiori poteſt condignè mereri, tùm aliquod auxilium actuale efficax, tùm perſeverantiam gratiæ. Sed contrà: 46. quoad augmentum gratiæ comparatum cum auxilio actuali efficaci dico iſtud ſeorſim eſſe minus præmium, at ſimul cum ipſo augmento eſſe præmium majus augmento ſolo; & quia juſtus de facto nullo bono opere mereri poteſt auxilium aliquod ſeorſim & ſine augmento gratiæ; ideò nullo bono opere mereri poteſt auxilium efficax ea ratione, qua eſt præmium minus augmento gratiæ: Quoad perpetuitatem gloriæ comparatam cum perpetuitate gratiæ, dico illam non eſſe præmium diverſum à gloria, ſicuti tamen iſta eſt præmium diverſum à gratia; ratio eſt quia gloria nec per peccata lethalia, ad quæ non relinquit poteſtatem, nec aliter poteſt à perpetuitate deficere; ſicuti tamen per lethalia, ad quæ relinquit poteſtatem, deficere poteſt & amitti gratia.

Probant inſuper Thomiſtæ aſſertam veritatē argumento deſumpto ex S. Doct. *hic q.* 114. *art.* 9. *in c.* quod ſic formāt Principium meriti non cadit ſub meritum, ſed perſeverantia viæ eſt principium omnis meriti, ergo perſeverantia viæ non cadit ſub meritum; minorem probant ex eo, quod D. Thomas loco præcit. ait: *Perſeverantia viæ depēdet ſolum ex motione divina quæ eſt principium omnis meriti*, at non ſatis conſtat, nec Thomiſtæ inter ſe conſentiunt de eo, quod in iſtis verbis veniat nomine motionis divinæ, ideò tùm propter intelligentiæ diffi- 47.

 cultatem

cultatem, tùm quia argumentum, ſi quid probat, probat nimium, & plus quàm pro nunc intendimus; probat ſcilicet perſeverantiam viæ, ſeu gratiæ in via, neque de potentia abſoluta poſſe ſub condignum meritum cadere, ſicuti nec de potentia abſoluta poteſt ſub meritum cadere principium meriti; ideò, inquam, abſtineo ab eo Thomiſtarum argumento, & ut relata S. Doctoris verba certam vim habeant intelligi rectè poſſunt de perſeverantia viæ adæquatè ſumpta prout complectitur etiam initium, ſeu primum auxilium actuale efficax, à quo incipit; & hoc auxilium aptè dicitur motio divina, quæ eſt principium omnis meriti, ſicque perſeverantiam viæ dependere ſolùm ex motione divina, &c. Eſt primum perſeverantiæ initium dependere ſolùm ex auxilio actuali, quod eſt principium omnis meriti; hincque rectè infertur & à nobis libenter conceditur tale initium nec de potentia abſoluta cadere poſſe ſub meritum, ſicuti nec de potentia abſoluta ſub meritum cadere poteſt principium meriti.

48. Vtrùm verò quoad progreſſum & conſummationem, verè poſſit perſeverantia finalis ſub meritum condignum cadere ſecundum aliam providentiam, ſecundum quam Deus decerneret bonis juſtorum operibus non retribuere ullum augmentum gratiæ & gloriæ, aut ipſorum optioni relinqueret ſibi eligere in præmium loco talis augmenti auxilia efficacia ad perſeverandum: tradi vel ſupponi magis communiter ſolet pars affirmativa, in quam propendet ex Thomiſtis Ioannes à S. Thoma *diſput. 31. art. 3. num. 2.* & pro eadem multus ac totus eſt Arriaga *præcit. diſput. 56. ſect. 3.* Inſinuabo breviter quomodo ſolvantur argumenta in contrarium militantia: Primum eſt, quod perſeverantia gratiæ idem ſit cum prima gratiæ productione, perſeverantia enim gratiæ eſt conſervatio gratiæ, conſervatio autem rei ex genere ſuo eſt continuatio primæ productionis, & entitativè ipſamet prima productio; atqui nec de potentia abſoluta poteſt ſub meritum condignum cadere prima gratiæ productio; ergo nec ipſius perſeverantia: Secundum juſtus nequit mereri condignè auxilium efficax ad aliquem actum proprium, alioqui ſimul condignè mereretur talem actum, ac per conſequens condignè mereretur aliquid, quod à propria libertate pendet, & quod ipſemet ſibi retribueret, hoc autem repugnat etiam de potentia abſoluta: Tertium; auxilium quo quis peccatum vitat eſt majoris valoris & magis æſtimabile eo, quo quis à peccato reſurgit, innocentia enim eſt majus bonum quàm pœnitentia, & cæteris paribus eligibilius omninò ac melius eſt à peccato committendo præſervari, quàm à commiſſo liberari; atqui ex ſupradictis nec de potentia abſoluta poteſt ſub meritum condignum cadere auxilium efficax, quo quis à peccato reſurgat; ergo multo minus quo quis peccatum vitet & in gratia perſeveret.

Quid de merito condigno perſeverantiæ finalis in ordine ad potentiam abſolutam?

49. Reſpondetur ad primum perſeverantiam gratiæ ſumi poſſe vel quoad ſubſtantiam, vel quoad durationem; primò, non ſecundo modo, perſeverantia eſt idem cum prima productione: Deindè argumentum ſi quid probat, probat ſolùm de gratia prima; nam ſecunda gratia etiam quoad primam ſui productionem rectè cadit ſub meritum condignum; Tandem pro noſtro intento ſufficit promereri perſeverantiam indirectè, promerendo quòd non superveniat gratiæ impedimentum, hoc enim non superveniente gratia ex ſe perpetuò durat.

Reſpondetur ad ſecundum eum, qui promeretur auxilium efficax ad proprium actum promereri talem actum, quatenùs pendet ab auxilio, non quatenùs pendet ab arbitrio; ideò non retribuit ipſemet ſibi quod meretur.

Reſpondetur ad tertium veram eſſe majorem cæteris paribus, at in propoſito non ſunt cætera paria, quia qui promeretur auxilium, quo peccatum vitet, promeretur auxilium ſibi conferendum in ſtatu gratiæ; qui promereretur auxilium, quo à peccato reſurgat, promereretur auxilium ſibi conferendum in ſtatu peccati, in quo ſtatu nulla prorsùs res, quamvis tenuiſſimi valoris ſit, conferri poteſt ex merito condigno.

Ex his inſinuatis reſponſionibus conſtat ſaltem non ſatis apparere relatè ad aliam providentiam repugnantiam abſolutam in merito condigno perſeverantiæ finalis; tu jam judica & ſtatue, Vtrùm affirmandum ſit non repugnare; an potiùs ſtandum adhuc pro impoſſibilitate? ob regulam generalem, quâ alibi dictum eſt in pari, aut non multum impari cauſa, præſumptionem ſtare pro impoſſibilitate, etiamſi impoſſibilitatis ratio & repugnantia non admodum appareat. 50.

---

§. VI.

Vtrùm purus homo poſſit condignè mereri aliquid alteri?

ASSERT. 1. De potentia ordinaria nullus purus homo poteſt condignè mereri aliquid alteri. Ità D. Thomas *hic quæſt. 114. art. 6. in 2. diſt. 27. quæſt. 1. art. 6. in 4 diſt. 45. quæſt. 2. art. 1.* & alij Theologi communiſſimè nullo, quem viderim excepto. 51.

Purus homo non poteſt condignè mereri alteri.

Probatur: Purus homo, qui ſcilicet non ſit ſimul Deus & Caput omnium hominum per gratiam unionis hypoſtaticæ, non habet principium merendi reſpiciens bonum alienum; ergo nullus purus homo de potentia ordinaria poteſt, &c. antecedens probatur, quia principium condignè merendi in quolibet puro homine eſt gratia habitualis, quæ dici ſolet bonum monaſticum, non politicum ideſt privatum, non commune; & ſicuti non conſtituit unum hominem caput aliorum, ità ſaltem de lege ordinaria non dat uni facultatem merendi condignè pro aliis; hoc quippè eſt

eſt per propriæ virtutis vigorem in alios moraliter influere, & tanquam morale caput ad alios ſe habere. Confirmatur: de potentia ordinaria nec bonum aliquod temporale, nec bonum aliquod ſalutare poteſt purus homo condignè mereri alteri; ergo de potentia ordinaria nullus purus homo poteſt, &c. probatur antecedens quoad primam partem, purus homo ut attingetur *cap. ſeq. n.* 13. non poteſt condignè mereri bonum aliquod temporale ſibi, multo minùs igitur poteſt illud condignè mereri alteri: Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem; qui ſupponeretur condignè mereri bonum ſalutare alteri, vel de bonis ſalutaribus nihil minùs mereretur ſibi, vel de iiſdem aliquid minùs mereretur ſibi, non poteſt dici primum, quia nihil minùs merendo ſibi per illud præcisè, quod ipſe conſequeretur adæquaret totã condignitatem ſui meriti, quidquid igitur ulteriùs tribueretur alteri, eſſet ſuprà condignũ; nec poteſt dici ſecundũ, quia ex lege charitatis unuſquiſq; tenetur in iis, quæ ſalutem reſpiciunt, ſe ipſum præferre cuilibet, nec ullus habet facultatem cedendi alteri bonum ſalutare, quod poſſit acquirere ſibi; ergo de lege ſaltem ordinaria nullatenùs quis poteſt condignè mereri bonum ſalutare alteri.

52. Aſſert. 2. De potentia abſoluta poteſt purus homo in alterum transferre, aliquid ſibi ex merito condigno debitum; hoc enim in rigore non ſufficit, ut unus dicatur condignè mereri aliquid alteri.

Poteſt tamẽ de potentiâ abſolutâ transferre in alterum aliquid ſibi ex merito condigno debitum.

Probatur & explicatur prima pars: Non repugnat Deum de potentia abſoluta relinquere in libera diſpoſitione merentis applicationem propriorum meritorum, adeò ut in ejus optione ſit ea ſibi aut alij juſto applicare: Non repugnat item in Deo decretum, quo nolit ulteriùs augere in aliquo Viatore gratiam, ne tamen ejus opera omni careant præmio, ea ordinet in bonum alienum, adeò ut pro altero, pro quo à merente applicentur tantùm valeant, quantùm valerent pro merente; in his & ſimilibus caſibus purus homo in alterum transferret aliquid ſibi ex merito condigno debitum; debitum, inquam, vel in actu primo remoto, ſi loquamur in ſecunda hypotheſi, quã Deus nolit conferre præmium ipſi merenti; vel in actu primò proximo ſed indifferenti, ſi loquamur in prima hypotheſi quâ ſit in optione merentis applicare aut ſibi aut aliis valorem propriorum operum; & in hac quidem hypotheſi melius verificaretur eſſe ex merito condigno ſibi debitum illud, quod quis in alium transferret juxtà doctrinam inſinuatam *præced. cap.* 6. *num.* 35.

53. Probatur ſecunda pars: Meritum condignum in rigore debet eſſe independens ab omni extrinſeca ordinatione Dei, & attenditur penes intrinſecam perfectionem valoremque convenientem operi ex natura ſua juxtà ſupradicta *cap.* 6 § 1. atqui quod unus modo mox explicato poſſit in alterũ transferre aliquid ſibi debitum ex merito condigno requirit ordinationem extrinſecam, quâ Deus relinquat in merentis diſpoſitione applicationem meritoriam propriorum operum, & iſta velit acceptare pro alio; ergo translatio factibilis modo explicato non ſufficit ut unus dicatur in rigore mereri alteri condignè. Neque dicas: meritum condignũ nihil eſt aliud, quàm meritum æquale, atqui actus meritorius eandem habet æqualitatem cum præmio conferendo alteri, ac cum præmio conferendo merenti; ergo illud quod ex merito condigno conferretur merenti, ex merito pariter condigno confertur alteri, ſi à merente in alium transferatur. Contrà enim: actus me- 54.
ritorius eandem habet æqualitatem phyſicã, non eandem æqualitatem moralem cum præmio conferendo alteri, ac cum præmio conferendo ipſi merenti; ratio eſt quia actus meritorius ipſum merentem, non alium reddit diſpoſitum ad præmium; idem autem præmiũ conferendum non actualiter diſpoſito habet majorem æſtimabilitatem, quàm conferendum diſpoſito, præſertim loquendo de præmio gratiæ, quæ ex natura ſua ſubjectum diſpoſitum poſtulat.

Dubitatur hic: Utrùm purus homo poſſet aliis condignè mereri ex ſuppoſitione, quod haberet eam plenitudinem gratiæ habitualis, quam habuit Chriſtus, adeò ut ejus meritum operaretur ad Sacramentorũ effectus, quod quidem non repugnare expreſsè tradit D.Thomas 3. *part. q.* 64. *art.* 4. *in c.* Reſpon- 55.
det affirmativè Gonetus *diſp.* 2. *n.* 198. crediderim tamen in rigore negandum, quia ex ordinatione Dei intrinſeca, non ab intrinſeco, & ex natura rei meritum illius hominis operaretur ad Sacramentorum effectus & ad conferendam aliis gratiam. Neque dicas: homo ille haberet gratiam capitalem, ſicuti habet de facto Chriſtus; ergo poſſet in alios influere & aliis condignè mereri, ſicut de facto Chriſtus. Contrà enim: gratia habitualis in illo homine dici poſſet capitalis ad ſummum ab extrinſeco & ex ordinatione divina, quod non ſufficit ad influendum in membra per modum meriti rigoroſè condigni; diverſa omninò eſt ratio de Chriſto, qui prærogativam capitis habet à gratia unionis, & hæc ſola, non gratia habitualis in Chriſto eſt per ſe & ab intrinſeco capitalis.

In puro homine nulla gratia poteſt eſſe ab intrinſeco & ex naturã ſuã capitalis.

Ex his habetur non eſſe excogitabilem modum, quo purus homo condignè mereatur apud Deum aliquid alteri condignitate rigoroſa & tanta, quanta meretur ſibi; undè cum Vaſquio *hic diſp.* 77. *cap.* 3. & 3. *part. diſp.* 213. *cap.* 5. aliiſque nonnullis exiſtimo non poſſe ſine aliqua improprietate admitti de potentia abſoluta meritum condignum unius puri hominis reſpectu alterius, quidquid contrà ſentiant Suarez *hic lib.* 12. *c* 16. Oviedus *controv.* 7. *punct.* 1. Arriaga *diſp.* 54. *ſect.* 3. Gonetus *præcit. num.* 198. Lugus *de Incarnat. diſp.* 5. *ſect.* 8. *n.* 147. Puente Hurtado *de Incarnat. diſp.* 52. § 37. aliique magis communiter.

CAPUT IX.

De merito congruo.

1\. Censura contrà negantes meritum congruum.

APud Sanctos Patres D. Thomâ antiquiores non reperitur nomen meriti congrui; quoad rem tamen tale meritum agnoverunt D. Auguſtinus, D. Proſper, & D. Fulgentius apud Arriagam *diſp.57.ſect.2.* illud etiam inſinuat Tridentinum *ſeſſ.6. cap. 6. & ſeſſ. 14. cap. 5.* ſtatuens in peccatore diſpoſitiones ad juſtificationem præparantes, haſque præparare per modum alicujus meriti eſt communis Theologorum ſenſus; propterea quidquid ſit de vocabulo ipſo, certè res per meritum congruum ſignificata, ideſt meritum aliquod apud Deum inferius quidem & imperfectius condigno, retinens tamen veram & propriam rationem meriti, negari nequit ſine temeritate manifeſta aut cenſura etiam graviore; ut obſervat Eſparza *lib. 3. de act.hum. quaſt.33. art.1.* imò poſtquam hujuſmodi meritum condigno inferiùs Theologi cum D. Thoma *hic quaſt. 114. art. 6. & in 2. diſtinct. 27. art. 6.* conſueverunt appellare meritum congruum, eſſet ſaltem nimia levitas de vocabulo congrui altercari, & nolle ipſum in præſenti admittere. Pro certo igitur ſupponamus dari meritum congruum, quod ſimul cum condigno adæquatè dividat meritum ut ſic, tanquam veſa ipſius ſpecies, & cum hucuſque de ſolo condigno directè egerimus, attingamus jam ea, quæ ſpectant ad congruum. Ideò ſit

§. I.

In quibus conditionibus conveniant, in quibus differant meritum condignum & congruum?

2\. Meritum condignum quas conditiones requirat ex parte operis.

ASSERT. 1. Meritum condignum & meritum congruum conveniunt præcipuè in conditionibus ſe tenentibus ex parte operis. Eſt aſſertum commune.

Probatur & explicatur: Conditiones ſe tenentes ex parte operis ſunt præcipuè libertas, bonitas, ſupernaturalitas, & ratio poſitivi; ut patet recolenti ſupradicta *cap.6. §.4. & ſeqq.* ubi quæ dicta ſunt pro neceſſitate talium conditionum ad meritum apud Deum, non ſunt alligata merito condigno, ſed militant etiam, ſi rectè perpendantur, pro merito congruo; & quidem quoad bonitatem ac libertatem res eſt clarior, quàm ut egeat probatione; quoad rationem poſitivi evincitur ex eo, quod *præcit. cap.6.num.82.* dicebatur puram omiſſionem eſſe non poſſe ex motivo honeſto: de ſola ſupernaturalitate videtur eſſe poſſe aliqua difficultas, nihilominùs cum meritum etiam congruum ex infrà dicendis *num.6.* requirat cum præmio eam ſaltem proportionem, quam diſpoſitio cum forma, & ex alia parte ſolus actus ſupernaturalis poſſit eſſe diſpoſitio ad formã ſupernaturalem, conſequens eſt, quod pariter ſolus actus ſupernaturalis poſſit eſſe meritum congruum præmij ſupernaturalis; nomine verò actus ſupernaturalis intelligo actum ſupernaturalem ſimpliciter, non ſupernaturalem dumtaxat quoad modum, & ex eo, quod procedat ab auxilio per Chriſtum; pro quo repetantur ſupradicta *præcit. cap.6. num.64.*

Aſſert. 2. Meritum condignum & meritum congruum conveniunt inſuper in conditione ſe tenente ex parte Dei. 3. Non requirit ex parte Dei promiſſionem extrinsecã.

Probatur & explicatur: Conditio, quæ in ordine ad meritum attenditur, ſeu ſe tenet ex parte Dei eſt Dei promiſſio ſeu ordinatio extrinſeca ad præmium; hæc porrò conditio *ex præcit. cap.6.§.3.* non requiritur ad meritum condignum, & in iſto habetur ſufficienter jus ad præmium abſque promiſſione, ſeu ordinatione Dei; atqui in merito congruo jus ad præmium latius eſt, quàm in condigno; ergo in merito congruo multo minùs, quã in cõdigno requiritur promiſſio; ac per conſequens meritũ condignũ & congruũ conveniunt in conditione ſe tenente ex parte Dei, quatenùs neutrum meritum talem condititionem requirit: Convenit etiam in eadem conditione unum meritum cum alio, quatenùs utrumque ipſam compatitur, imò utrumque per ipſam perficitur, præſertim verò meritum congruum, in quo promiſſio extrinſeca compenſat quodammodo imperfectionem valoris inæqualis.

Aſſert. 3. Meritum condignum, & meritum congruum differunt præcipuè in una ex conditionibus ſe tenentibus ex parte merentis; nimirùm in ſtatu gratiæ & ſanctitatis ad meritum condignum requiſito, non ad congruum. 4. Neque ſtatum gratiæ ex parte merentis.

Dixi *in una ex conditionibus*, altera enim conditio ex parte merentis ſe tenens, nimirùm ſtatus viæ utriq; merito communis eſt, & in ea convenit cum merito condigno meritum congruum, ut ſpecialiter attingemus infrà *num.11.* Benè tamen ſtatum viæ.

Probatur aſſertum oſtendendo ſtatum gratiæ & ſanctitatis ad meritum condignum non requiri; probatur, inquam, ex Auguſtino *epiſt. 105.* dicente *Neque ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides illam impetrat: Neque enim nullum eſt meritum fidei.* Item epiſt. 106. *Si quis dixerit quod gratiam benè operandi fides mereatur, negare non poſſumus,* & de Prædeſtinat. Sanctorum cap.2. *Quis dicat eum, qui iam cœpit credere ab eo, in quem credidit nihil mereri*; his locis loquitur Auguſtinus de fide elicita à peccatore ſe diſponente ad juſtificationem, dum igitur tali fidei tribuit meritum, agnoſcit meritum ſine ſtatu gratiæ; hoc meritum nequit eſſe condignum

ex

ex præcit. capit. 6 §. 2. Supereſt igitur, ut ſit congruum. Confirmatur primò ex communi ſenſu fidelium concipientium majorem ſpem de ſalute peccatoris, ſi plura bona opera ex motivo ſupernaturali præſtet, quàm ſi nulla, aut pauciora; eſſet autem inanis hujuſmodi ſpes, ſi bona opera peccatoris, quamvis ex motivo ſupernaturali præſtita, nullam prorsùs haberent vim
5. meritoriam. Confirmatur ſecundò: Actus ſupernaturales eliciti à peccatore mediant quodammodò inter actus merè naturales, & inter ſupernaturales elicitos à juſto; ſic pariter meritum congruum mediat inter non meritum & meritum condignum, rectè igitur tribuitur actibus ſupernaturalibus à peccatore elicitis meritum congruum; & ratio à priori eſt, quia hi actus procedunt à gratia actuali, quæ importat exigentiam quandam imperfectam & inchoatam omnium donorum ſupernaturalium.

Dices: Meritum ex genere ſuo, ac per conſequens in ſpecie meritum congruum eſt jus amicabile ad præmiū; atqui in peccatore apud Deum non poteſt dari ullum jus amicabile, ergo in peccatore apud Deū non poteſt dari
6. ullum meritū, ne quidem congruū. Sed contrà: Thomiſtæ & nonnulli etiam recentiores diſtinguunt duplex meritum congruum, alterum improprium & latè acceptum, alterum proprium & ſtrictè tale; iſtud concedunt importare jus amicabile & non reperiri in peccatore; ſecùs illud, quod ſpecialiter vocant meritum diſpoſitivum, & aiunt exigere præmium per modum connaturalis habitudinis potiùs, quàm per modum juris: Fateor dari latitudinem in merito congruo, utpotè quod ab æqualitate deflectit & inæquale eſt; unico autem modo æqualitas ſervatur, pluribus ab æqualitate deflectitur; æqualitas in indiviſibili conſiſtit, inæqualitas major & minor eſt; nihilominùs crediderim totam hanc latitudinem cōtineri intrà terminos meriti propriè dicti, nec ob majorem inæqualitatem facilè appellarem meritum congruum latè & impropriè tale, & ad vitandas quæſtiones de nomine potiùs agnoſcerem ſimpliciter & abſolutè propriam & ſtrictam rationem meriti congrui in qualibet exigentia ſupernaturalis præmij, ſive talis exigentia ſit per modum juris amicabilis, ſive per modum connaturalis habitudinis, dummodò non deſit ulla ex cæteris conditionibus ad meritum apud Deum ex genere ſuo requiſitis: Juxtà hanc doctrinam neganda eſt abſolutè major inſtantiæ propoſitio, quam prænominati Auctores negant ſolùm quoad meritum congruum latè ac impropriè, concedunt verò quoad idem meritum ſtrictè ac propriè, & illud dumtaxat, non iſtud admittunt in peccatore.

Meritum congruum admittit latitudinē.

§. II.

In quonam formaliter conſiſtat, & quomodò ab impetratione differat meritum congruum?

ASSERT. 1. Meritum congruum conſiſtit formaliter in eo, quod ſervatis reliquis meriti condigni conditionibus deficiat ab æqualitate valoris cum præmio. 7.

In quonam formaliter conſiſtat?

Probatur & explicatur: quia ex una parte jam dictum eſt meritum congruum habere communes cum condigno reliquas conditiones excepto ſtatu gratiæ, quæ ad meritum condignum requiritur præcipuè titulo æquandi valorem noſtrorum operum cum præmio ſupernaturali; ex alia parte certum eſt ſtatum gratiæ non ſufficienter diſtinguere meritum condignum à congruo; nam licèt ad omne meritum condignum requiratur ſtatus gratiæ, non tamen omne meritum in ſtatu gratiæ eſt condignum; & ſimiliter licèt omne meritum peccatoris ſit dumtaxat congruum, non tamen omne meritum congruum eſt dumtaxat peccatoris; remanet igitur aſſignandum aliquod majus diſtinctivum meriti congrui, & ſicuti formaliſſima ratio meriti condigni eſt æqualitas; ità congruo, quod deficiens eſt & imperfectius condigno, non poteſt tribui melius diſtinctivum, quàm deficientia ab æqualitate, ſeu inæqualitas cum præmio, undecumque iſta proveniat; provenit verò in peccatore à carentia habitualis gratiæ, quæ ſola *ex præcit. cap. 6.* §. 2. tribuit æqualitatem valoris & dignitatis cum præmio apud Deum; in juſto deindè provenit ex eo, quod æqualitas valoris conſumpta quodammodò ſit & exhauſta per aliud præmium, nimirùm per augmentum gratiæ & gloriæ correſpondens bonis quibuſcumque juſti operibus ut meritentis condignè. Neque dicas bona opera juſtorum, ſi ſupponantur conſumpta & exhauſta per præmium condignum, nullum retinere valorem ad merendum de congruo, adeoque hac ratione negari juſtis hominibus omne meritum congruum. Contrà enim: per præmium condignum bona juſtorum opera ſupponuntur conſumpta & exhauſta in uno, non in omni genere meriti, ſeu quoad vim meritoriam titulo æqualitatis, non quoad vim meritoriam titulo proportionis, ideò &c. 8.

Alios modos explicandi propriam formalemque rationem meriti congrui affert Eſparza *lib. 3 de act. hum. q 33. art. 8. & 9. & 10.* ſed aut non cohærent principiis à nobis traditis, aut laborant obſcuritatis vitio; ideò modus mox aſſertus aſt reliquis præferendus tanquam facilior, expeditior; atque conformior noſtris principiis, quibus pro merito condigno nec extrinſecam Dei promiſſionem, nec retributionem ex juſtitia requirimus.

Aſſert. 2. Impetratio, quantùm eſt de ſe, habere poteſt veram rationem meriti congrui, prout tamen importat petitionem in oratione incluſam habet vim movendi diverſam à vi meritoria. Deducitur hoc aſſertum ex D. Thoma 2. 2. *q.* 83. *art.* 15. & 16. item *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 4. ex Suarezio *hic lib.* 11. *c.* 3. Oviedo *controverſ.* 1. *punct.* 5. Arriaga *diſput.* 57. *ſect.* 2. *ſubſec.* 2. aliiſque pluribus, quamvis non ſine aliqua diſſenſione & quæſtione de nomine eo, quòd aliqui in ſtrictiore, aliqui in latiore ſignificatione, impetrationem uſurpent.

9. Impetratio aliquandò eſt idem cū merito congruo.

Probatur prima pars in primis, quia omne opus meritorium de congruo ab aliquibus abſolutè dicitur impetratorium, & favet huic dicendi modo tùm Auguſtinus verbis illis ſuprà relatis, *Neque ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides illam impetrat*; tùm Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubi contritioni, cui ſolemus tribuere congruum veniæ meritum, tribuit vim veniæ impetrandæ, dum ait *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* Deinde ſumendo impetrationem ſtrictiùs prout impetrare dicimur illud ſolùm, quod petitionibus, ſupplicationibus, & precibus obtinemus; certè petitio debet habere proportionem aliquam cum re petita, nec eſſe poteſt accommodata & efficax ad obtinendum à Deo aliquid ſupernaturale, niſi ſit ex motivo ſupernaturali, quo ſuppoſito facile eſt in eadem petitione reperire omnes alias conditiones requiſitas pro merito congruo apud Deum: ergo impetratio quantùm eſt de ſe, &c.

10. Aliquandò differt.

Probatur ſecunda pars, quia petitiones & preces, ac per conſequens impetratio prout petitionem importat, habent vim quandam movendi non communem cæteris operibus bonis: ergo impetratio prout importat petitionem in oratione incluſam habet vim movendi diverſam à vi meritoria; antecedens probatur primò, quia petitioni & precibus correſpondet exauditio, quæ cæteris operibus bonis non correſpondet: Secundò quia vis meritoria, quâ talis, reſpicit remunerationem, non beneficium; petitio autem in oratione incluſa, ſeu oratio ipſa, habet vim movendi etiam ad conferendum beneficium, undè D. Thomas *præcit. q.* 83. *art.* 17. *ad* 3. ait *Gratiarum actio de aliis beneficiis præcedit poſtulationem aliorum beneficiorum.* Tertiò quia petitio & oratio habet vim movendi, ac impetrandi etiam extrà ſtatum viæ, extrà quem de lege ordinaria ceſſat omnis vis meritoria; pro quo revocanda huc ſunt verba quæ ex D. Thoma retulimus *præced. cap.* 6. *num.* 14.

Dices extrà ſtatum viæ & in patria ceſſare vim meritoriam de condigno, non vim meritoriam de congruo; & de merito condigno intelligendum eſſe D. Thomam tùm in verbis huc revocandis ex ſuperiore *n.* 14. tùm in eo, quod *præcit. q.* 83. *art.* 15. *in c.* diſtinguit in oratione duplicem virtutem, alteram merendi, alteram impetrandi; & quidem cum hic ſecundo loco S. Doctor exprimat orationem habere efficaciam merendi in quantum procedit à radice charitatis videtur omninò locutus de ſola efficacia merendi condignè, efficacia enim merendi congruè non requirit radicem charitatis. Sed 11. contrà: quod memoratæ auctoritates poſſint ad meritum condignum limitari ſuadet poſſe cum aliqua probabilitate in beatis ſuſtineri meritum congruum præſertim pro aliis, & in re ità de facto ſentiunt non pauci quos refert & ſequitur Arriaga *diſput.* 57. *ſect.* 2. *ſubſec.* 2. exiſtimo nihilominus probabiliùs id negari primò quia nulla eſt neceſſitas limitandi prædictas auctoritates ad meritum condignum, ad quod multò minùs videtur rectè limitari textus ejuſdem S. Doctoris 1. *part. q.* 62. *art.* 9. *ad* 3. dicentis *Melius eſt ut dicatur quod nullo modo aliquis beatus mereri poteſt*, ubi ly *nullo modo* omne prorsùs meritum etiam congruum negat: Secundò quia, ſi beatis conceditur virtus meritoria de congruo, non ſolùm orando, ſed etiam eliciendo alios actus liberos, de congruo merentur, & tamen Adverſarii in oratione duntaxat, non in aliis beatorum actibus ſolent meritum congruum agnoſcere: Dicatur igitur beatos orando impetrare aliquid, 12. non mereri ne quidem de congruo, ſicque admittatur impetratio aliqua à merito congruo diverſa, & in oratione præter virtutem, tùm de congruo, tùm de condigno meritoriam, quam habet dum concurrunt conditiones pro merito aut congruo aut condigno requiſitæ; præter hanc, inquam, virtutem agnoſcatur ratione petitionis, quam includit, alia ſpecialis virtus movendi, ſecundùm quam Beati pro nobis orando nos juvent.

Ad meritū congruum requiritur ſtatus viæ.

Beati orando pro nobis impetrant, non congruè merentur.

Ex his habetur impetrationem latiùs patere, quàm meritum congruum, & omnem actum meritorium de congruo eſſe impetratorium, non è converſo.

Habetur inſuper virtutem impetratoriam non conſequi infallibiliter ſuum effectum; talis enim virtus elucet maximè in orationibus, & precibus, quibus conſtat nos non accipere quidquid orando petimus, & hinc eſt quod meritum condignum non dicitur impetratorium, ſicuti dicitur meritum congruum, quia merito condigno conferri ſolet præmium infallibiliter, non ſic merito congruo ex genere ſuo.

---

§. III.

Quænam cadant ſub meritum congruum?

Asſert. 1. Quodlibet donum, ſeu bonum ſupernaturale purè creatum, (purè creatum, inquam, ut excipiam unionem hypoſtaticam, de quâ non eſt hujus loci ſtatuere quomodò ceciderit aut cadere potuerit ſub meritum) cadere poteſt ſub aliquod meritū congruum; at non quodlibet eodem modo, 13.

13. Sub aliquod meritum congruum cadere poteſt quodlibet donum ſu-

Pernaturale purè creatum.

modu, nec reſpectu ejuſdem. Hoc aſſertum ità univerſaliter poſitum eſt communiſſimũ, nam ſaltem alteri communiter conceditur poſſe juſtum mereri congruè quodlibet; licèt deinde ſit multiplex diſſidium in iis, quæ quis poteſt congruè mereri ſibi, ut mox patebit diſcurrendo per multa in particulari poſt formatam brevem probationem aſſerti in univerſum. Ideò

Probatur: Quodlibet donum, ſeu bonum ſupernaturale purè creatum, habet proportionem & eſt ejuſdem ordinis cum noſtris actibus de congruo meritoriis; nec ex eo, quòd ſub aliquod meritum congruum cadat, ſequitur aut principium meriti cadere ſub meritum, aut ullum aliud inconveniens; ex alia parte quæ dantur ex merito congruo, aliqua dantur immediatè, aliqua mediatè; aliqua infallibiliter, aliqua non: aliqua poteſt congruè mereri peccator, quæ non poteſt mereri juſtus; aliqua poteſt quis mereri alteri, quæ non poteſt mereri ſibi; poteſt ſcilicet quis mereri alteri, non ſibi primam gratiam actualem; poteſt peccator, non juſtus ſibi immediatè mereri primam gratiam habitualem; ex merito contritionis, ſeu dilectionis elicitæ à peccatore datur immediatè & infallibiliter gratia juſtificans, non ſic ex merito aliorum actuum; ut mox magis conſtabit ex diſcurſu ſubjiciendo; ergo verè quodlibet donum, ſeu bonum ſupernaturale purè creatum cadere poteſt ſub aliquod meritum congruum, at non quodlibet, &c.

14. Diſcurro jam ſingillatim, quantùm pro re præſenti neceſſe eſt, per præcipua dona ſupernaturalia initio facto à prima gratia actuali, quæ in juſtificatione adulti omnium ſupernaturalium donorum initium eſt, & omnia præcedit ordine executionis & cauſalitatis, licèt non ordine intentionis & dignitatis.

Quomodò ſub meritũ congruum cadat prima gratia actualis?

Quoad primam igitur gratiam actualem ſuppono ex *præced. c. 8. num. 15.* neminem poſſe eam ſibi congruè promereri, quia aut principium meriti caderet ſub meritum, aut auxiliũ ſupernaturale daretur ex merito congruo operis naturalis; at hoc non impedit; quin poſſit cadere ſub meritum alterius à recipiente, quia non eſt principium meriti in altero, & eſt gratia prima relatè ad eum in quo recipitur, non relatè ad alios; & ideò, ſive juſtus quis ſit, ſive peccator, poteſt congruè mereri alteri primam gratiam vocantem; ſic de facto ſolet tribui meritis S. Stephani prima efficax vocatio Pauli, & meritis S. Monicæ prima efficax vocatio Auguſtini. Quod dixi, *ſive juſtus quis ſit, ſive peccator*, procedit conformiter ad ſuperiorem doctrinam, quâ in peccatore univerſaliter agnovimus meritum congruum ſimpliciter & abſolutè tale, quidquid alij cõtrà ſentiant, ex eo deinde quòd quis, ſive juſtus ſit, ſive peccator, poſſit congruè mereri alteri primam gratiam actualem conſequens eſt quod mereri quoque alteri poſſit ſaltem mediatè primam gratiã habitualem, gratiæ augmentum, perſeverantiam finalem, &c. hæc quippè omnia ad primam gratiam actualem aliqualiter conſequuntur, eandemque habent cum congruo alterius merito proportionem; undè etiam nihil erit in particulari addendum de materia cadente ſub meritum congruum alterius, ſed ſolùm de cadente ſub meritum congruum ſui ipſius.

Quoad gratiã habitualem qui juſtus eſt, nec primam ejus infuſionem, nec augmentum mereri ſibi congruè poteſt; non primam infuſionem, quia eo ipſo quòd juſtus eſt eam habere ſupponitur; non augmentum, quia juſtus meretur illud condignè, idem autem meritum reſpectu ejuſdem præmij nequit ſimul eſſe condignum & congruum, alioqui ſimul eſſet æquale & inæquale: Qui eſt in peccato non meretur ſibi augmentum, quia exiſtenti in peccato nequit gratiæ augmentum advenire; at de congruo meretur primam infuſionem, mediatè quidem per actus fidei & ſpei alioſve ſimiles, immediatè per actum contritionis & dilectionis; & licèt hic actus ex ſupradictis *præced. cap. n. 28.* ſit in aliquo ſenſu actus hominis juſti, quatenùs tamen meritorius primæ gratiæ conſideratur in primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti, in quo eſt actus hominis peccatoris, ac proptereà per ipſum peccator, non juſtus dicitur primam gratiam promereri. Nec refert quod Tridentinum alibi relatum ſtatuat nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt juſtificationis gratiam promereri: Non refert, inquam, quia loquitur de merito condigno, pro quo ſolo regulariter ſupponunt meriti & merendi vocabula abſolutè prolata. 15.

Quomodò cadat ſub idem meritum gratia habitualis & augmẽtum ipſius?

Quomodò gloria tùm prima, tùm ſecunda?

Quoad gloriam dico juſtum nec primam nec ſecundam mereri congruè, quia per nos meretur utramque condignè; peccatori verò tribui poſſe meritum congruum primæ gloriæ eo modo, quo primæ gratiæ adeò, ut idem actus contritionis pro diverſo ſuæ exiſtentiæ inſtanti ſit primæ gloriæ modò congruè, modò condignè meritorius, congruè quatenùs primò elicitur à peccatore, condignè quatenùs continuatur à juſto.

Quoad reparationem poſt lapſum futurum poſſit ne juſtus eam ſibi congruè promereri? D. Thomas expreſsè affirmat *ad Heb. 6. lect. 3.* expreſsè verò negat *hic q. 114. art. 7. in 2.* unde vel ſenior retractavit quod junior docuerat, vel ſecundo loco ſtrictiùs, primo loco latiùs meritum congruum accepit; & hac ratione nonnulli Thomiſtæ meritum congruum latum & improprium permittunt juſto in ordine ad reparationem futuri lapſus; at nos qui proprium cenſemus etiam illud meritum, quod iſti Auctores improprium vocant, poſſumus dicere S. Doctorem utrobique egiſſe de merito cõgruo propriè accepto, ſed ſecundo loco negaſſe de merito congruo dante jus amicabile, quod primo loco affirmaverat de merito ſeparabili à tali jure: Hoc circà S. Doctoris mentem ſuppoſito ſequor D. Bonaventuram *in 2. diſtinct. 28. dub. 2.* Scotum *in 4. diſt. 22. q. 2. §. Secundum corollarium.* Bellarminum *lib. 5. de juſtificat. c. 22.* Oviedum *hic controv. 7. punct. 3.* Arriagam *diſput. 57. ſect. 4.* Herincx *diſput. 6. n. 87.* alioſque plures, & abſolutè 16.

Quomodò reparatio poſt lapſũ futurum?

ſentio

ſentiu juſtum poſſe ſibi congruè promereri
reparationem, ſeu auxilium efficax ad repa-
rationem poſt lapſum futurum contrà plures
Thomiſtas & ex recentioribus Vaſquium
*hic q.*114. *artic.*7. Valentiam *q.* 6. *punct.*4.
§.3. Eſparzam *lib.* 3. *de act. hum. quæſt.*3 3.
17. *art.*14. &c. contrà quos arguo primò ex eo,
quòd juxtà communem fidelium ſenſum ju-
ſtus utiliter & convenienter orat pro obti-
nenda venia, ſi in culpam labatur, ut orabat
David Pſalm. 70. *Cum defecerit virtus mea,*
ne derelinquas me, Domine; atqui non ſalva-
retur utilitas & convenientia ulla relatè ad
veniam, quoties oratio illa non eſſet de con-
gruo meritoria veniæ in caſu futuri lapſus:
ergo. Scio nonnullos hic agnoſcere in illa
oratione utilitatem ad impetrandum, non ad
merendum de congruo veniam; ſed malè,
quia ex ſupradictis in via non datur virtus
impetratoria, quæ non ſit de congruo meri-
toria: Arguo ſecundò ex eo, quod peccator
per nos congruè meretur reparationem à
peccato commiſſo: ergo juſtus poteſt ean-
dem congruè mereri à peccato committen-
do; & ſicuti peccatum commiſſum habitua-
liter perſeverans non impedit vim congruè
meritoriam operis ſupervenientis; ità pecca-
tum futurum, cum superveniet, non impe-
diet vim congruè meritoriam operis antece-
18. dentis. Neque dicas auxilia, quæ conferun-
tur juſto, ordinari ad perſeverantiam, ideò
actus ex talibus auxiliis procedentes totos
occupari in congruè promerendis ulteriori-
bus donis ad perſeverantiam ſucceſſivè con-
ducentibus, nec poſſe vim ullam impendere
circà futuram reparationem; in quo eſt di-
verſa ratio de actibus peccatoris, qui proce-
dunt ex auxiliis collatis in ordine ad repara-
tionem. Contrà enim: ad meritum nulla re-
quiritur ordinatio, & gratis dicitur auxilia
collata juſto ſpecialiter ordinari ad perſeve-
rantiam, ordinantur enim præciſè ad actus
honeſtos ac meritorios. Neque dicas inſuper
in juſto per peccatum ſubſequens retractari
actum honeſtum præcedentem, ideò impe-
diri & mortificari ipſius meritũ etiam con-
gruum, quamvis non ſic per peccatum com-
miſſum habitualiter perſeverans impediatur
meritum congruũ actus honeſti ſubſequen-
tis. Contrà enim: per peccatum ad ſummum
retractatur actus honeſtus virtutis oppoſitæ,
non alius quicumque; deindè ad perſeveran-
tiam meriti non eſt neceſſaria ulla perſeve-
rantia actus meritorij, niſi igitur aliud ob-
ſtet, actus retractatus in eſſe actus adhuc
permanebit in eſſe meriti.

19. Quoad perſeverantiam finalem, ſi ſuma-
Quomodò perſeverãtia finalis? tur pro tota ſerie auxiliorum, ne primo qui-
dem excepto, nequit eam ſibi quiſquam
congruè promereri, alioqui congruè prome-
reretur primum auxilium & primam gratiam
actualem contrà ſupradicta *n.* 14. Si ſumatur
pro aliis auxiliis & actibus præter primum,
ſeu pro ut dicit progreſſum & conſumma-
tionem, non initium, Cajetanus *hic q.*114.
*art.*9. Gonetus *diſput.*x. *art* 9. *n.*228 & alij
plures Thomiſtæ adhuc negant in juſto ſuæ
perſeverantiæ meritum congruum propriè
dictum arbitrati idem ſenſiſſe S. Doctorem
præcit. artic 9. & S. Antoninum *p.*4. *tit.*9.
*c.*7. §. 3. Nihilominùs cum neuter ex his
ſanctis faciat mentionem expreſſam, aut me-
riti congrui, aut perſeverantiæ ut non in-
cludentis primum auxilium, uterque jure
poteſt cenſeri locutus aut de ſolo merito
condigno aut de perſeverantia adæquatè ac-
cepta & complectente initium ac primum
auxilium. Ideò ferè totum Theologorum
agmen duce Auguſtino *lib. de bono perſeve-*
*rantiæ, cap.*6. abſolutè docet juſtum, & in 20.
perſeverantiæ initio conſtitutum, poſſe ſibi
ſucceſſivè promereri de congruo ulteriora
& ulteriora auxilia efficacia, quibus peccata
vitet & perſeverantiæ in gratia progreſſum
ac finem conſequatur, quod & ego affirmo,
ratio eſt quia talis perſeverantia præſertim
ob plures actus ſucceſſivè concedenda non
poteſt jure cenſeri præmium excedens me-
ritum congruum illorum actuum, inter quos
non deerunt aliqui heroici & præſtantiſſi-
mi; orationes item & preces, quibus plures
juſti à Deo talem perſeverantiam poſtulant,
non ſunt exiſtimãdæ in ordine ad illam inu-
tiles; tandem non eſt notandus tanquam im-
prudens communis ſenſus, quo concipi ſo-
let major ſpes perſeverantiæ in juſto eam
enixè petente & exercente ejus intuitu exi-
mios virtutum actus, quàm in alio tepidè ſe
habente, nec cogitante quodammodò de ip-
ſa; ſignum eſt igitur dari poſſe in aliquo
juſto aliquam congruentiam, ſeu aliquod
meritum congruum continuandi & conſum-
mandi perſeverantiam in gratia.

Dices in univerſum totâ doctrinâ hucuſ-
que poſita nos in pura creatura nimia exten-
dere limites virtutis de congruo meritoriæ,
& hanc quaſi infinitare, dum volumus poſſe
ſub ipſam cadere omnia dona ſupernaturalia
creata, imò etiam dona naturalia ut mox aſ-
ſeretur. Sed contrà: inſtantia fortè nos pre- 21.
meret, ſi ſub quolibet, aut ſaltem ſub aliquo
determinato actu meriti congrui poneremus
cadere omnia prædicta dona collectivè ac-
cepta; at nos ſumimus talia dona vagè ac
ſubdiſiunctò, eaque aſſerimus cadere ſub ali-
quo ex pluribus, & quædam ſub uno, quæ-
dam ſub alio, non omnia ſub eodem actu
meriti congrui: Non dicimus v. g. uno eo-
demque actu charitatis juſtum congruè pro-
mereri aliis primam gratiam, & tùm ſibi,
tùm aliis omnia auxilia danda ad progreſſum
conſummationemque perſeverantiæ, nec non
ad reparationem futuri lapſus; ſed dicimus
eo actu promereri aliquid ex his, illud ſcili-
cet, quod vel ipſe ſpecialiter obtinere in-
tendit, vel Deus conferre mavult; adeò ut
etiam quo bonum collatum erit inter enu-
merata excellentius eo minus detur ex effi-
cacia meriti, & plus habeat liberalitatis ad-
mixtum, eademque ratione ſi duo vel tria do-
na ſimul ob eundem actum conferantur, eò
majorem in Deo liberalitatem, minoremque
in actu meritivitatem terminent. Poteſt hoc
totum pariformiter exemplificari in actu ali-
quo peccatoris; in quo v.g. actus humilitatis
promeretur congruè auxilium ad eliciendum
actum

actum fidei, non ad eliciendum actum charitatis; actus fidei promeretur congruè infuſionem, aut augmentum habitus proprij, non aliorum habituum; ſolus deinde actus contritionis aut dilectionis promeretur congruè & quidem infallibiliter (propter Dei promiſſionem de diligendis diligentibus ſe, & de convertendo ſe ad eos, qui ad ipſum
22. reconvertuntur) infuſionem gratiæ: Utrùm deinde hanc eandem infuſionem poſſit congruè, licèt non infallibiliter promereri aliquis alius peccatoris actus? concedi ſolet de merito mediato: Arriaga tamē *præcit. diſp. 57. n. 19.* vult concedi id poſſe etiam de merito immediato eo, quòd exiſtimet poſſe aliquem actum immediatè promereri rem conferendam dependenter ab aliis actibus intermediis; eſt quæſtio levis & de nomine, in quâ non expedit recedere à communiore modo loquendi.

Quomodò bona temporalia.

Aſſert. 2. Bona temporalia, ſive ſumantur ut conducentia ad ſalutem, ſive etiam ſecundùm ſe cadere poſſunt ſub meritum congruum hominis, tùm juſti, tùm peccatoris; tùm reſpectu ſui, tùm reſpectu aliorum. Eſt aſſertum communiſſimum, & ſolùm quoad ly *tùm peccatoris* habemus Adverſarios illos, qui univerſaliter in peccatore nullum prorsùs admittunt meritum apud Deum, nequidem de congruo.

23. Dixi *ſive ſumantur ut conducentia ad ſalutem, ſive etiam ſecundùm ſe*, quia ſub hac duplici ratione bona temporalia conſiderari ſolent à Theologis cū S. Doctore *hic q. 114. art. 10.* quamvis talis diſtinctio inducta videatur in ordine ad meritum condignum, quo quamplures volunt poſſe juſtum ſibi promereri bona illa ut ad ſalutem conducentia, non ſecundùm ſe; verùm quoad hoc non aſſentior, & cum Oviedo *hic controv. 7. n. 75.* probabilius exiſtimo bona temporalia, etiam ut ad ſalutem conducentia, de lege ordinaria unicè cadere ſub meritum congruum, nec ea ſibi juſtum condignè promereri, & probatur hoc tùm à poſteriori ex eo, quòd non dentur infallibiliter, ut de lege ordinaria datur, quod datur ex merito condigno; tùm à priori ex eo, quod per nos tota condignitas operum ſupernaturalium in homine juſto abſorbetur de lege ordinaria circà augmentum gratiæ & gloriæ; & ſicuti ex hoc capite juſtus per nos non meretur condignè ſibi ulla auxilia efficacia, quæ certè ad ſalutem magis conducunt, quàm bona temporalia, ità nil mirum quòd nec iſta ſibi quatenùs ad ſalutem conducentia condignè mereatur: Favet quidem Adverſariis S. Thomas *præcit. art. 10.* at non loquitur adeò clarè, ut explicationem omnem excludat.

Hęc neque etiam ut conducētia ad ſalutem cadunt de facto ſub meritū condignū operum ſupernaturalium.

24. Probatur aſſertum, quia ex una parte bona temporalia, ſive ſumantur ut conducentia ad ſalutem, ſive ſecundùm ſe, ſicuti habere poſſunt veram rationem boni, ità & rationem præmij à Deo conferibilis; ex alia parte ſub meritum congruum hominis, tùm juſti, tùm peccatoris, cadunt alia excellentiora & majora bona, cur ergo cadere etiam non poterunt bona ipſa temporalia? cum præſertim pro iſtis etiam obtinendis fundantur ad Deum orationes & preces. Neque exiſtimes meritum congruum operum ſupernaturalium circà bona ſupernaturalia abſorberi. Contrà enim meritum congruum, ſicuti ex dictis non reſpicit unum bonum ſupernaturale potiùs, quàm aliud, ita circà nullum determinatè abſorbetur; & pro materia indeterminata ac vaga omnia naturalia non minùs, quàm omnia ſupernaturalia habere poteſt, abſque eo quod exhauriatur, aut excedatur, pro quo recole ſupradicta *num. 21.*

Dubitatur hic: Quomodò bona temporalia ſumpta ſecundùm ſe poſſint cadere ſub meritum operum naturalium: Verùm illicò fiet quæſtio de nomine; utrùm operibus naturalibus conveniat apud Deum meritum aliquod propriè dictum, an ſolùm metaphoricum & ſimilitudinarium? abſtrahendo ab hac quæſtione nominali, nulla eſt ratio negandi homini non habenti peccatum facultatem merendi condignè, eidemque habenti peccatum facultatem merendi congruè per actus bonos naturales bona temporalia, præſertim conducentia ad beatitudinem naturalem, ſi homo conſideretur in pura natura.

CAPUT X.

De reviviſcentia meritorum.

A Multis, imò à majori ſcholaſticorum parte, res hæc agitatur in materia de pœnitentia cum Magiſtro *in 4. diſt. 14. & 22.* aut cum D. Thoma *3. part. q. 89.* Nihilominùs poteſt etiam valde opportunè in præſenti expediri pro integra abſolutaque notitia eorum, quæ pertinent ad noſtram juſtificationem & ad noſtrum meritum apud Deum; pro quo 1.

Obſervandum opera hominis ad finem ſupernaturalem elevati alia eſſe apta ad merendum apud Deum, alia non: Sub hoc ſecundo genere continentur opera mala & opera indifferentia ſi dantur; illa ſunt mortifera, id eſt mortem animæ & ſupernaturalis vitæ carentiam inducentia, iſta nec ad mortem ſpectant, nec ad vitam: Sub primo genere continentur opera hominis exiſtentis in gratia, & opera bona hominis exiſtentis in peccato; illa dicuntur viva, quia procedunt ab homine habente vitam gratiæ, eundemque deducunt ad æternam vitam gloriæ, iſta dicuntur mortua, quia procedunt ab homine non habente intrinſecum principium ſupernaturalis vitæ, nec ullam habent propriam efficaciam vitalem in ordine ad vitam æternam, & ex eo quod ſupernaturalia ſint poſſunt ad ſummum dici ſemi-viva, quatenùs imperfectè, congruèque conferunt ad vitam

Opera hominis alia mortifera, alia nec ad vitam nec ad mortem pertinentia.

Alia viva,

Alia mortua.

vitam æternam, & vitam gratiæ ſupponunt actualem dumtaxat, non habitualem, ex parte ſui, non ex parte ſubjecti: Difficultas jam eſt utrùm opera viva & bona hominis juſti per ſuperveniens peccatum evadant mortua & ſimilia operibus bonis elicitis à peccatore adeò ut non poſſint ampliùs in ullo ſtatu ad vitam æternam prodeſſe, an verò evadant tantùm mortificata & impedita ab exercitio vitæ quandiu peccatum perſeverat? adeò ut homine reſurgente & auferente impedimentum peccati recuperent ſtatum priſtinum & reviviſcant, ſeu rediviva fiant; ſicque peccator, qui fuit antecedenter juſtus, habeat quædam opera mortua, quædam mortificata; & juſtus, qui fuit antecedenter peccator, habeat quædam opera viva, quædam rediviva, ſeu vivificata; & dari hujuſmodi opera rediviva, ſeu vivificata eſt merita reviviſcere; merita, inquam, condigna, nam merita congrua, ſeu opera de congruo meritoria poſſunt per nos eſſe opera mortua, & contenta ſunt vitâ valde imperfectâ, quam peccati mors, ſive antecedens, ſive ſubſequens ſit non impedit, ideò nec mortificantur, nec reviviſcunt; quamvis in ſententia requirente ad merita congrua ſtatum gratiæ aliter eſſet ſentiendum, & diſcurrendum de ipſis eodem proportionaliter modo, quo de condignis: Hac obſervatione & terminorum explicatione præmiſſa ſit

Alia mortificata.

Alia vivificata.

Merita cógrua, nec mortificantur, nec reviviſcunt.

§. I.

Quàm certum ſit merita reviviſcere?

3\. Certum eſt merita reviviſcere.

ASSERT. Certum eſt certitudine ſaltem Theologica merita per peccatum mortificari, eademque in peccatoria juſtificatione reviviſcere. Dixi *ſaltem* quia aliqui tribuunt huic dogmati certitudinem majorem, nimirum aut fidei, aut fidei proximam, & contrarium quod tradiderunt olim nonnulli ſuppreſſo nomine relati à D. Thoma 3. *part.* *q.* 89. *art.* 5. *in c.* notat tanquam contrà fidem Nugnus *eod. art.* 5. §. *tota difficultas*, tanquam errori proximum Bannez 2. 2. *q.* 24. *art.* 6. *dub.* 6. nos cum Suario *opuſc. de reviviſcentia meritorum, diſp.* 1. *ſect.* 2. *n.* 9. cæteriſque magis communiter contenti ſumus id notare ſaltem tanquam temerarium, & aliqualiter impium; tale quippè eſt quod certitudini Theologicæ opponitur.

Cenſura opinionis oppoſitæ.

Probatur: Quod communis Theologorum conſenſus ex ſacræ Scripturæ, ſanctorũ Patrum, & alicujus Generalis Concilij teſtimoniis, licèt non omninò claris, deducit certum eſt certitudine ſaltem Theologica, atqui hujuſmodi eſt reviviſcentia meritorum ſub generalibus terminis aſſerta; ſtant enim pro tali reviviſcentia Magiſter *in* 4. *diſt.* 14. *&* 22. D. Thomas *ead. diſt.* 14. *q.* 2. *artic.* 3. & 3. *part. q.* 89. *art.* 5. D. Bonaventura *ead. diſtinct.* 14. 2. *part. art.* 2. *quæſt.* 3. Henricus *quodlib.* 5. *quæſt.* 24. Scotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. §. *de ſecundo articulo*, Ochamus *in* 4. *quæſt.* 9. Suarez *opuſc. præcit.* Vaſquez 1. 2. *diſput.* 221. *cap.* 1. & cum hiſce Antesignanis omnes Theologicæ ſcholæ, omneſque Theologi deducentes intentum noſtrum primò ex Heb. 6. *Confidimus autem de vobis dilectiſſimi meliora & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur: Non enim injuſtus eſt Deus ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius*: quibus verbis robur accedit ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. dicente *Juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint proponenda ſunt Apoſtoli verba, abundate in omni opere bono ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino; non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur*, &c. facit etiam pro re præſenti quod ex eodem Tridentino habetur can. 32. *Juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam*, &c. *verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſequutionem*; ubi Concilium dum primo loco verba Apoſtoli conſolatur eos etiam juſtificatos, qui amiſſam gratiam recuperarunt, ſupponit hanc verè recuperari ac reviviſcere, hancque recuperantes ex bonis operibus antecedentibus præmium reportare: & dum ſecundo loco apponit conditionem illam *ſi in gratia deceſſerit* potiùs, quàm *ſi gratiam non interruperit* indicat ad hoc ut bona opera poſſint ad ſalutem ſufficere gratiam finalem, nec requiri gratiam antecedenter continuatam, quemadmodum tamen requireretur, quoties merita non reviviſcerent: Neque dicas conditionem gratiæ non interruptæ apponi à Tridentino alio in loco, nimirùm *eod. c.* 16. *can.* 26. ubi ſtatuit *juſtos pro bonis operibus debere expectare æternam retributionem, ſi benè agendo & divina mandata cuſtodiendo uſque in finem perſeveraverint*. Contrà enim: nomine perſeverantiæ uſque in finem venit perſeverantia finalis, non verò perſeverantia nunquam antecedenter interrupta. 4.

Secundò deducitur idem intentum *ex* 3. *ad Galat.* ad quos poſt baptiſmum lapſos dicitur *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa*: Tertiò ex Ioel 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta*, ubi Gloſſa, *Non patiar perire ubertatem, quam perturbationibus animi perdidiſtis.* Quartò ex Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Confirmatur ex ſanctis Patribus, qui quidem ante D. Thomam ſicuti veritatem hanc non examinarunt, ità nec expreſsè tradiderunt; plura tamen paſſim habent ad intentum noſtrum valde accedentia, ut videre eſt apud Suarium *opuſc. præcit. diſput.* 1. *ſect.* 2. ubi etiam *ſect.* 1. *n* 12. poſt impugnatas alias interpretationes oſtendit ex ſanctorum Patrum mente allata verba Apoſtoli ad Hebræos verè procedere de bonis operibus factis in gratia, mortificatis per peccatum, reparatis per pœnitentiam. 5.

Addi hic poſſent validæ pro aſſerta certitudine & veritate rationes, ſed opportuniùs afferentur infrà *num.* 10. poſtquam ſtabilitus fuerit 6.

Varij ſunt modi ex-

plicandi revivifcentiã meritorũ. fuerit reviviſcentiæ modos; de quo varias Theologorum opiniones in duas claſſes divido: Prima ſit earum, quæ omni carent probabilitate nec ſunt à cenſura immunes: Secunda earum, quæ aliquam ſortiuntur probabilitatem & omni cenſura carent.

Afferuntur modi obnoxij cenſuræ. Sub prima claſſe continetur primò opinio docens merita mortificata reviviſcere dumtaxat ad præmiũ accidentale, quatenùs beatus habebit ſpeciale gaudium de bonis operibus ante peccatum factis: Hæc opinio, quam Suarez *opuſc. præcit. diſp. 2. n. 1.* ait non inveniri apud aliquem ſcholaſticum; cenſeri ſolet temeraria, cum non ſalvet ſufficienter prædictas auctoritates & habeat contrà ſe Theologorum torrentem; præter quod ſi illud ſpeciale gaudium ſufficeret ad reviviſcentiam, reviviſcerent etiam opera mortua & facta in peccato, nam de his etiam Beatus ſpecialiter gaudet. Continetur ſecundò opinio docens merita mortificata reviviſcere quidem ad præmiũ eſſentiale gratiæ & gloriæ, hoc tamen ex vi meritorum reviviſcentium eſſe majus dumtaxat in ratione præmij; quatenùs datur etiam intuitu & titulo ipſorum, at in ratione entitatis non eſſe majus; quam ſi juſtificatio fieret nullis meritis reviviſcentibus; hanc opinionem, pro qua refertur Bannez 2. 2. *q. 24. art. 6. dub 6:* falſiſſimam, imò & erroneam cenſet Ledeſma *in 4. 2. part. q. 30. art. 2.* mitior Suarez *præcit. diſp. 2. n. 13* contentus eſt eam aſſerere falſam & parùm conſentaneam ſententiis Patrum, Conciliorum, & Scripturæ: Quod quidem ità eſſe conſtare facilè poteſt expendenti præallatas auctoritates & recolenti ſuprà dicta *c. 7. n. 18.*

7\. Afferuntur modi immunes à cenſura. Sub ſecunda claſſe continetur primò opinio docens merita mortificata reviviſcere quidem quoad præmium eſſentiale propriè & entitativè acceptum, non tamen ſemper quoad totum, ſed juxtà proportionẽ & menſuram diſpoſitionis, quà peccator juſtificatur: Habet hæc opinio plurimos ſectatores, at inter ſe diſcrepantes in explicando modo prædictæ proportionis, quam aliqui volunt attendendam eſſe penes proportionalitatem quaſi abſolutam contritionis ad merita adeò ut ſi contritio ſit ſumma in quam peccator poſſit erumpere, merita reviviſcant ſummè & ad totum prorsùs præmium; ſi contritio ſit minor ſumma, merita reviviſcant ad præmiũ minus, & in eadem proportione iſtud deficiat à præmio integro, quo illa deficit à contritione ſumma; ſi contritio per medietatem, v.g. deficiat à ſumma, quoad medietatem ſui præmij eſſentialis merita mortificata reparentur, ità Ledeſma *præcit. art. 2.* & Soto *in 4. diſt 16. q. 1. art. 2.* Aliqui alij proportionem illam explicant penes æqualitatẽ quaſi arithmeticam contritionis cum præmio, adeò ut cum diſpoſitione, quà quis juſtificatur, eandem ſervet proportionem, tùm gratia nova juſtificans, tùm gratia antiqua reviviſcens, & juſtificato cum contritione ut quatuor v. g. conferantur quatuor gradus gratiæ novæ, & reſtituantur alij quatuor gradus gratiæ antiquæ; ità Ioannes à S. Thoma *diſp. 36. de pœnit. art. 3.* & Granadus *controv. 7. de pœnit. tract. 6. diſp. 2. ſect. 2.* Aliqui tandem eandem proportionẽ conſtituunt inter diſpoſitionem, quà quis juſtificatur, & quodlibet opus meritorium mortificatum; adeò ut ſi quis juſtificetur cum contritione, v g. ut quatuor, ſingula ipſius opera meritoria, quæ intenſiora fuerant, reviviſcant ſecundùm quatuor gradus, & quadraginta gratiæ antiquæ gradus recuperet, ſi decem habuit opera meritoria mortificata; ità Alvarez *lib. 7. de aux. diſp. 61. n. 6.* Gonetus *de pœnit. diſp. 6. art. 2. §. 2.* & cæteri Thomiſtæ magis communiter.

Sub eadem ſecunda claſſe continetur ſecundò opinio docens per quamlibet, & ex qualibet diſpoſitione factam juſtificationem, merita mortificata reviviſcere ad præmium eſſentiale totum & integrum: Ità Magiſter *in 4. diſt. 14.* Henricus, Scotus, & Ochamus locis præcitatis, & cum his Anteſignanis Henriciſtæ, Scotiſtæ, & Nominales; ac inſuper Durandus *in 3 diſt. 31. q 2. ad 3.* Herinex *hic diſp. 4. q. 12.* Oviedo *controv 6. punct. 1.* Vaſquez *loco præcit.* Suarez *opuſcul præcit. diſp. 2. ſect. 2. n. 17.* Lugus *de pœnit. diſp. 11. ſect 2.* Arriaga *diſp. 16. ſect. 2.* Eſparza *lib. 10. q 96. art. 6.* cæterique recentiores ferè omnes: Inter quos tamen cum Nominalibus ex una parte, & Scotum cum ſuis ex altera, diſſidium eſt circà tempus, quo gratia meritis reviviſcentibus debita reſtituatur; illi enim volunt reſtitui ſtatim & in ipſa juſtificatione; iſti exiſtimant differri adeò ut phyſicè ſaltem & in eſſe qualitatis reſtituatur dumtaxat in ingreſſo gloriæ. Viget hoc idem diſſidium inter Auctores opinionis præcedentis, inter quos aliqui homini cum diſpoſitione remiſſa juſtificato docent portionẽ illam antiquæ gratiæ, quæ reviviſcit, in eſſe qualitatis & phyſico non infundi ante inſtans aut mortis aut glorificationis; aliqui volunt expectandum dumtaxat eſſe actum ferventiorem qui ab homine illo juſtificato in vitæ decurſu eliciatur; aliqui admittunt in qualibet juſtificatione infundi ſtatim portionem gratiæ reviviſcentis, adeò ut deinde actus meritorij ſubſequentes inſerviant ad recuperandos alios antiquæ gratiæ gradus, donec aut per plures actus remiſſos, aut per unum ferventiorem ac ſummum tota antiqua gratia fuerit reparata, in quo unuſquiſque loquitur conformiter ad propriam doctrinam circà augmentum gratiæ hoc vel illo tempore conferendum actibus remiſſis, ut ſuprà attigimus *c. 7. n. 16.* 8.

In tanta opinandi varietate non expedit, ut latè præſtat Suarez, ſingillatim improbare omnes dicendi modos diverſos ab eo, quem aſtruere intendimus eſſet enim id valdè moleſtum ac parùm utile; & iiſdem probationibus, quibus modum mox afferendum ſtatuemus, cæteri omnes ſufficienter rejicientur: Ideò ſit 9.

§. II.

Ad quale & quantum præmium reviviſcant merita mortificata; & quandonam tale præmium conferatur?

10. Merita reviviſcũt ad præmiũ eſſentiale totale.

ASSERT. I. In qualibet juſtificatione merita mortificata reviviſcunt adæquatè & quoad totum præmium eſſentiale ipſis antecedenter debitum. Ità Scotiſtæ, Nominales, & major recentiorum pars contrà Thomiſtas & alios nonnullos, de quibus ſuprà.

Probatur primò: Merita mortificata reviviſcere inadæquatè & quoad partem præmij eſſentialis eſt ipſa reviviſcere impropriè & imperfectè; atqui nec poteſt ſine neceſſitate dici, nec ulla eſt neceſſitas dicendi, quod in aliqua juſtificatione merita mortificata reviviſcant ſolùm impropriè & imperfectè; ergo in qualibet juſtificatione merita mortificata reviviſcunt adæquatè, &c. major non videtur poſſe negari quia pars vitæ prioris non eſt propriè ac perfectè prima vita, & tamen reviviſcere ex vi nominis eſt primam vitam recuperare; & hæc in opere meritorio nihil eſt aliud, quàm efficacia, ſeu valor ipſius in ordine ad præmium eſſentiale: Minor quoad primam partem patet, quia veritas ex Scripturis, Conciliis & Patribus ſimpliciter abſoluéque deducta non eſt ſine neceſſitate limitanda, & dejicienda ad ſenſum improprium, atque imperfectum: eadem minor quoad ſecundam partem probatur ex eo, quia neceſſitas ab Adverſariis excogitata nititur falſo ſuppoſito, quo exiſtimant noſtros actus eſſe diſpoſitiones phyſicas ad gratiam; hinc deindè inferentes gratiam dari non poſſe intenſiorem, quàm ſit noſtra præſens diſpoſitio: Accedit, quòd hæc illatio dato Adver-

11. ſariorum ſuppoſito adhuc non evinceret ipſorum intentum primò, quia dici poſſet gratiam diſpoſitionis phyſicæ indigam, diſpoſitionique præſenti commenſurandam eſſe illam, quæ primò infunditur & per ſe datur ad juſtificandum; non illam, quæ reſtituitur & titulo præterito datur; ſecundò, quia talis illatio nimis probaret, & excluderet quamcumque partialem gratiæ reviviſcentiam, nam quanta eſt diſpoſitio præſens, quâ quis juſtificatur, tanta infonditur gratia nova; quomodocumque igitur modicum quid de antiqua reſtituatur, tota gratia ex antiqua & nova conſurgens erit ſemper ultrà menſuram diſpoſitionis præſentis, quâ homo juſtificatur.

Dices, Tridentinum *ſeſſ.6. c. 7.* expreſsè habet juſtitiam, ſeu gratiam recipi *ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem*: ergo, quidquid ſit de diſpoſitione phyſica vel morali, ſaltem propter auctoritatem Tridentini fatendum eſt gratiam ſive novã ſive antiquam dari juxtà proportionem diſpoſitionis, nec poſſe eſſe diſpoſitione intenſiorem, ut tamen eſſet, ſi juſtificatus cum diſpoſitione remiſſâ reciperet totam gratiã prioribus meritis debitam. Sed contrà: inſtantia, ut jacet, nimis 12.
probat, excludit enim omnẽ utcumque minimã ac partialem gratiæ reviviſcentiã, quẽadmodũ mox dicebatur impugnando præcedentẽ illationem, & licèt hac de cauſa Gonetus, Alvarez, & quidã alij Thomiſtæ velint pro meritis ea diſpoſitione remiſſa vivificatis conferri in hac vita gratiam ſolùm moraliter & in eſſe gratiæ; non phyſicè & in eſſe qualitatis, huic tamen effugio præcluſus jam eſt aditus *præced. c.7. n. 28.* ad quem locum remitto Lectorem; interim ad inſtantiam directè dico Tridentinum loqui de gratia, quæ primò infunditur, non de illa, quæ reſtituitur, ſicut nec de illa quæ augetur; quod non debet Adverſariis videri durum, cum ipſimet gratiam propria diſpoſitione intenſiorem teneantur fateri in eo, qui contritus accedit ad pœnitentiæ Sacramentum, qui certè recipit majorẽ gratiam quàm reciperet cõtritus extrà Sacramentum; audio te confeſtim dicentem majorem hanc gratiam dari ex opere operato & ex merito alieno, non ex merito proprio recipientis, at facilè replico etiam gratiam majorẽ reviviſcentẽ dari ex merito præterito, non ex merito præſenti; & ſicuti gratia ex merito alieno poteſt excedere menſuram meriti proprij, ità ex merito præterito poteſt excedere menſuram meriti præſentis; unde ad verba illa Tridẽtini poteſt aliter dici (& eſt fortè clarior ac plauſibilior ſolutio, quamvis re ipſa recidens in jam datam) gratiam recipi ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, vel præſentem, vel præteritam; præſentem ſi ſit gratia nova, præteritam ſi ſit gratia antiqua; & cum per nos diſpoſitio ad gratiam moralis tantùm ſit, non eſt difficile ſuſtinere exercitium aliquod ipſius etiam poſtquam phyſicè præteriit.

Quomodò ex Tridentino gratia detur juxtà menſuram diſpoſitionis.

Probatur ſecundò: In qualibet juſtificatione aufertur totum reviviſcẽtiæ impedimentum: ergo in qualibet juſtificatione merita mortificata reviviſcunt adæquatè, &c. antecedens patet, quia in qualibet juſtificatione aufertur omne & totũ peccatũ lethale quoad culpam; ſola autẽ culpa lethalis perſeverans reviviſcentiam impedit, & mortificationem continuat, ſicuti ipſa ſola ſuperveniens bonorum operum vitam ſuſpẽdit & mortificationem inducit: cõſequentia probatur, quia merita mortificata ratione impedimẽti præcisè, non defectu propriæ virtutis (hanc quippè ſuſpenſam præcisè habent, nulla ex parte ſublatam) non vivunt, nec reviviſcunt; effectus autem qui ratione impedimenti præcisè non ponitur, ablato impedimento totus redit ut anteà; ſic lapis interpoſito obſtaculo detentus in aëre, obſtaculo remoto deſcendit ut anteà, & aqua interpoſito aggere retroacta, ſublato aggere ut anteà fluit. 13.

Reſpondebis merita mortificata nec ratione impedimẽti præcisè, nec defectu propriæ virtutis, verùm etiam defectu diſpoſitionis non reviviſcere, ideò non reviviſcere ad totum effectũ prioris gratiæ niſi adſit pro tota priore gratia diſpoſitio; hæc autem non adeſt

14. adeſt in qualibet juſtificatione. Sed impugnaberis, quia ut jam dictum eſt, pro gratia antiqua reſtituenda aut nulla requiritur poſitiva diſpoſitio (poſitiva inquam, non ablatio obicis quæ requiritur, dici poteſt diſpoſitio negativa) aut ſufficit poſitiva diſpoſitio præterita facta de novo moraliter præſens & moraliter rediens redeuntibus meritis.

Alias aſſertæ veritatis probationes, ſicut & ſolutionem aliarum difficultatum contrà eandem militantium habes ex infrà dicendis, dum oſtendetur in qualibet juſtificatione, tùm redire gratiam antiquam habitam ſine meritis, tùm merita reviviſcere ex natura rei; hoc enim utrumque favet plurimùm totali meritorum reviviſcentiæ. Interim pro ſecunda præfixi tituli parte ſit.

15. Præmium gratiæ debitum meritis reviviſcentibus confertur ſtatim.

Aſſert. 2. Præmium eſſentiale gratiæ habitualis correſpondentis meritis reviviſcentibus in qualibet juſtificatione confertur ſtatim, nec in juſtificatione facta ex diſpoſitione remiſſa expectatur ulla major diſpoſitio, multoque minùs expectatur ſemper ingreſſus gloriæ. Ità Nominales, & Recentiores magis communiter contrà Thomiſtas & Scotiſtas; inter utroſque problematicus eſt Henricus *quodlib. 5. q. 24.* item Herincx *hic diſp. 4. q. 12. n. 69.*

Dixi *præmium eſſentiale gratiæ habitualis*; quia præmium eſſentiale correſpondens bonis operibus, tùm gratiam habitualem, tùm gloriam importat; hæc verò ſicuti operibus vivis, dum eliciuntur, non confertur ſtatim, ità non debet conferri ſtatim iiſdem, dum reviviſcunt & redeunt; ſicque ſpecialis expreſſio gratiæ habitualis facta eſt ad excludendum præmium eſſentiale æternæ gloriæ, quam certum eſt non ſtatim, imò non in hac vita conferri, ſed ſuo tempore & in alia vita; cæterùm quoad reliquos habitus ſupernaturales viæ & vitæ præſentia eadem eſt ratio, quæ de habitu gratiæ, in qualibet ſcilicet juſtificatione ſtatim reſtituuntur omnes adæquatè, & quoad totam perfectionem, quam habuerunt antè peccatum; ſequuntur enim conditionem & menſuram gratiæ, quam totam ſtatim reſtitui.

16. Probatur, quia merita propriè ac perfectè reviviſcere eſt ea recuperare priorem vitam, non ſolùm totam, ſed etiam ſtatim; & effectus, qui præcisè non ponitur ratione impedimenti, impedimento ſublato non ſolum totus, ſed etiam ſtatim ponitur; ex alia parte neceſſitas ab Adverſariis excogitata pro differenda infuſione gratiæ reviviſcentis reſolvitur in defectũ diſpoſitionis phyſicæ, adeoque impugnata jam eſt tanquam laborans, tùm falſitate ſuppoſiti; tùm inſufficientia illationis; ergo pro re præſenti recurrit doctrina utriuſque probationis poſitæ pro aſſerto præcedenti. Accedunt inſuper ſuprà dicta *cap. 7. num. 13.* dum probatur augmentum gratiæ debitum actibus remiſſioribus eſſe ſtatim conferendum, ſicuti enim tale augmentum, quamvis cum gratia præexiſtente conſtituat gratiam actu remiſſo intenſiorem, adhuc ſtatim confertur; ità non eſt, cur non debeat ſtatim conferri gratia antiqua reviviſcens, quamvis cum gratia de novo juſtificante conſtituat gratiam intenſiorem actu ad juſtificationem diſponente.

---

§. III.

An in qualibet juſtificatione ſimul cum priore gratia habita ex meritis redeat gratia habita ſine meritis?

Aſſert. In qualibet juſtificatione reviviſcit & redit tota prior gratia, etiam habita ſine meritis. Ità Suarez *opuſc. præcit. diſp. 2. ſect. 3. n. 57.* Oviedus *hic controv. 6. n. 57.* Herincx *diſp. 4. q. 12. num. 68.* Lugus *diſp. 11. de pœnit. ſect. 3.* Arriaga *diſp. 16. ſect. 8.* Coninchus *diſp. 2. dub. 2. concl. 3.* & magis communiter quicumque docent in qualibet juſtificatione redire totam gratiam antecedenter habitam ex meritis, imò Bannez, qui *dub. 6. præcit.* docuit gratiam ex meritis habitam non reviviſcere niſi in eſſe præmij, *ibid. circà ultimum* diverſimodè ſentit de gratia habita ſine meritis & ex opere operato per Sacramenta, hancque admittit ſimpliciter & abſolutè redire etiam in ratione entitatis. Reliqui Thomiſtæ ſolent eodem modo de utriuſque gratiæ reviviſcentia philoſophati, in quo licèt nobis indirectè faveant, in re tamen quoad totalitatem reviviſcentiæ adverſantur in gratia ſine meritis æquè, ac in gratia ex meritis: Ex Auctoribus deindè nobiſcũ ſentientibus quoad gratiam ex meritis habemus in hoc aſſerto Adverſarios Vaſquium *pluribus in locis*, Turrianum *2. 2. diſp. 69. dub. 3.* Gaſparem Hurtadum *diſp. 2. difficult. 15.* & ex parte Scotum *in 4. diſt. 22. q. 1. § de ſecundo articulo verſic. ad ſecundum dico* ubi ait *Igitur reviviſcant merita, ſed non reviviſcit prima gratia.* 17. In qualibet juſtificatione reviviſcit gratia etiam habita ſine meritis.

Probatur primò ex verbis Ioël ſuprà relatis & corroboratis explicatione gloſſæ in ordine ad ubertatem gratiæ, nulla facta limitatione gratiæ ex meritis: Eidem intento inſervit illud Luc. 15. *Citò proferte ſtolam primam & induite illum*; ubi nomine *ſtolæ* quâ Paterfamilias jubet indui filium ad ſe reverſum communiter intelligitur gratia, quam Deus peccatori ad ſe converſo reſtituit; ſtolâ igitur prima ſignificat totam gratiam primã, quæ ſcilicet habebatur ante peccatum ſivè ex meritis haberetur ſivè non: Favet pariter auctoritas Sanctorum Patrum & Theologorum magis communiter tribuentium pœnitenti, quod ſtatum priſtinum recuperet; quæ omnia nec poſſunt ſine neceſſitate limitari, nec ulla eſt neceſſitas limitandi ad ſtatum priſtinum habitum ex meritis, ad ſtolam primam, quâ quis ex meritis induebatur, &c. 18.

Dices neceſſitatem ità limitandi haberi à poſteriori ex eo, quod incõveniens ſit & cõtrà experientiam hominem ſemper reſurgere à peccato in gratia majore, quàm eſſet antè peccatum, & tamen ità ſemper reſurgeret, ſi præter gratiam novam, quâ formaliter juſtificatur, recuperaret ſemper totam anti-

quam ſivè ex meritis ſive ſine meritis habitã, gratia enim aliqua nova cum tota prorsùs antiqua certè eſt gratia major, quam tota antiqua ſecundùm ſe: illud autem eſt incõveniens, quia reportaretur ex peccato lucrũ; eſt item contrà experientiam, qua conſtat hominem non ſemper reſurgere à peccato cum majori facilitate ad benè operandum, quam haberet anteà, imò ut plurimùm debilior eſt ac difficilior; quod non cohæret cum majore gratia ſecum afferente uberiora auxilia, & intenſiores virtutum habitus.

19. Sed contrà: libenter admitto & omninò admittendum cenſeo hominem ſemper reſurgere à peccato in gratia majore, quàm eſſet antè peccatum; ad primam repugnationem dico, non reportari lucrum ex peccato, quia major gratia non ratione peccati datur, ſed ratione diſpoſitionis, quam potuiſſet habere non intercedente peccato; ex quo deinde conſurgit in homine etiam juſtificato detrimentum, quia toto tempore quo fuit in peccato, elicuit opera mortua, quæ fuiſſent viva & meritoria non exiſtente peccato, item quia remanet poſt juſtificationem cum aliqua prava inclinatione ex actu peccaminoſo relicta, necnon regulariter cum aliquo reatu pœnæ temporalis. Ad ſecundam impugnationem dico majorem gratiam non inferre in peccatore converſo majorem facilitatem benè operandi, tum quia obſtant habitus vitioſi ex peccatis relicti; tum quia habitus infuſi & auxilia ſufficientia (quæ ſola ratione majoris gratiæ ſolent eſſe uberiora) non facilitant, ſed dant poſſe; major igitur aut auxiliorum copia, aut habituum intenſio, impertinenter ſe habet ad majorem facilitatem.

Peccator ſemper reſurgit in gratia majore ea, quam habebat ante peccatum.

20. Probatur ſecundò duabus congruentiis. Prima ſit, quia non eſt conveniens gratiam, quæ datur ex opere operato, & ex meritis Chriſti, dari imperfectiori modo; perfectiori verò illam, quæ datur ex opere operantis & ex meritis propriis: & tamen res ita ſe haberet ſi iſta, non illa gratia daretur cum jure reviviſcentiæ. Secunda ſit, quia ſi gratia habita ſine meritis, cujuſmodi eſt omnis gratia Sacramentalis, non rediret, quiſquis poſt ſuſceptum Sacramentũ initerabile peccaret lethaliter cogeretur carere in perpetuum effectu talis Sacramenti, & ſpeciali jure ad auxilia actualia pro exercendis muneribus aut obtinendo fine ejuſdem Sacramenti: quod videtur patàm conveniens.

§. IV.

Alia nonnulla de meritis reviviſcentibus, & præſertim utrùm reviviſcant ex natura rei?

21. ASSERT. Suppoſita juſtificatione merita reviviſcunt ex natura rei, nec ut reviviſcant requirunt miſericordiam, aut liberalitatem Dei diverſam ab ea, qua fit juſtificatio. Ità Vaſquez 1. 2. diſp. 221. cap. 4.

Reviviſcẽtia meritorũ provenit ex natura rei.

& 4. Turrian *diſp. 14. de pœnit. dub. 2.* Lug. *diſp. 12. de pœnit. ſect. 2. n. 14.* Eſparxa *lib. 10. de pœnit. q. 96.* & aliqui alij recentiores contra Alenſ. Paludanum, Gabrielem, & alios quoſdam relatos à Suarez. *opuſc. præcit. diſp. 1. ſect. 3. num. 2.* tribuentes reviviſcentiam meritorum ſoli Dei miſericordiæ: item contrà Suarezium *ead. ſect. n. 17.* Oviedum *hic controv. 6. num. 24.* Arriagam *diſp. 16. de pœnit. num. 51.* & cæteros magis communiter tribuentes reviviſcentiam illam partim miſericordiæ, partim juſtitiæ: miſericordiæ, inquam contradiſtinctæ & diverſæ ab ea, qua fit juſtificatio ſeù confertur gratia juſtificans, in qua conferenda miſericordiã intercedere extrà quæſtionem eſt; cum omnes fateantur conferri aut ex nullo merito aut ex ſolo merito congruo, cujus retributio liberalitatem & miſericordiam involvit; hanc miſericordiam utpotè in juſtificatione contentam inſinuo particulis illis *ſuppoſita juſtificatione*; at præter hanc Adverſarij aliam requirunt, qua in homine juſtificato priora bona opera iterum ad præmium ordinentur, & loquuntur conformiter ad ſua principia quibus ad omne meritum condignum exigunt ordinationem Dei extrinſecam; at nos ſicuti ſuprà *cap. 6. §. 3.* aſſerimus opera viva habere cõdignitatem meritoriam ex natura rei & abſque extrinſeca ordinatione; ità modo faciliùs poſſumus eamdem condignitatem tribuere ex natura rei operibus redivivis; dico *ex natura rei* libentiùs quàm *ex juſtitia*, quia juſtitiam propriè dictam in deo non agnoſco, & puto ad meritum condignum non pertinere quod ei debeatur, ſeu retribuatur præmium ex juſtitia, ſed ſolum ex quadam connaturali exigentia, quam connaturalem exigentiam intelligo per ly *ex natura rei*; Aſſertum ſic explicatum

Nec requirit aliã miſericordiã ab eã quâ confertur gratia juſtificans.

22.

Probatur: Opera viva ex natura rei petunt præmiari per hoc præcisè quod conjungantur cum gratia finali atqui ut opera viva per peccatum deindè interrupta ac mortificata conjungantur cum gratia finali non requiritur miſericordia diverſa ab ea, qua fit juſtificatio, ergo ſuppoſita juſtificatione & abſque miſericordia diverſa ab ea, qua fit juſtificatio, opera ſemel viva, quamvis deindè per peccatum interrupta ac mortificata ex natura rei petunt præmiari; quod eſt idem ac dicere merita ex natura rei reviviſcunt ſuppoſita juſtificatione, nec ut reviviſcant, &c. Major probatur primò, quia opera viva, ut petant præmiari, non requirunt ullam ordinationem Dei extrinſecam *ex præcitat. §. 3.* Secundò quia Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 16.* in operibus vivis relatis ad præmium ſeù ad conſecutionem vitæ æternæ nihil aliud expoſtulat præter perſeverantiam finalem ſeu deceſſum in gratia, ait enim, *Nihil ipſis juſtificatis ampliùs deeſſe credendum eſt, quominùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam* 23.

ſequendam verò promeruiſſe cenſeantur. Neque dicas hoc ipſum non requirere aliam conditionem, quàm deceſſum in gratia, eſſe ſpecialem Dei miſericordiam, qui ſicuti non tenetur ordinare ad conſequutionẽ æternæ gloriæ opera viva, antequã per peccatum interrumpantur, ità multò minùs poſtquam ſunt per peccatum interrupta. Contrà enim: corruit inſtantia ex falſitate ſuppoſiti, & ex eo quod in noſtris principiis nulla Dei miſericordia, nulla extrinſeca ordinatio requiritur ad meritum condignum; imò talis extrinſeca ordinatio cum meriti condignitate non cohæret; undè videtur eſſe repugnantia in terminis quod merita reviviſcant ad condignitatem, & quod reviviſcant ex miſericordia & ordinatione extrinſeca.

Pro prima præfixi tituli parte, & pro præſentia materiæ complemento dubitatur primò quid ſenſerit D. Thomas circà quantitatem & modum reviviſcentiæ meritorum?

25. Reſpondeo obſcuram mihi videri & difficilem D. Thomæ mentem, nam quoad modum reviviſcentiæ, Vtrùm ex natura rei, an ex miſericordia fiat? nihil invenio à S. Doctore probatum; quoad quantitatem diverſis in locis diverſimodè loquitur; *in 4. diſt. 14. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 4.* ait *Opera ex charitate facta, etſi tranſeant actu, manent tamen quantum ad meritum in divina acceptatione, per peccatum autem ab illis operibus nihil demitur, & ideò remota indiſpoſitione à peccatore per pœnitentiam, opera illa præcedentia effectum ſuum in ipſo iterum habere incipiunt, & ſecundum hoc vivificari dicuntur;* hic loquendi modus favet reviviſcentiæ totali à nobis aſſertæ *3. p. q. 89. art. 2. in c.* ait *Contingit autem intenſionem motus pœnitentis quandoque proportionatum eſſe maiori gratiæ, quàm illa, à quâ ceciderat per peccatum, quandoque autem æquali, quandoque verò minori. Et ideo pœnitens quandoque reſurgit in maiori gratia, quàm priùs habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori;* hic loquendi modus favet reviviſcentiæ quoad quantitatem menſurandæ juxta quantitatem præſentis diſpoſitionis *in 3. diſt. 31. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 4.* de peccatore reſurgente in minori charitate, quam haberet anteà, ait *non plenariè recipiet effectum priorum meritorum, niſi quantum ad præmium accidentale*, idem ferè habet *3 p. q. 89. art. 5. ad 3.* hic loquendi modus videtur aſtruere reviviſcentiam ſolùm in ordine ad præmium

26. accidentale. Confirmatur difficultas & obſcuritas mentis Angelicæ in hac materia ex eo, quòd ſuprà *cap. 5. n. 73. & cap. 6. n. 38.* agnovimus eandem mentem obſcuram & difficilem circà neceſſitatem charitatis ad meritum, & circà augmentum gratiæ conferendum actibus remiſſioribus, cum quâ duplici controverſia plurimam habet connexionem controverſia præſens, undè etiam ex ibi dictis explicari aliqualiter poſſunt verba mox relata tum *ex 3. lib. ſent.* tum *ex 3. par.* dici inſuper poteſt in verbis illis *& ideò pœ-*

27. *nitens quandoque reſurgit*, &c. Sermonem eſſe de ſola gratia nova ſecundum ſe comparata ad antiquam ſecundum ſe, non de toto conflato ex gratia antiqua & nova: & in illis aliis *non plenariè recipiet*, &c. Sermonem eſſe non de effectu gratiæ, ſed de effectu facilitatis benè operandi, fervoris, devotionis, immunitatis à pœna temporali, & ſimilium, quæ nos quoque admittimus non ſemper à pœnitente recuperari plenariè & integrè.

Metis D. Thomæ circà modum & quantitatem reviviſcentiæ meritorum obſcura videtur, & difficilis.

Dubitatur ſecundò: Vtrùm in juſtificatione & reviviſcentia gratia antiqua redeat eadem numero? Reſpondetur nullam eſſe neceſſitatem aſtruendi ſpeciale miraculum, quo reproducatur eadem numero gratia, cum moraliter & reſpectu meritorum valdè per accidens ſit hanc vel illam gratiam, numerò quidem diverſam, omninò tamen æqualem & æquivalentem conferri; ſicuti valdè per accidens eſt pro merce hanc vel illam numero pecuniam valoris omninò æqualis & æquivalentis erogari: Nec ſcio quo fundamento Thomas Hurtadus relatus & impugnatus ab Arriaga *pracit. diſp. 16. num. 27.* doceat talia numero merita eſſe alligata ad talem numero gratiam; niſi fortè exiſtimet gratiam, & quodlibet accidens ità à ſubjecto individuari, ut nec pro diverſo tempore poſſit eidem ſubjecto ineſſe diverſum numero accidens, quæ exiſtimatio falſo & nimis non univerſali fundamento inniteretur: dicatur igitur gratiam reviviſcentem & reſpondentem meritis mortificatis æquivalere gratiæ per peccatum deperditæ, at non eſſe eamdem numero.

Gratia reviviſcens non eſt eadem numero.

28. Quod ſi ulteriùs quæras; Vtrùm ſaltem ſint tot, quamvis non iidem numero, utriuſque gratiæ gradus? Facilè affirmabo juxtà mea principia de gradibus homogeneis; at ſuſtinendo etherogeneitatem graduum meliùs diceretur gratiam antiquã reſtitui ſecundum pauciores gradus æquivalentes pluribus primis, ſi enim tot gradus redirent, deberent redire tot primi, qui non poſſent componi & componere cum gradibus gratiæ novæ, quæ deberet & ipſa habere gradus primos, eſſet enim gratia prima utpotè juſtificans & infunderetur priùs naturâ, quàm refunderetur gratia antiqua ex mox dicendis, pro quo videatur Arriaga *præcit. diſp. 16. n. 58.* interim obſervo ex hoc capite ſuſtinentes etherogeneitatem graduum habere ſpecialem neceſſitatem dicendi gratiam antiquam non reviviſcere eandem numero; debere enim debent eam redire ſecundum gradus pauciores, & eo pauciores, quò major gratia nova in juſtificatione infunditur, quia qui intenſiori formæ gradus ſuccedunt, eò ſunt perfectiores & eò pauciores ſufficiunt ad æquivalendum pluribus primis.

Habet tamen tot gradus quot antea.

Dubitatur tertiò, Vtrùm in meritorum reviviſcentia gratia antiqua infundatur ſimul cũ nova, an priùs aut poſteriùs. Reſpondetur in-

29. fundi ſimul tẽpore, poſteriùs naturâ. Primum patet ex eo quod *n. 15.* aſſertum eſt gratiam reviviſcentẽ conferri ſtatim in ipſa juſtificatione, non conferretur autem ſtatim, ſi eſſet tempore poſterior ad infuſionem gratiæ juſtificantis: Secundum probatur, quia poſterioritas naturæ eſt poſterioritas dependentiæ; reviviſcentia autem meritorum & reditus prioris

Habet reſpectu gratiæ novæ, ſimultatem temporis, poſterioritatem naturæ.

prioris gratiæ ſolet explicari tanquam dependens à juſtificatione & remiſſione peccati, & tanquam facta ad exigentiam gratiæ juſtificantis: Deindè removens prohibens eſt aliquo modo cauſa effectus conſequentis, & hic per conſequens habet reſpectu illius aliquam naturæ poſterioritatem; ſed gratia nova juſtificans reſpectu gratiæ antiquæ reviviſcentis ſe habet ut removens prohibens; ergo: Tandem ſi gratia antiqua reviviſcens infunderetur ſimul natura cum gratiâ novâ eſſet ei æquè ac gratiæ novæ tribuendus effectus formalis juſtificandi, & expellendi peccatum; qui tamen juxta communem loquendi modum tribuitur ſoli gratiæ novæ, & hæc ſola denominatur ſimpliciter juſtificans: Hâc præcipuè de cauſa diſplicet Arriaga *præcit. diſp.* 16. *n.* 57. ubi problematicè ſentit, & putat valdè probabiliter ſuſtineri ſimultatem naturæ in utriuſque gratiæ infuſione ex eo quòd præviſa ſufficienti diſpoſitione ad remiſſionem peccati poſſit Deus unico actu ſimul velle infundere utramque gratiam; in quo de poſſibili non contradico, at de facto cenſeo id non probabile; nec conforme cõmuni modo loquendi, de quo ſuprà.

Dubitatur quartò: Vtrùm ad reviviſcentiam meritorum requiratur juſtificatio poſitiva, qualis de facto fit per infuſionem gratiæ; an ſufficeret juſtificatio purè negativa, quæ divinitùs fieri poteſt remittendo peccatum per condonationem purè extrinſecam?

50\. Quomodo in juſtificatione purè negativâ daretur meritorum reviviſcentia.

Reſpondetur juſtificationem purè negativâ, quâ peccatum remittatur totaliter & quoad omnem reatum, tùm culpæ, tùm pœnæ æternæ, ſufficere ad aliqualem meritorum reviviſcentiam minùs propriam eâ, quæ de facto fit; ità Lugus *præcit. diſp.* 11. *n.* 22. Dixi *quâ peccatũ remittatur totaliter*, &c. nam ſi remiſſa per condonationem extrinſecâ culpâ Deus ſibi reſervet jus alicujus pœnæ æternæ, poterit ſibi reſervare jus ſeu habere decretũ negandi in æternum antiquam gratiam, cum tali autem decreto priora merita nullatenùs reviviſcerent; cæterùm peccato ſimpliciter remiſſo & etiam quoad omnem pœnam æternam condonato, eſſet ſublatum reviviſcentię impedimentum; & licèt gratia non rediret ſtatim, quia ſecùs non eſſet ampliùs condonatio peccati purè extrinſeca, quod eſt idem ac dicere facta ſine infuſione gratiæ; priora tamen merita haberẽt jus ad reditum ipſius, aut in inſtanti mortis, aut aliàs in vita refundendæ: Quia verò reviviſcentia ad gratiam refundendam ſtatim eſt perfectior & magis propria, quàm reviviſcentia ad gratiam refundendam poſt aliquod intervallum temporis, addidi limitationem illam de reviviſcentia aliquali & minùs propria. Facit hic ad rẽ & intentum noſtrum confirmat, quod ait Arriaga *præcit. diſp.* 16. *n.* 47. docens in hypotheſi, quâ Deus auferret ab aliquo gratiam ſine ulla culpa, talis hominis merita manſura viva, & hominem illum fore quidem ſine jure ad gloriam ut hæreditatem, at non ſine jure ad eandem ut mercedem; facit hoc ad intentum noſtrum, quia merita ſi poſſunt ſine gratia retinere vitam, poterunt ſublato ſine gratia peccato, vitam recuperare.

51\. Quandonã merita reddantur extincta & mortua.

Dubitatur quintò: Vtrùm merita ſecundum præſentem providentiã aliquando reddantur extincta & mortua; non ſuſpenſa tantum & mortificata? Reſpondetur ſecundum præſentem providentiam nunquam reddi extincta & mortua pro ſtatu hujus vitæ & viæ ſed dumtaxat per peccatum finale & pro ſtatu damnationis: Ratio primæ partis eſt quia pro ſtatu hujus vitæ & viæ in quolibet peccator ſicuti eſt ſpes & potentia pœnitendi ex ſupradictis *lib.* 1. *cap* 3. *n.* 66. ita eſt ſpes & potentia recuperandi priſtinam gratiam, & reducendi ad reviviſcentiam priora merita; hoc autem ſupponit talia merita ſuſpenſa dumtaxat, & mortificata ideò, &c. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſuppoſito peccato finali, & ſtatu damnationis, Deus habet decretum abſolutum non præmiandi antiqua merita & puniendi in æternum hominem carentiâ cujuſcumque gratiæ & gloriæ quibuſcumque meritis antecedenter debitæ; tali autẽ decreto abſoluto mori & extingui prorsùs omnem rationem meriti infertur ex ſupradictis *cap.* 6. *n.* 40. & ex eo quod ſecus nullus eſſet modus, quo priora merita reddi poſſent extincta & mortua. Neque dicas: ſi Deus aliquem in inferno & in ſtatu damnationis conſtitutum revocaret ad ſpatium pœnitentiæ, & iſte re vera pœniteret, antiqua ipſius merita reviviſcerent; ergo ea habuiſſet in ipſo ſtatu damnationis mortificata dumtaxat, non mortua. Contrà enim: ſuppoſitio excedit præſentem ac ordinariam providentiam, & ſpectat ad providentiam abſolutam; ſecundum quam reſpectu illius hominis aut nullum fuiſſet decretum abſolutum non pręmiandi antiqua merita, aut hæc per extraordinariam illam pœnitentiam non reviviſcerent; pro quo videantur Lugus *præcit. diſp.* 11. *n.* 21. & Oviedus *præcit. controv.* 6. *n.* 20.

52\. Quid de reditu, & reviviſcẽtia peccatorũ?

Dubitatur ſexto: Vtrùm ſicuti in juſtificatione peccatoris redeunt priora merita; ità in relapſu juſti redeãt, aut redire poſſint priora peccata, & antiqua demerita? Reſpondetur demerita & peccata de facto non redire, quia per juſtificationem extinguuntur & ſimpliciter remittuntur, non ſuſpenduntur dumtaxat ut colligitur ex ſupradictis *cap.* 3. §. 1. Vtrùm verò redire divinitùs poſſint, pendet ab eo, quod divinitùs poſſint ſecundum quid remitti & ſuſpendi, vel non? Pro quâ re Lectorem remitto ad tractatum de Pœnitentia, interim omnia ſivè dicta ſivè dicenda ſubmitto Eccleſiæ, ad cujus cenſuram ratiocinium quodcumque, & quamcumque cogitationem libens ſemper ac lubens caſtigabo.

INDEX RERUM.

T, Tractatum ſignificat : L, Librum : C, Caput : N, Numerum marginalem. P. Paginam.

A

ACTIONES non poteſt præſtare concurſum objectivum, niſi principio, cui inhæret. t.3.l.2.c.1.n.44.p.95. Saltem loquendo de potentia ordinaria. t.5.l.3.c.2.n.69. p.508

Accidens poteſt petere perpetuam conſervationem in ſubjecto, cui ſit indebitum. t.4.l.2.c.3. n.34. p.318

Accidenti poteſt eſſe connaturale aliquod ſubjectum, cui non ſit connaturale ipſum accidens. t.5.l.5.c.2.n.15. p.495

Actio in diſtans præſertim intentionalis admittitur à Scotiſtis. t.3.l.2.c.4.n.63. p.148

Actio vitalis, formaliter & in actu ſecundo talis, neque divinitùs poteſt eſſe ab intrinſeco. t.4.l.2.c.1.n.36.& 39 p.294

Actio Dei quomodo ſit propter finem. *Vide* Deus.

Actiones ab homine provenientes aliæ ſunt hominis, non humanæ; aliæ ſunt humanæ quoad ſubſtantiam, non quoad modum; aliæ quoad modum, non quoad ſubſtantiam; aliæ quoad modum, & quoad ſubſtantiam. t.4. l.1. c.1. n.2. p.253

Actiones humanæ ſunt ordinabiles in finem ultimum actualiter, virtualiter, habitualiter, interpretativè eod. c.2.n.4. p.254

De facto in finem ultimum formaliter, ac in communi non ordinantur omnes actualiter; benè tamen interpretativè; & in aliquo ſenſu virtualiter eod.c.2.n.6.7.& 9. p.254

Actiones hominis juſti, etiam ut talis, non ordinantur omnes actualiter in Deum, ordinantur verò utplurimùm virtualiter; ad hanc tamen ordinationem virtualem homo ipſe nec habet neceſſitatem phyſicam, nec neceſſitatem præcepti eod.c.2.à n.19. ad 23.p.257. & ſeqq.

Actiones honeſtæ in peccatore minorem habent ordinationem ad Deum, quàm in juſto eod. c.2.n.26. p.259

Actus intellectus non habent libertatem purè extrinſecam, ut habent actus ſenſuum. t.3.l.2. c.1.n.76. p.162

Actus vitales non ſunt entia ſucceſſiva, quæ mutentur ſingulis momentis. t.4. l.2 c.3.n.36. p.316

Actus omnis malus ultimò reſolvitur in bonum, ſeu in non malum. t.3. l.2.c.4. n.24. p.222

Actus ſecundus ſupponit ſemper actum primum, at non hunc ſemper ejuſdem rationis cum ſe ipſo.t.4 l.2.c.1.n.12. p.288

Actus internus & actus externus in genere moris quid? t.5.l.4.c.7.n.50. p.596

Actus internus & executivus efficax eſt ejuſdem bonitatis ac difficultatis cum externo & executivo, & iſte illi per ſe loquendo non addit bonitatem aut malitiam, meritum aut demeritum. t.5.l.2.c.1.n.37. p.434

Adamus in ſtatu innocentiæ cur fuerit noſtrum caput morale? t.5.l.4 c.4.n.8. p.540

Non habuit infuſam ſpeciem abſtractivam Dei.

Admiratio datur in Angelis, & non infert diſcurſum t.3.l.2.c.3.n.54. p.130

Adoptio eſt gratuita aſſumptio Perſonæ extraneæ in filium. t.5.l.3.c.1.n.33. p.481

Vide, filiatio adoptiva.

Agilitas corporis glorioſi. Vide, Dos agilitatis.

Amicus, amatus, amore dignus quomodo differant? t.5.l.3.c.1.n.37. p.482

Amici, & mutuò amantes, non ſunt idem formaliter eod. c.1.n.40. p.483

Amicitia aliquo modo differt ab amore amicitiæ eod. n.40. Illa inter homines requirit mutuam promiſſionem ſe amandi; inter Deum & homines requirit talem promiſſionem ad ſummum ex parte Dei eod. c.1.n 38. p.482

Amicitia Dei in hominem infert inſtitutionem hominis in Dei hæredem, non ſic amicitia hominis in hominem, & cur? eod. c.1. n.36. ibid.

Amor amicitiæ eſt amor in ratione finis, & quomodo? t.4.l.1.c.2 n.18. p.260. Suprà amorem benevolentiæ addit præcipuè redamationem: t.5.l.2.c.2 n.23.p.425. Si ſit perfectus, nequit eſſe ad tempus determinatum. t.4.l.2.c.3.n.81. p.325. & t.5.l.2.c.2.n.39.p 435. eſt unitivus tripliciter, ſeu tripliciter ſe habet ad unionem: t.4.l.2.c.2. n.20. p.301. Non eſt acquiſitivus ſui objecti eod. c.2. n.18. & 23.p.300.& 302

Amor amicitiæ ergà Deum poteſt eſſe naturalis. t.5.l.2.c.2.n.19. p.430

Iſte tamen de facto nequit haberi ſine ejuſdem Dei amore ſupernaturali; idque non ſolùm in peccatore, ſed nec in juſto eod. c.2. n.28. & 33. p.431.& 433

In homine puro amor naturalis ergà Deum, ſeu amor Dei ut Auctoris naturæ eſſet diverſus & haberet diverſum objectum, ac habeat in homine lapſo. t.5.l.2.c.2.n.47. p.437

Neque tamen ab homine puro potuiſſet amor ille efficax elici ſine aliquo auxilio gratiæ eod. c.2.n.46. p.436

Amor amicitiæ ergà Deum in pura natura eſſet donum omnium maximum, non ſic in ſtatu elevationis; & in illa, non in iſto expelleret formaliter lethale. t.5. l.4.c.4.n.34 p.546

Amor divinus ergà nos, aliquis eſt prior, aliquis

 eſt

eſt poſterior amore noſtro ergà Deum; t.5.l.5 c.2.n.72. p.509

Amor concupiſcentiæ eſt poſterior amore amicitiæ, eoque imperfectior, & in quibus? t.4.l.2. c.2 n 14.15.& 16. p.300
Eſt aliquo modo prob[illegible] amato. eod.cap.2. n.25. p.502
Officit amicitiæ unius creaturæ ad aliam non creaturæ ad Deum.t.4.l.3.c.2 n.42. p.351

Amor concupiſcentiæ ergà Deum ut Auctorem naturæ, ſi ſit efficax includit propoſitum efficax ſervandi omnia præcepta; & nequit haberi ſine aliquo auxilio gratiæ. t.5.l.2.c.2.n.48. p.487

Amor concupiſcentiæ inordinatus non neceſſariò ſupponit amorem amicitiæ inordinatum. t.5.l.5.c.4 n.23. p.221

Amor ſui, ut præciſè talis & nullum aliud objectum attingens, non poteſt eſſe nimius aut inordinatus: & quando eſt malus, eſt talis aut malitia ſuperbiæ, aut malitiâ tranſcendente. eod. c.4.n 11. & 15. p.219.& 220

Amor Dei in patria, ſeu amor beatificus eſt tum amicitiæ, tum concupiſcentiæ; & utraque ratio eſt in beatis unicus actus. t.4.l.3.c.2.n.40. & 42. p.350.
Eſt neceſſarius neceſſitate exercitij oppoſita non ſolum libertati indifferentiæ, verùm etiam libertati eſſentiali.eod.c.2.n.5.& 9 p.341.343
Poteſt divinitùs ſuſpendi, & ejus ſuſpenſio non eſſet violenta beato.eod.c.2.n.20.& 25.p.346

Amor Dei in patria eſt ſpecie diverſus ab amore ejuſdem in via.eod.c.2.n.31.& 33. p.348
Quatenùs eſt amor concupiſcentiæ in via procedit ab habitu ſpei, in patria ab habitu charitatis.eod.c.2.n.45.p.351. Poteſt excedi in intenſione, at non adæquari in perfectione ab amore viæ.eod.c.2 n.36. p.349

Amor Dei in patria & in via attingunt eamdem bonitatē ſolū materialiter.eod.c.2.n.46. p.351
Unus excitat gaudium, alter deſiderium. eod. c.2.n.58. p.350

Angelus, quid ſignificet ut eſt nomen officij; quid ut eſt nomen naturæ? t.3.l.1.c.1.n.2. p.2
Ut eſt nomen officij de hominibus etiam impiis dici poteſt.eod.c.1.n.3. ibid.

Angeli cur vocentur intelligentiæ. t. 3. l. 1. c. 1. n. 2.p.1c. In quo ſenſu dici nequeant rationales. eod.l.1.c.3.n.31. p.149

Angelorum exiſtentia conſtat certitudine fidei, non ulla evidentia naturali. eo.c.1.n.2.8.& 17. p 65.66.& 68. Ipſorum creatio temerè aſſereretur facta antè creationem mundi corporei; at nec eſt facta poſt, ſed ſimul. eod.c.1. n.18.22. 24.& 26 p.69.70

Angeli fuerunt creati omnes in eodem loco, de quo licèt ſatis non cōſtet, probabilius tamen eſt fuiſſe Cœlū Empyreū.eo.c.1.n.29.30.31. p.71

Angelorum eſſentia ſeu natura, quòd non ſit totaliter corporea eſt de fide. t.5.l.1.c.2.n.5. p.10.
Neq. eſt corporea partialiter & oppoſitum temerè diceretur.eod. c.1.n.7. & 10.p.11. Non componitur de facto ex materiâ aut ſpiritualizatâ, aut ſpirituali ex iſtâ tamen componi divinitùs poſſit.eod c.2.n.23.30.& 34.p.15 & 17

Angeli ſunt magis ſimplices qualibet creaturâ corporeâ, minùs ſimplices Deo. n.44. p.11
Componuntur ex ſubjecto & accidente, non ex partibus integrantibus n.31.& 40 p.17.20

Angeli poſſunt eſſe inter ſe diverſi eſſentialiter in eſſe intellectivo.t.3.l.1.c.36. p.37. Non ſunt omnes ejuſdem ſpeciei infimæ, nō ſunt itē omnes ſpeciei diverſę.eod.c.3.n.32.& 38.p.36.38

Angelos & animas rationales eſſe ſpiritus ejuſdem ſpeciei fuit error Origenis. t.5.l.1. c.2. n.15. p.15.

Angelorum duratio à parte poſt æterna, ſeu ipſorum immortalitas eſt de fide eo.c 2.n.46.p.11
Convenit iiſdem ab intrinſeco ac per naturam; & in aliquo ſenſu etiam relatè ad potentiā Dei abſolutam, in aliquo alio non.eod.c.2.n.47.48. & 51. p.22

Angeli qua ratione à SS. Patribus dicantur immortales per gratiam? eod.c.2 n.53. p.21
Qua ratione ipſorum immortalitas differat ab immortalitate Dei? ibid.

Angelorum diſtributio hierarchica facta eſt ab initio creationis, & permanebit in bonis Angelis uſque ad diem judicii, & poſt. t.3 l.1.c.3. n.26.& 27. p.51. Quot hierarchias & quot choros contineat? Item quænam ſingulorum nomina, & munera.eo c.3.n.19.21.& 24 p.33

Angelorum decimus ordo quid ſit? eod.c.3.n.23. Quid ſit item Angelos malos non ſtetiſſe in ordine ſuo. eod.c.3.n 31. p.36
Non habent iſti diſtributionem hierarchicam, benè tamen aliquam coordinationem. eod. c.3. n.28. p 35

Angelorum numerus determinatus ſatis non conſtat; eſt tamen ex fide, quamvis non ex ratione naturali, certum eſſe valdè ingentem. eod. c 3.n.2.3. p.19. & 13. p.31
Probabile eſt ipſos eſſe plures, quam homines quocumque tempore exiſtentes; item, quàm ſpecies rerum materialium, imò etiam, quàm individua in rebus materialibus per ſe diſtincta; non ſic quam individua diſtincta per accidens. eod. c.3.n.6.14.& 17. p.30. & 32

Angeli ſolo numero diverſi quomodo ſint ab invicem diſcernibiles. eod. c.3 n.54. p.42

Angelorum locus determinatus eſt, non tamen abſolutè hic potiùs, quàm ille; & rectè dicuntur Angeli eſſe in loco determinato determinatione libera, non determinatione neceſſaria. t.3. l.2.c.5.n.2.4. p.153.& 48 p.164
Habent in ordine ad locum indifferentiam majorem, quàm res corporeæ. eod.c.5.n.25.p.158
Sunt liberi ad locum minorem, & minorem in infinitum. eod.c.5.n.23. p.158

Angelorum locus maximus non eſt determinatè aſſignabilis. eod. c.5. n.36 p.161
Eſt metiendus Sphæricè. eod.c.5. n.44. in eo Angeli non ſunt neceſſariò.eod.c 5 n 40.p.162

Nullus Angelus habet de facto pro loco maximo totum mundum, non repugnat tamen talis Angelus. eod. c.5. n.38.& 39. p.161

Angelus quilibet poteſt eſſe in indiviſibili & in puncto, etiamſi eſſet in loco per operationem. eod.c.5.n.49. p 164. & 53. p.165
At eſt impoſſibilis Angelus ab intrinſeco determinatus ad exiſtendum ſut in indiviſibili, aut in tanta præciſè loci extenſione. eod c.5. n.54. p.165

Angelus poteſt eſſe ſupernaturaliter in pluribus locis adæquatis; & naturaliter in pluribus inadæquatis etiā diſſitis, & diſtantibus, dūmodo cō-

ſtitutis

ſtitutis intrà ſphæram loci adæquati; non poteſt tamen etiam intrà hanc ſphæram tranſire ab uno ad alium locum diſtantem ſine tranſitu per medium eod. c. 5. n. 56. 58. 64. & 65. p. 165. 168

Angeli plures poſſunt eſſe in eod. loco naturaliter. t. 3. l. 1. c. 2. n. 12. p. 12. & l. 2. c. 5. n. 66. p. 168
Hæc tamen veritas patitur multiplicem limitationem præſertim in principiis Thomiſticis eod. c. 5. n. 68. 69. & 70. p. 168

Angelorum in loco extenſio. Vide, extenſio virtualis. Eorundem formalis in loco conſtitutio habetur non per operationem eod. c. 5. à n. 5. ad 15. p. 153
Non per entitatem modalem eod. c. 5. à n. 16. ad 23. p. 156. Sed per complexum eod. c. 5. à n. 24. ad 33. p. 158

Angelos in loco non eſſe in quo ſenſu poſſit verificari eod. c. 5. n. 1. p. 153

Angelorum motus localis negari non poteſt ſine cenſura; & convenit ipſis quadruplex differentia talia motus, ſcilicet motus per ſe, per accidés, continuus, diſcretus. t. 3. l. 2. c. 5. à n. 74. ad 80. p. 170

Angelus poteſt ſe movere in inſtanti etiam noſtri temporis, at non aut ad locum adæquatum per medium, aut ad locum diſtantem non tranſeundo per medium eod. c. 5. n. 82. 89. & 94. p. 172. & ſeqq.
Poteſt ſe movere velociùs quàm quodlibet corpus eod. c. 5. n. 117. p. 181
Per motum localem mutatur intrinſecè ſecundum eſſe complexum, non ſecundum eſſe ſimplex eod. c. 5. n. 107. p. 178

Angelus habet potentiam locomotivã diſtinctam formaliter tùm à propria ſubſtantia, tùm ab intellectu & voluntate; habet eam perfectiorem, quo eſt ipſe perfectior; at nullus habet adeò perfectam ut poſſit aut ſe, aut alia à ſe movere velociùs, & velociùs in infinitum eod. c. 5. n. 108. & 112. p. 178

Angelorum intellectus quomodo diſtinguatur ab ipſorum ſubſtantia. t. 3. l. 2. c. 1. n. 3. p. 65
Non dividitur in agentem & poſſibilem eod. c. 1. n. 84. p. 84. Differt ſpecie ab intellectu humano eod. c. 1. n. 88. p. 85. Differt item ſpecie in Angelis ſpecie diverſis eod. c. 1. n. 90. ibid. Non intelligit ex efficacitate propria præcisè: non per habitum ſcientialem; non per ſubſtantiam propriam Angeli, ſed per ſpecies eod. c. 1. à n. 5. ad 16. p. 66. & ſeqq.
Vide Species intentionales.

Propria eſſentia eſt Angelo principium elicitivum, non principium objectivum intelligendi alia à ſe. t. 3. l. 2. c. 1. n. 5. p. 67.
Eadem eſſentia non inſervit Angelo ut ſpecies Dei neque impropria, neque mediata eod. l. 2. c. 2. n. 8. 9. & 19. p. 87

Angelus non cognoſcit naturaliter Deum per aliquam ſpeciem propriam ipſius; nec habet cognitionem Dei niſi mediatam, perfectiorem tamen, quàm homo eod. c. 2. n. 4. 10. & 13. p. 86. & 88

Angelus poteſt cognoſcere ſe abſtractivè. t. 3. l. 1. c. 2. n. 12. p. 90. Ad cognitionem ſui aut intuitivam, aut abſtractivam nulla indiget ſpecie, ſed uti poteſt tanquam ſpecie propria eſſentia, poteſt tamen etiam habere infuſam ſui ſpeciem eod. c. 2. n. 16. 29. 30. & 34. p. 91
Cognoſcit ſua accidentia naturalia per ſe ipſa formaliter, & non format ullam ſpeciem expreſſam ipſorum eod. c. 2. n. 35. & 39. p. 93
Aliqua etiam ex hujuſmodi accidentibus, at non omnia, poteſt cognoſcere immediatè per ſuam ſubſtantiam eod. c. 2. n. 37. p. 93

Angelus quilibet poteſt naturaliter comprehendere alios ſibi aut æquales, aut inferiores; at non ſuperiores eod. c. 2. n. 47. p. 96
Non poteſt cognoſcere in aliis immediatè ipſorum liberas affectiones neque etiam cognitione inadæquata, hocque provenit ex natura rei. eod. c. 2. n. 54. 60. 69. & 72. p. 97. &c. & extenditur ad ſpecies ac habitus ex liberis affectionibus relictos; item ad actus imperfectè liberos, ſeu per accidens, ac ſecundum quid neceſſarios; non ſic ad actus phantaſiæ & appetitus ſenſitivi eod. c. 2. n. 78. 80. & 82. p. 103

Angelus comprehendit individua rerum materialium, & per eaſdem ſpecies, per quas ea comprehendit, cognoſcit accidentia, quæ ipſis ſimul vel ſucceſſivè contingunt eod. c. 2. n. 87. & 88. p. 105
Futura non dependentia ſpecialiter à principio libero, etiamſi pendeant à cauſis naturalibus invicem impedibilibus, ſivè conſiderentur quoad ſpeciem, ſivè quoad individuationem, cognoſcit Angelus in ſuis cauſis cognitione certâ eod. c. 2. n. 92. 94. & 95. p. 106
Dependentia ſpecialiter à principio libero cognoſcit ſolum cognitione conjecturali eod. c. 2. n. 103. p. 108
Nentra cognoſcit immediatè in ſe ipſis eod. c. 2. n. 106. p. 109
Non cognoſcit item immediatè in ſe ipſis & per proprias ipſorum ſpecies præterita, ſed aut per aliquem eorum effectum, aut per ſpeciem relictam ex præcedente eorundem notitia eod. c. 2. n. 119. 121. & 124. p. 112 & 113
Non cognoſcit tandem immediatè in ſe ipſa ullam rem purè poſſibilem, cognoſcit verò plura merè poſſibilia mediatè, & comprehendendo cauſas cognoſcit omnes rationes ſpecificas, omneſque rationes individuales etherogeneas effectuum in illis cauſis adæquatè contentorum. eod. c. 2. n. 132. 133. & 134. p. 116

Res ſupernaturales quoad modum non cognoſcit naturaliter Angelus ſecundum modum; benè tamen ſecundum ſe, quando ſunt exiſtentes actu, aut præteritæ, ſecus quando futuræ eaſdem cognoſcit ut poſſibiles cognitione mediata. eod. c. 2. n. 135. 140. & 141. p. 117
Res ſupernaturales in ſubſtantia nec naturaliter cognoſcit cognitione intuitiva quando exiſtunt, nec ulla cognitione certâ antequam exiſtant. eod. c. 2. n. 145. & 154. p. 118. & 121

Angelus nequit eſſe ſine omni actu intelligendi, & quando ità eſſet, eſſet mortuus, & ſine omni actu vitæ. t. 3. l. 2. c. 3. n. 3. p. 122. Eſt neceſſariò in cognitione indirecta ſui, non ſic in cognitione directa aut ſui, aut alterius objecti determinati. eod. c. 3. n. 6. & 7. p. 123. Poteſt naturaliter intelligere plura ſimul tùm unico, tùm pluribus actibus; item tùm per modum plurium, tùm per modum unius; at non poteſt naturaliter intelligere ſimul omnia à ſe naturaliter intelligibilia. eod. c. 3. n. 10. 14. 15. 17. & 19. p. 124. & ſeqq.

Angelus non habet ullam ſimplicem apprehenſionem diſtinctam à judicio eod. c. 3. n. 39. p. 131.
Diſcurrit aliquo diſcurſu minùs proprio ; diſcurſu proprio non indiget, uti tamen poteſt, ſi velit ; componit ac dividit eo modo, quo diſcurrit eod. c. 3. n. 22. 24. 30. & 35. p. 127. & ſeqq.
Falli poteſt, & non ſolùm ſæpè falluntur Angeli mali in ſtatu damnationis, verùm etiam aliquando fallerentur Angeli conditi in pura natura eod. c. 3. n. 41. & 43. p. 131
Angelorum voluntas in aliquo ſenſu eſt flexibilis etiam ſecundum Thomiſtas, & quinam ſecundum iſtos ſit verus ſenſus inflexibilitatis Angelicæ. t. 3. l. 2. c. 4. n. 16. 18. & 19. p. 136
Hæc inflexibilitas ſivè phyſica, ſivè moralis neganda prorsùs eſt in volitionibus liberis, quamvis perfectè deliberatis; rectè tamẽ aſtruitur Angelus minùs flexibilis ſeu minùs mutabilis, quàm homo eod. c. 4. n. 21. & 36. p. 137. & 141
Angelus nec indeterminatè & vagè eſt neceſſariò in aliquo actu amoris : amat ſe neceſſariò quoad ſpecificationem, quoad exercitium verò nec amat neceſſariò ſe nec Deum eod. c. 4. n. 3. 8. & 14. p. 133. & ſeqq.
Inclinatur naturaliter ad majorem amorem ſaltem appretiativum Dei, quàm ſui ipſius eod. c. 4. n. 12. p. 135
Angelorum locutio & auditio variè explicatur & de ſingulis modis judicium fertur. t. 3. l. 1. c. 4. à n. 61. ad 72. p. 147. & ſeqq.
Locutio & auditio potiſſima quid formaliter ſit eod. c. 4. n. 61. p. 147
Fit per conceptos internos ordinatos mediis actibus voluntatis ad modum conditionis ſe habentibus eod. c. 4. n. 43. p. 143
Angelus non loquitur præcisè per voluntatem loquendi : ad loquendum non indiget actu reflexo: non loquitur cum hominibus eodem modo, quo cum aliis Angelis eod. c. 4. n. 46. 47. & 60. p. 143. & ſeqq.
Angeli inter ſe poſſunt loqui ſecretò, poſſunt loqui in quacumque diſtantia, poſſunt mentiri eod. c. 4. n. 54. 56. & 57. p. 145
Loquens excitat alium ad audiendum excitando in ipſo ſpeciem ſui conceptus eod. c. 4. n. 52. p. 145
Angelum non poſſe ex propria manifeſtatione reddere ſua ſecreta immediatè cognoſcibilia ab alio Angelo docent nonnulli ex duplici fundamento. t. 3. l. 1. c. 1. n. 84. p. 104
Angelorum illuminatio eſt ſpecies locutionis; huic ſuperaddit doctrinam ac magiſterium ; item quòd ſit locutio vera & de objecto non aliundè noto, nec naturaliter cognoſcibili ; at non eſt neceſſe quòd ſit de objecto ſupernaturali. t. 3. l. 2. c. 4. n. 75. 82. & 83. p. 150. & ſeqq.
Angeli à Deo illuminantur ſecundum triplicem motum, circularem, rectum, obliquum eod. l. 2. c. 5. n. 81. p. 171
Angeli inferiores illuminantur à Superioribus, & in aliquo caſu extraordinario etiam ſuperiores ab inferioribus eod. l. 2. c. 4. n. 73. & 83. p. 150
Vtrùm illuminatio aliqua fiat malis Angelis? Vtrùm aliqua ſit facienda poſt diem judicij? & ſimilia ſũt prorsùs ambigua eod. c. 4. n. 84. p. 152
Angelorum unio ad corpora aſſumpta eſt vera unio accidentalis, quâ Angelus ſe habet ad corpus, ut motor repræſentatus per ipſum. t. 3. l. 1. c. 4. n. 2. & 5. p. 50
Vnio ſubſtantialis, quâ Angelus uniatur corpori ut forma, nõ eſt dabilis eod. l. 1. c. 2. n. 15. p. 13
Malè Angelis tribuitur, quod habuerint corpora in quibus gigantes generaverint eod. c. 2. n. 13. p. 12
Angeli non quoties apparent ſenſibiliter aſſumunt corpora, aſſumunt tamen nonnunquam, & quidem aliquando ante exiſtentia, aliquando facta de novo aut virtute divina, aut (idque ut plurimùm) virtute propria ipſorum Angelorum ex materia elementari præſertim aërea. t. 3. l. 1. c. 4. n. 3. 5. 25. 27. 28. 29. & 32. p. 50. &c.
Angeli in aſſumptis corporibus, etiam viventibus nec de potentia abſoluta exercere poſſunt operationes ſenſitivas ; nec propterea ſuperfluerent in illis corporibus organa ſenſuum eod. c. 4. n. 35. 36. & 38 p. 58
Poſſunt verò exercere tùm operationes intellectus & voluntatis eod. c. 4. n. 34. p. 57
Tùm operationes aliquas corporeas ſimiles vitalibus, ubi quomodo ambulent, comedant, generent, &c. eod. c. 4. à n. 40. ad 45. p. 59
Angelorum virtus activa naturalis eſt tantùm in ordine ad accidentia, non in ordine ad ſubſtantias eod. c. 4. n. 51. p. 62
Poteſt Angelus duntaxat producere aliqua accidentia ſpiritualia, & aliqua materialia ſpectantia ad motum localem eod. c. 4. n. 49. & 50. p. 61
Non poteſt aut materiam, aliudvè quid creare; aut formam ſubſtantialem educere ; aut inducere organizationem pro anima rationali neceſſariam eod. c. 4. n. 31. & 46. p. 57. & 60
Angeli mira & inſolita in corporibus operari poſſunt aut per applicationem activorum paſſivis, aut per illuſionem ſenſuum eod. c. 4. n. 52. p. 62
Angelorum gratia habitualis fuit ipſis infuſa in inſtanti creationis, & fuit infuſa ex prævia diſpoſitione. t. 3. l. 3. c. 1. n. 9. & 16. p. 185. 187
Simul cum gratia fuerunt iiſdem infuſæ omnes virtutes Theologicæ, at non omnes virtutes morales eod. c. 1. n. 14. & 15. p. 186
Gratia habitualis in Angelis fuit inæqualis juxtà inæqualitatem perfectionis naturalis, licèt hæc inæqualitas nõ fuerit cauſa illius eod. c. 1. n. 25. & 26. p. 189
Vnde habuerint Angeli pro creationis inſtanti uniformem concordiam tùm diſponendi ſe ad gratiã, tùm diſponendi ſe inæqualiter juxtà inæqualitatẽ naturæ? eod. c. 1. n. 22. & 31. p. 189. 190
Angelorum gloria ſeu beatitudo non fuit ſine proprio merito, nec poteſt oppoſitum dici ſine cenſura. t. 3. l. 3. c. 3. n. 1. p. 211. Non habuerũt eam Angeli (etiamſi ſermo ſit de beatitudine naturali) in inſtanti creationis eod. l. 3. c. 1. n. 2. & 5. p. 184. Habuerunt eam ex merito conſummato habente præcedentiam, non naturæ tantum, ſed temporis eod. l. 3. c. 3. n. 9. p. 213
Omnes Angelos eſſe creatos in felicitate æquali quomodo intelligatur eod. l. 3. c. 1. n. 27. p. 189
Angelorum via fuit in omnibus paris durationis quoad tempus noſtrum, quamvis relatè ad tempus Angelicum conſtiterit unico inſtanti in bonis, duplici in malis eod. l. 3. c. 2. n. 8. 12. & 19. p. 207. & ſeqq.

Index Rerum.

Tota via Angelorum correſpondet brevi moræ diviſibili noſtri temporis, de quá non conſtat quanta ſit determinatè. eod. c.2. num.23. 24. & 25. p.210

Angeli in via potuerunt de facto peccare immediatè & directè contrà legem naturalem; contrà quam peccare etiam potuiſſent, & fortè æquè facilè, ſi fuiſſent conditi in puris naturalibus. t. 3. l. 3. c.1. à num.34. ad 41. p.191. & ſeqq.

Potuerunt peccare venialiter ex ſurreptione, ne dum ex levitate materiæ. eod. c.1. n.42. & 47. p.195

Potuerunt potentia etiam morali peccare in primo inſtanti creationis, nec ab intrinſeco exigebant ſpecialem manutenentiam ad non peccandum. eod. c. 1. num. 49. & 75. p.194. & 201.

Non poteſt tamen ſine cenſura dici aliquem Angelum in eo primo inſtanti peccaſſe. t. 3. l.3.c.4.n.1. p.116

Angelorum prælium variè exponitur. t.3.l.1.c 3. n.9. p.6.

Malorum ſeductio non fuit à Lucifero facta ſolo exemplo, ſed ſuaſione etiam & inſtigatione. t.3.l.3.c.2.n 24. p.211

Verùm tertia Angelorum pars fuerit ſeducta eſt valdè incertum. t. 3. l.1. c. 3.n.9. p. 30

Angeli mali poſt lapſum potuerunt in via pœnitere, nullus tamen de facto pœnituit & cur? t.3.l.3.c.4.n.48. & 51. p.218

Commiſerunt tria potiſſimùm peccata. eod. c.4. n.53. p.229

Angelorum peccatum primum fuit commiſſum in empyreo paulò poſt creationem. t.3.l.1.c.1. n.32. p.9. & l.3.c.4.n.3. p.217

Fuit lethale & commiſſionis. eod. c.4. num.5. ibid.

Non poteſt ſine cenſura collocari in ſpecie luxuriæ carnalis. eod.c.4.n.6. ibid.

Non fuit invidia, non philautia, ſeu ſpiritualis luxuria; fuit verò ſuperbia propriè dicta. eod. c.4. n.7.9. & 18. p.218. & ſeqq.

Primum hoc peccatum ſuperbiæ habuit de facto pro objecto beatitudinem, tùm naturalem, tùm ſupernaturalem ſimul cum prærogativa aliqua prælationis & primatus; potuiſſet tamen etiam pro objecto habere aut æqualitatem in natura cum Deo, aut unionem hypoſtaticam præſcindendo à decreto Incarnationis ſubſequente prævìſionem originalis.eod.c.4. à n.16. ad 46. p.222. & ſeqq.

Angelorum malorum damnatio triplex.t.3 l.3.c 5. n.32. p.337

Eorundem impotentia, tùm ad pœnitendum, tùm ad benè operandum in ſtatu damnationis: Item tortura ab igne. Vide, Damnati. Vide, Ignis inferni.

Angeli cuſtodes pro ſingulis diverſis hominibus ſunt diverſi: & dantur etiam in ordine ad ſpecies rerum materialium. t.3.l.1.c.3.n.7. & 16. p 30. & 32.

Anima rationalis de fide eſt quod ſit Immortalis; cum hoc ſtat quòd abſolutè poſſit à Deo deſtrui. t.3. l.1. c.2. n.46. & 49 p.11

Nullatenùs componi poteſt ex partibus integrantibus, neque ex materia etiam ſpirituali: Eſt imperfectior, tùm Angelo, tùm forma angelica, ſi daretur. eod. cap.2. num.39. & 41. p.19.

Cur poſſit retinere partes medias corporis, non retinendo extremas; nequeat retinere extremas, non retinendo medias: Angelus verò reſpectu loci poſſit utrumque præſtare? t. 3. l.2. c.5.n.63. p.167

Cur nequeat extendi extrà corpus, quod animat. t.3.l.1.c.4.n.11. p.52

Animæ rationales non habent inter ſe eandem rationem diverſitatis ſpecificæ, quàm Angeli, eod. l.1.c.3.n.53. p.37

Animam pro alio ponere quandonam ſit dilectio maxima? t.4.l.1.c.2.n.30. p.261

Anima Chriſti non caruit intellectu agente. t.3. l.2.c.1.n.85. p 84

Anima beata non triſtatur de ſeparatione à corpore. t.4.l.3.c.2.n.54. p.353

Corporis beatitudinem deſiderat ſine moleſtia. t.4.l.2.c.3.n.10. p.312

Quando eſt unita corpori glorioſo habet omnem perfectionem ſibi convenientem etiam in ſtatu ſeparationis. t.4.l.3.c.4.n.22. p.370

Animas eſſe beatas ante corporum reſurrectionem quandonam cæperit eſſe certum? eod.c.4. n.1. p 365

Anima ſeparata poteſt ſe ipſam cognoſcere intuitivè, ſecùs anima corpori unita: Non cognoſcit ſe, aut alia à ſe, per ſe ipſam. t.3. l.2. c 2. n.17. p.91

Anima ſeparata habet in ordine ad locum eandem libertatem, quàm Angelus eod. l.2. c.5. n.55. p.165

Poteſt eodem modo quo Angelus aſſumere corpora: an & quomodò aliquandò appareat in corpore aſſumpto. t. 3. l. 1. cap.4. num.21. & 24. p.54

Habet virtutem motivam corporum expeditiorem, quàm habeat anima unita.eod.c.4.n.22. p.54

Anima ſeparata in pura natura ex Dei contemplatione neceſſitaretur ad Dei amorem ſecundùm Thomiſtas, non ſic ſecundùm noſtra principia. t.4.l.2.c 3.n.201 p.312

Anima, tùm ſeparata, tùm unita; tùm beata, tùm non beata quomodò ſe habeat ad motum corporis inorganicum. t.4. l.3. c.4.n.11. p.313

Animas morientium fieri dæmones fuit nonnullorum error. t.3.l.1.c. 2.n.25. p.16

Apparitio ſenſibilis Angelorum multiplex: aliqua vera, aliqua illuſoria, & utrinſque diſcrimen:latiùs patet,quàm corporis aſſumptio.eod. l.1 c.4. à n.3. ad 8.

Apparitio eadem quomodò aliquando & Deo & Angelis tribuatur: divina ne ſit, an angelica undè innoteſcat? eod.c.4.n.12. & 18.

Appetitus tendit in aſſecutionem rei,non in amorem ipſius aut gaudium de ipſa. t.4. l 2.c.3. n.3. p.309

Appetitus innatus creaturæ rationalis tendit in aliquid minus quacumque minima Dei viſione: Non reſpicit omnem perfectionem poſſibilem ſuo ſubjecto. eod. c.3. num.12. & 13. p.311.

Appetitus ſummi boni eſt aliqua ratione omnis appetitus. eod.c.3. n.1. p.309

Archâgeli nomen non ponitur pluraliter in Scriptura: uſurpari poteſt ad ſignificandum pri-

mum omnium Angelorum. t. 5. l.1, c.3. n.21. & 22. p.34

Argumentum à diſtributivo ad collectivum quomodò aliquando ſit invalidum. t. 5. l. 2. c. 3. n.52. p.459

Argumentum à pari in rebus facti eſt imbecille. t.3.l.1.c.4. n.58. p.63

Aſſumere quid ſit tum ex vi vocabuli,tùm Theologicè. t.3.l.1. c.4 n.2. p.49

Aſſumptio non requirit præſentiam definitivam aſſumentis in corpore aſſumpto. eod. c.4. n.10. p.52

Averſio à Deo alia eſt poſitiva, alia negativa,ſeu privativa: & hæc iterùm duplex alia culpabilis, alia inculpabilis. t.5.l.1.c.2. n.40. p.395

Aurea, & aureola beatorum ex vi nominis quid? Malè ab aliquibus nuncupatur laureola. t.4. l.3. c.3. n.2. p. 355.. Malè dicitur de præmio eſſentiali, eſt ſpeciale præmium accidentale correſpondens ſpeciali victoriæ, non cuicumque, ſed excellentiori. eod. c. 3. n.19. & 22. p.359

Aureola eſt triplex: in aliquo beato nulla, in aliquo multiplex reperitur. eod. c.3.n.20. & 29. p. 359. 361. In Chriſto non dantur aureolæ communes hominibus, benè tamen aureolæ excellentiores: in Angelis nullæ prorsùs. eod. c.3.n.40. & 41. p.363

Aureolæ in quonam formaliter conſiſtant, explicatur potiſſimùm quinque modis: veriſimiliùs dicitur ipſas conſiſtere in qualitatibus characteriſticis receptis in ſubſtantia animæ,ex quibus reſultet in corpus ſpecialis decor, qui ſit quaſi aureola corporis. eod.c.3. à n.31. ad 36. p.362

Auxilia gratiæ ſufficientia, & efficacia. Vide, Gratia ſufficiens, Gratia efficax.

B

Baptiſmus quomodò ſit ſufficienter proviſus omnibus parvulis. t.5. l. 1. c. 3. num.83. p.416

Beatitudo,finis ultimus, & ſummum bonum,quoad rem idem ſunt & voces ſynonimæ,differunt quoad connotata & munera, quæ exercent.t. 4. l.1.c.1.n.2. & 4. p.246

Beatitudo objectiva ſecundùm communem acceptionem quomodò definienda? eod. l.1.c.3.n.2. p.272

Vera & propria eſſe poteſt purè naturalis & eſt dabilis in ſtatu puræ naturæ. eod. c.3. n.6. p.273

At non in vita mortali, in quâ ſive de facto, ſive pro ſtatu puræ naturæ, dari ſolùm poteſt beatitudo aliqua imperfecta, & inchoata. eod. c.3.n.18. & 21. p.276

Beatitudo objectiva naturalis, tùm viæ, tùm termini in quo conſiſtat? In quo item beatitudo objectiva ſupernaturalis ac ſumma? eod. c.3. n.23.24. & 25. p.277

Beatitudo formalis non poteſt ſumi radicaliter, nec dividi in beatitudinem in actu primo, & beatitudinem in actu ſecundo.t.4.l.2.c.1.n.22. p.288

Beatitudo formalis viæ, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis, eſt moralis tantùm, non phyſica; nec excludit eſſentialiter phyſicam miſeriam, imò aliquibus malis phyſicis perficitur. eod. l.2.c.4.n.14.15.16. p.331

Beatitudo formalis naturalis viæ eſſentialiter conſiſtit in naturali contemplatione & naturali amore Dei. eod. c.4. n.12. p.330

Talis beatitudo indiſtincta à beatitudine naturali termini tolerabiliùs permitti poteſt reſpectu Angelorum, quàm reſpectu hominum. t.3.l.3. c.1.n.6. p.184

Beatitudo formalis naturalis alterius vitæ conſiſtet in contemplatione Dei ſuaviſſima per propriam animæ ſubſtantiam habita, redditaque perpetua, inimpedibili, & radice amoris neceſſarij ex ſpeciali Dei providentia.t.4.l.2.c.3. n.17. & 21. p.312

Beatitudo formalis ſupernaturalis viæ conſiſtit in actibus fidei & charitatis.. eod. l.2. c.4. n.2. p.328

Non in ſtatu ſanctitatis, aut jure ad gloriam, aut ſecuritate gloriæ, aut actu ſpei, & ſimilibus. eod. c.4. à n. 5. ad 10. p.329

Non requirit actualem cognitionem de probabilitate aſſequendi beatitudinem alterius vitæ. eod.c.4 n.11. p.330

Beatitudo formalis ſupernaturalis alterius vitæ (quæ ſola eſt beatitudo perfecta ac ſumma) non eſt à nobis appetibilis appetitu innato.eod. l.2.c.3.n.94. p.328

Ratione naturali conſtat, quòd nequeat nobis convenire ab intrinſeco. t.4.l.1. c.3. num.31. p.279

Eſt purè ſpeculativa. t.4. l.2. c.3. n.92. 325.

Debet eſſe vita, & partim à Deo, partim à nobis. eod. l.2.c.1. n.41. & 43. p.295

Beatitudo formalis ſupernaturalis alterius vitæ eſſentialiter ſumpta non conſiſtit in aliquo Dei illapſu. eod. c.1. à n.3. ad 19. p.286. & ſeqq.

Non in aliquo habitu. eod. c. 1. n.42. p.295. & c 4. n.5. p.329

Non in viſione increata aut operatione aliqua producta à ſolo Deo. eod. c.1. à n. 20. ad 32. p.290. & ſeqq.

Non in unione hypoſtatica, aut aliqua alia perfectione quæ operatio non ſit. eod. c. 1. à n.47 ad 50. p.296

Non in pluribus operationibus. eod. l.2. c.2. n.7. 10. 11. p.298

Non in operatione partis ſenſitivæ. eod. l. 2. c.1. n.51. p.296

Non in amore, ſive amicitiæ, ſive concupiſcentiæ; nec in gaudio, ſeu delectatione. eod. l.2. c.2. à n.17. ad 26. p.300

Conſiſtit verò unicè in Dei viſione. eod. c.2. n.34. p.304

Beatitudo hæc formalis eſt poſſeſſio boni, at non ſub ratione boni. eod. c. 2. n.44 45. & 46. p.306

Eſt perfectio ultima quatenùs eſt poſſeſſio finis ultimi. eod. c.2.n.53. p.308

Non eſt reſpectu voluntatis idem quod vita beata. t.4. l.2.c.3.n.7. p.310

Secundùm quemlibet ſui gradum perfectè ſatiat appetitum, & habens pauciores ipſius gradus non deſiderat efficaciter habere plures & cur? eod. c.3.n.10.17. & 18. p.310. & ſeqq.

Poteſt componi cum pœnis inferni. t.4. l.3. c.2. n.19. p.345

Cur dicatur corona,ſeu aurea, & cur non rectè diceretur

diceretur anteola? eod. l. 3. c 3. n.39. p.359
Dicit conditiones incompoſſibiles cum beatitudinis merito. t.3.l.3.c.3. n.13. p.314
Beatitudinem hanc eſſe perpetuam eſt dogma fidei, modus tamen talis perpetuitatis ad dogma non pertinet. t. 4. l. 2. cap. 3. num.21. & 24. p.313
Sentiendum eſt perpetuitatem phyſicè, non logicè eſſe accipiendam, & phyſicè acceptam convenire beatitudini ab intrinſecò, & etiam eſſentialiter ſecundum actum primum, at non per eſſentiam. eod. cap. 3. num. 25. 27. & 37. p.314
Sentiendum item beatitudinem prædictam eſſe perpetuam formaliter & eandem numero, non æquivalenter. eod.c.3.n.35. p.316
Beatus in patria eſt ſecurus de beatitudinis perpetuitate, non in actu primo tantùm, ſed & in actu ſecundo. eod. c.3.n.38. & 40. p.317
Talis ſecuritas fundatur in certitudine, phyſica tamen, non metaphyſica beatitudinis non amittendæ: Non eſt pars eſſentialis conſtitutiva beatitudinis. eod. cap. 3. num.43. & 45. p.318
Non eſſet verè beatus is, qui aut habens beatitudinem in ſe perpetuam per errorem judicaret eam eſſe modo ſibi connaturali duraturam ad tempus; aut habens viſionem conceſſam ad tempus, per errorem judicaret ſe habere viſionem ſimpliciter perpetuam. eod. c.3. n.48.54. & 55. p.319. & ſeqq.
Beatus quomodò habeat ſcientias naturales; quomodò retineat acquiſitas, quomodò ſuſcipiat novas. t. 4. l.3. c. 1. à n. 12. ad 23. p. 337. & ſeqq.
Habet aliquam ignorantiam negativam, non privativam; poteſt tamen etiam hanc habere divinitus. eod.c.1. n.22. 339
Nullum habet de facto errorem, divinitùs habere poteſt aliquem, at non omnem. eod.c.1. à n.28. ad 32. p.340
Beatus habet per ſe infuſam ſcientiam ſupernaturalem à viſione diſtinctam. Hæc ſcientia conſiſtit in ſpeciebus ſupernaturalibus magis, vel minùs univerſalibus juxta majorem, vel minorem perfectionem beatitudinis; attingit in proprio genere objecta creata, tùm naturalia, tùm ſupernaturalia cognita ex vi viſionis in verbo ab initio beatitudinis. eod.c.1. à n. 2. ad 8. p.334
Beatus eſt Dei amicus triplici titulo, nimirum gratiæ, luminis, & viſionis. t.5. l.4. c.4.n.40. p.547
Spoliatus habitu charitatis infuſæ amaret amore naturali neceſſario Deum etiam ut Auctorem ſupernaturalem, quamvis de facto ad viſionem beatam non ſequatur ullus amor naturalis. t.4. l.3. c.2. à n.27. ad 38. p.347
Beatus haber majorem impotentiam ad operandum malè, quàm habeat damnatus ad operandum benè. t.3.l.3.c.5. n 17. p.833
Quòd ſit impeccabilis eſt dogma fidei, & eſt talis ab intrinſeco, ſeu ex natura rei nec non ex vi viſionis etiam ut præciſè ab amore. t.4. l.2.c.3. n.56.61. & 65. p.310. & ſeq.
Hoc totum extendendum ad peccabilitatem etiam venialem. eod. c.3.n.71.
Beatum poſſe admittere potentiam peccandi pro primo, non pro reliquis inſtantibus ſuæ beatitudinis opinio ſingularis. t. 3. l. 3. c.3. n.16. p.215
Beatus quomodò ſit capax præceptorum. t. 4. l.2. c.3 n.64. p.325
Non poteſt à Deo ſuſcipere præceptum eliciendi ab amore, multòque minùs odio habendi Deum. t 4. l.3. cap. 2. num.17. & 52. p 43. & 353
Beatus in aliquo ſenſu non eſt ex nihilo. t 4. l.2. c.3.n.62. p 321
Beatus orando pro nobis, impetrat, non congruè meretur. t.5.l.4.c.9.n.11. p.614
Si de lege extraordinaria poſſet mereri augmentum ſuæ beatitudinis adhuc eſſet comprehenſor, nullatenùs viator. eod. l. 4. cap 6. n.15. p.567
Beatorum corpora. Vide, Corpora glorioſa.
Bonitas ſumma non ſubſiſtens, & in abſtracto non eſſet ſufficiens beatitudo objectiva. t.4. l. 1. c.3 n 37. p.281
Bona præterita eſſe meliora præſentibus fuit error Stoïcorum. eod. cap. 3. num. 18. & 33 p.276. &c.
Bonum delectabile in natura lapſa cur ex genere ſuo moveat efficaciùs, quam bonum honeſtum? t. 5. l.2. c.3. n. 14 15. & 16 p.444
Bonum impoſſibile exiſtimatum poſſibile ſufficit ad affectum in exiſtimatione, non in re eſſicacem. eod. l.5.c.2.n.41. p 435
Bonum morale medium inter ſupernaturale, & pure naturale. eod.c.2.n.1 p.426
Non eſt ſemper contra inclinationem ſenſus, ſeu partis inferioris. eod. c. 2. n. 7. 23. & 25. p.428 429
Bonum quodlibet particulare ex natura ſua reſpicit finem ultimum in communi. t.4. l.1. c.2. n.8. p.255
Regulariter non poſſidetur ſub ea ratione, ſub quâ deſideratur. t.4.l. . c.2. n.44 p.306
Bonum ſummum aliud eſt tale phyſicè & abſolutè; aliud metaphyſicè & comparativè t.4. l.1.c.3.n.35. p.280

C

CAuſa finalis eſt prima omnium cauſarum. t.4. l.1.c.1.n.10. p.249
Cauſa formalis poteſt eſſe divinitùs ſine effectu formali ſecundario: ſi poſitiva ſit nequit habere pro effectu formali primario quid negativum. t 5. l 4.c.4.n.45. p.549
Cauſæ partiales quædam ſunt inter ſe homogeneæ, quædam etherogeneæ: In homogeneis quælibet multiplicatis concauſis producit effectum majorem, non ſic in etherogeneis. t.3. l.2.c.1.n.13. p.125
Cauſa phyſica, non cauſa moralis debet eſſe æqualis, aut perfectior effectu; & cur? t.5 l.4. c.7 n 20. p.589
Cauſalitas materialis poſſit ne eſſe inſtrumentalis? problematicum. t.5. l.3. c.2.n.88. p.497
Certitudo moralis alia infima, alia media, alia ſumma: ea, quam quis ſine ſpeciali revelatione habere poteſt de exiſtentia in gratia, nec fidei, nec Theologica, nec phyſica naturalis, nec moralis ſumma eſſe poteſt; ſed duntaxat moralis conjecturalis. t.5. l.3. cap.5. num.13. 22.

22, & 24. p.512. 514

Certitudo aliqua major haberi poteſt de gratia aliena, quàm de gratia propria, & quoad gratiam propriam major de gratia præſenti, quàm de gratia futura, major de habitibus fidei & ſpei, quàm de illo gratiæ illiſve infuſis. eod. c.3.n.17.35. & 34. p.513.517

Charitas ſumitur tripliciter. t.5.l.3. c.1.n.49.
Apud Auguſtinum aliquandò, nec habitum, nec actum ſignificat, ſed auxilium. t.5. l.2.c.6. n.5. p.471

Charitas quæ de Deo prædicatur in recto, eſt illa quâ Deus nos diligit, non quâ nos Deum diligimus. t.5.l.3.c.1.n.4. p.475

Charitatis actus in patria differt ſpecie ab actu charitatis in via. t.4. l.5. c.2.n.31. 33. & 45. p.348. 351
Vide, Amor Dei.

Charitatis naturalis actus in pura natura eſſet forma per ſe ipſam abſterſiva peccati. t.5. l.4.c.4. n.31. & 34. p.545

Charitatis ſupernaturalis actus in quo ſenſu ſit ſanctitas: ſi veniale expellit id præſtat per modum ſatisfactionis, non per modum ſanctificationis. eod. c.4.n.26. & 27. p.544
Nec de potentia abſoluta poteſt eſſe forma perfectè juſtificans poſitivè, aut expellens lethale ab intrinſeco & ex natura ſua. eod. c. 4. n. 24. & 21. p.541. 542

Charitatis actu homo conſtituitur amans Deum, & amatus à Deo, at non amicus Dei & cur ? definit eſſe odio habens Deum, at non definit eſſe inimicus Dei. eod. c. 4.n.29. p.544

Charitatem nunquam excidere poteſt aliqualiter intelligi de charitatis actu, at ſimpliciter verificatur de charitatis habitu. t.4.l.5. c.1.n.39 p.350

Charitatis habitus eſt habitualis cum Deo amicitia phyſicè, non moraliter & ethicè. t.5.l.4. c.2.n.27. p.529
In via ſe habet ut arrha ſponſalium, in patria ut dos matrimonij. t.4. l.2.c.3.n.16. p.312
Quomodò ſit forma cæterarum virtutum. t.5. l.4. c.2.n.16. p.529

Charitatis habitus non eſt, & nec de potentia abſoluta eſſe poteſt forma juſtificans. eod. cap.2. n.24. p. 519. & c. 4. n.36. p.548
Eſt ex natura ſua compoſſibilis cum lethali non minùs, quàm habitus fidei & ſpei. eod. c. 2. n.28. p.529
Diſtinguitur realiter ab habitu gratiæ. t.5.l.3. c.1.n.47. p.484
Faciliùs eſſe poteſt ſine charitate gratia, quàm ſine gratia charitas; hæc ſine illa non daret jus ad gloriam, & homo cum ſolo habitu charitatis aut non ſalvaretur, aut ſalvaretur ex mera Dei liberalitate. eod. cap. 1. num.61. & 63. p.488
Dabilis eſt divinitùs charitas identificata gratiæ: & talis charitas deberet ſimul eſſe identificata fidei, aut alij habitui intellectuali: & tunc utrùm perſeveraret in patria ? problematicum. eod. c.1.n.64 & 68. p.488. & ſeq.

Chriſtus cur ſit noſtrum caput morale ? t. 5. l.4. c.4.n.7. p.539
Utrùm poſſit ei negari propria ratio viatoris ? eod. l.4. c.6. n.15. p.563

Chriſtus ut comprehenſor & beatus non eſt Propheta, fuit tamen talis ut viator. t.4. l.5. c.1. n.11. p.536
Ut redivivus quomodò propriè comederit. t.3. l.1.c 4.n 42. p.59

Chriſti apparitiones quædam perſonales, quædam imperſonales; illæ fuerunt factæ miniſterio Angelorum. eod. c.4. n.20. p.54

Chriſti corpus ab aliquibus ponitur multipliciter replicatum. t.4 l.3. c.4. n.58. p.378

Charitas glorioſorum corporum. Vide, dos charitatis.

Cogitatio congrua & cogitatio non congrua in ordine ad benè moraliter operari, quid? & quomodò requirat actualem gratiam. t. 5. l.2. c.2. n.11. & 16. p.419

Cognitio diverſa quomodò poſſit conducere ad amorem ſpecie diverſum: Quandonam ſit pura conditio, quando partiale objectum amoris ? t.4.l.3.c.2.n.34. & 44. 349. 353

Cognitionem gigni ex potentia & objecto verificatur reſpectu cujuſlibet intellectus. t.3. l.1. c.2.n.6. p.66

Cognitio poteſt eſſe comprehenſiva quoties eſt objecti non excedentis perfectionem cognoſcentis: At non ſufficit eadem linea intelligibilitatis, nec proportio potentiæ & objecti. eod. l.2.c.3.n.47.50.52. p.133

Cognitio ſui ipſius in Angelo ut plurimùm non eſt comprehenſiva. eod. c 3. n.9. p.124

Cognitio matutina & veſpertina in Angelis quid? Veſpertina eſſe poteſt, tùm naturalis, tùm ſupernaturalis; matutina ſolùm ſupernaturalis. eod.c.3. n.44. & 46. p.132

Cognitio eadem poteſt ſimul eſſe intuitiva, & abſtractiva; directa & indirecta; mediata & immediata. t.3.l.2. c.2.n.17. p.89
Poteſt item reſpectu diverſorum eſſe evidens & obſcura, certa & probabilis. eod. l. 2. c.3. n.28. p.128

Cognitio plurium per modum plurium & cognitio plurium per modum unius quid ? eod. c.3. n 20. p.126

Cognitio abſtractiva quæ ? ex eo quod habeatur per ſpeciem non eſt ſemper abſtractiva. t. 3. l.2. c.2.n.21. & 34. p.90.92

Cognitio quidditativa Dei eſt perfectior comprehenſione cujuſlibet creaturæ. eod. c.2. n.7. p.87
In viatore non eſt dabilis cognitio Dei immediata. eod.c.1.n.11. p.88

Complexum locati cum loco quid addat ſuprà partes ſecundum eſſe ſimplex? t.3 l.2.c.5.n.27. p.159

Compoſitio ſubſtantialis non infert neceſſariò corruptibilitatem. t.3.l.1.c.2.n.37. p.37

Compoſitio integralis repugnat ſubſtantiæ ſpirituali ? & quo magis eſt ex etherogeneis eò faciliorem reddit deſtructionem. eod. c 2. n.40. & 41. p.38

Compoſitio, & diviſio in intelligendo quid? t 3. l.2.c.3. n.35. p.130

Concreari quid ſit ? t.5 l.3.c.2.n.16. p.496

Confirmatio, ſeu confirmationis donum conceditur ſolùm quibuſdam electis inſignioribus. t 5. l.1.c.3 n.60. p.411
Importat impeccabilitatem à mortalibus aut etiam à venialibus, ortam non à ſola forma intrinſeca, ſed ſimul à protectione extrinſeca Dei

ſe

ſe habet ad perſeverantiam finalem ut includens ad incluſũ. t.5. l.2. c.5. à n.27. ad 30. p.469
Conſervatio præſente cauſa conſervativa, & abſente contrario, eſt debita cuicumque; & repugnat aliquid, quod illis duobus ſuppoſitis petat non conſervari, aut ſit indifferens ut non conſervetur. t.3. l.1. c.2. n.67.
Continentia intentionalis quibus conveniat, & quid requirat? t.3. l.2. c.1. n.9. p.67
Contraria propriè dicta quænam ſint? ſe expellunt in primo inſtanti æquè ac in aliis, & cur. t.5. l.4. c.3. n.20. & 25. p.533
Contrarietas ſeu oppoſitio formalis in actu primo ſemper eſt mutua. eod. c.3. n.16. p.534
Contritio eſt diſpoſitio ad formam juſtificantem, non forma ipſa juſtificans. eod. l.4. c.2. n.15. 16. &c. p.526. & ſeqq.
Creatio rerum omnium in quo ſenſu ſit facta ſimul. t.3. l.1. c.1. n.27. p.8
Creatura intellectualis ex natura ſua ſimpliciter impeccabilis repugnat, & ſi daretur eſſet infinita, à ſe, ac non ſubjecta Deo. t.3. l.3. c.1. n.78. & 90. p.202. 205
Creatura imperfectiſſima in aliquo determinato genere non repugnat. t.3. l.2. c.1. n.76. p.82
Creaturæ perfectiores excedunt minùs perfectas vel in magnitudine vel in multitudine. t.3. l.1. c.3. n.5. p.29
Corpus verum & reale poteſt dici tale dupliciter. eod. l.1. c.4. n.4. p.50
Corpus idem aſſumi poteſt à Deo ſimul & ab Angelo. eod. c.4. n.29. p.54
Corpora glorioſa ſunt ſimul diaphana, lucentia, & colorata: ſunt diaphana ex ſubtilitate, non ex charitatis dote. t.4. l.3. c.4. n.30. 31. & 32. p.372
Habent proprium locum in ſpatio fluido exiſtente intrà concavam & convexam ſuperficiem ſolidã Cœli Empyrei. eod. c.4. n.52. p.376
Cur penetrentur cum aliis corporibus non glorioſis, ſecùs inter ſe, penetrentur verò inter ſe corpora damnata. eod. c.4. n.19. p.369
Corpora glorioſa habent temperamentum optimum: partes omnes tùm integrantes, tùm ornantes, & non excrementitias; non item ſemen. eod. c.4. n.43. p.375
Retinent ſexuum differentiam, propriam regulariter ſtaturam, item faciei lineamenta. eod. c.4. n.44. & 45. p.375
Habent operationes partis ſenſitivæ, haſque longè perfectiores, quàm corpora non glorioſa; & in quo conſiſtat hæc major perfectio? eod. c.4. à n.48. ad 57. p.376. & ſeqq.
Corpora glorioſa non habent operationes partis vegetativæ: Utrùm omnia ipſorum membra habeant aliquem uſum non ſatis conſtat? eod. c.4. n.46. & 47. p.375

D

DÆmonis nomen quid ſignificet, & quomodo poſſit accipi in bonam partem. t.3. l.3. c.4. n.2. p.216
Dæmones occumbere fuit error Plutarchi t.3. l.1. c.2. n.46. p.21
Dæmones non indigent propinquitate objectorũ ad ipſa cognoſcenda. eod. c.2. n.28. p.16
Sæpè falluntur in prænotione & prædictione futurorum. t.3. l.2. c.2. n.102. p.108
Quomodo aliquibus odoribus delectentur, aliquibus torqueantur? t.3. l.1. c.2. n.16 p.13
Dæmones quænam hominum corpora poſſint aſſumere; cur in aſſumptis corporibus edant voces puſillas, obſcuras, ingratas? eod. l.1. c.4. n.21. p.52. & 41. p.59
Dæmon incubans, non ſic dæmon ſuccubans poteſt inſervire ad generationem veræ prolis, & cur? eod. c.4. n.43. p.59
Dæmones poſſunt naturaliter operari falſa miracula, vera nunquam per ipſos virtute divina fiunt, etiamſi hæc quandoque fiant per malos homines: concedi tamen poteſt in aliquo vero miraculo aliquod dæmonum miniſterium. eod. c.4. n.54. 57. & 59. p.62. & 64
Dæmones aliquos per hunc mundum vagari certum eſt; ſic vagantes non circumferunt ſecum ignem inferni: in hunc fuerunt omnes detruſi ab initio & iterùm omnes detrudentur poſt diem judicij, non majori tamen, quam nunc eſſentiali pœna puniendi. t.3. l.3. c.5. à n.28. ad 32. p.159
Non habent ſibi miraculosè alligata corpora, in quibus pœna ignis puniantur. eod. c.3. n.44. p.163
Damnatio æterna non poteſt eſſe ex demeritis tãtũ naturà præcedentibus. t.3. l.3. c.3. n.19. p.219
Eſt malum ſummum in genere contriſtativi; quamvis non in omni genere. eod. l.3. c.5. n.61. p.167
Damnati reſurgent omnes in eadem ætate in quâ beati. t.4. l.3. c.4. n.44. p.375
Torquentur verò igne. *Vide* Ignis Inferni. Habent impotentiam tùm pœnitendi, tùm evadendi pœnas inferni, & hæc ſecunda impotentia eſt magis certa de fide. t.3. l.3. c.5. n.2. & 5. p.153
Habent item impotentiam benè operandi in ordine ad quodcumque opus etiam vitæ communis. eod. c.5. n.6. & 13. p.154. 155
Hæc impotentia non eſt phyſica, ſed moralis orta ex ſola conditione ſtatus: eſt major quàm ſit in ullo viatore; minor quàm ſit in beatis ad malè operandum; minor item quàm ſit in ipſiſmet damnatis ad abſtinendum à malo: Cur cum tali impotentia peccata imputentur ad culpam? eod. c.5. à n.14. ad 18. p.156
Damnatorum pœna tùm ſenſus, tùm damni eſt inæqualis. Pœna damni eſt inæqualis præcipuè ex inæqualitate cauſæ: eſt ſimpliciter major pœna ſenſus: continet ſub ſe aliquam triſtitiam. eod. c.5. n.57. 58. & 59. p.166
Damnatorum triſtitia admittit gaudium phantaſticum, aut ſimplicem aliquam complacentiam, at non de lege ordinaria ullam veram delectationem. eod. c.5. n.60. & 61. p.167
Debitum præteritum ſolutum quomodo poſſit extingui ſolutione iterata & debitum futurũ ſolutione anticipata. t.5. l.4. c.4. n.78. & 79. p.556
Delectatio dicitur quaſi dulcis lactatio, reperiri poteſt in qualibet potentia ſenſitiva, & latiùs patet quàm gaudium. t.4. l.2. c.2. n.27. & 28. p.303 Quomodo dicatur perficere opus. eod. c.2. n.31. p.303
Denſum non eſt confundendum cum opaco. t.4. l.3. c.4. n.32. p.372
Deſiderium afferens moleſtiam quodnam ſit. t.4. l.2. c.3. n.8. & 16. p.441

Deus eſt finis ultimus *Qui, Cui, Quo*. t.4.l.1.c.1. num.23. p.250. Eſt finis utilitatis activæ, non paſſivæ. t.4. l.3.c.1.n.42. p.351. Ad intrà non eſt finis ultimus ſui neque quoad eſſe, neque quoad operari, eſt tamen finis ultimus ſui ad extrà quoad operari tranſeunter; loquendo de operationibus tranſeuntibus ſecundùm illud quod dicunt ex parte termini nam ſecundùm illud quod dicunt ex parte principij dici poſſunt habere cauſam finalem virtualem, non realem. t.4. l.1. c.1. n.29. 31. 36. 39. p.250. & ſeqq.

Deus eſt de facto noſtra beatitudo objectiva ſecundùm omnia, quæ habet in ſe formaliter; poteſt tamen eſſe noſtra beatitudo ſecundùm eſſentiam præciſam à perſonis, imò & ab attributis, non ſic ſecundùm relationes, aut attributa præciſa ab eſſentia. eod. l.1 c.3.n.32. & 34. 46. & 47. p. 279. & 283

Deus & creaturæ non ſunt major beatitudo objectiva, quàm Deus ſolus. eod.c.3.n.33. p.280

Deus quomodò ſit omne bonum? eod. c.3.n.27. Quomodò ultrà cōdignum præmiet, citrà condignum puniat? t.5.l.4.c.5.n.14. p.562. Quomodò odio habeat peccatum, & peccatorem? eod.l.4.c.4.n.74. p.555. Cur redemerit hominem potiùs, quàm Angelum? t.3.l.1.c.3.n.45. p.39

Deus eſt diverſimodè cauſa libera effectuum naturalium, ac ſit ſupernaturalium. eod. l 1. c.2. n.69. & 70. p. 27. Poteſt ſine ſpecie crudelitatis inferre mala phyſica graviſſima innocenti beato potiùs, quàm innocenti non beato. t.4. l.3.c.2.n.19.p 345. Quomodò poſſit eſſe cauſa defectus & imperfectionis. t. 5. l.1. c.2. n.17. p.389. Cur dicatur charitas, non fides. t.5.l.3. c.1.n.4. p.475

Deus verè poteſt aſſumere corpus eo modo, quo Angelus, probabilius tamen eſt quòd nunquam de facto immediatè aſſumpſerit: Nunquam item apparuit, quin ipſius apparitio fuerit ſimul apparitio Angelica. t. 3. l. 1. c. 4. num.9. & 13. p.51.53

Deus ſi deſtruat Angelos, deſtruet ipſos ratione propriæ libertatis, non ratione propriæ omnipotentiæ. eod. l.1. c.2.n.57. p.55

Dei magis, quàm ſui ipſius, amor eſt naturalis creaturæ. t.3.l.2.c.4.n.12. p.135

Deorum pluralitas à Gentilibus admiſſa non infert fuiſſe ab iiſdem admiſſam pluralitatem finium ultimorum ſimpliciter. t.4. l.1.c.2.n.68. p.169

Differentia ſpecifica non oritur neceſſariò ex prædicato perfectiſſimo. t.3. l.1.c.3.n.36 p.37

Differentiam deſumi à forma quomodò intelligendum? eod.l.1.c.2.n 41. p 20

Dignitas conferens ad meritum debet eſſe intrinſeca merenti: & ut conferat ad meritum majoris præmij, debet eſſe major non gradualiter, ſed in ſpecie. t.5. l.4. c.7. num.8. & 13. p. 586. Diſcurſus ex vi nominis quid, & quotuplex? t.3. l.2.c.3. n.22. p.127

Diſcurſus formalis admittitur in beatis ex libertate, non ex indigentia. t.4.l 3.c.1.n.5.p.335. Quomodò ſit admittendus in Angelis. Vide, Angelorum intellectus. Cur in diſcurſu formali forma ſylogiſtica reducta ſit ad duas præmiſſas? t.3. l.2.c.3.n.36 p.130

Diſpoſitio debet diſtingui à forma, ad quam diſponit. t.5.l.4.c.2.n.15. p.526

Datur ad formæ productionem, non præciſe ad ipſius unionem cum ſubjecto. t.5.l.3.c.2.n.62. p.506. Debet eſſe in eodem ſubjecto *Quod*, non in eodem ſubjecto *Quo*, cum forma. eod. c.2. n.31. p.499. Diſpoſitio phyſica à diſpoſitione morali in quo differat? eod. c.2. n.38. p.501

Diſpoſitio phyſica non convertitur cum diſpoſitione ex natura rei. eod. c. 2. n.41. p.502

Diſpoſitio moralis, non phyſica, poteſt eſſe remiſſior formâ, ad quam diſponit, & cur? t. 5 l.4. c.7.n.15.p.590. Diſpoſitio ad gratiam alia ſimpliciter ultima; alia ſimpliciter remota; alia aliquando ultima, aliquando remota. t.5. l.3.c.2. n.50. p.504. Diſpoſitio ultima ad gratiam habitualem dependet ab actuali dupliciter. eod. c.2. n. 53. p 504. Cauſat habitualem, tùm in genere cauſæ materialis, tùm in genere efficientis. eod. c.2.n.58. & 71. p.503.508. Non efficitur ab habituali, aut immediatè, aut mediatè, hocque probari poteſt independenter à repugnantia mutuæ cauſalitatis. eod. c.2. n.51. & 70. p.504.508. In alia rerum ſerie poſſet effici ab habitu charitatis abſque eo, quod efficeretur ab habitu gratiæ; & ſuppoſita aliqua opinione non improbabili poſſet pariter effici ab habitu gratiæ. eod.c.2. n.67. & 68. p.507

Diſpoſitio ultima ad primam gratiam, ſumpta tamen pro ſecundo, non pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti eſt condignè meritoria primæ gloriæ. t.5.l.4.c.8. n.22. & 34. p.603.606

Diſpoſitionem ultimam eſſe à forma, quomodò intelligatur. t. 5. l.3. c.2. n.64. p.507

Diſtinctio includentis ab incluſo non ſemper eſt per aliquid ſimplex. t. 3. l. 2. c.5.n.28. p.159

Divinatio dicitur quaſi divina actio. t. 3. l.2. c.2. n.100. p.107. Diviſibilitas virtualis. Vide, Extenſio. Doctores, quibus debetur aureola, quinam ſint? t.4.l.3.c.3. n.28. p.361

Dolor alius vitalis, alius objectivus: ille in perceptione objecti doloriferi, iſte in objecto ipſo conſiſtit. t.3. l.3. c.5. n.54. p.342

Dominium ſupremum infertur ex ratione finis ultimi. t.4. l.1.c.1.n.18. p.249. Dos ex vi nominis quid ſignificet in beatis? t.4.l.3.c.3.n.1. p. 355. Quid quoad rem dos animæ beatæ & multiplex ipſius convenientia, ac diſconvenientia cum dote ſponſæ carnalis. eod.c.3.n.5. 6. & 7. p. 356. Dotes animæ beatæ communiter aſſignantur tres, licèt cum aliquo diſſidio ex parte rei numeratæ. eod.c. 3.n.8.p.356. Collocādæ ſunt in habitibus; viſio ſcilicet & comprehenſio in habitu luminis gloriæ, fruitio in habitu charitatis, conſiderādo utrumque habitum ſecundùm quædam ſpecialia munera. eod. c.3. à n.12. ad 17. p.357. Non dantur in Chriſto, nec in Angelis, quamvis dentur dona illa, quæ ſunt dotes animæ beatæ. eod.c.3. num.17. p.363. Dotes corporis glorioſi quid. t.4.l.3.c.4. n.3. p.366. Sunt quatuor, nimirum impaſſibilitas, ſubtilitas, agilitas, claritas. eod. c.4. n.4. p.366. Conſiſtunt in formis poſitivis & qualitatibus ſupernaturalibus à Deo infuſis. eod. c.4.n.6. & 7. p.366

Dos impaſſibilitatis conſiſtit formaliter in qualitate materiali ſupernaturali tribuente corpori vim ad reſiſtendum cuicumque actioni læſivæ, & corruptivæ. eod. c.4.n 13. p.368

Dos ſubtilitatis tribuit corpori glorioſo eſſe ſpecialiter

cialiter

cialiter ſubjectum animæ & poſſe penetrari cum cæteria: Vtromqoe habetur à qualitate materiali ſe habente ut ioſtrumento Dei. eod. c.4.n.14. & 18. p.368

Dos agilitatis reddit corpora mobilia, tùm motu organico, & progreſſivo velociſſimo; tùm motu inorganico, & delativo: conſiſtit in qualitate materiali ſupernaturali recepta io corpore & diſpoſitivè ſe habente ad motom. eod. c.4. n.20. & 27. p.370

Dos claritatis eſt lux materialis intrinſeca & iohærens corpori glorioſo; eſt ſupernaturalis in ſubſtantia. eod. c.4. n.33. & 36. p.372
Vide, Lux corporum glorioſorum.

Dotes in beatis ſunt inæquales juxtà ioæqualitatem beatitudinis eſſeotialis. eod. c.4. nom.41. p.374

Duratio diuturnior non eſt ſemper argumeotum perfectionis majoris, nec duratio infinita perfectionis infinitæ. t.3. l. 1. c.2. n.55. p.24

Durationi futuræ perpetuæ opponitor defitio per poteotiam ordioariam, non per extraordinariam. eod. c.2.n.50. p.22

E

EDoctio à creatione exceditur ex parte modi agendi, non ſemper ex parte ejos, qood fit. t.5.l.3.c.2.n.10. p.494

Electio, ſeu voluotas electionis poteſt ſumi, tùm pro actu diſponcote media ad finem, tùm pro actu quocumque libero, & perfectè deliberato. t.3.l.3.c.4. n.31. p.223

Electio ſemel facta vix poteſt ſub eadem cognitione motari. t.3. l.2.c.4.0.38. p.142
Quò eum majori cooſultatione ac deliberatione fit, eò difficiliùs mutatur: & regulariter motatur difficiliùs in Angelis, quàm in hominibos. eod. c.4. n.32. & 37. p.140

Energomenorum opera in quas cauſas refundi poſſint. t.3. l.1. c.1. o.12.

Enoch & Elias ſint ne in ſtatu meriti? t.5.l.4.c.6. n.3. p.564

Entis diviſio in ſpirituale & corporeum noo eſt ſimpliciter & abſolutè adæquata. t. 3. l.1. c.2. n.39. p.19

Eſſentia ex genere ſuo meliùs explicatur per ſimplicem, quàm per complexom conceptum. t.5. l.4.c.2.n.21. p.528

Eſſentias rerom cooſiſtere in aliquo actu primo ooo verificatur univerſaliter. t.4.l.2.c.1.n.12. p.288

Eſſentialia in divinis eſſe priora notionalibus verificatur com multiplici limitatione. t. 4. l. 1. c.3. n.45. p.282

Ethnicorum & Catholicorum diſſidium circà beatitudinem undè ortom? ex quo capite Ethnici ſint in ſuo errore ioexcuſabiles. t. 4. l. 1. c.3. o.5. & 30. p.273.279

Exiſtentia & ſingularitas maximè connectontur. t.3.l.1.c.3 n.64. p.45

Extenſio virtoalis rerum ſpiritualium dici poteſt eminentia qoædam ipſarum ſuprà res materiales: Sumitur vel in actu primo, vel in actu ſecuodo. t.3. l.2. c.3. n.36. & 51. p.161. 265
Cooſiſtit non io effuſione virtutis operativæ, ſed io replicatione, imò eproductione entitatis. eod. c.3. n. 35. & 118. p.161. 181

F

FAcienti quod eſt in ſe Deum non derogare gratiam quomodò intelligatur? t. 5. l. 2. c.6. n.8. p.472

Fides aliqua imperfecta; quà naturæ viribos crodatur aliqoid ſupernaturale, in quo ſenſu admitti poſſit? t.5.l.2. c.4.0.3. & 5. p.453

Fides hiſtorica, & fides promiſſionum ſecundùm ſectarios qoid? t.5. l.3. c.3.n.12. p.512
Quid item fides promiſſionum generalis, & fides ſpecialis: Quid fides miraculorom? t.5. l.4.c.1. n.8. & 10. p.510

Fides non eſt oeceſſaria ad benè operandom. t.5. l.2.c.4.0.40. p.462
Benè tamen ad juſtificationem peccatoris adulti. t.5. l.4. c.1. n.11. p.521
Et hæc fides debet eſſe Catholica; ſeu dogmatica nec ſufficit fides promiſſionom; non juſtificat per ſe ipſam, nec ſufficienter ad juſtificationem diſponit, nec juſtitiam apprehendit. eod. c.1.n.12.13. & 15. p.521

Fides eſt proximior participatio divinæ naturæ, quàm ſit charitas. t.5.l.3.c.1.n.58. p.487

Fidei certitudo de propria exiſtentia in gratia nequit haberi ſine ſpeciali revelatione, ex hac tamen habita de facto fuit ab aliqoibus. eod. l.3.c.3.n.12.13. p.512. Habetor in tota Eccleſia ex revelatiooe communi fidei certitudo de gratia aliquorum io vago. eod.c.3.n.15. p.513

Fidei & ſpei actus etiam in peccatore augent proprios habitus moraliter; non phyſicè. t.5. l.4.c.8.o 8. p.600

Filiatio adoptiva non requirit naturam ejuſdem ſpeciei inter adoptantem, & adoptatum. t.5.l.3. c.1.0.33. p.481

Filiatio adoptiva quæ à Deo, & quæ ab homine quomodò differaot. eod.c.1.0.6. & 23. p.475. 479. Illa quæ à Deo oec fit per benevoleotiam extrinſecam, oec per divinitatem nobis unitam, nec per Dei viſionem; ſed per habitum gratiæ, tanqoam per rationem adæqoatam eod. c.1.n 23.24.25. & 30. p.479

Filiatio adoptiva Dei tres habet gradus. eod. c.1. n.31. p.481. Cur admittat inteoſiooem, quam non admittit filiatio naturalis. t.5 l 3.c.3. n.7. p.511

Finis ut finalizans nequit terminare ſimplicem complacentiam, quin inferat volitionem aliquam mediorum. t.5 l.1. c.3. n.95. p.419

Finis intermedius habeat ne veram rationem finis? cootroverſum. t.4.l.1. c.1. o.10. p.247

Finis *Qui*, finis *Quo*, & finis *cui* quid? eod. c.1. n. 8. p.247

Finis *Qui* dicitor etiam finis *cujus gratia*, & regulariter eſt res diſtincta realiter à fine *cui*, licèt noo ſint propriè duo fines, ſed partes conſtituentes eundem finem. eod.l.1.c.2.n.9. p.247. & c.2.n.41.p.263. Quomodò prædicta triplex ratio finis reperiatur in Deo. eod. c.1.num.23. p.250

Finis abſolutè prolatus ſupponit pro fine *qui*, ſeu *cujus gratia*: Iſte ad ſummum, non finis *quo* debet ab ordinatè volente poni io eo, quod perfectius eſt. eod. c.1.n.9. p.231. & t.4.l.2.c.2. n.50. p.307

Finis poſitivè, & finis negativè ultimus, qoid? t.4.l.1.c.2.n.31. p.261

Finis obtentus, & finis effectus quid? eod. l. 1. c. 1. n. 21. p. 249
Aliæ finis diviſiones, eod. c. 1. à n. 8. ad 13. p. 247
Finis ultimus quid? eod. c. 1. n. 6. p. 246
Quomodo coincidat cum beatitudine? *Vide* Beatitudo. Non dicitur de Deo ad intrà. eod. c. 1. n. 4. p. 246
Vide Deus. Finem ultimum rerum omnium eſſe unicum eſt evidens. eod. c. 1. n. 14. p. 148
Finis ultimus & primum agens in quibus parificentur, in quibus non? t. 4. l. 1. c. 2. n. 14. p. 256
Finis ultimus relatè ad voluntatem, & prima principia relatè ad intellectum in quibus æquiparentur? eod. c. 2. n. 17. p. 257
Finis ſimpliciter ultimi tres potiſſimæ conditiones. eod. c. 2. n. 70. p. 270
Finium ultimorum pluralitas ſucceſſiva homini non repugnat. eod. c. 2. n. 67. p. 269. Quænam eorundem pluralitas ſimultanea repugnet, quæ non? eod. c. 2. à n. 61. ad 79. p. 268. & ſeqq.
Finium ultimorum pluralitas, quæ repugnat in re, repugnat etiam in apprehenſione; & intellectus nequit ſimul apprehendere duos ultimos fines ut appetendos aut ſucceſſivè aut ſubdiſjuncto. eod. c. 2. n. 74. & 75. p. 271
Forma quandonam ſit debita ſubjecto, quando non t. 3. l. 1. c. 1. n. 45. p. 74
Forma per ſe ſubſiſtens in quo ſenſu ſit immultiplicabilis. t. 3. l. 1. c. 3. n. 73. p. 47
Formido excluditur formaliter per ſolam certitudinem, illativè poteſt aliter excludi. t. 4. l. 2. c. 3. n. 49. p. 319
B. Franciſci ſingularis lætitia de propria prædeſtinatione. eod. l. 2. c. 4. n. 7. p. 329
Fructus ex vi nominis quid? alius naturalis, alius Evangelicus: iſte dividitur in trigeſimum, ſexageſimum, centeſimum. t. 4. l. 3. c. 3. n. 3. p. 355
Tres hi fructus aliquando ſignificant tres gradus ejuſdem præmij eſſentialis, aliquando tria præmia accidentalia. eod. c. 3. n. 43. & 44. p. 364
Quid ſint formaliter, & quomodo diſtinguantur ab Aureolis? eod. c. 3. n. 45. p. 365
Frui creatura excluſivè eſt perverſitas, non ſic frui eadem præciſivè, ſeu permiſſivè. t. 4. l. 1. c. 2. n. 23. p. 259
Fruitio in aliquo ſenſu eſt idem cum amore, in aliquo non. t. 4. l. 2. c. 2. n. 17. p. 300
Futura quomodo cognoſcantur naturaliter ab Angelis. *Vide* Angelorum intellectus.
Futurorum liberorum prænotio eſt Dei propria. t. 3. l. 2. c. 2. n. 100. p. 107

G

GAudium eſt proprium creaturarum rationalium; minùs latè patet, quàm delectatio; reperitur etiam in intellectu. t. 4. l. 2. c. 2. n. 27. & 29. p. 303
Gaudium voluntatis eſt operatio, non paſſio: eſt actus realiter diſtinctus ab actu amoris de objecto præſenti: aliud eſt amicitiæ, aliud concupiſcentiæ. eod. c. 2. n. 2. & 30. p. 297. 303
Gaudium beatificum nullam de facto habet admixtam triſtitiam: de poſſibili non repugnat cum triſtitia levi, pugnat cum gravi. eod. c. 2. n. 55. & 56. p. 308
Eſt ejuſdem proportionaliter rationis cum beatifico amore; eſt ſcilicet actus neceſſarius, concupiſcentiæ ſimul & amicitiæ. eod. c. 2. n. 46. p. 306. *Vide* Amor Dei in patria.
Gaudium quod habetur in viſione formaliter eſt eſſentiale beatitudini, & inimpedibile divinitùs. eod. c. 2. n. 49. p. 307
Genus deſumi à materia, differentiam à forma quomodo intelligatur. t. 3. l. 1. c. 2. n. 44. p. 21
Gloria quid? t. 4. l. 1. c. 1. n. 24. p. 250
Alia objectiva, alia formalis: alia interna, alia externa. eod. c. 1. n. 25. p. 250
Ad Dei gloriam quomodo diverſimodè conducant diverſæ creaturæ. eod. c. 1. n. 27. p. 250
Gloria prima in patria quid. t. 5. l. 4. c. 8. n. 14. p. 604
Adultos ipſam condignè meretur per ultimam diſpoſitionem ad gratiam ſumptam pro ſecundo non pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti. eod. c. 8. n. 22. 23. 26. & 34. p. 603. 606
Gratia ex vi nominis quid? habet tres potiſſimum acceptiones, ex quibus inductæ tres gratiæ, ſeu tres Charites. t. 5. l. 1. c. 3. n. 2. & 3. p. 399
Gratia ſortitur quatuor univerſales diviſiones, nimirum in gratiam creatam & increatam, ſeu temporalem & æternam; in internam & externam; in gratiam Dei, & gratiam Chriſti; in gratiam creantem & ſalvantem, ſeu naturalem & ſupernaturalem. eod. c. 3. à n. 7. ad 11. p. 400
Gratia ſupernaturalis ſeu ſalvans ſubdividitur in medicinalem, & ſanitatis; gratum facientem, gratis datam; habitualem & actualem. eod. c. 3. à n. 11. ad 17. p. 401
Gratia medicinalis & gratia ſanitatis quid? t. 5. l. 1. c. 2. n. 59. p. 399. & c. 3. n. 11. & 43. p. 401. 408
Gratia ſanitatis in ſtatu innocentiæ motum arbitrij non expectabat; in ſtatu lapſus arbitrium non neceſſitat. eod. c. 3. n. 43. p. 408
Gratia gratum faciens, & gratia gratis data quid? Gratis data eſt imperfectior gratum faciente, & habet novem membra. eod. c. 3. n. 13. & 14. p. 401
Gratia habitualis definitur duobus modis. t. 5. l. 3. c. 1. n. 70. p. 490
Eſt bonum monaſticum, non politicum. t. 5. l. 4. c. 8. n. 51. p. 610
In rigore non eſt habitus prout habitus ſpectat ad primam ſpeciem qualitatis. eod. l. 4. c. 2. n. 18. p. 526
Se habet ut ratio ſeminalis in ordine ſupernaturali, & ut prima forma eo modo, quo in naturalibus eſt prima forma ſubſtantialis. t. 3. l. 3. c. 1. n. 13. p. 186
Eſt omnium donorum ſupernaturalium prima radix poſitivè, non negativè. eod. c. 1. n. 21. p. 188. & t. 5. l. 3. c. 2. n. 49. p. 503
Gratia habitualis rectè ſumitur tùm in eſſe phyſico, tùm in eſſe moris; & habet eſſe phyſicum ſeparabile ab eſſe moris, non èconträ. t. 5. l. 4. c. 7. n. 8. p. 586
Neque ad naturaliter, neque ad ſupernaturaliter benè operandum eſt neceſſaria. t. 5. l. 2. c. 4. n. 35. p. 460
Non habet neceſſariam connexionem cum gloria, & hæc eſt divinitùs negabilis decedenti in gratia. t. 5. l. 3. c. 1. n. 29. p. 480

Dicit quandam gloriæ promiſſionem ſibi intrinſecam. t. 5. l.4. c.6. n.27. p.570
At non identificatur cum tali promiſſione, neque hoc eſt neceſſarium ut habenti gratiam ſit debita gloria ex natura rei. t.5. l.4. c.2. n.30. p.530
Gratiæ habitualis exiſtentia eſt de fide, intelligendo illius nomine quid permanens de genere qualitatis homini intrinſecum ac inhærens. t.5.l.3.c.1.n.2. p.474
Cum hoc ſtat non eſſe de fide, quòd ſola qualitas permanens ſit forma ſanctificans. eod.c.1. n.5. p.475
Gratiæ habitualis cauſa efficiens phyſica principalis eſt ſolus Deus & oppoſitum dici nequit ſine gravi cenſura. eod. l. 3. cap. 2. num.2. p.492
Non habet gratia de facto humanitatem Chriſti pro cauſa principali ſecundaria, & nec de potentia abſoluta habere poteſt ullam creaturam pro cauſa principali phyſica. eod. c.2.n.6. & 8. p.493
Gratia habitualis habet pro cauſa materiali principali creaturam: habet ſcilicet pro ſubjecto, tùm informationis, tùm eductionis ſubſtantiam animæ præcisè & ſecundùm ſe acceptam. eod. c.2.n.22. & 27. p.497
Si ſubjectaretur in aliqua potentia ſubjectaretur in intellectu priùs, quàm in voluntate. eod. c.2.n.30. p.499
Gratia habitualis, nec creatur, nec concreatur; rectè tamen dicitur creari moraliter. eod. c.2. n.13. & 23. p.495
Non deſinit per annihilationem. eod.c.2.n.17. p.496
Educitur & propriè generatur; cur dicatur infundi? eod. c.2.n.13.20. & 25. p.495. 497
Utrùm de potentia abſoluta ſit creabilis? pendet à diverſo modo explicandi creationem. eod. c.2.n.26. p.498
Gratia habitualis de facto nullam habet præviam diſpoſitionem in parvulis, ſubjecto tamen capaci congruentiùs datur ex prævia diſpoſitione, quàm ſine ipſa: Habet hanc in Angelis; item in omnibus hominibus adultis excepto Chriſto Domino. t.3. l.3. c. 5. num.17. & 25. p.187. & t.5. l.3. c.2. n.32. & 34. p. 499
Talis diſpoſitio moralis eſt & nec de potentia abſoluta poteſt eſſe phyſica, requiritur tamen ex natura rei. eod. cap.2. num. 38. 39. & 40. p.501
In quibuſnam actibus ſingillatim conſiſtat? eod.c.2.n.42. p.502
Vide, diſpoſitio.
Gratia habitualis non eſt debita naturæ humanæ ſecundùm ſe neque ex merito operum, neque ex dignitate ipſius naturæ. t. 5. l. 3. c. 2. n. 4. & 7. p.387
In quo ſenſu à ſanctis Patribus dicatur naturalis. eod.c.2.n.12. p.388
Poſitivè loquendo non eſt magis naturalis homini innocenti, quàm lapſo. eod. c. 2. num. 6. p.387
Gratiæ habitualis diſtinctio ab habitu charitatis. Vide, Charitatis habitus.
Gratiæ habitualis inæqualitas pro diverſis perſonis & temporibus eſt de fide. t.5. l.3. c.3. n.2. p.509
Item de fide eſt capacitas intenſionis & augmenti. eod. c.3.n.4. p.510
Item quòd non habeat in viatore ullum terminum intrinſecum magnitudinis, licèt habeat in tali magnitudine terminum extrinſecum. eod. c.3.n.7. & 9. p.511
Gratia habitualis eſt inæqualis juxtà inæqualitatem naturæ in Angelis, non in hominibus; item non in Chriſto & Deipara; & cur? t. 3. l.3. c.1. n.30. & 33. p.190
Gratia habitualis augetur in aliquibus, non in omnibus beatis. t.4. l.2. c.1. n.8. p.287
Gratiæ habitualis perfectio ſuperat perfectionem alterius cujuſcumque, ſive habitus, ſive actus ſupernaturalis; item gratiarum & auxiliorum actualium. t.5. l.3. c.1. n.76. & 78. p.491
Tribuit tantam dignitatem & elevationem, ut nec de potentia abſoluta ſit dabilis in pura creatura dignitas, aut elevatio major. t.5. l.4. c.6.n.24. p.569
Non eſt item ullo modo dabilis forma accidentalis, quæ gratiæ non æquivaleat, & ſit perfectior gratia. t.5. l.3. c.1. n. 8. p 491
Gratia habitualis in juſto cur non dignificet actus morales ordinis naturalis, ſicuti tamen iſtos dignificabat gratia unionis in Chriſto. t. 5. l.4. c.6.n.63. p.579
Gratiæ habitualis perfectio ſpecifica eſt ejuſdem rationis in Angelis & in hominibus. t.3. l 3. c.1.n.13. p.186
Item in beatis & in viatoribus, in Chriſto & in nobis. t.5.l. 3.c.1.n.74. p.491
Imò, impropriè tantùm, non propriè accepta admittit poſſibilem diverſitatem ſpeciam. eod. c.1.n.71. p.490. & c.3. n.5. p.510
Eandem poſt Chriſti Adventum nullam mittero diverſitatem numericam fuit ſingularis quorundam opinio. eod.c.1.n.75. p.491
Gratiæ habitualis effectus præcipui ſunt juſtificatio & meritum. Vide, Iuſtificatio. Vide, Meritum. Effectus ejuſdem ſimpliciter primarius eſt ſola informatio. t.5. l. 4. cap.4. num.48. p.549
Gratia habitualis tribuit participationem divinæ naturæ, tum acceptæ moraliter, & ethicè; tùm etiam acceptæ phyſicè: item participat omnem formalem, non virtualem tantùm. t.5. l. . c.5. n.6.11. & 18. .464
Non tribuit participationem in ratione vitæ, non item divinorum attributorum. eod. cap.5. n. 15. & 17. p.466
Eſt ratio adæquata ex natura ſua conſtituens filium adoptivum & hæredem Dei. eod. c.5. n.25. p.469
Gratia habitualis ab intrinſeco & ex natura rei conſtituit verè ac propriè Dei amicum amicitia ſupernaturali. eod. c.5.n.35. & 41.
Non eodem modo conſtituit amatum. eod. c.5 num.45.
Gratia habitualis ſanat hominem lapſum à culpa, non à rebellione partis inferioris. t. 5. l.2. c.4. num.21.
Etiam ut forma extrinſeca tribuere poteſt de potentia abſoluta juſtificationem aliquam minùs perfectam. t.5.l.4.c.4. n.11. p.455
Gratiæ habitualis oppoſitio cum peccato non eſt contradictoria, nec in rigore contraria. t.5.l.4. c.3.n.10. & 15. p.533

Gratia tamen habitualis & peccatum ſe expellunt in genere cauſæ formalis ad modum contrariorum. eod. c.3. n.16. p.334

Habet illa contrarium morale, non phyſicum. t.5. l.2. c.5. n.23. p.468

Gratia habitualis poteſt divinitùs exiſtere ſimul cum lethali tùm habituali, tùm actuali; ità exiſtens non conſtitueret ſanctum & amicum nec ordinaret habitualiter ad Deum. t.5. l.4. c.4. n.41. & 49. p.548

Gratia habitualis etiam ut remiſſiva peccati poteſt divinitùs infundi peccatori adulto abſque ullo prævio iſtius actu. eod. c.4. n.80. p.557

Gratiæ habitualis expulſio de facto non eſt pœna habitualis peccati. eod. l.4. c.3. n.18. p.527

Ipſius carentia culpabilis non poteſt tranſire in carentiam inculpabilem, ſeu gratiæ privatio non poteſt tranſire in gratiæ negationem. eod. l.4. c.4. n.59. p.552

Gratia actualis interna ſubdividitur in operantem, quæ etiam rectè dicitur præoperans, & in cooperantem; propriè loquendo una ex iis duabus nunquam eſt ſine alia. t.5. l.1. c.3. n.18. 24. & 58. p.402. &c.

Subdividitur inſuper in excitantem & adjuvantem: In prævenientem & ſubſequentem ſeu comitantem, &c. eod. c.3. à n.29. ad 36. p.405. & ſeqq.

Gratiæ actualis diviſio in operantē & cooperantem; item in prævenientem & ſubſequentem accommodari poteſt gratiæ habituali. eod. c.3. n.27. & 35. p.404

Gratiæ actualis internæ auxilia magis conſiſtunt in divina motione, quàm in illuſtrationibus & piis affectionibus. t.5. l.2. c.6. n.2. p.470

Cur actus noſtri imperfectè, non perfectè deliberati ſint actualis gratia? eod. c.6. n.3. p.470

Gratiæ actualis ſupernaturalis motus cadere poſſunt ſub experientiam veriſimilem, at non ſub experientiam certam. eod. c.6. n.11. p.472

Gratia actualis quando requiritur ratione neceſſitatis intrinſecæ debet eſſe interna; quando ratione impedimenti extrinſeci ſufficere poteſt externa. eod. c.6. n.9. p.472

Gratiæ actualis celeberrima diviſio eſt in ſufficientem & efficacem: Sufficiens dicitur etiam gratia non congrua, auxilium ſine quo, auxilium poſſibilitatis: Efficax gratia congrua, auxilium quo, auxilium operationis. t.5. l.1. c.3. n.37. p.406

Gratia actualis efficax non datur ex merito condigno, benè tamen ex hoc datur aliqua gratia ſufficiens. t.5. l.4. c.8. n.44. & 45. p.609

Gratia actualis ſufficiens & gratia inefficax in quo differant, in quo conveniant. t.5. l.1. c.3. n.48. p.409

Illa eſt ſimul ſemper aliquo modo efficax: quà ſufficiens eſt ſolùm excitans & præveniens, nunquam operans & cooperans. eod. c.3. n.50. & 51. p.409

Gratia ſufficiens ad aliquod peccatum requiritur, at non ad aliquod peccatum datur. t.5. l.2. c.3. n.30. p.445

Non eſt cauſa peccati, quia non ex ipſius uſu, ſed ex ipſius non uſu peccatur. t.5. l.1. c.3. n.44. p.408

Si tamen deeſſet, peccatum non imputaretur, etiamſi deeſſet in pœnam originalis, in cujus pœnam de facto non deeſt auxilium dans poſſe vitare peccatum; ſed ſolùm auxilium dans poſſe vitare faciliter & ſine lucta. eod. c.3. n.55. 56. & 57. p.410

Requiritur aliquando ad poſſe non peccare, ſecùs ad non poſſe peccare, & quodnam inter utrumque diſcrimen. t.5. l.2. c.4. n.26. & 29. p.458

Gratia ſufficiens ſubdividitur in proximam & remotam, totalem & partialem; ſufficiens tamen partialis non eſt ſimpliciter ſufficiens. t.5. l.1. c.3. n.45. 46. & 47. p.409

Gratia ſufficiens ad ſalutem de facto omnibus prorsùs viatoribus proviſa eſt, ſed diverſimodè; nec poteſt hoc ſine errore negari, quoties nomine gratiæ proviſæ intelligatur præcisè gratia oblata. eod. c.3. n.89. & 90. p.418

Cur ſecundùm præſentem providentiam ſit negabilis alicui peccatori pro aliquo tempore, non pro ſemper? eod. c.3. n.95. p.419

Secundum aliam providentiam quomodò ſit, aut non ſit negabilis omnibus? eod. c.3. n.92. & 93. p.418

Gratia ſufficiens ſaltem remota de facto proviſa eſt omnibus juſtis ad obſervantiam mandatorum & perſeverantiam finalem: Peccatoribus etiam excæcatis ad mandatorum pariter obſervantiam, nec non ad pœnitendum, tùm in articulo mortis, tùm aliquando in vita: Infidelibus omnibus ad comparandam fidem: Parvulis omnibus ad ſuſcipiendum baptiſmum. eod. c.3. à n.53. ad 83. p.411. & ſeqq.

Gratiæ actualis neceſſitas & indigentia in ordine ad naturalia major eſt in homine lapſo aut puro; quàm in integro aut innocente; in ordine ad ſupernaturalia tanta eſt in iſto, quanta in illo. t.5. l.2. c.1. n.18. p.424. & c.2. n.54. & 55. p.438 & c.6. n.23. p.473

Gratia actualis non eſt neceſſaria ad cognoſcendas quaſlibet veritates in particulari. t.5. l.2. c.1. à n.2. ad 19. p.420 & ſeqq.

Non ad proſequendum quodlibet morale bonum, & oppoſitum ab aliquibus cenſurâ notatur. eod. l.2. c.2. à n.4. ad 11. p.427

Non ad inefficacem ſivè concupiſcentialem, ſivè amicabilem amorem Dei ut auctoris naturæ. eod. c.2. n.49. p.437

Non ad vincendam aliquam tentationem levem contrà præcepta naturalia. eod. c.2. n.8. p.428

Non ad credendum actu naturali aliqualiter certo eoque honeſto myſterium aliquod ſupernaturale revelatum & propoſitum. eod. c.4. n.3. & 8. p.453

Gratia actualis eſt neceſſaria ad cognoſcendam ſine errore collectionem omnium, aut etiam multarum veritatum naturalium. t.5. l.2. c.1. à n.14. ad 22. p.423. & ſeqq.

Ad quaſnam veritates hæc gratia vix unquam detur? eod. c.1. n.24. p.425

Eſt item neceſſaria ad credendum actu naturali honeſto & aliqualiter certo omnia aut valdè multa collectivè myſteria revelata & propoſita. eod. l.2. c.4. n.6. p.454

Gratia actualis eſt neceſſaria ad amorem etiam ſolùm affectivè efficacem Dei ut Auctoris naturæ. eod. l.2. c.2. à n.36. ad 48. p.436

Ad

Ad obſervandum totam legem & aliqua etiam ipſius præcepta ſeorſim. eod. c. 2. n. 50. & 52. p. 457. & c. 3. n. 57. p. 451
Ad vitandum diù quodlibet lethale etiam contrà ſolam legem naturalem. eod. c. 3. n. 32. p. 446
Ad vincendas collectivè ac diù omnes tentationes leves: item ad ſingulas graves & ſermo eſt de neceſſitate morali. eod. c. 3. n. 59. p. 452. & c. 2. n. 6. & 17. p. 430.
Gratiæ actualis neceſſitas in ordine ad ſupernaturalia eſt eadem in juſto ac in peccatore. t. 5. l. 2. c. 4. n. 16. & 22. p. 456
Gratia actualis diverſe à gratia revelationis tùm ex parte voluntatis, tùm maximè ex parte intellectus neceſſaria eſt ad fidem ſupernaturalem ac ſalutarem: item ad quemlibet actum ſupernaturalem in ſubſtantia. eod. c. 4. à n. 11. ad 17. p. 455
Ad obſervandum etiam ſolùm quoad ſubſtantiam quodlibet præceptum ſupernaturale poſitivum de actu interno. eod. c. 4. n. 22. & 25. p. 457
Inſuper ad præceptum negativum non directè conſideratum, ſed ea ratione, quâ indirectè poteſt eſſe ſupernaturale. eod. c. 4. n. 27. & 30. p. 459
Idem procedit circà præceptum quodlibet de opere externo. eod. c. 4. n. 31. p. 460
Gratia actualis neceſſaria ad vitationem omnium venialium collectivè regulariter non conceditur: eſt ſpecialior gratia neceſſaria ad vitationem lethalium; & conſiſtit in majori cumulo, majorique frequentia auxiliorum. t. 5. l. 2. c. 3. n. 36. & 39. p. 446
Gratia actualis neceſſaria ad finalem perſeverantiam effectivam, & in actu exercito, etiam non diuturnam, eſt gratia ſpecialiſſima contradiſtincta à communibus auxiliis juſtorum. eod. l. 2. c. 5. n. 8. & 12. p. 465
Talis gratia eſt ſpecialiſſima, non quia ſit major entitativè ſed quia eſt magis indebita: fuiſſet neceſſaria etiam homini in ſtatu innocentiæ; fuit item neceſſaria Angelis in via. eod. c. 5. n. 16. 17. & 18. p. 467
Cum hoc ſtat ad finaliter perſeverandum dari gratiam majorem ac potentiorem homini lapſo, quàm homini innocenti, aut Angelo. eod. c. 5. n. 10. & 21. p. 468
Gratia actualis neceſſaria ad actus ſalutares eſt proxima ratio inæqualitatis ipſorum; & in aliquo ſenſu eſt relata ad ipſos tota ratio agendi, in aliquo alio non. t. 5. l. 4. c. 7. n. 35. & 37. p. 593. & l. 2. c. 6. n. 14. p. 473
Gratia Chriſti, ſivè habitualis, ſivè actualis ſit, eſt extrinſecè, non intrinſecè perfectior gratia Dei, nec illa ex ſe præcisè ad majus meritum conducit, quàm conduceret gratia Dei. t. 5. l. 4. c. 7. n. 9. & 11. p. 586
Gratia de facto collata Angelis poſt lapſum fuit gratia Dei. t. 3. l. 5. c. 4. n. 52. p. 219
Eſt verò gratia Chriſti illa omnis, quæ de facto datur in natura humana reparata, quamvis non propter illam omnem obtinendam Chriſtus fuerit mortuus. t. 5. l. 2. c. 1. n. 25. & 26. p. 426
Gratia prima, ſivè habitualis, ſivè actualis neque de potentia abſoluta poteſt cadere ſub meritum; illa quidem condignum, iſta nec ſub congruum. t. 5. l. 4. c. 8. n. 15. 16. & 18. p. 602
Prima tamen infuſio reliquorum habituum poteſt de potentia abſoluta, quamvis non de ordinaria, cadere ſub meritum etiam condignum. eod. c. 8. n. 19. p. 603
Gratiam ad ſingulos actus dari procedit de gratia actuali relatè ad actus ſalutares, ſeu ſupernaturales. t. 5. l. 2. c. 6. n. 7. p. 472

H

Habitus aliquis ut perſeveret non eſt neceſſe, quod poſſit ad omnes ſuos actus inſervire. t. 5. l. 3. c. 1. n. 68. p. 489
Habitus malitiæ ſeu moraliter malus per nullam potentiam poteſt à Deo infundi. t. 3. l. 3. c. 5. n. 4. p. 230
Habitus luminis in patria eſt cauſa majoris vel minoris intenſionis actus viſionis; habitus verò infuſi in via non ſunt cauſa majoris vel minoris intenſionis propriorum actuum. t. 5. l. 4. c. 7. n. 36. p. 606
Habitus infuſi ſunt qualitates mortuæ, non principia vitalia. t. 5. l. 2. c. 4. n. 20. p. 457. & l. 3. c. 5. n. 15. p. 477
Augentur per proprios actus moraliter non phyſicè, & cur. t. 5. l. 4. c. 8. n. 7. & 8. p. 600
Augeri poſſunt per actus remiſſiores, item per actus alienos, non ſic habitus acquiſiti & cur. t. 5. l. 4. c. 7. n. 18. & 22. p. 588. & c. 8. n. 7. p. 600
Habitus virtutum infuſarum poſſunt produci, tanquam à cauſa phyſica principali, ab aliqua entitate create; non ſic habitus gratiæ & cur. t. 5. l. 3. c. 2. n. 11. p. 494
Illi producuntur per alterationem, iſte per generationem. eod. c. 2. n. 25. p. 498
Habitus ſcientialis in Angelis quid ſit ſecundum Henricum. t. 3. l. 2. c. 1. n. 12. & 20. p. 67. 69
Henrici Gandavenſis de formali beatitudine opinio latè explicata. t. 4. l. 2. c. 3. n. 3. p. 286
S. Hilarion morti proximus dubius eſt & pavidus de propria ſalute. t. 5. l. 3. c. 3. n. 27. p. 516
Hierarchia in Angelis quid & quotuplex? t. 3. l. 1. c. 3. n. 19. p. 33
Hierarchia Eccleſiaſtica non infert diverſitatem ſpecificam, ſicuti infert Hierarchia Angelica. eod. c. 3. n. 35. p. 37
Homines nullum habent præceptum ordinandi virtualiter omnia in Deum. t. 4. l. 1. c. 2. n. 22. p. 258
In quolibet ſtatu ſibi connaturali ſunt magis capaces felicitatis, quàm miſeriæ. eod. l. 1. c. 3. n. 13. p. 274
Homines probabiliter ſunt plures, quàm ſpecies rerum materialium; pauciores quàm Angeli, imò etiam quàm ſoli Angeli beati. t. 3. l. 5. c. 3. n. 6. 12. & 13. p. 400. & 9.
Homines beati ſunt pauciores, quàm Angeli damnati. eod. c. 3. n. 11. p. 401
Humilitas ex vi nominis quid? Non reſpicit eſſentialiter objectum relatum ad alios. t. 3. l. 3. c. 4. n. 22. p. 244

I

Janſenius cum nonnullis Sectariis antiquioribus negavit omnem gratiam ſufficientem. t. 5. l. 1. c. 3. n. 43. & 55. p. 408. 410

Ianſenij circà gratiam quinque propoſitiones damnatæ. eod. l. 1. c. 1. n. 10. p. 286

Ignis inferni eſt ejuſdem rationis cum noſtro, & quoad prædicatum corporei non poteſt id negari ſine periculo cenſuræ: differt quoad aliqua accidentia, & incorporeus dici poteſt quatenùs pabulo corpulento non alitur. t. 3. l. 3. c. 5. n. 19 20. & 21. p. 234

Ignis in dæmones & animas damnatas tortura ab aliquibus exiſtimatur ſciri non poſſe in quo conſiſtat. eod. c. 5. n. 24. p. 235. Conſiſtit aliqualiter in alligatione ad ipſum, tùm tanquam ad locum, tùm tanquam ad objectum. eod. c. 5. n. 26. 27. p. 236. & 37. At non totaliter, nec principaliter: conſiſtit verò principaliter in productione qualitatis doloriferæ ſpiritualis ab igne obedientialiter provenientia. eod cap. 5. n. 35. p. 237. & 45. p. 240. Hæc qualitas præternaturalis eſt, non ſupernaturalis in ſubſtantia: habet ſpecialem affinitatem cum combuſtione: nihil ex dæmonibus expellit. eod. c. 5. n. 51 & 52. p. 241

Ignorantia poſitiva, privativa, negativa quid. t. 4. l. 3. c. 1. n. 24. & 27. p. 459

Illapſus ſecundùm Thomiſtas quid? t. 3. l. 1. c. 2. n. 30. p. 17

Illapſus unius creaturæ in aliam non importat præcisè coëxiſtentiam localem. t. 3. l. 2. cap. 5. n. 73. p. 169

Illapſus Dei in animam quid? eod. l. 2. c. 1. n. 7. p. 66

In animas beatorum non fit ullus ſpecialis illapſus; & quando fieret, non eſſet in eo collocanda formalis beatitudo. eod. c. 1. n. 6. p. 66

Fit duntaxat ſpecialis illapſus in beatorum intellectum. eod c. 1. n. 17. p. 68

Illuminatio Angelorum. Vide Angelorum illuminatio.

Imago virtualis poteſt eſſe plurium diverſorum, ſecùs imago formalis. t. 3. l. 2. c. 1. n. 62. p. 79

Imagini in ſacra Scriptura aliquandò tribuitur nomen exemplaris. t. 3. l. 1. c. 4. n. 13. p. 53

Impaſſibilitas beatorum. Vide, dos impaſſibilitatis.

Impetratio quomodò differat à merito: aliquandò ſumitur pro merito congruo, quamvis eo latiùs pateat. t. 5. l. 4. c. 6. n. 14. p. 566. & c. 9. n. 9. 10. & 12. p. 614

Impoſſibile aliud per ſe, aliud per accidens tale: Quomodò utrumque poſſit à creata voluntate intendi? t. 3. l. 3. c. 4. n. 27. & 29. p. 222

Impulſus projectis impreſſus quomodò deficiat? t. 3. l. 1 c. 2. n. 66. p. 27

Incarnationis myſterium aut ab initio, aut nullatenùs revelatum fuit Angelis in via. t. 3. l. 3. c. 2. n. 17. p. 209. & c. 4. n. 43. p. 226

Incarnatio de potentia abſoluta fuit ordinabilis ad redemptionem aliquorum, non omnium hominum. t. 5. l. 1. c. 3. n. 92. p. 418

Incorruptibile & incorruptibilitas ſumitur multipliciter. t. 3. l. 1. c. 2. n. 4. p. 10. & 47. p. 22

Incorruptibilia non ſunt omnia immultiplicata numero. eod. l. 1. c. 3. n. 40. p. 38

Indifferentia determinari poteſt, tùm formaliter, tùm efficienter. t. 3. l. 2. c. 5. n. 30. p. 160

Individualis differentia potiùs eſt ſumenda à forma, quàm à materia; in quo ſenſu, & cur dicatur materialis? t. 3. l. 1. cap. 3. num. 49. & 50. p. 41

Individualis ordo in quo ſenſu dicatur ordo per accidens? eod. c. 3. n. 44. p. 39

Individualis multiplicationis quænam ſint cauſæ. eod. c. 3. n. 43. p. 39

Individualis multiplicationis, & individuationis principium in rigore diverſa ſunt: illud aliud ordinarium, aliud extraordinarium. eod. c. 3. n. 78. p. 49

Individuatio quid. eod. c. 3. n. 43. p. 39

Individuationis principium ſumitur tripliciter: Non debet eſſe realiter diſtinctum à principio differentiæ ſpecificæ: non habetur à ſola materia. eod. c. 3. n. 46. 47. 48. & 51. p. 40. Quid in hac re ſenſerit D. Thomas? eod. c. 3. n. 70. p. 46

Individuum aliud logicum, aliud metaphyſicum. eod c. 3. n. 53. p. 42

Individua rerum materialium quædam ſunt diſtincta per ſe, quædam per accidens. eod. c. 3. n. 57. p. 52

Indiviſibile poſſit ne moveri motu continuo? t. 3. l. 2. c. 5. n. 78. p. 171

Indiviſibilitas puncti eſt omninò diverſa ab indiviſibilitate ſpiritus etiam quando ſpiritus exiſtit in puncto loci: Prima indiviſibilitas ex imperfectione, ſecunda ex perfectione provenit. eod. c. 5. n. 34. p. 160. & 52. p. 165

Infideli cuilibet etiam ſolùm negativè tali proviſa ſunt auxilia ſufficientia ad comparandam fidem. t. 5. l. 1. c. 3. n. 74. p. 414. & 80. p. 416

Innocentes infantes occiſi pro Chriſto quomodò ſine morte meritoria fuerint acceptati ad martyrium. t. 5 l. 4. c. 6. n. 45. p. 574

Inſeparabilitas præſertim naturalis non eſt ſufficiens argumentum identitatis. t. 5. l. 3. cap. 2. n. 61. p. 488

Integritas naturæ humanæ. Vide, ſtatus naturæ integræ.

Intellectualis ſubſtantia ut talis non poſtulat unionem ad corpus: nec poteſt hanc poſtulare ob ſolum motum localem. t. 3. l. 1. c. 2. n. 17. p. 13. & 20. p. 14

Intellectualis ſubſtantia ſimplex petit eſſe æterna magis, quàm intellectualia ſubſtantia compoſita. eod c. 2. n. 60. & 61. p. 25

Intellectus non poteſt habere naturaliter aſſenſum certum & infallibilem, qui non ſit evidens. t. 5. l. 2. c. 4. n. 15. p. 456. Nullatenùs poteſt elicere actum ullum materialem. t. 3. l. 1. c. 4. n. 37. p. 61

Intellectus eſt indifferens ad verum in individuo, non ad verum in ſpecie, nec poteſt in falſum tendere niſi per accidens. t. 5. l. 2. c. 1. n. 4. & 5. p. 421. Intellectus humanus aliquandò fallitur per ſe; Angelicus ſolùm per accidens & cur? t. 3. l. 2 c. 3. n. 41. & 42. p. 131

Intellectus agens multipliciter ſumitur, quid propriè ſit? eod. l. 2. c. 1. n. 83, p. 84. Eſt perfectio ſupponens imperfectionem. eod. cap. 1. n. 85. p. 84. Non datur in Angelis. eod. c. 2. num. 84. p. 84

Intellectum eſſe in omnibus eundem numero fuit error Averroiſtarum. t. 3. l. 1. cap. 3. n. 70. p. 46

Intellectuum ſpecifica diverſitas ubi reperiatur. t. 3. l. 2. c. 1. n. 88. & 90. p. 85

Intelligere in quonam ſenſu ſit quoddam pati? t. 4. l. 2. c. 2. n. 37. p. 294

Intenſio qualitatum ſupernaturalium non fit per gradus

gradus indiviſibiles. t.5.l.4.c.7.n.34. p.593
Invidia eſt ſoboles ſuperbiæ ; fuit reperta in malis Angelis, at non ut peccatum primum. t.3. l.3.c.4.n.7.& 8. p.218
S. Ioannes Baptiſta non fuit immunis ab omni veniali ſimpliciter, benè tamen in aliquo determinato genere. t.5 l.2.c.3.n.43.& 44.p.448
Iuſtificatio eſt effectus gratiæ prius quàm meritum. t.5.l.4.c.1.n.1. p.518
Iuſtificatio poſitiva comparativè ad negativam dici poteſt effectus gratiæ primarius, at non eſt in re primarius ſimpliciter. eod. l.4.c.4. n.48. p.549
Iuſtificatio negativa eſſe poteſt ſine poſitiva, non èconträ. Divinitùs utraque fieri poteſt abſque omni actu peccatoris. eod. c. 4. n. 20. p.542. & 80. p.557
Iuſtificatio conſtituit ſtatum. eod. l.4 c.2. n.14.
Sumi poteſt ſecundum perfectionem vel formalem & primariam, vel integralem & ſecundariam. eod. c 2.n.10. p.528
Habet tres gradus, in quorum prima eſt ſola habitualis gratia ; in ſecundo ſola viſio beata, & habitus luminis ; in tertio omnis actus & habitus ſupernaturalis. eod.l.4.c.4.n.40.p.547
Iuſtificatio noſtra poſitiva non fit formaliter aut per juſtitiam Chriſti imputatam, aut per juſtitiam Dei inhabitantem, ſed per formam nobis inhærentem, & quidem phyſicè, hocque quoad de facto eſt fidei veritas. eod.l.4.c.2.n.2. & 5. p.524
Eſt item fidei veritas, quòd talis forma ſit permanens, dum juſtificamur in Sacramento cum attritione aut ante uſum rationis, quamvis quoad hunc poſteriorem modum cœperit eſſe de fide ſolum poſt Tridentinum. eod.c.2.n.7.& 9. p.525
Quòd ſit permanens, quando juſtificamur extrà Sacramentum, non eſt adeò certum ; at negari nequit ſine cenſura. eod.c.2. n.10. & 11.
Talis forma juſtificans de facto eſt unica, eſt item habitus ſimplex & unicus, iſque non indigens favore extrinſeco. eod. c.2. n. 18. 20. 23. 29. p.527. &c.
Iuſtificatio noſtra poſitiva cum ea perfectione, quâ habetur de facto, nec de potentia abſoluta haberi poteſt per habitum ſimpliciter alium à gratia. t.5.l.4.c.4.n.35. p.546
Cum aliqua verò minore perfectione haberi poteſt aut per aliquid aliud à gratia. eod. c.4. n.37. p.547
Aut per formam ſolùm moraliter inhærentem. t.5.l.4.c.2.n.5. p.524
Aut per formam extrinſecam & hæc forma extrinſeca poſſet eſſe ipſamet gratia habitualis. eod.l.4.c.4.n.2.4.p.538. & 11. p.540
In quonam hæc juſtificatio per formam extrinſecam differret ab ea Sectariorum per juſtitiam Chriſti. eod c.4.n.7. p.539
Iuſtitia & Iuſtificatio habent acceptiones & ſignificationes varias : ſunt item varij circà eamdem errores. eod.l.4.c.1.à n.2.ad 8. p.518
Iuſtitia legis & juſtitia ex lege quomodo differant ſecundum Auguſtinum ? eod.c.1 n.18. p.512
Iuſtus quam certitudinem habere poſſit de ſua juſtitia, ſeu exiſtentia in gratia ? t 5 l.5.c.3. à n.12. ad 30. p.512. & ſeqq. *Vide* Certitudo.

L

LEctio continet Perſonas 6666. t. 3. l. 1. c. 2. n.12. p.12
Lex naturalis poteſt obſervari virtuosè, ſalutariter, ſtabiliter : Item aut quoad ſubſtantiam, aut quoad modum ; & hæc obſervantiæ diſtinctio nequit ſine cenſura negari, quamvis fuerit à Bajo negata. t.5.l.2.c.2.n.50. p.457
Liberum aliud tale formaliter, aliud tale eminenter : hoc ſecundo modo liberi ſunt actus beatifici. t.4.l.1.c.1.n.3. p.253
Liberum omne quomodo debeat reſolvi in neceſſarium. eod.c.2. n.15. p.257. & eod. t.4. l.3. c.1.n.57.
Libera operatio non poteſt eſſe operatio omninò prima, poteſt tamen eſſe in primo inſtanti productionis ſui principij. t.3. l. 3. c.1. n.54. & 56. p.196
Vt ſit perfectè deliberata non prærequirit diſtinctum actum voluntatis deliberantis. eod. c.1.n.57. p.196
Libertas quandonam ex perfectione, quando ex imperfectione proveniat. t. 4. l. 1. c. 2. n. 3. p.253
Libertas actus voluntatis requirit judicium indifferens aut formale, aut virtuale. t.4.l.3.c.2. n.20. p.546
Libertas tùm contrarietatis, tùm contradictionis, ſeu tùm ſpecificationis, tùm exercitij explicatur. eod. c.2.n.4. p.542
Libertas exercitij in voluntate creata ex duplici capite ceſſare poteſt : datur etiam circà beatitudinem in communi, ſeu bonum cognitum ſub pura ratione boni. t.4.l.1.c.2.n.12. p.299
Libertas amoris beatifici qualis ſit juxtà Scotum. t.4.l.3.c.2.n.3. p.341
Libertas ad meritum requiſita. *Vide* Meritum : Non poteſt illa in Angelis pro primo inſtanti ſuſtineri ſine libertate ad peccandum. t. 3. l.3. c.1.n.58. p.197
Linguas ceſſare in patria quomodo ſit intelligendum. t.4.l.3.c.4.n.53. p.377
Locabilitas dividi poteſt in intenſivam & extenſivam. t.3.l.2.c.5.n.37. p.161
Locus intrinſecus poteſt ſumi dupliciter. eod.c.5. n.23. p.158
Non dicit eſſentialiter ullam extenſionem ſeu diviſibilitatem. eod.c.5.n.60. p.167
Locus diviſibilis neque etiam ut correſpondens mobili diviſibili petit eſſentialiter acquiri ſucceſſivè. eod. c.5.n.110. p.176
Loca diſtantia ex ipſa oculorum experientia important ſpatium intermedium. eod. c.5. n.28. p.159
Loci unitas ſalvatur in pluribus locis etiam diſtantibus, dummodo hæc ſint inadæquata. eod. c.5.n.60. p.167
Locutio in genere quid, & quænam præcipuè ipſius conditiones. t. 3. l. 2. c. 4. n. 44. & 51. p.143
Non ſemper fit ad communicandum aliquid audienti. eod.c.4.n.60. p.147
Locutio creaturæ rationalis cum Deo quomodo fiat ? eod. n.60. ibid.
Locutio inter Angelos quomodo fiat ? *Vide* Angelorum Locutio.

Lucifer quomodo ſit principium viarum Dei? t. 3. l. 1. c. 1. n. 20. Quomodo appetierit in Cœlum conſcendere? eod. c. 1. n. 31. p. 72
Quomodo fuerit aliorum Angelorum ſeductor? t. 3. l. 3. c. 4 n. 53. p. 229

Lumen gloriæ ſi eſſet, ut eſſe poteſt, etherogeneum, non eſſet tale etherogeneitate ſpecifica. t. 5. l. 3. c. 1. n. 73. Non ſanctificat æquè perfectè ac gratia, conſtituit tamen Dei amicum ac hæredem & abſtergit peccatum. t. 5. l. 4. c. 4. n. 37. p. 490
Cum quo tamen habet repugnantiam minorem, quàm viſio. t. 4. lib. 2. c. 3. num. 87. p. 326

Lumen gloriæ eſt dos tùm viſionis, tùm comprehenſionis ſub diverſa ratione. t. 4. l. 3. c. 3. n. 14. p. 538
Eſt viſione perfectiur entitativè, non beatificativè. t. 4. l. 1. c. 1. n. 46. p. 295
Infert illapſum Dei in intellectum, non in ſubſtantiam animæ; non conſiſtit tamen in tali illapſu beatitudo. eod. cap. 1. n. 9. & 17. p. 28-. 289

Lumen intellectuale naturale non diſtinguitur ab intellectu. t. 3. l. 2. c. 1 n. 86. p. 84

Lutherani & Calviniſtæ circà gratiam errarunt accedendo partim ad Pelagianos, partim ad Manichæos. t. 5. l. 1. c. 1 n. 28. p. 385

Lux glorioſorum corporum nequit naturaliter videri ab oculo non glorificato, & ad eam videndam oculus glorificatus ipſamet luce glorioſâ elevatur. t. 4. lib. 3. cap 4. n. 39. & 40. p. 374
Quilibet beatus poteſt eam aut occultare cæteris beatis, aut manifeſtare viatoribus; ex providentia tamen Dei extrinſeca, non ex natura rei. eod. n. 40. p. 374

M

Magiam dæmoniacam dari non conſtat evidenter: Magiæ opera in quas cauſas refundi poſſint. t. 3. l. 2. c. 1. n. 13.

Manichæi circà gratiam habuerunt errorem oppoſitum Pelagianis, nimis ſcilicet depreſſerunt arbitrium, quod Pelagiani nimis extulerunt: cum Pelagianis quoad hoc ſenſerunt Priſcillianiſtæ. t. 5. l. 1. c. 1. n. 27. p. 385

Martyr non habet certitudinem proprij martyrij quod verum ſit: nec item utrùm per martyrium gratia conferatur antè mortem, an in ſolo inſtanti mortis? t. 5. l. 3. c. 3. n. 31. p. 516

Martyri in voto non debetur martyrij Aureola; utrùm debeatur occiſis pro Chriſto antè uſum rationis? controvertitur. t. 4. l. 3. c. 3. n. 25. p. 360
Non debetur item militibus occiſis ab Infidelibus in pugnâ, nec mortuis in obſequio peſte laborantium. eod. n. 25. Debetur verò lethaliter pro Chriſti fide vulneratis etiamſi deindè mors miraculosè impediatur: item occiſis antè Chriſti adventum, pro religione tamen & fide Chriſti implicitâ. eod. c. 3. n. 26. & 27. p. 361

Martyrium quid? eod. c. 3. n. 24. p. 360

Martyrium in re quid conferat ampliùs, quàm efficax martyrij voluntas. t. 5. l. 4. c. 7. n. 55. p. 598

Materia accipitur dupliciter. t. 3. l. 1. c. 3. n. 47. p. 40
Non eſt ipſa ſola principium individuationis. eod c. 3. n. 46. p. 40
Non infert neceſſariò corruptibilitatem ſui compoſiti eod. l. 1. c. 2. n. 37. p. 19
Poteſt non conferre ad ejuſdem operationem. eod. c. 2. n. 38. p. 19
Vbicumque materia datur, dari potentialitatem quomodo intelligatur? eod c. 2. n. 45. p. 21

Materia non corporea poteſt excogitari dupliciter. t. 3. l. 1. c. 2. n. 22. p. 15
Ea quæ de facto datur in rebus corporeis non eſt indifferens ad eſſe ſpirituale & eſſe corporeum, nec poteſt ſpiritualizari; probabiliter tamen dabilis eſt materia ejuſdem rationis cum ipſâ quæ ſpiritualizari poſſit; vel ſanius conſilium eſſet abſtinere ab hac materia dirimenda. eod. c. 2. n. 24. 27. & 29. p. 15. &c.

Materia ſpiritualis non repugnat; materiæque diviſio in primam & ſecundam non ſolùm in corporalibus, ſed & in ſpiritualibus admitti poteſt. eod. c 2. n. 34. & 35. p. 18

Materia ſpiritualis poteſt eſſe perfectior forma corporea: poteſt conferre ad intellectionem: ſi daretur in Angelis, ipſos juxta D. Thomam redderet immultiplicabiles ſpecie. eod. cap. 2. num. 36. & 38. pag. 18. & c. 3. n. 76. p. 48

Memoria ab aliquibus ponitur eſſe eſſentialiter reflexiva t. 3. l. 2. c. 2. n. 125. p. 114

Memoria intellectiva reperitur in Angelis; & ſpecies memorativæ producuntur neceſſariò ab actibus, quos Angeli eliciunt. eod. c. 2. n. 110. p. 113

Medium communicans & medium non communicans in ordine ad locum quid? t. 3. l. 2. c. 5. n. 95. p. 175

Meritum accipi poteſt in malam partem, à Scholaſticis tamen accipi ſolet in bonam. t. 5. l. 4. c. 5. n. 1. p. 559

Meritum in bonam partem acceptum definitur multipliciter eod. c. 5. n. 2. p. 559
Dividitur in naturale & ſupernaturale; condignum & congruum. eod. c. 5. n. 4. & 5. p. 5.0
Non rectè aſtruitur meritum dignum, medium inter congruum & condignum. eod. c. 5. n. 12. p. 562

Non rectè inducitur meritum ſolvendum ſeu recompenſativum & in ſpe, aut conſideratur in intentione; eſt enim hoc cauſa finalis, non meritoria; finis, non meritum. eod. l. 4. c. 8. n. 12. & 13. p. 601

Meritum & præmium debent eſſe reſpectu ejuſdem ſumpti ut quod, non reſpectu ejuſdem ſumpti ut quo. t. 4. l. 2. c. 2. n. 54. p. 308

Meritum & demeritum poſſunt eſſe ſimul per diverſum at non per eundem actum. t. 5. l. 4. c. 6. n. 54. & 56. p. 577

Meritum ex genere ſuo contentum eſt præcedere præmium natura. t. 3. lib. 3. c. 3. num. 12. p. 224
Et dummodo natura præcedat, poteſt eſſe ſuo præmio poſterius tempore quamvis nequeat demeritum eſſe tempore poſterius ſua pœna. t. 5. l. 4. c. 8. n. 20. & 21. p. 603

Meritum in ratione cauſæ comparatur quadrupliciter ad præmium: ſalvatur in actu primo proximo conjunctionis cum præmio etiam ſine conjunctione

conjunctione ipſa actuali. eod. l.4. c.6. n. 33. p.571

Meritum creaturæ apud Deum eſſe poteſt verum ac proprium, imò & condignum. eod. l.4. c 5. n.7. & 11. p.562

Meritum condignum non eſt neceſſariò meritum ex juſtitia. eod c.5. n.6. p.561

Conſiſtit in indiviſibili quoad ſpeciem, non quoad gradus. eod. l 4. c.7. n.2. p.585

Meritum magis condignum non eſt idem, ac meritum majus condigno aut ſupra condignum. eod.c.7.n.6. p 586

Meritum condignum apud Deum penſatur ex ſubjecto magis, quàm ex objecto. eod.l.4.c 6. n.19. p.568

Attenditur penes intrinſecam perfectionem operis, nec eſt ut pecunia, cujus valor augeri poteſt per voluntatem extrinſecam. eod. c. 6. n.26 p.569

Vnde etiam meritum ex ſe non condignum nec de potentiâ abſolutâ poteſt fieri condignum ex acceptatione divinâ. eod. c. 6. n. 45. p 574

Meritum condignum apud Deum requirit ex naturâ rei & ab intrinſeco, imò eſſentialiter ſtatum gratiæ & ſanctitatis. eod. c.6. n.16.& 21. p.567

Requirit ex ordinatione divinâ, congruentiſſima tamen, ſtatum viæ. eod.c.6. n.25.p.564. & 12. p.566

Extra viam meritum non deficit ex non ordinatione ad præmium, ſed ex ordinatione ad non præmium. eod.c.6.n.40. p.573

Requirit aliquam operis arduitatem, ſeu difficultatem, & quamnam. eod. c.6 n.10. p.565

Requirit actum poſitivum nec poteſt ſalvari in purâ omiſſione. eod. c.6. n.79. p.583

Requirit bonitatem moralem ac honeſtam, & ſupernaturalitatem, ad quam non ſufficit elici aut præcisè ab habente gratiam, aut ex auxilio actuali ſupernaturali quoad modum. eod. c.6. n.53. 57. & 59. p.577

Requirit libertatem indifferentiæ, plenam ac perfectam, & provenientem a voluntate propriâ formaliter. eod. c.6.n.43.46.& 49. p.574

Meritum condignum apud Deum non requirit contemptum temporalis commodi. t.5.l.4.c.6. num.8. p.565

Non ordinationem extrinſecam ſeu promiſſionem Dei, quamvis hæc de facto pro noſtro merito detur. eod. c.6. n.27. p. 570. & 34. 38. & 41. p.572

Non certam & determinatam intenſionem actus, neque abſolutam, neque reſpectivam. eod.l.4.c.7.n.13.& 18. p.587. Non imperium charitatis nec actuale nec virtuale, & in aliquo ſenſu nec habituale. eod.l.4.c.6.n.70. p.580

Meriti condigni materies & objectum eſt augmentum gratiæ & gloriæ, nec poteſt oppoſitum aſtrui ſine cenſura. eod. l.4.c.8. n.2. p 599

Item regulariter loquendo augmentum omnium virtutum infuſarum. eod.c.8.n.4. p.599

Quoad primam gloriam & primam gratiam. *Vide* Gloria prima. Gratia prima.

Meritum unius puri hominis pro alio nec de potentiâ abſolutâ poteſt eſſe condignum. eod.c.8. n.51. 52. & 55. p.611

Meritum majus poteſt ſumi ut diverſum à merito majoris præmij, ſumptum pro eodem non habetur apud Deum ex majori habituali gratia præcisè. t.5.l.4.c.7.n.1.& 2. p 584

Non ex eo quod gratia, ex quâ procedit, ſit gratia Chriſti. eod. c.7. n.9. p.586

Non ex externâ executione operis. eod. c. 7. n.53. p.597

Habetur verò ex majori perſeverantiâ operis meritorij. eod. c.7. n.40. p.594

Item ex majori actus intenſione proveniente ex majori gratiâ actuali. eod. c.7. n 29. & 35. p.591

Meritum actus imperati externi non eſt diſtinctum à merito actus imperantis; benè verò eſt diſtinctum meritum actus imperati interni. eod. c.7. n.53. & 59. p.5·7

Actus virtutum moralium eliciti ex imperio virtutum infuſarum non habent meritum diſtinctum à tali imperio. t. 5. l. 4. c. 6. n. 7. p.579

Nullus actus meretur tot gradus gratiæ quot habet in ſe gradus intenſionis. eod. l 4. c.7. n.31. p.592

Meritum congruum non eſt dicendum meritum latè & impropriè tale: negari apud Deum non poteſt ſine cenſura eod. l.4 c.9 n. 1 & 6. p 6 2

Potiſſima ipſius differentia à condigno eſt inæqualitas cum præmio eod c.9. n. 7. p. 613

Meritum congruum non requirit ſtatum gratiæ nec Dei promiſſionem. eod. c. 9. n. 3. & 4. p.612

Requirit verò ſtatum viæ, & ex parte operis libertatem, bonitatem, ſupernaturalitatem, & rationem poſitivi. eod. c.9 n.2. & 11. p.612. 614

Meritum congruum actus charitatis in peccatore obtinet infallibiliter gratiam. eod. c. 9. n. 13. & 21. p.614 616

Meritum hominis conſtituti in gratia non poteſt eſſe congruum in ordine ad præmium eſſentiale. eod. l.4. c.7. n.4. p 585

Meriti congrui materies & objectum ſingillatim expenduntur. eod. l.4.c.9. à n.14. ad 24. p.615. & ſeqq.

Meritorum retributio eſt de facto in Deo actus tùm fidelitatis, tùm juſtitiæ remunerativæ: poſſet tamen eſſe actus ſolius remunerativæ juſtitiæ. eod. l.4. c.6 n.42. p.573

Meritum actuum remiſſiorum confertur ſtatim augmentum gratiæ & cæterorum habituum. eod. l.4. c.7. n.18. p. 588. & c. 8. n. 4. & 9. p.599. & 601

Meritorum mortificatio & reviviſcentia dicitur ſolùm de condignis, non de congruis. eod.l 4. c.10. n.2.& 3. p.618

Merita mortificata reviviſcunt in qualibet juſtificatione quoad totum præmium eſſentiale antecedenter debitum. eod.c.10.n.10. p.620

Tale præmium quatenùs importat gratiam habitualem confertur ſtatim etiam quoad gratiam antecedenter habitam ſine meritis, idque nec ex miſericordia nec rigorosè ex juſtitiâ, benè tamen ex natura rei. eod. c. 10. n. 15. 17. 21. & 22. p.621. & ſeqq.

Gratia reviviſcens non eſt eadem numero quæ præerat antè mortificationem; habet tamen tot, quot illa gradus; vel formaliter, ſi gradus ſuſtineantur homogenei, vel æquivalen-

ter ſi etherogenei. eod. c. 10. n. 17. & 18. p.613
Gratia per ſe reviviſcens comparata ad gratiam juſtificantem, vl cujus reviviſcit.
Merita mortificata poſſunt aliqualiter reviviſcere etiam in juſtificatione purè negativâ. eod. c. 10. n. 30. p.624
Merita in ſtatu viæ nunquam ſunt mortua, talia ſunt duntaxat in ſtatu damnationis. eod. c. 10. n. 31. p.624
Merita mala non reviviſcunt, ſeu non redeunt in juſti relapſu. eod. c. 10. n. 31. p.614
Miraculum verum quid requirat & quomodo à falſo diſcernatur. t.3.l.1.c.4.n.55.& 56. p.63
Mobile in motu ſucceſſivo, non in inſtantaneo occupat ſpatium majus ſe, ſeu majus, quàm in quiete. t.3.l.2.c.5.n.91. p.144
Montes viſi à longè cur appareant Cœlo propinqui. eod.c.5.n.99. p.176
Morale quomodo fundetur in phyſico. t.5.l.1.c.2. n.51.p.391.& l.4.c.4.n.61.& 66. p.552
Moralis impotentia poteſt eſſe major, vel minor, & aliqua eſt impotentia ſimpliciter. t.5. l.2.c.3.n.60. & 61. p.452
Moralis impotentia vitandi peccatum non ſemper excuſat à culpa. eod. c.3.n.62. p.453
Motus localis eſt ſucceſſivum complexum mobilis cum diverſis locis t. 3. l. 2. c.5. n. 106. p.178
In quo differat à ſimplici mutatione. eod. c.5. num.83. p.173
Dividitur in per ſe; & per accidens; continuum & diſcretum. eod. c. 5. à n. 75. ad 80. p.170. & ſeqq.
Motus ad locum diſtantem eſſentialiter requirit tranſitum per medium. eod. c.5. n.98. & 101. p.176
Motus inſtantaneus nec velocitatem, nec tarditatem propriè admittit. eod. c. 5. num. 114. p.180
Motus in vacuo non neceſſariò fieret in inſtanti. eod.c.5.n.91. p.174
Motus diſcretus ex parte ſpatij repugnat. eod.c.5. n.104. p.177
Motus organicus & inorganicus; progreſſivus & delativus quid? t.4.l.3.c.4.n.20. p.370
Motus velocitas, non verò tarditas infert perfectionem potentiæ locomotivæ. t. 3. l. 2. c. 5. n.114. p.180
Motus proveniens à virtute finita, quæ ſucceſſivè non augeatur, nequit in infinitum velocitari. eod. c.5. n.116. p.180

N

Natura ex genere ſuo abſtrahit à ſubſtantia & accidente. t.5.l.3.c.1.n.10. p.478.
Diſtinguitur realiter à virtute. eod. c.1. n.53. p.486
Eſt principium magis univerſale, quàm potentia. eod.c.1.n.59. p.487
Cur natura accidentalis potiùs, quàm ſubſtantialis diſtinguatur realiter à ſuis potentiis. eod. c.1.n.56. p.486
Natura potens acquirere bonum perfectum cum auxilio extrinſeco eſt perfectior potente acquirere bonum imperfectum ſine tali auxilio. t.3.l.1.c.1.n.49. p.75
Natura quælibet creata poteſt abſtrahi à ſingularitate. t.3.l.1.c.3.n.64. p.45
Repugnat ſimpliciter in creatis natura ſolùm multiplicabilis in aliqua determinata individua, aut omninò immoltiplicabilis numero, & quid de hac repugnantia ſenſerit D. Thomas? eod. c.3. n. 57.61. & 75. p.43. & ſeqq.
Natura immultiplicabilis numero eſſet etiam immultiplicabilis ſpecie. Naturæ ſpecie diverſæ poſſint ne eſſe omninò ſimiles & æquales, eſt valdè controverſum? eod. c.3.n.60. p.44
Natura gratiam, amor naturalis ſupernaturalem debet præcedere naturâ, non tempore. t.3.l.3. c.1. n.18. p.187
Natura divina tùm moraliter, & ethicè, tùm phyſicè conſiderata quid? t.5.l.3.c.1. n.7. p.467
Eſt participabilis diverſimodè, at diverſitate ſolum graduali & intenſiva ſi ſumatur formaliſſimè. eod. c.1.n.73. p.490
Quomodo differat ab eſſentia, & in quo utraque ſita ſit? eod. c.1.n.10. p.476
Naturæ humanæ ſtatus varij. *Vide* Status.
Negationes quoad modum ſupernaturales quæ? Non poſſunt ab Angelis cognoſci immediatè, & ut præſentes neq; etiam mediatè cognitione certe naturali. t. 3. l.2. c.2. n. 141. & 144. p.118
Nollibizatio ſimpliciter repugnat. eod. l. 2. c.5. n.119. p.181

O

Objectum ſub formalitate objecti movet tantùm ad ſpecificationem, non ad exercitium actus. t.4.l.3.c.2.n.11. p.344
Objectum materiale non poteſt aut producere ſpeciem intelligibilem, aut immediatè concurrere ad intellectionem. t.3.l.2. c.1. n.25.26. & 36. p.70.73
Objectum ſpirituale poteſt liberè tàm producere ſpeciem, tùm immediatè concurrere ad ſui cognitionem etiam cum principio cognoſcente, cui non inhæreat. eod. c. 1. n.33. p.72. & c.2. n.41. 44.& 46. p.94
Objectum terminativum actus naturalis poteſt eſſe ſupernaturale, non ſic objectum motivum, quamvis hoc ſecundum aliqui docuerint. t.5. l.2.c.4.n.1. p.453
Oculus corporeus non poteſt elicere viſionem ſpiritualem. t.3.l.1.c.4.n.37. p.58
Omiſſio pura non poteſt eſſe meritoria nec merito proprio & intrinſeco, nec denominativo & extrinſeco: nec in ordine ad ſupernaturale, nec in ordine ad naturale præmium: Non poteſt item habere ullam moralem honeſtatem. t.5. l.4.c.6.n.79.81.& 82. p.583
Poteſt eſſe demeritoria. eod.c.6.n.83. p.584
Omiſſio pura quomodo poſſit requirere actualem gratiam, & quomodo urgente gravi tentatione contrà præceptum negativũ poſſit eſſe peccaminoſa. eod.c.6. n.85. p.584. & l.2.c.3. n.27. p.445
Omne quod manifeſtat lumen eſt, non procedit de eo, quod manifeſtat ex parte objecti. t.3.l.2. c.4. n 45. p.243
Omne quod movetur ab alio movetur, quomodo intelligendum in ordine ad motum localem? eod. l.2.c.5.n.75. p.170

Opera

Opera hominis alia nec ad vitam , oec ad mortem pertinentia : alia mortifera ; alia mortua , alia mortificata : alia viva : alia vivificata. t.5. l.4. c.10. n.1. & 2. p.617
Opera otdiois natutalis poſſunt eſſe apud Deom condigoè meritoria bonorum naturalium. eod. l.4.c.9 n.24. p.617
Opeta peccatotis , aut infidelis non omnia ſunt peccata, imò eſt de fide aliqua hujuſmodi opera eſſe bona.t.5.l.2. c.4. n.35.36.& 40. p.460
Operatio incipiens cum eſſe tei poteſt eſſe peccaminoſa, & non ſemper eſt ei ab agente. t.3.l.3. c.1.n.66.& 67. p.199
Opetationes qoædam ſunt ab anima , & ad animam , quædam ab anima, non ad animam. t.3. l.1. c.4. num.45. p.60
Opetatio externa noo cooducit ad majus meritum, niſi occaſionaliter ; conducit tamen per ſe ad majorem ſatisfactionem. t.5. l.4.c.7. n.50.53. & 58. p.596
Otationes & gratiatum actiones quomodo poſſint ad Deum fieri etiam pro donis ſpectantibus ad generalem providentiã.t.5.l.2.c.1.n.7.p.422
Otdo tetum ad cotpora multiplex.t.3.l.1.c.4.n.1. p.49
Ordines Angelorum. *Vide* Angelotum diſtributio.
Organizatio ad animam rationalem reqoiſita,qualis?Non poteſt induci ab Angelo. eod.c.4.n.30. & 31. p.57
Originalis juſtitia quid ? t.5. l.1. c.1. n.3. p.380 *Vide* Status.
Oſtij prætogativam cut ſibi Chriſtus Io.10. ſpecialiter retineat ? t.5.l.2.c.2.n.5. p.427

P

PArs inferior in homine ſubeſt ſuperiori civiliter, non ſerviliter.t.5.l.1.c.2. n.5. p.389
Participate eſt partim capere , partim relinquete. t.5.l.3.c.1.n.15. p 477
Paſſiones hujos temporis non eſſe condignas ad futuram gloriam quomodo verificetor ? t.5.l.4. c.5.n.13. p.562
Pater Ætetnus in eo priori originia , quo generat Filium , eſt beatus cognitione tetminata etiam ad filium. t.4.l.2.c.3.0.43. p.282
Paulus Apoſtolus habuit tres Aureolas;fuit ſcilicet Doctor,Martyt,Virgo.t.4.l.3.c.3.n.30. p.361
Peccabilitas ab intrinieco eſt eſſentialis cuilibet creaturæ intellectuali.t.3.l.3.c.1.n.78. Quomodo ſequatut ad eſſe ex nihilo ? eod. c. 1. n.83. p 203
Peccans lethaliter nõ poteſt præferre Deum creaturæ univerſaliter & perfectè , ſed ſolùm ſub aliqua particulari,imperfectaque ratione inſufficiente ad amicitiam. t 4.l.1.c.2.n.29. p.261. Non habet pro fine ultimo Deum & eſt de fide eod.c.2.n.27. p.260. Habet pro fine ultimo,& quidem poſitivè,creaturam ; intentione tamen intetpretativa & præſumptiva , non formali & primaria.eod.c.2.n.31.& 33.p.261. Talis creatura regulariter loquendo eſt objectum peccati, perſona tamen peccantis eſt finis oltimus cui. eod.c.2.n.56. p.262. & 45. p.264
Peccans lethaliter ſe habet ut recedens à via, peccans venialiter ut morans in via. eod.c.2.0.56. p.267
Peccans venialitet habet aliquo modo , ideſt negativè , cteaturam pro fine ultimo : nec ex eo quod cum veniali permaneat habitus charitatis,veniale ipſum refertur habitualitet in Deũ, eod. c.2. à 0.46. ad 57. p. 264. & ſeqq.
Peccans venialiter debeat ne dici otens, an froens cteatura ; aut neque utens , neque fruens ; ſed abutens multum habet quæſtionis de nooioe. eod.c.2.n.59. p 267
Peecator committens plura peccata ſimul vetè ſibi cooſtituit ioterpretativè & præſumptivè plutes fines ſimplicitet ultimos. eod.c.2.n 64. p.269
Peccatoris cojuſdam obdurati & finalitet impœnitentis iuſigne exemplum. t 5. l.1. c.3. n.68. & 70. p.413
Peccatot nequit ſufficienter ſe diſponere ad juſtificationem per actum imperfectè liberum. t.5. l.4.e.6.n.47. p.575
Peccatum aliquando ſumitur pro fomite ſeu ſurreptione partis inferioris t.5 l.1.c.3.n.83.p.412
Peccatum ſecundum reatum ; & peccatum ſecundum affectum quid?t.3. l.3.c.4.n.4. p.217
Peccatum formalitet tale non poteſt oatura tantùm præcedere æternã.eod.l.3.e.3.n.19. p.214
Peccatum quodlibet quomodò ſupponat defectum aliquem io intellectu, & quomodò talem defectum habere poſſit intellectus creatus in primo inſtanti ſuæ productionis t.3.l.3.c.1.n.61.p.197 In quolibet peccato quomodo malum ſit propoſitum & volitum ſub tatione boni ? eod.c.1. n.64. p.198
Peccatum aliquod poteſt eſſe incompoſſibile cum gratia , aliavè forma ſanctificante non ex propria tatione formali,ſed ex aliqua ratione communi actibus bonis ? t.5.l.4.c.4.n 53. p.550
Peccatum actuale eſt,de quo ſolo verificatur quod non ſit niſi voluntarium.t.5.l.4.c.4.n.82.p.558
Peccatum pro ptimo inſtanti ſuæ exiſtentiæ eſt ſemper actuale. eod l.4.c.3.n.19. p.535
Peccatum habituale quid. t.4.l 2 c.3.n.76 p 324 Non eſt incõpoſſibile cũ eo omni actu,cum quo eſt incõpoſſibile actuale.t 5.l.4.c.4.n.23.p.543 Expellit gratiam habitualem formalitet, moraliter potiùs quàm phyſicè ; & oppoſitio ſeo expulſio quæ exercetur inter gratiam & peccatum phyſica dici poteſt ex parte gratiæ , moralis ex parte peccati.eod.l.4.c 3.n 17. & 20. p.534
Peccatum habituale , quamvis in aliquo ſenſu expellat gratiam effectivè, non expellit ipſam demeritoriè in actu ſecundo. eod.c.3.n.17.& 18. p.534
Peccatum habituale, quamvis in aliquo ſenſu expellat gratiam effectivè, non expellit ipſam demeritoriè in actu ſecundo.eod.c.3.n.17. & 18, p.534
Peccatum originale eſt animæ morbus , non vulnus.t.5.l.1.c.2.n.35. p.394 Non ponit in Adæ Poſteris aut morbidam qualitatem , aut habitum inclinantem ad malum , aut minorem inclinationem ad bonum,aut majora impedimenta extrinſeca benè operandi relatè ad puram naturam.eod.c.2.n.36. p.394
Peccatum otigioale avertere à Deo ſolum ut à fine ſupernaturali quinam docuerint. eod.c.2. n.40. p.595
Peccatum perſonale inclinantem ad bonum minoit potiùs;quàm originale.eod.c.2.n.51.p.397
Peccata lethalia contra præcepta natutalia non poſſunt ab homine omnia vitari ſine auxilio

gratiæ : impotentia tamen ea vitandi eſt ſolum moralis ; eſt verò phyſica impotentia vitandi ſine gratia peccata lethalia contrà præcepta ſupernaturalia affirmativa: t.5.l.2.c.3.n.56.& 57. p.451

Peccata venialia cur difficiliùs vitentur, quàm lethalia ? Pro quanto tempore poſſint vitari omnia cum auxiliis ordinariis. eod.c.3.n.38.p.447 & 48.p.449. Non poſſunt cum talibus auxiliis vitari omnia diù ut vitari poſſunt lethalia. eod. c.3.n.35.p.446. Impotentia ea vitandi eſt moralis, non phyſica; eſt ad venialia collectivè, de quibus ſic vitandis non datur ſpeciale præceptum, non eſt ad veniale aliquod diviſivè. eod. c.3.n.49.& 55. p.449.& 451

Peccata venialia perfectè deliberata probabile eſt fuiſſe de facto vitata ex ſpeciali privilegio ab aliquibus ultrà B. Virginem, non ſic omnia ſimpliciter, quamvis affectus omnia ſimpliciter vitandi utilis ſit ac laudabilis. eod.c.3.n.36.37. 45.& 56. p.447.451

Peccatorum remiſſio, aliaque ad talem remiſſionem pertinentia. *Vide* Remiſſio peccatorum.

Pelagij cum Sanctis Patribus concertatio fuit de ſola gratia actuali. t.5.l.1.c.1.n.12. p.382

Pelagij doctrina de gratia originalem traxit ex Origene. eod.c.1.n.1.p.379. Tres habuit errorum gradus ſeu ſtatus : Primus dici poteſt ethniciſmus ; ſecundus ſemi-ethniciſmus ; tertius Iudaiſmus; quartus ab aliquibus additur ſub nomine ſemi-Chriſtianiſmi. eod. c.1. à n.2. ad 6. p.380. & ſeqq.

Pelagius admiſerit ne tandem gratiam aliquam actualem internam, veram gratiam habitualem; concurſum Dei ſimultaneum ? controvertitur. eod.c.1.à n.7.ad 14.p.381. Si admiſit gratiam actualem internam, hanc admiſit ſufficientem potiùs, quàm efficacem ; ex parte intellectûs tantùm, non ex parte voluntatis. eod. c.1. n.8. & 13. p.381. & ſeqq. & l.2. c.2. n.1. p.420

Penetratio corporum negari univerſaliter non poteſt ſine gravi cenſura. t.4.l.3.c.4.n.14. p.368

Pentateucus quid ſignificet, & quamnam ſacræ Scripturæ partē cōplectatur? t.3.l.1.c.1.n.4.p.8.

Perpetuitas alia in actu primo, alia in actu ſecundo; alia phyſica, alia logica: hæc poſtrema repugnat cuicumque creaturæ ; & neque eſt de eſſentia durationis perpetuæ. t.4.l.2.c.3.n.27. & 31. p.314.& 319

Perſeverantia aliquando ſumitur pro virtute, aliquando pro ſtatu, aliquando pro dono, aliquando pro adjutorio perſeverantiæ; & quid ſingula? t.5.l.1.c.3.n.60.p.411.& l.2.c.5. n.1.2.3.& 8. p.465. &c.

Perſeverantia ſumpta pro ſtatu dividitur in diuturnam ; non finalem ; finalem, non diuturnam; diuturnam, & finalem ſimul. eod. c.5. n. 2. p.463

Perſeverantia ſumpta pro dono eſt idē quod perſeverantia finalis, & hæc etiam in pura natura fuiſſet magnum donum ſpecialiſſima gratia naturalis ; pro ſtatu præſenti conſiſtit formaliter in conjunctione habitualis gratiæ cum morte. eod. c.5.n.1.& 24. p.464. & 469

Perſeverantia finalis differt à non finali penes cōſummationem ; non penes initium & progreſſum, imò hoc utroq; aliquando caret, & quando utrumque datur, in neutro quis propriè dicitur perſeverare finaliter. eod.c.5. n.5.6. & 13. p.464 466. Dividi poteſt in affectivam, & effectivam. eod.c.5.n.7. p.464. Eſt effectus providentiæ ſpecialiſſimæ propriæ prædeſtinatorum. eod.c.5.n.14. p.466

Perſeverantia finalis cur de facto uni potiùs, quàm alij conferatur, nobis non innoteſcit. eod.c.5. n.16.p.469. Eſt debita aliquibus, at ex ſola Dei miſericordia, non ex aliquo ipſis inexiſtente. eod.c.5.n.18. p.466. & 23. p.468. Cadit ſub meritum congruum. t.5.l.4.c.9. n.20. p.616. Reſpectu juſti in mortale prolapſuri nec de potentia abſoluta poteſt cadere ſub meritum condignum. Nulla facta ſuppoſitione futuri lapſus non poteſt cadere ſub condignum juſti meritum de potentia ordinaria, quò ad abſolutam res eſſe poteſt problematica. eod. c. 9. n.44. & 50

Perſeverantia finalis quomodo differat à dono confirmationis ? *Vide* Confirmatio. Quam gratiam actualem requirat? *Vide* Gratia actualis.

Perſonæ divinæ ſunt objectum ſecundarium noſtræ beatitudinis, ſpectant adhuc ad beatitudinem eſſentialem. t.4. l.1. c.3.n.49. p.283

Perſonæ Filij & Spiritus ſancti ſunt ab alio, non gratia alterius. eod. l.1.c.1.n.33. p.551

Phantaſma materiale producit ſpeciem ſpiritualem. t.3. l.1. c.1.n.15. p.70

Pharao quomodò obdurato corde obtemperare non poſſet. t.5.l.1.c.3. n.63. p.412

Philautia & ſpiritualis luxuria quid? t.3. l.3.c.4. n.9. & 15. p.218.220

Pius affectus prævius ad aſſenſum fidei eſt actus ſupernaturalis. t.5. l.2. c.4. n.51. p.455

Pœna debet eſſe involuntaria. t. 5. l.1. c.3. n.49. p.409

Pœna damni in inferno importat carentiam omnium donorum ſupernaturalium. t.3. l.3. c.5. n.4. p.230. Vide, damnatorum pœna.

Poſſeſſio rerum ſpiritualium, & corporalium habetur diverſimodè ; illa ſcilicet perfectè habetur per perfectam cognitionem, non ſic iſta, & cur ? t.4.l.2.c.2.n.5.& 41. p.297. & 305

Potentia, ſeu providentia ordinaria Dei quas leges ſervet ? t.3. l.5. c.1. n.76. p.201

Potentia loco-motiva in Angelis aliquo modo ſe habet, ut omnipotentia in Deo. t.3. l.2. cap.5. n.109. p.178

Potentia peccandi poteſt excludi à forma non excludente habituale peccatum. t.4.l.2.c.3.n.92. p.357. Vide, peccabilitas.

Præceptum non addit difficultatem operi, ſuprà quod cadit. t.5.l.2.c.3.n.13. p.442

Præceptum ſupernaturale aliud eſt tale ex re præcepta, aliud ex modo præcipiendi. eod. l.2.c.4. n.23. p.458

Præceptum negativum ſolùm indirectè poteſt eſſe ſupernaturale ſimpliciter & ex re præcepta : ſolùm item indirectè poteſt eſſe ſupernaturale præceptum de opere externo. eod. cap.4.n.28. & 31. p.459

Præceptum ſupernaturale affirmativum impleri quoad ſubſtantiam, non quoad modum quid ſignificet ? eod. c. 4. n. 35. p.458

Præceptum non amittendi, ſeu non negandi fidem, affirmativum eſt, non negativum. eod. c.4.n.28. p.459

Prædeſtinatio alicujus quomodò differat ab inſtitutione

tatione ipſius in Dei hæredem. t.5.l.4.c.4.n.6. p.539. Prælatio inter malos eſt major miſeria. t.3. l.1.c.3.n.29. p.35
Præmium advenire ab extrinſeco intelligitur de præmio accepto objectivè, non de præmio accepto formaliter. t.4 l.2.c.1.n.35. p.293
Præmotio, ſeu Dei motio ſe tenet ex parte actus ſecundi potiùs, quàm ex parte actus primi. t.5. l.1.c.3.n.49. p.409
Præteritorum cognitio eſt indicium divinitatis. t.3.l.2.c.2.n.122. p.113
Præſentia definitiva conſtituat ne in loco propriè & rigoroſè? quæſtio eſt de nomine. eod. l.2. c.5.n.3. p.153
Praxis importat libertatem, nec habetur ſine actione libera. t.4.l.2.c.3 n.95. p.327
Primi parentes fuerunt à Deo conditi in gratia & ſanctitate. t.3.l.3.c.1.n.10. p.185
Principatuum evacuatio futura in fine mundi, quid? t.3. l.1 c.3.n 30. p.36
Principium meriti nec de potentia abſoluta cadere poteſt ſub meritum, ſive antecedens, ſive ſubſequens. t.5.l.4. cap.8. n.10. p.601
Proceſſus infinitus repugnat in per ſe ordinatis finibus æquè, ac in per ſe ordinatis efficientibus. t.4.l.1.c.1. n.14. p.243
Promiſſio extrinſeca faciliùs admitti poteſt neceſſaria pro meritò apud homines, quàm pro merito apud Deum. t.5.l.4 c.6. n.34. p.571
Promiſſio gloriæ alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca gratiæ. eod c.6. n.27. p.570
Prophetia quid? Non convenit beatis. t.4.l.3.c.1. n.9. p.336
Propoſitum efficax ſervandi præcepta, & vincendi tentationes oppoſitas non sequitur quòd in particulari expendantur omnia impedimenta & incommoda talis obſervantiæ & victoriæ; Tale propoſitum quandiu durat non admittit aliquam præcepti inobſervantiam. t.5.l.2. cap.2. n.38. & 39. p.455
Pueri in natura pura decedentes ante uſum rationis conſequerentur beatitudinem naturalem, non ſic decedentes modò in peccato originali. t.5.l.1. c.5. n.48. p.396. Licèt hoc ſecundum aliqui docuerint. eod. c.2.n.40. p.395. & t.4. l.2.c.4.n.13. p.330

Q

QUadratura circuli cur non ſit veritas naturaliter cognoſcibilis? t.5.l.1.c.5 n.12. p.423
Quæcumque ſunt numero multa materiã habent, intelligitur multipliciter. t.3.l.1.c.3.n.55.p.42
Quantitas non eſt ratio conſtitutiva rerum materialium in loco. t.3.l.2. c.5.n.8. p.155
Qui dat formam, dat conſequentia ad formam, quomodò verificetur? t.3.l.3 c.1. n.66. & 70. p.199
Quod conſenſu contrahitur, ſine conſenſu minimè relaxatur, quomodò verificetur? t.5.l.4. c.4.n.89. p.559

R

REdemptio cur fuerit à Deo proviſa & parata hominibus, non Angelis. t.3.l.3.c.4.n.49. p.228. Redemptione ſuppoſita probabile eſt Deum non poſſe omnibus hominibus negare auxilia efficacia ad ſalutem. t.5. l.2. c.2. n.16. p.430
Relativum quomodò ſupponat abſolutum? t.3. l.3.c.4.n.54. p.222
Remiſſio peccatorum in juſtificatione eſt vera & propria ipſorum deſtructio, & abolitio, non ſola occultatio: hocque eſt dogma fidei. t.5.l.4. c.3.n.2. p.530. Illa de facto habetur unicè, & totaliter per habitum gratiæ independenter ab omni extrinſeca lege, omnique extrinſeco favore, eod. c.3. n. 5. 6. & 11. p.532; At non ſine extrinſeca condonatione. eod. c.3. num.7. p.535. & c.4.n.67. p.554
Remiſſio peccati & infuſio gratiæ ſunt duæ mutationes diſtinctæ realiter. t 5. l.4.c.3.num.22 p.536. Fiunt omninò ſimul tempore, pro cujus nec uno inſtanti gratia, & peccatum ſibi coexiſtunt. eod. c.3. n. 54. p.536. Naturâ infuſio gratiæ eſt prior remiſſione peccati in juſtificatione; peccati commiſſio eſt prior expulſione gratiæ in lapſu. eod.c.3.n.28. p.537
Remiſſio peccati non eſt eſſentialiter peccatori voluntaria. t.5.l.4.c.4.n.82. p.537
Per retractationem peccatum aufertur quoad voluntarietatem, non quoad aliam omnem moralitatem. eod. c.4.n.24. p 543
Remiſſio peccatorum de potentia abſoluta quot modis haberi poſſit? eod. c.4.num.71. p.555. Quomodò ſine infuſione gratiæ? eod. c.4.n.55. p.551. Quomodò ſine omni forma juſtificante & per condonationem purè extrinſecam? eod. c.4. n.63. p.553. Quomodò ſine omni mutatione phyſica & ſine omni actu peccatoris? eod. c.4.n.80. p.557
Remiſſio peccati pro inſtanti, quo peccatum ipſum committitur, eſt omninò repugnans. eod. c. 4. n. 72. p.535. In pura natura peccatum remitteretur, ſeu deleretur formaliter per actum naturalis amoris, quamvis non deleatus in hoc ſtatu per actum amoris ſupernaturalis, & cur? eod. c.4.n.33. & 34. p.545
Remiſſio peccati futuri, ſeu reparatio futuri lapſus, nec de potentia abſoluta poteſt ſub condignum hominis meritum cadere. t.5.l.4.c.8.n.36. p 607
Remiſſa & ſemel confeſſa peccata quomodò poſſint iterùm remitti, & terminare ſacramentalem abſolutionem? eod. l.4. cap.4. num.79. p.556
Remiſſa ſemel peccata nunquam impoſterum redeunt. eod. l.4. c.10. n.32. p 624
Replicatio ſimpliciter, & extrà locum adæquatum, eſt ſupernaturalis; non ſic replicatio ſecundùm quid, & hæc convenit rebus ſpiritualibus intrà aream loci adæquati. t.3. l.2. c.5. n.118. p.181. Vide, extenſio.
Reſiſtentia medij in ordine ad motum alia poſitiva, alia negativa? eſt cauſa ſucceſſionis non cujuſcumque, ſed tardioris. eod. c.5.n.92. p.174
Revelatio myſteriorum fidei rectè dicitur gratia; quamvis non interna, nec ſufficiens ad credendum ſalutariter, & ut oportet. t.5. l.2. c.4. n.10. p.455
Revelatio univerſalis quenam particularia contineat in ordine ad fidem. t.5. l.3. c.3. num.28. p.514
Reviviſcentia meritorum. Vide, meritorum mortificatio.

Ruinæ Angelorum quomodò ſint per homines reparandæ.t.3.l.1.c.3.n.10. & 23. p 31. & 34.

S

SAcerdos ut abſolvat, & conſecret, non indiget intentione ſupernaturali, quamvis abſolutio, & conſecratio habeant effectum ſupernaturalem. t.3. l.2. c.2. n.43. p.436

Sacramenta vivorum prærequirunt ſtatum gratiæ, ſaltem putatum & probabiliter exiſtimatum. t.3.l.3.c.3. n.30. p.316

Sadducæorum error circà Angelos, & talis erroris origo. t.3. l.1.c.1.n.2. & 3. p.2

Satisfactio in quo differat à merito. t.5. l.4. c.7. n.58. p.398

Scientiarum acquirendarum difficultates & impedimenta in homine lapſo quænam ſint?t.5 l.2. c.1.n.13. p.423

Scientiarum infuſio tota ſimul eſt melior earundem ſucceſſiva acquiſitione. t.4. l.3. c.1.n.19. p.338

Secreta cordium non cognoſci immediatè ab Angelis oſtenditur multipliciter. t.3. l.2.c.2.n.35. & 36. p. 97. Talium ſecretorum nomine veniunt etiam actus intellectus. eod. c.2. n.76. p.102

Securitas eſt quædam perfecta quies animi à timore; eſt formaliter in voluntate, radicaliter in intellectu. t 4. l.2.c.3.n. 38. p.316

Semipelagiani aliquandò vocantur ſimpliciter Pelagiani: Quinam in particulari fuerint. t. 3. l.1.c.1.n.16. & 18. p.382. Errarunt præcipuè admittendo initium ſalutis independens à vera gratia præveniente: admiſerint ne pro initio ſalutis auxilium verſatile & indifferens; agnoverint ne in actibus naturalibus meritum gratiæ condignum, an congruum? controvertitur. eod. c.1. à n.20. ad 23.

Senſatio eſt operatio eſſentialiter vitalis. t.3. l.1. c.4.n.33. p.58

Senſatio non exiſtens non poteſt experimentaliter percipi; quamvis poſſit haberi ſenſatio ipſa de objecto ſenſibili non exiſtente. t.3. l.3. c.3. n.95. p.242

Senſus hominum & brutorum non differunt ſpecie. t.3. l 2 c.1. n.89. p.83

Senſui externo non repugnat actus ſupernaturalis in ſubſtantia. t.4. l 3. c.4. n.18. p.374

Seraphim ſupremo Angelorum ordini cur amor potiùs, quàm ſcientia tribuatur? t. 3. l.1. c.3. n.16. p.33

Simplex & ſimplicitas meliùs explicatur negativè, quàm poſitivè. t.3. l.1 c.2.n.1. p.9

Simplicitas ſubſtantialis eſt melior ſubſtantiali compoſitione. eod. c.2.n.31. p.17

Singularitas non poteſt eſſe eſſentialis differentia, imò nec inſeparabilis proprietas ullius naturæ creatæ. t.3. l.1 c.3.n.64. & 67. p.45

Socrates quomodò deſideraverit patentia hominum pectora. t.3. l.2.c.1.n.59. p.98

Speciei diſtinctio in ſubjicibilem & prædicabilem non eſt tanquam in duas rationes ſeparabiles. t.3. l.1. c.3.n.66. p.46

Specifica diverſitas non neceſſariò ſumitur à perfectiſſimo rei prædicato. eod. c.3 n.36. p.37

Species intentionales quomodò ſe habeant ut formæ, ut figuræ, ut colores? t.3. l.2. cap.3.n.18. p.126. Quomodò deficiant? t.3. l.1.c.2.n.64. & 65. p.26
Quomodò ad repræſentanda objecta exiſtentia non indigeant conditione actualis exiſtentiæ ſpecies ſenſibiles, benè verò intelligibiles. t.3. l.2.c.2. n.116. p.118

Species intellectuales diſtinguuntur ab intellectionibus ſaltem inadæquatè. eod. l.2. cap.1. n.80. p.83

Species rememorativæ non ſunt ſpecies propriæ objectorum, quæ in memoriam revocantur. eod. l.2.c.2.n.15. p.89

Species abſtractiva Dei propria repugnat; & quando non repugnaret, eſſet ſupernaturalis in ſubſtantia. eod. c.2.n.5. & 6. p 87

Talis ſpecies nec Adamo, nec Angelis fuit infuſa. Vide, Adamus. Vide, Angelorum intellectus.

Species intellectus Angelici nullatenùs producuntur ab objectis materialibus, & de facto neque à ſpiritualibus, ab iſtis tamen produci poſſunt. t.3.l.2. c.1. n.22. 29. & 34. p.69. & ſeqq. Non emanant ab eſſentia aut ab intellectu Angelorum, neque mediante intellectu abſtrahuntur ab objectis. eod. c. 1. n.37. 42. & 43. p.73. & ſeqq. Non ſunt paſſiones & proprietates eorundem Angelorum. eod. c.1. n.44. p.74

Species intellectus Angelici ſunt à Deo infuſæ omnes ſimul ab initio, & per eductionem, non per creationem productæ. eod. c.1. n. 47. 50. & 53. p.76. Sunt univerſales ex parte ſui in repræſentando; meliùs tamen denominantur ſpecies ſingularium, quàm univerſalium. eod. c.1. n.34. p.77. & c.2. n.88. p.105

Sunt univerſaliores in Angelis ſuperioribus etiam ſuperioritate purè ſpecifica. eod. c.1. num.65. p.79

Sunt plures in quolibet Angelo ſaltem excepto ſupremo. eod. c.1.n.73. p.81. Habent univerſalitatem ſolùm in ordine ad objecta inferiora cognoſcente; nec conſtat quanta hæc ſit determinatè in ſingulis. eod. cap.1. num.72. & 79. p.81

Species infuſæ quomodò debeant eſſe ejuſdem rationis cum acquiſitis? eod. c.1.n.39. p.78
Poſſunt repræſentare, tùm plura & plura, etiam infinita; tùm plura diverſa & diſparata etiam ſecundùm quod diverſa & diſparata ſunt. eod. c.1.n.60. & 61. p.78. Quoad exercitium majus, vel minùs ſubſunt potentiæ, cui inſunt. eod. c. 1. n.64. Quomodò in Angelis primò excitentur? eod.c.1.n.82. p.83

Spirituale, ſpiritualitas, ſpiritus ſimpliciter & abſolutè quid? t.3.l.1. c.2. n.2. & 8. p.10

Spiritualitas meliùs à nobis explicatur negativè, quàm poſitivè. eod. n.2. Non excludit ex conceptu ſuo diviſibilitatem, & partes. t.3.l.2.c.5. n.18. p.137

Spirituali ſubſtantiæ probabilius eſt, quòd repugnet compoſitio ex partibus integrantibus. t. 3. l.1.c.2.n.40. p.20

Spiritualis ſubſtantia nequit eſſe ſubſtantialiter corruptibilis ab intrinſeco, tranſiens ſcilicet ex natura ſua, & exigens aliquandò non eſſe. eod. c.2.n.59. p.25

Spiritualis, ſeu non corporea materia. Vide, materia.

Status hominis quid & quotuplex. t. 5. l. 1. c. 2. n. 1. p. 386

Status juſti eſt ſtatus phyſicus, ſtatus peccatoris eſt purè moralis, nec uterque conſtituitur per formam eodem modo permanentem. t. 5. l. 4. c. 2. n. 15. p. 516

Status viæ & ſtatus termini in quo conſiſtant. t. 4. l. 1. c. 3. n. 21. p. 277. & t. 5. l. 4. c. 6. n. 2. p. 563

Status viæ cur admittat confirmationem in gratia, non obdurationem in peccato? t. 5. l. 1. c. 5. n. 73. p. 414. Quomodò requiratur ad merendum, tùm ſibi, tùm aliis; tùm condignè, tùm congruè? t. 5. l. 4. c. 6. n. 5. p. 564. & 14. p. 566. & c. 9. n. 11. p. 614. Quomodò ſit ipſius proprium reſpicere commoda, & incommoda temporalia? eod. c. 6. n. 7. p. 565

Status naturæ humanæ in via, tùm de facto, tùm de poſſibili acceptus ſextuplex aſſignari poteſt, nimirum naturæ puræ, naturæ integræ, juſtitiæ originalis, gratiæ gratum facientis, naturæ lapſæ, naturæ reparatæ. t. 5. l. 1. cap. 2. num. 1. p. 386

Status naturæ Angelicæ ſunt pauciores, & de facto tres duntaxat, nimirum ſtatus naturæ ſimpliciter, ſtatus gratiæ, & ſtatus culpæ. Natura pura in Angelis diſtingui nequit ab integra. eod. c. 2. n. 21. p. 391

Status naturæ puræ quid? eod. c. 1. n. 2. p. 387. & t. 4. l. 1. c. 3. n. 7. p. 273. Nunquam fuit, potuit tamen vere eſſe, & affertur cenſura opinionis oppoſitæ. eod. c. 2. n. 19. & 20. p. 390. & eod. c. 3. n. 8. & 9. p. 274

Status naturæ puræ excludit gratiam ſanctificantem, integritatem, immortalitatem, reſurrectionem corporum. eod. c. 3. à n. 9. ad 12. p. 274. & ſeqq. Admitteret aliqua ſpecialia auxilia, ſeu gratias ordinis naturalis ad amandum ſuper omnia Deum, & ad obſervandam totam legem naturalem. eod. c. 3. n. 16. p. 275. & t. 5. l. 1. c. 2. n. 46. & 53. p. 436. & 438. Vtrùm admitteret inſultus, & contrarietates dæmonum, controvertitur. eod. c. 2. n. 44. p. 436

Status naturæ puræ ſecundùm ſe præſcindendo ab omni actu non diceret converſionem ad Deum ut finem naturalem; & homo in tali ſtatu conditus dici poſſet negativè à Deo averſus, adhuc tamen decedendo antè uſum rationis conſequeretur naturalem beatitudinem. eod. c. 2. n. 40. 41. & 48. p. 435

Status naturæ integræ quid? t. 5. l. 1. c. 2. n. 3. p. 387. & 21. p. 391. Non eſt debitus naturæ humanæ ſecundùm ſe. eod. c. 2. n. 13. p. 389. Non importat tamen donum aliquod ſupernaturale in ſubſtantia. eod. c. 2. n. 25. p. 391

Status juſtitiæ originalis quid? eod. c. 1. num 3. p. 387. Eſt perfectior ſtatu naturæ integræ & ipſum includit. eod. c. 2. n. 24. p. 391. Habetur per aliquid ſubſtantialiter diverſum ab habitu gratiæ & hunc præſupponit. eod c. 2. num. 26. & 27. p. 392

Status gratiæ gratum facientis, ſeu habitualis quid? eſt communis homini, tùm originaliter juſto, tùm lapſo. eod. c. 1. n. 28. p. 392. Vide, Gratia habitualis.

Status naturæ lapſæ quid? Nec in Angelis de facto, nec in hominibus in pura natura conditis dari poſſet. eod. c. 2. num. 29. & 30. p. 391. Importat ſpoliationem in gratuitis & vulnerationem in naturalibus comparativè ad ſtatum integritatis & originalis juſtitiæ, non comparativè ad naturam puram. eod. c. 2. n. 31. 34. & 45. p. 393

Status naturæ lapſæ & naturæ puræ differunt ſolùm connotativè & moraliter: Vterque ſe habet ut nuditas; Natura pura ſe habet ut nuda; natura lapſa ſe habet ut nudata propter peccatum. eod. c. 2. n. 50. & 51. p. 397

Status naturæ reparatæ de facto eſt per gratiam Chriſti; potuiſſet aliter eſſe, importat reparationem in aliquibus ſufficientem, in aliquibus efficacem. t. 5. l. 1. c. 1. n. 54. p. 398. Eſt melioris conditionis, quàm ſtatus naturæ puræ; & quoad gratiam eſt in aliquibus individuis melioris conditionis, quàm fuerit ſtatus innocentiæ. eod c. 2. n. 56. & 57. p. 398

Status reparationis inchoatur in via quantùm ad mentem; conſummatur in patria quantùm ad carnem. t. 5. l. 1. c. 3. n. 11. p. 401

Stoïci docentes omnia mala hujus vitæ ex virtutum conſortio quaſi dulceſcere, id dixerunt ex amore hujus vitæ, non ex amore virtutum, ideò deridendi. t. 4. l. 1. c. 3. n. 19. p. 276

Subſtantia intellectiva ſimplex petit eſſe æterna magis, quàm ſubſtantia intellectiva compoſita. t. 3. l. 1. c. 1. n. 60. & 61. p. 25

Subſtantia ſupernaturalis, aut connaturaliter videns Deum ſi daretur, non per hoc eſſet ab intrinſeco impeccabilis. t. 3. l. 3. cap. 2. num. 79. p. 201. Vtrùm foret principalis cauſa gratiæ? problema. t. 5. l. 3. c. 2. n. 9. p. 494

Superbia ex vi nominis quid? t. 3. l. 3. c. 4. n. 21. p. 221. Accipitur dupliciter. eod. c. 4. n. 17. Eſt radix invidiæ. eod. c. 4. n. 7. p. 218. Non reſpicit eſſentialiter excellentiam relatam ad alios. eod. c. 4. n. 20. p. 221

Superfluitas naturaliter repugnat cauſis neceſſariis, non cauſis liberis. t. 3. l. 2. c. 5. n. 73. p. 169

Supernaturalitas alia quoad ſubſtantiam, alia quoad modum; & quid illa prima juxtà Scotum. t. 3. l. 2 c. 1. n. 135. & 136. p. 116

Supernaturale quoad modum intrinſecum idem eſt ac ſupernaturale in ſubſtantia, & tale eſſe debet quodlibet opus in toto rigore ſalutare. t. 5. l. 2. c. 4. n. 12. p. 455

Supernaturales actus eliciì quoties elicitur bonus actus naturalis eſt ſingularis ſententia Ripaldæ. t. 5. l. 2. c. 1. n. 5. p. 427

Supernaturaliter operari, non ſic ſupernaturaliter eſſe, haberi poteſt per formam extrinſecam, & cur? t. 5. l. 4. c. 1. n. 15. p. 526

Suppoſitio impoſſibilis quandonam ſit inutilis? t. 4. l. 2. c. 3. n. 90. p. 317

Surreptio eſſe poteſt in Angelis, rariùs tamen, quàm in nobis. t. 3. l. 3. c. 1. n. 47. & 48. p. 194

T

TActus habere poteſt puriſſimas, ac honeſtiſſimas voluptates, baſque de facto habet in beatis. t. 4. l. 3. c. 4. n. 56. p. 377

Tegere variè ſignificat, & dicitur aliquandò de iis quæ ſervantur, aliquandò de iis, quæ deſtruuntur. t. 5. l. 4. c. 3. n. 3. p. 591

Tempus aliud Theologicum, ſeu Angelicum; aliud philoſophicum ac humanum. t. 3. l. 3 c. 2. n. 19. p. 209

Tempus

Tempus diſcretum Angelicum quid? ex quibus operationibus conſurgat? & quomodò poſſit ſtatui unum numero pro omnibus Angelis. eod. c.1. num.2.3. & 9. p.206. Vnum inſtans temporis Angelici quomodò poſſit correſpondere pluribus inſtantibus, tùm temporis noſtri, tùm temporis alterius Angeli? eod n.3. p.206

Tempus voluptatis cur brevius appareat, quàm tempus doloris? t.3. l.5. c.5. n.99. p.176

Tentatio in malam partem accepta quid, & quotuplex? ejus gravitas & levitas attenditur ex modo, quo ad malum inclinat; non ex malo, ad quod inclinat. t.5.l.2. c.3. n.2. p.439

Tentatio poteſt vinci tripliciter; vincitur propriè dum abtinetur oppoſitum ejus, quod tentator intendit. eod. c.3. n.3. & 10. p.437. Poſſit ne vinci purè omittendo? controverſum; ſi taliter vinci poteſt, neceſſaria eſt gratia actualis ad tentationem gravem taliter vincendam. t.5.l.2. c.2.n.27. p.432

Tentatio gravis æquivalet multis levibus. eod. l.2. c.3. n.51. p.444. Poſſit ne eſſe gravis tentatio unici inſtantis? controverſum. eod. c.3. n.2. p.419

Tentatio levis aliqua eſt in homine lapſo ex generali Dei providentia. eod. c. 3. n. 4. p.440. Vbi adeſt tentatio, non ſemper adeſt major operandi difficultas, nec econtrà. eod. cap.3. n.11. & 15. p.441

Terminus *a quo* eſt terminus qui abjicitur, nec eſt neceſſe quod ſit initium mutationis, aut prior termino *ad quem*. t.5.l.4.c.3.n.30. p.537

Ternarius numerus congruè dividit omnem multitudinem. t 3. l.1.c.3.n 20. p.533

Theologia, quæ ex principiis fidei, non remanet in beatis, benè tamen Theologia naturalis. t 4. l.3.c.1. n.23. p.339. & c.2. n.10. p 348

Triſtitia à ſimplici diſplicentia quomodò differat: illa ut ſit gravis quid requirat? eod. c.2. n.55. & 58. p.353

V

VErbum divinum in quo ſenſu dicatur Angelus? t.3. l.1.c.4 n.13. p.53

Veritas naturalis quotuplex? t.5. l.2.c 1. num.1. p.420. Aliqua eſt naturalis ex parte rei, non ex parte medii. eod. c.1. n 10. p.422

Veritates morales practicæ aliæ ſunt ſufficienter, aliæ efficaciter tales. eod.c.1.n.21. p.425

Veritas ac falſitas formalis & propria convenit cognitioni non ſolùm humanæ, verùm & Angelicæ. t.3.l.2.c.3.n.40. & 41. p.131

Veritatis inquiſitio fit ab homine per diſcurſum, ab Angelo per majorem rerum inſpectionem. eod.c.3.n.34. p.130

Verùm eſſe in mente, bonum in rebus quomodò intelligatur? t.4. l.2.c.2.n.5. p.297

Venialia peccata. Vide, Peccata venialia.

Virginitas fructus, & virginitas aureola quomodò differant? t.4.l.3.c.3. n.46. p.365

Virgines debent eſſe tales corpore, & mente: mentis virginitas amiſſa poteſt reparari, non ſic illa corporis. eod.c.3. n.23. p.360

Virgo Deipara fuit immunis ab omni veniali. t.5. l.2. c.3. n.42.

Habeat ne aureolam martyrii? controverſum. t.4. l.3.c.3.n.30. p.445

Virtutes morales, quarum actus naturæ Angelicæ repugnant ratione materiæ, non fuerunt Angelis infuſæ. t.3. l.3.c.1.n.15. p.186

Viſio Dei increata, ſi communicaretur beatis, non excluderet ab ipſis indigentiam luminis; nec redderet ipſos omnes æqualiter videntes. t.4.l.2.c.1.n.22. & 24. p.290

Viſio Dei creata & beata non conſiſtit in aliquo Dei illapſu. eod. c.1. n.18. p.290. Si ſupponatur conſervari non exiſtente Deo, non erit ampliùs beatitudo formalis. eod. l. 2 c.3. n.89. p.317. Si attingeret divinam eſſentiam ſine perſonis & attributis, eſſet cum viſione quæ de facto datur ejuſdem ſpeciei in ratione actus beatifici, non in ratione actus Theologici. t.4. l 1.c.3.n 48. p.283

Viſio Dei beata quomodò ſit beatitudo formalis etiam voluntatis? t.4. l.2. cap.3. num.5. & 8. p.309. Quomodò ſit in beatis radix omnium aliarum perfectionum? quomodò ſit perfectio ultima? quomodò ordinetur ad amorem? eod. l.2.c.2.n.48.51. & 53. p.307. Inducit neceſſitatem amoris; item gaudii, tùm formalis, tùm cauſalis, & primum quidem gaudium nec divinitùs eſt impedibile, secùs ſecundum. eod. l 2.c.3. n.17. p.312. 46. & 49. p.318

Viſio Dei beata non ſanctificat æquè perfectè, ac habitualis gratia; conſtituit tamen Dei amicum & hæredem. t.5. l.4. c.4. n.31. p.537. Eſt incompoſſibilis cum peccato habituali, item cum actuali, ſive antecedente, ſive ſubſequente. t. 4. l.2. c.3. num.72. & 75. p.323. Retractat eſſentialiter peccatum & convertit per ſe ipſam eminenter in Deum. eod. cap.3. n.77. & 78. p.324. Neceſſitat ad non peccandum, excludit omnem inconſiderationem & omne dictamen defectuoſum. eod. c. 3. n. 65. & 70. p.322. Non repugnat tamen cum quocumque errore. t.4. l.3. cap.1. num.30. & 31. p.340

Viſio Dei, tùm ut beatitudo, tùm ut viſio, eſt ab intrinſeco perpetua perpetuitate phyſica. t. 4. l.2.c.3. n.26. 27. & 39. p 314. & ſeq.

Viſio Dei conceſſa tranſeunter non neceſſariò ſecum affert Dei amorem amicabilem; eſt aliqua ratione compoſſibilis cum habituali peccato, & fortè etiam cum potentia peccandi. eod.c.3. à n.79. ad 84. p.325. & ſeqq. Differt per aliquid intrinſecum, quamvis non per aliquid eſſentiale, à viſione perpetuò duratura. eod. c.3. n.41. p.317

Viſio Dei, quam habuit D.Paulus in raptu, fuit ejuſdem ſpeciei cum viſione patriæ: fuit miraculoſa quoad modum productionis potiùs, quàm deſitionis: Neque in actu primo habuit perpetuitatem ſimpliciter. eod. c.3. n. 32. 33. & 53. p.315. & ſeqq.

Vita & operatio vitalis non poteſt eſſe ab extrinſeco. t.3. l.1. c. 4. n. 35. p.58. & t.4. l.2. c.1. n.27. p 291

Vnio hypoſtatica non eſt per ſe ipſam beatitudo formalis. eod. c.1. n.47. p.296

Vniones hypoſtaticæ ex eo, quod fierent cum naturis ſpecie diverſis, non eſſent ſpecie diverſæ. eod.c.1.n.48. p.296

Vnio intentionalis, quamvis non ſit realis ſimpliciter, eſt magis realis, quàm unio affectiva. t.4. l.2.c.2.n.22. p.301

Index Rerum.

Univerſi perfectio quos gradus entis requirat. t. 3. l. 1. c. 1. n. 16.

Voluntas creata eſt tùm arbitrium, tùm natura; & natura quidem non in ordine ad ſolos actus primò primos, ſed etiam in ordine ad aliquos alios. t. 4. l. 3. c. 2. n. 8. & 9. p. 356
Per hoc quod neceſſitetur ad actum finitum, non neceſſitatur à bono finito. eod. c. 2. n. 7. p. 335

Voluntas aut omninò inflexibilis in ſuis electionibus, aut nullatenùs libera; aut libera tantùm in ordine ad aliquod genus boni, repugnat etiam de potentia abſoluta. t. 3. l. 2. c. 4. n. 48. p. 142. & l. 3. c. 1. n. 86. 87. 91. p. 204

Voluntas animæ ſeparatæ habet eandem flexibilitatem & inflexibilitatem, quàm voluntas Angeli: Voluntas animæ unitæ habet flexibilitatem majorem, idque ob duplicem rationem. eod. c. 4. n. 19. 21. p. 137. & 40. p. 142

Voluntas creata neceſſitatur ad amorem beatificum, & ſic neceſſitata etiam impedito amore remanet neceſſitata ad non peccandum. t. 4. l. 3. c. 2. n. 13. p. 344 & l. 2. c. 3. n. 66. p. 322

Voluntas habet modum operandi, quo ſe ponit in objecto, & trahitur: Intellectus quo in ſe ponit objectum, & trahit. eod. l. 2. c. 2. n. 4. & 5. p. 297

Voluntas operandi non ſemper diſtinguitur ab operatione ipſa. t. 3. l. 2. c. 4. n. 45. p. 143

Voluntas ceſſandi ab operatione non poteſt ex ſe præcisè inducere ceſſationem. eod. l. 2. c. 3. n. 5. p. 123

Voluntas creata ferri poteſt in per ſe impoſſibile, etiam cognitum ut tale. t. 3. l. 3. c. 4. num. 27. & 29. p. 222

Voluntas inefficax finis poteſt eſſe cum nolitione efficaci mediorum efficacium, non ſic ſufficientium. t. 5. l. 1. c. 3. n. 94. p. 419

Voluntas hominis lapſi eſt imbecillior circa bonum, quàm intellectus circà verum. t. 5. l. 2. c. 2. n. 51. p. 438. Non poteſt eſſe ſibi uniformis in multis operationibus ejuſdem rationis, aut ſucceſſivè, aut ſimul eliciendis. eod. c. 2. n. 12. p. 419. & c. 3. n. 16. & 21. p. 442. Peccando quomodò velit malum ſub ratione boni? t. 3. l. 3. c. 3. n. 64. p. 198

Voluntas quandonam pro facto reputetur? & ſingillatim in quonam voluntas martyrij reputetur pro martyrio ipſo. t. 5. l. 4. c. 7. n. 55. p. 598

Voluntarietas ad peccatum habituale requiſita quæ & qualis? eod. l. 4. c. 4. n. 84. p. 557

Voluntarij habitualis à voluntario morali diſcrimen. eod. c. 4. n. 84. p. 558

Votum non poteſt relaxari ſine mutatione phyſica alicujus creaturæ. eod. c. 4. num. 66. p. 553. Non ceſſat ſola voventis retractatione, & cur? eod. c. 4. n. 25. p. 543

Uti & utile eſt proprium eorum, quæ ſunt ad finem. t. 4. l. 1. c. 1. n. 18. p. 249. Quomodò dici poſſit de rebus creatis relatè ad Deum. eod. c. 1. n. 19. & 27. p. 249. & 250

Vulnus eſt læſio alicujus partis determinatæ ex diviſione, ſeu ruptione proveniens. t. 5. l. 1. c. 2. n. 35. p. 394

Vulnera hominis lapſi quot, & quæ? eod. n. 35. p. 394

Vulnus ignorantiæ in homine lapſo comparato Innocenti refertur principaliùs ad veritates ſupernaturales, minùs principaliter etiam ad naturales. t. 5. l. 2. c. 1. n. 18. p. 424

FINIS.

620709.